
UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 00181311 2

66

SANCTI

THOMAE AQUINATIS

ORDINIS PRAEDICATORUM

OPERA OMNIA

SANCTI
THOMAE AQUINATIS
DOCTORIS ANGELICI
OPERA OMNIA
IUSSU IMPENSAQUE
LEONIS XIII P. M.
EDITA

TOMUS UNDECIMUS

TERTIA PARS SUMMAE THEOLOGIAE

A QUAESTIONE I AD QUAESTIONEM LIX

AD CODICES MANUSCRIPTOS VATICANOS EXACTA

CUM COMMENTARIIS

THOMAE DE VIO CAIETANI ORDINIS PRAEDICATORUM

S. R. E. CARDINALIS

CURA ET STUDIO

FRATRUM EIUSDEM ORDINIS



ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA
S. C. DE PROPAGANDA FIDE
MCMIII

PRAEFATIO


EDITIONI nostrae Tertiae Partis Summae sequentes novem codices pergameni et tres editiones antiquae inservierunt.

A) Parisinus bibl. Nationalis 15800 saec. XIII, foliorum 187, quorum 1, 2 et 183-187 non habent quod ad Thomam pertineret. Codex non solum diversis manibus scriptus sed etiam ex pluribus libris compaginatus est. Una manus foll. 3-26 scripsit. Alia ternionem 27-32. Folium 32 absolvit quaestionis XVI articulum 5 totum, dum folium 33 a tertia manu incipit *divinis realiter est idem persona,* quae sunt eiusdem articuli *Ad primum;* ad ceteras fragmentorum compages textus continuus est; haec tertia manus usque ad folium 92 perdurare mihi videtur. Cetera folia, 93-182, utrum quarta manus scripserit an eadem quae ternionem, non audeo determinare. — Post *venialium,* ultimum operis verbum, duabus lineis scriptura vacuis rubricatori ut credo relictis, librarius scribit Indicem; post quem, scilicet fol. 182 verso 2 col., addit nigro punctis rubris ornato *Expliciunt capitula tercie partis fratris thome de aquino.* — Corrector librum non tetigit. Correctionum tamen occasiones tantum abest ut deficerent, ut prae ceteris codicibus hic monstruosis lectionibus abundet. Ex hac parte eiusdem indolis est ac illi codices antiqui Secundae Secundae, quos tunc temporis a potiori mendositate tertiae classi adscripsimus; sed in tota Tertiae Partis traditione manuscripta mihi nota similem sibi non habet. — Codex super folium internum tegumenti moderna manu saeculo XIV adiudicatur. Sed, quamvis arduum est, ubi agitur de opere labente saeculo nato, ex solis scripturae formis saeculum determinare; et quamvis ab auctoritate, quam nota ligaturae secum fert, non libenter recedimus: tamen, quia nullum signum saeculum XIV persuadens invenimus et tota codicis difficilis scriptura ita potius se habere mihi videtur ut, a scripturae specie, aut nullus alius codex Tertiae Partis aut etiam ille saeculo XIII adscribendus sit; ob hoc etiam quod textus eius ob particulares librarii (vel potius librariorum) errores peculiarem quandam vetustatem sapit, idque prae ceteris Parisinis saeculo decimo tertio addictis, ideo nostrum eiusdem saeculi esse sereno animo affirmare audemus. Nostra non multum interest codicem valde antiquum credi; textum eius, solitariis librarii erroribus expunctis, ad summam antiquitatem accedere, mox, quin annum scriptionis codicis ad duo vel tria decennia determinemus, claris ni fallor signis cognoscemus.

B) Vaticanus 748 saec. XIII, foliorum 259, quo numero ultimum album non comprehenditur. Fol. 1 margine superiori litteris rubris semirecisis *(Incipit lib' tercio frīs?) thome de aquino. qo. prima de convenie...* Fol. 256 recto 1 col. post textum altera linea a librario *Explicit secundum exemplar.* Foll. 257-259 in alia pergamena ab alia suppari tamen manu Index; rubro, in principio *Incipiunt capitula tercie partis summe fratris thome de aquino ordinis fratrum predicatorum;* in fine *Expliciunt capitula tercie partis fratris thome de aquino.* Praeter multas rescriptiones in ipso textu per librarium se corrigentem, et duas secundas manus in spatiis a scriptore relictis, de quibus infra n[is] 21, et 23, valde paucas correctiones subiit.

C) Vaticanus 750 saec. XIV iunioris, foliorum 214 (nota 161 bis occurrit; post 181 unum folium nota caret; ideo nota 182 apte cadit). Foll. 1-4 a librario Index, in cuius fine *Expliciunt tituli tercie partis fratris thome de aquino. ordinis fratrum predicatorum. Deo gracias.* Fol. 214 recto 2 col. *venialium. Deo gracias.* Correctiones paucae sunt; ut plurimum homoteleuta omissa restituunt. Dorsum ultimi folii posterior manus implevit tribus locis S. Thomae ex QQ. Dispp. qu. II de Caritate art. 11 ad 2, 6 et 8, quorum rubricas describo: *Nota... quomodo omnia quae fiunt debent in gloriam dei referri... quomodo secundum veram caritatem debet quandoque dimitti contemplatio propter salutem proximi... quomodo secundum veram caritatem oportet velle dissolvi et esse cum Christo.*

D) Vaticanus 10157 saec. XIV iunioris vel medii; ultima foliorum nota est 173, sed notator unum folium post 100 praeterivit. Nomen auctoris a manu librarii non occurrit, quia extra textum spatia rubrae scripturae destinata alia manus eaque recentior nigro implevit. Ab hac manu post *venialium* fol. 168 imo *Explicit tercia pars summe fratris thome de aquino quam perficere non potuit morte preventus. de conveniencia Incarnacionis Christi questio prima.* Sequuntur tituli Articulorum in manu scriptoris textus, dum titulos Quaestionum illa recens manus addit; ab eadem fol. 172 recto 1 col. *Expliciunt capitula tercie partis summe fratris thome de aquino.* Textum praecedit folium sine nota; quod verso margine superiori a manu adhuc recentiori habet rubro *liber sancti iacobi in insula leodii. et est tercia pars summe sancti thome de aquino. gloriosi doctoris. de ordine predicatorum.* Fol. 168 verso margine inferiori eadem manu rubro *hanc terciam partem summe sancti thome de akino. gloriosi doctoris. de ordine fratrum predicatorum. emit nonnus philippus. monachus et sacerdos monasterii sancti iacobi apostoli. fratris domini. in insula leodii. orate pro eo. fratres deum.* Codex non ita paucas correctiones habet, a manu librarii; quibus corrector (quem alium a librario fuisse non dico; inter scripturas potius quam inter homines distinguo) parvis litteris praeivisse aliquibus locis cernitur. Plura tamen loca emendanda solum margine puncto sub lineola indicantur.

E) Vaticanus Ottob. 207 saec. XIII; ultimum folium notatur 188, sed inter 75 et 76 unum folium non notatur. In textu duae sunt lacunae: qu. LXII art. 2 ad 2, post verba *et permanent reatu,* sequitur *hoc ipso quod movetur ab agente principali* etc., quae pertinent ad art. 4 ad 2; quae articulo 2 desunt antiquus corrector margine superiori folii addidit; reliquam lacunae partem notat margine laterali: *hic deficiunt due questiones.* Qu. LXVII art. 7, post solutionem secundi argumenti sequitur solutio tertii argumenti articuli sequentis; corrector margine posuit crucem solito maiorem. Quae his locis deficiunt scripta fuisse super margines laterales penitus recisos foliorum 186-188 suspicari fortasse licet. Librarius fol. 1 margine superiori rubro *liber tercius summe fratris* (ex *fr̄s* rasuris factum est *s*) *thome de aquino ordinis fratrum predicatorum.* Post *venialium* nihil addit; Indicem non habet. Frequenter correctus est, antiqua manu; huius scripturam ubi primum occurrit (fol. 1 recto marg. dextro corrector addit *convenit sibi inquantum est rationalis secundum suam,* quae in principio corporis primi Articuli omissa erant), librarius margine inferiori rescribit. Ex hoc sufficienter patet, etsi ceterae correctiones non repetitae sunt in scriptura textus, librum dum adhuc apud librarium versabatur correctum esse.

F) Vaticanus 747 saec. XIV incipientis; ultimum folium notatur 452, sed post 170 et 235 folium notator praeteriit. Index QQ. I-LIX occupat foll. 1-6, ceterarum QQ. foll. 274-277. Fol. 1 rubro *Incipiunt tituli tercie partis fratris thome de aquino. Et primo de convenientia incarnationis Christi. Rubrica.* Fol. 7 rubro *Incipit liber tercie partis fratris thome de aquino. Et primo de convenientia incarnationis Christi. R(ubrica).* Post *venialium* nihil. — Pro *fr̄s,* fol. 7, corrector codicis substituit *b'ti,* idest *beati.* Ex eo quod librarius correctoris lectiones maximam partem sua scriptura repetiit, aetas correctionum patet: natae sunt cum libro. In prima littera textus *Q* frater Dominicanus pictus aureolam habet; item fol. 278 in prima littera *P.* Codex ergo circa tempus Canonizationis auctoris scriptus esse videtur. — Pertinet ad seriem codicum Vaticanorum grandioris formae

pergameni et litterarum quae pene Opera Omnia S. Doctoris continet. Codices eiusdem seriei, Vat. 784 (D Periherm.) et 732 (K I^{ae} II^{ae}) tunc temporis diximus saeculi xiv esse; 738 et 745 (K II^{ae} II^{ae}) saeculo XIII adscripsimus, quia ex aliquorum marginalium scriptura certissima signa et eos et totam munificam seriem ad tempus antiquius referre videbantur. Sed nunc ad priorem sententiam revertimur.

G) Vaticanus 749 saec. xiv exeuntis, foliorum 186. Fol. 183 verso post *venialium* (a scriptore textus ni fallor; si vero ab alio, nomen auctoris in manu librarii non occurrit; quod fol. 96 verso e regione solutionis primi argumenti art. 5 qu. lii legitur: *Vim facis Thoma verbis Augustini,* scriptoris vel correctoris non est) nigro Deo gratias amen; rubro *Explicit tercia pars summe fratris thome de aquino de ordine fratrum predicatorum. Incipiunt tituli super terciam partem summe fratris thone* (sic) *de aquino ordinis predicatorum De convenientia incarnationis Questio prima.* Post Indicem rubro *Expliciunt tituli tercie partis summe venerabilis fratris* (rasuris fit *sa ti*) *thome de aquino ordinis fratrum predicatorum.* Corrector librum laboriose emendavit; librarius eius lectiones saepe rescripsit. De correctionibus huius codicis iam nunc animadvertimus, eas saepissime non desumptas esse a textu exemplaris quo librarius utebatur. Cuius signum est quod librarius his locis antiquorum lectionem scripserat, in quam etiam recedendo ab exemplari librariorum modo, toties cadere non potuit. Corrector cum nostro I legere solet; ergo aut similem codicem adhibuit, aut ex scriptoris exemplari correctiones, quas hic neglexerat, denuo apposuit. Interdum ipse librarius in textu, scripta et expuncta lectione ABC, lectionem I assumpsit: ex quo colligo marginem exemplaris correctiones habuisse. Librarius ab orthographia interdum occurrenti videtur hispanus fuisse; inveni *anbo senper volumtas potemtia quoadiutores quointelligitur quoheredes efectus efudit absurdisimum posimus.* Praeterea invenimus *discreptio (discretio) absserit (asserit) succeptio (successio* an *susceptio* nescio) *externus (hesternus) profexio Alesandrinum obnossius synasis (synaxis) optavo gezabel zezabel signum (sinum),* quae tamen hispanum distinguere non credo. Lapsus *plubicani* bis occurrit; *edips-* pro *eclips-* qu. xliv art. 4 ad 2 octies scriptum fuit, nam post primum *edipsis,* quod non correctum est, septies *cl* super rasuram scriptum est. (Noster E ibi prima et secunda vice scripsit *edipsis,* sed inde a se resipuit; I ubique habet *euclips-*).

H) Neapolitanus bibl. Nationalis VII. B. 7. saeculi xiv exeuntis vel saeculi xv. Folia notantur 117, sed libro integro 127 vel 129 fuissent: nam tertia foliorum compages, quinio vel quinione maior, avulsus est. Desiderantur quae inter *ut Boethius* qu. xvi art. 12 arg. 1 et *legantur sanctificati in utero* qu. xxvii art. 6 arg. 2 intersunt. Post *venialium* linea vacua; dein fol. 115 recto 2 col. rubro *Incipiunt titulū* (*lū* credo pro *li. 3,* lecto *luz*) *partis Summe fratris thome de aquino. De convenientia incarnationis. Questio I.* In fine Indicis post *subiectivas* addit rubro *De partibus poenitentie in spali* (sic) *et primo de contritione. am̄.* Multas correctiones habet a manu librarii et diversorum.

I) Neapolitanus bibl. Nationalis VII. B. 15, saeculi xiv exeuntis; foliorum 224. Foll. 1-4 recto ab alia manu ac textus Index, incipiens rubro *Incipiunt tituli super terciam partem summe fratris* (corrigitur in *sancti*) *thome de aquino. o. f. p.* Post *venialium,* cum tribus aliis ex tota traditione nobis cognita, addit textui *Deinde considerandum est de singulis partibus penitentie, et primo de contritione, secundo de confessione, tercio de satisfactione.* Dein *Scriptor qui scripsit cum Christo vivere possit amen amen n.* Auctoris nomen in manu librarii a libro abest. Folium 50 (continens *Nec enim indiguit sacrificio* qu. xxii art. 4 arg. *Sed contra — quamvis autem generare in divinis sit* qu. xxiii art. 2 corp. med.) insertum et a scriptore Indicis impletum est. — Correctiones valde paucas habet.

Praeter hos codices tres alios, recentes, ex bibliothecis Vaticanis continue nobiscum habuimus et contulimus, scilicet Vat. 746 P. I (P. II Supplementum continet), Urb. 132 et Pal. 358 chartaceum; quibus Parisinum ob fragmentorum e quibus coaluit eximiam vetustatem, et Neapolitanos propter textum typis traditum substitui debere duximus.

Ex antiquis editionibus adhibitae sunt sequentes:

a. Editio Princeps est. Hain recenset sub n°. 1468. Post *venialium* habet *etc.;* linea inferiori *Et sic est finis etc.* E nostro exemplari (cuius usum Patribus nostris S. M. Rotundae Vindobonae acceptum referimus) folia Indicis avulsa sunt; super marginem multae correctiones scriptae sunt, quarum unam tantum citavimus; cf. qu. L art. 3 not. ζ.

b. Apud Hain inter n°s. 1468 et 1469 duae editiones inserendae forent. Prima est haec nostra *b,* quam, secundum nostrorum typorum capacitatem, describo: (Fol. 1 abscissum). Fol. 2 1 col. incipit opus: *( ) VIA SAL / vator ñr dñs / iesus xp̄s teste / angelo popl'm / suuz salvū faci / ens* etc. Terminatur fol. 214 recto 2 col. *Finit feliciter tercia pars summe sācti / Thome de aquino: impressa Taruisy / per magistrū michaelem manzolo de / Parma Anno etc. M. CCCC. L xxvi.* Folia 215-219 Index occupat. In cuius principio *Incipiunt tituli tercie p(ar)tis summe sancti / Thome de Aquino.* In fine *Explicit tabula sancti Thome de Aq(ui)no / sup(er) eius terciam partem.* Folia sunt 220 (in nostro exemplari primum et ultimum desiderantur; nescio an alba fuerint); decem compages quiniones sunt et notantur imis foliis: *a c e g i l n p q r;* duodecim quaterniones: *b d f h k m o t x z aa bb;* quatuor terniones *s u y* et fasciculus ultimus Indicem continens. Paginae binis columnis 52 versuum dividuntur. Est in folio minoris formae, charactere gothico.

Alteram editionem ab Hain omissam descripsit Serrano Morales (Reseña Histórica en forma de Diccionario de las Imprentas que han existido en Valencia... por José Enrique Serrano y Morales, Valencia 1898-1899, pagg. 440-443). In fine operis fol signato ZIII *Finit feliciter t'cia p(ar)s sume scī thome de aq(ui)no / imp̄ssa Valētie p(er) magistrū Lābertū palmart / Alemanū. Anno. M. CCCC. Lxxvii. die / v(er)o. xviii. mensis Augusti.* Ante et post Indicem, folia ZIII-ZVIII occupantem, habet quod *b.* Qua de causa non adhibuerimus editionem Valentianam, infra n°. 30 dicemus.

c. Hain describit eam sub n°. 1469. Fol. 224 recto 2 col. *Explicit illud quod habetur de tertia parte summe sancti Thome de aquino ordinis fratrum predicatorum qui preventus morte eam perficere non potuit;* inferius *Laus Deo.* Ante et post Indicem, foll. 225-229 ut *b* nisi quod in fine addit *Laus Deo.* Fol. 230 recto « Registrum cartarum ». Sequitur eisdem typis et charta Supplementum, in cuius fine fol. 396 *Expliciunt additiones tertie partis Summe sancti Thome de Aquino: de ordine fratrum predicatorum. Impresse ductu ac impendio providorum virorum Io. de Colonia. Io. que Mathen de Gheretzem sociorum anno salutis dominice. M°. cccc° lxxviii°. pridie idus madii. Laus Deo.*

Inter ea quae de Tertiae Partis traditione manu et typis exarata nobis dicenda sunt, lector velim animum attendat ad notam sub textu in codicibus Brixiensi et Ambrosiano, quam suo loco exscribemus (cf. infra n°s 16-28). Rem gravem tractat, vel quae gravis alicui videri posset. Notator narrat in autographo huius Tertiae Partis solutionem unius argumenti omissam esse; quatuor spatia scriptura vacua relicta esse; et, quod omnium peius est, tribus authenticis lectionibus deletis tres alias in ipso autographo, sed non per S. Thomam, appositas esse. Quae si vera sunt, parum abest ut ex universa traditione manuscripta noster I unicus autographi testis relictus sit, nam octo loca simul sumpta in nullo alio codice quadrant cum eo quod autographi fuisse narrator asseverat. Nos ei non credimus, quin eum odiosa voce mendacem nominemus. Quid ei accidisse nobis videatur, suo loco nec sine probabilibus credo argumentis explicabimus. — Omnia de traditione in generali dicenda ad octo summa capita reduci possunt. Primo damus Elenchum codicum qui ad nostram notitiam pervenerunt. Secundo relationes originis textuum codicum unius seriei. Tertio easdem in duabus aliis seriebus consideramus. Quarto agimus de aliquibus antiquis lectionibus speciatim. Quinto de nota codicum Brixiensis et Ambrosiani. Sexto de relationibus editionum inter se et cum codicibus. Septimo de methodo quam secuti textum instauravimus. Octavo de codicum et editionum variantibus tacitis. Quae excipiet Elenchus veterum lectionum tacite correctarum.

§ I. – ELENCHUS CODICUM

Postquam codices Vaticanos cum editione Piana contuleramus, ceterorum saeculi decimi tertii et decimi quarti in bibliothecis experimentum fecimus, conferendo quadraginta septem Articulos septem Quaestionum non contiguarum [1]. Codices saeculi decimi tertii insuper trecentis circiter locis ex toto opere selectis collati sunt. Recentes codices non tam longe nos occuparunt; satis tamen large consultati esse mihi videntur, ut relationes suas cum textu Piano patefacere potuerint. Collationis exitus demonstrabat, tribus Vaticanis recentibus magna cum utilitate codices A H I signatos substitui posse: A scilicet ad roborandum et moderandum textum B C D, H vero et I propter editiones. Hos ergo, cum Romae eos esse humanitas Guberniorum Italiae et Reipublicae Gallicae permiserit, totos comparavimus. Ceterorum collatio inter dictos terminos stetit. Quid extra portiones collatas legant, de visu affirmare non possumus. Confidimus tamen eos ubique tales esse quales ex locis collatis se ostenderunt; non secus scilicet ac A H I, quam relationem ad reliquam traditionem partialis collatio iam patefecerat, eandem prorsus post integralem collationem monstrarunt.

Codicum elenchum texentes, in tres series vel classes eos dividemus. Ad tres enim classes reduci possunt, quamvis, ut postea patebit, alio respectu codices primae seriei, alio ceteri codices rationem unitatis quam nomen classis importat obtinuerunt. Ut omnia simul stent, codices editionesque supra recensitos per sigla introducemus. Distinctio aetatis per *ant. med. rec.* ex Praef. Vol. VIII intelligetur: *medii* quinquaginta annos ad minus, *recentes* etiam centum annos distant a felici transitu auctoris Tertiae Partis.

Ad primam classem pertinent:
A. B. C. D. *a*.
Florentiae bibl. Laurentianae Plut. XXIX dext. VII; ant.
Bononiae bibl. Universitatis 1655(3); ant.
Cesenae bibl. Civitatis Plut. XVI. 1; ant.
Neapoli Archivi Status IV; ant.
» bibl. Nationalis VII. B. 27; ant.
Parisiis bibl. Nationalis fonds Latin quatuor codices: 3098, 15768, 15801, 15802; antt.
» bibl. Mazarineae 828 (antea 383); med.
Troyes 449 tomus alter; ant.
» 624; med.
» 629; med. vel rec.
Escorial F. 1. 15; ant.
Cordubae bibl. Capituli Cathedr. 444; ant.
Toleti bibl. Capituli Cathedr. 19. 13; ant.
Burgo de Osma bibl. Capituli sine signatura; ant.
Clm (Monachii) 16093; med.
Claustroneoburgi bibl. Canon. Regul. CCLXXXVI; med.

Ex grege recentium, partim super chartam exaratorum vel mixtorum, primae classi adscribendi sunt:
Vat. Pal. 358 et Urb. 132.
Parisiis bibl. Nationalis 3099; in principio mutilus; in fine rubro *Finitus est liber presens per me Wilhelmum fl egidii parisius Anno Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo 8º anni etatis mee quinti decimi quo gradum magisterii in artibus accepi pontificatus pape pii secundi.* Magister Wilhelmus non scribit textum continuum, sed eum contrahit: in proprium usum, fortasse pro instanti Theologiae studio, scripsisse videtur.
ibid. alii duo: 15803 anni 1473, 15804.
Bruxellis bibl. Regiae 3425; anni 1467.
Basileae bibl. Universitatis A. I. 9ª; anni 1462.
» » A. I. 11, utrinque mutilus: incipit qu. I art. 2 *Praeterea, ad salutem hominis;* ultima verba sunt *quantus fuit reatus* qu. LXXXVIII art. 3 corp. princ.
Berolini bibl. Regiae Ms. Theol. Lat. Fol. 42; anni 1444.
Lipsiae bibl. Universitatis 464. In primis articulis videretur ad tertiam classem pertinere, sed deinceps adhaeret primae.
Treviris bibl. Civitatis tres codices: 1052, 1055 anni 1436, 1059.
Herbipoli bibl. Universitatis M. t. ch. f. 29.
Vindobonae bibl. C. R. Palatinae tres: 3728, 4813, 4877 excerpta solum habens.

His accedunt, quamvis minus stricte, recentes:
Vaticanus 746 P. I.
Parisiis bibl. Mazarineae duo: 829 (antea 1023) anni 1460; 834 (antea 409).
Lipsiae bibl. Universitatis 474.
Treviris bibl. Civitatis 1053; desinit qu. LIX; in fine *sufficiant qui est benedictus in secula etc.*
Norimbergae bibl. Civitatis Cent. II. 35.
» » » Cent. III. 26 anni 1439; utrinque mutilus: incipit *habere ad hypostasim hominis corpus* (qu. VI art. 1 arg. 2 medio); fol. 152 finit per *mortificari ad similitudinem animalium* (qu. LXXXIX art. 5 arg. 2 princ.). Cetera folia Supplementum habent a *sicut enim poenitentiae virtus exteriorem poenam* (qu. I art. 2 ad 1).
Clm (Monachii) 2752.
Vindobonae bibl. C. R. Palatinae duo: 4594, 4598; (5094 foll. 63–73 duas primas QQ. habet).

Codices secundae classis:
E. F.
Patavii bibl. S. Antonii 301; ant. vel med.
Cantabrigiae Pembroke 18; med.
» Peterhouse o. 4. 7; med.
Lipsiae bibl. Universitatis 465; ant.
Cordubae bibl. Capituli Cathedr. 445; med.

Codices tertiae classis:
G. H. I. *b*. *c*. P.
Brixiae Archivi Capituli Cathedr. sine signatura; med.
Mediolani bibl. Ambrosianae G. 292. Inf.; med.
Oxoniae New College CXXIV; med.
Norimbergae bibl. Civitatis Cent. II. 29; med.
Matriti bibl. Nationalis B. 51; med.
» bibl. priv. Regis 2. e. 2. (Signatura quatuor volumina Summae Theol. et unum Summae C. G. complectitur; volumen Tertiae Partis habet *3* dorso ligaturae); med.
Toleti bibl. Capituli Cathedr. 19. 14; chartaceus.
Escorial T. 1. 18; med.
Clm (Monachii) quatuor: 233, 6497, 7446 qui et Primam continet, 14103 anni 1459; chartacei.

Sequentes codices non vidimus, sed tantum in catalogis impressis et manuscriptis notatos invenimus, et sicut notantur signamus.
Valentiae bibl. Universitatis saec. XIV. (Vestigari non potuit).
Caesaraugustae bibl. Capituli 1229 saec. XV.

---

[1] Hispanorum codicum conferendorum R. P. Benedictus M. Reichert Ord. Praed., qua est diligentia et accuratione, laborem suscepit taediosum quidem sed non infructuosum. Eius gratia novimus veteres hispanos cum antiquis gallis et italis in unum textum conspirare, eosque locis collatis tantum non omnibus apprehendi et quasi tegi per signaturam « ABCD », quo factum est ut tanto confidentius textum saeculo decimo tertio diffusissimum nostrum fecerimus.

Taurini bibl. Nationalis I. III 2. saec. XIV. (Ex aliquot locis amice nobiscum communicatis concludi posset, hunc non pertinere ad primam classem; sed nec ad tertiam in forma Brixiani vel Ambrosiani accedit).
Cantabrigiae Gonville and Caius 687 written, 278 erased.
» Peterhouse I. 5. 2. « Summa ».
Modenae bibl. Estensis. Iste et omnes sequentes sunt saeculi XV.
Coloniae bibl. Gymnasii 152.
Bonn bibl. Universitatis 298 (158 a), tertium volumen.
Hesychiae Carolinae Grossh. Hofbibl. 266 4° CXXIV.
Erlangen bibl. Universitatis 635.
Erfurt bibl. Amplonianae 101 fol.; anni 1416.
Clm 6988–6990; unus codex est, foliorum 1265, anni 1475. Continet Primam, Primam Secundae et Tertiam Partem.
Stuttgardiae bibl. priv. Regis; quatuor codices dogmatici: 15 18 19 20, annorum 1455 1444 1462 1470.
Namur 72.
Avignon 261; QQ. XVIII–LIX.
St. Omer 223.
Schlettstadt 38, anni 1467.
Douai duo: 415, 416.
Rouen 587 (A. 263), anni 1478.
Chartres 425 (431).
Dôle 77.

§ II. – DE ORIGINE TEXTUS CODICUM PRIMAE CLASSIS

1. Solidis ni fallor argumentis probari potest, textum codicum primae classis, cui maiorem partem et antiquam fere totam attribuimus, ex uno solo exemplari apographo transcriptum esse. Ea scilicet est in illis libris et differentiae lectionum et unitatis earum conditio, ut differentia pluralitatem exemplarium non implicet, unitas vero simul singularitatem exemplaris manifestet autographumque excludat. Quod non ita intelligendum est ac si longam illam codicum seriem, quibus meliores ne desiderari quidem possent, cum autographo laxam tantum et remotam relationem habere putaremus: strictam cum autographo adhaesionem textus primae classis ipse attestatur. Nec profecto sic intelligi volumus, quasi nostra sententia scriptores illorum codicum omnes et singuli unum idemque exemplar ante oculos positum habuissent. Quotnam enim transcriptiones inter autographum et singulos nostros codices intervenerint nescimus, sed nec nostra refert. Pauciores si vis inter autographum intercesserint et Berolinensem librum anni 1444, quam inter illud et nostrum E, scriptum ante Canonizationem auctoris. Consideratio nostra has quaestiones nunquam forte solvendas excedit. Quotcumque enim mediis exemplaribus codices primae classis ab autographo distent, hoc tamen evidenter verum esse apparet, quidquid autographi in istos libros sola et pura transcriptione descenderit, per unum et idem apographum tanquam e supremo exemplari in illos pervenisse.

2. Inter limites primae classis lectionum differentia pro parte omni proportione maiori ad duas variantium species constringitur. Multam variationem invenimus in verborum positione et in aliis talibus lectionibus, quas scriptores facile submutant. Haec utique variatio origini codicum ex uno supremo exemplari non obest, quia invenitur etiam a criticis in libris, quorum exemplar certe notum est. Alia variatio surgit ex lectionibus *singularibus,* idest unius codicis a ceterorum concentu dissonantia; quae variatio omnium frequentissima quo sensu unitatem textus non tollat, mox dicam. Demptis his variationibus, lectiones vere variantes in orbe primae classis valde exiguae sunt. Nec scio an unquam gravi momento aestimandae sint: nam ubi variantes quae graves videri possent occurrunt, ibi paucissimi legunt contra plurimos, et a parte lectionis plurimorum apparet quae variatae lectionis ratio fuerit; crisis scilicet, quae data opera lectionem exemplaris mutavit. – Accedit quod varietatis signatura, idest siglorum variantes ad suos libros referentium combinatio, sibi omnino non constat, sed quasi perpetuo ex aliis et aliis elementis concrescit. Ceteris praevalet ni fallor signatura AC ex una parte BD ex altera, utrinque cum suis Vaticanis et exteris; inter signaturas tamen aliter combinatas tam parum praevalet, ut diversae originis index haberi non possit. Nulla siglorum permanens et constans associatio rupturam unionis usque ad primam codicum originem concomitatur, ideoque omnis textus differentia infra commune exemplar contracta est.

Lectiones singulares frequentissime occurrunt. Sed hoc utique expectandum erat. Quae enim unquam transcriptiones ex exemplaribus ter centena millia verborum continentibus fieri potuissent, quin sub librariorum calamo frequens et multicolor oriretur disparitas inter exemplaria et exemplata, et consequenter etiam inter exemplata invicem? Qualibet transcriptione augetur variatio, quae ab artis scriptoriae conditione et indole pendet. Sed non plurimi facienda est. Ubi enim talis lectio, defectivo vulgo sensu, saepe etiam monstruosa, occurrit, augemur tantum scientia experimentali: videmus scilicet quo determinato loco librarius aliquis erraverit, quem ad scribendum se accigentem saepe multisque modis ab exemplari erraturum esse a priore iam probe noveramus. Non tamen dico, lectiones singulares a scriptoribus codicum in quibus occurrunt primum creatas esse: fieri potuit ut librarius aliquid a ceterorum lectione diversum scribens, lectionem exemplaris nobis ignoti expresserit. Sed non opus est ut hoc accurate determinetur. In tanta enim codicum sociorum multitudine conferenda generatim nullo negotio et evidenter lectio supremi exemplaris elucescit: erat scilicet ea in quam omnes codices praeter unum consentiunt. Eam discordans quoque codex habuisset, nisi in serie transcriptionum a communi exemplari descendentium aliquis librarius (quotus in serie fuerit nihil differt) ab immediato suo exemplari recessisset. Apud medium librarium sistit quaevis lectio singularis, quia quid supremum omnium exemplar legerit, ceterorum consensus manifestat. Hoc consensu moderante et regente, varietas ab uno librario introducta in unitatem et indifferentiam textus ceterorum resolvitur.

3. Cum vero nullus codex non frequenter solus sit, et lectiones singulares quoad sensum et significationem raro tantum non erroneae sint, ideo eis remotis textui primae classis gratior concinnitas et maius decus accrescunt quam quibus in uno codice nitere posset. Nec mirum; remotus scilicet est scriptorum multus et illegitimus influxus in textum autographi; propius accessum est ad ipsum Thomam, cuius textum transcriptores inconscii et inviti deteriorare potuerunt, at nec volentes meliorare potuissent.

Multum tamen abest ut reciproca collatione codicum omnes malae lectiones e textu primae classis evanescerent. Unus est frequenter in lectionibus falsis, incongruis, vel a nota S. Doctoris dictione in peiorem partem differentibus. Hic non apud singulos librarios vel intermedia exemplaria standum est, quia eodem iure quo utuntur bonae textus lectiones, communi scilicet codicum attestatione, ad integritatem indifferentis textus inseparabiliter pertinent. Re et natura istae lectiones non differunt ab eis, quas modo parvi faciendas esse dixi. Essentialiter non sunt nisi varietates textui auctoris accidentes dum per oculum et calamum scriptoris ex exemplari in exemplatum transfunditur. Sed differunt per diversam positionem in traditione. Ibi agebatur de lectionibus erroneis singularibus, idest uno siglo signatis, cui lectio omnibus siglis ceterorum librorum signata opponebatur. Lectiones vero erroneae, et a falsa quidem transcriptione erroneae, de quibus nunc agitur, siglis omnium vel paene omnium librorum signantur. Ista signaturae differentia maximam et maximopere attendendam secum fert differentiam inter errores singulares et communes. Nam quid legerit supremum exemplar codicis in quo lectio singularis obtinet,

et quae lectio huius codicis aliquo librario non errante fuisset, traditio ipsa manifestat: quo fit ut singularis error transcriptionis ab opposita lectione quasi resorbeatur et a traditione virtualiter dispareat. Traditio vero a se et per se lectiones authenticas communes non distinguit ab erroribus non minus communibus, sed potius bonae et malae parti textus eandem authenticitatem attribuit, inquantum concors et perpetua exemplatorum attestatio communis exemplaris textum manifestat. Quotquot ergo lectiones abortivae communi codicum testimonio signantur, totidem loca communis exemplaris quam distinctissime se offerunt.

4. Ut quae hucusque tractata sunt exemplis datis clarescant, rem quatuor lectionibus erroneis illustrabo.

Expectet lucem... et non videat... nec ortum sue gentis auctore. XXVII. 2. ad 2.

apud bransim in Trinitatis nomine baptizantur. LXVIII. 8. S. C.

Sed quia non res est in omnino vel est aliud secundum rem suppositum et natura. II. 2. corp. med.

ne fervor fidei temporis prolixitate tepesceret caritas multorum. I. 5. corp. fin.

In primo exemplo *sue gentis auctore* scriptum est pro *surgentis aurore.* In secundo *bransim* pro *heresim.* Pro tertio legendum est « *Si qua vero* res est *in qua* omnino *nihil* est aliud *praeter rationem speciei vel naturae, sicut est in Deo, ibi enim* (*enim* abundat) *non est aliud* secundum rem suppositum et natura ». Pro quarto legatur « ne fervor fidei temporis prolixitate tepesceret, *quia circa finem mundi refrigescet* caritas multorum ». Quis rei criticae tam imperitus est, ut de erroribus transcriptionis hic agi neget? Versamur profecto in re libraria; explicatio harum lectionum non in Aula quaerenda est, sed in Scriptorio. Malae lectiones *sue gentis auctore* et *bransim* ortae sunt ex male visis scripturis *surgentis aurore* et *heresim,* compendio vel plene scriptis. In tertio exemplo, inter alia mirabilia, habemus lectionem sensu destitutam per omissionem homoteleuti *praeter rationem... est aliud.* Quarta lectio trunca est ab omissione homoeoteleuti *quia... refrigescet.* Ex multiformi ergo genere errorum quibus librarii fataliter subiacent, duas hic species habemus: una vocatur falsa interpretatio litterarum vel compendii, altera omissio homoteleuti.

Prima lectio ergo eiusdem naturae est ac secunda, tertia non differt essentialiter a quarta. Sed secundae in traditione alia positio est quam primae, et quartae alia quam tertiae: prima scilicet uno solo siglo signatur, D; similiter tertia, A; secunda et quarta signantur « prima », idest siglis omnium codicum primae classis. Sub diversa signatura « D » et « prima », lectiones a falsa interpretatione litterarum erroneae speciem non mutant. Neque lectiones « A » et « prima » ab omissione homoteleuti truncae, specie differunt. Sub quacunque signatura puri puti errores transcriptionis essent. Sed ubi ultimum et supremum exemplar codicum primae classis quaeritur, pro re critica, *sue gentis auctore* et *bransim,* eo ipso quod in traditione aliter collocantur, differunt essentialiter. In supremo exemplari non fuit lectio « D », *sue gentis auctore,* sed fuit lectio « prima praeter D », idest *surgentis aurore.* Neque fuit in supremo exemplari lectio erronea cuius solus A testis est, sed lectio opposita, per viginti novem testes comprobata. Ad reconstructionem ergo supremi exemplaris, autographum fuerit aut apographum non differt, lectiones D, A, et omnes quaecumque lectiones singulares, tanquam inutilis materies abigendae sunt. Sub opprimenti attestatione « prima praeter unum » evanescunt. Sed error *bransim* per testium concordiam rationem exemplaritatis induit. Typum transcribendum factum esse ipsa traditio docet. In nostris codicibus monstrum scripturae non est error, sed fidelis exemplarium interpretatio. Eodem modo dimidiata lectio *ne fervor fidei temporum prolixitate tepesceret caritas multorum,* dum a librario natam esse se prodit, tamen omnes librarios codicum primae classis a vitio transcriptionis liberat. Ii phrasim sensu carentem scripserunt, quia verba sensum complentia in suis exemplaribus iam deficiebant. Eos erroris auctores non fuisse, sed tantum errorem semel factum propagasse, traditio per se verificat.

Si ergo ad quaestionem: Cuius exemplaris scripturam quatuor istae lectiones corruperunt? respondeo: autographi, verum dixero, traditionis tamen testimonium non exhausero. Procul dubio *surgentis aurore* et *heresim* in autographo erant, et *sue gentis auctore* et *bransim* infra autographum orta sunt. Sed traditio distinguit inter ea. Nam docet *sue gentis auctore* corrupisse lectionem istius exemplaris quod habebat non solum *surgentis aurore,* sed etiam *bransim* et *ne fervor fidei temporum prolixitate tepesceret caritas multorum,* et istud exemplar non erat autographum. Eadem consideratio valet pro lectione erronea signata A et pro toto enormi acervo lectionum singularium. Per lectiones communes erroneas, et a falsa quidem transcriptione erroneas, codices primae classis, utut singuli differunt, ad unum solum supremum exemplar ex autographo exemplatum vinculantur. Universus quoque textus bonus communis, prae parte defectiva in immensum extensior, eidem conditioni subiicitur. Excellentiam quidem Thomisticae dictionis, quam nullus unquam imitatione consecutus est, placidam eius et quietam pulchritudinem prae se fert, et per illam etiam suam cum autographo strictissimam cognationem convincit, sed tamen traditione attestante a distortis et mutilis reproductionibus scripturae autographi inseparabilis est. Transcriptoris ergo opere, idest per apographum, descendit, et nonnisi per illud cum autographo cohaeret.

5. Quam antiquum fuisse debuerit illud apographum, facile dici potest. Antiquius scilicet est omnibus codicibus primae classis, quae omnium antiquissimos traditionis testes continet. Textus ergo primae classis maiori antiquitate insignitur quam cuivis textui cuiusvis superstitis codicis, ad quamvis classem pertineat, a parte traditionis attribui potest. Dico a parte traditionis, quia ex. gr. codices qui *heresim* legunt, antiquiorem utique lectionem habent ac qui *bransim:* illud autographi est, istud apographi. Sed in documentis traditionis *bransim* prius apparet quam *heresim,* idest codex apographus quovis alio codice apographo antiquior legebat portentum *bransim.*

Quae cum ita sint, textum primae classis, qui ex sepositione lectionum singularium illico resultat, prout in bonis et malis lectionibus unus et indifferens iacet, abhinc, nomine suo, textum antiquum vocabimus.

§ III. – DE ORIGINE TEXTUUM CODICUM SECUNDAE ET TERTIAE CLASSIS

6. Ut quisque per se iam intellexerit, libri secundae et tertiae classis ideo extra ordinem primae positi sunt, quia eorum textus a textu antiquo multis locis discrepant. Nomen tamen classis inaequaliter tribus competit. Nam dum codices primae per ipsam textus unitatem originem communem ex uno supremo exemplari attestantur et per se in classem coeunt, e contra inter orbem secundae vel tertiae unitatem lectionum non invenimus. Si nihilominus libri ii, qui varietatem ab antiquo textu continent, classis nomine donati et in duas classes divisi sunt, hoc ipsis extrinsecus et non sine artificio quodam nostro contigit. Dum scilicet variantes traditionis invicem conferebamus, amplam partem varietatis inter textum antiquum et textum typis traditum, et etiam inter editiones invicem, in diversis codicibus primum apparere observavimus, tanquam in eis primam lucem aspexerint et editores ibi lectiones mutuaverint. Qui ergo codices ad formationem textus typis editi contribuisse videntur, horum qui minus contulerunt et simul antiquiores sunt, in secundam classem uniti sunt; ex ceteris (et ex ipsis editionibus excepta Principe) concrevit tertia. Ergo non a se ipsi, non ab aliqua communi origine, sed quia post eos ex eis aliquid unum factum est, in clàssem coalescunt.

Nemo non videt duarum classium limites neque ex parte aetatis codicum neque ex parte lectionum contributarum distincte praecidi posse. Quis enim aetatem codicum ad paucos annos determinabit? A gradu etiam

contributionis praecaria est distinctio. Omnes enim codices etiam D, C, quinimmo A, qui a P ut polus a polo distat, aliquid editoribus attulerunt; lectiones editionum multo frequentius incipiunt apud F quam apud quemcumque alium secundae classis. Ne tamen tota traditio extra primam classem prorsus indistincta maneret, inter antiquum et recentem textum codices secundae classis medios posuimus, quia variantibus Pianae maiorem antiquitatem adsciscunt quam ex iuniori testimonio tertiae obtinere possunt, et quia lectionum editionum copiosior fons fuerunt quam codices primae et rarior quam codices tertiae.

7. Quas relationes secunda et tertia classis cum textu antiquo habeant, hisce propositionibus exprimi licet.

Primo; differentia duarum classium ab antiquo textu non se extendit ad omnes errores transcriptionis, qui in antiquo textu obtinent. In singulis libris sine ulla exceptione aliquot errores apparent. In aliis alii, et plures vel pauciores supersunt, sed nullus purus est. Antiqui errores multo magis secundam classem afficiunt quam tertiam, sed etiam in tertia inveniuntur plures quam sufficerent ut textus antiquus totam traditionem penetrasse et in omnibus codicibus superstes esse dicatur.

Secundo; saepissime uno et eodem loco multae variantes, tres, quatuor, usque ad decem, occurrunt. Quas si a sensu et ab attestatione consideras, invenis eminere inter omnes erroneam scriptionem vel falsam vel peregrinam et insolitam lectionem, siglis plurimorum et antiquiorum codicum signatam. Multiplicitas autem lectionum infallibile correctorum indicium est; quia, cum unica esset auctoris lectio, omnes unius loci variantes praeter unam necessario in textum auctoris de foris importata fuisse debent. Ergo omnibus his locis correctores arripimus, sicut modo scriptorem primi apographi per communes errores comprehendebamus.

Tertio; variantium signaturae in ambabus classibus continuo mutant. Siglis omnibus secundae classis tam paucae variantes notantur, ut non credam unam paginam editionis nostrae lectionibus « secunda » signandis integram impleri posse. Tantum non semper plura sigla secundae ad textum antiquum ponendae sunt, ceteris variantem vel numerum variantium signantibus. Saepe unum siglum secundae variantem notat, quae non simpliciter ad lectiones *singulares* pertinet, quia cum textu ceterae traditionis collata deliberata et volita lectio esse cernitur. Libri tertiae invicem aliquanto minus societatis impatientes sunt, sed ea lectionis communitas, quam constans signatura indicaret et qua unus continuus textus formari posset, prorsus deficit. Frustra conati sumus ex libris secundae vel tertiae unum exemplar eruere. Codices continuo sibi contradicunt; singulatim potius quam gregatim textui antiquo se opponunt. Ut idem aliis verbis dicam: corpus lectionum ab antiquo textu variantium in nulla determinabili parte traditionis fixam sedem habet. Non tres, non duos textus parallelos et coordinatos traditio suppeditat, sed unum textum continuum, antiquum scilicet, et praeterea fasces variantium, ex aliis et aliis libris inter se valde diversis congestarum.

Quarto; variantes ab antiquo textu, consideratae a parte sensus verborum sive formaliter ut lectiones, diversi valoris sunt. Aliae, eaeque non paucae, in antiquam lectionem erroneam tam apte cadunt, ut quantum ad dictionem Thomam audire putares, quantum ad scripturam litterae et signa autographi innovari videantur. Harum magna pars secundae classi debetur, sed etiam tertia non paucas praebuit, nescio an non plures quam secunda. – Aliae sunt, quae quare antiquo textui aeque bono substitutae sint non apparet, quibus tamen ut ad autographum pertinerent nihil deest, quam quod nullo traditionis documento vere antiquae fieri possunt. Hae lectiones ab antiquioribus secundae codicibus E, Lipsiensi et Antoniano, totaliter fere absunt; in iunioribus eius, et in tertia adhuc magis, abundant. Ex his duabus lectionum speciebus (quibus addendae sunt varietates antiquae quae inter limites primae classis inveniuntur) apparet, variationem ab antiquo textu saeculo decimo tertio apud correctionem antiquorum errorum stetisse. – Maxime tamen conspicuae et abundantes sunt infelices coniecturae in iunioribus secundae et in tertia. Correctorem sentiunt longe lateque. Harum meliores, successive in textum typis editum transfusae, sensum non laedunt, sed correctoris sigillum profunde impressum monstrant quando cum antiquo textu comparantur [1], aut quando extra traditionem Tertiae Partis collationem variantium protrahere vel in ipso opere locos parallelos componere licet. Comparatio locorum S. Scripturae, SS. Patrum et Iuris Canonici cum Vulgata et eius variantibus, cum vetere textu Corporis Iuris, cum Catena Aurea, quae, simul cum ceteris S. Thomae operibus, auctori Summae Theologicae omnium uberrimo fonti fuit, variantes correctorum praepostere et inconsulte intrusas omni desiderabili evidentia [2] patefacit. – An auctoris textui pepercisse credendi sunt qui locos ab auctore citatos attentaverunt?

8. Quae cum ita sint, summa conclusionis necessario est haec: v a r i a n t e s a b a n t i q u o t e x t u, ut in traditione iacent, i n a n t i q u u m t e x t u m i m p o r t a t a e s u n t. Omnes codices superstites habuissent unum textum unius et eiusdem exemplaris-apographi, si scriptores et correctores textum non mutassent. Nam codices invicem non possent convenire quo modo conveniunt, nisi in principio traditionis unum scriptorem supponas, cuius scriptura, certis locis evidenter erronea sed partem excessive maximam fidelis et authentica, succedenti traditioni exemplar et typus facta est. Inde lectionum erronearum participatio, qua singuli codices plurimis vel multis erroribus antiqui textus calculum dant; inde interdum absoluta erroris communitas, qua totum corpus traditionis testis fit primi exemplaris-apographi. Nec possent codices invicem differre eo peculiari modo quo differunt, nisi ad latus scriptorum succedentium correctores ponas, « melioribus » lectionibus studentes, sagaces saepe, sciolos plurimum, quorum scripturas librarii textui exemplarium suorum supposuerunt. Inde variatio abundans et accumulata, arbitrio nata, saepe inepta et abiecta, semper vero, praesertim qua optima est et auctorem Summae decet, errabunda et insociabilis. Inde est quod quamcumque codicum combinationem extra terminos primae classis tentaveris, durabilem lectionum cohaerentiam non obtines. Inde tota traditio sigillo antiqui textus obsignata et eius supremo exemplari subordinata est.

Non est prorsus novum, neque Tertiam Partem edentibus primum nobis accidit, ut, dum per viam remotionis differentium lectionum ad originem traditionis operis S. Thomae regrediebamur, apud librum per transcriptionem natum gradus nobis sistendus esset. Propagationem enim Secundae Secundae ab una sola ex autographo exemplata descriptione incoepisse, in Praefationibus Voluminum VIII et X abunde nos probasse putamus. Quid in Prima et Prima Secundae Partibus tradendis factum sit, utrum codices superstites ab origine omnes eadem peccata an alii alia contraxerint, non erat datum investigare. Fieri potest ut et ibi et alibi aquam ex ipso fonte per unum tantum rivulum scaturiisse diligens phaenomenorum examen manifestet.

---

[1] Unum exemplum eligo, ex sexcentis locis, qu. XLVIII art. 1, ad 1. Primum argumentum audiebat: « Passionum principia non sunt in nobis. Nullus autem meretur vel laudatur nisi per id cuius principium est in ipso. Ergo passio Christi nihil est operata per modum meriti ».

Solutio antiqua erat: « Ad primum dicendum quod passio inquantum huiusmodi habet principium ab exteriori. Sed secundum quod eam aliquis voluntarie sustinet habet principium ab interiori ».

Iunior solutionis redactio est: « Ad primum dicendum quod passio inquantum huiusmodi non est meritoria, quia est ab exteriori principio. Sed inquantum est acceptata per voluntatem sic est ab interiori principio et hoc modo est meritoria ». Si cui videtur hic, seclusa traditionis attestatione, inter Thomam et correctorem non posse distingui, illi quod dicam non habeo.

[2] Sequentes additiones textui antiquo, et omissio quam ultimo pono, nonne evidenter praecipitatae correcturae sunt? « Venisti (ante tempus) perdere nos »; « et a foro (venientes) nisi baptizentur non commedunt »; « et restitutus est (ei visus) »; « suscitavit Dominus spiritum (sanctum om.) pueri iunioris ».

§ IV. – DE ALIQUIBUS ANTIQUIS LECTIONIBUS SPECIATIM

9. Scriptor apographi, quod omnibus codicibus capiti supremo fuit, uno satis frequenti errore a scriptoribus eorum quos hucusque edidimus operum S. Thomae multum distinguitur. Error in hoc consistit quod ubi exemplar unum tantum verbum habebat (idest: ubi ex contextu evidenter patet exemplar unum verbum habuisse), scriptor duo verba similis scripturae posuit. In quo has differentias observavimus: scribit prius male postea bene (II. 2. δ *particulariter partitur* pro *partitur*; VII. 7. α *divinae divisim* pro *divisim*; XII. 2. κ *sensus suscipientem* pro *suscipientem*; ibidem η *sibi sil'* pro *sil'*; XXXV. 8. ζ *ortam orto* pro *orto*); prius bene et nihilominus adhuc male (I. 6. ζ *quando quaeri* pro *quando*; LII. 6. γ *scilicet sicut* pro *scilicet*); bis male (XXXIX. 6. γ *quod quidem* pro *quid*; XXVII. 2. κ *ergo ignorantur* pro *ignoratur*).

Agiturne hic simpliciter de errore quem critici dittographiam nominant? An potius propterea unum autographi verbum bis in apographo resumebatur, quia transcriptor se errasse videns vel credens, secunda vice, priori sua scriptura non deleta, idem verbum exemplaris descripsit? Duplicem scriptionem hoc modo accidisse eo promptius credo, primo, quia in decem nostris voluminibus hucusque editis paucissimos eius erroris casus notandos habuimus. Secundo, quia alia loca non desunt ubi lectionem ex non expunctis erroribus transcriptionis erroneam evasisse indubie patet.

10. Scriptor enim primi apographi non ita pauca homoteleuta oculo transiit. Plus quam triginta loca ab hoc communissimo librariorum errore vitiosa esse videntur; si vero recentissimis textibus fidem habes, ultra centum homoteleuta in antiquo textu desunt. Sed de hoc § VII agemus. Hic lectoris attentionem provoco ad aliqua loca quae scriptoris se corrigentis influxum prodere credo.

Primo loco lectionem ponam autographi, secundo scriptoris, tertio antiqui textus lectionem quam scriptoris semifactam correctionem esse praesumo.

XXIV. 2. ε.

Aliquid potest convenire alicui homini ratione humanae naturae *dupliciter. Uno modo sic quod humana natura sit causa illius, sicut esse risibile convenit Socrati ratione humanae naturae* ex cuius principiis causatur.

Aliquid potest convenire alicui homini ratione humanae naturae ex cuius principiis causatur.

Aliquid potest convenire alicui homini ratione humanae naturae *ex cuius principiis causatur dupliciter. Uno modo* (cetera ut prima lectio).

LIX. 4. β.

Nullus habet iudicium nisi super ea quae sunt sibi subiecta. *Sed Christo nondum videmus omnia esse subiecta* ut dicitur Hebr. II.

Nullus habet iudicium nisi super ea quae sunt sibi subiecta ut dicitur Hebr. II.

Nullus habet iudicium nisi super ea quae sunt sibi subiecta *ut dicitur Hebr. II. Sed Christo non vidimus omnia esse subiecta* ut dicitur Hebr. II.

Apertum est quod, omisso homoteleuto *Sed Christo... subiecta,* scriptor, antequam resiperet, iam scripserat *ut dicitur Hebr. II;* haec verba punctis delere debuisset, ut *Sed Christo* immediate post *sibi subiecta* sequi posset. Ideo *ut dicitur Hebr. II,* quod in textu antiquo ante et post homoteleuton occurrit, reliquia falsae transcriptionis est primo loco. Non secus in primo exemplo dato *ex cuius principiis causatur dupliciter,* et XX. 1. θ *Patris usque ad mortem,* et XXXI. 8. α *sicut dictum est,* et LII. 2. δ *damnatorum,* et (nostro iudicio, quamvis lectionem traditam non mutavimus) XXXI. 3. ad 4. *et Iezabel* primo loco, praeterquam quod supremi exemplaris nativitatem per transcriptionem ostentant, industriam simul scriptoris manifestant.

11. Alia scriptoris se corrigentis indicia sunt lectiones similes huic XLIV. 2. ι: « Naturalis eclipsis solis per interpositionem lunae nunquam accidit nisi tempore coniunctionis solis et lunae. Tunc autem (die scilicet passionis Christi) erat luna in oppositione ad solem... Unde dicit (Dionysius): Non enim erat *conventus vel conveniens* tempus ». In hoc loco *vel* introducit lectionem scriptoris, qui, quid *conventus* sit nesciens, propriis oculis non credit, et variantem scripturam *conveniens* addidit. — Alibi talis duarum lectionum coniunctio per *vel* occurrit, ubi prior lectio cum exemplari non conveniebat, sicut ex. gr. XXVII. 3. 9 « perfectionem fecit *vel* purgationem ».

12. Ad apographi characterem etiam pertinent lectiones falsae, de quarum falsitate non scriptor solus accusandus esse videtur sed etiam corrector, vel scriptor ipse correctoris officio functus. Istae lectiones errorum ordinarie occurrentium limites excedunt, certo se extendunt multum ultra quod scriptores codicum hucusque a nobis adhibitorum observandum praebuerunt. Quid intendam, per unum exemplum clarescat.

Iam in principio Tertiae Partis, (I. 2. ι,) adducitur pulcherrimus locus S. Leonis: « (Salva igitur utriusque proprietate substantiae et in unam coeunte personam) suscipitur *a maiestate humilitas, a virtute infirmitas, ab aeternitate mortalitas;* ut, quod nostris remediis congruebat, unus atque idem Dei et hominum mediator et mori ex uno et resurgere posset ex altero ». Textus antiquus, quinimmo universa fere traditio, sic legit: « Suscipitur a virtute infirmitas *animarum et aliarum rerum,* ut quod nostris » etc. Dubitari non potest miserandam lectionem fuisse in primo exemplari-apographo, nisi id quod tot testes oculati astruunt mentitum esse potest. Quam vero impossibile sit eam in autographo iam fuisse, facile evincere posse mihi videor. Hic locus enim pertinet ad ritum Ordinis Fratrum Praedicatorum, ab anno ad minus 1260. Quod cum ita sit, prorsus incredibile est ut S. Thomas textum Leonis, tam robustum et concinnum, qui iterum vel tertio lectus in memoriam se infigit, quem per annos in choro cum fratribus Deo Nato psallens recitatum audierat vel ipse recitaverat, sub vitae termino tam enervem et lentum reddiderit.

Sed unde illa lectio explicanda est, si nec in autographo affuit nec apud librarium tota eius ratio manere videtur? Mihi arridet opinio, hic agi de lectione plus uno patre nata. In *anima-* habemus ni fallor errorem transcriptionis pro *a maiestate*, vel *animarum et a-* pro *amaiestate*; reliqua absurdae lectionis elementa *-rum et aliarum rerum* vel *-liarum rerum* ex deliberata voluntate processerint correctoris, qui errori aliquem contextum accommodaverit, ut sententia aliquo saltem modo curreret. Ita, duobus quasi gradibus, *animarum et aliarum rerum* factum esse potest ex *a maiestate humilitas* (cui an in autographo iunctum esset tertium loci citati membrum *ab aeternitate mortalitas* quis enucleabit?).

Erroneam correctionem erroneae scriptionis nomen talibus lectionibus proprium esse autumo. Aliquoties tamen correctio inadaequata apud ipsum scriptorem e vitali actione mentis originari potuit, voluntate quasi semideliberata. Alibi res ita constituta est, ut lectio, ex inusitata dicendi ratione, error accommodatus esse videatur, et tamen, cum in se non omnino falsa dici possit, deficiente traditionis non minus quam aperti sensus testimonio, non distingui possit utrum autographi lectionem an errorem sensui aptatum teneas. Ad has dubii characteris lectiones tres ultimae earum quas exscripturus sum pertinent.

Praesumptam lectionem scriptoris mediam iterum ponam inter lectionem autographi et textum antiquum, et lector iudicet an clavem huius invenerim.

I. 2. ε.

in *h*omine Chris*to*
in *n*omine Christo
in *n*omine Christ*i*.

XXXII. 2. δ.

comparant sem*ini* Spirit*um* Sanct*um*
comparant sem*en* Spirit*um* Sanct*um*
comparant sem*en* Spirit*ui* Sancto.

IX. 3. ε. Per calorem
enim disponitur materia ad suscipiendum formam ignis,
qua tamen adveniente *calor* non cessat
quae tamen adveniente *calor* non cessat
quae tamen adveniente *calore* non cessat.

X. 3. ι.
diversa *subiecta*
diversas *subiecta*
diversas *substantias.*

XVI. 1. η.
sicut etiam *omnes (oms)* sancti viri dicuntur dii
sicut etiam *dicimus (dms)* sancti viri dicuntur dii
sicut etiam *dicimus quod* sancti viri dicuntur dii.

ibid. θ.
Unde supponen*do... dicimus*
Unde supponen*dum (est)... dicimus*
Unde supponen*dum est... Dicimus enim.*

XXVII. 2. ι.
per hoc *quod festum* conceptionis celebra*tur*
per hoc *festum* conceptionis celebra*tur*
per hoc *festum* conceptionis celebra*tum.*

XXIX. 2. α. Non est fas ut Ioseph
ob hoc *a coniugio*
ab hoc *a coniugio*
ab hoc *coniugio* Mariae separandum Evangelista putaret etc.

IV. 4. ε. Est contra rationem formae communis
ut *sit* in *persona quia in persona* individuatur
ut *sit* in *persona* individuatur
ut *sic* in *persona* individuetur.

Nobis videtur credibile ut II. 2. η, ubi *enim*, et XLVIII. 2. α ubi *non* expulsimus, antiquus textus a correctore passus sit.

13. Nisi rei speciem pro veritate amplexus sum, in antiquo textu vestigia ostendisse mihi videor correctionis, in lectionibus scilicet quae a reliquiis errorum non expunctis erroneae factae sunt, et in aliis in quibus, correctione extra erroris locum cadente, id quod tantum falsa verbi transcriptio erat, in falsam redactionem extensum est, aut in talem dictionem quam apud Thomam non expectares. Correctoris vero officium apud sola loca propter inadaequatam correctionem noscibilia procul dubio non stetit; plura bene quam male correxisse credendus est. Ei enim eadem ac scriptori ratio cognoscibilitatis competit quoad nos: sicut scriptorem non cognoscimus nisi ipse per artis suae defectus se prodit, ita cognoscimus correctoris interventum ex defectibus correctionis; sicut scriptor multo pluries recte quam false scribit, ita corrector, qui ex autographo corrigere potuit, multo pluries apte quam inepte corrigere debuit.

14. Si consideras qua bonitate antiquus textus sit, qua distantia optimus quisque codex singularis ei in respectu puritatis inferior sit, non potes non credere codicem apographum, caput codicum primae classis, rerum adiunctis specialiter fortunatis exaratum esse. Singuli codices uno Articulo pluries peccarunt quam ille in tota Quaestione erravit; cuius rei saepius experimentum feci. Meo iudicio, vulgaris scriptoris nec diligentia solito maior, nec errorum vestigatio usitato subtilior et constantior, excellentiam textus antiqui satis explicant. Versamur ni fallor extra ordinem codicum communium melioris et optimae notae. An terminos rei verisimilis et probabilis egredior, quando scriptorem et correctorem scivisse puto, opus suum tanquam authenticam transumptionem adhibitum iri? An, si primus transcriptor et corrector ipsi amanuenses S. Thomae fuissent, qui autographi scripturam in legibiliorem et politiorem formam refuserint, et, lituris omissis, ultimam auctoris redactionem in continuum textum univerint, textus antiqui conditio alia esse debuit ac in qua eum versari videmus? Errores transcriptionis post correctionem superstites non opus est ut quemquam scandalizent. Qui pie credendum esse autumat, autographi textum, per tales viros omni exceptione maiores ad multiplicandum dispositum et aptatum, omni ex parte nec ullo loco excepto a scriptoris et correctoris influxu liberum futurum fuisse; ab eo unum solum exemplum quaero, ex omnibus libris unquam scriptis, ne codicibus quidem Sacrae Scripturae exceptis, in quo perventum est ad gradum tantae perfectionis quantam a scriptoribus S. Thomae postulat. Is non cognoscit terminos arti scriptoriae praefixos; nescit quam arduum esset et librariis semper recte scribere, et correctoribus errores ubique ad bonam frugem redigere. Animadvertat potius quam cito, postquam primum apographum in manus communium librariorum traditum erat, textus antiquus in singulis libris innumerabilibus erroribus defoedatus sit, et adaequatam notionem excellentiae nanciscetur illius apographi, quod omnes codices primae classis primum originis sui fontem proclamant, a quo etiam omnis reliqua transcriptio exiit, cuius scriptor, traditione iudice, solus et unicus testis ocularis fuit scripturae autographi.

15. Hoc enim necessario sequitur: Si omnes scriptores codicum nostrorum unius supremi scriptoris opus reproducunt, ille solus a traditione fidem ocularis testimonii accipit. Omnes alii, ubicumque cum textu antiquo consonant, eius testimonium circa autographi constitutionem repetunt et propagant, ubicumque vero differunt, a traditione sibi ipsis relinquuntur [1]. Disiuncta et confusa optimarum vel etiam authenticarum variantium per codices invicem dissimillimos distributio, viam ad earum exemplar nobis praeclusit. In alios libros ab aliis correctoribus importatae apparent; unde allatae sint non apparet. Omnes apud mentem et voluntatem correctorum incipere potuerunt, aut iam in aliis libris nunc perditis, aut aliae in sola correctorum mente aliae in codicibus, a quorum consortio autographum non excludo, fortasse praeextiterunt: traditio circa hoc muta est. Ab illa non accipiunt potiorem authenticitatis aestimationem quam qua earum testis, vel testium antiquior quisque, eas frui permittit. Textus autem antiquus a primo apographo mensuratur, eiusque auctoritatem et antiquitatem ubique et semper secum fert.

§ V. – DE NOTA CODICUM BRIXIENSIS ET AMBROSIANI

16. Hic locus opportunus est loquendi de aliquo homine anonymo, qui autographum inspexisse videtur, tam confidenter de eo ratiocinatur. In fine scilicet operis scriptores codicum Brixiensis (Q) et Ambrosiani (R) notam memoratu dignam exhibent, quam hic transcribimus [2], et, quamvis in alterum nostrae editionis Volumen maior materiae discutiendae pars cadit, totam iam hoc loco pleniori considerationi subiicimus.

Paragraphi incipientes per *Explicit* et *Incipiunt* rubro exarati sunt, sed semper in charactere scriptorum codicum illorum. Ultimus paragraphus *Incipiunt* etc. in R non sequitur immediate post notam, sed folio sequenti. Variantes R, ab *Explicit* inde, noto ad textum Q, sed numerorum variam scripturam et talia minima supprimo; *c* pro *t* nec noto nec scribo; interpunctionem tantisper mutavi.

---

[1] Nullimode dico, in traditione nullas autographi lectiones esse nisi quae in primo apographo iam fuerint. Eae scilicet variantes ab antiquo textu quae lectionem in eo turbatam restituunt et simul occasionem falsae scripturae materialiter manifestant, in autographo fuisse credi possunt. Sed hoc argumentando et inferendo scimus, non ab attestatione instrumentorum traditionis.

[2] In Archivo nostro apud codicis Ambrosiani descriptionem notatum invenio, notam eius de qua agitur editam esse, non sine aliquibus mendis, in *Vessillo di S. Tommaso*, quem librum vel periodicum Mediolani et Romae non invenimus. An nota ex Brixiensi unquam publici iuris facta sit nescio.

.....penitentia mortalium et venialium.
Deinde considerandum est de partibus penitentie.
primo de contritione.
secundo de confessione.
tertio de satisfactione.

Explicit totum illud quod habetur de tertia parte summe venerabilis fratris thome de aquino ordinis fratrum predicatorum qui preventus morte eam perficere non potuit.

Nota quod qoe ·XXII· articulo ·ij· deficit solutio ·iij· argumenti [a] in originali istius tertie partis fratris thome et in omnibus aliis quia ab illa originem sumpserunt. § Item q ·lvij· articulo ·iiij· fuit deletum [1] [b] de originali ·ij· argumentum hic [c] appositum cum sua solutione. et loco eius fuit additum argumentum cum sua solutione quod hic [c] tenet tertium locum [d] nec est fratris thome. § Item q ·lxii· ar ·vi· in solutione tertii ar. *(–gumenti)* penultima Responsio hic [c] apposita que incipit ·et ideo melius dicendum · est fratris thome que deleta [b] fuit de [2] originali. et loco eius apposita ultima que non est fratris thome et incipit · vel dicendum · § Item q ·lxviii· ar ·iiij· frater thomas factis argumentis dicit · sed contra est quod dicit augustinus · et non fuit prosecutus auctoritatem sed dimisit spatium in [3] originali ubi posset apponi. sed hic [c] est apposita vel illa vel alia eiusdem ag^{i} [4] sufficiens ad arguendum [5] propositum ut in loco suo [c] patet. § Item q eadem · ar ·xii· frater thomas propositis argumentis dicit · sed contra est quod dicit augustinus · et non prosequitur auctoritatem sed dimittit spatium in originali ubi possit apponi. sed hic [c] est apposita eadem vel consimilis assumpta de ·iiij°· eiusd' [6] ·iiij· q ·viij · ar ·ij· [7] § Item q ·lxx· ar ·iiij· in corpore · ubi frater thomas dicit · inquantum est instrumentum passionis xpi iam perfecte · fuit deletum [b] de originali quod hic [c] sequitur scilicet · in circumcisione autem conferebatur gratia non ex virtute circumcisionis sed ex virtute fidei passionis xpi cuius signum erat circumcisio · et quod ibi [c] additur usque ad locum illum ubi dicitur · ita scilicet etc · non est fratris thome. § Item qo ·lxxiij· ar ·v· in corpore · frater thomas in originali ad confirmationem secunde rationis dicit · unde leo papa dicit · et non prosequitur auctoritatem sed dimittit spatium ubi erat scribenda. sed hic [c] est apposita eadem vel consimilis eiusdem leonis pape. § Item q ·lxxxij· ar ·viij· argumento ·j· frater thomas adducit auctoritatem canonis loco minoris propositionis [8] et non assignat in qua causa questione vel capitulo sit sed dimittit spatium ubi hic [9] scribi possint. hic [c] autem omnia hec sunt apposita.

Incipiunt tituli tertie partis summe venerabilis [10] fratris thome de aquino ordinis fratrum predicatorum. questio prima est [11] de convenientia incarnationis filii dei. R. [12] (-ubrica).

[1] fuit deletum – fundeletum p. m. [2] fuit de – fūduz. [3] in – et in. [4] ag^{i} *ambo.* [5] arguend' Q, arguendi R. [6] eiusd' (*ut iacet est* eiusdem) – eius.d' (*idest* eius, distinctione; *hoc, non* eiusdem, *in via ordinaria legendum est*). [7] *nostro modo* IV Sent., dist. IV, qu. III, art. 1, qu^{a} 3. [8] p(ro) po/nis Q, p(ro) pōi R. [9] hic *ambo* – hec *legendum videtur.* [10] venerabilis *om.* [11] ordinis... est *om.* [12] R. – questio prima.

[a] Cf. XXII. 2. δ. [b] *deletum, deleta,* non rasura, sed punctis vel per *vacat*, quia secundum notatorem post deletionem scriptura autographi lecta fuit. [c] Per *hic, ibi, suo loco* ad corpus libri sui nos refert notator. [d] Cf. LVII. 4. β. δ.

17. Prima quaestio surgit, an altera utra scriptura alteri exemplari fuerit? Cum pro certo affirmandum sit textum S. Thomae quem R exhibet non scriptum esse ex Q, nec textum Q ex R, probabile fit ut etiam in textu notae neuter ab altero dependeat. Praeterea variantibus simul consideratis credibilius est ambos scriptores ex communi exemplari transumpsisse: inde transcriptionis errores R 1. 2. 8, qui ex alia scriptura potius quam ex littera Q occasionem habuisse videntur, R vel Q 3. 5, Q 6, QR 4, 9 explicationem haberent. – Per *ag*^{i} ceteri idiotismi ad hominem Italum designandum determinari videntur, nisi iam tunc temporis Hispani Agustin dixerint. – Commendabilis aetatis opinionem et largae diffusionis speciem nota a codicibus non accipit. A voce « articulus », qua antiqui non utuntur, vix libris antiquior esse videtur.

18. Alia quaestio est, utrum notator reapse viderit Tertiae Partis autographum? Nam dum locutio: « *frater thomas...* non prosequitur auctoritem sed dimittit spatium in originali », alterius sermo esse non potest quam hominis qui de autographo narrare intendit, ideo inutilis redditur quaestio an intendat narrare de aliquo codice apographo, ex quo ipse certos alios transcriptos esse sciebat, respectu quorum apographum originale vocaret; « frater thomas... dimittit » hanc explicationem excludit. Non urgeo verba « sed hic apposita est *illa vel alia, eadem vel consimilis* ». Stricte intellecta supponunt S. Thomam secundum notatorem definitos locos SS. Augustini et Leonis mente gessisse; quod qui scit, scire debuisset quare non statim scripserit vel dictaverit. Benignius tamen intelligi possunt hoc sensu, quod notator crediderit se tales auctoritates ad rem confacientes apposuisse, quibus auctor si praesto fuissent usus esset, vel quae saltem similes sint cuicumque auctoritati ei adhibendae, si mors eum operi perficiendo non praeripuisset. Quidquid sit, de autographo fratris Thomae loquitur notator, ac si suis oculis illud cerneret. In ipso spatia vacua, expunctiones legitimarum lectionum et suppositiones falsarum adfuisse dicit.

Fieri tamen potuit ut notator erraret, autographum esse credens quod nihil erat quam vulgaris codex plus minusve antiquus. Certo non fuit postremus, si fuit forte primus, qui communem codicem pro autographo S. Thomae sumpsit.

Fieri etiam potuit, ut originale in mente tantum notatoris exstiterit, isto scilicet modo: Pluribus codicibus comparatis, intellectu et per viam argumenti ex apographis ad autographum pervenerit, deinde, argumento inverso, ex autographo crisi reconstructo ad apographa descenderit. Sic forte arguit: Solutio tertii argumenti hoc loco deficit in omnibus codicibus; ergo iam deerat in originali. Deinde, propositionibus mutatis: *solutio tertii argumenti deficit in originali* littera vel scriptura *fratris thome;* ergo deficit *et in omnibus aliis* codicibus; et probo consequentiam: *quia ab illa originem sumpserunt.* Certum est eum hic argumentari; ceteroquin simplici affirmatione utitur [1].

Sed et utraque simul via notator fortasse sibi se autographum tenere persuasit. Textum alicuius codicis comparando cum textu alterius, vel, ut propius ad rem accedam, textum tertiae classis cum textu antiquo in pluribus vel paucioribus codicibus certis locis comparando, eo scilicet fine ut haberet quod ipse in suo libro scriberet, antiquum toties erroneum recentiori facile posthabuerit. Ne petas ab eo, ut in erroribus scripturam a lectione distinguens, ad lectionem authenticam sub falsa transcriptione latentem pertingat. Lectionem lectioni comparaverit, et iure quodam suo textum rationabilem et legibilem falso et absurdo textui praetulerit. Qui codex magis et purius Thomam sapere ei videbatur, illum autographi nomine promptus et lubens auxerit.

Parum probabile est summam infrequentiam attestationis lectionum, quarum authenticitatem adstruit, assertori innotuisse. Si cognovisset quam superexcedens testimonium lectionibus quas falsitatis arguit faveat, forsitan notam non scripsisset, vel saltem dubitative locutus esset.

19. Ut pateat quid de notatoris asseverationibus credendum sit, interrogemus traditionem. Traditionem appello, quia dum eum ut fidem sibi conciliaret mentitum esse non dico, ab altera tamen parte cur notae auctori potius quam totius primi saeculi testimonio caeca fide crederetur, omnino non invenio. Videamus an traditio documenta, quae eius asserta moderare et temperare valeant, eaque satis luminosa, suppeditet. Non tantum loca quae allegat considerabimus, sed et alia quae, quamvis ei, veri autographi potito, opportunam notandi occasionem praebuissent, silentio premit.

Credo probari posse notatorem pro autographo vidisse

[1] Nescio an huc pertineat lectio R 3. « sed dimisit spatium *et in* originali ». Illud *et in* potest duplex scriptio esse pro solo *et;* sed aliam explicationem admittit, nisi lector eam nimis subtilem iudicat. An notator, a posteriori arguendo, concludit secum, *etiam* in originali spatium adfuisse? Istius mentalis operationis « *et in* originali » vestigium sit.

codicem apographum, patrem, fratrem, uno verbo valde proximum nostri Neapolitani I. Uno loco excepto (cf. n^{m} 27), huius codicis lectiones defendit, modo contra totam reliquam traditionem, modo contra textum antiquum.

Causam codicis I cum causa notatoris non vellem confusam. Recensor textus I, idest corrector ille cui lectiones I ab antiquo textu variantes debentur, non arguatur falsificationis, ubi apud notae auctorem falsificationis vestigia quaero. Recensor bona fide recensuit, ut correctores optima fide agunt: non intendunt lectiones authenticas falsis obruere, sed « melioribus » lectionibus a se inventis vicinius ad autographum perveniri credunt. Notatoris vero alia causa est, quia lectiones antiquas suppositionis accusat. Ideo nos in nota eius ea quae falsitatis speciem habere possent iure merito quaerimus, quin recensorem textus I implicemus.

20. Solutio 3 argumenti qu. XXII art. 2 in tota mihi nota traditione revera deest. (Quod *a* legit *Et per hoc patet responsio ad tertium,* vulgare refugium est. Quod modernae editiones exhibent *Ad tertium dicendum quod sanctitas humanitatis* etc., in editionibus post 1486 primum apparuit, comite nota marginali « Responsio suppleta »: hanc notam monitoriam Piana adhuc retinuit; in qua editione primum suppressa sit nescio).

Animadverto primo, solutionis defectum significari in aliquibus codicibus (non in I); in tribus Vaticanis margo lectorem monet; omnium urgentius margo G: « Nota quod hic deficit solutio tertii argumenti quam nusquam potui invenire ». Simile ergo monitum notatoris huic loco considerando attentionem figere potuit.

Animadverto secundo, notatorem tacere de aliis huiusmodi communibus vel fere communibus defectibus:

VII. 9. θ. solutio ad 3. in nullo antiquo obtinet; (est tamen in IQR);

XIX. 2. ζ. solutio ad 3. ubique deficit. etiam in IQR;

(XXII. 5. θ. ι. quid I habuerit non scimus, quia folium in quo locus occurrit codici assutum est; H etiam deficit; QR habent lectionem signatam « editiones »).

Insuper LV. 6. β. ubique, etiam in IQR, argumentum deest cui solutio *Ad quintum* referenda esset;

LXXXIV. 7. in antiquo textu, (non in IQR), argumentum deest quod *Ad quartum* solvitur.

Animadverto tertio, sicut in aliis Summae partibus ita in Tertia ordinem solutionum interdum non convenire cum ordine quo argumenta se sequebantur, ex. gr.: *Ad secundum* inscribitur solutio argumenti quod tertio loco obiiciebatur, dum *Ad tertium* argumentum secundo obiectum respicit. Mutatio in Tertia quinquies ni fallor occurrit: cf. XVIII. 2. γ, XLVI. 4. λ, LI. 4. ε; (*Ad secundum* LXI. 1. solvit tertium argumentum, *Ad quartum* LXXX. 10. solvit quintum; in tota scilicet traditione ante saeculum decimum sextum).

Ordo etiam articulorum interdum alius est ab ordine quaesitorum in quaestionis Introductione; hoc ter ni fallor locum habet:

Qu. LIV articulus *secundus,* etiam in IQR, respondet *tertio* quaesito, *tertius secundo.* Cf. 2. α.

Qu. LXXXII articulus *decimus* pertinet ad quod *quinto* quaerebatur, quo factum est ut post *quarto utrum* et *Ad quartum sic proceditur,* ordinalia quaesitorum et articulorum secum pugnant. Ita in textu antiquo. Tardior traditio, etiam IQR, seriem quaerendorum secundum articulorum successionem reformavit, sed apud omnes in Indicibus antiquus ordo reviviscit. Adverto tamen Titulos in I non a scriptore textus exaratos esse.

Praesertim vero notandus est tertius locus: Qu. LXXV *primus* articulus materiam inter quaerenda non annuntiatam tractat; e contra ei quod *septimo* quaerendum esse dicitur, nullus articulus respondet. Ita tota traditio, praeter IQR et editiones a *c* inde ad saeculum decimum sextum; posteriores versionem I interpolationibus praegravarunt. Ut vero adhuc evidentius eluceat, hunc saltem locum notatori attendendum fuisse, si scilicet autographum ipsum vidisset, totam Introductionem in antiqua et in lectione I exscribo.

TEXTUS ANTIQUUS:
Deinde... quaeruntur octo.
Primo, utrum substantia panis et vini remaneat in hoc sacramento post consecrationem.
Secundo, utrum annihiletur.
Tertio, utrum convertatur in corpus et sanguinem Christi.
Quarto, utrum remaneant ibi accidentia post conversionem.
Quinto, utrum remaneat ibi forma substantialis.
Sexto, utrum conversio ista fiat subito.
Septimo, utrum sit miraculosior omni alia mutatione.
Octavo, quibus verbis convenienter exprimi possit.

LECTIO IQR:
Deinde... quaeruntur octo.
Primo, utrum in hoc sacramento sit corpus Christi secundum veritatem.
Secundo, utrum in hoc sacramento remaneat substantia panis post consecrationem.
Tertio, utrum substantia panis post consecrationem huius sacramenti annihiletur aut in pristinam materiam resolvatur.
Quarto, utrum panis possit converti in corpus Christi.
Quinto, utrum in hoc sacramento remaneant accidentia panis et vini.
Sexto, utrum remaneat forma substantialis panis.
Septimo, utrum fiat in instanti ista conversio.
Octavo, utrum haec sit vera: Ex pane fit corpus Christi.

Quaerendorum dispensatio ut in textu antiquo legitur, fere consonat cum IV *Sent.*, dist. XI, qu. I. In I consonat cum initiis articulorum. (In Indice I habet lectionem antiquam, QR recentem.) Re iudicata secundum ea quae communiter contingunt, recensor textus I antiquum textum suppressisse et initia articulorum ante eos ut Introductionem rescripsisse dicendus esset. Sed re iudicata secundum systema notatoris, dicendum esset, hoc loco aliquid autographo accidisse: « deletum fuit de originali » lectio I; « et loco eius fuit additum » quod antiquus textus habet, « nec est fratris thome ».

Non ergo verisimile est ut notator scientiam absentiae solutionis tertii argumenti ex autographo hauserit. Multo probabilius est ut a margine alicuius exemplaris doctus sit, vel ex codicibus comparatis ad absentiam solutionis in autographo arguerit. Ideo, correctorum vulgarissimo modo, in eisdem similibusve circumstantiis irregularitatem vel inaequalitatem semel vidit et novies non vidit.

21. De spatiis scriptura vacuis, quae notator in originali fratris Thomae quatuor locis adfuisse dicit, in traditione inveni quae sequuntur.

LXVIII. 4. post *Sed contra est quod dicit Augustinus* in aliquibus codicibus, inter quos I, immediate sequitur *Respondeo dicendum* etc. In multis aliis, inter quos A B C E et antiqui Escurialis et Cordubensis, sequitur spatium duarum linearum vel unius et dimidiae; margo A habet « h' ẽ corrigẽda » idest *hec* littera *est corrigenda.* In his igitur libris non solum deficit auctoritas, sed etiam deductio qua S. Thomas uti solet ut auctoritates ad materiam applicet. In aliquibus codicibus et in editionibus duae diversae reconstructiones argumenti existunt: GH*abc,* secunda manu satis antiqua B, et praeterea aliqui pauci antiqui, redactionem habent, quae in omni editione qua lector uti potest aut sola est aut primum locum occupat. Lego cum sB:

Sed contra est quod Augustinus dicit: Qui creavit te sine te, non iustificabit te sine te. Sed peccator cum habeat voluntatem non dispositam, non cooperatur Deo. Ergo frustra adhibetur sibi baptismus ad iustificationem.

Argumentum totum mutuatum est ex IV *Sent.,* dist. IV, qu. III, art. 2, qu^{a}. 1, S. C. Alia est redactio QR, et, in quacumque editione invenitur, aut iuxta priorem in margine aut in textu secundo loco obtinet:

Sed contra est quod Augustinus dicit ad Bonifacium quod in baptismo aliquis membrum Christi efficitur. Sed nullus peccator persistens in voluntate peccandi potest fieri membrum Christi, quod est incorporari Christo. Ergo huiusmodi peccator non est baptizandus, quia frustra baptizaretur.

Tota argumenti substantia assumpta est ex IV *Sent.*, dist. IV, qu. II, art. 2, quª 5, S. C.

Animadverto notatorem de origine auctoritatis et argumentationis a se appositis mutum esse. Per ipsum tamen locum citatum Commentarii in Magistrum cum fragmentaria lectione I confibulatam esse, arguo ex eo quod hanc argumenti *Sed Contra* formam non inveni foris QR. Quo pro vero supposito, non mirum est quod « illa » auctoritas notatori « sufficiens ad arguendum propositum » visa sit: fratri Thomae et « illa » auctoritas et totum argumentum sufficientia iam visa erant! Sed miror, vel potius intelligere non audeo modum, quo lectionem suam defendit. Quare dicit « ut in suo loco patet »? Quare, si cordatus vir erat, deliberate et expresse modestae fiduciae ostendendae simulatam occasionem quaesivit? Nonne suffecisset sincere veritatem dixisse, et fontem allegasse unde lacunae implendae materiam hauserat?

22. Ibidem, art. 12. post *Sed contra est quod dicit Augustinus* solus I spatium habet, duabus lineis aequivalens. Sequitur *Respondeo dicendum;* ergo etiam hic spatium non ad auctoritatem solam, sed ad totum argumentum pertinet. Cetera mihi nota traditio legit argumentum ut in editionibus prostat:

Sed contra est quod Augustinus dicit IV Confessionum de amico suo, qui cum desperaretur baptizatus est *(nesciens* addunt PGH*bc)*, et tamen in ipso baptismus efficaciam habuit. Unde et carentibus usu rationis aliquando baptismus dari debet.

Utri credendum sit: spatio unius codicis, an unanimi attestationi reliquae traditionis, non quaero: nam quam ob causam in I spatium album adsit, assignare posse mihi videor. In fine scilicet articuli S. Thomas eundem omnino locum S. Augustini citat:

Ad tertium dicendum... sicut Augustinus narrat in IV libro Confessionum de amico suo, qui baptizatus est nesciens propter periculum mortis.

Hoc adverterit recensor cui textus I debetur; ille, prae aliis correctoribus qui textus codicum tertiae classis curabant, locorum citatorum curam egit, ut centies experti sumus. Ideo recursum argumenti *Sed contra* in corpore articuli percepit (qu. LXXVIII art. 6 argumentum *Sed contra* in corpore repeti non percepit; non est citatio). Non magna credo correctorum experientia opus est, ut quis sibi persuadeat, correctorem hic non vidisse differentiam intentionis S. Thomae: in argumento *Sed contra* amicus S. Augustini efficaciter, quamvis nesciens, baptizatus esse dicitur; *Ad tertium* vero assignatur causa baptismi hominis sui impotis: propter periculum mortis. Praecipitanter iudicaverit corrector, argumentum *Sed contra* dubium esse, et « meliorem » lectionem admittere. Nonne nimia corrigendi promptitudo, qua correctores innotescunt, nimis promptum iudicium circa lectionum corruptionem supponit? Recensor textus I spatio dubium suum significat; non alio scilicet modo quam scriptores codicum, ut frequenter vidimus et notavimus, spatia alba ponunt ubi quid scribant nesciunt; cf. Vol. VIII. Praef. x quae diximus de codice F.

At quaero, qua de causa hoc solo loco per notatorem ad Commentarium in Libros Sententiarum (IV, dist. IV, qu. III, art. 1, quª. 3) referimur? An ut codicis sui praedilecti spatio authenticitatem vindicet, insinuando scilicet lectionem aliorum librorum completionem tantum esse pro spatio quod « frater thomas dimittit in originali »? Nescio an Commentarius hoc loco et vicinis facultatem praestet eligendi inter plura argumenta ad rem confacientia et a *dicit Augustinus* incoeptura. Ideo quaero an notator diversam ab aliis libris auctoritatem ideo non dat, quia alia praesto non erat?

Lector ipse ex complexu eorum quae notator dicit et quae tacet, utrum hoc loco veritatem celet an sincerus sit, iudicet, et, quod magis ad rem pertinet, an ratio spatii in I nimis procul petita sit.

23. LXXIII art. 5 corp. a med. post *unde Leo papa dicit* spatium sequitur in multis libris antiquis et aliis; inter hos sunt BC, duo Trecences, veteres Escurialis et Cordubensis, Basileensis A. I. q ª. Plures tamen, inter quos I, nec auctoritatem habent nec spatium. G et secunda manu I, pro *unde* legentes *ut,* cum necessitatem auctoritatis secuturae tum opportunitatem spatii auferunt, sed auctoritatem praecessisse supponunt, hoc modo: « Et ideo conveniens fuit *ut imminente passione celebrato priori sacramento novum sacramentum institueret,* ut Leo papa dicit ». F*a* et tarda manus secunda in spatio codicis B, legunt: « Unde Leo papa dicit *in sermone de Coena Domini: ut umbrae cederent corpori, antiqua observantia* » etc. Propter locutionem indicis « in sermone *de Coena Domini* » pro usitato *de Passione,* puto auctoritatem ex Officio eius diei huc asportatam esse. QR legunt: « Unde Leo papa dicit *quod ubi umbrae* » etc. Notator ergo, ex lectionis fragmento quod I et multi alii habent, et ex spatiis vacuis aliorum conscius factus lacunae, habere potuit unde auctoritatem assumeret et sermonem S. Leonis, et breviarium suum et aliquem codicem; quod autem nec sermonem nec breviarium adhibuerit sed codicem, probabile fit ex eo quod QR, sicut codices qui locum S. Leonis habent, ex textu originali et breviarii particulam *ergo,* et incisum *et cessarent imagines sub praesentia veritatis* omittunt.

24. LXXXII art. 8. arg. 1. citationi canonis I tres partes lineae scriptura vacuas reliquit; secunda manus eam addidit, sed super marginem; in textum typis editum per *c* intravit. Cetera traditio tota quanta (praeter QR, ut lector per se intellexerit) legit *ut dicit canon,* nihil addito.

Animadverto, ex solutione cerni posse quam bene S. Thomas canonem noverit: « *dicendum quod canon ille non loquitur assertive sed inquisitive; sicut ex circumstantia litterae haberi potest* ». Ex quo colligendum est S. Thomam in obiectione citationem apponere potuisse, si scilicet voluisset. (Cf. IIª IIªᵉ, qu. X, art. 12, arg. 1). Eum haesitasse et spatium reliquisse, profecto non credibile fit ex solitarii scriptoris dubitatione.

25. Circa duo spatia vacua in codicibus antiqui textus occurrentia generaliter animadverto, ea explicari posse ex autographo. Non quod S. Thomam ibi spatia alba auctoritatibus postea addendis destinasse putarem, quasi scribenti vel dictanti ipsa Patrum verba in memoriam non venirent, et scriptionem vel dictamen per recursum ad Patrum opera, vel ad fontes ex quibus auctoritates sumere solet, interrumpere nollet. (Si tamen hoc ei accidit, non credo recte suppletas esse auctoritates *Qui creavit te sine te* etc. S. Augustini, et *ut umbrae cederent corpori* etc. S. Leonis, nimis ei notas quam ut memoriae excidissent). Sed aliquo scriptionis vel dictaminis casu factum fuerit ut in autographo auctoritates non scriberentur; casu dico, quia talia causam non habent. Plus quam credibile est tam longa et tam saepe interrupta scriptione durante interdum aliquid praeter regulam scriptori evenisse, quod, si auctore vivo revisum fuisset, disparuisset. Et hoc sufficit ut auctoritatum absentiam ab autographo congrue explicare possimus. Spatia scriptori primi apographi debita sint, qui lacunam dictionis adverterit et eam per spatia innotescere voluerit. Si auctor vixisset, transumptor eum adiisset.

Secundo animadverto, qu. XLVII. 2. β post *secundum illud I Reg. XV* nonnisi in tardissima traditione inveniri textum citatum (unice possibilem) *Melior est obedientia quam victimae,* et nullum codicem, ne IQR quidem, spatium admisisse. Hunc defectum nec scriptor apographi nec recensor textus I advertit. Notatoris scientiam per spatia aut in I aut in aliis libris inventa determinari, hic locus denuo probat.

26. Veniamus ad tres lectiones antiqui textus et totius fermie traditionis manuscriptae, quae notatoris ignoti fide non sunt fratris Thomae, sed authenticis lectionibus, quarum testis I solus relictus est, et authenticitatem notator asserit, substitutae sunt.

Qu. LVII art. 4 Argumentum secundum antiqui textus iam legebatur in Commentario in Magistrum (III *Sent.*, dist. XXII, qu. III, art. 3, quª 1, arg. 2.), non secus scilicet

ac centena Summae Theologicae argumenta ibi inveniuntur. Utrumque locum exscribam, Summae a Commentario variantes parenthesi distinguendo.

Praeterea, duo corpora non possunt esse in eodem loco. Cum igitur non *possit fieri motus (non sit transitus)* de extremo in extremum nisi per medium, videtur quod *supra omnes caelos ascendere non potuit (Christus non potuisset ascendere super omnes caelos)* nisi caelum divideretur: quod est impossibile.

Solutio huic argumento respondens ex duobus elementis consurgit: primum sumptum est ex Commentario, ibidem, ad 2 m; alterum ex *Quodlibet* I, art. 22. corp. Priorem locum totum, alterius quantum sufficit dabo.

Commentarius: Ad secundum dicendum quod, quamvis de natura corporis non sit quod possit esse in eodem loco cum alio corpore, tamen potest hoc Deus facere per miraculum: sicut etiam fecit corpus Christi de clauso virginali utero exire, ut dicit Gregorius.

Quodlibet (*Utrum aliquo modo corpus gloriosum possit esse simul in eodem loco cum alio corpore* quaesitum erat): Miraculose ergo fieri potest quod duo corpora sint in eodem loco. Unde corpori Christi attribuitur a Sanctis, quod exivit per clausum Virginis uterum et quod intravit ianuis clausis per virtutem divinam. Et similiter dico quod corpus gloriosum... poterit esse cum alio corpore in eodem loco, non propter aliquam virtutem creatam inditam, sed sola divina virtute assistente et hoc operante.

His praemissis, solutionem exscribo in versione textus antiqui:

Ad secundum dicendum quod quamvis de natura corporis non sit quod possit esse in eodem loco cum alio corpore, tamen potest hoc Deus facere per miraculum quod in eodem loco possint esse: sicut et fecit corpus Christi ut de clauso utero Beatae Virginis exiret et quod intravit ianuis clausis, sicut dicit Beatus Gregorius. Corpori ergo Christi convenire potest esse cum alio corpore in eodem loco, non ex proprietate corporis, sed per virtutem divinam assistentem et hoc operantem.

Equidem nihil hic video auctorem Summae minus decens. Aliqui codices tertiae (inter quos R, non Q), ut solent fastidiosi esse, variarunt (cf. ε) dictiones *fecit corpus Christi ut... exiret*, et (ζ) *Corpori ergo Christi convenire potest.* Ut locum autographo abnegem argumenta his debilibus fortiora non invenio. – Transeamus ad argumentum et solutionem notatoris.

Argumentum codicis I, per notatorem autographo vindicatum, ex eodem Commentarii loco (1. arg.) assumptum esse videtur, sed bonae fidei causa exscribam etiam *Quodlibet* VI, art. 3, arg. 2.

Commentarius: Corpus enim Christi necessario est in loco. Sed extra omnes caelos non est locus, secundum Philosophum I. Caeli et Mundi. Ergo supra omnes caelos ascendere non potuit.

Quodlibet (Quaesitum est *utrum angelus vel corpus gloriosum possint esse in convexo caeli empyrei)*: Omne enim corpus necesse est in loco esse. Sed extra caelum empyreum non est aliquis locus. Ergo non potest esse corpus gloriosum extra caelum empyreum.

Argumentum I: Praeterea, super omnes caelos non est aliquis locus, ut probatur in I. de Caelo. Sed omne corpus oportet esse in loco. Ergo corpus Christi non ascendit super omnes caelos.

Tria argumenta substantialiter eadem sunt: differunt ut universale *(omne corpus,)* et particulare *(corpus Christi)*; medium argumentum habet *extra caelum empyreum,* pro quo duo extrema legunt *super omnes caelos;* eadem inducunt auctoritatem Philosophi. In tertio argumento, utrobi assumpto, propositiones praemissae loco mutatae sunt.

Solutio argumenti I ex Commentario non sumpta est, quinimmo Commentarii solutioni parum abest ut contradicat. Hoc tamen recensori textus I vitio non verto. S. Thomas enim *Sententias* commentans opinatus est, caelum empyreum non institutum esse ad naturales effectus, sed ad hoc quod sit locus Beatorum (cf. II *Sent.*, dist. II, art. 3; dist. XIII, art. 1). Sed postea retractavit: « Et hoc quidem aliquando mihi visum est, sed diligentius considerans » etc. VI *Quodlibet*, art. 19. Habitudo solutionis in Commentario opinioni Thomae iunioris non disconvenit, ut lecteri patebit. Ideo recensor textus I materiam suae solutionis alibi quaesivit; ubinam vero quaesiverit, exscriptis trium argumentorum solutionibus dicemus.

Commentarius: (Ad primum ergo) dicendum, quod non dicitur ascendisse super caelos quia extra caelum empyreum sit, sed quia in altissimam partem caeli empyrei ascendit.

Quodlibet: (Ad secundum) dicendum quod ratio ista procedit de corpore dependente a primo continente.

Notator in lectione Q: (Ad secundum) dicendum quod locus habet rationem continentis. Unde primum continens habet rationem primi locantis, quod est primum caelum. Intantum igitur corpora indigent esse in loco per se, inquantum indigent contineri a corpore caelesti. Corpora igitur gloriosa, et maxime corpus Christi, non indigent continentia tali, quia nihil recipit a corporibus caelestibus (sed a Deo mediante anima *addit* I). Unde nihil prohibet corpus Christi esse extra totam continentiam caelorum corporeorum et non esse in loco continente.

Nec tamen oportet quod extra caelum sit vacuum, quia non est in loco (ibi locus *legit* I), nec est ibi aliqua potentia susceptiva alicuius corporis; sed potentia perveniendi illuc est in Christo.

Quod autem Aristoteles probat, II. de Caelo, quod extra caelum non est corpus, intelligendum est de corporibus in solis naturalibus constitutis, ut per probationes apparet.

Solutio I tripartita est, ut exscribens innui. Initium primae partis, vel directae ad argumentum responsionis, ex multis S. Thomae inspiratum esse potest; speciatim credo respici IV. *Physic.* IV. 15: « tota ratio loci in omnibus continentibus est ex primo continente et locante, scilicet caelo ». Quae sequuntur, *Intantum* etc., in mentem revocant articulum *Quodlibet* citati; ibi legitur: « Necessitas existendi in loco convenit corpori ex hoc quod dependet a primo continente... Angelus autem non dependet a primo continente, nec etiam corpus gloriosum, quod perficitur per animam ex divina fruitione beatificatam. Et ideo nulla necessitas est quod corpus glorificatum aut angelus ab aliquo locali corpore ambiatur ». – Aliae solutionis partes duas obiectiones tacite petitas a vacuo et ab auctoritate Aristotelis aspiciunt. Ubi dicitur *potentia perveniendi illuc est in Christo* audire mihi videor echo verborum argumenti *Sed contra* eiusdem articuli: « Si non potest esse ibi... corpus gloriosum, aut hoc est quia non potest ibi ascendere, aut quia non potest penetrare profunditatem caeli empyrei... Sed haec omnia sunt remota a perfectione corporis gloriosi ». – Modus quo opinioni Aristotelis satisfit, congruit explicationi S. Thomae I de Caelo lect. XXI. 3 fin. « Unde si esset aliquod corpus quod non dependeret a corpore caelesti sicut a continente, illud nihil prohiberet esse extra caelum ».

Nihil ergo quod contra substantiam doctrinalem solutionis obiiciam habeo. Sed formam et methodum difficulter S. Thomae vindicare possem. Primo, unius argumenti occasione I tres obiectiones refutat; nullus non facile tria argumenta formare potest, quibus materia solutionis I tripartita responderet. Sed ista non est consueta Summae methodus. Et si quando S. Thomas in solutionibus obiectioni incidenti satisfacit, prorsus incredibile est quod praecise in loco quem notator in autographo expunctum esse dicit, duas improvisas difficultates quasi per transennam aspexisset.

Deinde, si leve est quod pro *Philosophus* dicatur *Aristoteles,* grave est quod orationis stylus colore thomistico destitutus est, quinimo nigricantis maculae specie a candida carta dignoscitur. Nuda et subita sunt *quod est primum caelum, esse in loco per se, continentia tali, nihil recipit, Nec tamen oportet* (ex hoc sequi, vel, ut corpus Christi ibi possit esse) *quod extra caelum sit vacuum.* Quam confusus insuper, quam tumultuosus est argumentationis ordo!

Si lectio I ordinariam solutionum facturam et solitam dictionis luciditatem ostenderet, inter eam et antiquum textum haesitari vix liceret. At prout iacet, et in se et traditionis testimonio comparata, nec tantisper haesitandi causam praebet. Argumentum et solutio a recensore textus I noviter adinventa sunt. Inter obiectiones argumentum a controversia de corpore existente in convexo caeli empyrei petitum adesse voluit, vel forte scriptorum tantum vitio non adesse credidit; lacunae implendae gratia argumentum ex *Commentario* vel ex *Quodlibet* variata dictione mutuavit; solutionem tamen ipse composuit, vel potius a se componere coactus est. Ex una enim parte, in *Commentario* solutio argumenti opinionem per S. Thomam postea retractatam supponit, ex altera vero solutio in *Quodlibet* et brevior est quam ut variata dictione fini servire posset, et ipsa sua indole eum ad corpus articuli reiiciebat. Recensor ergo suis viribus relictus erat. Ne argumentorum numerus nec solutionis iusta longitudo cresceret, extensam obiectionis et adiunctorum materiam inter paucorum verborum terminos arctare compulsus est, sed operi non fuit aequalis: solutionum oeconomiam non servavit, genuinam Thomae praecisionem et spontaneum argumentationis ordinem imitando non aequavit, sed e contra talem solutionem composuit, cuius similem in tota Summa non sis inventurus.

Clarum est quod quacumque ratione auctor antiqui textus adduci potuisset ut lectionem autographi corrumperet, eadem duci potuit auctor lectionum quas notator patrocinatur. Ex hac parte uterque auctor eodem iure utitur. Et si insuper traditionis testimonium neutri parti magis favere gratis admittimus, et iudicium circa authenticitatem ad sola intrinseca lectionum merita deductum fingimus, me indice aut lectio I aut utraque supposititia erit.

27. Duo loca ad sequens Volumen nostrum pertinentia pro essentiali parte exscribimus, ut lector locorum descriptionem a notatore adhibitam intelligat. Primo loco pono lectiones antiquas, vel melius totius fere traditionis, deinde lectiones I, ultimo lectiones QR, quarum uni I non consentit. Praenoto primo, etiam hic agi de doctrina qua S. Thomas dicit se ab anteriori opinione sua recedere: *quod aliquando mihi visum est. Sed diligentius consideranti* etc. dicit utroque loco. Secundo, loca parallela esse et tota comparanda, praesertim: *iustitia erat ex fide significata, non ex circumcisione significante.*

Qu. LXII, art. 6 ad 3.

Textus antiquus: Et ideo melius dicendum videtur quod circumcisio erat signum fidei iustificantis. Unde Apostolus dicit Rom. 4 quod Abraham accepit signum circumcisionis, signaculum iustitiae fidei. Et ideo in circumcisione conferebatur gratia inquantum erat signum passionis Christi futurae, ut infra patebit.

Lectio I (sG et P*bc*): Et ideo melius dicendum videtur quod circumcisio *sicut et alia sacramenta veteris legis* erat *solum* signum fidei iustificantis (*cetera ut textus antiquus, sed* futurae *om.* I; sicut... legis *addit etiam* E).

Lectio QR: Et ideo melius dicendum videtur quod circumcisio *sicut et alia sacramenta veteris legis* erat *solum* signum fidei iustificantis. Unde Apostolus dicit Rom. 4 quod Abraham accepit signum circumcisionis, signaculum iustitiae fidei. Et ideo *non habet in se virtutem nec conferendi gratiam nec auferendi peccatum; sed hoc fiebat per virtutem passionis Christi quam* (*quod* Q) *circumcisio designabat. Vel* dicendum quod circumcisio sicut et alia sacramenta erat signum fidei iustificantis. Unde Apostolus dicit Rom. 4 quod Abraham accepit signum circumcisionis etc. Et ideo in circumcisione conferebatur gratia inquantum erat signum passionis Christi futurae, ut infra patebit.

Qu. LXX. art. 4 corp. post med.

Textus antiquus: Circumcisio autem conferebat gratiam inquantum erat signum fidei passionis Christi futurae; ita scilicet quod homo *etc.*

Lectio I: In circumcisione autem conferebatur gratia, non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cuius signum erat circumcisio, ita scilicet quod homo *etc.*

Lectio QRc: In circumcisione autem conferebatur gratia, non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute passionis Christi, cuius signum erat circumcisio. Circumcisio (Vel sic: Circumcisio Q*c*) autem conferebat gratiam inquantum erat signum fidei passionis Christi futurae, ita scilicet quod (quod scilicet *c*) homo *etc.*

P in textu habet lectionem I, margine per *Alias* lectionem antiquam.

Differentia sensus inter lectiones antiquas et ficte authenticas conferentem locos integros praeterit: certo non inveniet ullam talem cuius causa mutatio lectionis autographi provocari potuerit. Quod I, primo loco, addit textui antiquo *sicut... legis,* quod iam saeculo decimo tertio addiderat E, innocue appositum aut omissum est; *solum signum* urgentius quidem dictum est quam *signum,* sed ni fallor *solum* iacet in contextu lectionis antiquae. Illa etiam quae QR ex altero loco hic anticipant (et quae in nulla editione hucusque obtinent) deductiones sunt et explicationes, sed legitimae; excepto quod locutio *hoc fiebat* S. Thomae dictionem parum exprimit. Ratio differentiae lectionum alterius loci in hoc consistere videtur quod pro *Circumcisio autem conferebat gratiam,* quo, vi grammaticae, circumcisionem dici aliquid active in collatione gratiae egisse auctori textus I visum fuerit, passive dicatur *In circumcisione autem conferebatur gratia.* Lectionem antiquam *inquantum erat signum fidei passionis Christi futurae* I amplificat et dilatat, re non mutat, sicut primo loco QR amplificabant lectionem I, nihil addendo ex quo sequatur ut quidquam, quoad sensum et doctrinam, inter omnes quinque lectiones intersit. Per variantes I et QR activus influxus in gratiae collationem a circumcisione longius removetur, ut ita dicam, et excellentia baptismi prae circumcisione magis urgetur; verbis scilicet, non re. Ex antiquo textu logice deductae sunt, et ad expromendas consequentias ex ratione *signi,* auctor lectionum I et R et si vis ipse auctor Summae, plura potuissent addere quin per hoc distantia circumcisionis a privilegiis sacramenti Novae Legis reapse cresceret. Quantum igitur ad doctrinalem variantium substantiam, nihil interest quam lectionem quo loco autographum habuerit.

Lectionum tamen differentia, ad criseos trutinam examinata, et proprietate codicum attestantium iudice sumpta, oculos percutere mihi videtur.

Praenotandum duco, in primo trium locorum in quibus de authenticis lectionibus deletis sermo est, lectiones antiquas et I nec in argumento nec in solutione ulla relatione coniungi, qua una ex altera orta esse diceretur. Aliquid omnino novum auctor antiqui textus aut auctor textus I autographo substituit. Ibi ergo nobis eas invicem tanquam lectionem et variantem comparandi non erat occasio. Sed in his duobus locis antiquus textus et lectio I se ab origine contingunt. Alterutra aperte ex altera orta est: aut I extendit lectionem antiquam aut auctor textus antiqui breviorem fecit lectionem I. Utrum acciderit quaestio est ni fallor, eaque facile solvenda.

Textus antiquus semper et ubique, a *Quia Salvator* usque ad *venialium* sincerus, spontaneus et ingenuus, brevis et densus est. Quoties minus aut plus habet quam autographum habuit, monemur lectionis ineptitudine, et rei rationem vestigantes librarium errantem apprehendimus. Praeterea, quid lucri his specialibus locis captum est ex autographi falsificatione? — E contra textus I, inquantum differt ab antiquo, longior eo esse solet: cf. I. 1. θ, IV. 3. β, VIII. 1. β, X. 3. λ, 4. β. Nec soli I hoc accidit: lectiones ab antiquo bono textu variantes in quocumque libro magnam partem in dilatationibus et additionibus consistunt: ex decem primis quaestionibus pene centum additiones abegimus. Et naturae consentaneum est ut correctores dilatarent: supposita enim brevitate thomistica, iam aliunde nota et manifesta, difficile fuisset vel prudentissimo innovatori aeque bene et simul brevius dicere, tanto vero facilius pluribus verbis uti. Styli S. Thomae proprietas eos coegit ut, quin data opera extensionem textus intenderent, nihilominus dilatarent. Hoc tantopere verum est et tam late patet, ut si textus antiquus totus, extra testificationem antiquissimae et latissimae traditionis, contra textum Pianum, felicioris partis tentaminum criti-

corum receptorem, defendendus esset, rationes convincentes a tam apta et tam decora brevitate peti possent. Ideo his duobus locis si lectio antiqua brevis est quin rei aliquid deficiat, brevitate ergo S. Thomae brevis est, non condensatione correctorum. E converso, si lectio I plenior esse videtur, ea plenitudine tamen qua rei nihil accrescit, et quam correctoribus attingere concessum est. Hanc ipsam plenitudinem recensor textus I lucrari intendens, verba exemplaris sui magistrorum modo ampliavit, ut sensum firmaret. Sed si ille lectionis variandae causam habuit, auctor vero antiqui textus causam assignabilem non habuit, authenticitatis praesumptio non stat a lectione I sed ab antiqua.

28. Alii correctores aliis locis attigerunt eandem orationis plenitudinem, quamvis infeliciores esse solent quam I. Hic codex inter tertiam classem et prudentiores correctiones ostendit et pretiosior antiquarum lectionum testis est (praesertim contra singularem illam notatoris lectionem, quippe cui fidelis « originalis fratris thome » interpres etiam contradicit). At suis ipse locis per alios libros tertiae classis ab authenticitatis opinione repellitur. Alternis vicibus codices secundae et tertiae classis socios credibilitate spoliant. Si vero hoc inaestimabile officium millies critico praestant, quare ergo hae tres lectiones I ad ea quae communiter contingunt non numerandae essent? Qua ratione cetera tertia classis his tribus locis traditionale antiqui textus testimonium non roborare diceretur? Propter sermonem scilicet notatoris? Si tamen vel hae tres magis et melius quam lectiones antiquae his tribus locis speciem authenticitatis prae se ferrent! Sed suppositae non minus, non aequaliter, sed magis conveniunt Thomae, authenticae e contra methodum correctorum manifestant: si scilicet suppositionis et authentiae iudicem notae auctorem accipis. Si eum quae asserit non suis oculis vidisse, sed erronee et specie veri deceptum ex opinione asseruisse supponis, res ad naturalem suam conditionem redeunt: a qua profecto per nudam unius hominis incogniti affirmationem non decidunt. Ad naturalem autem rerum conditionem etiam pertinet ut, ceteris paribus, paucorum iuniorum codicum auctoritas a largissima et antiquissima traditione regatur.

§. VI. – DE RELATIONIBUS EDITIONUM INTER SE ET CUM CODICIBUS.

29. Editionem principem *a* ex codice antiqui textus [1] typis excusam esse, collatio lectionum eius cum traditione manuscripta luculenter attestata est. Corruptionum maiorem partem summa fide reproducit; novas propria culpa addidit, pauciores tamen quam in typographicae artis infantia inveniendas fuisse experientia docti crederent. Antiquum textum ubi deserit, aliquoties cum nostro E facit, sed vulgo sola est et perplexi correctoris crisim prodit. Nunquam recusa esse sed sine prole mansisse videtur; nostra tamen editio, quin hoc egerimus, eius textus altera editio evasit. Editionem principem, quia cum reliqua traditione typographica contactum non habuit, in seriem primae classis recepimus, et a reliquis editionibus prorsus separavimus, ita ut sub signatura nostra « editiones » editio *a* nunquam comprehendenda sit.

30. Ab editione *b* longa series, vel potius tota series editionum post principem, initium sumit. Valentiana et *c* et plurimis intermediis P, et a P inceptae omnes modernae et modernissimae nulla excepta super textu *b* structae sunt. Editionibus sibi succedentibus textus *b* paulatim errores typographicos perdidit, antiqui textus errores in ea superstites pauciores fiebant, sed et bonae lectiones codicibus eique communes liberrime mutabantur, donec eo ventum est ut loci S. Scripturae secundum Vulgatam typis impressam et loci Iuris Canonici secundum Editionem Romanam reformarentur. Textus reformationem hoc modo progressam esse comperimus: Valentiana editio simpliciter, usque ad apertissimos errores typographicos, textum *b* reproduxit; nullus locus collatus editoris influxum subiisse cernebatur. Typothetis ergo magistri Lamberti liber editionis Tarvisinae exemplar datus est; nihil quod scirem mutaverunt praeter interpunctionem. Ideo hanc editionem siglo non distinximus, sed missam fecimus. Editio *c* non simpliciter imitata est Tarvisinam, sed plurimum et egregie castigavit: dignus erat editor cui melior quam quo usus est codex manuscriptus auxilium tulisset. Textus *c* in omnibus editionibus saeculi decimi quinti aut nullas aut paucas immutationes expertus est. Primis decenniis sequentis saeculi aliquis editor (nescio quem nominem nisi editorem qui anno 1523 primus Commentaria Caietani in lucem edidit: vid. pag. XLIII) textus *c* recensioni operam dedit, qua textus P ortus est: nam hic ab illa parum differt.

Sub mutationum accumulatione textus *b* faciem suam et colorem vel in ultimis editionibus ostendit. Editorum industria non eo pervenit ut relationem inter *b* et manuscriptam traditionem notabiliter mutaverit. Piana ipsa, quae per *c* et ceteras intermedias editiones omnium praecedentium mutationum receptaculum facta est, vix aliter quam *b* ad codices se habet. Sicut ergo manuscripta traditio per unum solum apographum cum autographo continua est, ita, editione principe excepta, tota traditio typographica per solam *b* a manuscripta dependet.

31. Editor *b* aliquas lectiones a se creasse videtur; nos saltem eas ne in codicibus quidem textui *b* cognatioribus invenimus. Inter codices *b* socium fidelissimum habet Neapolitanum recentem bibl. Nationalis VII. B. 7, idest nostrum H. Sigla H*b* tam frequenter et tam constanter uniuntur, ut nullum dubium esse possit quin operis Tarvisinis liber Neapolitano quantum ad textum simillimus typis imitandus erat. Ab H pene omnis lectionum societas editioni *b* contigit. Prae ceteris autem ad H, ideoque ad H*b*, vergunt Ambrosianus (R in schedulis nostris), Oxoniensis (W), Norimburgensis 29 (ε), Matritenses (4. 5), iuniores Toletanus (7) et Escurialis (9), Brixiensis (Q), G, et I. Ne tamen lector credat signaturam

G H I Q R W ε 4. 5. 7. 9. *b*

aeque frequentem esse quam variationem inter antiquum textum et H*b*, animadverto quod quo plura sigla cum H*b* nobis dum conferebamus notanda veniebant, eo paucioribus locis signaturam correspondere vidimus. Nullius loci, ubi duodecim sigla omnia unam variantem signarent, memoriam invenio, nisi qu. XXVII, art. 2, ad 3 (κ) *ignoratur*, quod tamen non sola tertia classis legit. Frequentior associatio siglis H R W ε *b* exprimitur. Omnium libentissime a consortio H*b* absunt G, I cum textu antiquo aut etiam proprio stipendio militans et Q, qui amat solus esse, sed interdum, etiam ubi minimum expectares, antiquo textui associatur.

Variantes H*b* et sociorum tertiae classis versus antiquitatem prosequentibus, interdum obviam nobis venit unus vel alter codex primae classis, sed locis tam paucis ut pro nihilo reputanda sint. In decem primis Quaestionibus casus sunt II. 3. θ, III. 5. α, VII. 7. ι, 12. ζ, IX. 4. ζ. Libri secundae classis, non omnes sed alternis vicibus, recensori textus H, ideoque editori *b* plures variantes praebuerunt. Tota secundae cum *b* facientis signatura (E, F, O Patavini, X Y Cantabrigensium, η Lipsiensis, 3. Cordubensis) posset esse:

E F O X Y η 3. *b*:

Additis sociis tertiae posset esse:

E F G H I O Q R W X Y ε η 3. 4. 5. 7. 9. *b*:

Neutra vel semel occurrit, ni fallor, nisi forte ubi antiquus textus tam absurdus est ut iam plures codices primae clas-

[1] Non dico typographis librum antiquum ob oculos positum fuisse. Fortasse valde recens erat. Nam quam grandis vel recentissimorum codicum multitudo antiquissimi cuiusque codicis textum fideliter vel si vis serviliter secuta sit, per multos annos experti sumus, dum opera S. Thomae recudebamus. In praesenti casu codices Basileenses, Berolinensis, Vaticani Palatinus et Urbinas, quantum ex locis collatis concludi licet, strictius primogenitae autographi transcriptioni adhaerent quam noster E et Lipsiensis vetus, illis per saeculum et dimidium natu maiores. Ideo inter librum antiquum et librum antiqui textus distinctio valet.

sis lectiones correctorias praebeant. Locum proxime citatum, xxvii. 2. ϰ *ergo ignoranter,* plus una ratione notabilem, dimidia pars primae iam *ignoratur* legit, idem tota tertia, sed ex secunda desunt E, qui antiquum textum [1] habet, et X Y qui *ergo ignorant.* Hunc credo consonantiae secundae et tertiae classis extremum casum esse. Ceteris locis ni fallor semper magis discordant. Exemplum sumo ex qu. 1, art. 3, ad 1(ζ)

> *cognoscenda* prima, F̂, HQ 4. 5. 7. 9. (pR?)
> *cognita* ε sW (pR?)
> *cogitata* pW
> *cognoscenda et agenda* EXYη 3, GI*b*, sR 9.
> *cognoscendo a Deo et agenda* O.

Ex hoc exemplo patet additionem (correctoribus valde acceptabilem: vide contextum) postquam iam in magnam partem secundae classis penetrasset, in minori tantum parte tertiae assumptam esse.

Aliud exemplum sumo qu. 1, art. 1, ad 1 (deficiunt hispani)

> in quo ab aeterno *non fuit* prima, η, HQRWεsI et *b*
> in quo ab aeterno *fuit* EFOXY, GpI.

Hic iterum patet correctionem, quamvis opportunam correctorum methodo, in antiquitate iam frequentem fuisse et tamen a tertia pene tota abesse posse. – Patet etiam vel ipsum F, per quem omnium maxime tertia secundam tangere solet, fidum H*b* socium non esse.

32. Relatio generalis inter *b* ab antiquo textu (ABC) differentem et alios codices in decem primis Quaestionibus, quantum ex notis sub articulis confici potest, idest pro GHI EF D *a*, sequenti intelligatur tabula [2].

Sigla primae columnae intelligantur signaturae completae esse, ita ut omnia alia sigla codicum excludant. Numeri secundae columnae comprehendunt casus convenientiae inter H et *b;* numeri alterius casus disconvenientiae inter H et *b*.

b		15
ab		0
D*b*		1
E*b*		1
F*b*		1
FI*ab*		1
G*b*		0
H*b*	18	
I*b*		2
EH, FH, DFH cum *b*	3	
GH*b*	9	
HI*b*	13	
GI*b*		2
GHI*b*	133	
EGHI*b*	13	
EGHI*ab*	2	
DEGHI*ab*	1	
EHI*b*	2	
EGI*b*		3
FGHI*b*	36	
DFGHI*b*	1	
FGHI*ab*	2	
FHI*b*	9	
FGH*b*	1	
FGI*b*		1
EFGHI*b*	4	
EFGHI*ab*	1	
EFGH*b*	1	
	249	27

Disconvenit ergo *b* ab H locis 27, inter quae 15 connumerantur quibus *b* cum nullo nostro codice legit. Si quo modo H eodem singula sigla singulariter ponuntur, invenimus inter I et *b* disconvenientiae casus 50, inter G et *b* 66, inter F et *b* 216, inter E et *b* 247, inter *b* et *a* 271, inter D et *b* 272 (inter E et F, ut hoc transeunter advertam, disconvenientiae 89, conspirationis vero eorum contra textum antiquum 6).

Consideranti casus convenientiae G*b* 0, H*b* 18, I*b* 2, GI*b* 2, non potest credo non evidens esse, apud signaturas GH*b* (9 casus) et HI*b* (13 casus) *b* propterea legere cum G et I, quia H cum eis legit. Porro signaturam G HI*b*, quae centies tricies ter occurrit, editio pari modo ex H contraxit. Denique ex signaturis E*b* et F*b*, quae semel tantum occurrunt, clare patet concentum editionis cum E apud signaturas EGHI*b* etc., cum F apud signaturas FG HI*b* etc., non a codice E vel F occasionem coepisse, sed ab intermedio codice H. Per totam Tertiam Partem cognatio H et *b* eodem modo vivide se exprimit.

33. In textu *c* duo elementa distinguenda sunt. Primum consistit lectionibus signatis *bc*, cum versipelli societate quam codex-exemplar Tarvisinae editioni attulit. Alterum elementum, priore in immensum minus, consistit in lectionibus differentibus a *b*. In hoc elemento interdum textus antiquus reviviscit, sed multo magis textus I et Q se manifestat. Ob specialissimas lectiones Q omnino proprias nullus dubito quin qui editionem utriusque Ioannis curavit illo individuo libro ad corrigendum textum *b* usus sit. Nam quamvis signatura Q*c* (contra *b* cum suis) saepe plura sigla tertiae et secundae includat, per Q tamen ad *c* pertinere videntur ex locis ubi Q*c* tota signatura est. Ex. gr.

> 1. 1. ϰ.
> sicut creatura cum prius non esset *in esse producta est* prima et OX3 (εY, F), (GI)
> sicut creatura *est a Deo producta* cum prius non esset *in esse producta* HRWε*b*
> sicut creatura cum prius non esset *incoepit esse* Qη*c*.

> 1. 5. α.
> perierunt in diversis *saeculis* *b* et codices praeter Q et Herb.
> perierunt in diversis *sceleribus* Q*c*
> perierunt in diversis *celeribus* Herbip.

His locis lectio *c* ex alio fonte quam ex Q venire potuit. Si vero attendas lectiones sequentes:

> 1. 1. β.
> utrum si non fuisset *peccatum* *b* et codices praeter Q
> utrum si non fuisset *peccatum seu homo peccator* Q*c*.

[1] Primum apographum habuisse « Sed quia quo tempore sanctificata fuerit ergo ignoranter celebratur festum sanctificationis eius potius quam conceptionis in die conceptionis ipsius » docent octodecim codices primae classis, E, et undecim insufficienter substituentes *ignoranter, ignoratur ergo, ergo ignoratur* (Escur. valde antiquus), *ergo ignorant, ignorant, ignoratur ergo ignoranter.* Ultima haec infausta lectio signatur Tsζ, idest Trevirensis 1053 et secunda manu Clm 16093. Scriptori codicis T concedi potest beneficium artis librariae; idest, scriptor male intellexerit intentionem correctoris, qui non addere sed substituere volebat. Secunda manus codicis Monacensis, quantum ex scriptura liquet, addere intendebat. – Huc facit quod O in eadem solutione (θ) pro *totaliter* solus legit *rationabiliter,* errore scilicet scriptoris; cf. infra n^m 42. Has lectiones Tsζ et O si quis tanquam directe volitas habere vult, eisque, ex oppositis causis, textui S. Thomae consulto et cogitate iniuriam factam esse credit, nos ei dicimus, in tota huius celebris articuli traditione nullo loco praeter duobus dictis in ullo codice praeter dictis tribus, vel levissimum indicium deliberatae sensus corruptionis inventum esse.

[2] Non exhaurit omnes casus notatos, quia duas variantium categorias non includit, scilicet Pianae contra *bc* legentis, et tertiae in plures lectiones laceratae. Potest tamen servire fini quem intendimus, quia convenientiam inter *b* et H non integre exprimens, in meliorem partem deficit. Editio Tarvisina multo plus dependet ab H quam his numeris exprimitur, multo etiam plus quam generaliter sola casuum enumeratione exprimi posset: *qualibus* conveniant lectionibus lectori pensandum erit.

I. 5. Sed contra.
Filium suum *factum ex muliere dicit* Glossa codices praeter HQ (*ubi* vel *et* ante *dicit* diversi)
Filium suum *dicit* Glossa H
Filium suum *etc. dicit* Glossa *b*
Filium suum *factum ex muliere factum sub lege. Ubi dicit* Glossa Q*c*.

et id genus plures, probabile videbitur omnes differentias inter *b* et *c*, Q cum *c* faciente, ex illo ipso codice venisse. Quam raro tamen *b* et *c* extra operarum lapsus correctos differant, ex hoc cerni potest quod in decem primis Quaestionibus differentiae loca pauciora sunt quam 20.

34. Textus *c* antequam forma editionis Pianae induebatur, per integri saeculi spatium editorum correctionibus patebat. Multo tamen minus quam quis a longo temporum intervallo argueret, P a *c* differt: non multum pluries credo quam *centies* in decem primis Quaestionibus. Quam parum hoc sit, patet consideranti et numerum et indolem convenientiae. In tabula n° 32 descripta sunt loca simul sumpta 276; omnibus his *c* et P faciunt cum *b*, et vicissitudines siglorum eius sequuntur. Ideo habemus

PI*bc*	locis 249
P*bc* sine H	» 27
PI*b*	» 226
P*bc* sine I	» 50
PG*bc*	» 210
P*bc* sine G	» 66
PE*bc*	» 29
PF*bc*	» 60
FEF*bc*	» 6

Post relationem in *b* natam et in *c* vix auctam vel minutam convenientia textus editi cum H G I E F D *a* in P crevit et decrevit secundum sequentem tabulam, quae 91 loca varia respicit. Convenientia P cum I separata ponitur.

P(A)EGHI	1	
PD		1
PDF		1
PDGHI	1	
P*a*		1
PGH		1
PFGH		1
PFH		1
PG		4
PGI	6	
PFGI	3	
PEFG		1
PI	8	
PEI	1	
PE		1
PF		7
PEF		1
P sola		51
	20	71

Respectus ergo P ad codices penes convenientiam attentus fere is mansit qui inter *b* et codices iam obtinebat. Hoc est quod diximus, *b* scilicet faciem suam in omnibus editionibus ostendere.

§. VII. – DE TEXTUS INSTAURANDI METHODO

35. In hoc Undecimo editionis nostrae Volumine ab editione Piana locis circiter 4600 differimus, quorum duas partes notando praeterivimus; 1500 circiter sub articulis exscripti sunt. Sed etiam ab antiquo textu non ita parum discessimus: QQ I–X, dum loca varia notata sunt (salvis erroribus computationis) 494, et Piana antiquum textum locis notatis 456 mutatum exhibet, nos cum locis notatis 134 non recepimus; computatis locis non notatis Pianam relinquimus locis 1126, textum antiquum locis 241. Qua via ad hanc relationem inter textum antiquum, Pianum et nostrum pervenerimus, nobis enarrandum est.

Textus antiquus, idest textus e traditione fere integra saeculi decimi tertii per remotionem lectionum singularium elicitus, solidam recensioni basim praebuit. Et dico recensioni: nam ille textus, in erroribus legendis indifferens et unus, multis locis autographum non repraesentat, et tanquam textus S. Thomae acceptari non potuit. Sed tamen eius defectibus mederi maluimus quam extra primam classem fundamentum textus nostri petere. Inter alios enim nec ullus codex totus nec ulla codicum combinatio textum autographo propiorem suppeditat, quia in quovis codice et quavis codicum combinatione pro erroribus antiqui textus evitatis sexcentae lectiones correctorum, aeque aperte ac errores antiqui textus cis autographum ortae, subintrant. Ergo si textu antiquo propter primae transcriptionis errores neglecto, secundum alius classis codicem textum recensuissemus, pro parvo lucro faciendo multarum optimarum et antiquiorum lectionum iacturam passi essemus. Nec scio an contra antiquum ullus alius textus praeter textum Pianae consequenti ratione opponi possit. Hic enim, quantum ab antiquo differens, ex lectionibus melioribus, E, F, O, Q, R etc. signatis, consutus est, quae omnes eodem iure utuntur aut in eadem damnatione sunt: illarum nexus cum autographo in traditione non invenitur; in istis codicibus ne adsunt quidem nisi quia aut ab olim aut serius antiquae lectiones ex eorum exemplari eiectae sunt; omne ius suum ab antiqui textus defectibus et a correctorum acumine deducunt. Si ergo lectiones bonas E in textum antiquum importatas recipio, nescio qua rationalis methodi consequentia non reciperem lectiones F, O, etc., ideoque etiam quare non acquiescerem lectionibus PE, PF, PO, omnibus denique lectionibus P in se ipsis acceptabilibus, quin quaeram utrum in anteacta traditione maiori an minori frequentia legerentur. Equidem non video quis textus continuus inter extremos, antiquum et Pianum, medius recensioni subiici posset. Prae omnibus enim antiquus certissima vetustate eminet sed malis lectionibus defoedatur; prae omnibus Pianus bonitate lectionis eminet, sed traditionis testimonio non gaudet; omnes medii textus ab antiquo vetustate, a Piano bonitate prorsus deiiciuntur.

Inter utrumque cum seligendum esset, textui antiquo calculum dedimus. Ipse esset textus noster, quousque bonus et Thoma dignus mansisset. Sed etiam errores primae transcriptionis maximum influxum in considerationes criticas iure merito habuerunt. Quando scilicet sensus absentia aut lectionis incongruentia errorem transcriptionis nunciabant, erroris sedem et occasionem vestigavimus, et erroris loco talem lectionem acceptavimus ex qua, si in autographo adfuisse supponitur, falsitas transcriptionis explicari posset.

Ita factum est, ut textus antiquus semper et ubique, etiam ubi eum non damus, fundamentum sit nostrae recensionis.

36. Raro accidit ut autographi lectio, quae errori occasionem praebuisse videbatur, a tota traditione abesset: modo in pluribus codicibus modo in paucioribus vel in uno solo, modo denique in aliqua editione, alicubi tamen fere semper inveniebatur. Universitatem correctionum a nobis profectarum, cómputando loca ubi praeexistenti correctioni aliquale auxilium tulimus, hac serie ni fallor complectimur: II. 6. ζ bis, 7. ζ, 10. α; VI. 6. β; XVIII. 6. μ; XXI. 4. δ; XXIII. 2. β; XXIV. 1. η, 3. β; XXV. 1. γ; XXVI. 1. ι; XXVII. 1. ε; XXXIX. 2. β, 6. η, 8. ζ; XL. 2. ε; XLIV. 2. ρ; XLV. 3. δ; XLVI. 6. σ, 9. α; LII. 6. γ; LIII. 1. δ; LV. 6. ξ; LVI. 1. β. Praeterea aliqua pauca loca, ubi soli legimus, in Elencho errorum antiquorum tacite correctorum continentur.

Vix opus est ut dicamus correctiones quas aut ipsi invenimus aut aliunde assumpsimus, ab antiquo textu et arte critica regi debere. Reliqua traditio materiam quidem correctionum subministrare potest, sed fidum authenticitatis criterium non praebet. Cum enim textus plures ab origine per solum autographum se tangentes a traditione absint, antiquis erroribus non potest mederi ex sola traditione ad secundam vel tertiam classem pertinente. Si

codices tertiae, praesertim si codices secundae, haberent id quod profecto non habent, unum scilicet continuum textum, qui ad unum exemplar, totius secundae vel totius tertiae supremum caput, ipso facto pertingeret, bonae huius exemplaris lectiones locum errorum antiqui nostri textus illico occupare potuissent, quia, librariis vadibus et sponsoribus, legitime ex autographo propagatae essent. Sed frustra tres vel duos saltem textus quaesivimus: traditio unum textum et variantes plus vel minus diffusas praebuit. Ideo ut pro errore aliquo antiqui textus lectio EF signata accipiatur, non sufficit eam esse in EF, quia ab EF nihil authenticitatis recipit. Accedat oportet aliqua convenientia vel, si fas est dicere, aliqualis identitas lectionis EF cum errore antiquo, qui, cum error transcriptionis sit, aliquam cum authographi scriptura similitudinem conservavit, et propterea non omni authenticitate exutus est. Quae lectiones huic criterio non resistunt, illas non recepimus.

37. Loca erronea vulgo quidem a sensus imperfectione vel absoluto significationis defectu innotescebant, sed non raro difficile erat existentiam erroris certificare. Adsunt enim non pauca loca ubi lectio melior esse potuit quam in antiquo textu legitur, et tamen in se non potest dici mala. Exemplum pono ex principio operis.

II. 1. arg. 2 (ε).

Textus antiquus: Praeterea, Athanasius dicit: sicut anima rationalis et caro conveniunt in constitutione humanae naturae, sic Deus et homo conveniunt in constitutione alicuius unius naturae. Ergo facta est unio in natura.

Multi secundae et tertiae: Praeterea, Athanasius dicit: sicut anima rationalis et caro *unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus. Sed anima rationalis et caro* conveniunt in constitutione humanae naturae. Sic *ergo* Deus et homo conveniunt in constitutione alicuius unius naturae. Ergo facta est unio in natura.

Casum obiicientis plenius in altera quam in priori lectione exprimi nullus est credo qui neget. Potuit tamen obiiciens pro verbis S. Athanasii aliunde notissimis urgentiora et causae suae utiliora adhibere, ad quae etiam solutio S. Thomae respondet. Praeterea, lectio antiqua non potest explicari per solam omissionem homoteleuti *unus est... et caro,* nam etiam *ergo* a transcriptore omissum aut a correctore (cf. num. 10) deletum esse debet. Ego nihilominus affirmare non auderem alteram lectionem non fuisse in autographo. Et tamen ab antiquo textu stare maluimus, quia in dubiis cum antiquo textu facere decretum erat.

38. Homoteleutorum omissione graviter peccavit scriptor primi apographi, si quis testimonio codicum extra primam classem uti crediderit. Nos ei non credimus nec alia homoteleuta recepimus quam quae veram lectionis antiquae lacunam complerent. Traditio enim extra primam classem plena est additionibus singulorum vel plurium verborum; integra incisa interdum textui antiquo immissa sunt. Si omnia addita, ex hoc solo quod in contextu bene stant, autographi fuisse crederentur, primus transcriptor infinitis locis scripturam autographi oculis praeterivit. Sed quia maior pars additionum prorsus inutilis est, magna pars lectioni nocet, nulla insuper portio earum a fido et constanti testimonio suffragatur, apud correctores maneant. Homoteleuta quidem, praesertim ubi argumentationi pleniorem formam dare videntur, vel sensui non offendunt, speciem authenticitatis prae se ferunt. At eorum sors ab aliis additionibus non videtur separabilis, quin immo per istarum nimiam abundantiam crescit etiam homoteleutis illegitimae nativitatis opinio, quam ob suam positionem inconstantem et errabundam iam contraxerant. – Accedit quod si additiones sine delectu et criterio ulteriori admittuntur, aliqua homoteleuta nunquam in textum typis editum inserta admitti debuissent. Ex. gr.

VI. 6. β. Sed humana natura redditur congrua ad assumptionem per (animam, ut dictum est; ergo et anima redditur congrua ad assumptionem per *addit* E) gratiam;

VII. 8. γ. non potest dici aliquis propheta ex hoc quod cognoscit et annuntiat ea quae sunt aliis procul cum quibus ipse non est (sed solum quando cognoscit et annuntiat ea quae sunt aliis procul cum quibus ipse est *addunt* DF).

Quo iure his duabus additionibus textus noster privari potuisset, si eum ceteris auctum voluissemus?

Aliquot tamen loca homoteleutis insertis adiuvare necesse erat propter lacunae evidentiam, quae a pluribus partibus innotescere potest. Ex. gr. LXXXIII. 4. corp. a princ. (de ritu S. Missae) textus antiquus et fere tota traditio legunt:

Post quam lectionem (Apostoli vel Prophetae) cantatur a choro Graduale quod significat spiritualem exsultationem, vel Tractus in officiis luctuosis qui significat spiritualem gemitum. Haec enim consequi debent in populo ex praedicta doctrina (Prophetarum et Apostolorum).

Autographum si sic legit, auctor primo omisit explicationem *Alleluia*, secundo contra omnem mysticarum suarum explicationum legem *Graduali* subtrahit significationem *progressus* spiritualis, tertio deficit explicando ea quae consequi debent ex lectura doctrinae sacrae: progressum vitae, exsultationem et gemitum, cf. IV *Sent.*, dist. VIII, qu. II. *Expos. Textus.* Aperte ergo, post *significat* primo loco, inserendum est homoteleuton: *progressum vitae et Alleluia quod significat,* vel huic simile. Cf. etiam LV. 6. ξ, ubi, contra auctoritatem totius traditionis et Catenae Aureae (editae; an et manu scriptae?), ex S. Augustino citato et Pianae margine inseruimus quae ad substantiam rei postulari videntur.

39. Frequenter tamen ea quae in textu Tertiae Partis dubia videbantur, collatis aliis operibus S. Doctoris plenam solutionem inveniebant, eamque ut plurimum textui antiquo faventem. Nescio an non pluries quam ausi simus antiqui textus fidem nobis servandum fuisset, si cetera S. Thomae opera ad codicum lectionem reducta et a correctorum superstitione purgata prae manu fuissent. Non citius erroris existentiae credendum esse ex rei adiunctis interdum clarum fit. Ex. gr. quod VIII. 1. corp. (δ) locus S. Scripturae *Ad omne caput viae* etc. attribuatur *Ieremiae II,* mirum non videbitur quando illud Ieremiae capitulum comparatur cum Ezechielis capitulo XVI, ad quod pertinent citata verba: idem enim argumentum habent, malitiam Iudaeorum. Valde mirum potius esset quod scriptor ab autographo errans in illud nomen *Ieremiae* et in illum numerum *II* incidisset. Talia non raro contingunt; inter alia evenit ut post citationem *Luc.* tali capitulo sequatur textus parallelus Matthaei capitulo tali. Haec tangere noluimus, quia si casu et fortuna apud auctorem Summae reguntur, certo non apud librarium. Huc etiam pertinet XXVII. 4. ad 2 (θ) quem exscribo totum appertinentibus praemissis.

Hebr. IV, 12: Vivus enim est sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio *ancipiti.*

S. Ambr. Et ideo prudentiam Mariae haud ignaram mysterii caelestis ostendit. Vivum enim verbum Dei et validum et acutum (al. acutius) omni gladio *acutissimo.*

Textus antiquus l. c. Ambrosius autem per gladium (cf. Luc. II. 35) dicit significari prudentiam Mariae, non ignaram mysterii caelestis. Vivum enim est verbum Dei et validum et acutius omni gladio *ancipiti.*

Lectio antiqua modum S. Thomae redolet: citando Ambrosium ex Apostolo afferentem in verbum Apostoli reincidit. Nemo non videt Thomam, non librarium, pro *acutissimo* scripsisse *ancipiti,* ideoque *acutissimo* in O, GIQRW, P*bc,* correctoris commentum esse (H abest; *acutissimo et ancipiti* sO). Talia etiam serena conscientia abegimus.

40. Inter errores per nos castigatos aliqui iam in autographo adesse potuerunt, nostra saltem sententia et profecto praeter intentionem auctoris scribentis vel dictantis. Ex. gr. I. 6. θ « cum adhuc reverentia *senior* esset » (pro

quo *seniorum* valde antiqua correctio [1] est, et *segnior*, vera lectio, tarde et raro in traditione reapparuit) errorem auditus potius quam oculorum esse credimus. Item curiosa sed antiquitus valde diffusa lectio XXXI. 3. ad 3 ante fin. (χ) « *septies* enim septem sunt quadraginta duo » pro *sexies*, et VIII. 7. δ. *assequendum* pro *ad sequendum* Italo pronuntiante occasionem habere potuerunt. Alius generis est lectio XLIV. 2. ad 3 (ρ) quam nunc exscribo.

TEXTUS ANTIQUUS: tunc praecipue oportebat ut in Christo per miracula divinitatem Christi ostendere quando in eo maxime apparebat infirmitas secundum humanam naturam.

TERTIA praeter I: tunc praecipue oportebat in Christo divinitatem per miracula ostendere, quando etc.

LECTIO nostra: tunc praecipue oportebat per miracula divinitatem Christi ostendere quando etc.

Aliae correctiones sunt: *ut* om. DFI*a*; pro *ostendere, ostenderetur* E.

Nobis constructio propterea incongrua evasisse videbatur, quia auctor ipse inter scribendum vel dictandum sententiae redactionem inconscie mutaverit; idcirco alteram quasi redactionem assumentes verba *ut in Christo* amovimus. Librarius an forte culpandus sit nescio, sed haec et similia (cf. XXXI. 3. α, τ) non pertinent ad lectiones a transcriptione erroneas, quas in autographo non affuisse diximus.

Non omnes laxas constructiones correximus. Ex. gr.

VII. 9. ε. sicut *sol qui (sol* F, *si sol* GHI*bc)* est universalis causa generationis, ut dicit Dionysius IV cap. de Div. Nom., *eius* virtus se extendit ad omnia quae sub generatione cadunt.

LIII. 2. arg. 2. med. Ergo videtur quod *Christi resurrectio* non debuerit differri usque ad tertiam diem, sed statim eodem die *resurgere:* praecipue cum glossa (resurgere praecipue debuit, cum glossa *legit* F, *non intelligens correctionem exemplaris*) [2].

Non vexavimus etiam VI. 4. α *primo... quam,* nec XI. 1. ε *primum agens qui,* repetitiones particularum *quod, ideo.*

§ VIII. – DE CODICUM ET EDITIONUM VARIANTIBUS TACITIS

41. Cum in Tertia Parte multo magis quam in aliis operibus S. Thomae hucusque editis varietas lectionum ipsam textus redactionem tangat, ideo in notis nostris plures adhuc minutas variantes, quam quae in Praefatione Vol. X pag. VI. enumeratae sunt, in hoc et sequenti volumine silentio premimus. Ubicumque tamen notam fecimus, semper totam loci varietatem damus. Saepissime igitur occurrit ut, ubi nihil notamus, variantes in traditione adsint; ubi vero aliquam variantem notare volumus, ibi omnia sigla nostra: ABCDEFGHI *abc* P, aut ipsa adsunt, aut comprehenduntur sub « prima » « tertia » et « ceteri », aut ex ipso silentio nostro arguendum est, sigla tacita textum nostrum signare.

Cum vero variantes, praesertim quae redactionem respiciunt, nullis certis libris propriae sint, ideoque etiam lectiones per nos contra antiquum textum adoptatae non minus per traditionem oberrant, occasionem ex variantium notis sumpsimus inconstantiam testimonii pro lectionibus ab antiquo textu variis in omni fere nota expresse manifestandi. Hoc effecimus, notarum factura ordinaria tantisper mutata. Ad quas notas textus noster ab antiquo non differt, variantium conditionem ut ita dicam localem ex siglis directe patet. Sed ubi in textu nostro ab antiquo recedimus, in hoc et sequenti Volumine expresse notamus sigla textus nostri, quae in praecedentibus decem Voluminibus non expresse scribebantur, sed a signatura variantium quasi abstrahi debebant. E converso, ad lectiones binarias signaturam variantis suppressimus. Ex. gr:

I. 3. γ *Si.* – GHI*b*; *Sed si* prima et E, *Si ergo* F, *Ergo si* Pc.
δ *nobis.* – DF et tertia; *in nobis.*
ε *et iustitiae rectitudine.* – Tertia; *iustitiae et rectitudine* prima, *iustitia et rectitudine* F, *iustitiae et rectitudinis* E.

In his tribus notis post portiunculam textus nostri rescriptam sequitur signatura nostrae lectionis ab antiquo textu differentis: γ legimus cum GHI*b*, δ cum PDFGHI*bc*, ε cum PGHI*bc*. Ad δ varians *in nobis* sine siglis est, sed ex silentio notatur ABCE*a*. Novam methodum usum harum rerum habentibus non intricatam esse credimus; quando una nota plura loca varia attingit, aliqua utique sed non nimia attentione opus est [3].

42. Quod in notando et supprimendo consilium inierimus paucis explicemus oportet.

Notandi necessitatem et opportunitatem a duobus extremis, textu scilicet antiquo et Piano, omnem deduximus. Exiles variantulas antiqui textus: *proprium Christo-Christi, gentiles-gentes, sumere-assumere, per-propter, non solum sed-sed etiam, Mar.-Matth. (m*r*- m*t*)*, et similia praeterivimus. Qu. XXI. art. 2 inter *oratio* et *ratio*, Qu. XXV inter *honorare, venerare, adorare,* Qu. XXXI inter *(genealogiam) perducere-producere, Mathan-Nathan, quaterdenarius-quaternarius-quadragenarius-quadrenarius,* non levis confusio codices afficit, sed, ubique maiorem partem Vaticanorum aut rei evidentiam secuti, variationem non notavimus. – Ad omnia loca antiqui textus quae dubia quoad lectionem viderentur, omnem variationem, si qua erat, protulimus. Erroneae lectiones antiquae, *communes* tamen, non *singulares,* omnes annotationem requirere videbantur, ut non solum lectori de eis per se iudicandi ius salvum esset, sed etiam ut paternitatem earum apud librarium quaerendam esse apertius illucesceret. Minuta tamen transcriptionis menda non sub articulis, sed sub uno aspectu in fine huius Praefationis notantur.

Unam tantum lectionem singularem, eamque nec ad codices continuo adhibitos pertinentem, specialiter notavimus. Qu. XXVII art. 2 ad 3 in inciso « Unde talis celebritas (Conceptionis B. M. V.) non est *totaliter* reprobanda » codex S. Antonii Patavii (O) solus in universa traditione legit *rolr'* (cum linea undulata super *ro*), idest *rationabiliter.* Nobis iudicibus haec lectio non est lectio deliberate volita, sed purus putus error transcriptionis. Scriptor enim Patavini pluries in eundem errorem cadit. Legit qu. eadem art. 3, corp. a princ. « in ipsa autem conceptione Filii Dei (fomes) fuit *roabilt'* sublatus », quo loco *r* corrigitur in *t* et *b* expungitur. Ibidem corp. med. « Posset tamen intelligi quod *r̃oablit'* fuerit sublatus fomes ». Eadem rursus quaestione art. 5 ad 2 post med. « secundo, in conceptione Filii Dei fuit *robl'r* mundata a fomite » (*ro* cum signo ut primo loco). Adverte, quaestionem tractari utrum fomes fuerit ligatus tantum an *totaliter* sublatus. Ideo *rationabiliter* ut lectio falsum est, et ut scriptura error ceteroquin frequens *r* pro *t*. Quo non obstante, dum aliis locis neque Patavinum neque alios codices notamus (qu. eadem art. 3 corp. fin. pro « *totaliter* a fomite subtractio » B et Pal. habent *corpora-*

[1] Propterea signaturae huius lectionis AH*b* locum num. 32 non dedimus; H*b* ibi cum bona parte primae legunt.

[2] Cf. etiam XIV. 3. γ: « Sed *caro Christi* (*Christus* P) ex Virgine assumpsit naturam absque culpa ». Et XXI. 2. corp. princ. « quia *eius* sensualitas eiusdem naturae et speciei fuit in *Christo* et in nobis » quod nullus corrector tetigit, sicut nec LXII. 3. corp. princ. « *multipliciter* (multis modis)... *inter quos* », nec LXVII. 6. arg. 2. « *unum agens* agat... *plures agentes* agant ».

[3] Signatura « secunda » a notis abest. Consilium nempe nobis a principio erat codicum Patavini et antiquioris Lipsiensis usum faciendi qualem de E et F fecimus, eosque quatuor, ubi concinissent, per « secunda » designandi. Sed quum compositione iam incoepta itinerare vix congruum erat, praesertim tamen ne nimia materialium rerum acervatione res suprema, textus antiqui curam dico, detrimentum pateretur, consilium mutavimus. Ideo signatura compendiosa « secunda » essendi rationem non habet. – Post viginti circiter Quaestiones signatura « prima » etiam a notis disparet, quia per signaturam « ceteri » apprehenditur. Nota I. 3. γ potuisset sic scribi:

γ *Si.* – GHI*b*; *Si ergo* F, *Ergo si* P*c*, *Sed si* ceteri.

Hic « ceteri » idem est quod ibi « prima et E, » idest « ABCDE*a*, » quae ex signatura PABCDEFGHI*abc* deductis GHI*b*, F, P*c* remanent.

liter), illi tamen particulari loco lectionem Patavinam studenti notam fecimus, propter rationem per se evidentem.

43. Quoties textus Piani ab antiquo differentiae sensum vel leviter attingebant, a Piana notandi necessitatem proficisci putavimus. Sunt autem mille differentiae prorsus nihil valentes. Pro exemplo sit Quaestionis primae articulus quintus, ad cuius calcem quinque loca varia notata sunt, dum Pianae vicies quinquies contradictum est. Praeter verborum positionem, *ad Cor.*, et alia ne hic quidem memorabilia, habemus:

arg. 1. med. *cum* essemus – *et cum* P.
S. C. factum ex muliere – *factum sub lege* addunt Pc.
corp. princ. *medicus* – *medico* P.
Sed *non* etiam – *nec* sGH et editiones.
Magno *consilio* – *consilio Dei* GI, *Dei consilio* editiones.
corp. post med. dignitatem *ipsius* Verbi – om. Pc.
Gal. IV: *Ubi* venit – *At ubi* editiones.
corp. fin. *Et* Luc. XVIII – *Unde* H et editiones.
putasne – *putas* PH.
super terram – *in terra* tertia.
ad 2. a princ. *suscitatis* mortuis – *suscitatis ab eo* tertia praeter H.
med. *Dominus eis attestetur* – *eis Dominus atttestetur* G, *Dominus attestetur* I, *Deus attestetur* Hbc, *Deus attestetur eis* P.
ad 3. init. perfectum *est* – *quod est* pH, *quidem est* sH et editiones.
ult. consummata perfectio – *eius* addunt PGIc.

His similes sunt quaecumque variantes P locum in notis non obtinuerunt.

Variantes codicum et editionum, P cum antiquo textu sonante, parce notavimus (cf. II. 8. γ, 11. ε). Quo factum est primo ut editorum recursus ad antiquum textum multo infrequentius visibiles sint, quam reapse acciderint. Secundo, ut variantes E, F, G, H, I, a concordia P et antiqui textus discordes, a notis absint (art. cit. arg. 1. *Vade et revertere, cras dabo tibi* – *Vade, revertere cras et cras dabo tibi* F; ad 1. med. *magis* – *potius* GI et Q). Non alia enim de causa adhibebantur quam ut textus antiqui restaurandi adminicula essent et textus typis editi habitudinem, fontes et quamcumque antiquitatem et auctoritatem aperirent.

Editionis Pianae margines multas habent lectiones variantes, propagatas ut videtur ex illa critica saeculi decimi sexti incipientis editione, in qua textus Pianae ultimam suam formam accepit (cf. n. 30). Has omnes in notis respeximus, et nostrorum codicum siglis quantum licuit munivimus. Qua ergo mensura auctoritas harum marginalium lectionum aestimanda sit, a signatura apparet.

Maximam auctoritatem lectiones marginales Pianae, et omnis et totus textus Tertiae Partis, ab expressa vel tacita signatura ABC mutuantur. Textus ita signatus omnium fere codicum antiquorum est, et totius variationis in traditione repertae causa et occasio, ideoque et criterium est.

ELENCHUS ERRORUM ANTIQUI TEXTUS TACITE CORRECTORUM

Quaestio I.

art. 2. corp. ante med. quam ut *demonstraretur* nobis – *demonstretur* ABCDFHpG et *bc*.
art. 3. arg. 1. Manente *enim* causa – om. ABCDpH et *bc*, *autem* G.
arg. 3. fin. Ergo si homo non peccasset – addunt *etc.* ABCD, *etiam* E, *adhuc* ed. *a*.
arg. 5. ut patet *Ephes. V* – *II Ephes.* BCDE*a*; A om. *et ecclesia... sed homo.*
ad 3. Nihil *autem* prohibet – om. ABDpC, *ergo* sC, *enim* E*a*.
art. 4. ad 3. princ. sed ut *pro* omnibus – *prae* BCDEF*a*, *qui prae* G, *qui pro* I*b*.
med. *quasi* nulli alii – *quod* ABDEFpCH et *b*.
fin. *curatum* (utroque loco) – *purgatum* EsF, *creatum* ceteri praeter P*c*.
art. 5. S. C. *ubi* dicit Glossa – om. ABCDHI, *et* FG.
ad 2. med. *Tyrios* – *Tyros* codices et *a*.
credituros non fuisse – *creditores* ABCEFpDG et *c*, *creditos* pI et *b*.
si *fierent* – *fieret* ABC*a*, *ferent* F.
Non *est* volentis – om. ABC*a*.
quos *praevidit* si – *providit* E, *providet b*, *praevidet* ceteri praeter PA.
art. 6. arg. 3. qui erit in *fine* mundi – *finem* ACD.
corp. med. in *fine* mundi. Secundo – *finem* ABCDH.

Quaestio II.

Introd. Undecimo... *praecesserint* – *praecesserunt* omnes praeter PIsF.
art. 1. ad 1. med. *sed* ex talibus – *si* BCDEFHI*a*; A om. *facta... substantiam.*
ad 2. princ. Naturae quidem *secundum quod* – *sicut quod* ABCD FH*a*, *inquantum* E.
art. 2. corp. post med. est *essentia quaedam* eadem vero – *esse quaedam* BCD, *quaedam esse* E, *quoddam esse* A, *quaedam essentia* ed. *a*.
ad 3. med. manus *Socratis* quamvis – *fortis* (pro *sortis*) codices praeter F.
Et hoc etiam potest – *Ex* ABCDEF*a*.
Licet *igitur* humana natura – *enim igitur* ABCEpD.
art. 3. arg. 1. med. *Leo papa etiam* dicit – *Leo papa* ABCDI, *Leo etiam papa* E*a*, *Et ideo Leo papa* F, *Et Leo papa* G.
corp. init. habitudinem *hypostasis* ad naturam – *apostasim* A, *hypostasim* CpB, *hypostasis* E.
corp. a princ. Non enim *adiectionem* personae – *abiectionem* omnes.
corp. versus fin. Ephesino *sub* his verbis – *super* BCDE*a*, *super* (his *versibus*) A.
Evangelicis – *angelicis* ABCD*a*.
impartitur – *impartit* (vel *impertit*) BCDEI*b*; pro *impartitur voces aut* A legit *impertinentes sicut.*
decibiles – *docibiles* ABCD*a*.
ad 1. fin. in epistola ad *Chelidonium* – *Didymum* scribunt vel insinuant omnes; (XVI. 7. 3. arg., XVII. 1. ad 1. *didimum* I, *clidonium* ceteri).

art. 4. ad 2. ratione *numeri* sicut – *nostra* C, *unius* B*a*, *uni* D, *modi* HsG et *b*.
art. 5. S. C. princ. *nisi* ex unione – *et* A, om. CDpB.
art. 6. corp. post med. qui dicit unam *personam* secundum dignitatem – *personarum* ABCDF.
corp. ante fin. et Eutychetis *sequuntur* – *sequitur* codices et *a*.
quae convenerunt colentes – *qui contravenerunt tollentes* antiqua lectio est; *quae* solus Patavinus, a correctore, habet; *convenerunt* A et tertia, sed A post expunctum *qv'te*; tandem *colentes* pHI et editiones.
Theodori autem – *Theodorii* ABCDF, *Theodoriani* I.
ad 1. med. quantum ad *accidentalem* unionem – *actualem* ABCD*a*.
art. 8. arg. 3. ad *quid* autem – *quem* PGH*a*, *quam* ceteri.
ad *quem* – primo loco *quam* ABpH; altero *quam* ACI*b*, *quid* F.
art. 11. arg. 2. post med. ex corporalibus *educti* in sinum – *eductum* ABCD, *editum* F.

Quaestio III.

art. 4. arg. 2. in una suarum *hypostasum* – *hypostasim* ABCDEF HIpG et *bc*, *hypostasi* ed. *a*.
art. 6. arg. 1. ult. *duae* vel tres personae – *duo* BCDE.
art. 7. arg. 1. princ. assumpta in *mysterio* – *mysterium* ABCDEF*a*.
art. 8. arg. 1. ult. persona Patris *incarnaretur* – *incarnetur* ABCDF*a*.
arg. 3. ipse *enim salvum* faciet – *est salva.* A, *est salvator* B, *est sal.* CD, *autem sal.* E; *est salvum* B se corrigens, quo facto *fa.* ut *faciens* legendum est.
remittentur *eis* – *ei* ABCD*a*.

Quaestio IV.

art. 1. ad 2. ante med. creatura *irrationalis* in qua – *rationalis* ABCDFIpE.
art. 2. ad 2. init. assumptae *non deest* – *nondum est* ABC.
art. 6. arg. 3. Nos *natura* Iudaei – *ut* ABC, *vero* D. (Pro *non*, *non ut* A).

Quaestio V.

art. 2. S. C. init. *Dominus* dicit – *Dionysius* ABCD.
art. 3. corp. versus fin. vitio dicit *despectam* – om. A, *desperatam* CGH*b*, *esse despectam* P.
ad 1. princ. caro factum est *caro* ponitur – *verbum* ACDpBE. (Mox pro *inducta* A scribit *moneta*).
art. 4. corp. princ. testimoniis evangelicis *victi* – *dicti* BCD*a*, *dictis* A, *dicti victi* D, *d victi* H; abrasa pG.
post med. intellectualem *et* rationalem – om. ACDEpG et *a*; F om. *et rationalem.*

Quaestio VI.

art. 1. corp. med. de *Cael. Hier.* – *Div. Nom.* omnes.
ad 1. princ. secundum *quod* creaturae – *quam* A, *quem* BCDEsF, *quid* pF.
dependent – *dependet* ABCDE.

art. 2. arg. 2. princ. Sed *spiritus* sive mens – *spiritus sanctus* ABCEF.
arg. 3. princ. Sed *anima* nominat – *animam* ABCpD.
art. 3. ad 2. med. gratiae et *veritatis* – *virtutis* ABCEFGIa.
ad 3. med. *virtutem* iustificandi – *veritatem* ABCDEIa.
art. 4. ad 1. ult. et *materiam* disposuit – *naturam* ABCEa.
art. 5. arg. 1. invisibilis et *incommutabilis* – *incommunicabilis* BCD EFa, *incommulis* AI.
totius *hominis* – *corporis* ABCDa.
S. C. *componuntur* – *opponuntur* ABCDEFa.
idest deitatem et humanitatem – *scilicet humanitate et deitate* vel *divinitate* ABCDEa.
corp. princ. *in Verbo. Designatur autem* ibi ordo – *et Verbo designatur quod* (pro *quod, autem* E, *ante* F) ABCDEF, *et ideo designatur quod* (ibi *sit* ordo) ed. *a*.
ad 3. ult. *partium* – *pertinet* ACpDE, *personae* B.

Quaestio vii.

Introd. Duodecimo, utrum *potuerit* – *poterat* ABCDEFa, *possit* H, *poterit bc*.
art. 1. corp. fin. inquantum homo *est* mediator – om. ABDEpC, post *hominum* ponit *a*.
ad 1. ult. *Unde* oportet – *Unde non* ABEFpCD.
art. 2. Sed contra est quod *super* – *dicitur super* ABCDEF.
corp. init. *in Secunda Parte* – *in Parte Secunda* ABC.
ad 3. med. Unde *cum* Dominus dixit – om. ABCDFa.
art. 4. Praeterea, unusquisque potest *sperare* – *separare* ABCDI.
art. 5. ad 1. med. homo quantumcumque *perfectus* – *perfectius* AC DEpF.
art. 6. Praeterea, dono timoris *timet* aliquis – *timet ei* A, *timet enim* BCD.
S. C. *Replebit* – *Replevit* omnes praeter PE.
ad 1. fin. habebat *perfectum* beatitudinis – *perfectionem* ABCD.
art. 7. arg. 2. princ. Sed *debitum* erat – *datum* ABCDFa.
sermone sapientiae – *sermonem* ABDEIpCG.
art. 8. Praeterea, *propheta* – *prophetia* ABCDEpGH et *bc*.
ad 1. med. Potest tamen dici *quod etsi* – *quod si* A, *et quod si* BC, *et si* D.
art. 9. corp. princ. Alio modo secundum *virtutem* – *veritatem* AB DpC.
ad 2. med. Anima *Christi* igitur – om. BCDpE.
art. 12. Praeterea, augmentum gratiae *fit* – *fuit* ABCDa.
art. 13. arg. 1. Quorum *duorum* primum – *duo* ACD, *duo.* BE.

Quaestio viii.

art. 1. init. secundum quod est *homo* non – om. ApBCD.
sensus autem *et* motus – om. ABCDa.
ad 1. post med. negat Christum *secundum* quod homo – *scilicet* ABpCD.
ad 3. ult. *visibilem* naturam – *visibilium* BEpD, *invisibilem* A.
art. 2. corp. ult. vivificabit *et* mortalia – *ad* ABCDE, om. ed. *a*.
art. 3. arg. 2. multi sunt *etiam fideles* – *infideles* ABCD, *fideles* FpH et *a*.
ad 3. motus in *imaginem* – *imagine* BCDa, *imaginibus* A.
et in *rem* – *re* ABCDa.
art. 6. arg. 2. ab ore vestro non *procedat* – *procedit* ABCD.
arg. 3. secundum illud *I* Pet. v. – om. ABCDEa, *I. II* F.
ad 3. post med. ostium *est* per quod – om. ABDpC et *a*.
art. 8. Sed contra est *quod* – *quod dicitur* ABCDEFa.
Dum de – *de* BBCFa.
corp. ult. *iniquitatis* – *iniquitas* ABCEa.
ad 1. fin. *menti* illabitur – *mente* ABC, *mentem* D.

Quaestio ix.

art. 4. arg. 1. Quidquid enim *Christo* conveniens – *de Christo* AB CDa.

Quaestio x.

art. 1. S. C. in infinitum *eam* excedat – *eum* ABCD.
art. 2. ad 3. ante med. *parificetur* scientiae visionis – *perficietur* AC, *proficientur* B.

Quaestio xi.

art. 1. arg. 1. fin. non cognovit *ea* – *eam* ACpBDE.
art. 2. arg. 1. fin. anima eius intellectiva *potuit* – *potuerit* ABCD, *(Ergo etiam videtur quod...) non potuerit* ed. *a*.
corp. med. sed *totaliter* ei dominetur – *corporaliter* ACpBE.
art. 5. arg. 3. *Si* igitur in anima – *Sic* ABCpD.
S. C. *univoca* fuit – *unita* ABCa.
ad 3. med. non quia *ipsum* habeat – *ipsam* ABC, *ipsa* ed. *a*.
art. 6. ad 2. Et ideo Christus *est* – om. ABCpD.

Quaestio xii.

art. 3. ad 3. post med. scientiae gradum *attigisse* – *attingisse* ACD HI, *attingere* B.
art. 4. arg. 2. *supersubstantialis* substantia – *supersubstantiali* AB, *super substantiali* CDEFa.

Quaestio xiii.

art. 1. arg. 1. *Potentiam* quam – *Potentia* ABCDEHab.
S. C. et glorificabo *eum* – om. ABCDEa.
art. 2. ad 3. med. miracula *fiant* – *fiunt* ABCD.

Quaestio xiv.

art. 1. S. C. princ. potens *est et* eis – *et* ABDpC.
corp. fin. hominum factus *et* habitu – *est et* ABCDEa.
art. 2. ad 3. sicut *clavus* – *clarius* ABpC, *clavis* F.
art. 4. corp. a princ. nec tamen *repugnant* – *repugnat* ABDEpC.
post med. quia caro eius de *Spiritu Sancto* – *Sancto Spiritu* A BCDE.

Quaestio xv.

art. 1. ad 1. princ. pro nobis passus *est* – om. ABCDE.
art. 2. arg. 1. princ. Ab eodem *enim* – om. BCDEa; A om. *Ab... peccati.*
corp. post med. patet quod *quanto* – *quando* ABC.
art. 3. ad 3. fin. *iidem* ipsi erant – *idem* omnes.
art. 5. arg. 3. fin. contemplatione Dei *quem* – *quae* ABCD, *quam* FH.
art. 6. arg. 2. init. Proverb. xii *dicitur* – om. ABCDEFGHb.
ad 3. ult. morbidas aut *vitiosas* – *vinosas* A, *umosas* BC, *umosa* D, *itēcōsas (intentiosas)* I.
ad 4. princ. ratione finis ad *quem* – *quam* ABCDEG.
art. 9. Praeterea *Gregorius* – *sicut Gregorius* ABCDEFa (*quod* om. *a*).
art. 10. corp. princ. iam *beatitudinem* obtinet – *ad beatitudinem* ABCE. *et Philip.* III – *II Thi.* ABCDF, *et II Thi.* Ea.

Quaestio xvi.

art. 2. corp. init. *supposita* veritate – *superposita* ABpCD.
ad 3. ult. oportet dicere *eos* qui – *eo* ABCEpD.
art. 3. arg. 3. init. dominicus *denominative* – *demonstrative* ABCpE.
ad 1. med. dixisse me *nollem* – *nolle* ABCDE.
art. 4. arg. 2. princ. videtur *derogare* – *derogari* ABCDEa.
art. 6. arg. 1. Cum enim homo *significet* – *significat* ABCDEa.
S. C. *Epictetum* – *Epitectum* omnes; qu. lii. art. 2. arg. 3. *Epictetum* solus P.
quod *dixit* – *dicere* ABCDEa.
ad 2. med. oportet *omne* quod dicitur – *esse* ABCDFHpE et *b*.

Quaestio xvii.

art. 1. ad 3. post med. quia *ly* aliud cum sit – *si* ABCDE.
art. 2. ad 4. princ. ipsum *actu* animatum – *actum* ABCDpEG.

Quaestio xviii.

art. 1. corp. a princ. voluntatem *posuit* unam voluntatem – om. BCD.
art. 5. corp. ante med. Manifestum est *autem* quod voluntas – om. ABCDpG et *bc*.
art. 6. ult. Damascenus in *tertio* libro – *secundo* ABCDEGIa.

Quaestio xix.

art. 2. corp. ante med. agens inferius agit *per propriam formam* – *pro* (*per* BC) *propria forma* ABCD.
ante fin. – *Sic* igitur in quolibet – *Sicut* ABCDEFI.
art. 4. arg. 2. med. si *fuerint* in civitate – *fuerit* ABCDEFa.

Quaestio xx.

art. 1. arg. 3. Filius subiectus *erit* – *esset* ABCD; *tunc... omnia* om. I.
art. 2. primum arg. S. C. *etiam* se ipso minorem – *et etiam* ABCDEa, *et in* F, *in* I, *et* P.
corp. med. dicere possumus secundum unam *earum* – *eorum* ABCD.

Quaestio xxi.

art. 1. corp. fin. inde est quod *Christo* – *Christus* ABCDEFpG.
art. 2. S. C. alii homines non *orant* – *erant* ABCpDFG.
art. 3. ad 3. Resurrexit *propter* – *post* ABCD.
art. 4. arg. 3. credituri... *in ipsum* – *ipsum* ABCD, *in ipso* ed. *a*.

Quaestio xxii.

art. 2. arg. 2. princ. quam *sacerdotio* gentilium – *sacerdotium* ABD EpC et *a*.
arg. 3. princ. Deo *sanctificatur* – *sacrificatur* ABFpC et *a* (*sacrificata* mox *a*).
corp. med. Levit. *III. Tertio* ad hoc – *III* aut *Tertio* om. ABCDF; corrector C *III* a *Levit.* separat.
art. 4. arg. 1. ante med. dum *consummaretur* sacrificium – *confirmaretur* ABDpC.
fin. Ergo *sacerdotium* Christi – *sacrificium* ABCDEFa.
S. C. nec enim indiguit *sacrificio* – *sacrificium* ABCDa.
ad 1 ante med. per hoc *quod* Apostolus – *quod dicit* ABCDEFa.
med. *qui* in diebus – *quod* ABCDEFa.
ult. *qui* possit – *quod* ABCDEF.
ad 3. princ. Unde sacerdos *figuralis* – *figuras* ABCEF.
art. 5. ad 1. Sed *expiati* iam – *expiari* ABDEpC et *bc*. (*consummari* om. *c*).
a quo gloria *eorum* – *eius* ABCDpG et *a*.
fin. articuli sempiternam *virtutem* – *veritatem* ABCDEFa.
art. 6. arg. 3. princ. *initium* dierum – *numerum* omnes, ut videretur, praeter EFsG et *a*.
ad 2. princ. scilicet ipsa *oblatio* Christi – *oratio* ADpBC.

Quaestio xxiii.

art. 3. corp. princ. Filius *autem* Dei naturaliter – om. ABCDGbc; totum om. I.
potest *aliquid assimilari* – *assimilari aliquis* ABCDEa.
art. 4. ad 2. ante med. ut sit *Christianus* – *sanus* ACpB et *a*; D om. *ut sit... homo*.

QUAESTIO XXIV.

art. 1. arg. 1. in *adoptionem* filiorum – *adoptione* ABCDEFI. Sed Christo non *convenit* – *conveniat* ABCDE.
2. arg. post med. Filius Dei sed *ex natura* – *est natura* BD, *est naturae* AC.
art. 2. corp. med. est collatum ut *Filio* Dei – *Filius* ABCDE.
art. 4. arg. 2. med. *Praedestinati* secundum – *Praedestinari* ABCDEFpG.

QUAESTIO XXV.

art. 1. arg. 2. ult. et *alio* eius divinitas – *alia* ABCDEIpG et *abc*.
corp. a princ. hoc non dicitur *ea* ratione quod – *esse* BD*a*.
art. 2. ad 1. fin. quae *communiter* exhibetur – *convenienter* ABCDEGI*bc*.
fin. articuli exhibetur *humanitati* Christi – *humanitatis* ACpBD.
art. 4. corp. ante med. eadem *veneratione* qua – *ratione veneratione* ABCpD.
ad 3. princ. *contactu* sancti corporis – *contactum* ABCE, *contactus* D, *tactu* GI et editiones.
clavos, indumenta, *lanceam* – *lancea* ABC*a*.
art. 6. corp. princ. est maior *affectus* – *effectus* ACEFpBD.
ad 1. princ. *Prope* ritum – *Proprie* ABCD*a*.
introducunt – *introductum* ABCE*a*.

QUAESTIO XXVI.

art. 1. arg. 2. angelis *bonis* (secundo loco) – *bonis et malis non potest dici esse* BD et scriptor C margine; homoteleuton repeti coeptum erat.

QUAESTIO XXVII.

art. 1. corp. princ. Sed sicut *Augustinus* – *autem Augustinus* ABC, *dicit Augustinus* ed. *a*.
art. 6. Respondeo dicendum *quod* Augustinus – *quod dicit* ABCDpE et *a*.
corp. princ. *videmus* autem exsultationem – *vidimus* ABCDE.
inusitata *exstitit* – *existit* ABCDEpF et *a*.
Quamquam etiam *si* – om. ABCDEF*a*.
expectari ut *possint* et hoc – *possit* ABCDEF, *posset* ed. *a*.

QUAESTIO XXVIII.

art. 1. ad 1. post med. Neque enim propterea *non* – om. ABDpC et *a*.
ad 2. fin. virili *sexui* utique – *sexu* ABCDEG*a*.
ad 5. fin. *transmutare* potuit materiam – *transmutari* ABCE*a*.
art. 3. S. C. med. Et quid est *homo* – *quod homo* ABCDEF*a*.
cognoscet – *cognosceret* ABCEF*a*.
Et quid est *Dominus* – *quod Dominus* ABCDEF*ab*.
impraegnabit – *impraegnaverit* ADEFGHI*abc*, *impraegnavit* BC.
nascetur – *nasceretur* ABCDFpI et *a*, *nascitur* E.
ad 3. post med. donec *veniret* semen – *venit* ACDpB et *a*, *veniat* E.
fin. de quibus *posset* dubitari – *possit* ACE.
derelinquuntur – *derelinquentur* ABCGHpD et *c*, *delinquentur* E*b*, *derelinquantur* FIsD.
art. 4. corp. fin. secundum *quod* mores – om. ABpC.

QUAESTIO XXIX.

art. 1 corp. ante med. Secundo ut per hoc ab *infamia* – *infantia* ABpCD.
ad 3. post med. impotentem et *in nullo... generalitate* – *nullam... generalitatem* ABpC, *nulla... generalitate* D, *nullam... generalitate* EsC et *a*. Cf. qu. XXXIII art. 2. arg. 2.

QUAESTIO XXX.

art. 1. arg. 3. princ. *ita quaelibet* sancta – in *qualibet* ABpC; *ita... concepit* om. D.
corp. ante med. *percipiendo* fidem Christi – *concipiendo* ABCEG, *considerando percipiendo* D.
art. 2. ad 3. med. utrum angeli *cognoverint* – *cognoverunt* ABCDEF*a*, *noverant* GH*bc*, *noverunt* I, *noverit* P. (*utrum* om. PGI).
art. 4. arg. 2. princ. aut *praemitti* in his – *praetermitti* PABDpC.
corp. ante med. talis salutatio *terruisset* – *corruisset* ABEpCI et *a*.
ad 2. fin. magis est *admirationis* – *administrationis* AFpBCE; abrasa pG.

QUAESTIO XXXI.

art. 1. ad 3. non est concepta ex *virili* semine – *materiali* ABCD*a*, et I?
art. 2. ad 2. ante med. Sic *ergo* potuit fieri – *primo* ABCD*a*.
art. 3. arg. 4. Ergo *videtur* inconvenienter... describere – *videtur quod* ABCE*a*. (*describit* ed. *a*).
art. 4. corp. ult. quasi Christo *proprium* – *populum* ABC.
ad 1. ult. *vos ipsas* contemnere feminae – *vos ipsos* ABCDEFpI.

QUAESTIO XXXII.

art. 1. corp. post med. homo ille qui *concipiebatur* – *excipiebatur* ABCD*a*.

QUAESTIO XXXVI.

art. 1. corp. ante med. meritum fidei per *quam* – *quem* BCEpDG, om. A.
fin. *ullo* modo – *nullo* omnes praeter sD et *bc*.
art. 2. ad 2. princ. quia ad eos *pertinebat* – *pertinebant* ABC.
art. 3. init. quod non sunt *convenienter* – *inconvenienter* ABGpCDH et *bc*.
art. 5. corp. princ. Manifestum est *autem* – om. ABCDE.
ad 4. princ. apocryphis legitur *quod* – om. ABDEGIpC et *a*.
art. 6. ad 3. ult. ne puer *cui* sidera – om. ApBCD.
art. 7. arg. 1. *Dum pendet* – *Dependet* ABDpC et *a*.
corp. post princ. iacet Iudaea ad *Persidem* – *per sidū* A, *persidam* BCpD, *per fidem* pE.
med. usque *dum veniens* staret – *deveniens* ABCD*a*.
art. 8. ad 3. post med. similes *facti* sunt fabris. – *facte* BCpD (et pG ut videtur).
a fin. sensu *irent* in Ierusalem – *iverunt* ABCEFGH*ab*, *venerunt* D*c*, *inierunt* I.
ad 4. ult. offerimus *si* carnis vitia – *sed* ABDpC.

QUAESTIO XXXVII.

art. 1. init. veniente *enim* veritate – om. ABCDGH*abc*, *quia* ante *veniente* I.
ad 3. *absque* hoc quod haberet – *ad* ADpBC, *ad (hoc quod aboleret)* ed. *a*.
ult. ut scilicet *suscipiendo* figuram – *suscitando* ABpC, *susci*do DE.
art. 2. arg. 1. princ. *praenuntiationi* – *pronuntiationi* ABCDEI*a*.
praenuntiaverunt – *pronuntiaverunt* ABCDE*a*.
art. 3. ad 4. ante fin. sanctorum *luctus* designat – *victus* ABpCD.

QUAESTIO XXXVIII.

art. 4. arg. 2. conferre poterat *nisi* Christus – *nec* ABCpD, *ut* I*a*.
3. arg. med. baptismus Ioannis *conferretur* – *confertur* ABCD.
ad 1. *sed* etiam propter alias – *sicut* ABC.
art. 6. arg. 2. quod *Iesus* non baptizabat – *Ioannes* ABCDHI*b*.

QUAESTIO XXXIX.

art. 5. corp. ante med. Per fidem autem *inspicimus* – *inspicimur* ABCDEF, *inspiciuntur* ed. *a*.
post med. iugis oratio *ad* hoc – *et ad* ABCD.
art. 6. ad 4. med. Tertio... peccatorum *et* reconciliatio – om. ABCD*a*.
post med. amicabile *et gregale* – *et gregabile* ABCD, om. E.
art. 7. corp. ante med. formavit in qua *appareret* – *apparet* BCEHIpG et *bc*.
med. Sic *etiam* non oportebat ut – post *ut* ponunt ACDEF, om. *a*; GH om. *homines... ut*.
art. 8. corp. ult. *declararetur* in voce – *declaretur* ABCDEF.
ad 2. med. Neque vocem eius *idest* Patris – om. ABCD*a*, *scilicet* E.

QUAESTIO XL.

art. 1. corp. ult. *non desperant* salutem – *nondum sperant* ABCpD.
art. 2. ad 3. princ. non *lasciviae* sed ieiunio – *lascivio* ABCEpD, *lasciviis* F, *lascive* G.
fin. praeceptum *declinares* – *declinaret* omnes.
art. 3. corp. princ. Oportet *autem* praedicatores – om. ABCpD, *sed* ante *oportet* ed. *a*.
art. 4. ad 1. post med. *sabbatis* sacerdotes – *sabbati* ABCDEFG, om. I.

QUAESTIO XLI.

art. 1. arg. 2. secundum illud *I* Ioan. – om. omnes praeter sH et *a*.
art. 2. arg. 2. ult. tentationum *occasiones* – *occasione* ABCD, *occasionem* ed. *a*.
art. 4. Ad tertium dicendum quod *divitias* – *divitiae* ABCE.

QUAESTIO XLII.

art. 1. corp. ante med. scilicet ex Iudaeis *ad* gentes – *scilicet ad* ABCDpG et *a*.
art. 3. arg. 3. non *loquebatur* eis – *loquebar* ABCE.
ad 3. princ. quam discipulis *exponebat* – *exponebant* BC.
art. 4. arg. 3. med. non audent *eique* tribuunt – *ei cui* ABCDF, *ei qui* ed. *a*.
corp. med. sed capacitate *legentium* – *legem tantum* ABCpD.
fin. si *a pingentibus* fingentes – *a pungentibus* ABC, om. D.

QUAESTIO XLIII.

art. 2. ad 3. fin. quia nulla *convenientia* – *inconvenientia* ABC.
art. 4. ad 1. princ. *Nulla* inquiunt – *Nullam* ABCF.
post med. *quod* scimus etiam – *quos* ABCEFHIpG et *bc*, *quorum* ed. *a*.
fecisse (primo loco) – *fuisse* ABCpE.
vexationesque – *versationesque* ABCDIpG et *bc*, *conversationesque* sG et *a*, *conversationes quoque* F.
iubendo – *in bibendo* AC (et Pal.).
Sic enim intelligendum – *Sicut* ABCDEpH, *Si* G.

QUAESTIO XLIV.

art. 1. arg. 1. fin. *aliqua* miracula fecisse – *alia* ABCE, om. *a*.
art. 2. arg. 2. med. *perceptum* ab astrologis – *praeceptum* ABCFGpEH et *bc*.
art. 3. arg. 3. post med. paralyticum *Matth.* IX – *et Matth.* CD, *et Matth. (IX legitur praesertim)* B, *(palaricum) idest Matth.* A.
art. 4. ad 1. princ. brutorum animalium *aliqua* miracula – *alia* ABCDE*a*.

QUAESTIO XLV.

art. 1. ad 1. init. quod *sicut* Hieronymus – om. ABCDEFGH*ab*.
art. 2. corp. princ. *Dioscorum* – *Diascorum* ABCDE hoc solo loco.

ante med. *adempta* est potestas – *adepta* ABCEpG et *c*, *accepta* D.
post med. ad Gaium: super *hominem* – *Ioannem* ABCIa.
sustinens – *sustinet* ABCFI; I se correxit.
ad 1. init. ex illo verbo *non* ostenditur – om. ABC.
art. 3. ad 3. med. Lucas dicit: *Loquebantur* – *Loquebatur* ABCEHI.
ult. *esse praedicatum* – *esse praedicatur* ABC, om. D.
art. 4. ad 2. princ. per hoc quod fuit *ibi Filius* incarnatus – *Filius ibi* ABC.

QUAESTIO XLVI.

art. 1. ad 3. princ. *Misericordiae* vero quia – *Misericordia* ABCDE H; *humani... peccato* om. I.
art. 4. arg. 3. Maledictus *a* Deo est – *autem a* ABC.
corp. post med. *Nam* latitudo est in eo ligno – *Non* ABCEpD.
art. 5. corp. med. in fama *per* blasphemias – om. ABCE, *a* D. (Pro *in fama, infamia* CpEFHI, *per infamiam* sF).
per hoc *quod* etiam vestibus – *quidem* ABCDF, *quia* E.
art. 6. ad 2. post med. satisfaceret *pro peccatis* omnium – *proprietatis* ABpC, *proprietates* D.
ad 4. med. praecipue propter *divinitatem* unitam – *dignitatem* A BpC et *a*.
art. 7. corp. a fin. quod *erat* causa doloris – *erant* ABCD.
art. 9. ad 2. ult. satis sunt *propinquae* – *propinqui* ABCE, *propinqua* GHI*bc* (hi nempe legunt *figura*, sed nihilominus *quibus* et *sunt*).
art. 10. ad 1. princ. *secundum* illud Ephes. – *sicut* ACDEHpB.
ad 3. post med. ibi *erigentur* vexilla – *eligerentur* ABCDGpI.
art. 12. arg. 1. Dicitur enim I Cor. *II* – spat. ABpC, *I* ed. *a*, om. D.

QUAESTIO XLVII.

art. 1. arg. 2. med. *ligno* suspensi – *longo* ABC, *g°* D.
art. 2. arg. 2. init. *aliquis* – *aliquid* ABCDEGHIa.
corp. ante fin. de morte et *auctore* mortis – *actione* ABC*a*, *occōne* D.
art. 4. corp. med. praedicantibus *effectus* passionis – *effectum* ABC DEF*a*.
art. 5. corp. med. Si *opera* non fecissem – *operam* ACDpB.

QUAESTIO XLVIII.

art. 2. corp. princ. *maius* aliquid Deo – *magis* omnes praeter F*a*.
art. 3. arg. 1. post med. *Effuderunt* – *Effunderunt* ABCDpGI.
arg. 2. init. *invisibilis* sacrificii sacramentum – *invisibile* ABCpD, om. E.
ad 1. a fine sine *contagione* carnalis – *cogitatione* ABCE*a*.
suscipi *posset* – *possit* omnes.
art. 5. ad 2. *pretium* – *peccatum* ABC.
art. 6. S. C. fiunt est virtus *Dei* – om. ABCF*a*; *Dei sed virtus* vel *Sed virtus Dei* om. EpD.
ad 3. princ. *agit* per modum efficientiae – *agitur* ABCpD.
comparatur ad voluntatem – *operatur* ABCD.

QUAESTIO XLIX.

art. 3. ad 3. fin. *perducimur* secundum illud – *perducitur* ABCD.
art. 4. corp. princ. *Similiter* odio sunt – *Simul* omnes praeter P.
art. 5. corp. med. Aliud autem *est* peccatum – *cuius* ABDpC.
ad 1. med. Non tamen *alicuius* fides – *alii cuius* ADFpBC.
art. 6. arg. 1. ante med. super omnes gentes *Dominus* – om. ACD, *Deus* ante *super* B.
gloria *eius* – om. AC.
corp. a princ. sibi ex *iusta* voluntate subtrahit – *iniusta* ABpCD.
paulo inf. humiliavit *infra* suam dignitatem – *ita* ABC.
post med. Tertio quantum ad *consessum* – *consensum* ABDFI, *concessum* CE, *consessionem* super ras. G et *a*, *conscensum* H*bc*, *confessum* P err. typogr. Cf. infra qu. LVII.
fin. *Ut* in nomine Iesu – *Et* ABCEG, om. DFHI*a*.
recipies – *recipiens* ABDEFIpCG. Cf. infra qu. LIX. art. 3. S. C.

QUAESTIO L.

art. 1. ad 2. princ. mortem ex morbo *provenientem* – *proveniente* ABCDEGH*bc*.
art. 3. ad 2. fin. *redintegrata* – *redintegra* ABCD*ac*.
art. 5. S. C. princ. manducante et *laborante* – *laboranti* omnes praeter PF.

QUAESTIO LI.

art. 2. ad 4. a princ. Per hoc etiam *considerari potest* – *consensu potest* ABC, *significari potest* D, *in consensu patet* ed. *a*.
a fin. Hilarius dicit *quod* – *quia* omnes praeter PH.
in pectus – *impetus* ABCDG*a*, *inspectus* H.
timori (timoris Hil.) *Dei pervium* – *timore Dei per vim* ABCDEG*a*, *t'iare Dei per vim* H, *timore Dei pervium* I*bc*.
art. 4. corp. init. Dictum est *enim* supra – *autem* omnes.

QUAESTIO LII.

art. 1. corp. med. *vinctos* eius eriperet – *victos* ABCD*a*.
vinctos tuos emisisti – *victos* ABCDE.
ad 2. fin. eduxit *vinctos* – *victos* ABCpE.
art. 2. arg. 4. init. *Si* in illum – *Sive* ABCpD, *Si non* ed. *a*.
corp. med. lumen aeternae gloriae *infudit* – *infundit* ABCFIpD, om. E.
ad 3. post med. *viventes* scilicet in corpore – *veniens* ABCDF*a*, *vivens* H, *unientes* I.
art. 4. Praeterea, *Luc.* – *Matth.* ABCD*a*.
art. 5. ad 2. ante med. soluto *pretio* redemptionis – *peccato* ABpCDE.
ad 3. ult. *cumulum* – *tumulum* ABC et ut videtur DG, *timulum* E.
art. 7. arg. 1. per *descensum* Christi – *decessum* BCD.
art. 8. ad 2. fin. applicari ad *unumquemque* – *unumquodque* ABCD FH*abc*.
ad 3. princ. ad *unumquemque* pertinentes – *unumquodque* ABCE HpD et *a*.

QUAESTIO LIII.

art. 3. arg. 2. corpora Sanctorum *qui* dormierant – *quae* ABCD.
ad 2. post med. et sic illos non *convincebat* – *convicebat* ABDpCE.

QUAESTIO LIV.

art. 2. (3.) corp. ante med. et exemplar *exemplato* multo – *exemplato est* ABCD.
ad 2. princ. calidum *et* frigidum – om. ABCE.
art. 3. (2.) corp. med. *Constantinopolitanae* urbis – *Constantinopolitani* ABCH.
ad 2. med. Sed *quodlibet* quisque – *quod licet* BCDE*a*, *quod* A.
art. 4. S. C. *Ioan. XX* – *Matth. XX* ABCEI*a*, *Matth.* D, *Matth. ult.* H*bc*, om. G.

QUAESTIO LV.

art. 1. arg. 2. ult. *debuit* manifestari – *debet* ABCDEGH*bc*.
art. 2. arg. 1. princ. Ad discipulis *enim* – *autem* ABCDE.
art. 5. corp. princ. *quaecumque* ratio rei – *quocumque* ABpCD, *in quocumque* pG, *in quocumque est* H*bc*.
ante med. rationem humanam *excedit* – *excedunt* ACDFpB, *transcendunt* ed. *a*.
art. 6. corp. princ. Et utraque *manifestatio* – (*in* E) *manifestatione* ABCDE.

QUAESTIO LVI.

art. 1. arg. 3. ante med. Deus *autem* non indiget – om. ABCD, *etiam* G, *sed* ante *Deus* F.
corp. post med. calefacit corpora *distantia* – *distincta* ABCD*a*.
ad 2. ante med. ad hoc instrumentum *determinate* – *determinante* ACDFpB.
art. 2. Praeterea, *quia* resurrectio – *quod* ABCD, om. et post *omnium* addit *enim* ed. *a*.

QUAESTIO LVII.

art. 1. arg. 4. fin. Ergo *videtur* quod nec – om. ABCpDE; *videtur quod* omisso... *debuit* ed. *a*.
ad 2. ult. in *consessu* tuo – *consensu* ACDFHsB et *bc*, *9u* E, *concessu* IpB, *conscensu* G.
ad 3. ante fin. Spiritus Sanctus *est amor* – *est amor est* ABDpC, *amor est* ed. *a*.
ad 4. med. *Ubi* dicit glossa – *Ut* ABCDEFpH, *quia ut* ed. *a*.
art. 2. arg. 2. med. *Et* Ephes. IV – om. ABCDEF.
ad 3. ascendit ad *consessum* – *consensum* ABFpDG, *concensum* EI.

QUAESTIO LVIII.

art. 1. corp. med. dicit in *libro de* Symbolo – om. ABCDEGH*bc*, *Sermone de* ed. *a*. Cf. art. 4. arg. 2.
art. 2. ad 3. med. Sed Spiritus *Sanctus* proprie – om. ABCDE.
art. 3. arg. 3. med. Sed esse *aequalem* – *aequale* ACD, *aequalis* B.

QUAESTIO LIX.

art. 2. corp. post med. qui non possit *compati* – *comparari* ABFpC, *compari* E.
ad 3. princ. per se *quidem* pertinet – *quod* ABC, om. EGH*abc*.
art. 3. S. C. *recipies* – *recipiens* ABCDEG.
art. 4. ad 1. fin. *nec* iudex dignatur – *ut* ABCDHpG et *bc*.
art. 5. corp. init. aliqua re *mutabili perfecte* – *immutabili perfectione* ABCD, *immutabili perfecte* EpGH et *bc*.
med. similem enim *reliquit* sibi – *relinquit* ABCE.
art. 6. corp. princ. *Nusquam* angelos – *Nunquam* ABCDEFGI. Cf. qu. VIII. art. 4. arg. 1.
ante med. *stabant* in circuitu throni – *stabunt* ABCDEF.
ad 3. post med. subiectum *ei de* quo loquimur – *eidem* ABCD, *eidem de* E, *eidem (quae)* F.

ERRATA IN TEXTU ET IN NOTIS CORRIGE

XXVII. 1. arg. 3. fin. pro *introitum* lege *introitu* (Ita enim hic textus antiquus).
XLVI. 2. arg. 2. fin. pro *reparari* lege *pati* (Ita S. Hilarius, textus antiquus et Catena Matth. XXVI *l* versus fin. Apud Migne pag. 803 notatur: « S. Thomas III p., q. 46, ad 2, haec verba sic aliter commemorat: *quia reparari nisi ex eius passione non possumus:* minus ad rem ». Nihilominus evenit ut textus Pianus immutatus cum variantium notatione ad eum pertinente, typothetis traderetur).

I. 1. β P – P*c*.
γ *fuisset* – *fuerit c, fuisset* ceteri.
η PEsCG – PEsC.
θ adde: *bonitatis* pG.
ι PEFGsI – PEFGpI.
κ *esset a Deo* – *esset in esse.*
2. β PGsH – PGIsH.
γ tolle: et *ab*.
3. β tolle: et *abc*.
5. α P – P*c*.
6. ζ et sH – et pEsH.
(η utrum pro GI – GH, an pro I–H legendum sit nescio).
θ E – G.
II. 1. γ *IX–XI.*
ε GH*bc* – EGH*bc*.
θ PH*bc* – H et editiones.
η prima – prima et pE.
8. β *autem,* – *autem*
9. δ pE – pG.
10. β b – *b*.
III. 6. η lege: *quod scilicet... naturam.* – GIsH; *quod scilicet tres personae essent unus homo propter* (*personae assumerent* E) *unam* etc.
(*sic* F) – (*sic* FsE).
prima et F – prima et EF.
conflant EH – conflant H.
dele: G... *nunc.*
VI. 2. β *b;* – *b,*
VII. 13. β praeter G – praeter G;
γ D;... F; – D,... F,
VIII. 5. α DE – E.
post « ed. *a* » insere: *Oportet... actu* om. D.
6. ζ *se nemo nostrum dedit* BCDE, – *se nemo (nemo se* ed. *a) nostrum dedit* BCDE*a*,
XII. 2. β addit prima et E – addunt ABCDE.
XIII. 1. ι cum – *cum.*
4. ζ *qui* – *quae.*
XV. 1. ξ *poenas* – *poenam.*
2. β tertia – F et tertia.
XVI. 7. α, β, δ E – G.
ι et *bc;* – et *b,*
ante variantem P insere: *est scilicet c,*
XXVII. 2. μ F – F*a*.
XXVIII. 2. δ PF, – PF;
3. θ adde: post *habens* ponunt ACE.
π *sororis Mariae* BDE – *sororis Mariae materterae* BDE.
XXXI. 2. η DIsH et editiones, – DsH*a* et editiones;
3. τ *primi* – *per b, primi* ceteri.
XXXV. 6. ζ HIsC et editiones – sC et tertia.
8. γ P*a* – PGHI*a*.
XXXVIII. 3. notam β lege: *originalis peccati vulnus.* – F et tertia; *originale vulnus peccati.*
XXXIX 6. ι DEF – DEF*a*.
XL. 3. γ AI – AH.
XLIV. 3. ι *praestanda* P; *praestanda* PFHI; *praesetnanda* – *praesentanda.*
XLVI. 2. lege notam β: *pati.* – *liberari* F, *reparari* tertia praeter pl.
8. ε E – F.
11. ζ E – G
LIV. 1. δ. « om. ceteri » pertinet ad lineam superiorem.

DE CITATIONIBUS

Cum circa quasdam citationes dubia lectori occurrere possint, ad quae elucidanda in margine non suppetebat locus, hic, ad supplendum quod deest, nobis incumbit de illis aliquantulum disserere. De duobus tamen fontibus, unde S. Thomas testimonia Doctorum hauserat, quaedam praemittere oportet.

Catena Aurea a S. Thoma compilata tota versatur in Evangelio exponendo, *in quo praecipue,* teste eodem S. Doctore in Epistola Dedicatoria ad Urbanum IV, *forma fidei Catholicae traditur, et totius vitae regula Christianae.* Non mirum igitur quod in iis quae ad moralia spectant quaestionibus, et omnium maxime ad mysteria vitae Iesu Christi in terris degentis pertinentibus, *Summae Theologiae* largissime servire fecerit *Catenam,* in Tertia praecipue Parte, ubi de Incarnatione Filii Dei et mysteriis eius vitae tractatur. Revera Patrum sententias non ut in eorum operibus habentur, sed forma mutata vel abbreviate, prout in *Catena* traduntur, in *Summa* citatas invenies.

S. Thomas in praefata Epistola Dedicatoria, *Pauca quidem,* inquit, *certorum auctorum verbis, ut plurimum ex Glossis adiiciens, quae ut ab eorum dictis possent discerni, sub* Glossae *titulo praenotavi. Sed et in Sanctorum Doctorum dictis hoc adhibui studium, ut singulorum auctorum nomina, necnon in quibus habeantur libris assumpta testimonia, describantur: hoc excepto, quod et expositionem supra loca quae exponebantur, non oportebat specialiter designari.... In assumendis autem Sanctorum testimoniis plerumque oportuit rescindi de medio ad prolixitatem vitandam, necnon ad manifestiorem sensum, vel secundum congruentiam expositionis, litterae ordinem commutari. Interdum etiam sensum posui, verba dimisi, praecipue in Homiliario Chrysostomi, propter hoc quod est translatio vitiosa.*

Et in Epistola Dedicatoria ad Hannibaldum Cardinalem, *Catenae in Marcum* praefixa, dicit: *Cum multo labore diligens adhibui studium ut quatuor Evangeliorum expositionem complerem, eadem in omnibus forma servata in ponendis Sanctorum auctoritatibus, et eorum nominibus praescribendis.*

Cum autem neque aliqua *Catenae* satis accurata editio hucusque prodierit, neque ea, quae in ipsa habentur, cum textibus primigeniis ad verbum concordent, lectorem sententias in *Summa* indicatas cum originalibus conferre volentem ad *Catenam* remittere noluimus ubi opera ipsa designare possibile erat. Quandoque tamen aliam praeter *Catenam* auctoritatem proferre non potuimus. Vide notas infra positas ad qu. XXXVI, art. 7, ad 1; qu. XL, art. 1; qu. XLVI, art. 2; qu. LI, art. 2, ad 2, 4.

Glossam in Psalmos et in Epistolas S. Pauli fere semper intelligi vult S. Thomas eam quae in Lombardi *Commentario in Psalmos* et *Collectaneis in D. Pauli Epistolas* habetur: Lombardus vero glossas Ordinarias et Interlineares suis propriis immiscet, verbis tamen ut plurimum aliquantulum immutatis.

Thomam ex Lombardo glossas praefatas vulgo desumpsisse in tota *Summa Theologiae*, etsi aliunde quandoque acceperit, facili negotio probatur. Exempla quaedam in hac Tertia Parte praebemus.

Qu. VII, art. 2, arg. *Sed contra.*
Glossa: *Hic plenus omni bono in se.*
Lomb.: *Hic ostenditur Christus plenus omni bono in se.*
S. Thom.: *dicit Glossa: Hic ostenditur Christus plenus omni bono.*

Qu. XXV, art. 2, arg. 1.
Glossa: *Haec* (terra) *sine impietate a Verbo Dei assumpta adoratur; et quia nemo carnem eius digne manducat nisi prius adoret.*
Lomb.: *In Christo terra est, id est caro.... haec sine impietate a Verbo Dei assumpta adoratur a nobis, quia nemo spiritualiter carnem eius manducat nisi prius adoret; non illa dico adoratione quae latria est, quae soli Creatori debetur.*
S. Thom.: *dicit Glossa: Caro a Verbo Dei assumpta sine inpietate adoratur a nobis; quia nemo spiritualiter carnem eius manducat nisi prius adoret; non illa dico adoratione quae latria est, quae soli Creatori debetur.*

Ibid., in fine corp. art.
Glossa: *Domine per potentiam: Deus meus per creationem.*
Lomb.: *Domine omnium per potentiam: cui debetur dulia. Qui est omnium per recreationem Deus: cui debetur latria.*
S. Thom.: *dicit Glossa: Domine omnium per potentiam: cui debetur dulia. Deus omnium per creationem: cui debetur latria.*

Qu. XXVI, art. 1, ad 3. Vide notam infra positam ad istum articulum.

Qu. XLIV, art. 2, ad 1.
August.: *Deus, Creator et Conditor omnium naturarum, nihil contra naturam facit: id enim erit cuique rei naturale quod fecerit.*
Glossa: *Deus tamen nihil contra naturam facit, quia id est natura quod facit.*
Lomb.: *Deus, Creator et Conditor omnium naturarum, nihil contra naturam facit; quia id est cuique rei naturae vel naturale quod facit.*
S. Thom.: *Augustinus dicit... et habetur in Glossa: Deus, Creator et Conditor omnium naturarum, nihil contra naturam facit; quia id est cuique rei natura quod facit.*

Ubi S. Thomas promittit se quaestionem tractaturum, quam tamen morte praeventus prosequi nequivit, Supplementum Tertiae Partis, ubi materia illa discussa fuerit, citare curavimus.

Quia Magistri Alexandri Halensis *Summam Theologicam* saepe in medium afferre contingit, observandum est nos semper ea editione, quae Venetiis anno 1575 prodiit, usos esse.

Restat ut ad propositum exequendum transeamus, et de singulis quae explicatione indigent vel circa quas aliquid dicendum occurrit, citationibus tractemus.

Qu. II, art. 6, in corpore articuli : « Quidem enim eorum (Magistrorum) concesserunt unam Christi personam sed posuerunt duas hypostases, sive duo supposita, dicentes hominem quendam compositum ex corpore et anima a principio suae conceptionis esse assumptum a Dei Verbo. Et haec est prima opinio quam Magister ponit in VI dist. libri III *Sent.* »

Gulielmus Autissiodorensis, in *Summa,* part. III, tract. I, cap. I, qu. VIII, dicit hanc opinionem esse *quam principaliter asserit Archiepiscopus Senonensis et sequaces eius.*

Ibid. : « Alii vero volentes servare unitatem personae, posuerunt Christi animam non esse corpori unitam, sed haec duo separata ab invicem esse unita Verbo accidentaliter, ut sic non cresceret numerus personarum. Et haec est tertia opinio quam Magister ibidem ponit ».

Autissiodorensis, loco citato, hanc sententiam recitans, ait : « Magistrorum opinio fuit quod Christus sub hoc sensu dicitur homo, id est habens humanam naturam sibi unitam, scilicet animam et carnem ; ex quibus asserebant nihil esse constitutum nihilque dictum quod substantialis proprietas quae est humanitas sit substantialis Filio Dei ; quia non concedunt quod Christus secundum quod homo sit aliquid, ita quod proprie accipiatur haec dictio *aliquid :* sed sub hoc sensu concedunt eam, *Est aliquid, id est alicuius modi* ».

Rolandus Bandinelli, Magister Bononiensis, in suis *Sententiis* (quas ex codice Norimbergensi, bibl. Civit. Cent. III. 77. edidit Gietl, *Die Sentenzen Rolands.* Freiburg i. B. 1891. Cf. *Archiv für Litt. und Kirchengesch.* I. B. pp. 434 sqq. Vide etiam Decretal. Alexand. III. citat. in arg. *Sed cont.* huius articuli), dicit : « Christum tertiam personam esse in Trinitate, sed secundum quod Deus, nec secundum quod homo, praesertim cum secundum quod homo non sit persona, et ut verius loquamur nec mentiamur, nec aliquid (Codex : *ut verius loquamur nec aliquid mentiamur*) ; non enim ex eo quod Christus homo est, *aliquid,* sed potius, si fas est, dici potest *alicuius modi* ».

Qu. II, art. 6, Comment. VII : « Quod facit in corporibus situs, hoc facit in spiritualibus ordo, secundum Augustinum ». S. Thomas, *Quodl.* III, qu. III, art. 2, idem asserit, nullo indicato nomine.

D. Augustinus, lib. IV *de Gen. ad litt.,* cap. XVIII : « Dum ipse » inquit « manet in se, quidquid ex illo est retorquet ad se, ut omnis creatura in se habeat naturae suae terminum, quo non sit quod ipse est ; in illo autem quietis locum, quo servet quod ipse est. Scio quod non proprie dixerim *locum :* nam proprie dicitur in spatiis, quae corporibus occupantur ; sed quia et ipsa corpora non manent in loco, nisi quo sui ponderis tanquam appetitu perveniunt, ut eo comperto requiescant ; ideo non incongruenter a corporalibus ad spiritalia verbum transfertur, ut dicatur *locus,* cum res plurimum distet ».

Qu. II, art. 11, arg. 1 : « Super illud Psalmi, *Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te,* dicit Glossa : *Hic insinuatur desiderium Prophetae de incarnatione, et meritum impletionis* ». Iisdem fere verbis utitur S. Thomas in III *Sent.,* dist. IV, qu. III, art. 1, arg. 2.

Glossa Ordinaria : *Incarnationem compleri desiderat, ut perfectus possit esse.*

Lombardus, *in Psalm. XXXII :* « Christi incarnationem impleri desiderat Propheta, ut perfectus possit esse. Quo merito ? *Quemadmodum,* quasi ita fiat, et per hoc fiat, quia *speravimus* non in alio, sed *in te* ».

Halensis; *Sum. Theol.* part. III, qu. VIII, memb. 3, art. 2: « Contra. Psal. XXXII, *Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te.* Secundum Glossam, hic insinuatur desiderium Prophetae de incarnatione, et meritum adimpletionis. Primum, cum dicit, *Fiat misericordia tua, Domine, super nos;* unde Glossa: *Incarnationem desiderat impleri Propheta.* Secundum ibi, *Quemadmodum speravimus in te;* unde Glossa: *Quemadmodum, id est, Quo merito? quasi ita fiat, et propter hoc fiat, quia speravimus in te, non in alio* ».

Ex quibus concludendum videtur S. Thomam verba adoptasse Halensis, qui Lombardi glossam refert.

Qu. III, art. 6, arg. 3: « Damascenus dicit in III libro, et Augustinus in I *de Trinitate,* quod ex incarnatione Filii Dei consequitur, quod quidquid dicitur de Filio Dei, dicitur de Filio hominis, et e converso ». S. Thomas Damasceno idem iam adscripserat, III *Sent.*, dist. VII, qu. II, art. 2, arg. 3.

Non istis verbis expressum invenitur apud Damascenum et Augustinum, sed ad sensum tantum. Gualterus de Mauritania hoc dictum Ambrosio attribuit, ut videre est apud D' Argentrée, *de Novis Erroribus,* p. 29, ad an. 1140. — Cf. infra, notam ad qu. X, art. 1, arg. 3.

Qu. IV, art. 2, arg. 3: « Innocentius III dicit in quadam Decretali, quod *persona Dei consumpsit personam hominis* ».

S. Th. III *Sent.*, dist. V, qu. III, art. 3, arg. 4: *dicit Innocentius III* (Piana *IV*) *in Decret.*

Innocentius V pariter in III *Sent.*, dist. V, qu. II, art. 2, arg. 4, citat Innocentium III.

B. Albertus Magnus, III *Sent.*, dist. V, art. 12, arg. 1: *Dicebant quidam antiqui, quod persona non assumpsit personam, sed consumpsit eam.*

Gulielmus Autissiodorensis, *Summae* lib. III, tract. I, cap. I, qu. VIII: *In Nicaeno Concilio dicitur, quod in Incarnatione Filii persona consumpsit personam, non natura naturam.*

Halensis, *Summae* part. III, qu. VI, art. 4, in argumentis: *In Nicaeno Concilio,* inquit, *dicitur quod in Incarnatione persona consumpsit personam.*

Ioannes Cornubius, *De Verbo incarnato,* qu. VII (Migne t. CXCIX, col. 302), iam antea dixerat: « Unde scriptum est: *Natura naturam non consumit, sed persona personam,* quia nomen iuris est ».

Concilium Francfordiense, an. 794, in Epistola Synodica ad Episcopos Galliae et Germaniae (Labbaei tom. VII, 1040) citat Paschasium Diaconum; apud quem invenitur, Lib. II *de Spiritu Sancto,* cap. IV: *Persona,* dicit, *personam consumere potest, substantia vero substantiam consumere non potest.* Loquitur de unitate personae in Christo.

Nec in Actis Concilii Nicaeni, sive Primi, sive Secundi, sicut nec in Innocentii III nec Innocentii IV Decretalibus litteris invenitur.

Qu. VII, art. 11, ad 1: « Alio modo potest referri (illud Ioan. III, *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum*) ad donum quod datum est humanae naturae ut uniatur divinae personae; quod etiam est donum infinitum; unde Glossa dicit ibidem: *Sicut Pater plenum et perfectum genuit Verbum, sic plenum et perfectum est unitum humanae naturae* ».

Non iisdem omnino verbis Glossa Ordinaria, quae sic exponit: « Sicut totum ex seipso toto genuit Filium suum, ita incarnato Filio suo totum Spiritum suum dedit ».

Paulus Burgensis, ad marginem a nobis citatus, in additione III ad Lyranum, eandem glossam, immo et ipsa D. Thomae verba quae praecedunt, paucis mutatis affert. Unde coniicere licet ipsum a S. Doctore interpretationem ibi allatam mutuatum esse.

Qu. VIII, art. 3, Comment. num. III: « Scriptum est enim, quod *in inferno nulla est redemptio* ».

Sententia ista a Caietano citata, pluries apud S. Thomam legitur, nulla indicata auctoritate. Sic, infra, qu. XXII, art. 5, arg. 1; qu. XLIX, art. 3, arg. 1. Item, III *Sent.*, dist. XXII, art. 2, qu[a]. 2, *Sed cont.* Item, apud S. Bonaventuram, IV *Sent.*, dist. XLVI, art. 1, qu. 1; et Halens. *Sum. Theol.* part. III, qu. XIX, memb. 4.

Habetur in Officio Defunctorum, resp. VII ad Matut. S. Bernardus, Serm. XLII *de Diversis*, num. 5, ipsam allegat.

Qu. VIII, art. 7, arg. 1: « Ad rationem enim capitis pertinet quod influat sensum et motum in membra: ut dicit quaedam glossa, *ad Ephes.* 1, super illud, *Ipsum dedit caput* etc. »

Nihil tale in Glossa super textum istum reperies. Alexander Halensis, *Sum. Theol.* part. III, qu. XII, memb. 2, art. 1, in solutione: « Unde *ad Coloss.* 1, *ipse est caput corporis Ecclesiae*, Glossa: *Capiti omnia subiecta sunt ad operandum, id autem*, scilicet caput, *supra locatum est ad consulendum, quia ipsius animae quodammodo vicem gerit caput.* In hoc quod dicit, *ad operandum*, ostendit quomodo motus est a capite in membris. In hoc quod dicit, *ad consulendum*, ostendit quod sensus est ab ipso in membris ». Glossa ab Halensi citata Ordinaria est Anselmi in dictum locum *ad Coloss.* 1.

Qu. X, art. 1, arg. 1: « Dicit enim Isidorus quod Trinitas sibi soli nota est, et homini assumpto ».

Eodem modo refertur ex Isidoro a D. Thoma, in III *Sent.*, dist. XIV, art. 2, qu[a]. 1, arg. 1. S. Bonaventura, III *Sent.*, dist. XIV, art. 1, qu. II, arg. 3, sic: « *Item, Isidorus de Trinitate: Trinitas sibi soli nota est et homini assumpto* ».

Isidorus, III *Sent.*, lib. I, cap. III, n. 1: « Sola enim Trinitas sibi integre nota est et humanitas a Christo suscepta, quae tertia est in Trinitate persona ». Item, in *Quaestionibus in Exodum*, qu. XLII, n. 3: « Sola enim sibi integre nota est Trinitas, et humanitati susceptae, quae tertia est in Trinitate persona ».

Ibid., arg. 3: « *Illud quod convenit Filio Dei per naturam, convenit Filio hominis per gratiam*, ut Augustinus dicit in libro *de Trinitate* ».

In III *Sent.*, dist. XIII, qu. III, art. 1, *Sed contra*, et *De Verit.*, qu. XXIX, art. 2, *Sed contra*, Augustino tribuitur, absque indice.

Ab Halensi, *Sum. Theol.* part. III, qu. III, memb. 1, et qu. VI, art. 1, memb. 1, Augustino adscribitur; et quidem priori loco sic dicit: « Quidquid convenit Filio Dei per naturam, convenit Filio hominis per gratiam; et e converso. Unde sumitur quod quidquid convenit Filio Dei, convenit Filio hominis, et e converso »; et inferius in eodem membro: « Dicendum, quod illa regula Beati Augustini est intelligenda: *Quidquid convenit* etc. »

Similiter et Autissiodorensis, *Sum.* part. III, tract. I, cap. 1, qu. VIII, recitata quadam opinione, ait: « Contra hanc opinionem est auctoritas S. Augustini dicentis, quod quidquid inest Filio Dei per naturam, inest Filio hominis per gratiam ».

Hugo a S. Victore, *Qq. in Epist. ad Rom.*, qu. XIX, Ambrosium huius effati auctorem ponit. Cf. quae diximus in nota ad qu. III, art. 6, arg. 3.

Qu. X, art. 2, ad 1: « Quidam autem dicunt, hoc esse intelligendum de filio Dei adoptivo, non de naturali ».

Halensis, *Sum. Theol.* part. III, qu. XIII, memb. 4, qu[a]. 1, in resp. ad 1: « Vel aliter secundum Rabanum et Bedam. Cum dicitur nescire filius, intelligitur de filio adoptivo. Unde subdunt, non de Unigenito, sed de adoptivo filio hoc dixisse ».

Rabanus quidem, *Comment. in Matth.* lib. VII, ad cap. XXIV, vers. 36, sic habet: « Legi quoque in cuiusdam libro filium hunc, qui hoc loco ponitur, non Unigenitum, sed adoptivum, hoc est populum Christianum, velle intelligi. Si enim hoc de Unigenito

Filio praedixisset, nunquam ei angelos praeposuisset; sic enim ait: *Neque angeli caelorum, neque filius;* ostendens non de Unigenito, sed de adoptivo populo hoc dixisse ».

Beda tamen neque in *Expositione in Matthaeum,* neque in *Expositione in Marcum* quidquam simile dicit.

In editis *Catenae Aureae* S. Thomae, in locum citatum, praefata Rabani interpretatio sub nomine *Basilii* invenitur. Glossa Ordinaria Strabi in hunc Matthaei locum eandem expositionem tradit; et, ut ex contextu patet, a Rabano mutuatam.

Qu. XIII, art. I, arg. I: « Dicit enim Ambrosius, *super Luc.: Potentiam quam Dei Filius naturaliter habet, homo erat ex tempore accepturus* ».

Apud Ambrosium non habetur, quamvis Magister, III *Sent.,* dist. XIV, ipsum citet. Gloss. Ord. *Bed. Ambros.* super Luc. I, vers. 32, idem exhibet. Sumitur ex Beda in homilia Annuntiationis, verbis aliquantulum mutatis.

Qu. XIV, art. 3: « Ut Augustinus dicit, exponens illud Ioan. III, *Qui de sursum venit, super omnes est,* de sursum venit Christus, idest de altitudine humanae naturae, quam habuit ante peccatum primi hominis ».

Magister, III *Sent.,* dist. XVI, cap. *Est hic notandum*: « Unde Augustinus illud Ioannis Evangelistae exponens, *Qui de sursum venit, super omnes est,* dicit Christum venisse de sursum, idest de altitudine humanae naturae ante peccatum ».

Halensis, *Sum. Theol.* part. III, qu. XVIII, memb. 3, art. I, idem citat tanquam glossam Augustini. Albertus Magnus etiam, III *Sent.,* dist. XVI, et auctor *Allegoriarum in Nov. Test.* inter Opera Hugonis a S. Victore (Migne t. 175), lib. V, cap. II, idem Augustino adscribunt: apud quem tamen non reperitur.

Glossa Ordinaria, Ioan. III, ad verba. *Qui de sursum venit* etc.: « *Alcuinus.* Idest de altitudine humanae naturae ob peccatum primi parentis: quia de illa altitudine assumpsit Verbum Dei humanam naturam... de ipsa prius quam peccaret venit ».

Haec tamen non in Alcuini scriptis, sed in Scoti Erigenae *Comment. in Evang. Ioannis* habentur: *ut in eo,* inquit, *quod dixit,* desursum venit, *intelligamus altitudinem humanae naturae ante primi hominis delictum; de qua altitudine hominem venisse Christum non dubitamus* ».

Qu. XVI, art. 11, ad 2: « Unde Chrysostomus *super Matth.,* hoc exponens, dicit: *Signanter dixit,* in terra dimittendi peccata, *ut ostenderet quod humanae naturae potestatem divinitatis univit indivisibili unione. Quia, etsi factus est homo, tamen Dei Verbum permansit* ».

Catena Aurea, Marc. cap. II, *a,* idem habet sub nomine *Chrysostomi.*

Victor Antiochenus, *Comment. in Marci Evang.* cap. II: « At quorsum Servator signum patraturus praemittit: *Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata?* Haud alia de causa istud facit, quam ut planum hinc fiat divinitatis vim, propter indivulsam unionem, in humanam quoque naturam sese diffundere. Quod ergo dicit, eiusmodi est: *Quamvis, homo iam factus, cum Deus alioqui essem, propter carnis oeconomiam in terris degam, nihilominus ut Deus signa edo, peccatorum vincula relaxo* ».

Quae verba in Glossa Ord. in Marc. cap. II, paucis variatis, habentur sub nomine *Victoris Antiocheni.*

Qu. XIX, art. I, arg. 3: « Unde et secundum Philosophum, *actus sunt singularium* ».

Aristoteles, I *Metaphys.,* cap. I, n. 6: αἱ δὲ πράξεις καὶ αἱ γενέσεις πᾶσαι περὶ τὸ καθ' ἕκαστόν εἰσιν. Quod interpretans S. Thomas, I *Metaphys.* lect. I, dicit: *Actiones sunt circa singularia et singularium et omnes generationes.* Sic legitur iuxta codicem antiquissimum. Piana pro *et omnes: sunt omnes.* Item, lib. V, lect. III, S. Doctor: *Actus singulares sunt, ut in Primo huius habitum est:* ubi Piana pro *singulares: singularium.*

Qu. XXII, art. 4, ad 1: « Et ideo oportet dicere, quod alii sacerdotes effectum sacerdotii sui participant, non inquantum sacerdotes, sed inquantum peccatores, ut infra dicetur ».

Piana et Nicolai nullam hic citationem apponunt. Patavina et De Rubeis: *art. seq., arg. 1.* Sed male; ibi enim ad articulum istum quartum remittunt. In *Tabula Aurea* Petri de Bergamo, ad verbum *Sacerdos*, num. 37, pro sententia illa D. Thomae nullus praeter istum citatur locus. Ad marginem scripsimus: *Cf. resp. ad 3:* ibi namque ex indigentia sacerdotis legalis ostenditur derivari necessitas sacrificii pro ipso sacerdote offerente: et quamvis haec responsio non plene correspondeat explicationi in responsione ad primum promissae, illam indicandam duximus, defectu melioris.

Censendum est D. Thomam, qui de Ordine sibi proposuerat scribere, lectorem ad tractatum illum remisisse.

Ibid., art. 5, arg. 1: « Peccatorum autem infirmitas inexpiabilis erit, quia *in inferno nulla est redemptio* ». Cf. quae scripsimus supra in nota ad qu. VIII, art. 3, Comm. num. III.

Qu. XXVI, art. 1, in capite articuli, ubi loca parallela exhibentur, pro *dist. XLVIII...* lege: *IV, dist. XLVIII...*

Ibid., ad 3: « Unde super illud *Galat.* III, *Christus est Mediator,* dicit Glossa: *Non Pater vel Spiritus Sanctus* ».

Lombardus, *Collectan. in D. Pauli Epist.*, exponens vers. 20, « Mediator autem unius non est, Deus autem unus est », ait: « *Deus autem,* quasi dicat, *Christus est Mediator, non Pater vel Spiritus Sanctus* ».

Qu. XXVII, art. 4, arg. 1: « *Motus autem fomitis, etiam si rationem praeveniat, est peccatum veniale, licet levissimum,* ut Augustinus dicit, in libro *de Trinitate* ».

In isto libro non reperitur; et quamvis in XIX *de Civit. Dei*, cap. IV, num. 3, Augustinus dicat: « *Non enim nullum est vitium, cum caro concupiscit adversus spiritum* », non videtur ad hunc S. Patris locum respicere D. Thomas. *Vitium* dicit S. Augustinus, non *peccatum.*

Lombardus, II *Sent.*, dist. XXIV, postquam ex XII *de Trinitate* quaedam retulerit de spirituali coniugio inter rationem superiorem et inferiorem, et de sensuali animae motu, prosequitur ostendendo quomodo per haec tria in nobis consummetur peccatum, et concludit: « *Si ergo in motu sensuali tantum peccati illecebra teneatur, veniale ac levissimum est peccatum* ». Non Augustini ergo, sed Lombardi est ista sententia.

Qu. XXVIII, art. 1, Comment. num. IV: « *Actus activorum fieri oportet in patiente disposito* ». Pro loco in margine notato, lege: *Aristot. de Anima, lib. II, cap. II, n. 12. — S. Th. lect. IV:* quamvis etiam ex loco ibi citato eadem doctrina elici possit.

Ibid., art. 2, ad 3: « Quidam dixerunt Christum in sua nativitate dotem subtilitatis assumpsisse, quando exivit de clauso Virginis utero; et quando ambulavit siccis pedibus super mare, dicunt eum assumpsisse dotem agilitatis ».

Infra, qu. XLV, art. 2, S. Thomas scribit: « Unde non est dicendum, sicut Hugo de S. Victore dixit, quod Christus assumpserit dotes *claritatis* in transfiguratione, *agilitatis* ambulando super mare, et *subtilitatis* egrediendo de clauso utero Virginis ».

Item, qu. LXXXI, art. 3: « Dicendum quod Hugo a S. Victore posuit quod Christus ante passionem diversis temporibus quatuor dotes corporis glorificati assumpserit » etc.

In III *Sent.*, dist. XVI, qu. II, art. 2, et IV, dist. XI, qu. III, art. 3, idem a S. Thoma Hugoni adscribitur. Item, IV, dist. XXX, qu. II, art. 3, ad 5, eadem opinio, quantum ad dotem *subtilitatis,* refertur, nulla de assertore facta mentione.

Hugo a S. Victore de *impassibilitatis* tantum dote loquitur, *De Sacrament.* lib. II, part. VIII, cap. III. Quomodo igitur a D. Thoma affertur pro assertione praefata?

Alexander Halensis, *Sum. Theol.* part. IV, qu. XI, memb. 2, art. 1, qu[a]. 3, in responsione ad quaestionem, *Quale corpus dedit Christus discipulis?* praemissis opinionibus Magistri Sententiarum, Hugonis et aliorum, « Dicendum est ergo », inquit, « quod, sicut vult Hugo et Glossa Matth. XVII, Christus dedit corpus suum discipulis non mortale, non passibile; quod Hugo determinat sic: dicit enim, quod Christus in caena tenebat se in manibus, inquantum erat sub forma panis; et quod ipse, inquantum tenens, erat passibilis et mortalis; inquantum tenebatur, fuit impassibilis et immortalis. Nec est inconveniens quod tunc fuerit simul mortalis et immortalis, ut dicit: cum enim sint quatuor dotes corporis glorificati, ipse manens adhuc passibilis, quandoque unam dotem sumpsit, quandoque aliam, ut voluit: Luc. IV, legitur quod Iudaei voluerunt ipsum praecipitare, et tunc ut ostenderet se passibilem, permisit se teneri, idest trahi ab eis: ubi simul et dotem impassibilitatis assumens transiit liber per medium illorum; quia enim caro sua nunquam fuit obnoxia culpae, ideo non fuit debitrix poenae vel mortis, sed tantum voluntarie fuit passibilis; ideo quando voluit, dotem impassibilitatis potuit sibi assumere pro aliqua utilitate. In nativitate ipse manens passibilis, assumpsit sibi dotem corporis glorificati quae est subtilitas; transivit enim per uterum Virginis clausum sine illius apertione. Similiter, Matth. XVII, in monte ubi transfiguratus fuit, passibilis manens assumpsit claritatem: agilitatem vero, Marc. VI, quando ambulavit super mare, nec immergebatur ». Hucusque Halensis.

Innocentius III, *De Sacro Altaris Mysterio* lib. IV, cap. XII, eandem quaestionem tractans, ait: « Fuerunt alii qui dixerunt, quod Christus mortalis utique fuit, sed voluntate non necessitate... Ut ergo probaret quod mortalis erat non necessitate sed voluntate, quando voluit mortalitatem deposuit, et immortalitatem recepit. Legitur enim in Evangelio, quod cum Iudaei duxissent Iesum *usque ad supercilium montis ut eum praecipitarent, ipse transiens per medium ibat* (Luc. IV). Cum esset ducendus, teneri se sicut passibilem tolerabat, sed cum esset praecipitandus, sicut impassibilis per medium transibat. Quatuor enim sunt glorificati corporis propriae qualitates, videlicet claritas, subtilitas, agilitas et impassibilitas.... Singula sibi Christus singulatim accepit antequam resurgens a mortuis naturam glorificati corporis induisset: subtilitatem cum nasceretur ex Virgine; claritatem cum transfiguraretur in monte; agilitatem cum incederet super mare; impassibilitatem cum manducaretur in caena ».

Ex quibus bene perspectis concludere possumus S. Thomam, non ex Hugone hanc sententiam deprompsisse, cum iste nonnisi de *impassibilitate* tractet, sed ex Halensi, qui et ipse ab Innocentio III quod de dotibus claritatis, subtilitatis et agilitatis scripsit, mutuatum habere videtur, et Hugonis doctrinam ampliat.

Qu. XXVIII, art. 3, ad 3: « Quidam vero hoc referunt ad notitiam visus. Sicut enim Moysi cum Deo colloquentis glorificata est facies *ut non possent intendere in eum filii Israel;* sic Maria claritate virtutis Altissimi obumbrata, cognosci non poterat a Ioseph, donec pareret. Post partum autem a Ioseph agnita invenitur, specie faciei, non tactu libidinis ».

Haec in *Catena Aurea,* Matth. cap. I, *o,* adscribuntur *Hilario in hom.* In eius tamen operibus diligenter inspectis nihil huiusmodi reperire potuimus. Cf. S. Thomae *Comment. in Matthaeum,* ubi paulo aliter refertur idem, auctoris nomine tacito.

Gloss. Ord. *Strabi:* « Dicitur quod Ioseph Mariam facie ad faciem videre non poterat, quam Spiritus Sanctus a conceptione impleverat penitus ».

Hugo de S. Charo, *in Evang. Matth.*, cap. I, *Et non cognoscebat eam:* « In Evangelio Nazaraeorum legitur, ut dicit Chrysostomus, quod Ioseph Mariam videre facie ad faciem non poterat, quoniam Spiritus Sanctus eam a conceptione penitus impleverat, ita quod non cognoscebat eam propter splendorem vultus eius. Sicut legitur, quod discipuli non poterant videre faciem Domini propter splendorem. Infra XVII ».

Qu. XXIX, art. 2, ad 3: « Licet alii dicant, quod nondum erat in domum inducta, sed solum desponsata ».

Gloss. Ord. *Origenis,* Matth. cap. I, vers. 18, sic dicit: « Desponsatio fiebat per aliquot dies ante assiduam cohabitationem, et interim erat uxor sub custodia viri ».

D. Thomas, *Comment. in Matth.* ibid., posita D. Hieronymi interpretatione eiusdem versiculi, subiungit: « Remigius aliter exponit, ut intelligatur de solemni celebratione nuptiarum. Ante enim erat et fiebat per aliquos dies desponsatio, et interim sponsa non erat sub custodia viri; postea autem fiebat solemnis celebratio nuptiarum, et tunc traducebatur ad domum viri ».

Qu. xxx, art. 4, ad 3: « Sicut Ambrosius dicit, in *Hexaemeron,* ob hoc multae steriles praevenerunt, ut partus credatur Virginis ».

Ambrosius quidem, *Hexaem.* lib. V, cap. xx, dicit: « Impossibile putatur in Dei matre, quod in vulturibus possibile non negatur? Avis sine masculo parit et nullus refellit; et quia desponsata viro Maria Virgo peperit, pudori eius faciunt quaestionem. Nonne advertimus quod Deus ex ipsa natura plurima exempla ante praemisit quibus susceptae Incarnationis decorem probaret, et astrueret veritatem? »

Chrysostomus tamen adhuc clarius refert quod a D. Thoma Ambrosio attribuitur. Nam homil. XLIX *in Genes.* ita habet: « Unum hoc in primis operae pretium ut quaeramus, quare cum et ipsa (Rebecca) et vir eius vitae fuerint eximiae... sterilis fuit?... Et ut discas rem miram, non solum ipsa sterilis fuit, sed et mater iusti Sara: neque mater eius sola, sed et nurus, Rachel uxor Iacobi. Quid sibi vult ille sterilium chorus?... Ut scias propter hoc steriles prius fuisse, ut credatur virginitatis partus. Audi verba Gabrielis » etc. Et infra, « Verum, ut dixi, propter hoc steriles fuerunt istae, ut crederetur virginitatis partus ».

Qu. xxxi, art. 2, ad 2: « Gregorius Nazianzenus respondet dicens, quod hoc nutu superno contigit, ut regium genus sacerdotali stirpi iungeretur, ut Christus, qui rex est et sacerdos, ab utrisque nasceretur secundum carnem. Unde et Aaron, qui fuit primus sacerdos secundum legem, duxit ex tribu Iudae coniugem Elisabeth filiam Aminadab ».

Catena Aurea, Luc. cap. I, *l,* idem sub *Nazianzeni* nomine citat. Ipse, *Carmin.* lib. I, sect. I, carm. XVIII, sic habet:

« Ex Maria porro Levides: namque ab Arone
Qui Levi de stirpe fuit, genus ipsa trahebat ».

Et infra: « Nil porro commune tribus regalis habebat
Cum sacra inter se thalami nec iure coibant.
Falsum. Nam quamvis distincta erat utraque classis,
Utraque iure tamen thalami saepe coivit.
Namque prius natam thalamo sibi iunxit Aronis
Nasson ab illustri qui sextus fluxit Iuda.
Sic ille ex Maria regali est sanguine cretus »....

Beda, *Exposit. in Luc.* lib. I, ad cap. I, vers. 36, quae a S. Thoma hic et in *Cat. Aur.* referuntur, his verbis exprimit: « Si quam vero movet quomodo B. Mariae cognatam dicat Elisabeth, cum haec de domo David, illa de filiabus Aaron originem duxerit, animadvertat proavos earum liberis invicem nuptum traditis utramque tribum potuisse coniungere. Cui si haec expositio forte non suffecerit... legat *Exodum,* ubi scriptum est: *Accepit autem Aaron uxorem Elisabeth filiam Aminadab*... Videatque ante edictum legis, superna provisione sacerdotalem regali iunctam iam fuisse progeniem. Ut videlicet Dominus Iesus Christus, qui secundum carnem verus rex et sacerdos erat futurus, ipsam quoque carnem de utraque, David scilicet et Aaron stirpe susciperet ».

Qu. xxxi, art. 3, ad 2: « Quidam enim, ut Gregorius Nazianzenus dicit, dicunt eosdem esse quos uterque Evangelista enumerat, sed sub diversis nominibus, quasi binomios ».

Catena Aurea, Luc. cap. III, *h:* « *Gregorius Nazianzenus.* Dicunt autem quidam, quod unica est successio a David usque ad Ioseph, licet diversis nominibus ab utroque Evangelista narratur ».

Nazianzenus, *Poem. Dogmat.* sect. I, XVIII, *De Christi Genealogia,* alio prorsus modo diffcultatem solvit.

Augustinus, *Quaest. Evang.* lib. II, cap. V, expositionem illam indicat, minime vero eius auctorem.

Ibid.: « Unde alii dixerunt, quod Matthaeus veram genealogiam Christi tradidit, Lucas autem putativam. Alii vero dixerunt quod Matthaeus posuit patres carnales, Lucas vero posuit patres spirituales ».

In *Catena,* Luc. cap. III, *h,* sub nomine *Eusebii Emiseni* idem invenies. Tamen in eius quae extant scriptis non habetur. De Rubeis in *Catena* citat *Lib. I Eccl. Hist. cap. VI;* sed perperam, nam Eusebius Caesaraeensis alio prorsus modo Christi genealogiam explicat, ut in hoc eodem articulo patet.

Qu. XXXVI, art. 3, ad 3: « Sicut Romae fluxit oleum; et in Hispania apparuerunt tres soles paulatim in unum coeuntes ».

Eusebius, *Chronic.* lib. II, Olymp. CLXXXV, de olei fluxu testatur. De trium solum apparitione, ibid. Olymp. CLXXXIV, ita scribit: « Romae tres soles simul exorti paulatim in eundem orbem coierunt ».

Baronius, *Apparat. ad Annal. Ecclesiast., De Adventu Filii Dei:* « Ipso primo anno Triumviratus, Lepido et Planco Conss., tres soles esse visos, post Plinium, idem Dio testatur. Anno vero tertio, ut testis est Eusebius, Romae e taberna meritoria trans Tiberim oleum terra erupit; fluxitque toto die sine intermissione ».

Plinius quidem, *Nat. Hist.* lib. II, cap. XXXI: « Trinos soles », inquit, « antiqui saepius videre: sicut Sp. Postumio, Q. Mucio; et Q. Marcio, M. Porcio; et M. Antonio, P. Dolabella; et M. Lepido, L. Planco Coss. »

Iulius Obsequens, *Prodigiorum Lib.* cap. 68. M. Lepido, Munatio Planco Coss. « Soles tres circiter hora tertia diei visi, mox in unum orbem contracti ».

Dio Cassius, *Hist. Rom.* lib. XLVII, A. U. C. 712, Lepido II. et Planco Coss. « Romae enim sol aliquando diminutus et minimus visu apparuit; aliquando maximus, imo triplex conspectus est ».

Anno A. U. C. 711, Consules erant Hirtius et Pansa; an forte *Hispania* ortum est ex nota marginali in aliquo codice Eusebii, *Hirtio Pansa Coss.?*

Paulus Orosius, *Historiar.* lib. VII, cap. XVIII, XX, de fluxu olei mentionem facit; de tribus solibus in unum coeuntibus nihil prorsus dicit; licet cap. XX, de alio prodigio simili testetur: « Cum primum Caio Caesare avunculo suo interfecto, ex Apollonia rediens (Augustus) urbem ingrederetur, hora circiter tertia, repente liquido ac puro serenoque die circulus ad speciem caelestis arcus orbem solis ambiit ».

Qu. XXXVI, art. 3, ad 4: « Sicut Chrysostomus dicit, Angelus manifestans Christi nativitatem non ivit Jerosolymam, non requisivit Scribas et Pharisaeos; erant enim corrupti, et prae invidia cruciabantur; sed pastores erant sinceri, antiquam conversationem Patriarcharum et Moysi colentes ». Haec et in *Cat. Aurea,* Luc. cap. II, *c,* sub nomine *Chrysostomi* reperiuntur: apud quem non occurrunt.

Origenes quidem (*Schol. in Luc.* Migne tom. XVII) fere iisdem utitur verbis: « Non », inquit, « ad Iudaeorum synagogam, in Ierusalem ad Sacerdotes et Scribas et Pharisaeos venit Angelus: sed pastores reperit...... hisce enim evangelizat Salvatoris nativitatem. Illi namque simplices erant, veterem vivendi rationem quaerentes Patriarcharum: pastores siquidem erant et hi. Qui etiam currentes aliis annuntiaverunt. Illi namque, quippe invidia tabescentes, occultaturi fuissent mundi salutis mysterium ».

Et Theophylactus, *In Evang. Luc. Enarrat.:* « Quibus (pastoribus) apparet angelus, propter simplicitatem et innocentiam morum, et quod iustorum vitam imitari videantur. Etenim prisci Patriarchae pastores erant ut Iacob, Moyses, David. Neque in Ierusalem apparuit Pharisaeis vel Scribis, qui omnis malitiae receptacula erant ».

Titus Bostrensis vero, qui etiam in Glossa citatur: « Quin ob id quoque, prae ceteris, pastoribus beneficium hoc obtigit, quia prae ceteris simplices dolique exsortes erant: sectabantur enim adhuc veterum consuetudinem. Nam ut Patriarchae, et ipse etiam Moyses, pascendis gregibus quondam intenti erant, ita nunc ipsi quoque ».

Qu. XXXVI, art. 7, arg. 1: « Dicit enim Augustinus in quodam Sermone Epiphaniae: Dum pendet ad ubera et vilium patitur Deus involumenta pannorum, repente novum de caelo sidus effulsit ».

Idem in *Catena Aurea,* Matth. cap. II, *a,* sub *Augustini* nomine: sed non invenitur.

Qu. XXXIX, art. 6, ad 4: « Sicut Chrysostomus dicit, cum oportebat delictis ignoscere, quod fit in baptismo, mansuetudo necessaria erat: quae demonstratur in columba. Sed ubi adepti sumus gratiam, restat iudicii tempus: quod significatur per ignem ».

Catena in Luc. cap. III, *g.:* « *Chrysostomus.* Vel nunc ut mansuetudinem magistri declaret, in specie columbina apparet; in Pentecoste autem quemadmodum ignis, ut ostendat poenam. Cum enim oportebat delictis ignoscere, mansuetudo necessaria erat; sed ut adepti sumus gratiam, restat examinis et iudicii tempus ».

Non apud Chrysostomum, sed apud Gregorium Magnum homil. XXX *in Evang.*, ut in margine notatur, haec sententia, licet aliis verbis expressa, invenitur.

Qu. XL, art. 1, arg. 3: « Unde Remigius *super Matth.:* Tria refugia legitur Dominus habuisse, navim, montem, et desertum; ad quorum alterum, quotiescumque a turbis comprimebatur, conscendebat ». Ita etiam in *Catena Aurea,* Matth. cap. V, *a,* sub nomine *Remigii.* Cf. Comment. S. Thomae in Matth., cap. VIII, *c;* ubi tamen de Remigio nihil dicit.

In bibliotheca Palatina Vindobonensi extat codex manuscriptus signatus n. 715 (Theol. 107). m. XII. 188 f. continens Commentarium in Evangelium Matthaei qui Remigio Autissiodorensi adscribitur. Fol. 73 verso, ubi glossatur illud cap. VIII, vers. 18, *iussit ire trans fretum,* sic legimus: « Quo̅ tria legitur habuisse refugia compressus a turbis, navis, montis, et deserti ». Aliquem tamen Remigio antiquiorem huius annotationis auctorem fuisse apparet. Nam

Pseudo-Hieronymus, *Exposit. Quatuor Evangel.,* Matth. cap. V, vers. 1: « Christus tria refugia habuit, ut fugeret turbas, in monte, in deserto, in nave super mare ».

Isidorus quoque, *De Vet. et Nov. Test. Quaest.,* qu. XXXVI, num. 50: « Tria refugia Domini habebant *(sic),* id est, in monte, in deserto, et in mare ».

Ibid., in corpore: « Et ideo, ut Chrysostomus dicit, licet in eodem loco manendo posset Christus » etc. Idem in *Catena Aurea,* Luc. cap. IV, *k,* nomine *Chrysostomi.*

Qu. XLI, art. 2, ad 3: « Quidam dicunt omnes tentationes factas fuisse in deserto ».

In *Comment. in Matth.,* cap. IV, *a,* super vers. 8, *in montem,* S. Thomas scribit: « Rabanus dicit, quod iste mons erat in deserto, quia secundum eum omnes tentationes in deserto fuerunt ». Cf. Raban. *Comment. in Matth.* lib. I, cap. IV.

Qu. XLI, art. 4: « Respondeo dicendum, quod tentatio, quae est ab hoste, fit per modum suggestionis, ut Gregorius dicit ».

Gregorius, homil. XVI *in Evang.:* « Tribus modis tentatio agitur, suggestione, delectatione et consensu. Et nos cum tentamur plerumque in delectationem, aut etiam in consensum labimur, quia de carnis peccato propagati, in nobis ipsis etiam gerimus unde certamina toleremus ».

Magister, II *Sent.,* dist. XXI, cap. *Porro sciendum,* ex Hugone a S. Vict. sequentia habet: « Exterior tentatio est, quando nobis extrinsecus malum visibiliter suggeritur verbo vel signo aliquo, ut ille cui fit, ad consensum peccati declinet: et talis tentatio

tantum fit ab adversario. Interior vero tentatio est quando invisibiliter malum nobis intrinsecus suggeritur; et haec tentatio aliquando fit ab hoste, aliquando a carne ».

Qu. XLV, art. 2, arg. 1: « Dicit enim quaedam glossa Bedae super illud Matth. XVII, *Transfiguratus est coram eis: In corpore* inquit, *mortali ostendit non immortalitatem, sed claritatem similem futurae immortalitati* ». Idem, III *Sent.*, dist. XVI, qu. II, art. 2, arg. 1.

Halensis quoque, *Sum. Theol.* p. III, qu. XXI, memb. 1, obiiciendo, et memb. IV, « glossam Bedae », in Matth. XVII, citat. Apud Bedam non invenitur; nec sub eius nomine in Glossa habetur.

Innocentius III, Serm. XIV *de Temp.*, 1 « Sicut », inquit, « post resurrectionem ... etiam in corpore immortali signa mortalitatis exhibuit ... sic ante resurrectionem immortalitatis signa in corpore mortali monstravit ». Et infra: « In mortali corpore Christus ostendit claritatem, quando transfigurabatur in monte ».

Ibid., arg. 2: « Super illud Luc. IX, *Non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei,* dicit Glossa Bedae: *idest, glorificationem corporis in imaginaria repraesentatione futurae beatitudinis* ».

S. Thomas, III *Sent.,* dist. XVI, qu. II, art. 1, arg. 2, citat glossam Bedae in Marc. IX (lege VIII).

Halens. *Sum. Theol.,* p. III, qu. XXI, memb. 2: « Luc. IX, *Non gustabunt mortem donec videant regnum Dei.* Glossa Bedae: *Glorificationem corporis in transfiguratione, idest, imaginariam repraesentationem futurae beatitudinis* ».

Habetur, ut ad textus marginem notavimus, in Gloss. Interlin. Luc. IX.

Ibid., in corp.: « Unde non est dicendum, sicut Hugo de S. Victore dicit, quod Christus assumpsit quatuor dotes » etc. Cf. quae adnotavimus supra, pro qu. XXVIII, art. 2, ad 3.

Qu. XLV, art. 3, arg. 2: « Dicit enim quaedam glossa super illud Lucae IX, *Erant autem Moyses et Elias* etc.: *Sciendum est,* inquit, *non corpora vel animas Moysi vel Eliae ibi apparuisse: sed in subiecta creatura illa corpora fuisse formata. Potest etiam credi ut angelico ministerio hoc factum esset, ut angeli eorum personas assumerent* ».

S. Thomas, III *Sent.,* dist. XVI, qu. II, art. 1, arg. 3: « Super illud Luc. IX, *Apparuerunt Moyses et Elias,* dicit Glossa: *Sciendum est* » etc.

Halensis, *Sum. Theol.* p. III, qu. XXI, memb. 8: « Luc. IX, *Apparuerunt Moyses et Elias* etc. Glossa: *Sciendum non corpora vel animas* » etc. ut supra. Qui inferius, in eodem membro, Bedae hanc glossam assignat.

Pro eodem Hugo de S. Charo, *in Evang. sec. Luc.,* citat *Ambr. Gloss.*

Invenitur in Gloss. Ord. *Strabi,* Luc. IX, nulla Ambrosii facta mentione.

Ibid., ad 4: « Vel etiam ne totaliter impediretur a populo ». In *Catenae* editis, Matth. cap. XVII, *Remigii* nomen praemittitur.

In codice Vindobonensi Commentarii Remigii in Matth., de quo supra (cf. not. ad qu. XL, art. 1, arg. 3), fol. 132 verso ita habetur: « sive quia si maiestas eius divulgaretur in populo, tempus differretur passionis, resistente plebe principibus sacerdotum ».

Beda, quem in margine citavimus, sic habet: « ne, si palam vulgaretur in populos, aut dispensationem passionis illius iidem populi principibus repugnando impedirent », etc.

Qu. XLVI, art. 4, in corp.: « Ut enim Augustinus dicit, in Sermone *de Passione,* de diluvio aquarum humanum genus arca lignea liberavit » etc.

Similiter in *Catena Aurea,* Matth. cap. XXVII, *g,* Augustino in Serm. *de Pass.* adscribitur.

In Appendice Opp. Aug. Serm. XXXII, al. *de Temp.* CI, quatuor ex his mysteriis enumerantur: nihil vero de diluvio et arca Noe, nec de arca Testamenti dicitur.

S. Ioannes Damascenus, lib. IV *de Fide Orth.*, cap. XI, inter alias crucis figuras, has quatuor exhibet quae in Sermone Pseudo-Augustini habentur.

Qu. XLVI, art. 11, in corp.: « *Duos latrones utrinque crucifixerunt,* sicut dicit Chrysostomus, ut eorum suspicionis fieret particeps. Sed non ita evenit. Nam de illis nil dicitur: huius autem ubique crux honoratur. Reges diademata deponentes, assumunt crucem. In purpuris, in diadematibus, in armis, in mensa sacrata, ubique terrarum crux emicat ». Idem omnino in *Cat. Aurea in Lucam,* cap. XXIII, *e.*

Prima pars huius citationis desumitur ex homil. LXXXVII, al. LXXXVIII Chrysostomi *in Matthaeum*: altera pars, nempe, *Nam de illis . . . honoratur,* ex eiusdem homil. LXXXV, al. LXXXIV, *in Ioannem*, contracte tamen: tertia pars ex opere Chrysostomi intitulato, *Quod Christus sit Deus.*

Qu. XLVII, art. 5, arg. 1: « Ubi dicit Hieronymus » etc. — In margine, inopinato casu, *Rabani* nomen excidit: in cuius *Comment. in Matth.*, lib. VI, verba a S. Thoma allata inveniuntur; minime vero apud Hieronymum; quamvis et in *Catena Aurea,* Matth. cap. XXI, *f,* Hieronymo adscribantur, sed in D. Thomae *Comment. in I Cor.*, cap. II, lect. II, Chrysostomo. In Glossa Ordinaria, Matth. cap. XXI, verbis paululum immutatis, a Strabo eadem sententia allegatur, nullo nomine praefixo.

Qu. XLVIII, art. 6, arg. 2: « Unde etiam et Christus tangendo mundavit leprosum, *ut ostenderet carnem suam salutiferam virtutem habere,* sicut Chrysostomus dicit ».

Nec Chrysostomus, nec auctor *Operis Imperfecti in Matthaeum,* quod sub Chrysostomi nomine circumfertur, hoc refert.

Cyrillus quidem, *Comment. in Matth.*, cap. VIII, vers. 3, sic ait: « Dominus autem per contactum manus leprosi huius mundationem operatus est, ostendens sanctam carnem suam utilem esse ad sanctificationem ». Cf. quae dicit ibid., ad vers. 15, de sanatione socrus Petri: « Sanitatem utpote Deus contulit, propriae manus contactum iacenti gratificans. Quamobrem? Ut propriae naturae, divinae inquam, pares habere vires corpus suum ostenderet, quantum attinet ad sanandorum aegrorum efficaciam. Et iterum, ut demonstret, corpus etiam quod pro nobis assumpsit, per se esse efficax propter inhabitans Verbum ».

Theophylactus, *in Luc. Evang. Enarrat.*, cap. V, commentando verba, *tetigit eum,* dicit: « Hoc indicans, quod sancta eius caro divinam habeat virtutem, et purificet ac vivificet, utpote quae sit caro Verbi Dei ». Quae verba, in *Catena Aurea,* Luc. cap. V, *d,* sub *Theophylacti* nomine habentur.

Qu. XLIX, art. 3, arg. 1: « In inferno nulla est redemptio ». — Vide quae scripsimus supra, ad qu. VIII, art. 3, Comment. num. III.

Qu. LI, art. 2, ad 4: « Si etiam sepultus fuisset in terra, dicere poterant: Suffoderunt terram, et furati sunt eum, sicut Augustinus dicit ».

Catena Aurea, Matth. cap. XXVII, *l,* idem, iisdem fere verbis, refert sub nomine *Augustini in Serm. de Sabbato Sancto.* Non occurrit apud Augustinum.

Qu. LIV, art. 1, ad 1: « Dicendum, quod corpus Christi post resurrectionem, non ex miraculo, sed ex conditione gloriae, sicut quidam dicunt, clausis ianuis ad discipulos introivit, simul cum alio corpore in eodem loco existens ». Idem, aliis tamen verbis, dicit S. Thomas, *Comment. in Ioan.*, cap. XX, lect. IV.

Autissiodorensis, *Summae* lib. IV, *De dotibus resurgentium,* qu. II, asserit, corpus glorificatum posse penetrare corpus non glorificatum, sed non posse ab eo penetrari; et hoc ex subtilitatis dote.

Ibid., ad 2. « Quicumque habet corpus glorificatum, in potestate sua habet videri quando vult, et quando non vult non videri ». Idem, licet aliis verbis, S. Thomas, IV *Sent.*, dist. XLIV, qu. II, art. 4, qu^a^. 2, ad 3.

Alexander Halensis, *Sum. Theol.*, p. III, qu. XXII, memb. 2, hanc opinionem Praepositini esse testatur. Item Gulielmus Autissiodorenis, *Summae* lib. IV, *de Resurrectione Christi,* cap. I.

Ibid., ad 3 : « Dicendum quod, sicut Severianus dicit in Sermone Paschali : *Nemo putet Christum sua resurrectione sui vultus effigiem commutasse... Sed mutatur effigies dum efficitur ex mortali immortalis, ut hoc sit acquisivisse vultus gloriam, non vultus substantiam perdidisse* ».

Idem, in *Catena,* Marc. cap. XVI, *b,* sub *Severiani* nomine. Sed, ut in margine videbis indicatum, est Petri Chrysologi, apud quem pro *substantiam,* leges *notitiam.*

Ibid., art. 2, ad 2 : « Habuit autem (Christus) aliquid aliud quod ipsum incorruptibile reddidit, non quidem naturam caelestis corporis, ut quidam dicunt ».

Halensis, *Summae Theol.* part. III, qu. XXII, memb. II, art. 2, hanc opinionem tenere videtur.

Qu. LVII, art. 2, corp. : « Unde Augustinus dicit in Sermone de Ascensione : *De nostro fuit, quod Filius Dei pependit in cruce ; sed de suo quod ascendit* ».

In Sermone isto, qui est inter Opera Augustini, sic legitur : *De nostro est quod apprehendit* (al. *appendit*) ; *de suo est quod donavit.*

Halensis, *Summae Theol.* part. III, qu. XXIII, memb. IV : « Item, Augustinus in Sermone de Ascensione : *De nostro fuit quod apprehendit ; de suo quod ascendit.* Secundum ergo humanitatem pependit in cruce, et secundum divinitatem ascendit ».

COMMENTARIA CARDINALIS CAIETANI

Expleto die 26 Feb. 1517 commentario in Secundam Secundae, statim Caietanus ad Tertiam Partem manum admovit, et iam ad decimum articulum quaestionis septimae pervenerat quando, die 1 Iulii eiusdem anni, a Leone X ad Cardinalatum evectus est. Nova dignitate a scribendo aliquantulum desistere coactus, post paucos dies opus resumpsit. « Divinae », inquit, « ut non desim gratiae, par est ut coeptum opus prosequamur : et quanto amplius Dei, sanctissimique Domini nostri Leonis Decimi Pontificis Maximi gratia, Cardinea me dignitate attollens, abundavit, tanto magis debeo Iesu Christi mysteria, Ecclesiaeque sacramenta, scrutari in lucemque proferre. Hoc igitur eodem anno, salutis quidem millesimo quingentesimo decimoseptimo, aetatis autem propriae nono supra quadragesimum, inchoatum opus die duodecima Cardinalatus simul et mensis Iulii prosequendo, titulum huius undecimi articuli quaestionis septimae intelligendum ut sonat dicimus (Qu. VII, art. 1, n. 1) ». Legatus in Germaniam missus et gravissimis negotiis occupatus, commentationi nihilominus incumbebat: prout ipsum testem habemus, in quaestionis quadragesimaeoctavae articulo quinto : « Ad hoc dicitur quod sententia huius litterae non est contra doctrinam de efficacia indulgentiarum ex thesauro meritorum Christi et Sanctorum. Quam esse Romanae Ecclesiae doctrinam, et ab omnibus amplectendam, nuperrime sanctissimus Dominus noster Leo Decimus, per suam decretalem ad me, nunc in Germania legatum, significavit ». Commentario proprie dicto finem imponens, non notat diem et annum, siquidem ulteriorem tractatum ad complementum operis meditabatur: « Et haec tam de hac quaestione quam de toto hoc opere ab Auctore edito dicta sufficiant. Hic enim, felici transitu ad caelestem patriam praeventus, divus Thomas scribendi finem fecit. Unde residua alio modo tractanda sunt (Qu. XC, art. 3) ». Nec mora, illa residua tractare coepit, servato ordine sacramentorum quaestiones opportunas adiungens, ut ex his, una cum commentariis, integrum opus absolveretur. In quarum prologo intentionem suam ita demonstrat: « Intentio mea in

subsequentibus, quae ab Auctore tractanda erant ad perfectionem operis, est, non aggredi ordinem per quaestiones et articulos sigillatim decidendo, quasi complere vellem Tertiam Partem (imparem enim me tanto negotio et cognosco et fateor): sed dubia aliqua utilia, necnon discussione digna, tractare, et, iuxta ingenii vires, divina aspirante gratia, determinare. Servaboque ordinem sacramentorum supra positum ». Quaestiones quae tractantur, de Contritione sunt, Confessione, Satisfactione, Ministro sacramenti Poenitentiae, de Indulgentiis, sacramento Ordinis, et sacramento usu et actu Matrimonii. Quibus omnibus tractatis, finem toti operi his verbis imponit: « Et haec sufficiant pro hoc libro super Tertia Parte divi Thomae, ac per hoc, pro commentariis integris super tota Summa eiusdem: ad gloriam in primis omnipotentis Dei, deinde ipsius divi Thomae, utilitatem autem Ecclesiae; sub correctione Sanctae Sedis Apostolicae, in qua nunc sedet Leo Decimus Pontifex Maximus, cui et scripta et scribenda omnia submissa semper esse volo. Romae, die XIX Decembris, anno Christianae salutis millesimo quingentesimo vigesimo, aetatis autem meae quinquagesimosecundo. Amen ».

In lucem prodiit opus Caietani anno 1523, impressione terminata sexto idus Ianuarias. Interim mortuus erat Leo Decimus, Adrianusque Sextus in eius locum suffectus die 9 Ian. 1522: cui Cardinalis commentaria sua dedicavit, epistola scripta die 10 Martii proxime sequente, « disponente suaviter Spiritu Sancto ut haec nostra in Tertiam Partem Divi Thomae Commentaria, licet superiori anno absoluta fuissent, usque in praesens tamen in publicum non exirent, quo sic Tibi nominatim illa dedicaremus (Ad Adrianum VI Praefat.) ». Praeter quaestiones adiunctas de quibus supra, commentariis in sanctum Thomam aliae Caietani lucubrationes coniungebantur. Huius editionis exemplaria valde rara sunt. In bibliothecis publicis Italiae unum solum invenimus, quod ex urbanitate nobilis viri praepositi Bibliothecae Marucellianae Florentinae penes nos habuimus. Frons libri deest. Post tabulas, in fol. 1 recto, ante Prologum divi Thomae et Commentariorum, haec habentur: « Reve^{mi} in Christo patris et domini do. Thomae de Vio Caietani S. Ro. ec. ti. s. Xysti praesbyteri Cardinalis dignissimi necnon artium et sacrae theologiae doctoris absolutissimi in 3^{am} divi Tho. Aquinatis partem commentaria praeclarissima ». Fol. 191 verso: « Explicit id quod de tertia parte summe sancti Tho. Aquinatis habetur qui morte praeventus eam perficere nequivit ». Fol. 192 recto, incipiunt « Eiusdem Reverendissimi Dñi tho. de vio Caietani cardinalis sancti Xisti insignes quaestiones seu dubia: ubi ad finem eius quod de tertia divi tho. aquinatis parte habetur perventum est, oportune adiuncte. Et sunt de contritione confessione satisfactione ministro sacramenti poenitentie de indulgentiis sacramento ordinis et sacramento usu et actu matrimonii ». Terminantur quaestiones additae fol. 202 verso cum verbis supra citatis, et sequitur immediate tabula paucarum linearum cum hoc titulo: « Ex emendatioribus codicibus post impressionem castigata ». Deinde habetur tractatus Caietani *de Auctoritate Papae et Concilii*. Sequuntur eiusdem varia opuscula, post quae, fol. 248 verso, iterum occurrunt in paucis lineis: « Post impressionem castigata ». Quibus immediate succedit terminatio voluminis: « Theologorum principis divi tho. Aquinatis 3^{a} pars, praeclarissimis Rm̃i domini tho. de vio caietani cardinalis s. xysti commentationibus insignita: necnon eo quo fieri potuit studio plurimorum antiquorum exemplarium collatione, cunctis (quibus undique redundabat) mendis depurgata. restitutis locis suis quae in integrum deficiebant quam plurimis sententiis: ceu (ut vel duo ex mille inducantur) q. 22 ar. 2. de responsione ad 3^{m}, et q. 55 ar. 6 de arg^{to} 5 patet. quandoquidem in omnibus quos viderim codicibus, totaliter deficiebant. Adiectis quoque in fine eius quod de 3^{a} parte divi tho. habetur, corpori quidem tertie partis multis eiusdem cardinalis utilissimis quaestionibus seu dubiis: extra corpus autem ipsius septem tractatibus 16 responsionibus duobus quolibetis et sex orationibus praeclarissimis. Feliciter explicit. Que omnia studiossime revisa ac emendata in alma venetiarum urbe nullis parcendo impensis, summa cura per nobilem virum dominum lucamanthonium de giunta florentinum. Anno salutis 1523. sexto idus ianuarias ad dei gloriam impressa fuere ». Post registrum foliorum, adhuc adiungitur: « Ad lectorem. Quum Huic parti quaedam quae antea consueverant subdititia coniungi (quae additiones vocant) non addiderimus: ne forte

ea aut negligentia omissa aut parce brevitatis studio relicta esse reprehendamur id nos lector et consulto et legitime *(ltie)* fecisse cognosce. Angelicus Doctor divus Thomas nondum extrema manu huic tertie et ultime parti sue summe imposita importuna morte sublatus, eam imperfectam et mutilam reliquit. Petrus vero quidam (ut fertur) de Alvernia, eius imperfectionem miserans, eam hoc pacto absolvere adnixus est. ut ex eodem authore in quartum sen. omnia, ordine tantum mutato, huic loco accomodanda sit mutuatus. Nos igitur sapientum iudicio admoniti, ea omnia, ut hoc in loco supervacanea (quippe quae quamvis ab aliquo forsitan legantur, a doctissimis tamen quibusque semper ex quarto sen. allegentur), primevo loco non movenda putavimus. idque eo libentius quod ne rev^{mus} quidem dominus tho. cardinalis s. xisti (qui in hanc tertiam partem luculentissimos edidit commentarios) sibi aliquid in ea scribendum putavit: utpote que quanquam divi tho. sunt, tamen ut supposititia huic libro sint annexa. Quamobrem si quis ea desideraverit, quartum adeat sen. et suis sedibus composita relegat: huius tamen nostrae liberalitatis non ignarus, nos si is contenderit ut contra doctissimorum quorumque sententiam eadem ex suis subselliis in hoc tribunal intrudantur, eius desiderio (modo id a nobis petere non gravetur) libentissime satisfacturos. Vale ». Hanc primam editionem per litteram A indicamus.

Commentaria iterum prodierunt Bononiae anno 1528, simul cum textu sancti Thomae, absque quaestionibus adiunctis. Huius editionis prima pagina (in exemplari quod nobis inserviebat, aliud frontispitium non habetur) titulum portat: « Sancti Thome Tertia Pars, Cum commentariis Cardinalis Caietani, ac Indice locupletissimo accuratissime recognita et castigata, ac nuperrime impressa ». Fol. 1 recto, ad Prologum: « Rev^{mi} in Christo patris et domini D. Thomae de Vio Caietani Sacri Ordinis Praedicatorum S. Ro. Ec. », cetera ut in prima editione. Volumen sic concluditur: « Explicit id quod de Tertia parte summe sancti Tho. Aquinatis habetur: qui morte praeventus eam perficere nequivit. Bonon. excussa a Iustiniano Ruberien. filio quondam Leonardi de Alemania. Iussu et expensis Nobilis viri Octaviani Scoti Civis Modetiensis, et cum summa diligentia noviter revisa. Divo Clemente. Pont. Max. christiane religionis Habenas moderante: anno eius quinto. MDXXVIII, mensis Novembris ». Huic editioni litteram B assignavimus.

Tertia editio prodiit Venetiis anno immediate praecedente mortem ipsius Caietani. Sic intitulatur: « Tertia pars s. tho. cum comment. car. caietani. Angelici Doctoris divi tho. aquinatis tertia pars luculentissimis R^{mi} domini thome de vio caietani car^{lis} .s. xisti, commentationibus illustrata. Adiectis multarum questionum seu dubiorum acutissimis enucleationibus. In margine vero quibusnam aliis locis propositam materiam divus thomas pertractet, clarissime demonstratur. At in fronte .celerem suppeditans omnium inventionem que thomas uterque scitu dignissima complexus sit index locupletissimus. Que omnia iterum ab authore accuratius recognita et castigata fuere. Ne quis haec commentaria chalcographus, typis edere praesumat Veneti senatus severiore decreto cautum est ». In illis verbis, *Adiectis multarum questionum* etc., ne intelligas illas quaestiones adiunctas de quibus supra: quippe quae in hac editione non habentur. Ad Prologum, fol. 1 recto, sic legitur: « Thomae de vio Caietani, Cardinalis sancti Xixti: in tertiam partem divi Thomae aquinatis commentarii ». Volumen ita terminatur: « Venetiis in edibus Luceantonii Iunte Florentini Anno domini MDXXXIII. Mense Ianuario ». Cum in omnibus sequatur editionem primam, eodem proelo impressam, accuratiorem eius collationem faciendam non iudicavimus: sicut nec aliarum editionum quae inter mortem Caietani (quae incidit in diem 9 Augusti 1534) et recensionem Pianam viderunt lucem. Nihil enim utilitatis talis collatio haberet.

De ratione qua usi sumus in textu commentariorum constituendo, legenda sunt quae in Praefatione nostra ad Secundam Secundae habentur, pag. XXXIII sqq., ubi etiam plura inveniuntur quae ad vicissitudinem textus Caietani spectant. Inde, mutatis mutandis, desumpta sunt quae sequuntur.

Primam editionem, per litteram A indicatam, collata Bononiensi anni 1528, per B notata, correximus. In istis duabus editionibus textus genuinus habetur. Licet enim in

ipsis mendae inveniantur, longe tamen sunt a depravatione editionum quae post mortem Caietani prodierunt. Illa loca corrigenda erant quae curatorem editionis B effugerunt, cum horum emendationem non nisi raro in aliqua posteriori editione datum sit invenire. Sensu vero auctoris rite percepto, opus magnae difficultatis non erat, cum fere non de alio agatur quam de litteris erratis aut de particulis accidentaliter omissis vel adiunctis. Correctionem nostram lector semper inveniet indicatam vel in margine paginarum, vel uncinis additis, vel in elencho quem subiicimus variantium: qua admissa, ex editione A una cum emendationibus editionis B efficitur textus integer et purus, qui mirum in modum praestat illi qui pro textu Caietani vulgo recipitur. Nec illa loca corrigenda erant in quibus, licet aliquid minus accurati quod ad dictionem attinet habeatur, tamen de sensu auctoris locus dubitandi non relinquitur. Quisquis enim Caietani volumina volverit, scit ipsum, de maioribus sollicitum, non infrequenter de dictione ad amussim exacta minus curare. Pronuntiationis modus explicat illud *a,* loco *ab,* ante *Hieronymo,* qu. LIII, art. 3, n. II.

Prout supra diximus, in prima editione bis invenitur elenchus post impressionem castigatorum. Quae tamen castigatio aliquantulum leviter videtur facta fuisse. Loca sic castigata quatuor sunt. « Item in commen. q. 4. ar. 4. fol. 21 co. 1 li. 46 (nobis n. VIII, l. 11, 10 a fin.) ibi et quoniam ex huiusmodi actiones imaginatas aut intellectas terminari ad res. lege ex huiusmodi actionibus imaginatis aut intellectis etc. — Item in co. q. 35 ar. 5 fo. 80 co. 3 li 21 (nobis n. XIV, l. 3) lege pater hac paternitate respicit hunc filium etc. (omisso sc. verbo *primo*). — Rursus in comment. q. 59 ar. 5 fol. 119 co. 3 li. 41 (nobis n. I, l. 16) loco li effectibus lege fructibus. — Quone 52 ar. 2 fo. 109 co. 3 li. XI in com. (nobis n. III, l. 14, 15) ad li sanctis adde patribus et lege glorie in sanctis patribus etc.». — Ut contextum intuenti apparebit, tres priores mutationes non sunt dicendae correctiones: nec eas editio B et Piana receperunt. In secundo elencho occurrit hoc de textu sancti Thomae: « Quone 54 est in omnibus mihi visis codicibus secundus arti. tex. transpositus qui .n. in processu est tertius deberet esse secundus et e converso ut in quaestionis intro[ne] clare patet »: cf. ibi art. 2, not. α, art. 3, not. α.

Pianae editionis recensores, in Monito ad Pium Lectorem, testantur se nonnulla amovisse a Commentariis Caietani: « Curavimus itaque », inquiunt, « ut quam emendatissime imprimerentur omnia amotis etiam, ex eisdem commentariis, atque expunctis omnibus locis, iuxta nostri ordinis sanctiones, qui post decreta Tridentinae Synodi, lectorem poterant detinere dubium, vel suspensum; quos videlicet, vel ipsemet Commentator vivens emendaverat, et si viveret, emendasset: vel, uti diximus, falsariorum et impiorum perfidia temeraverat. Et quibusdam aliis de mandato Sanctissimi D. N. D. Pii divina providentia Papae Quinti sublatis ». Curatores nullum indicium dant eorum quae sustulerunt. Loca quae invenimus in Piana omissa, asterisco signavimus, et sunt: Qu. XXXI, art. 5, num. IV; Qu. XXXIX, art. 7, num. II; Qu. XLVI, art. 5, num. IV, *In cuius . . . deificaret;* Qu. LIV, art. 3, num. V.

De editionibus Patavina anni 1698 et Romana anni 1773 diximus in citata Praefatione pag. XXXVI. Cum haec illam ad amussim sequatur, idem est de utraque iudicium. Textum nempe Pianae exhibent, aliquibus correctis, pluribus eisque e notabilioribus erratis sine emendatione conservatis. Quod si Patavinam saepe contulerimus, non ideo erat quia aliquid utilitatis inde derivare putabamus, sed ut possemus in lucem ponere ultimum statum Caietani textus. Quod enim sciamus, nulla commentariorum editio post Romanam anni 1773 facta est. Patavinae litteram D assignamus.

Ex subiecta tabula variantium lectionum editio princeps et Piana integrae cognosci possunt; editio Bononiensis anni 1528 notatur quoad ea loca in quibus A et P differunt vel ambae errant; editio Patavina anni 1698 signatur, vel ex omissione notationis cognoscitur, in singulis locis ubi lectio Piana reiicitur.

VARIAE LECTIONES COMMENTARIORUM CARDINALIS CAIETANI

A *editio Veneta 1523;* B *editio Bononiensis 1528;* P *editio Piana, Romae 1570;* D *Patavina 1698.*

PRAEFATIO.

Praefationem omittit D (saltem in exemplari nostro).
Lin. 9, pro *monstravit, ostendit* P.
» 18, post *agitur* duplex punctum in virgulam mutetur.
» 36, *spiritualibus* P.

PROLOGUS.

Lin. 6, pro *ac dicturus, adducturus* PB.

QUAESTIO I.

ART. 1, num. I, lin. 22, *perspexerit* P.
» n. II, l. 1, *tituli* P.
» » l. 9, *inchoati* P, *inchoaverit* D.
» n. VII, l. 12 a fin. col., *ordine* PB.
» » » pag. 9, col. 1, l. ult., pro *quae, quo* P.
» » » » col. 2, l. 1, pro *quam, quae* P.
ART. 2, n. III, l. penult., *in lib. 15 dist. 4* P, *in 4 Sent. dist. 15* D.
» n. IV, l. penult., *hoc* om. P.
» n. V, *Deo et parentibus* PD.
» n. VII, l. 5 a fin., *deducitur* om. PAD.
» n. VIII, l. 11 a fin., *ex infinitate* om. P.
» n. X, l. 9, *secundum* P.
» n. XII, l. 8 a fin. col., pro *sicut, sic* PABD.
ART. 3, n. V, l. 1, *est tertio* PD.
» » col. 2, l. 3, pro *tam, tantum* P.
» » » l. 16, pro *quam, quum* P.
» n. VI, l. 16, *praescientiam* PD.
» » l. 26, pro *per, contra* PD.
» » p. 16, l. 7, 8, *vel... vel* om. P.
» » » l. 13, *tertius praesupponit* PD.
» n. VII, l. 1, *dubia* om. PD.
» n. IX, l. 3, pro *aliquid, illud* PD.
» » l. 6, *bonum* om. P.
» » l. 7, post *magis, bonum* add. P.
» » l. 13, *secunda est* PD.
» » col. 2, l. 2, pro *disponens, dispositiones* PD.
» » » l. 7, *sic* om. PD.
» » » l. 10, *et* om. PD.
ART. 4. n. IV, col. 2, l. 5, *possent* PD.
» n. VI, l. 2, post *ut, qui* add. PAD.
ART. 5, n. I, l. 6, *et* om. PD.
» » l. 7, *negativa* PD.
» n. II, l. 8, *Ergo etc.* PD.
» » l. 9, *confirmatur* PD.
» » col. 2, l. 4, pro *tepore, tempore* PBD.
» » » l. 5, *quintum* PD.

QUAESTIO II.

ART. 1, n. I, p. 24, l. 8, *integrandam* PD.
ART. 2, n. II, l. 14, *nil* PD.
» n. III, col. 2, l. 2, *Ergo etc.* PD.
» » » l. 4 a fin. num., pro *cum... confiteamur, quam... confitemur* P, *quia... confitemur* D.
» n. IV, l. 7, *in* om. PB.
» » l. 20, pro *ex, et* PD.
» » l. 25, *significatam* PD.
» n. V, l. 9, *qu. II* PD (*art. 3* D).
» n. IX, l. 11 a fin., pro *generis, ordinis* P.
» » l. penult., *separetur* A.
» n. XV, col. 2, l. 16, *incompleta* corrige in *incomplete* (cum PAD; B om. *sed... incomplete*).

ART. 3, n. I, col. 2, l. 3, *praedicantur* PD.
» » p. 31, l. 11, *tractatum* PD.
» » » col. 2, l. 1, alterum *in* om. PA.
ART. 4, n. II, p. 32, l. 2, *concidunt* P.
» » » l. 8, an pro *prima* (PABD) legendum *illa?*
» » » l. 9, *aut contra suam personalitatem* altero loco om. PD.
» » » l. 17, *contractae... determinatae* PD.
» » » l. antepen. *inferunt* A.
» n. III, l. 15, pro *tertiae, secundae* PABD.
» n. V, l. 33, primum *est* om. PD.
» n. IX, p. 34, l. 7, *et* om. PD.
ART. 6, n. III, l. 4, *tamen* om. P, *(cum) autem* D.
» n. IV, l. 10, pro *subsistentiam, substantiam* PD.
» n. V, l. 3, *uniri et* PD.
» n. VI, l. 6, post *aberrant, isti* add. PAD.
» » l. antepen., *est* om. PD.
» n. VII, l. 10, *XII* PABD.
» » p. 39, l. 16, *positam esse* PD.
» n. VIII, col. 2, l. 2, *transit* PD.
» n. IX, l. 35, *humana* altero loco om. PD.
» » l. 38, post *hoc, est* add. A.
» n. X, p. 40, l. 4, *et non* PD.
» » l. 16, pro *instrumenti talis, instrumentalis* P.
ART. 7, n. III, l. 12, [*per*] om. PABD.
» n. VI, l. 4, pro *esse, est* PAB.
ART. 8, n. I, l. 26, pro *sit, fit* PD.
» » col. 2, l. 4, 5, *Secunda* PAB; *Tertia* AB.
» n. VIII, col. 2, l. 7, *intelligendum* A.
» n. X, l. 2, alterum *ab* om. P.
» » l. 19, *qui est* PD.
» n. XII, l. 8, pro *anima, materia* PABD.
» » l. penult., *Et* ante *ex* om. PD.
» n. XIV, l. 7, *remanere* P; et l. 12, *remaneret;* quod etiam lin. antepen. num. pro *remanere.*
» n. XV, l. penult., *perspiciamus* P.
ART. 9, n. I, l. 1, *In articulo nono* PD.
» » l. 7, 8, pro *est hoc, hoc est* PD.
» n. IV, l. 20, *qu. I,* PABD.
» n. VI, l. 11, post *sic, Hoc... est* om. PD.
» » p. 48, l. 2, *praeservandam* PD.
ART. 10, n. I, l. penult., *et* om. PD.
» n. V, l. 7, *istius* PD.
ART. 11, n. I, col. 2, l. 5, pro *ex, et* PD.
ART. 12, n. I, l. 10, ante *naturale, secundum* add. PAD.
» » l. 27, pro *modum, membrum* PABD.

QUAESTIO III.

ART. 1, n. V, p. 55, l. 17, *impossibilis* PD.
» » » l. 10 a fin. num., *infinito* ABD.
» n. VI, col. 2, l. 10, *quae* PABD.
ART. 2, n. V, l. 16 a fin., *ad 3* PABD.
» » l. 15 a fin., *sed e contra* PD.
» n. VI, l. 5, post *tres, res* add. PAD.
» » col. 2, l. 7, pro *Pater, patet* PD.
» » » l. 11, post *Filius, et* add. PD.
» n. VII, l. 1, *me putet* PD.
» n. VIII, l. antepen., *ex ipsa* P.
» n. IX, l. 11, pro *est, et* PD.
» » col. 2, l. 5, [*ut*] om. PABD.
ART. 3, n. V, l. 3, pro *Quoniam, Quia* PD.
» n. VI, l. 28, pro *in continens, incontinens* P.
» n. VII, l. 8, *Prima Parte* PD.
» n. VIII, l. 1, *formaliter est* PD.
» n. X, l. 6, 7 a fin. col., *complete* PABD.

ART. 3, n. x, col. 2, l. 21, pro *etiam, et iam* P, *et etiam* D.
» n. xi, l. penult., pro *sit, si* P.
ART. 4, n. i, l. 13, pro *fit, sit* P.
» n. ii, l. 9, pro *hypothesi, hypostasi* PD.
ART. 5, n. ii, l. 5 a fin., *sit* om. PAD.
ART. 6, n. v, l. 15, *et sine causalitate* om. P; et pro *sic, si.*
» » p. 66, l. 14, pro *propositionem, proportionem* P.
» n. vi, l. 18 a fin., *ad illam* P; *personaliter etiam provenit... ad illam propriam personalitatem* D.
» n. vii, l. 20 a fin., pro *personari, personam* PD.
» n. viii, l. 10, *constituendam* PD.
» n. ix, l. 8, pro *Durandusmet, Durandus ipse* PD.
» » l. 5 a fin., *dist. VI* PABD.
» n. x, l. 4, post *unus, homo* add. PAD; et statim PD om. *aut... simpliciter.*
ART. 7, n. i, col. 2, l. 4 *Quid* P.
» n. ii, p. 69, l. 1, *scilicet inquantum* PD
» » » l. 11, *sit* om. PD.
» n. iv, l. 1, *in* om. PD.
» » col. 2, l. 3, *accipit* PD.
» n. v, l. 10, *deitas uniatur* om. P, primum *uniatur* om. D.
ART. 8, l. 6, *secundum quam* P.
» l. 12, pro *inde convenientiam, inconvenientiam* P.

QUAESTIO IV.

ART. 1, n. iii, l. 4, *assumptibilis* PD.
» » l. 10, pro *creatae, creaturae* PD.
» n. iv, p. 73, l. 22, *et* om. A.
ART. 2, n. ii, l. 1, pro *Quid, quod* P.
» n. iii, l. 8, pro *simul, simpliciter* PD.
» » l. 4 a fin., *aut* (PD) corrige in *autem* (AB). – *supra additum* PD.
» n. vii, l. 7, *per* om. P.
» n. viii, l. 4, *Rationale* PD.
» » l. antepen., *si et* P.
» n. x, l. 2, pro *ac, et* PD.
» » l. 11 a fin., *explanandam* P.
» n. xi, p. 77, l. 15, *in* om. P.
» n. xv, p. 78, l. 11, *est* om. A. – l. 15, primum *est* om. PD.
» n. xvii, l. 4, *realitas* om. P. Lin. 5, *habetur* PD.
» n. xix, l. penult., *eius* om. P.
» n. xxi, l. 19 a fin., *terminati* P. – Statim [*non*] om. PABD.
» » l. 17 a fin., loco *sic est* P ponit *batio,* partem vocis *probatio,* quae post tres lineas occurrit.
» n. xxiii, l. 9, *violenter* PD.
» n. xxiv, l. 3, pro *quatuor mediis, quatuor* A, *quadrupliciter* PD.
» n. xxvi, l. 20 a fin., *generalem* PD.
» n. xxvii, l. 6, pro *Nam, natura* P.
» » l. 14, *tale* PD.
» n. xxviii, p. 81, l. 2, pro *personatione, persona igne* P; lin. penult., pro *quoniam, enim;* lin. ult., loco *sui termini, tui ex nini.*
ART. 4, n. iv, col. 2, l. 4, *dicit* PD.
» n. vii, p. 84, l. 8, *XXXVII* PABD.
» n. viii, l. 10, *ut* om. PD. – Lin. 10 a fin., *actionibus imaginatis aut intellectis* castigator A; vide supra pag. XLV.
» n. ix, l. 6, pro *facie, facile* P.
ART. 5, l. 6, *significet* A.
» l. 6 a fin., *et* om. P.

QUAESTIO V.

ART. 1, l. 5, *affirmativa* PABD.
ART. 2, n. ii, l. 20, *et* om. PD.
» n. iv, l. 3, *sunt* om. A.

QUAESTIO VI.

ART. 1, n. iv, l. 23, pro *quod, quae* P.
» n. vi, l. 5 a fin. col., *tamen* om. P.
» n. vii, l. 13, *dictum* PD.
» n. ix, p. 96, l. 3, *nec humana* om. P.
» » » l. 4 a fin., *determinata* PD.
ART. 3, n. iv, l. 6, pro *fit, sit* P.
ART. 4, n. i, l. 17, pro *materiis, naturis* PABD.
» » l. penult., *est* om. A.
» n. v, l. 5, pro *perspicies, per species* P.
ART. 5, n. i, col. 2, l. penult., *secundum executionem est prius* om. P.
» n. iv, l. antepen., *meritum* A.
» n. vii, l. 2, pro *quod, quum* A; et lin. seq., *intelligatur.*
» » l. 11, pro *fit, fiunt* PD (*parietes* D).
» » l. 5 a fin., *veluti* PD.
» n. viii, l. 6 a fin., secundum *a* om. PD. – Lin. penult., *desit* P.
» n. ix, l. 5 a fin. col., pro *sit, fit* P (D restituit *sit*, sed paulo ante *personabili* mutat in *personali*).
» n. x, l. penult., *ut sunt ut unum* PD.
ART. 6, n. i, l. 7, *nullus* PD; et lin. seq., *naturae humanae.*
» n. ii, col. 2, l. 3, *dicit* PD.
» » p. 105, l. 3, *septimae quaestionis* PD.
» » l. 4 a fin., *tenet* PD.

QUAESTIO VII.

ART. 1, init., l. 2, *tripliciter* PD.
» n. i, l. 3, *dicetur* PD.
» n. iii, l. 7 a fin., pro *constituentem, construentem* P.
» » l. penult., *divisio* PD.
ART. 2, n. i, l. 5 a fin. col., *aliquid* P.
» » l. 3 a fin. col., *explicandum* PD.
» » col. 2, l. 1, *nec* PD.
ART. 4, n. iv, l. 8, *formaliter* PD.
» » l. 5 a fin., *formale obiectum* PD.
ART. 5, l. penult., *propriae* P.
ART. 6, n. ii, l. 3, pro *habuit, habitu* P.
» n. iii, col. 2, l. 3, *effectum* PD.
» n. iv, l. penult., *solum* P.
ART. 7, n. ii, col. 2, l. 8, *et indivisione* om. PD.
ART. 9, n. i, l. 14, *intensivae* P.
» » l. 19, *causa* P.
» n. iii, p. 118, l. 8, pro *secundo, vel* PAD.
» n. iv, l. 10, *gratiae* om. P.
ART. 10, n. ii, l. 2, *intensivae... extensivae* P.
» n. iii, l. 6, pro *haec, hic* PD. – Post pauca, *pietatis spe* A.
ART. 11, n. ii, l. 4, *Christo* PA.
» » col. 2, l. 2, pro *Quod, quia* PD.
» n. iv, l. 11, an pro *virtus* (PABD), *virtutis* legendum?
» n. v, p. 122, l. 14, pro *aliud, aliquid* P.
» » » l. 5 a fin., *Beguinarum* PD. – Post lin., *possit* PD.
ART. 12, n. 5, l. 4 a fin., pro *cum formis, conformis* PD.
ART. 13, n. iii, l. 10, pro *secundae, tertiae* PABD.
» » l. 15, *apparet* om. AB.

QUAESTIO VIII.

ART. 1, n. ii, l. antepen. col., post *formalis, simpliciter* add. PD.
ART. 2, n. 1, l. 1, *secundi articuli* PD.
» n. ii, col. 2, l. 7, *corpus* om. P. – Lin. seq., *Ex iis* AB.
ART. 3, n. ii, l. 4, *homines* om. P.
» » l. 21, *etiam* om. PD.
» n. iii, l. 4 a fin., pro *in, de* A.

Art. 4, n. i, l. 13, *enim* om. P.
» » col. 2, l. ult., *ad Philipp.* Pd.
» n. ii, l. 7, *oporteret* P.
Art. 5, n. v, l. 7, *corrumpit* Pd.
Art. 7, l. 10, *adducuntur* Pd.
Art. 8, n. ii, l. 16, post *Christo, est* add. Pd.
» n. iii, l. antepen., *Lucifer* P.

Quaestio ix.

Art. 1, n. ii, l. 18, *debent* P.
» » l. 27, *IV de Trin.* Pabd.
» n. iii, col. 2, l. 5-7, *Christi... humanae* om. P.
» n. iv, l. 4, *sit* om. Pd.
» n. vi, l. 5, *istae* Pd.
» » l. penult. col., pro *Item, Idem* Pd; et statim add. *dum* post *redit.*
Art. 2, n. i, l. 19, *truncatae* Pd.
» n. iv, p. 142, l. 6, *ad* om. Pd.
Art. 3, n. ii, l. 14, *conclusionem* Pd.
Art. 4, n. i, l. 14 a fin., *ex II Caeli* Pd.
» n. ii, l. 5, *in* om. a.
» n. iii, l. 3, *propria* om. P.
» n. vii, l. 6, *contrarium* Pbd.
» » l. 8 a fin., *sic* om. P.
» n. viii, l. ult., *infusio* Pad.
» n. x, l. 3, *vera* Pd.
» » l. penult. col., pro *citra, circa* Pd; et lin. seq., *beatus.*
» n. xii, l. 4, pro *quidem, quoniam* a.
» n. xiii, l. 4, *carere* Pd.
» n. xiv, l. 11 a fin., pro *esset, esse* Pd. – Post quatuor lin., *absolutae* P.

Quaestio x.

Art. 2, n. v, l. 11, pro *seu, ceu in* P, *seu in* d.
» n. vii, l. 9, *secundum* Pd.
Art. 3, n. i, l. 17, *secundum* P.
Art. 4, n. iii, l. 4, *stat* Pd.

Quaestio xi.

Art. 1, n. i, l. 2, *unica* Pd.
» n. ii, l. 13, *potentiae* P.
» n. v, l. 7, *ea* P.
» n. vi, l. 4, *speciem* P.
Art. 2, n. ii, l. 12, *cum* om. ab.
Art. 3, l. 4, *est* om. P.
Art. 4, n. ii, l. 12 a fin., *collationes* Pd.
» n. iii, p. 163, l. 3, *est* om. P.
» » » l. antepen., *ex* om. Pd.
Art. 5, n. i, l. 11, *in* om. Pd.
» n. ii, col. 2, l. 1, *in* om. Pd.
» n. iii, l. 1, *primo*. Ita Pabd, licet *secundo* non sequatur.
» » l. 9 a fin., *indeterminata* P.
Art. 6, n. iii, l. 2, [*occurrit*] om. Pab, d habet.
» n. iv, l. ult., *repraesentantur* Pd.

Quaestio xii.

Art. 1, n. ii, l. penult., *Metaphysicae I* P.
Art. 2, l. 6, *et* om. Pab.
Art. 4, n. ii, l. 9, pro *unicuique, quicumque* P.

Quaestio xiii.

Art. 1, n. i, l. penult. col., *esse* om. Pd.
Art. 2, n. iii, l. antepen., *ponit* P.
» n. iv, l. 5, *et* om. Pd. – Lin. seq., *Durandi* P (*Durand.* d).
» » l. 8, *est* om. a.
» » l. 24, *suam* om. Pd; et statim pro *subiit, subiicit;* b om. *deitatem... testificandam.*

Art. 2. n. v, p. 175, l. 4, *serra* Pabd.
» » » l. 10, pro *motum, modum* Pd.
» » » l. 14, primum *et* om. Pd.
» n. vi, l. 12, pro *in esse*, primo loco *inesse* Pd, altero loco P.
» » col. 2, l. 8, pro *ego, ergo* Pd.
» » » l. 4 a fin., *utetur* P.
» n. vii, l. 7 a fin., pro *sit, fit* P.
Art. 4, n. v, l. 3, *praeceptum* Pd(a?).

Quaestio xiv.

Art. 2, n. i, l. 5, *actionis* a.
Art. 3, n. i, col. 2, l. 3, pro *consequentia, conclusio* Pbd(a?).
Art. 4, n. ii, p. 184, l. 1, pro *ut, et* Pd; et lin. seq., om. *in.*
» n. iii, col. 2, l. 1, pro *complexio, copulatio* Pd.

Quaestio xv.

Art. 1, l. 1, *unica* Pd.
Art. 2, n. i, l. 7, *rationalem* Pabd.
» n. ii, col. 2, l. 2, *perfectae* Pd.
» » » l. 12, *vulneratus est* Pd; et post duas lin., *perfectae.*
Art. 3, n. ii, col. 2, l. 6, pro *quam, et* a.
Art. 5, n. iii, col. 2, l. 1, pro *singulares, singulos* P.
» » » l. 6, *sit* Pbd.
» » » l. 14, *causandam* Pd.
Art. 6, n. ii, l. ult., *spectant* P.
Art. 7, n. i, l. 1, *clarus est* Pbd.
» n. iv, l. 12, *intellectae* P.
Art. 9, p. 196, l. 6, *haec* P.

Quaestio xvi.

Art. 1, n. v, p. 200, l. 1, pro *est et, et est* Pd.
» » » l. 13, *uniones* Pd.
» n. vii, l. 12, *supponitur* Pd.
Art. 4, n. iii, l. 2, *in* om. P.
Art. 5, n. iii, l. 9, post *sed, etiam* add. Pad.
» » l. ult., pro *concretis, contractis* P.
Art. 6, n. i, l. 1, *clarus est* Pd.
» n. iii, l. 2, *est quia* om. Pd.
Art. 7, n. v, l. 33, *impersonalem* Pb.
» n. viii, col. 2, l. 19, *et proprietatem* om. P.
» » » l. 8 a fin., pro *ea, eo* Pd.
» n. ix, l. 3, pro *qui, quia* Pabd.
» » l. 13, *relative* P.
Art. 8, n. iii, l. 12, *expositae* Pd.
» n. v, l. 9, *praedicarentur* Pd.
Art. 9, n. i, l. 7, *Neque* Pd.
» n. ii, l. 18, *habeat* P.
» n. v, l. 4, pro *Quoniam, Quia* Pd.
» n. vi, l. 12 a fin., *tamen* om. a.
Art. 10, n. ii, l. 10, *quod* om. a; et lin. seq., om. *est.*

Quaestio xvii.

Art. 1, n. iv, l. 1, *duplex* om. a; et post lin., om. *quia.*
» n. vi, l. 6 a fin., *redit ad* om. P; et post *respondendum* add. *est.*
Art. 2, n. ii, l. 7 a fin., *esse* primo loco om. Pd.
» n. iii, col. 2, l. 7, post *autem, et* add. P.
» n. vi, l. 9, *inventa*, ex margine ab, om. Pabd.
» » col. 2, l. 13, *efficaciorem* Pd; post lin., *responsione;* et lin. ult., om. *et.*
» n. vii, l. 13, *In his* Pd.
» » l. 25, *unum* om. Pd.
» n. viii, l. 10, *Et primo etiam arguit* P.
» n. ix, l. 1, *Christum* Pd.
» » l. 4, *illam* om. a.
» n. x, l. 6 a fin. col., *conservatur* Pd.

Art. 2, n. xvii, l. 2, *ad primam* P.
» » l. 34, *et* om. P.
» » col. 2, l. 17 a fin. col., pro *est, ex* Pb; item d, sed praeced. *anima* in *animam* vertit.
» n. xviii, l. 8, *unum* om. P.
» n. xxi, l. 6, pro *est, esse* b, om. P.
» n. xxiii, l. penult. col., *humanitatis* Pd.
» » col. 2, lin. 5, pro *nec, non* Pd.
» n. xxiv, l. 13, pro *qua, quia* P; et lin. 16, pro *ut, et* Pd.

Quaestio xviii.

Art. 2, n. ii, l. 3, pro *sensualis, sensualitas* P.
Art. 5, n. ii, *quaesito cum distinctione* Pd.
» » l. penult. col., *probandum* P.
» n. iv, l. 11 a fin., *III* om. P.
Art. 6, n. i, l. 2, quae addit P, leguntur etiam in d.

Quaestio xix.

Art. 1, n. i, l. 4 a fin. col., Pd ponunt *quidem* post *est*, et post *una* omittunt.
» » col. 2, l. 5, pro *ut pure, ut pote* Pd.
» n, iii, l. 3, *primo modo* Pd.
» » l. 5 a fin. num., pro *alia fit, aliam sit* P; d *sit persona et alia sit.*
» » l. penult., *propria* P.
Art. 2, n. iii, l. ult. col., *accepta* Pd.
» » l. antepen. num., *appetitus* Pd.
» n. iv, l. 8, *propriam* Pd.
» » l. 10, pro *unamet, unam et* Pd.
» » l. 6 a fin. col., pro *hinc, hic* Pd. – Lin. seq. *specifice* P.
Art. 3, n. v, l. 4 a fin., *in ipso* Pd.
Art. 4, n. ii, l. 5, *ad tertium* Pabd.

Quaestio xx.

Art. 1, n. i, l. 2, *scilicet* om. Pd.
Art. 2, n. i, l. 2, *colligit* a.
» » l. ult., pro *mota, nota* Pabd.

Quaestio xxi.

Art. 4, n. i, l. 1, *una est* Pd.

Quaestio xxii.

Art. 3, n. iii, l. 7 a fin., *causandam* Pd.
Art. 5, col. 2, l. 1, ab *est... Christi* in margine ponunt.

Quaestio xxiii.

Art. 3, l. 14, pro *quam*, ex marg. a, *quae* Pabd.
» l. penult., *Quoad ly vero* Pad.
Art. 4, n. iii, l. 11, *illam* Pd.

Quaestio xxiv.

Art. 1, n. iv, p. 271, l. 22, *hunc* Pd.

Quaestio xxv.

Art. 3, n. iii, l. 10, *deberet* Pd.
» » l. 14, *est* post *imago* transf. Pbd.
» n. v, l. 8 a fin., pro *movet, nonet* P.
» n. vii, l. 10 a fin., *ponas* Pd.
» n. ix, l. 21, *cherubim* P.
» n. x, l. antepen., *circumstantia* Pd.
» xi, col. 2, l. 13, *propositae* Pd.
Art. 5, n. i, l. 1, *Titulus clarus est* om. Pd; alterum *est* om. P.
Art. 6, l. 1, pro *clarus, hic clarissimus* Pd.

Quaestio xxvii.

Art. 1, n. i, l. 1, *Titulus clarus est* om. Pd.
Art. 2, n. ii, l. 1, pro *hic, hinc* P(a?).
» » l. 11, *modo* om. Pd.
» » l. antepen., pro *Vel, ly* Pd.
» n. iii, l. antepen., *quae* Pd.
» n. v, l. 10, *salvari* Pd.
» n. vii, l. 8, pro *constat, stat* Pd.
Art. 3, n. iii, l. 2, *in ordinata* P.
» » l. 13, *II Polit.* P; et post lin., *sed expositione.*
» n. vii, l. 12, *contigit* P.
» » l. 19, pro *sed, licet* Pd.
» n. viii, l. 26, *ad exteriorem* Pd.
» » l. 33, *reliquit* Pd.
» » l. 39, *loquitur* Pd.
Art. 4, n. iii, l. 5, *admirative* Pd (ab inter *e* et *ae* non distinguunt).
Art. 5, n. ii, l. 1, pro *hic, ergo* Pd.
» n. iii, l. 8 a fin., pro *quia, qui* P.
» n. iv, l. 12, *omnes* P.
Art. 6, n. i, l. 23, pro *sicut, sic* a.
» n. iv, l. 7, post *principe, cum ritu* add. Pd.
» n. vii, l. 6, ad *sanctificantia, vel sanctificanda* marg. (a?)b.

Quaestio xxviii.

Art. 2, n. i, l. 1, post *duo, fiunt* add. Pd.
» n. ii, l. 4, *qu. XLIII* P(a?)bd.
Art. 3, l. 1, *clarus est* Pd.
Art. 4, p. 309, l. 6, *voverit* Pd.

Quaestio xxix.

Art. 1, n. ii, l. 8 a fin., pro *sit, fit* P.
Art. 2, n. i, l. 1, *Titulus clarus* om. Pd.
» » l. 11, *ponitur* Pd.
» n. ii, l. 7 a fin., *adulterio* Pd.
» n. iii, p. 314, l. 16, pro *eam sua, sua eam* Pd.
» » » l. 7 a fin., *intelligendum* Pd.

Quaestio xxx.

Art. 1, n. iii, l. 1, post *cum, autem* add. P.
Art. 2, n. i, l. 1, *Titulus clarus* om. Pd; et post *unica* add. *est.*
» n. iii, l. 5, post *latitudinem, titulationem* add. Pd.
Art. 4, n. iii, l. 6, pro *admirando, admittendo* P.
» n. iv, l. 5 a fin., *sensuales* Pd.

Quaestio xxxi.

Art. 1, n. i, l. 2 et 6, pro *materia, Maria* Pbd.
» » l. ult., *humana natura* Pd.
Art. 2, l. 1, *clarus est* Pd.
Art. 3, n. ii, l. ult., *salventur* Pd.
Art. 5, n. ii, l. 8, *dicentis* Pd.
» n. iii, l. 2, pro *nodi, modi* P.
» numerus iv, quem P om., etiam in d omittitur.

Quaestio xxxii.

Art. 3, n. i, l. 3 et 5, *perfectae, imperfectae* Pd.
» » l. 3, Pd: *secundum quid. Attenditur secundo.*
Art. 4, n. i, l. penult., *est* om. a.
» n. iii, l. 20, *I Caeli* Pab (d corrigit).
» n. vi, l. 9 a fin., pro *certo, toto* P.
» n. vii, l. 4 a fin., cap. *XL* P.

Quaestio xxxiii.

Art. 1, n. i, l. 2, *forma* Pd.
» n. iv, l. 2, *in IV dist.* Pabd.
» » l. 15, *et* om. Pd; itemque lin. antepen.

QUAESTIO XXXIV.

ART. 1, n. II, l. 5, *gratiae* PBD.
ART. 2, n. I, l. antepen., pro *visus, usus* PD.
ART. 4, n. I, l. 7, post *gratiam, et* add. PBD.
» » l. 5 a fin., pro *maioram, maior est* PD.
» n. II, p. 350, l. 4, *subdit* PD.
» » » l. 4 a fin., *tanta* om. A.

QUAESTIO XXXV.

ART. 1, n. I, l. penult., *a* om. PD.
» n. II, l. antepen., *actu* A.
» n. IV, col. 2, l. 4, pro *exclusio, conclusio* PBD.
» » » l. 8 a fin., pro *semper, super* PBD.
» n. V, l. 8 a fin., pro altero *generat, significat* P.
ART. 5, n. II, l. 4, pro *aequalitatis, qualitatis* PD.
» » l. 8, pro *filius, filiatio* PABD; statim tamen legunt *quem.*
» n. III, l. 1, pro *Quoad, Ad* PD.
» » l. 6, *nec* PD. – Lin. ult., P om. *realis.*
» n. IV, l. 1, iterum pro *Quoad, Ad* PD.
» n. VIII, l. 6, *ut... ut.* Ita marg. PAD; *unde relatio aut unde* PABD. Statim *relationes* marg. PD.
» » l. 10, *Ergo etc.* PD.
» n. X, l. 5, 6, pro *ad dubium secundum, ad dubium trigesimumtertium* PAD, *ad dubium tertium* B.
» » l. 10, *radicabilis* PD.
» n. XIV, l. 1, *secundum* PABD. – Lin. 3, *primo* om. castigator A; vid. supra pag. XLV.
» » l. 13, *iudicaretur* PD.
» » l. 16, *rationis* PD.
» n. XV, l. 12, pro *medium, membrum* PD.
» » l. 16, *fundamentali* PD.
» n. XVII, l. 10, pro *numero, modo* PD. – Lin. seq., *consequente ad* P; B om. *relatione... propriam* (et pro *actionem, actione*).
ART. 6, n. I, l. 1, *clarus est* PD.
ART. 7, n. I, l. 2, [*convenienter*] om. PABD.

QUAESTIO XXXVI.

ART. 1, n. III, l. 6 a fin., *manifestata* PD.
» n. IV, l. 1, *etc.* om. PD.
ART. 5, n. II, col. 2, l. 1, 2, *Manifestatio debet fieri signa per* (*per signa* D) *familiaria* PD.
ART. 6, n. II, l. 2, *non* om. PD.
» » l. antepen., post *itinere, provenisse* add. PBD.

QUAESTIO XXXVII.

ART. 1, n. IV, l. 19, *in Indiae* (P, *in India* D). – Lin. seq., post *qui,* add. *et* PBD.
» » l. 6 a fin., *toleraretur* A.
ART. 2, l. 1, *clarus est* PD.
ART. 3, n. I, l. 1, *clarus est* PD.
» n. III, l. ult., *offerebatur* PD.
» n. IV, l. ult., *mandatur* PD.

QUAESTIO XXXVIII.

ART. 3, n. I, l. 1, *clarus est* PD. Item art. 4 et 5.
ART. 6, n. I, l. 10, pro *insupplibilis, inseparabilis* PAB (D corrigit).

QUAESTIO XXXIX.

ART. 1, l. 1, *clarus est* PD. Item art. 2 et 4.
ART. 5, l. 4, pro *primo, quia* PABD.
ART. 7, num. II, quem P om., etiam in D omittitur.
ART. 8, l. penult., *descendit* om. A.

QUAESTIO XL.

ART. 1, l. 7, *in illa* PD.
» l. 20, pro *vagasse, vacasse* PD.

QUAESTIO XLI.

ART. 1, n. I, l. 2, [*convenienter*] om. PABD.
ART. 3, l. ult., *prosequentibus* PABD.
ART. 4, n. I, col. 2, l. 1, *declaratur* A.
» n. III, l. 28, *scilicet* om. A.
» n. VI, l. 7, *explicet* A.
» » l. penult., *et Iacobum et* P.

QUAESTIO XLII.

ART. 1, l. 11, *Excellentiam* PBD.
ART. 2, n. I, l. 10, *et Pharisaei et* P.
ART. 4, n. III, l. 8 a fin., *Ier. XXX* PABD.
» n. IV, l. 3, pro *oppositionibus, opinionibus* PABD.

QUAESTIO XLIV.

ART. 1, n. III, l. antepen., *et noluisset* om. PD.
ART. 2, n. I, l. antepen., *et* om. PD.
» n. II, l. 9 a fin., pro *inferioris, interioris* PD.
ART. 4, l. 1, *clarus est* PD.

QUAESTIO XLV.

ART. 1, l. penult., *Act. IV* PABD.
ART. 2, n. II, l. 13, pro *qualitatis, quantitatis.*
» n. IV, col. 2, l. 7, *animae* PAD. – Post tres lin., *actualiter* PD; et lin. seq. om. *Et.*
» » » l. 23, *sufficit* PD.
ART. 3, l. 1, *clarus est* PD; et lin. ult., om. *etc.*
ART. 4, l. 1, *Titulus clarus* om. PD.

QUAESTIO XLVI.

ART. 1, n. I, l. 5, *ex* om. PD.
» n. II, l. ult., *sunt clara* PD.
ART. 2, n. I, col. 2, l. 3, *potest* P.
ART. 4, n. II, l. penult., *et* om. PD.
ART. 5, n. I, l. penult., *spiritali* P.
» n. IV, l. 10–13, *In cuius... deificaret,* quae P om., in D habentur.
ART. 7, n. II, col. 2, l. 7, *dist. V* PABD.
» n. III, l. 4, *passio* om. P.
» n. IV, l. 2, [*XIV*] om. PABD.
» n. V, col. 2, l. 12, pro *divinae, dicitur* PD.
» n. VI, l. 8, *statum* om. PD.
ART. 8, l. 7 a fin., *est* om. P (*capax est* D).
ART. 9, n. III, l. 5 a fin., *parasceve* PD.
» n. IV, l. 10, *maximae* P.
ART. 11, l. 6, pro *etiam, esse* PD.

QUAESTIO XLVII.

ART. 1, n. VIII, l. 5 a fin., *patientiae* PD.
ART. 5, n. II, l. 17, [*non propter*] om. PABD.
» n. III, l. 5 a fin., *audire* P. – Lin. seq., *et* om. PD.
» n. IV, l. 4, *Matth. 81* P, quod D corrigit in *Matth. 18.*
» n. V, l. 10 a fin. col., *dubitanda* P(A?)B, *dubia* D.
ART. 6, n. I, l. 4 a fin., pro primo *est, et* PD.
» n. II, l. 8, *esse* om. PD.

QUAESTIO XLVIII.

ART. 2, n. III, col. 2, l. 4, *infert* PD.
ART. 3, n. I, l. 11, pro *reliqua, aliqua* PD.
ART. 5, n. II, l. 4 a fin., *personale* PD.
» n. III, p. 469, l. 28, pro *ac, et* P.

Quaestio xlix.

Art. 5, n. ii, col. 2, l. 6, *ex* om. P.
Art. 6, n. i, l. 9, *debito* Pd.
» n. ii, l. 5, *ut* om. P.

Quaestio l.

Art. 2, n. ii, l. 1, *quia* add. Pad.
» » l. 4, *assistentiae* Pd.
Art. 4, l. 4, *ad invicem* P.
Art. 6, n. ii, loco *pro per, propter* Pd.
» n. iii, l. penult., *contrarium* Pd.

Quaestio li.

Art. 1, l. 1, *clarus est* Pd.
Art. 2, l. 4, *sunt clara* Pd.
Art. 4, n. i, l. 1, *Titulus clarus* om. Pd.
» n. iv, l. 4, pro *in claro die, incluso die* Pd, *in circulo die* b.

Quaestio lii.

Art. 2, n. ii, col. 2, l. 1, *unusquisque* Pd.
» n. iii, p. 495, l. 6, *sanctis Patribus* Pd et castigator a; vid. supra pag. xlv.
» n. vi, l. 9, *nec* Pd.
» » l. 33, *valde* om. Pd.
» » l. 11 a fin. col., *horas* Pd.
» » l. 4 a fin. col., pro *Patribus, partibus* P.
» » p. 496, pro *Praetereo, Praeterea* Pd.
» n. vii, col. 2, l. 1, pro *Et sic, etc.* Pd.
» » » l. 2, *ratione* Pd.

Quaestio liv.

Art. 3, n. ii, l. 5, *nova* om. P.
» num. v, quem P om., omittitur etiam in d (ubi hic articulus secundus numeratur; cf. art. 2, not. α).
Art. 3, n. vi, p. 513, l. 5 a fin. col., *aegritudinis* Pd.
Art. 4, l. 3, pro *Conveniens fuit, Convenit* Pd.

Quaestio lv.

Art. 3, l. 5, *prima* Pd; lin. seq., *secundae* P.
Art. 4, n. ii, col. 2, l. 1, pro *operationi, opinioni* Pd.
Art. 5, col. 2, l. 1, *argumenta* P.
Art. 6, l. 10, *potest* P.

Quaestio lvi.

Art. 1, n. i, l. 3, pro *Primo ratione Primum, Primo ratione principii* Pd.
Art. 2, col. 2, l. 2, pro *ut ibi, ubi* Pd.
» » l. 4, *ut* om. Pd.

Quaestio lvii.

Art. 4, n. iii, l. 8 a fin., *incorporalem* P.

Quaestio lviii.

Art. 1, n. ii, col. 2, l. 3, *resurrexit* Pd.
Art. 3, l. 1, *clarus est* Pd; et lin. 7 a fin., *conclusio idest.*
Art. 4, l. 1, *clarus est* P.

Quaestio lix.

Art. 2, l. 1, *clarus est* P. – *Tria* Pabd; licet infra habeatur *Quarto.*
» l. ult., *patet* Pd.
Art. 3, l. 1, *clarus est* Pd.
Art. 5, n. i, l. 1, *est* post *una* om. P. – Lin. 16, pro *effectibus, fructibus* castigator a; vid. Praef. pag. xlv.
» n. ii, l. 8, *parte* om. Pd.
» n. iii, l. 6, pro *praemiatum, praemium* P. – Post lin. *Ezech. XXVIII* Pabd.



Siglorum interpretatio.

A . . .	Cod. Par. Nat. fonds Latin 15800.
B . . .	» Vat. 748.
C . . .	» » 750.
D . . .	» » 10157.
E . . .	» » Ottob. 207.
F . . .	» » 747.
G . . .	» » 749.
H . . .	» Neapol. Nat. VII. B. 7.
I . . .	» » » » » 15.
P . . .	Ed. Piana.
a . . .	» princeps.
b . . .	» Tarvisii anni 1476.
c . . .	» s. l. anni 1478.
prima	ABCD*a*.
tertia	PGHI*bc*.
editiones . . .	P*bc*.

ceteri . . . . sigla omnium codicum, manuum et editionum ex deductione omnium in nota praecedentium siglorum remanentia repraesentat.

Edd. Comment. Card. Caiet.

P . . .	Editio Piana. 1570.
A . . .	» Venet. 1523.
B . . .	» Bonon. 1528.
D . . .	» Patav. 1698.

TERTIA PARS

SUMMAE THEOLOGIAE

SANCTI THOMAE AQUINATIS

CUM COMMENTARIIS

CARDINALIS CAIETANI

AD

ADRIANUM SEXTUM PONT. MAX.

THOMAE DE VIO CAIETANI

CARDINALIS S. SIXTI

IN TERTIAE PARTIS DIVI THOMAE AQUINATIS COMMENTARIOS

PRAEFATIO



SAPIENTIA ATTINGIT A FINE USQUE AD FINEM FORTITER AC DISPONIT OMNIA SUAVITER. *Sapientiae VIII.* Etsi divinam hanc sententiam, BEATISSIME PATER, in mundi administratione Deus Optimus Maximus omni tempore verissimam esse ostendit, dum sua praepotente vi haec omnia pulcherrima opera effecit quae videmus, atque, pro sui incomprehensibilis consilii prudentia et benignitate, cum magno usu et commoditate generis humani, in debitos fines dirigit universa: superioribus tamen diebus singulari quadam ratione altitudinem illam divitiarum sapientiae et scientiae suae, qua fortiter et suaviter agit, sese ad nos inclinasse clarioribus omni luce signis monstravit. Nam cum pro deligendo Pontifice Maximo in conclavi essemus, undaeque illae comitiorum quodam quasi aestu effervescerent tantoque impetu studiorum huc illuc incertae ferrentur, ita ut nulla deinde iam spes, in tanta Patrum dissensione, creandi Pontificis haberetur, ecce repente Aeterna Sapientia, emisso in nos Spiritu Sancto, qui quondam super aquas ferebatur, fluctus varios motusque petentium sedavit, atque humanos conatus devicit fortiter. Ad unius namque vocem, ut de Ambrosio legitur, qua Cardinalis Dertusensis Pontificatu Maximo dignus ostendebatur, ita, Deo agente, omnes commoti sunt ut sine mora omnium suffragiis in Summum Pontificem deligereris. Quis vero digitum Dei hunc fuisse non videat? Nam cum hominum consilio et favoribus ea res agitur: petitorum praesentia, quae urgeat Principum gratia et favor, ceteraque id genus quam plurimum valere solent. Tantum vero abest ut eiusmodi Tu rationibus fretus, quibus homines niti consuevere, hanc celsissimam Apostolicae dignitatis Sedem conscenderis, ut, cum Hispaniam provinciam Caesaris nomine gubernares Patribus fere omnibus ignotus, Principumque favores ad alios accederent, a Te uno unus Spiritus Sanctus non recesserit, sed omnes vicerit fortiter, ut, nulla habita ratione absentiae tuae, quae non parum detrimenti Christianae Reipublicae afferre posse videbatur, nulla quod nunquam Romae fuisses, id quod periclitanti Ecclesiae ac praesentaneo remedio indigenti obesse non nihil suspicari poteramus, nulla quod Caesaris Doctor et Pater extitisses, quae res factiosorum mentes quam maxime perturbare potuisset, suffragantibus omnibus ad tanti honoris culmen evectus sis. Praeferebat certe nostris oculis Spiritus ille sapientiae et fortitudinis lumen quoddam immensum religionis, pietatis, prudentiae, liberalitatis, integritatis et eruditionis tuae, quibus excellentissimis virtutibus, in tanti muneris functione adhibitis, et absentiae tuae, et nunquam visae a Te Romae damna, si qua forent, cumulatissime sarcires, Teque non Caesari singularem, sed ceteris etiam Principibns, omnibusque aliis Christianis populis, Pastorem, Doctorem et Patrem communem exhiberes. Fortiter igitur nobiscum egit Deus fortis, ut sic itidem suaviter cuncta disponeret. Quid enim suavius Ecclesiae evenire poterat, hoc tempore quo, turpissimis moribus foedata, bonis spiritalibus destituta, ignorantiae tenebris obsessa,

novis haeresum tempestatibus agitata, bellorum tumultibus inter Christianos Principes concussa, Turcarum impietate labefactata ac diminuta existit: quid, inquam, suavius Sponsae isti Ecclesiae, tot ac tantis malis afflictae, evenire poterat, quam Te Sponsum datum divinitus intueri, qui innocentia et vitae integritate veterem illam Ecclesiae sanctimoniam in nostram aetatem revocaturus sis, qui summo studio ac diligentia nihil non instauratum relinques, qui sanae doctrinae splendore illo qui in tot libris quos edidisti lucet omnem ignorantiae caliginem dissipabis, qui clarissima tua auctoritate, divino iudicio nunc tantum amplificata, et nationem Germanam, apud quam semper valuisti quam plurimum, omnibus haeresum maculis, quae nunc in illa funduntur, expurgabis, et, inter Christianos Principes compositis rebus, ferocem Turcam, magnis copiis Italiae minitantem, retardabis exterminabisque? Credo equidem, nec vana erit fides, Optimum Deum, qui suis manibus Te in hac Petri Sede collocavit, istam etiam tibi adversus Turcas felicem victoriam reservasse, ut, prius reformatis per Te Christianorum, et sacerdotum praecipue moribus, barbarae illae nationes tum demum credere incipiant in Christi Ecclesia veram esse religionem et pietatem, quod ob multorum vitae turpitudinem hactenus illis incredibile visum est. Quemadmodum igitur Divina Sapientia in Te deligendo attigit a fine usque ad finem fortiter ac suaviter universa disposuit, ita et Tu, cum primis religione, tum illa etiam, qua maxime fulges, sapientia et consilio, in gubernanda Republica Christiana fines totius orbis attinges fortiter, suaviterque profana et sacra dispones. Ita enim Christianorum omnium vota exposcunt, qui prope voce una in Te spem illam sese habere clamant, ut cuncta instaures ac reformes. Ita virtus tua et integritas requirunt, quibus res omnes, quantaecumque sint et quamtumvis difficiles, Te iampridem gerere et conficere posse probavisti. Ita demum mirabilis haec Tui electio, quae ab illo qui facit mirabilia magna solus profecta est, merito et optimo suo iure postulat, ut iuste iudices in nationibus, ruinas Ecclesiae impleas, avaritiaeque tanquam hydrae capita renascentia igne caritatis extirpes. Mihi vero in hoc communi Christianorum gaudio, quo maxime itidem meae laetitiae signum aliquod et indicium exhiberem oblata est occasio ista, disponente suaviter Spiritu Sancto ut haec nostra in Tertiam Partem Divi Thomae Commentaria, licet superiori anno absoluta fuissent, usque in praesens tamen in publicum non exirent, quo sic Tibi nominatim illa dedicaremus. Cui enim alii potius? Pulchre siquidem congruit ut has nostras de Christo elucubrationes Tibi, Christi Vicario, consecremus, iudexque illarum sis et censor, qui eruditissimus et ovium Christi Pastor existis, ut, cum de tuo nutu Christianarum rerum summa pendeat, nihil eorum quae ad doctrinam pietatis pertinent absque tua censura et comprobatione pervulgetur. Illum igitur cui laboravi, quique non in furore, sed in benignitate sua Te Principem nobis dedit, precor ut Sanctitatem Tuam quam maxime longaevam esse velit, quo felici successu, de tot malis sublevata, Ecclesia in dignitatem pristinam restituatur. Vale, PATER BEATISSIME.

Romae, die X Martii, anno Salutis MDXXII.



TERTIA PARS

SUMMAE THEOLOGIAE

ANGELICI DOCTORIS

SANCTI THOMAE AQUINATIS

ORDINIS PRAEDICATORUM

CUM COMMENTARIIS

THOMAE DE VIO CAIETANI

EIUSDEM ORDINIS

S. R. E. CARDINALIS

PROLOGUS

Quia Salvator noster Dominus Iesus Christus, teste Angelo, *populum suum salvum faciens a peccatis eorum* *, viam veritatis nobis in seipso demonstravit, per quam ad beatitudinem immortalis vitae resurgendo pervenire possimus, necesse est ut, ad consummationem totius theologici negotii, post considerationem ultimi finis humanae vitae et virtutum ac vitiorum, de ipso omnium Salvatore ac beneficiis eius humano generi praestitis nostra consideratio subsequatur *.

* Matth. cap. I, vers. 21.

* Cf. Part. I, qu. II, Introd.

Circa quam, primo considerandum occurrit de ipso Salvatore; secundo, de sacramentis eius, quibus salutem consequimur *; tertio, de fine immortalis vitae, ad quem per ipsum resurgendo pervenimus *.

* Qu. LX.

* Cf. Supplem. qu. LXIX.

Circa primum duplex consideratio occurrit: prima est de ipso incarnationis mysterio, secundum quod Deus pro nostra salute factus est homo; secunda de his quae per ipsum Salvatorem nostrum, idest Deum incarnatum, sunt acta et passa *.

* Qu. XXVII.

Commentaria Cardinalis Caietani

Quia Salvator noster etc. Debitum divo Thomae famulatum persolvere cupiens, expeditis Commentationibus trium Librorum suae Summae, ad ultimum me confero, expositurus textum multarum quaestionum secundum modum in Commentariis Primi Libri inchoatum *, ut petentibus hoc morem geram, ac dicturus quod rationis fideique lumini consonum apparebit, firmando semper ratione aut auctoritate omnem sententiam, ut nullus meae auctoritati reservetur locus.

* Cf. Comment. in Prol. Iae Part.

Dividitur igitur praesens Liber, ut in illius apparet principio, in partes tres principales: quarum prima, de Domino nostro Iesu Christo, usque ad quaestionem sexagesimam protenditur; secunda vero, de sacramentis, inde inchoans, imperfecta relicta est ob immaturam Doctoris mortem; tertia autem, de immortali vita resurgentium, omnino deficit. Nos autem, si eius ope Deus dederit, quasdam adiungemus quaestiones circa utilia ad animarum salutem, quae opportunae apparebunt, ne repetere aliorum dicta contingat *.

* Vide Praefat.; inter Opuscula Caietani, Tom. I, Tract. IV-XIV (Venet. 1612).

Prima autem pars, de Iesu Christo, in sex partes distinguitur. Prima de unione Filii Dei et humanae naturae, usque ad quintamdecimam quaestionem inclusive; secunda de his quae consequuntur unionem, a sextadecima usque ad vigesimamsextam; tertia de ingressu Salvatoris in mundum, a vigesimaseptima usque ad trigesimamnonam; quarta de progressu Salvatoris in hoc mundo, a quadragesima usque ad quadragesimamquintam; quinta de exitu Salvatoris ex hoc mundo, a quadragesimasexta usque ad quinquagesimamsecundam; sexta demum de exaltatione Salvatoris post hanc vitam, a quinquagesimatertia usque ad quinquagesimamnonam, tractat.

Secunda deinde principalis pars, de sacramentis, in octo distinguitur partes: quarum prima de sacramentis in communi, reliquae septem de singulis septem sacramentis singillatim tractant.

QUAESTIO PRIMA

DE CONVENIENTIA INCARNATIONIS

IN SEX ARTICULOS DIVISA

Circa primum * [Cf. Prol., *Circa primum.*] tria consideranda occurrunt: primo quidem, de convenientia incarnationis ipsius [α]; secundo, de modo unionis Verbi incarnati * [Qu. II.]; tertio, de his quae consequuntur ad hanc unionem * [Qu. XVI.].

Circa primum quaeruntur sex.

Primo: utrum conveniens fuerit Deum incarnari.

Secundo: utrum fuerit necessarium ad reparationem humani generis.

Tertio: utrum, si non fuisset peccatum [β], Deus incarnatus fuisset.

Quarto: utrum principalius sit [γ] incarnatus ad tollendum originale peccatum quam actuale.

Quinto: utrum conveniens fuerit Deum incarnari a principio mundi.

Sexto: utrum eius incarnatio differri debuerit usque in finem mundi.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM FUERIT CONVENIENS DEUM INCARNARI

III *Sent.*, dist. I, qu. I, art. 2; IV *Cont. Gent.*, cap. XL, XLIX, LIII, LIV, LV; *Compend. Theol.*, cap. CC, CCI.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non fuerit conveniens Deum incarnari. Cum enim Deus ab aeterno sit ipsa essentia bonitatis, sic optimum est ipsum esse sicut ab aeterno fuit. Sed Deus ab aeterno fuit absque omni carne. Ergo convenientissimum est ipsum non esse carni unitum. Non ergo fuit conveniens Deum incarnari.

2. Praeterea, quae sunt in infinitum distantia, inconvenienter iunguntur: sicut inconveniens esset iunctura si quis pingeret imaginem in qua *humano capiti cervix iungeretur equina* * [Horat. *De Arte Poet.*, vers. 1, 2.]. Sed Deus et caro in infinitum distant: cum Deus sit simplicissimus, caro autem composita [δ], et praecipue humana. Ergo inconveniens fuit quod Deus carni uniretur humanae.

3. Praeterea, sic distat corpus a summo spiritu sicut [ε] malitia a summa bonitate. Sed omnino esset inconveniens quod Deus, qui est summa bonitas, malitiam assumeret. Ergo non est conveniens quod summus spiritus increatus corpus assumeret.

4. Praeterea, inconveniens est ut qui excedit magna, contineatur in minimo; et cui imminet cura magnorum, ad parva se transferat. Sed Deum, qui totius mundi curam gerit, tota universitas capere non sufficit. Ergo videtur inconveniens quod *intra corpusculum vagientis infantiae lateat cui parum* [ζ] *putatur universitas; et tandiu a sedibus suis absit ille Regnator, atque ad unum corpusculum totius mundi cura transferatur;* ut Volusianus scribit ad Augustinum * [Epist. CXXXV, al. II, inter Epist. Aug.].

Sed contra, illud videtur esse convenientissimum ut per visibilia monstrentur invisibilia Dei: ad hoc enim totus mundus est factus, ut patet per illud Apostoli, *Rom.* I * [Vers. 20.]: *Invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur.* Sed sicut Damascenus dicit, in principio III libri * [Cap. I.], per incarnationis mysterium *monstratur simul bonitas et sapientia et iustitia et potentia Dei*, vel virtus: *bonitas quidem, quoniam non despexit proprii plasmatis infirmitatem; iustitia vero, quoniam non alium facit vincere tyrannum* [η], *neque vi eripit ex morte hominem; sapientia vero, quoniam invenit difficillimi decentissimam solutionem; potentia vero*, sive virtus, *infinita, quia nihil est maius quam Deum fieri hominem.* Ergo conveniens fuit Deum incarnari.

Respondeo dicendum quod unicuique rei conveniens est illud quod competit sibi secundum rationem propriae naturae: sicut homini conveniens est ratiocinari quia hoc convenit sibi inquantum est rationalis secundum suam naturam. Ipsa autem natura Dei est bonitas [θ]: ut patet per Dionysium, I cap. *de Div. Nom.* * [S. Th. lect. III.] Unde quidquid pertinet ad rationem boni, conveniens est Deo.

Pertinet autem ad rationem boni ut se aliis communicet: ut patet per Dionysium, IV cap. *de*

α) *ipsius.* – *Christi* editiones.
β) *peccatum.* – *seu homo peccator* addit P.
γ) *sit.* – PFGH; *fuisset.*
δ) *composita.* – *sit* (om. P) *maxime composita* PGI.
ε) *sic... sicut.* – PEIsCG; *sicut... sic.*
ζ) *parum.* – *par vix* H, *parva* G, *parva vis bc.* – Infra *cura* E et tertia praeter H; om.
η) *quoniam... tyrannum.* – *quoniam homine victo non alio quam homine fecit vinci tyrannum* P; mox *eripuit* PF; post *difficillimi* addunt *pretii* PEsCG.
θ) *bonitas.* – *essentia bonitatis* PIsG.

* S. Th. lect. I. *Div. Nom.* * Unde ad rationem summi boni pertinet quod summo modo se creaturae communicet. Quod quidem maxime fit per hoc quod *naturam creatam sic sibi coniungit ut una persona fiat ex tribus, Verbo, anima et carne:* sicut dicit Augustinus, XIII *de Trin.* * (* Cap. XVII.) Unde manifestum est quod conveniens fuit Deum incarnari.

Ad primum ergo dicendum quod incarnationis mysterium non est impletum per hoc quod Deus sit aliquo modo a suo statu immutatus in quo ab aeterno non [ι] fuit: sed per hoc quod novo modo creaturae se univit, vel potius eam sibi. Est autem conveniens ut creatura, quae secundum rationem sui mutabilis est, non semper eodem modo se habeat. Et ideo, sicut creatura, cum prius non esset, in esse producta est, convenienter, cum prius non esset unita Deo, postmodum fuit ei unita [κ].

Ad secundum dicendum quod uniri Deo in unitate personae non fuit conveniens carni humanae secundum conditionem suae naturae: quia hoc erat supra dignitatem ipsius. Conveniens tamen fuit Deo, secundum infinitam excellentiam bonitatis eius, ut sibi eam uniret pro salute humana.

Ad tertium dicendum quod quaelibet alia conditio secundum quam quaecumque creatura differt a Creatore, a Dei sapientia est instituta, et ad Dei bonitatem ordinata: Deus enim propter suam bonitatem, cum sit increatus, immobilis, incorporeus [λ], produxit creaturas mobiles et corporeas; et similiter malum poenae a Dei iustitia est introductum propter gloriam Dei. Malum vero culpae [μ] committitur per recessum ab arte divinae sapientiae et ab ordine divinae bonitatis. Et ideo conveniens [ν] esse potuit assumere naturam creatam, mutabilem, corpoream et poenalitati subiectam: non autem fuit conveniens ei assumere malum culpae.

Ad quartum dicendum quod, sicut Augustinus respondet, in Epistola *ad Volusianum* [ξ] *, (* Ep. CXXXVII, al. III, cap. II.) *non habet hoc Christiana doctrina, quod ita sit Deus infusus carni humanae ut curam gubernandae universitatis vel deseruerit vel amiserit, vel ad illud corpusculum quasi contractam transtulerit: hominum est iste sensus nihil nisi corpus valentium cogitare. Deus autem non mole, sed virtute magnus est: unde magnitudo virtutis eius nullas in angusto sentit angustias. Non est ergo incredibile* [ο], *ut verbum hominis transiens simul auditur a multis et a singulis totum, quod Verbum Dei permanens simul ubique sit totum.* Unde nullum inconveniens sequitur, Deo incarnato.

ι) *non.* – Om. PEFGsI.
κ) *Et ideo... unita.* – *Et ideo sicut creatura est a Deo producta cum prius non esset a Deo producta, ita convenienter cum prius non esset unita Deo postmodum fuit Deo* (*Deo* om. *b*) *unita* H*b*; *Et ideo sicut creatura incoepit esse cum prius non esset, ita convenienter cum prius non esset unita Deo in persona, postmodum ei fuit unita* Pc; *in esse producta... esset* om. pGI; *Deo in persona* etiam FGI; pro *convenienter, convenienter sic* F, *convenienter ita etiam* D, *convenienter ita convenienter* E.
λ) *incorporeus.* – *et incorporeus* tertia.
μ) *culpae.* – EFsBC et tertia; om.
ν) *conveniens.* – *Deo conveniens* PGI.
ξ) *quod, sicut... Volusianum.* – PFGIsH; *quod* (*quod autem* A) *Augustinus respondet ad Volusianum in epistola.*
ο) *incredibile.* – FsC et tertia (*ergo* om. editiones); *credibile*; pro *ut, ut si* F, *si* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo primi articuli primae quaestionis, nota duos terminos: scilicet ly *incarnari*, et ly *conveniens*. Nam ly *incarnari* plus significat quam exprimat. Explicat siquidem nihil aliud quam *carnem assumere*, vel *carnem fieri*: significat autem *hominem fieri etiam secundum carnem*. Ita quod *caro*, ut infimus terminus, quidquid nobilius est in homine concludit: et, ut sic, denominat naturam humanam integram. Nam si Deus usque adeo *semetipsum exinanivit* * (* Ad Philipp. cap. II, vers. 7.) ut convenienter caro fieret humana, multo magis conveniens est quod sit factus homo secundum animam et humanitatem integram. Merito autem theologi hanc divinam exinanitionem vocabulo *incarnationis* significant: quia Ioannes Evangelista, propter dictam rationem, eodem docuit vocabulo, dicens: *Et Verbum caro factum est* *. (* Ioan. cap. I, vers. 14.)

Ly *conveniens*, cum se habeat ad *possibile* ut minus commune ad magis commune, claudit in se *possibile* et addit super illud: omne siquidem conveniens est possibile, sed non e contra, ut patet de monstris; est enim monstrum possibile, sed non est conveniens. Cum conclusum igitur fuerit quod Deum incarnari est conveniens, monstratum erit simul quod est possibile.

Rursus, si perspexeris quod ly *conveniens* absque quacumque determinatione in hoc titulo ponitur, dum non apponitur aliqua limitatio, puta, *ad hoc vel illud, secundum hanc vel illam rationem,* aut aliquid huiusmodi; videbis quod quaestio praesens de convenientia incarnationis, non ad hunc vel illum finem aut effectum, sed absolute est. Et propterea ex propriis Dei et incarnationis absolute decidenda est quaestio ista. Cuius sensus est: *An Deum fieri hominem, etiam secundum carnem, fuerit conveniens.*

II. In eodem titulo primi articuli dubium occurrit, quia Auctor videtur incoepisse saltando. Nam ante istum articulum debebat inquiri an Deum incarnari sit possibile. Tum quia ista quaestio non debet indiscussa relinqui, sed in proprio loco tractari. Constat autem *possibile* esse naturaliter prius quam *conveniens:* cum sit communius, et *innata sit nobis via ex communioribus procedendi,* ut dicitur in I *Physic.* * (* Cap. I, n. 2. – S. Th. lect. I.) – Tum quia Auctor ipse, non solus, in principio III *Sent.* * (* Dist. I, qu. I, art. I.), inchoat a possibilitate. Cur ergo non inde incoepit in hoc opere?

Ad hoc dicitur quod, quia nulla scientia probat suum subiectum, sed supponit illud, ut patet in I *Poster.* * (* Cap. X, n. 4 sqq. – S. Th. lect. XVIII.); et huius Libri subiectum proprium est Iesus Christus, hoc est, Deus incarnatus: ideo ars ipsa exegit ut non quaereretur hic an possibile sit Deum incarnari; hoc enim esset Librum istum non praesupponere Deum incarnatum. Nec tamen omnino indiscussa dubitatio haec relicta est: sed, tractando convenientiam incarnationis ex naturis extremorum, scilicet Dei et humanae naturae, ut in hac littera fit, excluditur impossibilitas incarnationis, et manifestatur simul, ut dictum est * (* Num. praeced.), convenientia eiusdem; ita quod sub titulo convenientiae satisfactum est et materiae de possibilitate incarnationis, et arti procedendi.

Quod autem in III *Sent.* Auctor inchoaverit a possibilitate, non obstat proposito. Quia in illo opere non erat ipse ordinator doctrinae, sed, ut commentator, quaestiones emergentes movebat: hic autem ipse auctor est ordinis doctrinae, et ideo, artificiose procedens, supponit Deum incarnatum, et quaerit de illius convenientia.

III. In corpore eiusdem primi articuli unica est conclusio responsiva quaesito: *Conveniens fuit Deum incarnari.*

Probatur. Unicuique rei conveniens est quidquid competit illi secundum rationem suae naturae. Ergo Deo conveniens est quidquid pertinet ad rationem boni. Ergo Deo conveniens est summo modo se communicare creaturae. Ergo conveniens fuit Deum incarnari.

Antecedens manifestatur ex hoc quod ratiocinari convenit homini quia secundum rationem suae rationalis naturae competit. – Prima vero consequentia probatur: quia ipsa natura Dei est essentia bonitatis, ut Dionysius dicit. – Secunda autem consequentia probatur: quia ad rationem summi boni spectat summo modo se communicare creaturae. Quod probatur: quia ad rationem boni spectat se communicare aliis. – Tertia denique consequentia probatur: quia hoc quod est summum bonum, seu Deum, summo modo se communicare creaturae, maxime fit per hoc quod *naturam creatam sic sibi coniungit ut ex Verbo, anima et carne una fiat persona,* ut Augustinus dicit.

Hic est planus processus litterae.

IV. In antecedente huius processus hoc solum notandum occurrit, quod, propter sui claritatem, in littera manifestatur in una sola natura, cum potuisset inductive manifestari in omnibus: sat enim fuit inchoasse inductionem in re tam manifesta.

In primo consequente, scilicet, *Deo conveniens est quidquid pertinet ad rationem boni,* memento distinguere quod aliud est loqui de ratione boni: et aliud de ratione talis boni, puta angelici, caelestis, humani, leonini, et aliorum specialium bonorum. Multa namque sunt quae spectant ad rationem talis boni quae non spectant ad rationem boni absolute: latrare siquidem ad bonitatem canis, ratiocinari ad bonitatem hominis, moveri ad bonitatem caeli, et sic de aliis propriis bonis creaturarum, spectant; et tamen nihil horum spectat ad rationem boni simpliciter. Et propterea nihil horum convenit Deo. Sed quidquid pertinet ad rationem boni, non limitati ad hanc vel illam naturam creatam, sed absolute considerati, totum conveniens est attribuere Deo: quia natura Dei est ipsa bonitas.

V. Circa secundae consequentiae, scilicet, *Ergo Deo conveniens est summo modo se communicare creaturae,* probationem, scilicet, *quia ad rationem boni pertinet ut se aliis communicet,* etc. *, dubium primo occurrit, quia communicare se aliis nullam perfectionem importat: alioquin Deo ab aeterno, dum se non communicavit aliis, defuisset aliqua perfectio, quod est impossibile. Quod autem nullam perfectionem importat, non spectat ad rationem boni, cui nihil praeter aut extra boni latitudinem convenire fas est. Non recte igitur assumitur quod communicare se aliis pertinet ad rationem boni.

* Num. III.

Circa eiusdem sequelae probationem eandem dubium secundo occurrit, quia inefficax invenitur: quoniam transitur ex naturali conditione boni ad voluntariam boni conditionem. Quod non licere patet ex eo quod voluntaria libere a bono procedunt: non enim inferuntur ex naturalibus, utpote necessariis et alterius ordinis. Non ergo ex quacumque Dei naturali conditione potest efficaciter inferri aliquod opus ipsius liberum, ut patet. – Manifestatur autem hunc errorem in hoc passu intervenire: quia ex spectantibus ad rationem boni infertur summum bonum, ac per hoc Deum, communicare seipsum creaturae. Constat enim quod pertinentia ad rationem boni conveniunt ipsi bono et Deo naturaliter: et quod communicare seipsum convenit Deo, summo bono, libere. Non recte igitur processum est in littera.

VI. Ad primum dubium dicitur quod, licet posset distingui *communicare se aliis*, secundum quod importat actionem, quae est perfectio agentis in actu, quae in Deo est sua substantia, et secundum quod importat illationem effectus ad extra, ut in Primo Libro * patuit: quia tamen non oportet in proposito ad haec recurrere, scito quod falsum simpliciter est quod communicare se aliis non importat perfectionem. Et probatio eius non valet, ex eo quod non ponit perfectionem in communicante, inferens, *Ergo non importat perfectionem:* stat enim quod importet perfectionem, et non in communicante, sed in illis quibus communicatur. Et vere sic est: nam bonum communicare seipsum aliis, dato quod nullam addat perfectionem bono communicanti seipsum, necessario tamen perfectionem ponit in illis aliis quibus seipsum communicat. Et ad naturam boni spectat communicare seipsum aliis, non ut ipsum communicans sit melius, sed ut alia bonificentur per ipsum. Et propterea ratio litterae verum assumit, et optime procedit ad intentum.

* Qu. XLVI, art. 1, Comment. num. III.

Ad secundum dubium dicitur quod, cum bonum sit unum transcendentium, et comprehendat sub se non solum bonum secundum esse naturae, sed etiam bonam voluntatem; ac per hoc, abstrahat ab utroque essendi et causandi modo, scilicet per modum naturae vel voluntatis: consequens est quod id quod pertinere dicitur ad rationem boni, non minus quam ipsum bonum et illius ratio, abstrahat a modo naturae vel libertatis. Ac per hoc, communicare seipsum pertinere ad boni rationem intelligendum est non determinate per modum naturae aut libere, sed communiter et indeterminate, ut in unoquoque verificetur secundum illius modum. Unde et in littera non concluditur aliquis dictorum modorum communicandi se: sed absolute quod communicare seipsum creaturae supremo modo, sive hoc fiat naturaliter sive libere non exprimendo, spectat ad summum bonum; ea ratione quia, si bono convenit communicare se, consequens est quod magis bono convenit magis communicare se, et consequenter summo bono convenit summe communicare se. Unde patet quod non infertur voluntarium ex naturali: sed commune ex communi.

VII. In tertia consequentia *, memento, primo, formaliter intelligere terminos: distinguendo de creatura; vel de creatura tali, puta homine, angelo, vel caelo, etc. Nam non est hic sermo de creatura tali, sed de creatura absolute, cum assumitur quod summo bono convenit summo modo se communicare creaturae.

* Num. III.

Notate, secundo, *verba,* et *signate mysteria* *. Ex *summo modo communicare se creaturae* infertur incarnationis convenientia. Tribus namque modis, plus quam genere diversis, Deus, qui est ipsum summum bonum, intelligi potest communicare seipsum creaturae. *Primo,* quasi naturaliter communicando seipsum. Et sic communicavit seipsum universo creando et conservando libere universum. – *Secundo,* supernaturaliter communicando seipsum. Et sic communicavit seipsum universo elevando omnes intellectuales et rationales substantias in *consortium divinae naturae* * per gratiam: cuius non solum capaces gratuita benignitate effecit, sed etiam actualiter participes ab initio, ut in Primo Libro * Auctor ex Augustini auctoritate deduxit.

* S. Greg. Magn. Homil. XXIX *in Evang.*

* II Pet. cap. I, vers. 4.

* Qu. LXII, art. 3.

Est autem inter hos duos modos tanta distantia quod iuxta primum modum distributae sunt participationes, imitationes atque similitudines Dei sic ut constituerentur illis substantiae rerum, quas naturas entium dicimus, cum suis conditionibus naturalibus: Deus autem ipse extra et supra totum universum in sibi soli propria excellentissima natura remanet solus, in sui ipsius fruitione beatus. – Iuxta secundum autem modum naturae suae propria Deus communicavit creaturae: scilicet videre Deum, frui Deo viso per essentiam, esse consortem divinae naturae per gratiam inchoative et per gloriam consummate. Quae quia non possunt sic communicari ut naturalia aut connaturalia sint creaturae, ideo supernaturaliter ac ex superabundantiore gratia Deus quod sibi soli ex naturali ordine remanserat proprium, commune fecit creaturae, ut conregnaret cum illo beata in illius quoque visione ac fruitione. Ita quod Dei communio, quae impossibilis est naturali ordini, concessa est secundum supernaturalem ordinem gratiae.

Tam excellentissimus autem est amor Summi Boni erga creaturam ut non sat fuerit illi communicare se secundum naturalem ordinem creaturae, creando universum; nec etiam sat fuerit eidem communicare se creaturae secundum ordinem gratiae, elevando ipsam ad consortium divinae naturae: sed ad id unum quod reliquum erat, et inexcogitabile, elevavit creaturam, ad personalitatem scilicet divinam, quod ad *tertium* et supremum modum communicandi se spectat. Secundum siquidem hunc tertium modum communicat se Deus creaturae, non tribuendo illi

similitudinem aut donum aliquod creatum naturalis vel supernaturalis ordinis: sed propriam personam, secundum suam propriam subsistentiam quam in semetipsa habet, communicat creaturae, sicque sibi Deo et creatae naturae communem personam facit ut creatura, hoc est homo, sit secundum rem Verbum Dei, quod est Deus. Hic procul dubio est summus modus quo summum bonum communicare se potest creaturae: non est enim intelligibilis maior modus quo possit communicari Deus creaturae.

Hoc autem modo Deum communicasse se creaturae, et non solum creaturae tali, ex hoc quod incarnatus est, ex eo patet quod incarnatio est elevatio totius universi in divinam personam. Nam si pure spiritualis natura, ut est angelica, assumpta fuisset, creatura corporea elevata non fuisset. Et similiter, si caelestis natura fuisset assumpta, sensitiva vegetativaque creatura non fuisset huius elevationis particeps. Et similiter, si solam corpoream quamcumque naturam, aut vegetativam, aut sensitivam assumpsisset, intellectualis natura elevata non fuisset. Assumendo autem naturam humanam, quod significatur per incarnationem, totius universi natura elevata est ad divinam personam. Ita quod Deus vere creaturae absolute se summo modo communicavit, quia toti universo se summo modo communicavit, dum incarnatus est: quia, ut in littera ex Augustino dicitur, sic omnia coeunt in unam personam, caro, anima intellectiva et Verbum Dei. Haec enim ideo Auctor attulit ad probandam ultimam sequelam, quia per haec significatur totum universum, ac per hoc communio Dei ad creaturam absolute. Habes ergo hinc potissimam rationem incarnationis ex bonitate divina erga universum, si potissima ratio est quae ex communissimo bono, utpote maxime divino, sumitur: quam Dominus docuit, Ioan. III *: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret.* [* Vers. 16.]

VIII. In responsione ad primum eiusdem articuli primi, nota duplicem modum loquendi de incarnatione: vel dicendo, *Deus univit se creaturae;* vel dicendo, *Deus univit creaturam sibi.* Uterque sanus et Catholicus, et ideo uterque in littera ponitur: sed secundus melior, quia formalis. Et ideo in littera primus corrigitur quodammodo per secundum. Et ratio est quia secundus modus dicendi mutabilitatem significat in creatura, tanquam rem allatam ad Deum, et Deum significat ut terminum, ac per hoc Deus significatur ut immutatus, terminus enim absque sui mutatione terminare potest: in primo autem modo significatur e contra, quantum est ex modo dicendi (non quoad rem dictam). Melius est ergo uti secundo modo loquendi, et dicere: *Deus univit creaturam sibi.*

IX. In responsione ad secundum eiusdem articuli, nota in littera haberi negativam, scilicet, *Uniri Deo in persona non fuit conveniens carni humanae secundum conditionem suae naturae,* et non habetur affirmativa *inconvenientis.* Et merito. Quia vere negatur de quacumque creatura convenientia, et quaecumque naturalis potentia ad unionem personalem cum Deo: falso tamen affirmaretur repugnantia aut inconvenientia ad huiusmodi unionem. Quoniam neutram partem sibi creatura vindicat. Creatura enim, secundum naturae suae conditionem, non habet unde sibi vindicet convenientiam ad talem unionem, nec habet unde sibi vindicet inconvenientiam ad eandem: sed totus ordo creaturae ad huiusmodi unionem ad excellentiam bonitatis et potestatis divinae spectat; sola logica et obedientiae potentia in creatura salvatur.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM FUERIT NECESSARIUM AD REPARATIONEM HUMANI GENERIS VERBUM DEI INCARNARI

III *Sent.*, dist. IV, qu. III, art. 1, ad 3; IV, dist. X, art. 1, ad 3; IV *Cont. Gent.*, cap. LIV, LV; *Cont. Graec. Armen.* etc., cap. V; *Compend. Theol.*, cap. CC, CCI; *In Psalm.* XLV.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non fuerit necessarium ad reparationem humani generis Verbum Dei incarnari. Verbo enim Dei, cum sit Deus perfectus, ut in Primo * habitum est, nihil virtutis per carnem assumptam accrevit. [*Qu. XXVII, art. 2, ad 2. - Cf. qu. IV, art. 1, 2.] Si ergo Verbum Dei incarnatum naturam [α] reparavit, etiam absque carnis assumptione eam potuit reparare.

2. PRAETEREA, ad reparationem humanae naturae, quae per peccatum collapsa erat, nihil aliud requiri videbatur quam quod homo satisfaceret pro peccato [β]. Non enim Deus ab homine requirere plus debet quam possit: et, cum pronior sit ad miserendum quam ad puniendum, sicut [γ] homini imputat actum peccati, ita etiam videtur quod ei imputet ad deletionem peccati actum contrarium. Non ergo fuit necessarium ad reparationem humanae naturae Verbum Dei incarnari.

3. PRAETEREA, ad salutem hominis praecipue pertinet ut Deum revereatur: unde dicitur Malach. I *: *Si ego Dominus, ubi timor meus? Si Pater, ubi honor meus?* [* Vers. 6.] Sed [δ] ex hoc ipso homines Deum magis reverentur quod eum considerant super omnia elevatum, et ab hominum sensibus remotum: unde in Psalmo * dicitur: *Excelsus super omnes gentes Dominus, et super caelos gloria eius;* [* Ps. CXII, vers. 4.] et postea * subditur: *Quis sicut Dominus Deus noster?* [* Vers. 5.] quod ad reverentiam pertinet. Ergo videtur non convenire humanae saluti quod Deus nobis similis fieret per carnis assumptionem.

SED CONTRA, illud per quod humanum genus liberatur a perditione, est necessarium ad humanam salutem. Sed mysterium divinae incarnationis est huiusmodi: secundum illud Ioan. III *: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam.* [* Vers. 16.] Ergo necesse fuit ad humanam salutem Deum incarnari.

RESPONDEO DICENDUM quod ad finem aliquem dicitur aliquid esse necessarium dupliciter: uno modo, sine quo aliquid esse non potest, sicut cibus est necessarius ad conservationem humanae vitae; alio modo, per quod melius et con-

α) *naturam. – humanam naturam* PFGIsH; ad α–δ deficit *c.*

β) *peccato. – Sed homo ut videtur satisfacere potuit pro peccato* addunt PGsH.

γ) *et, cum... sicut.* – PpGsH; *cum... sed sicut* DsG, *cum... sicut autem* sC, *cum... sicut ergo* E, *cum tamen... sicut* F, *cum... sicut* ceteri et *ab.* – Pro *imputat... contrarium, imputat ad poenam actum peccati ita imputare debet ad meritum actum contrarium* P; *imputat ad poenam* etiam GIsH et *b.*

δ) *Sed.* – PGsI; *unde.*

venientius pervenitur ad finem, sicut equus necessarius est ad iter. Primo modo Deum incarnari non fuit necessarium ad reparationem humanae naturae: Deus enim per suam omnipotentem virtutem poterat humanam naturam multis aliis modis reparare. Secundo autem modo necessarium fuit Deum incarnari ad humanae naturae reparationem. Unde dicit Augustinus, XIII *de Trin.* *: *Ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse, cuius potestati omnia aequaliter subiacent: sed sanandae miseriae nostrae convenientiorem alium modum non fuisse.*

* Cap. x.

Et hoc quidem considerari potest quantum ad promotionem hominis in bono. Primo quidem, quantum ad fidem, quae magis certificatur ex hoc quod ipsi Deo loquenti credit. Unde Augustinus dicit, XI *de Civ. Dei* *: *Ut homo fidentius ambularet ad veritatem, ipsa Veritas, Dei Filius, homine assumpto, constituit atque fundavit fidem.* – Secundo, quantum ad spem, quae per hoc maxime erigitur. Unde Augustinus dicit, XIII *de Trin.* *: *Nihil tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram quam ut demonstraretur nobis quantum diligeret nos Deus. Quid vero huius rei isto indicio manifestius, quam ut Dei Filius naturae nostrae dignatus est inire consortium?* – Tertio, quantum ad caritatem, quae maxime per hoc excitatur. Unde Augustinus dicit, in libro *de Catechizandis Rudibus* *: *Quae maior causa est adventus Domini, nisi ut ostenderet Deus dilectionem suam in nobis?* Et postea subdit: *Si amare pigebat, saltem reamare non pigeat.* – Quarto, quantum ad rectam operationem, in qua nobis exemplum se praebuit. Unde Augustinus dicit, in quodam Sermone *de Nativitate Domini* *: *Homo sequendus non erat, qui videri poterat: Deus sequendus erat, qui videri non poterat. Ut ergo exhiberetur homini et qui ab homine videretur, et quem homo sequeretur, Deus factus est homo.* – Quinto, quantum ad plenam participationem divinitatis, quae vere est hominis beatitudo, et finis humanae vitae. Et hoc collatum est nobis per Christi humanitatem: dicit enim Augustinus, in quodam Sermone *de Nativ. Domini* *: *Factus est Deus homo, ut homo fieret Deus.*

* Cap. ii. — * Loc. cit. — * Cap. iv. — * Ser. CCCLXXI, al. *de Divers.* LII, cap. ii (inter dub.). Cf. Ser. CXXVII, al. *de Tem.* XXVI (inter spur.). — * Ser. CXXVIII, al. *de Temp.* XIII. - Inter Opp.

Similiter etiam hoc utile fuit ad remotionem mali. Primo enim per hoc homo instruitur ne sibi diabolum praeferat, et eum veneretur, qui est auctor peccati. Unde dicit Augustinus, XIII *de Trin.* *: *Quando sic Deo coniungi potuit humana natura ut fieret una persona, superbi illi maligni spiritus non ideo se audeant homini praeponere quia non habent carnem.* – Secundo, quia per hoc instruimur quanta sit dignitas humanae naturae, ne eam inquinemus peccando. Unde dicit Augustinus, in libro *de Vera Religione* *: *Demonstravit nobis Deus quam excelsum locum inter creaturas habeat humana natura, in hoc quod hominibus in vero homine apparuit.* Et Leo Papa dicit, in Sermone *de Nativitate* *: *Agnosce, O Christiane, dignitatem tuam: et, divinae consors factus naturae, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire.* – Tertio quia, ad praesumptionem hominis tollendam, *gratia Dei, nullis meritis praecedentibus, in homine Christo* [ε] *nobis commendatur:* ut dicitur XIII *de Trinitate* *. – Quarto, quia *superbia hominis, quae maximum impedimentum* [ζ] *est ne inhaereatur Deo, per tantam Dei humilitatem redargui potest atque sanari:* ut Augustinus dicit ibidem. – Quinto, ad liberandum hominem a servitute [η]. Quod quidem, ut Augustinus dicit, XIII *de Trin.* *, *fieri debuit sic ut diabolus iustitia hominis Iesu Christi superaretur:* quod factum est Christo satisfaciente pro nobis. Homo autem purus [θ] satisfacere non poterat pro toto humano genere; Deus autem satisfacere non debebat; unde oportebat Deum et hominem esse Iesum Christum. Unde et Leo Papa dicit, in Sermone *de Nativ.* *: *Suscipitur a virtute infirmitas, a maiestate humilitas* [ι]: *ut, quod nostris remediis congruebat, unus atque idem Dei et hominum mediator et mori ex uno, et resurgere posset ex altero. Nisi enim esset verus Deus, non afferret remedium: nisi esset homo verus, non praeberet exemplum.*

* Cap. xvii. — * Cap. xvi. — * Serm. XXI, al. XX, cap. iii, (*De Nativ.* Serm. I). — * Cap. xvii. — * Cap. xiii, xiv. — * Serm. cit. cap. ii.

Sunt autem et aliae plurimae utilitates quae consecutae sunt, supra comprehensionem sensus humani.

Ad primum ergo dicendum quod ratio illa procedit secundum primum modum necessarii, sine quo ad finem perveniri non potest.

Ad secundum dicendum quod aliqua satisfactio potest dici sufficiens dupliciter. Uno modo, perfecte: quia est condigna per quandam adaequationem ad recompensationem commissae culpae. Et sic hominis puri satisfactio sufficiens esse non potuit [κ]: quia tota natura humana erat per peccatum corrupta; nec bonum alicuius personae, vel etiam plurium, poterat per aequiparantiam totius naturae detrimentum recompensare. Tum etiam quia peccatum contra Deum commissum quandam infinitatem habet ex infinitate divinae maiestatis: tanto enim offensa est gravior, quanto maior est ille in quem delinquitur. Unde oportuit, ad condignam satisfactionem, ut actio [λ] satisfacientis haberet efficaciam infinitam, ut puta Dei et hominis existens.

Alio modo potest dici satisfactio [μ] sufficiens imperfecte: scilicet secundum acceptationem eius qui est ea contentus, quamvis non sit condigna. Et hoc modo satisfactio puri hominis est sufficiens. Et quia omne imperfectum praesupponit

---

ε) *homine Christo.* – Tertia praeter pG; *nomine Christi.*
ζ) *maximum impedimentum.* – *maxime impedimento* PG.
η) *servitute.* – *peccati* addit tertia praeter pH.
θ) *purus.* – FGHa et editiones; *prius* ABCDE, *primus* I.
ι) *a maiestate humilitas.* – Editiones; *animarum et aliarum rerum* prima et EF, om. GHI.
κ) *potuit.* – *pro peccato tum* addit tertia, *tum* addunt EsC.
λ) *actio.* – *actus* editiones. – Pro *ut puta, utpote* P.
μ) *satisfactio.* – *hominis esse* addunt H et editiones.

aliquid perfectum, a quo sustentetur, inde est quod omnis puri hominis satisfactio efficaciam habet a satisfactione Christi.

Ad tertium dicendum quod Deus, assumendo carnem, suam maiestatem non minuit: et per consequens non minuitur ratio reverentiae ad ipsum. Quae augetur per augmentum cognitionis ipsius. Ex hoc autem quod nobis appropinquare voluit per carnis assumptionem, magis nos ad se cognoscendum attraxit.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo articuli secundi, nota quod in hoc articulo non quaeritur absolute, an Deum incarnari fuerit necessarium, ut in primo articulo fuit quaestio de incarnationis convenientia absolute *: sed quaeritur hic de necessario ad certum finem, scilicet reparationem humanam. Supponitur enim hic genus humanum lapsum perdidisse salutem suam: et quaeritur an ad reparationem ipsius necessarium fuerit Deum incarnari. Et scito quod quaestio ista tractatur a Magistro Sententiarum in III *Sent.*, dist. xx: respectu tamen passionis Christi.

* Cf. art. 1, Comment. Caiet. n. I.

II. In corpore articuli quatuor fiunt. Primo, ponitur distinctio bimembris de necessario ad aliquem finem.

Secundo, iuxta primum membrum, ponitur prima conclusio negativa. Et probatur ex ratione divinae potentiae.

Tertio, iuxta secundum membrum, ponitur secunda conclusio affirmativa. Et probatur, simul cum prima, auctoritate Augustini.

Quarto, probatur sola secunda conclusio tripliciter. Primo, de utilitate ad promotionem ad bonum quintuplex: scilicet fidei, spei, caritatis, operis recti, et divini consortii. – Secundo, de utilitate remotiva mali etiam quintuplicis: servitutis diabolicae, deiectionis propriae, praesumptionis, superbiae, servitutis peccati. – Tertio, quia sunt plurimae aliae incomprehensibiles homini utilitates.

Et contextus litterae clarus est valde.

III. In responsione ad secundum eiusdem secundi articuli, dubia multa occurrunt circa multa ibi dicta *. Dicuntur siquidem ibi quatuor. Primo, quod *purus homo non potuit sufficienter, adaequando culpam commissam, satisfacere pro peccato.* – Secundo, quod una huius ratio est quia *peccatum contra Deum commissum habet quandam infinitatem ex offensa divinae maiestatis.* – Tertio, quod *satisfactio Christi est perfecta secundum adaequationem ad culpam commissam.* – Quarto, quod *omnis puri hominis satisfactio efficaciam habet a satisfactione Christi.* – Et horum singula suas habent obiectiones.

* Cf. num. VII.

Contra primum siquidem arguit Scotus *, in IV *Sent.*, dist. xv, qu. I. Satisfactio est redditio aequivalentis pro aequivalenti. Sed quantum malum fuit aversio a Deo per peccatum, tantum bonum est conversio ad Deum per caritatem. Ergo purus homo potuit aequivalens reddere.

* Cf. num. X.

Praeterea, quantum bonum natum fuit inesse actui meo, tantum bonum, et non plus, abstulit peccatum meum. Et tantum bonum potest inesse actui secundo. Ergo per illum actum omnino aequivalens redditur.

Tertio, Deus, de potentia absoluta, potuisset dare peccatori, post attritionem tanquam dispositionem et meritum de congruo, gratiam per quam motus eius fieret contritio. Et sic per satisfactionem aequivalentem delevisset peccatum: quia per illum actum redderetur Deo aequivalens illi bono quod abstulit peccatum.

Affert quoque Capreolus, in xv distinctione * Quarti, argumentum Aureoli: sed in idem redit cum dictis.

* Art. 2.

IV. Contra secundum dictum *, scilicet quod *infinitas offensae causat impossibilitatem satisfaciendi puro homini,* arguit Scotus ibidem. Si infinitas in peccato prohiberet satisfactionem possibilem, etiam prohiberet eam positam in passione Christi. Quia passio Christi, etiam accepta secundum totam rationem meriti in ea, fuit bonum finitum: quia non erat bonum increatum. Nec per consequens acceptatur a Deo infinite ex parte obiecti: quia non fuit Deus beatus amando illam passionem, sicut est beatus amando essentiam suam.

* Cf. num. XI.

Arguitur etiam quia infinitas offensae non est infinitas simpliciter, sed secundum quid. Ergo non satisfacientem infinitum simpliciter, ut est Filius Dei, sed infinitum secundum quid exigit. Quilibet autem homo amans Deum ex gratia seu caritate est sic operans infinitum secundum quid, ut patet. Non ergo ex infinitate offensae Dei inferri potest efficaciter infinita efficacia satisfacientis sic quod sit suppositum divinum, ac per hoc infinitum simpliciter. Quod tamen in littera fit.

V. Contra tertium *, scilicet quod *satisfactio Christi est condigna secundum aequalitatem ad culpam commissam,* occurrit Durandus, in III *Sent.*, dist. xx, qu. II. Christus, inquantum homo, vel ratione humanae naturae, non potuit reddere aequivalens beneficiis omnibus ab ipso receptis. Ergo non potuit reddere aequivalens pro peccatis humanae naturae: nec ipsiusmet, si peccasset. – Antecedens patet: quia *ad deos et parentes * non potest reddi aequivalens,* ut dicitur VIII *Ethic.* * – Consequentia est nota. Tum quia redditio aequivalentis oportet quod sit de non alias debito illi cui redditur. Tum quia, si actus Christi non sufficit ad adaequandum beneficia, constat quod nihil superest sibi quo possit aliorum culpas adaequare.

* Cf. num. XII.

* P: *quia Deo et parentibus.*

* Cap. XIV, n. 4. - S. Th. lect. XIV.

Et, quia Durandus in verbis istis insinuat se loqui de Christo *secundum quod homo,* quasi abstrahendo a supposito divino, patet oppositum esse de mente eius, dum in IV *Sent.*, dist. xv, qu. I, tam tertium quam quartum hic dictum impugnans, dicit: « Quidam dicunt quod, licet homo ex se non possit satisfacere reddendo aequivalens, potest tamen ex hoc quod sibi communicatur meritum passionis Christi, quod fuit aliquo modo infinitum. Sed primum » (scilicet quod nullus possit reddere aequivalens simpliciter) « videtur melius dictum. Quia nec ipse Christus, secundum quod homo, potuit Deo reddere aequivalens beneficiis acceptis. Cum ergo quidquid erat in Christo secundum humanam naturam, esset totum obligatum Deo et ei debitum, non potuit esse satisfactio de condigno pro quocumque peccato, considerando naturam operis vel rei: sed solum secundum gratuitam acceptationem Dei. » Haec ille. Ubi patet, ex hoc ipso quod impugnat positionem dicentem quod satisfactio Christi est infinita, quod non loquitur de Christo secundum quod homo abstrahendo a supposito divino: quoniam positio illa tenet infinitatem esse in opere Christi humano quidem, sed ratione suppositi, cuius est operari. Sed loquitur de Christi satisfactione quam mediante natura assumpta effecit, tam gratias agendo quam adaequando peccata.

VI. Contra quartum dictum *, scilicet quod *omnis alia satisfactio efficax est ex satisfactione Christi,* occurrit ipsemet Auctor, in IV *Sent.*, dist. xv, qu. I, art. 2, ad 1, dicens: *Alii dicunt quod etiam quantum ad aversionem pro peccato satisfieri potest virtute meriti Christi, quod quodammodo infinitum fuit. Et in hoc idem redit quod prius dictum est* (scilicet quod non potest satisfacere secundum aequalitatem, sed secundum acceptationem divinam): *quia per fidem Mediatoris gratia data est credentibus. Si tamen alio modo gratiam daret, sufficeret satisfactio per modum praedictum.* Ubi patet quod Auctor idem dat iudicium de satisfactione mea, sive habeam gratiam per fidem Iesu Christi, sive aliunde haberem gratiam. Ac per hoc, non fit ex satisfactione Christi satisfaciens simpliciter, sed solum secundum acceptationem: cuius oppositum hic docere videtur. Et similiter non fit ex satisfactione Christi efficax: cuius oppositum expresse hic docet.

* Cf. num. XIII.

VII. Ad horum evidentiam, advertendum est quod quaestio de satisfactione pro peccato tria habet in hoc Opere loca. Primus est hic, ubi de necessitate incarnationis pro reparando humano genere tractatur; secundus est inferius *, ubi de necessitate passionis Christi tractatur; tertius est in tractatu de sacramento poenitentiae, ubi de tertia illius par-

* Qu. XLVI, art. 1.

te, quae satisfactio est, tractandum est *. Et in hoc ultimo loco de satisfactione pro peccato actuali directe tractandum est: in primis autem duobus communius tractatur, quia de satisfactione etiam pro peccato originali tractatur. Unde in praesenti littera duas rationes Auctor attulit ad ostendendum quod purus homo satisfacere non potuit pro peccato, quarum prima directe respicit peccatum originale: secunda autem communiter de peccato, sub quo tam originale, quam actuale quod est simpliciter peccatum, quod constat solum esse mortale, comprehenditur, loquitur. Hinc fit ut onus hoc in loco acceperim disserendi de satisfactoris sufficientia. Non enim rationem secundam litterae, et conclusionem illius, pertransire potui sine huiusmodi discussione. Et nisi obiectiones arguentium exigerent, conclusionem ut ex illa secunda quae impugnatur ratione deducitur tantum tractarem, nec immiscerem vinculum de debito gratitudinis vinculo satisfaciendi, sicut nec Auctor hic miscet: sed reservarem haec tractatui de poenitentia. Unde, ut obiectionibus fiat satis, dicetur et de hoc, quantum oportet hic scire.

* Cf. *Supplem.*, qu. XIII sqq.

VIII. Et quoniam in primo dubio Auctor non videtur intellectus, ideo sensus litterae praedeclarandus est. *Purus homo* in hac quaestione intelligitur non solum per exclusionem coniunctionis cum divino supposito, sed etiam per exclusionem divinae misericordiae gratificantis opus hominis ad hoc quod Deo acceptum sit.

Probo singula ex littera. Exclusio divini suppositi patet: quia purus homo distinguitur contra Christum Deum et hominem. – Exclusio divinae misericordiae gratificantis opus ad hoc quod sit acceptum, patet: quia satisfactio per aequalitatem distinguitur contra satisfactionem per gratiam acceptantis. Ex hac enim distinctione, iuncta primae, patet quod, cum dicitur, *Purus homo satisfacere non potest secundum aequalitatem pro peccato,* et similiter quod *Christus satisfacere potest pro peccato secundum aequalitatem,* sensus est quod, seclusa misericordia Dei acceptantis opus alicuius pro satisfactione, loquendo de viribus puri hominis et viribus Dei et hominis, purus homo non potest satisfacere, Deus et homo potest satisfacere.

Et licet hic sensus sit sufficienter probatus ex littera; et manifestus sit ex hoc quod est vere formalis de puro homine ut satisfactore ipsi Deo pro peccato, et de Deo et homine ut satisfactore Deo pro peccato: amplius etiam manifestatur auctoritate Auctoris in IV *Sent.*, dist. XV, qu. 1, art. 2, ad 1, ubi habet haec verba: *Sicut offensa habuit quandam infinitatem ex infinitate divinae maiestatis, ita et satisfactio accipit quandam infinitatem ex infinitate divinae misericordiae, prout est gratia informata, per quam Deo acceptum redditur quod homo reddere potest.* Haec ille. Ubi clare vides quod divina misericordia gratificans satisfactionem e regione ponitur contra id quod homo reddere potest, et quod constat per misericordem gratiam satisfactionis vim assequi, et satisfactionem etiam infinitam quodammodo esse. – Confirmaturque idem sensus ex divino *Theologiae Compendio ad Fratrem Rainaldum*, in II Parte *, in cap. XVI.

* Al. Part. I, tract. II.

IX. Unde patet primo, quod omnia argumenta inferentia quod homo, concurrente gratia seu caritate, potest satisfacere pro peccato, non sunt contra Auctorem intellectum, sed contra ipsum non vere nec formaliter intellectum.

Patet secundo differentia aliorum ab Auctore. Nam alii doctores caritatem seu gratiam ad satisfactionem concurrentem ex parte hominis satisfactoris posuerunt: et ideo dixerunt purum hominem posse pro peccato satisfacere. Auctor vero gratiam et caritatem ex parte divinae misericordiae gratificantis, ac per hoc acceptantis opus humanum, posuit; hominemque purum cum suis viribus, et similiter Deum et hominem cum suis viribus, ex parte satisfactoris posuit: et ideo dixit illum non posse, Christum vero posse satisfacere. – Et, salva illorum reverentia, dupliciter reprehensibiles sunt. Et quia contra positionem Auctoris apposuerunt suam ut contrariam: in quo monstratur non penetrasse eos hanc positionem. Et quia non formaliter de puro homine et de Deo homine ut satisfactoribus simpliciter vel secundum acceptationem divinae misericordiae, locuti sunt, ut Auctor fecit: – et propterea, tanquam claram, sententiam non aliter probavit. Quoniam clarissima vere est formaliter intellecta.

X. Ad primi ergo dubii obiectionem ex Scoto *, dicitur quod antecedens est verum, ut patet ex allegatis * verbis Auctoris ex IV *Sent.:* sed consequentia negatur. Quia quaestio est de puro homine ut satisfactore per aequalitatem, excludendo divinam gratificationem acceptantem: consequentia autem infert de homine, non excludendo, sed includendo divinam misericordiam acceptantem per gratiam, ut patet.

* Num. III.
* Num. VIII.

Ad secundam dicitur quod, formaliter loquendo, actus meus, ut meus, natus est tollere longe maius bonum potens illi inesse quam possit secundo reponere in seipso: quoniam, ut meus actus, est peccatum mortale tollens caritatem, et, ut meus actus, nunquam poterit caritate informari; iuxta illud Osee XIII *: *Perditio tua ex te, salus autem ex me.* Et propterea cum dicitur, *Tantum bonum potest inesse actui secundo,* negetur, loquendo de actu secundo ut est hominis ut distinguitur contra Deum gratificantem. Nam, loquendo de homine ut includit actum gratificantem, satisfaceret quidem secundum acceptantis gratiam, et non secundum aequalitatem eius quod reddit.

* Vers. 9.

Ad tertiam dicitur admittendo casum, et subiungendo quod in tali casu, quia gratia se teneret ex parte Dei, cui satisfactio fieri debet, ideo non esset satisfactio ex parte hominis, sed ex parte Dei acceptantis per suam gratiam, ut dictum est *. Et ratio est quia satisfactio peccatoris sufficiens simpliciter habet non pro principio, sed pro termino, recuperationem divinae placationis: quoniam ad hoc constat satisfactionem pro offensa illata alicui ordinari, alioquin non repararetur amicitia per satisfactionem. Est ergo caritas per satisfactionem acquirenda ab ipso Deo, et non praesupponenda. Et si eius praeventionem misericordem praesupponis, iam non est satisfactio nisi ex misericordia praeveniente ut sit sufficiens satisfactio. Huiusmodi autem satisfactio distinguitur contra satisfactionem per aequalitatem. Unde idem est satisfactori concedere gratiam qua actus suus fiat satisfactio, et satisfactionem illius insufficientem ex misericordia acceptare. Et est implicatio in adiecto dicere quod homo potest satisfacere simpliciter Deo pro commisso peccato, et quod hoc potest per caritatem ex divina misericordia faciente de attrito contritum: quia ipsum informari caritate ex gratia Dei constituit, non praesupponit satisfactionem; ac per hoc, satisfactio talis non est sufficiens nisi ex acceptatione divina; quae distinguitur contra satisfactionem simpliciter.

* Num. IX.

XI. Ad secundi quoque dubii obiecta * ex eadem radice patet responsio, quantum ad sensum litterae. Nam infinitas offensae ex hoc quod Deus est offensus, causat impossibilitatem satisfaciendi simpliciter in puro homine ut dictum est *, scilicet ut excludit divinum suppositum et divinam misericordiam gratificantem. Quantum autem ad id quod obiectio Scoti tangit de infinitate meriti seu satisfactionis Christi, in sequenti dubio * explicabitur.

* Num. IV.
* Num. VIII.
* Num. seq.

Ad alteram vero obiectionem directe contra rationem litterae, respondetur quod infinitas offensae, licet sit infinitas non simpliciter, hoc est in genere entis, sed *quaedam,* hoc est in genere mali (est enim offensa Dei malum infinitum sicut linea infinita esset quantitas infinita): et huiusmodi infinita si appellentur infinita secundum quid, quia distinguuntur contra ens infinitum simpliciter, quod est solus Deus, conceditur quod infinitas offensae est infinitas secundum quid, et quod ipsam adaequaret infinitas etiam secundum quid actus caritatis in Deum, si satisfactor aliquis ex propriis viribus posset talem actum exhibere Deo offenso: – sed quoniam non solum purus homo, sed nec quaecumque pura creatura ad hoc se potest extendere, ideo oportet satisfactorem esse infinitum simpliciter, qui scilicet ex propriis viribus possit actum infinitum secundum quid, adaequantem offensam infinitam secundum quid, exhibere Deo. Et ideo optime et efficaciter in littera ex infinitate offensae Dei infertur quod oportet satisfactorem simpliciter esse non solum ho-

minem, sed etiam Deum, ut sic ex propriis viribus exhibeat actum infinitae efficaciae.

* Num. v. XII. Ad tertium dubium * respondetur quod actiones Christi humanae, scilicet amare Deum, voluntarie pati, et huiusmodi, habent duas conditiones. Altera est quod sunt res quaedam creatae. Et sic sunt finita entia simpliciter: non enim sunt deitas. – Altera est quod sunt res personae divinae ut proprii suppositi cuius sunt. Et sic sunt infinita entia personaliter: et sunt infinitae efficaciae in tali genere, puta meriti seu satisfactionis, ex hoc ipso quod sunt opera ipsius Dei ut propriae personae exercentis opera illa.

Et ex hoc patet, primo, solutio obiectionis Scoti in dubio praecedenti *. (* Cf. num. praec.) Nam passio Christi, licet fuerit bonum finitum essentialiter, fuit tamen bonum infinitum personaliter: et propterea fuit infinitae efficaciae in satisfaciendo. Nullum autem cuiuscumque purae creaturae meritum est infinitum personaliter.

Patet deinde huius tertii dubii veritas. Quoniam ex hoc ipso quod persona Christi solvit pro peccato, satisfactio ipsa est infinita personaliter: ac per hoc, adaequans offensam infinitam ex infinitate maiestatis offensae. Et sicut adaequat offensas totius mundi contra divinam maiestatem, ita adaequat beneficia collata toti universo a Deo glorioso. Ita quod actio Christi, ex hoc ipso quod est infinita personaliter, sufficiens est ad adaequandum et excedendum omnia tam naturae assumptae quam reliquo universo collata beneficia; et similiter ad excedendum offensas totius mundi in Deum. Quoniam quanto maior est satisfactor aut gratiarum actor, tanto efficacior est. Si ergo in infinitum excedit omnes peccatores et omnes creatas res, consequens est quod sufficiat pro omnibus et excedat omnia. Unde Christus sufficienter gratias egit Deo pro omnibus beneficiis suae humanitati collatis, et satisfecit pro peccatis totius mundi, ex hoc ipso quod persona divina agebat gratias et satisfaciebat: quia persona divina excedit in infinitum haec omnia.

Et nihil obstat quod persona divina mediante humana natura haec operabatur. Nam *humana opera supra hominem operabatur* *, (* Dionys. Epist. IV, *ad Caium*.) divine scilicet: ut inferius ** (** Qu. XIII; qu. XIX, art. 1.) clare patebit, cum de infinitate operum Christi, et modo operandi eiusdem, erit sermo. – Et licet *ad deos et parentes non possit reddi aequivalens* a creatura, potest tamen reddi aequivalens a divina persona incarnata. – Et rursus, licet quanto magis creatura gratias agit Deo, tanto magis Deo obligetur, quia ipsa gratiarum actio novum est beneficium quod tunc accrescit creaturae ex divina largitate: quia tamen in personam divinam in se nullum redundat beneficium ex gratiarum actione, sicut nec ullum est sibi a principio incarnationis praestitum beneficium; ideo ipsa, ex hoc ipso quod humanos actus divinos personaliter exhibet Deo, omnia creata sufficienter adaequat et excedit.

Ubi scito quod, quia Verbum caro ex propriis viribus suae personae habet caritatem et gratiam in anima informante carnem assumptam, iuxta illud, *Quasi Unigeniti a Patre plenum gratiae et veritatis* *; (* Ioan. cap. I, vers. 14.) caritas non se tenet in Christo ex parte Dei ut cui satisfaciendum est, sicut in ceteris hominibus dictum est * (* Num. VIII sqq.) computari; sed se tenet ex parte personae satisfacientis, hoc est, ipsius Dei ut satisfactor est. Et propterea non potest de Christi satisfactione dici quod est aequivalens per acceptationem et non per aequalitatem, sicut de aliorum satisfactionibus dictum est *. (* Num. X.)

XIII. Ad quartum dubium *, (* Num. VI.) praedeclaranda est veritas rei: et deinde ad verba Auctoris descendendum est. Christus Dominus, secundum veritatem, dupliciter causat satisfactionem nostram: primo, ut causans caritatem et gratiam in nobis, qua satisfactio nostra acceptatur; secundo, ut satisfactor perfecte pro peccatis totius mundi. Et ex hoc, satisfactio mea habet ex duobus capitibus efficaciam: primo, ex caritate in me, qua fit et est Deo accepta; secundo, ex hoc quod innititur super satisfactione Christi. Et quoniam neutro modo satisfactio mea est sufficiens simpliciter, sed secundum acceptationem, quia caritas se tenet ex parte Dei acceptantis, et communicatio satisfactionis Christi misericorditer mihi fit, non transferendo aequalitatem simpliciter in meam satisfactionem, sed plus et minus participantem Christi satisfactionem constituendo: ideo non est sensus huius litterae quod satisfactio mea habeat efficaciam aequalitatis simpliciter ex satisfactione Christi, ut obiectum est; sed est sensus quod habet ex satisfactione Christi efficaciam sicut imperfecta participative habent a perfectis esse et posse, sicut ignita habent ab igne efficaciam.

Nec in IV *Sent.* Auctor contrarium dicit, sed dicit hoc. Quoniam docet quod, quantum ad hoc quod est satisfactionem meam non esse sufficientem simpliciter sed per acceptationem divinam, in idem redit dicere quod satisfactio mea est ex caritate, et ex communione passionis Christi. Et hoc verum est: quia ex neutro capite redditur sufficiens in se simpliciter.

Consideravit quoque ibidem Auctor satisfactionem meam ut est ex merito Christi per communionem gratiae et caritatis. Et ideo dixit quod, si aliunde gratiam quis haberet, eodem modo, scilicet secundum acceptationem, satisfaceret. Hic autem altius et formaliter contemplatus est satisfactionem Christi ut perfectam simpliciter in ordine satisfactionum. Et addidit priori doctrinae quod hinc omnis puri hominis satisfactio sustentatur super satisfactione Christi. Ita quod, si quis aliunde gratiam haberet non ut membrum Christi, satisfactio eius esset secundum acceptationem ex divina misericordia per caritatem gratificante illam, sed non haberet efficaciam ex satisfactione Christi: et ideo imperfectior esset. Mea autem satisfactio, quia membrum Christi sum, efficax est et ex caritate et ex satisfactione Christi. Et quia ex Christi capite et nobis membris constituitur una persona mystica, ideo satisfactio mea, coniuncta satisfactioni Christi, fit aequalis simpliciter ut est satisfactio mysticae personae. Immo et quandoque superexcedit: iuxta illud ad *Coloss.* I *: (* Vers. 24.) *Adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia.*

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM, SI HOMO NON PECCASSET, NIHILOMINUS DEUS INCARNATUS FUISSET

III *Sent.*, dist. 1, qu. 1, art. 3; I *ad Tim.*, cap. 1, lect. IV.



AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod, si homo non peccasset, nihilominus Deus incarnatus fuisset. Manente enim causa, manet effectus. Sed sicut Augustinus dicit, XIII *de Trin.* *, (* Cap. XVII.) *alia multa sunt cogitanda in Christi incarnatione* praeter absolutionem a peccato, de quibus dictum est *. (* Art. praeced.) Ergo, etiam si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset.

2. PRAETEREA, ad omnipotentiam divinae virtutis pertinet ut opera sua perficiat, et se manifestet per aliquem infinitum effectum. Sed nulla pura creatura potest dici infinitus effectus: cum sit finita per suam essentiam. In solo autem opere

incarnationis videtur praecipue manifestari infinitus effectus divinae potentiae, per hoc quod [α] in infinitum distantia coniunguntur, inquantum factum est quod homo esset Deus. In quo etiam [β] opere maxime videtur perfici universum, per hoc quod ultima creatura, scilicet homo, primo principio coniungitur, scilicet Deo. Ergo, etiam si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset.

3. Praeterea, humana natura per peccatum non est facta capacior gratiae. Sed post peccatum capax est gratiae unionis, quae est maxima gratia. Ergo, si homo non peccasset, humana natura huius gratiae capax fuisset. Nec Deus subtraxisset naturae humanae bonum cuius capax erat. Ergo, si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset.

4. Praeterea, praedestinatio Dei est aeterna. Sed dicitur, *Rom.* I * [* Vers. 4.], de Christo, quod *praedestinatus est Filius Dei in virtute*. Ergo etiam ante peccatum necessarium erat Filium Dei incarnari, ad hoc quod Dei praedestinatio impleretur.

5. Praeterea, incarnationis mysterium est primo homini revelatum * [* D. 605.]: ut patet per hoc quod dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis,* etc. * [* *Gen.* cap. II, vers. 23.], quod Apostolus dicit esse *magnum sacramentum in Christo et Ecclesia,* ut patet *Ephes.* V * [* Vers. 32.]. Sed homo non potuit esse praescius sui casus, eadem ratione qua nec angelus: ut Augustinus probat, *super Gen. ad litt.* * [* Lib. XI, cap. XVIII.] Ergo, etiam si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset.

Sed contra est quod Augustinus dicit, in libro *de Verbis Dom.* * [* Ser. CLXXIV, al. *De Verbis Apost.* Serm. VIII, cap. II.], exponens illud quod habetur Luc. XIX * [* Vers. 10.], *Venit Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat: Si* [γ] *homo non peccasset, Filius hominis non venisset.* Et I *ad Tim.* I, super illud verbum, *Christus venit in hunc mundum ut peccatores salvos faceret* * [* Vers. 15.], dicit Glossa ** [** Ord. et Lomb. ex Aug.]: *Nulla causa veniendi fuit Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, et nulla medicinae est causa.*

Respondeo dicendum quod aliqui circa hoc diversimode opinantur. Quidam * [* Cf. B. Albert. Magn. III *Sent.*, dist. XX, art. 4; Alexan. Halens. *Summ. Theol.* p. III, qu. II, memb. 13.] enim dicunt quod, etiam si homo non peccasset, Dei Filius fuisset incarnatus. Alii vero contrarium asserunt. Quorum assertioni magis assentiendum videtur. Ea enim quae ex sola Dei voluntate proveniunt, supra omne debitum creaturae, nobis [δ] innotescere non possunt nisi quatenus in sacra Scriptura traduntur, per quam divina voluntas innotescit. Unde, cum in sacra Scriptura ubique incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur, convenientius dicitur incarnationis opus ordinatum esse a Deo in remedium peccati, ita quod, peccato non existente, incarnatio non fuisset. Quamvis potentia Dei ad hoc non limitetur: potuisset enim, etiam peccato non existente, Deus incarnari.

Ad primum ergo dicendum quod omnes aliae causae quae sunt assignatae, pertinent ad remedium peccati. Si enim homo non peccasset, perfusus fuisset lumine divinae sapientiae, et iustitiae rectitudine [ε] perfectus a Deo, ad omnia necessaria cognoscenda [ζ]. Sed quia homo, deserto Deo, ad corporalia collapsus erat, conveniens fuit ut Deus, carne assumpta, etiam per corporalia ei salutis remedium exhiberet. Unde dicit Augustinus, super illud Ioan. I cap. * [* Vers. 14. - *In Ioan. Evangelium* tract. II.], *Verbum caro factum est: Caro te obcaecaverat, caro te sanat: quoniam sic venit Christus ut de carne vitia carnis exstingueret.*

Ad secundum dicendum quod in ipso modo productionis rerum ex nihilo divina virtus infinita ostenditur. – Ad perfectionem etiam universi sufficit quod naturali modo creatura ordinetur sic [η] in Deum sicut in finem. Hoc autem excedit limites perfectionis naturae, ut creatura uniatur Deo in persona.

Ad tertium dicendum quod duplex capacitas attendi potest in humana natura. Una quidem secundum ordinem potentiae naturalis. Quae a Deo semper impletur, qui dat unicuique rei secundum suam capacitatem naturalem. – Alia vero secundum ordinem divinae potentiae, cui omnis creatura obedit ad nutum. Et ad hoc pertinet ista capacitas. Non autem Deus omnem talem capacitatem naturae replet: alioquin, Deus non posset facere in creatura nisi quod facit; quod falsum est, ut in Primo * [* Qu. XXV, art. 5; qu. CV, art. 6.] habitum est.

Nihil autem prohibet ad aliquid maius humanam naturam productam esse post peccatum: Deus enim permittit mala fieri ut inde aliquid melius eliciat. Unde dicitur *Rom.* V * [* Vers. 20.]: *Ubi abundavit iniquitas* [θ], *superabundavit et gratia.* Unde et in benedictione Cerei Paschalis dicitur: *O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem!*

Ad quartum dicendum quod praedestinatio praesupponit praescientiam futurorum. Et ideo, sicut Deus praedestinat salutem alicuius hominis per orationem aliorum [ι] implendam, ita etiam praedestinavit opus incarnationis in remedium humani peccati.

Ad quintum dicendum quod nihil prohibet alicui revelari effectus [κ] cui non revelatur causa. Potuit ergo primo homini revelari incarnationis mysterium sine hoc quod esset praescius sui casus * [* D. 67.]: non enim quicumque cognoscit effectum, cognoscit et causam.

α) *hoc quod.* – *quem* ed. *b*, *quam* Pc.
β) *etiam.* – PGIsH; *in* DEpA, om. ceteri et *abc*.
γ) *Si.* – GHI*b*; *Sed si* prima et E, *Si ergo* F, *Ergo si* Pc.
δ) *nobis.* – DF et tertia; *in nobis*.
ε) *et iustitiae rectitudine.* – Tertia; *iustitiae et rectitudine* prima, *iustitia et rectitudine* F, *iustitiae et rectitudinis* E.
ζ) *cognoscenda.* – *et agenda* addunt E et tertia praeter H.
η) *sic.* – Om. E et tertia.
θ) *iniquitas.* – *delictum* tertia.
ι) *orationem aliorum.* – *bc*; *ordinem aliquorum* prima et pEIIsl, *orationem aliquorum* sEH, *orationes aliquorum* F, *orationes aliorum* PG, *aliquorum* pl.
κ) *effectus.* – *effectum* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo tertio eiusdem quaestionis duo fiunt. Primo, referuntur diversae opiniones circa quaesitum. Secundo, respondetur quaesito, praeferendo secundam opinionem, duabus conclusionibus: altera de facto, directe responsiva quaesito negative; altera de possibili, asserente partem affirmativam.

Prima conclusio est: *Peccato non existente, incarnatio non fuisset.* Probatur. In sacra Scriptura ubique incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignatur. Ergo incarnationis opus ordinatum esse a Deo in remedium peccati, convenientius dicitur. Ergo, peccato non existente, incarnatio non fuisset. – Antecedens pro evidenti assumitur. – Prima consequentia probatur. Quia ea quae ex sola Dei voluntate, supra omne debitum creaturae, proveniunt, nobis non innotescunt nisi quatenus in sacra Scriptura, in qua divina nobis voluntas manifestatur, traduntur.

Secunda conclusio est: *Deus potuisset, peccato non existente, incarnari.* Probatur. Quia potentia Dei non limitatur ad hoc, scilicet quod incarnatio sit in remedium peccati.

Circa verba litterae nota duo. Primo, quod ly *convenientius* comparationem exercet respectu alterius opinionis contrariae: ita quod ex revelatis in sacra Scriptura de divina voluntate, convenientius dicitur pars negativa quam affirmativa. – Secundo, quod Auctor loquitur de opere incarnationis ut sic: et non ut redemptivo et liberativo, ut Scotus glossandas dicit * auctoritates dicentes quod sine peccato non fuisset incarnatio.

* III *Sent.*, dist. VII, qu. III, ad 1um dub.

II. In responsione ad tertium, nota distinctionem de potentia naturali et de potentia obedientiali hinc sumi. Et quomodo distinguuntur: quod naturalis infra ordinem naturalium sistit, obedientialis vero secundum ordinem ad divinam potentiam attenditur; illa semper impletur, ista quandoque impletur et quandoque non impletur.

III. In responsione ad quartum eiusdem articuli tertii, dubium occurrit, primo *, circa illam propositionem, *Praedestinatio praesupponit praescientiam futurorum:* quia falsa est. Nam praedestinatio Petri non praesupponit praescientiam Petri praedestinandi aut salvandi, sed e contra praescientia Petri salvandi praesupponit praedestinationem Petri: ut patet ex hoc quod ideo scit Deus Petrum salvandum quia praedestinavit eum, et non ideo praedestinavit Petrum quia praevidit Petrum salvandum; ut patet ex Prima Parte, qu. XXIII, art. 5, ubi determinatum est quod praescientia meritorum non est causa praedestinationis.

* Cf. num. VII.

IV. Dubium secundo * occurrit, quia impertinens est solutioni argumenti de praedestinatione Christi quod supponatur praescientia futurorum. Quia sive praesupponatur sive non, oportet ex voluntate divina reddere rationem quare praedestinatus est per tale medium vel sub tali ratione, ut in corpore huius articuli fit: et non ex parte intellectus praevidentis. Praevisio enim non est ratio futuri effectus, ut patet.

* Cf. num. VIII.

V. Dubium tertio * est ex Scoto, in III *Sent.*, dist. VII, qu. III *, ex ratione praedestinationis animae Christi inferente, « *sine praeiudicio tamen* », quod incarnatio etiam sine peccato fuisset. Probatque hoc multipliciter. *Primo*. Praedestinatio cuiuscumque ad gloriam praecedit, ex parte obiecti, naturaliter praescientiam peccati vel damnationis cuiuscumque. Ergo multo magis hoc est verum de praedestinatione illius animae ad summam gloriam.

* Cf. num. IX.
* Ad 1m dub.

Secundo. Ordinate volens per prius vult finem, et post hoc quod est fini propinquius. Ergo, sicut prius vult alicui gloriam quam gratiam, ita inter praedestinatos, quibus vult gloriam ordinate, prius vult gloriam illi quem vult esse proximum fini. Ac per hoc, prius animae Christi quam alteri vult gloriam. Et prius cuilibet vult gloriam et gratiam quam praevideat illi opposita istorum habituum, scilicet gratiae et gloriae. Ergo prius vult animae Christi gloriam quam praevideat Adam casurum.

Tertio. Redemptio, sive gloria animae redimendae, non est tantum bonum quantum est gloria animae Christi. Ergo non propter solam istam causam videtur Deus praedestinasse illam animam ad tantam gloriam.

Quarto. Quia non est verisimile tam summum bonum in entibus esse tantum occasionatum, scilicet propter minus bonum.

Quinto. Non est verisimile Deum prius praeordinasse Adam ad tantum bonum quam Christum. Quod tamen sequeretur.

Immo ulterius sequeretur absurdius, scilicet quod Deus, praedestinando Adam ad gloriam, prius praevidisset ipsum casurum in peccatum quam praedestinasset Christum ad gloriam, si praedestinatio illius animae tantum esset pro redemptione aliorum: quia redemptio non fuisset nisi casus et delictum praecessisset. Et hoc sit *sextum* Scoti argumentum.

Ex quibus concludit Scotus quod prius natura quam aliquid praevidebatur circa peccatorem, sive de peccato sive de poena, Deus elegit ad caelestem curiam omnes quos habere voluit, sive angelos sive homines, in certis et determinatis gradibus: et nullus est praedestinatus tantum quia alius praevisus est casurus; ut sic nullum oporteat gaudere de lapsu alterius. Et hoc pro *septimo* argumento.

VI. Ad evidentiam horum, sciendum est quod haec propositio, *Praedestinatio supponit praescientiam futurorum,* potest intelligi primo, respectu omnium futurorum. Et sic videtur non intelligibilis. Nam praedestinatio Petri non praesupponit praescientiam futurae gloriae Petri. Quod patet sic. Praescientia futuri praesupponit futurum sub ratione futuri: quoniam, ut dicitur in I *Poster.* *, *quod non est non potest sciri.* Gloria autem Petri est primo futura per praedestinationem, ut patet. Est igitur, secundum naturae ordinem, primo praedestinatio Petri ad gloriam; et ex hoc gloria Petri est futura; et sic praevidetur a Deo. Supponit ergo praescientia alicuius futuri praedestinationem. Ac per hoc, praedestinatio non praesupponit praescientiam omnium futurorum.

* Cap. II, n. 7. – S. Th. lect. IV.

Secundo, potest intelligi de praedestinatione quoad constituta per praedestinationem, et praescientia respectu aliorum futurorum, ita quod sensus est: Praedestinatio, ut respicit praedestinata, praesupponit praescientiam futurorum, non praedestinatorum, sed eorum quae praesupponuntur vel ordinantur per praedestinationem. Et sic propositio est vera.

Quam ut clarius intelligas, distingue inter effectus praedestinationis. Quoniam quidam sunt non solum ordinati, sed constituti per praedestinationem: ut gloria et gratia, et universaliter finis et media ut sic. Quidam autem sunt solum ordinati per praedestinationem: ut anima illius hominis qui est sanctus Petrus, et reliqua spectantia ad naturalem ordinem universi. Haec enim futuri rationem habent ab aeterno ex providentia divina, et non ex praedestinatione divina: sed praedestinatio quasi superveniens, sicut ordo gratiae supervenit ordini naturae, ordinat animam sancti Petri in gloriam aeternam mediante gratia, etc. Et quoniam inter praesupposita a praedestinatione non solum sunt res naturales constituentes universum secundum naturalem ordinem, sed etiam defectus in pure naturalibus, ut monstra, et in animalibus, ut aegritudines, et in rationalibus, ut ignorantia et malum moris, quod est peccatum; ideo sicut, simpliciter loquendo, praedestinatio praesupponit providentiam universi naturalis, ita, simpliciter loquendo, praesupponit praescientiam futurorum pertinentium ad ordinem universi naturalem, et defectuum in illo futurorum. Inter quae constat contineri peccata hominum: quoniam non spectat nostrum peccare ad ordinem gratiae, sed ad ordinem naturae; quia ex nobis solis peccamus, ut patet, et auctoritate Scripturae firmatur, Osee XIII *: *Perditio tua ex te, Israel.*

* Vers. 9.

Et hinc patet falsam esse Scoticam imaginationem quod prius Petrus praedestinetur ad gloriam quam praevideatur peccaturus. Quoniam sicut prius praevidetur Petrus secundum ea quae secluso ordine gratiae sibi conveniunt, quam

praedestinetur, quia prius praevidetur secundum futura sibi secundum ordinem simplicis providentiae divinae quam secundum futura sibi secundum ordinem divinae praedestinationis; ita prius praevidetur peccaturus quam praedestinetur, eadem ratione: quia scilicet Petrum peccare spectat ad ordinem divinae providentiae, et per supervenientem ordinem divinae praedestinationis vel reprobationis ordinatur secundum ordinem gratiae ad redemptionem vel aeternam punitionem.

Et si perspicacius tres qui de facto in universo inveniuntur ordines consideraverimus, videlicet ordinem naturae, ordinem gratiae et ordinem Dei et creaturae simul, videbimus quod secundus supponit primum, et tertius supponit utrumque; et similiter praeordinatio et praevisio primi praesupponitur a praeordinatione et praevisione secundi; et similiter praeordinatio et praevisio tertii praesupponit praeordinationem et praevisionem utriusque. Ita quod Deus primo ordinavit universum secundum ordinem naturae; et quoniam universum secundum talem ordinem non attingit ad fruitionem divinam, superaddidit ordinem gratiae; et quoniam talis ordo non pertingit ad unionem summo modo possibilem cum Deo, praeordinavit creaturam ad unionem personalem cum Deo. Quocirca, cum peccata pertineant partim ad ordinem naturae et partim ad ordinem gratiae ut opposita illi, consequens est quod praedestinatio Iesu Christi ut sit Filius Dei, praesupponat praevisionem futurorum peccatorum, utpote spectantium ad praesuppositos ordines in genere causae materialis.

VII. Unde, ad singula dubia deveniendo, ad primum dubium * dicitur quod propositio illa est vera ut declaratum est *. Et est ad propositum argumenti, quod praedestinationem Christi necessariam absque peccato arguebat. Responsio namque ad hoc non exigit quod praedestinatio Christi supponat praescientiam gloriae Christi: sed requirebat quod praesupponit praescientiam peccatorum in quorum remedium Christus est praedestinatus; ordinatio namque medicinae praesupponit notitiam morbi.

* Num. III.

* Num. praeced.

VIII. Ad secundum vero dubium * dicitur quod in hac responsione ad quartum argumentum, quae nunc discutitur, non erat reddenda ratio praedestinationis incarnationis in remedium peccati: sed sustinendum erat quod cum praedestinatae incarnationis necessitate stat quod praedestinata sit in remedium peccati. Et hoc manifestatur ratione: quia praedestinatio praesupponit praescientiam futurorum antecedentium, qualia sunt peccata, ut declaratum est *. Et exemplo praedestinationis alicuius, puta Pauli, mediante oratione alterius, puta Stephani. Quod exemplum, si etiam quoad praescientiam medii intelligendum creditur, exponendum est quod praedestinatio Pauli, quoad conversionis effectum, praesupponit praescientiam orationis Stephani, et sic de aliis: ut sic sit simile etiam quoad hoc, quod praedestinatio incarnationis praesupponit praescientiam peccati humani.

* Num. IV.

* Num. VI.

IX. Ad tertium, ex Scoto, dubium * dicitur quadruplici utendo distinctione. Prima est inter *volitum* et *volibile.* Nam aliud est aliquid esse magis volibile: et aliud est illud esse magis volitum. Salus enim omnium hominum est magis volibilis secundum se quam salus aliquorum tantum, ut patet: quia longe maius bonum est. Non tamen est magis volita a Deo, qui, licet velit voluntate antecedente *omnes homines salvos fieri* *, non tamen vult voluntate beneplaciti salutem omnium, sed quorundam tantum hominum, ut patet. Non potest ergo ex hoc quod aliquid ex parte obiecti secundum se est maius bonum, ac per hoc magis volibile, inferri: Ergo est magis volitum a Deo.

* Num. V.

* I *ad Tim.*, cap. II, vers. 4.

Secunda inter *magis,* et *prius natura* volitum. – Tertia est inter prius natura vel *a quo non convertitur consequentia,* vel *prius causalitate.* – Quarta est inter prius natura volitum prout prius est a quo non convertitur consequentia, *de facto,* vel *possibili.*

Accipiendo enim prius natura, hoc est, *prius causalitate,* secundum aliquod genus causae, coincidunt prius et magis secundum illud genus causae. Volumus enim prius et magis sanitatem quam purgationem secundum genus causae finalis: e contra autem secundum genus causae materialis, locando disponens ex parte materiae. Et quia causa finalis est simpliciter et absolute prior, ideo volumus simpliciter et absolute prius et magis sanitatem. – Sed si sumatur prius natura *a quo non convertitur consequentia* (ut Scotus sumit in proposito), utere quarta distinctione inter sic prius volitum *de facto,* vel sic prius volitum *de possibili.* Et dicito quod multorum ordinate volitorum quorum unum se habet ut finis, aliud ut medium, aliud ut effectus; illud quod est finis, constat esse magis et prius natura, hoc est causalitate, volitum. Et respectu divinae voluntatis loquendo, constat quod est prius natura *de possibili* volitum, non autem quod sit prius natura volitum *de facto.* Hoc est: constat quod potest esse volitum illud sine medio et effectu; non tamen constat quod de facto sit a Deo volitum illud sine tali medio, effectu et occasione.

Et hoc est in quo deficiunt argumenta Scotica: quia ex magis et prius causalitate, et prius natura secundum consequentiam volito de possibili a Deo, infert volitum esse a Deo de facto. At si assumat quod finis est magis et prius natura secundum consequentiam de facto a Deo volitus, petitio principii committitur: quia assumitur probandum. Hoc enim cum ratione probari non possit, quia *nemo novit quae sunt Dei nisi Spiritus Dei* *, oportet ad Scripturas sacras devenire, si nosse volumus quod de facto Deus ordinavit incarnationem futuram sive Adam peccet sive non. Nos enim, quia ex Scriptura non habemus incarnationem nisi redemptivam, dicimus quod, licet potuisset Deus velle incarnationem etiam sine redemptione futuram, de facto tamen noluit eam nisi sic: quia ipse non aliter revelavit suam voluntatem, quae ex sola ipsius revelatione cognosci potest.

* I *ad Cor.*, cap. II, ver. 11.

X. Cum ergo *primo* arguitur, *Praedestinatio cuiuscumque ad gloriam praecedit ex parte obiecti* etc., dicitur quod propositio est simpliciter falsa, loquendo de praevisione peccati, ut patet ex dictis *: quia praedestinatio ad gloriam praesupponit ordinem providentiae, in quo praevidentur peccata.

* Num. VI.

Ad *secundum* dicitur quod ordinate volens prius natura, hoc est causalitate finali, et prius natura, hoc est secundum non-consequentiam, de possibili tamen vult finem et propinquius fini, non autem de facto: quia stat cum illo ordine quod simul de facto velit connexionem illorum, ita quod non velit finem sine tali medio et occasione, quia sic ei complacet. Et ideo nihil valent illationes de facto inferentes quod prius natura Deus gloriam velit sine peccati remedio.

Ad *tertium* etiam patet ex dictis quod stat Deum nolle de facto maximum bonum, nisi connexum tali minori bono.

Et similiter ad *quartum* dicitur quod non dedecet divinam sapientiam disposuisse tam excelsum bonum se facturam non nisi occasionaliter peccato suam misericordiam ad id provocante.

Ad *quintum,* negatur sequela. Quoniam, ut Apostolus dicit *, praedestinavit alios *conformes fieri imaginis Filii sui.* Christus est ergo primus praedestinatus de facto.

* *Ad Rom.* cap. VIII, vers. 29.

Ad *sextum* dicitur quod non est absurdum Deum prius praevidisse casum Adae quam praedestinasse Christum: sicut non est absurdum Deum prius praevidisse leporem cursurum et monstra futura, et reliqua ad naturae ordinem spectantia, quam praedestinasse Christum.

Ad *septimum* restat dicendum quod, cum dicitur, *Nullus est praedestinatus quia alius praevisus est casurus,* propositio est vera: quia praevisio futuri casus Adae non est sufficiens causa praedestinationis Christi. Sed si supra praevisionem futuri casus Adae apponatur misericordia Dei volentis casum illum ut suum computare, et per seipsum satisfacere, iam habebitur quod ideo Christus est praedestinatus Filius Dei, quia Deus vult satisfacere pro casu humano. Nec ex hoc oportet gaudere de lapsu alterius: sed de misericordia Dei, qui alterius lapsum praevisum convertit in alterius bonum.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM DEUS PRINCIPALIUS INCARNATUS FUERIT IN REMEDIUM ACTUALIUM PECCATORUM QUAM IN REMEDIUM ORIGINALIS PECCATI

III *Sent.*, dist. I, qu. I, art. 2, ad 6; *De Articulis XLII*, art. XXVIII; *De Articulis XXXVI*, art. XXIII.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Deus principalius incarnatus fuerit in remedium actualium peccatorum quam in remedium originalis peccati. Quanto enim peccatum est gravius, tanto magis humanae saluti adversatur, propter quam Deus est incarnatus. Sed peccatum actuale est gravius quam originale peccatum: minima enim poena debetur originali peccato, ut Augustinus dicit, *Contra Iulianum* * [Lib. V, cap. XI.]. Ergo principalius incarnatio Christi ordinatur ad deletionem actualium peccatorum [α].

2. PRAETEREA, peccato originali non debetur poena sensus, sed solum poena damni, ut in Secundo * [Ia IIae, quaest. LXXXVII, art. 5, arg. 2. - Cf. II *Sent.*, dist. XXXIII, qu. II, art. I.] habitum est. Sed Christus venit pro satisfactione peccatorum poenam sensus pati in cruce, non autem poenam damni: quia nullum defectum habuit divinae visionis aut fruitionis. Ergo principalius venit ad deletionem peccati actualis quam originalis.

3. PRAETEREA, sicut Chrysostomus dicit, in II *de Compunctione Cordis* * [Num. 6.], *hic est affectus* [β] *servi fidelis, ut beneficia domini sui quae communiter omnibus data sunt, quasi sibi soli praestita reputet: quasi enim de se solo loquens Paulus ita scribit, ad Galat.* II * [Vers. 20.]: *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Sed propria peccata nostra sunt actualia: originale enim est *commune peccatum* * [Gloss. Ord. in Ioan. cap. I, vers. 29.]. Ergo hunc affectum debemus habere, ut aestimemus eum principaliter propter actualia peccata venisse.

SED CONTRA EST quod Ioan. I * [Vers. 29.] dicitur: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata* [γ] *mundi.*

RESPONDEO DICENDUM quod certum est Christum venisse in hunc mundum non solum ad delendum illud peccatum quod traductum est originaliter in posteros, sed etiam ad deletionem omnium peccatorum quae postmodum superaddita sunt: non quod omnia deleantur (quod est propter defectum hominum, qui Christo non inhaerent, secundum illud Ioan. III * [Vers. 19.]: *Venit lux in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem*), sed quia ipse exhibuit quod sufficiens fuit ad omnem [δ] deletionem. Unde dicitur *Rom.* V * [Vers. 15, 16.]: *Non sicut delictum, sic et donum: nam iudicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem.*

Tanto autem principalius ad alicuius peccati deletionem Christus venit, quanto illud peccatum maius est. Dicitur autem maius aliquid dupliciter. Uno modo, intensive: sicut est maior albedo quae est intensior. Et per hunc modum maius est peccatum actuale quam originale: quia plus habet de ratione voluntarii, ut in Secundo * [Ia IIae, quaest. LXXXII, art. I, arg. 2.] dictum est. – Alio modo dicitur aliquid maius extensive: sicut dicitur maior albedo quae est in maiori superficie. Et hoc modo peccatum originale, per quod totum genus humanum inficitur, est maius quolibet [ε] peccato actuali, quod est proprium singularis personae. Et quantum ad hoc, Christus principalius venit ad tollendum originale peccatum: inquantum *bonum gentis divinius* [ζ] *est quam bonum unius*, ut dicitur in I *Ethic.* * [Cap. II, n. 8. - S. Th. lect. II.]

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ratio illa procedit de intensiva magnitudine peccati.

AD SECUNDUM DICENDUM quod peccato originali in futura retributione non debetur poena sensus: poenalitates tamen quas sensibiliter in hac vita patimur, sicut famem, sitim, mortem et alia huiusmodi, ex peccato originali procedunt. Et ideo Christus, ut plene pro peccato originali satisfaceret, voluit sensibilem dolorem pati, ut mortem et alia huiusmodi in seipso consummaret [η].

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut Chrysostomus ibidem inducit [θ], verba illa dicebat Apostolus, *non quasi diminuere volens amplissima et per orbem terrarum diffusa Christi munera: sed ut pro omnibus se solum indicaret obnoxium. Quid enim interest si et aliis praestitit, cum quae tibi sunt praestita ita integra sunt et ita perfecta quasi nulli alii ex his aliquid fuerit praestitum?* Ex hoc ergo quod aliquis debet sibi reputare beneficia Christi praestita esse, non debet existimare quod non sint praestita aliis. Et ideo non excluditur quin principalius venerit abolere peccatum totius naturae quam peccatum unius personae. Sed illud peccatum commune [ι] ita perfecte curatum est in unoquoque ac si in eo solo esset curatum. – Et praeterea [κ], propter unionem caritatis, totum quod omnibus est impensum, unusquisque debet sibi adscribere.

α) *peccatorum.* – *quam originalis* addit sH, *quam ad deletionem originalis* addit 1, cui *peccati* addunt editiones.

β) *affectus.* – Tertia; *effectus.*

γ) *peccata.* – *peccatum* P; post *mundi* tertia addit *quod exponens Beda dicit: peccatum (peccata bc) mundi dicitur originale peccatum quod est commune totius mundi.*

δ) *omnem.* – *omnium* ElsGH et *b*, *omnium peccatorum* Pc.

ε) *quolibet.* – Om. H et editiones.

ζ) *divinius.* – *et eminentius* addit tertia.

η) *consummaret.* – *consumeret* tertia. Cf. qu. XXII, art. 3, η.

θ) *inducit.* – *dicit* PGI.

ι) *commune.* – *naturae* pHsG et editiones, om. pG.

κ) *praeterea.* – *ideo* editiones, om. *a*.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articuli quarti eiusdem primae quaestionis corpore tria fiunt *. Primo, manifestatur id quod quaestio haec supponit, scilicet Christum delesse omnia peccata mundi. Cum enim haec quaestio sit comparativa, scilicet an principalius pro originali quam pro actualibus peccatis Deus incarnatus sit, praesupponit positivam certam, scilicet quod pro utrisque peccatis incarnatus sit. Et hoc est quod primo in littera dicitur.

* Cf. num. II, III.

Ubi nota quod non est sermo de omnibus peccatis simpliciter, sed de omnibus peccatis hominum: quoniam non venit Christus pro peccatis angelorum. Et hoc denotat littera cum dicit: *sed ad deletionem omnium peccatorum quae postmodum,* scilicet post originale, *superaddita sunt.*

II. Secundo, monstratur modus quo Deus incarnatus delevit omnia peccata: scilicet non secundum effectum, sed secundum sufficientiam remedii. Ita quod duae ponuntur hic conclusiones. Prima negativa: *Non omnia peccata hominum delentur per Christum.* Et ratio huius est defectus hominum. Probatur auctoritate Domini, Ioan. III. – Secunda affirmativa: *Christus exhibuit quod sufficiens fuit ad omnium peccatorum deletionem.* Probatur ex Apostolo. Ubi nota quod, quia actus activorum fiunt in patiente disposito, et non in his quae agentis actionem non suscipiunt; ideo, quantumcumque ignis sit sufficiens causa calefaciendi aliquem, nisi ille proximus sit igni, non calefit, non ex defectu ignis, sed hominis, qui non accedit ad ignem. Attulit Christus medicinam sufficientissimam pro omnibus: et nisi iungamur Christo per fidem et obedientiam, in peccatis nostris remanemus, non ex defectu remedii, sed ex defectu nostro, dum *magis amamus tenebras* sensibilium bonorum *quam lucem* intelligibilis divinique boni.

III. Tertio, in littera respondetur quaesito duabus conclusionibus, altera implicite, altera explicite. Prima, quae non explicatur, est: *Quantum ad magnitudinem peccati intensivam, Christus principalius venit ad tollendum peccatum actuale quam originale.* – Secunda, quae explicatur, est: *Quantum ad magnitudinem extensivam peccati, Christus principalius venit ad tollendum peccatum originale quam actuale.*

Utraque conclusio assumit unam et eandem maiorem, scilicet: *Tanto principalius ad alicuius peccati deletionem Christus venit, quanto illud peccatum maius est.* Sed subsumit diversam minorem. Nam pro prima subsumitur, *peccatum actuale esse maius intensive:* pro secunda vero, *peccatum originale esse maius extensive.*

IV. Ubi duae statim occurrunt dubitationes. Prima est, quia falsum est quod, regulariter loquendo, peccatum originale sit maius extensive quam actuale. Quoniam omnes infecti originali sunt etiam infecti actuali peccato, regulariter loquendo, et sublatis impedimentis: – quod dico propter Beatam Virginem, et infantes mortuos antequam possint actualiter peccare.

Secunda dubitatio est, quia ex littera non habetur conclusio simpliciter responsiva quaesito, sed solum secundum quid. Non enim habetur an absolute dicendum sit quod Christus principalius pro originali venit; et similiter non habetur an dicendum sit quod Christus principalius pro actuali peccato venit, ut patet: sed habetur quod *secundum hoc,* idest intensivam, et *secundum illud,* idest extensivam magnitudinem, venit principalius pro hoc vel illo.

V. Ad primum dicitur quod, per se loquendo, inter originale et actuale peccatum haec est differentia, quod actuale, ut in littera dicitur, est peccatum proprium singularis personae quae facit illud: originale autem est peccatum proprium naturae humanae ab Adam seminarie procedentis. Et ideo originale, per se loquendo, est commune infinitis hominibus, pro quanto natura humana potest sic infinitis communicari: et ideo tollit bonum generis humani, per se loquendo, tollēndo bonum in natura communi generi humano. Peccatum autem actuale non nisi bonum huius personae tollit: et accidit peccato meo quod alter etiam peccet, et sic de aliis. Stando igitur infra latitudinem sermonis per se, optime sonat differentia posita: non enim accidit peccato naturae esse in toto genere, sicut accidit peccato personae.

Ad secundum dicitur quod Auctor, explicando secundam conclusionem et non primam, et addendo secundae conclusioni rationem, scilicet, *quia bonum gentis divinius et eminentius est quam bonum unius,* insinuavit conclusionem responsivam quaesito simpliciter et absolute illam esse quam expressit in responsione ad tertium: *Principalius venit abolere peccatum totius naturae quam peccatum unius personae.*

VI. In responsione ad tertium, adverte quod illorum verborum, scilicet, *sed ut pro omnibus se solum indicaret obnoxium,* sensus, unica subaudita coniunctione, dicendo, *se etiam solum indicaret obnoxium,* clarus adeo est ut nihil restet obscuritatis. Paulus enim ita se obligatum omnibus Christi beneficiis aiebat, ut non solum una cum aliis, sed etiam ipse teneretur pro omnibus: tum propter perfectam illorum adeptionem in seipso, ac si pro ipso solo concessa fuissent; tum propter caritatis unionem cum aliis, qua omnium bona sua putabat. Haec enim duo in littera tanguntur, ut patet.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM CONVENIENS FUISSET DEUM INCARNARI A PRINCIPIO HUMANI GENERIS

III *Sent.*, dist. I, qu. I, art. 4; IV *Cont. Gent.*, cap. LIII, LV; *In Isaiam*, cap. II; *Ad Galat.*, cap. IV, lect. II.



AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod conveniens fuisset Deum incarnari a principio humani generis. Incarnationis enim opus ex immensitate divinae caritatis processit: secundum illud *Ephes.* II *: *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo.* Sed caritas non tardat subvenire amico necessitatem patienti: secundum illud *Prov.* III *: *Ne dicas amico tuo: Vade et revertere, cras dabo tibi; cum statim possis dare.* Ergo Deus incarnationis opus differre non debuit, sed statim a principio per suam incarnationem humano generi subvenire.

* Vers. 4, 5.

* Vers. 28.

2. PRAETEREA, I *Tim.* I * dicitur: *Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Sed plures salvati fuissent si a principio humani generis Deus incarnatus fuisset: plurimi enim, ignorantes Deum, in suo peccato perierunt in diversis saeculis α. Ergo convenientius fuisset quod

* Vers. 15.

α) *saeculis.* – *sceleribus* P.

a principio humani generis Deus incarnatus fuisset.

3. PRAETEREA, opus gratiae non est minus ordinatum quam opus naturae. Sed *natura initium sumit a perfectis:* ut dicit Boetius, in libro *de Consolatione* * [Lib. III, pros. x.]. Ergo opus gratiae debuit a principio esse perfectum. Sed in opere incarnationis consideratur perfectio gratiae: secundum illud, *Verbum caro factum est* * [Ioan. cap. I, vers. 14.]; et postea subditur, *plenum gratiae et veritatis.* Ergo Christus a principio humani generis debuit incarnari.

SED CONTRA EST quod dicitur *Galat.* IV * [Vers. 4.]: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere:* ubi dicit Glossa * [Lomb. ex Ambros.] quod *plenitudo temporis est quod praefinitum fuit a Deo Patre quando mitteret* [β] *Filium suum.* Sed Deus sua sapientia omnia definivit. Ergo convenientissimo tempore Deus est incarnatus. Et sic non fuit conveniens quod a principio humani generis Deus incarnaretur.

RESPONDEO DICENDUM quod, cum opus incarnationis principaliter ordinetur ad reparationem naturae humanae per peccati abolitionem, manifestum est quod non fuit conveniens a principio humani generis, ante peccatum, Deum incarnatum fuisse: non enim datur medicina nisi iam infirmis. Unde ipse Dominus dicit, Matth. IX * [Vers. 12, 13.]: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus: non enim veni vocare iustos, sed peccatores.*

Sed non etiam statim post peccatum conveniens fuit Deum incarnari. Primo quidem, propter conditionem humani peccati, quod ex superbia provenerat: unde eo modo erat homo liberandus ut, humiliatus, recognosceret se liberatore indigere. Unde super illud *Galat.* III * [Vers. 19.]: *Ordinata per angelos in manu mediatoris,* dicit Glossa * [Ord.]: *Magno consilio factum est ut, post hominis casum, non illico Dei Filius mitteretur. Reliquit enim Deus prius hominem in libertate arbitrii, in lege naturali, ut sic vires naturae suae cognosceret. Ubi cum deficeret, Legem accepit. Qua data, invaluit morbus, non Legis, sed naturae vitio: ut ita, cognita sua infirmitate, clamaret ad medicum, et gratiae quaereret auxilium.*

Secundo, propter ordinem promotionis in bonum, secundum quem ab imperfecto ad perfectum proceditur. Unde Apostolus dicit, I *ad Cor.* XV * [Vers. 46, 47.]: *Non prius quod spirituale est, sed quod animale: deinde quod spirituale. Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de caelo, caelestis.*

Tertio, propter dignitatem ipsius Verbi incarnati. Quia super illud *Galat.* IV * [Vers. 4.], *Ubi venit plenitudo temporis,* dicit Glossa * [Ord. Aug.]: *Quanto maior iudex veniebat, tanto praeconum series longior praecedere debebat.*

Quarto, ne fervor fidei temporis prolixitate tepesceret. Quia circa finem mundi *refrigescet* [γ] *caritas multorum* * [Matth. cap XXIV, vers. 12.]: et Luc. XVIII ** [Vers. 8.] dicitur: *Cum Filius hominis veniet, putasne inveniet fidem super terram?*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod caritas non differt amico subvenire, salva tamen negotiorum opportunitate et personarum conditione. Si enim medicus statim a principio aegritudinis medicinam daret infirmo, minus proficeret, vel magis laederet quam iuvaret. Et ideo etiam Dominus non statim [δ] incarnationis remedium humano generi exhibuit, ne illud contemneret ex superbia, si prius suam infirmitatem non cognosceret.

AD SECUNDUM DICENDUM quod Augustinus ad hoc respondet, in libro *de Sex Quaestionibus Paganorum* * [Epist. CII, al. XLIX.], dicens, Qu. II, quod *tunc voluit Christus hominibus apparere, et apud eos praedicari suam doctrinam, quando et ubi sciebat esse qui in eum fuerant credituri. His enim temporibus, et his in locis, tales homines in eius praedicatione futuros esse sciebat* [ε] *quales, non quidem omnes, sed tamen multi in eius corporali praesentia fuerunt, qui nec in eum, suscitatis mortuis, credere voluerunt.*

Sed hanc responsionem reprobans idem Augustinus dicit, in libro *de Perseverantia* * [Cap. IX.]: *Nunquid possumus dicere Tyrios aut Sidonios, talibus apud se virtutibus factis, credere noluisse, aut credituros non fuisse si fierent: cum ipse Dominus eis attestetur quod acturi essent magnae humilitatis poenitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum?*

Proinde, ut ipse solvens subdit * [Cap. XI.], *sicut Apostolus ait, « non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei », qui his quos praevidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus voluit subvenit, aliis autem non subvenit, de quibus in sua praedestinatione, occulte quidem sed iuste, aliud iudicavit. Ita misericordiam eius in his qui liberantur, et veritatem in his qui puniuntur, sine dubitatione credamus.*

AD TERTIUM DICENDUM quod perfectum est prius imperfecto, in diversis quidem, tempore et natura, oportet enim quod perfectum sit quod alia ad perfectionem adducit: sed in uno et eodem imperfectum est prius tempore, etsi sit posterius natura * [D. 1021.]. Sic ergo imperfectionem naturae humanae duratione praecedit aeterna Dei perfectio: sed sequitur ipsam consummata perfectio in unione ad Deum.

β) *quando mitteret.* – Tertia; *quandoque mittere.*
γ) *quia... refrigescet.* – EF*a* et tertia (*refrigeret* I, *frigescet* PF); om.
δ) *statim.* – *a principio* addunt editiones.
ε) *sciebat.* – *praesciebat* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articuli quinti eiusdem primae quaestionis corpore duae sunt conclusiones, iuxta duplicem statum humani generis in sui principio, scilicet innocentiae, et lapsus. Vertitur enim in quaestionem an in principio humani generis debuerit incarnatio esse: et propterea iuxta duplicem statum in principio, duplici respondetur conclusione, et utraque negative.

Prima est: *Non fuit conveniens a principio humani generis, ante peccatum, Deum incarnatum fuisse.* Probatur. Opus incarnationis principaliter ordinatur ad reparationem naturae per abolitionem peccati. Ergo non fuit conveniens ante peccatum Deum incarnari. – Probatur sequela ratione: quia medicina non datur nisi infirmis. Et auctoritate Domini duplici.

II. Secunda est: *Non fuit conveniens Deum incarnari statim post peccatum.* Probatur quadrupliciter. *Primo,* ex conditione peccati. Humanum peccatum provenerat ex superbia hominis. Ergo eo erat modo liberandus ut, humiliatus, cognosceret se liberatore indigere. Sed hoc convenienter fit relinquendo hominem primo in statu naturae, deinde sub iugo Legis, ut, expertus secundum utriusque vires defectum suum, clamaret pro gratia. Ergo. Omnia clara sunt in littera. – Et firmatur magis ex responsione ad primum, ducendo ad inconveniens, superbiae scilicet contemptum, si statim incarnatio post peccatum fuisset.

Secundo, ex ordine promotionis in bonum. Quae ratio in responsione ad tertium magis explicatur. Ita quod sic est formanda. Humanam naturam lapsam convenit procedere de imperfecto ad perfectum. Ergo consummata eius perfectio in unione ad Deum non statim habenda erat. – Antecedens probatur Apostoli auctoritate in littera. – Consequentia autem ut manifesta relinquitur. Et merito: quia non procederet de imperfecto ad perfectum quasi progrediendo per media et appropinquando ad divinam unionem, si statim incarnatio fuisset. Nam defuisset unio secundum intellectum magis ac magis illustratum secundum successionem temporum; et similiter media unio per caritatem Patriarcharum ac Prophetarum; et similiter media unio per diuturnum famulatum unius populi exhibitum Deo in sacrificiis quibus initiabatur humanum genus ad futurum illud Iesu Christi in ara crucis sacrificium.

Tertio, ex dignitate Verbi incarnati. Et patet.

Et similiter, *quarto,* ex vitando tepore fidei.

Et tu adde *quintam,* ex soliditate fidei. Nam si statim fuisset incarnatus, fictio putaretur antiquorum. Nunc autem, ex quo Christi incarnationem tot, non solum verba, sed scripturae Prophetarum praecesserunt, tanta expectatio tot saeculorum fuit de Messia, mens nostra in fide solidatur. Quam fidei securitatem tetigit Apostolus, I *ad Cor.* xv * [* Vers. 3, 4.], bis de Christo replicans, *secundum Scripturas.* Et propterea Ecclesia in Symbolo * [* Nicaeno-Constantinop.], post articulum resurrectionis Christi, apposuit ly *secundum Scripturas:* quod refertur ad omnes praecedentes de incarnatione articulos, ita quod sensus est: *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem, descendit de caelis, incarnatus, homo factus, crucifixus, passus, sepultus, et resurrexit – secundum Scripturas:* ne videantur incarnationis mysteria, omnem humanam capacitatem excedentia, noviter conficta.

III. In responsione ad secundum, perspice quod responsio consistit in hoc quod ratio ex pluralitate salvandorum non est efficax. Quia salvandi ex divina praedestinatione sunt misericorditer salvandi, prout ipse magis hos quam illos elegit: cuius nulla est ratio nisi divina voluntas.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM INCARNATIONIS OPUS DIFFERRI DEBUERIT USQUE IN FINEM MUNDI

III *Sent.*, dist. 1, qu. 1, art. 4.

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod incarnationis opus differri debuerit usque in finem mundi. Dicitur enim in Psalmo * [* Ps. xci, vers. 11.]: *Senectus mea in misericordia uberi,* idest, *in novissimo,* ut Glossa * [* Interl. et Lomb.] dicit. Sed tempus incarnationis est maxime tempus misericordiae, secundum illud Psalmi * [* Ps. ci, vers. 14.]: *Quoniam venit tempus miserendi eius.* Ergo incarnatio debuit differri usque in finem mundi.

2. PRAETEREA, sicut dictum est * [* Art. praeced., ad 3.], perfectum, in eodem, tempore est posterius imperfecto. Ergo id quod est maxime perfectum, debet esse ultimo [α] in tempore. Sed summa perfectio humanae naturae est in unione ad Verbum: quia *in Christo complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare,* ut Apostolus dicit, *Coloss.* I * [* Vers. 19; cf. cap. II, vers. 9.]. Ergo incarnatio debuit differri usque in finem mundi.

3. PRAETEREA, non est conveniens fieri per duo quod per unum fieri potest. Sed unus Christi adventus sufficere poterat ad salutem humanae naturae: qui erit in fine mundi. Ergo non oportuit quod antea veniret per incarnationem. Et ita incarnatio differri debuit usque in finem mundi.

SED CONTRA EST quod dicitur Habacuc III * [* Vers. 2.]: *In medio annorum notum facies.* Non ergo debuit incarnationis mysterium, per quod mundo innotuit, usque in finem mundi differri [β].

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut non fuit conveniens Deum incarnari a principio mundi, ita non fuit conveniens quod incarnatio differretur usque in finem mundi. Quod quidem apparet, primo, ex unione divinae et humanae naturae. Sicut enim dictum est * [* Art. praeced., ad 3.], perfectum uno modo tempore praecedit imperfectum [γ]: in eo enim quod de imperfecto fit perfectum, imperfectum tempore praecedit perfectum; in eo vero quod est perfectionis causa efficiens, perfectum tempore praecedit imperfectum * [* D. 1021.]. In opere autem incarnationis utrumque concurrit. Quia natura humana in ipsa incarnatione est perducta ad summam perfectionem: et ideo non decuit quod a principio humani generis incarnatio facta fuisset. Sed ipsum Verbum incarnatum est perfectionis humanae [δ] causa efficiens, secundum illud Ioan. I * [* Vers. 16.], *De plenitudine eius omnes accepimus:* et ideo non debuit incarnationis opus usque in finem mundi differri. Sed perfectio gloriae, ad quam perducenda est ultimo natura humana per Verbum incarnatum, erit in fine mundi.

Secundo, ex effectu humanae salutis. Ut enim dicitur in libro *de Quaest. Nov. et Vet. Test.* [ε] * [* Qu. LXXXIII. – Inter Opp. Aug.], *in potestate dantis est quando vel quantum velit misereri. Venit ergo quando et subveniri debere* [ζ] *scivit, et gratum futurum beneficium. Cum enim languore quodam humani generis obsolescere* [η] *coepisset cognitio Dei inter homines et mores immutarentur, eligere dignatus est Abraham, in quo forma esset renovatae notitiae Dei et morum. Et*

α) *ultimo.* – *omnino ultimum* tertia.

β) *differri.* – PIsG; *differre.*

γ) *imperfectum.* – *Alio modo e converso imperfectum tempore praecedit perfectum* addit tertia.

δ) *humanae.* – *naturae* addunt editiones.

ε) *Nov. et Vet. Test.* – Prima et E sic fere per totum librum; tertia modo sic, modo *Vet. et Nov. Test.*, modo inter se divisa; F etiam fluctuat; primam ubique sequimur.

ζ) *et subveniri debere.* – P; *quaeri et subveniri* prima et sH, *subveniri* FGI, *et subveniri* pHsE et *bc.*

η) *obsolescere.* – GI; *absolescere* ABC, *abolescere* PDEF*ac*, *obselescere* I, *assolescere b.*

cum adhuc reverentia segnior esset [θ], *postea per Moysen Legem litteris dedit. Et quia eam gentes spreverunt non se subiicientes ei, neque hi qui acceperunt servaverunt, motus misericordia Dominus misit Filium suum, qui, data omnibus remissione peccatorum, Deo Patri illos iustificatos offerret.* Si autem hoc remedium differretur usque in finem mundi, totaliter Dei notitia et reverentia et morum honestas abolita fuisset in terris.

Tertio apparet quod hoc non fuisset [ι] conveniens ad manifestationem divinae virtutis: quae pluribus modis homines salvavit, non solum per fidem futuri, sed etiam per fidem praesentis et praeteriti.

Ad primum ergo dicendum quod Glossa illa exponit [κ] de misericordia perducente ad gloriam. Si tamen referatur ad misericordiam exhibitam humano generi per incarnationem Christi, sciendum est quod, sicut Augustinus dicit, in libro *Retractationum* * [* Lib. I, cap. XXVI.], tempus incarnationis potest comparari iuventuti humani generis, *propter vigorem fervoremque fidei, quae per dilectionem operatur:* senectuti autem, quae est sexta aetas * [* Cf. Isidor. *Different.* lib. II, cap. XIX.], *propter numerum temporum, quia Christus venit in sexta aetate.* Et *quamvis in corpore non possit esse simul iuventus et senectus, potest tamen simul esse in anima: illa propter alacritatem, ista propter gravitatem.* Et ideo in libro *Octogintatrium Quaest.*, alicubi * [* Qu. XLIV.] dixit Augustinus quod *non oportuit divinitus venire Magistrum, cuius imitatione humanum genus in mores optimos formaretur, nisi tempore iuventutis:* alibi * [* *De Gen. cont. Manich.* lib. I, cap. XXIII.] autem dixit Christum in sexta aetate humani generis, tanquam in senectute, venisse.

Ad secundum dicendum quod opus incarnationis non solum est considerandum ut terminus motus de imperfecto ad perfectum [λ]: sed ut principium perfectionis in humana natura, ut dictum est * [* In corpore.].

Ad tertium dicendum quod, sicut Chrysostomus dicit * [* Homil. XXVIII, al. XXVII, *in Ioan.*], super illud Ioan. ** [** Cap. III, vers. 17.], « Non misit Deus Filium suum in mundum ut iudicet mundum », *duo sunt Christi adventus: primus quidem, ut remittat peccata; secundus, ut iudicet* [μ]. *Si enim hoc non fecisset, universi simul perditi essent: omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei.* Unde patet quod non debuit adventum misericordiae differre usque in finem mundi.

θ) *segnior esset.* – Pl; *senuisset* E, *seniorum esset* AH*b*, *minor esset* D, *senior esset* ceteri.

ι) *quod hoc non fuisset.* – E; *quod hoc fuisset* prima, *hoc fuisse* F et tertia.

κ) *exponit.* – *exponitur* DsEG.

λ) *de imperfecto ad perfectum.* – EF et tertia; *de perfecto ad imperfectum.*

μ) *iudicet.* – *mundum* addunt Pc.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo sexto eiusdem primae quaestionis unica est conclusio negative respondens quaesito: *Non fuit conveniens incarnationem differri in finem mundi.* Probatur triplici ratione in littera.

Ubi, pro clariori intelligentia primae rationis, nota quod duplex est motus humanae naturae de imperfecto ad perfectum: unus respectu ipsius naturae, ut distinguitur contra suppositum; alter respectu naturae in suppositis propriis. Secundum primum motum, incarnatio se habet ut terminus: quoniam in opere incarnationis natura humana in Deum assumpta est. Iuxta autem secundum motum, gloria animae et corporis in futuro mundo se habet ut terminus, quando homines glorificabuntur consummate. Et in hoc secundo motu mysterium incarnationis non se habet ut terminus, sed ut principium effectivum: quoniam Christus dux omnium hominum ad gloriam consummatam per suam resurrectionem, etc., est. Propter primum motum, non decuit incarnari Deum in principio mundi, ut praedictum est * [* Art. praeced.]. Propter secundum motum, non decuit differri incarnationem in finem mundi. Ex ipsa igitur unione duarum naturarum, divinae scilicet et humanae, in Christo, neutrum conveniens esse patet: quia primum adversatur progressui humanae naturae de imperfecto ad perfectum; secundum adversatur auctoritati divini Verbi incarnati ad deducendum de potentia ad actum consummatum naturam humanam in propriis suppositis, iuxta secundum motum. – Cetera sunt clara.



QUAESTIO SECUNDA

DE MODO UNIONIS VERBI INCARNATI QUANTUM AD IPSAM UNIONEM

IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA

DEINDE considerandum est de modo unionis Verbi incarnati * [* Cf. qu. I, Introd.]. Et primo, quantum ad ipsam unionem; secundo, quantum ad personam assumentem * [* Qu. III.]; tertio, quantum ad naturam assumptam * [* Qu. IV.].

Circa primum quaeruntur duodecim.

Primo: utrum unio Verbi incarnati sit facta in natura.

Secundo: utrum sit facta in persona.

Tertio: utrum sit facta in supposito vel hypostasi.

Quarto: utrum persona vel hypostasis Christi post incarnationem sit composita.

Quinto: utrum sit facta aliqua unio animae et corporis in Christo.

Sexto: utrum natura humana fuerit unita Verbo accidentaliter.

Septimo: utrum ipsa unio sit aliquid creatum.

Octavo: utrum sit idem quod assumptio.

Nono: utrum sit maxima unionum.

Decimo: utrum unio duarum naturarum in Christo fuerit facta per gratiam.

Undecimo: utrum eam aliqua merita praecesserint.

Duodecimo: utrum aliqua gratia [α] fuerit homini Christo naturalis.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM UNIO VERBI INCARNATI SIT FACTA IN UNA NATURA

III *Sent.*, dist. V, qu. I, art. 2; IV *Cont. Gent.*, cap. XXXV, XLI; *De Unione Verbi*, art. 1; *De Verit.*, qu. XX, art. 1; *Compend. Theol.*, cap. CCVI; *In Ioan.*, cap. I, lect. VII; *Ad Rom.*, cap. I, lect. II; *Ad Philipp.*, cap. II, lect. II.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod unio Verbi incarnati sit facta in una [β] natura. Dicit enim Cyrillus, et inducitur in gestis Concilii [γ] Chalcedonensis * [* Part. II, Act. I.]: *Non oportet intelligere duas naturas, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam.* Quod quidem non fieret [δ] nisi unio esset in natura. Ergo unio Verbi incarnati facta est in natura.

2. PRAETEREA, Athanasius dicit * [* In Symbolo.]: Sicut anima rationalis et caro conveniunt in constitutione humanae naturae, sic Deus et homo conveniunt in constitutione alicuius unius naturae [ε]. Ergo facta est unio in natura.

3. PRAETEREA, duarum naturarum una non denominatur ex altera nisi aliquo modo in invicem transmutentur. Sed divina natura et humana in Christo ab invicem denominantur: dicit enim Cyrillus * [* Epist. II *ad Secessum.*] divinam naturam esse *incarnatam;* et Gregorius Nazianzenus dicit * [* Orat. XLII.] naturam humanam esse *deificatam;* ut patet per Damascenum * [* *De Fide Orth.*, lib. III, cap. VI, XI, XVII.]. Ergo ex duabus naturis videtur esse facta una natura.

SED CONTRA EST quod dicitur in determinatione Concilii Chalcedonensis * [* Part. II, Act. V.]: *Confitemur in novissimis diebus Filium Dei unigenitum [ζ] inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unionem.* Ergo unio non est facta in natura.

RESPONDEO DICENDUM quod ad huius quaestionis evidentiam, oportet considerare quid sit natura. Sciendum est igitur quod nomen *naturae* a *nascendo* est dictum vel sumptum [η] * [* Cf. Aristot. *Metaphys.* lib. IV, cap. IV, n. 1. — S. Th. lib. V, lect. V.]. Unde primo est impositum hoc nomen ad significandum generationem viventium, quae nativitas vel pullulatio dicitur: ut dicatur natura quasi *nascitura.* – Deinde translatum est nomen naturae ad significandum principium huius generationis. – Et quia principium generationis in rebus viventibus est intrinsecum, ulterius derivatum est nomen naturae ad significandum quodlibet principium intrinsecum motus: secundum quod Philosophus dicit, in II *Physic.* * [* Cap. I, n. 2. – S. Th. lect. I.], quod *natura est principium motus in eo in quo est per se et non secundum accidens.* – Hoc autem principium vel forma est, vel materia. Unde quandoque natura dicitur forma: quandoque vero materia. – Et quia finis generationis naturalis est, in eo quod generatur, *essentia speciei, quam significat definitio* * [* Ibid., n. 10, 11. – S. Th. lect. II.], inde est quod huiusmodi essentia speciei vocatur etiam natura. Et hoc modo Boetius naturam definit, in libro *de Duabus Naturis* * [* Cap. I.], dicens:

α) *aliqua gratia.* – *gratia* BCGHIc, *gratia Dei b*, *gratia unionis* P.

β) *una.* – Om. F.

γ) *Concilii.* – F et tertia; *IX Concilii.*

δ) *fieret.* – *esset* PGI.

ε) *Athanasius... unius naturae.* – *Athanasius dicit: Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus. Sed anima rationalis et caro conveniunt in constitutione unius* (*unius* om. GIHbc) *humanae naturae. Sic ergo Deus et homo conveniunt in constitutione unius* (*unius* om. P) *alicuius naturae* E et tertia; idem F omisso *Sic... naturae.*

ζ) *unigenitum.* – *in duabus naturis* addunt F et tertia praeter pH.

η) *dictum vel sumptum.* – *sumptum* GIsH, *dictum* P.

Natura est unamquamque rem informans specifica differentia, quae scilicet complet definitionem speciei. Sic ergo nunc loquimur de natura, secundum quod natura significat essentiam, vel quod quid est, sive quidditatem speciei.

Hoc autem modo accipiendo naturam, impossibile est unionem Verbi incarnati esse factam in natura. Tripliciter enim aliquid unum ex duobus vel pluribus constituitur. Uno modo, ex duobus perfectis integris remanentibus. Quod quidem fieri non potest nisi in his quorum forma est compositio, vel ordo, vel figura: sicut ex multis lapidibus absque aliquo ordine adunatis per solam compositionem fit acervus; ex lapidibus autem et lignis secundum aliquem ordinem dispositis, et etiam ad aliquam figuram redactis, fit domus. Et secundum hoc, posuerunt aliqui unionem esse per modum confusionis, quae scilicet est sine ordine; vel commensurationis [θ], quae est cum ordine.

Sed hoc non potest esse. Primo quidem, quia compositio, ordo vel figura non est forma substantialis, sed accidentalis. Et sic sequeretur quod unio incarnationis non esset per se, sed per accidens: quod infra * improbabitur [ι]. – Secundo, quia ex huiusmodi non fit unum simpliciter, sed secundum quid: remanent enim plura actu. – Tertio, quia forma talium non est natura, sed magis ars: sicut forma domus. Et sic non constitueretur una natura in Christo, ut ipsi volunt.

[* Art. 6.]

Alio modo fit aliquid [κ] ex perfectis, sed transmutatis: sicut ex elementis fit mixtum. Et sic aliqui dixerunt unionem incarnationis esse factam per modum complexionis [λ].

Sed hoc non potest esse. Primo quidem, quia natura divina est omnino immutabilis: ut in Prima Parte * dictum est. Unde nec ipsa potest converti in aliud, cum sit incorruptibilis: nec aliud in ipsam, cum ipsa sit ingenerabilis. – Secundo, quia id quod est commixtum, nulli miscibilium est idem specie: differt enim caro a quolibet elementorum specie. Et sic Christus nec [μ] esset eiusdem naturae cum Patre, nec cum matre. – Tertio, quia ex his quae plurimum distant non potest fieri commixtio: solvitur enim species unius eorum, puta si quis guttam aquae amphorae vini apponat. Et secundum hoc, cum natura divina in infinitum excedat humanam, non potest esse mixtio, sed remanebit sola natura divina.

[* Qu. IX, art. 1, 2.]

Tertio modo fit aliquid ex aliquibus non permutatis [ν], sed imperfectis: sicut ex anima et corpore fit homo; et similiter ex diversis membris [ξ].

Sed hoc dici non potest de incarnationis mysterio. Primo quidem, quia utraque natura est secundum suam rationem perfecta, divina scilicet et humana. – Secundo, quia divina et humana natura non possunt constituere aliquid per modum partium quantitativarum, sicut membra constituunt corpus: quia natura divina est incorporea. Neque per modum formae et materiae: quia divina natura non potest esse forma alicuius, praesertim corporei. Sequeretur etiam quod species resultans esset communicabilis pluribus: et ita essent plures Christi. – Tertio, quia Christus neque esset humanae naturae, neque divinae: differentia enim addita variat speciem, sicut unitas in numeris [ο], sicut dicitur in VIII *Metaphys.* *

[* S. Th. lect. III. - Did. lib. VII, cap. III, n. 8.]

Ad primum ergo dicendum quod illa auctoritas Cyrilli exponitur in Quinta Synodo * sic: *Si quis, unam naturam Dei Verbi incarnatam dicens, non sic accipit sicut Patres docuerunt, quia ex divina natura et humana unione secundum subsistentiam facta, sed ex talibus vocibus naturam unam sive substantiam divinitatis et carnis Christi introducere conatur, talis anathema sit.* Non ergo sensus est quod in incarnatione ex duabus naturis sit una natura constituta: sed quia una natura Dei Verbi carnem univit [π] in persona.

[* Constantinop. II, Collat. VIII, can. VIII.]

Ad secundum dicendum quod ex anima et corpore constituitur in unoquoque nostrum duplex unitas: naturae, et personae. Naturae quidem, secundum quod anima unitur corpori, formaliter perficiens ipsum, ut ex duabus [ρ] fiat una natura, sicut ex actu et potentia, vel materia et forma. Et quantum ad hoc non attenditur similitudo: quia natura divina non potest esse corporis forma, ut in Primo probatum est *. Unitas vero personae constituitur ex eis inquantum est unus aliquis subsistens in carne et anima. Et quantum ad hoc attenditur similitudo: unus enim Christus subsistit in divina natura et humana.

[* Qu. III, art. 8.]

Ad tertium dicendum quod, sicut Damascenus dicit *, natura divina dicitur incarnata, quia est unita carni personaliter: non quod sit in naturam carnis conversa. Similiter etiam caro dicitur deificata, ut ipse dicit *, non per conversionem, sed per unionem ad Verbum, salvis suis proprietatibus [σ]: ut intelligatur caro deificata quia facta est Dei Verbi caro, non quia facta sit Deus.

[* Lib. cit., cap. XVII.] [* Ibid.]

θ) *commensurationis.* – (*per modum* P) *commassationis* tertia; post *quae* PH*bc* addunt *scilicet.*

ι) *improbabitur.* – Tertia; *probabitur.*

κ) *aliquid.* – *unum* addunt Pc.

λ) *complexionis.* – *compositionis* I, *commixtionis* aliquae editiones.

μ) *nec.* – *non* EF et tertia praeter I.

ν) *permutatis.* – *permixtis vel permutatis* H et editiones.

ξ) *membris.* – *constituitur corpus* addit sH, *constituitur* addit *b*, *unum corpus constituitur* addunt Pc.

ο) *in numeris.* – *numerus* I, *numerum* H et editiones.

π) *sed quia... univit.* – *sed quia* (*quod* P) *natura Verbi Dei carnem univit sibi* H et editiones.

ρ) *duabus.* – *duobus* PGIc, *duabus naturis* H*b*.

σ) *proprietatibus.* – *naturalibus proprietatibus* GI, *proprietatibus naturalibus* editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

In articulo primo quaestionis secundae, declarandus esset titulus, nisi in corpore articuli declararetur.

In corpore articuli sunt duae partes principales. In prima declaratur titulus, declarando quid significet in proposito ly *natura.* Ubi nota quod Auctor, discurrendo per diversas significationes ordine quodam convenientes nomini naturae, decernit in hac quaestione naturam significare essentiam rei: et ex hac determinatione ut clarifica-

tum reliquit titulum articuli. Et vere sic est: quoniam ex hoc ipso quod naturae nomine essentiam intelligimus, clare constat quid est uniri in natura; scilicet uniri ad essentiae integritatem, ut expresse Auctor deduxit ex eodem praesupposito in IV *Contra Gent.*, cap. XLI. Quaerere igitur an unio Verbi incarnati sit facta in natura, est quaerere an Verbum et humana natura sint unita in una essentia: an convenerint ad integrandum unam essentiam.

In secunda parte corporis respondetur quaesito negative unica conclusione: ***Impossibile est unionem Verbi incarnati esse factam in natura.*** Haec autem conclusio tali modo et ordine in littera probatur. Primo, ponitur distinctio trimembris de modo quo aliquid unum ex pluribus constitui potest. Primus modus est quod aliquid unum fiat ex pluribus perfectis remanentibus in sua integritate; secundus modus est quod aliquid unum fiat ex pluribus, perfectis quidem, sed non permanentibus, sed transmutatis; tertius est quod aliquid unum fiat ex pluribus, permanentibus quidem, sed imperfectis. Et iuxta singulos modos, servato ordine quo recitati sunt, probat conclusionem propositam tripliciter, ut patet clare in littera.

II. Circa illam litterae rationem qua probatur non posse aliquid converti in divinam naturam quia est ingenerabilis, adverte quod dupliciter potest intelligi aliquid converti in aliud. Primo, per transubstantiationem: sicut panis in Sacramento Altaris convertitur in corpus Christi. Secundo, per transmutationem: sicut alimentum convertitur in corpus animalis quod nutritur; et similiter elementa convertuntur in mixtum, secundum opinionem tenentium elementa non remanere secundum suas substantias in mixto. Non est in praesenti ratione sermo de conversione primo modo: quoniam non valeret ratio. Quia ex hoc quod aliquid est ingenerabile, non sequitur quod non possit divina virtute transubstantiari in ipsum: quin potius de facto in corpus Christi gloriosum, quod est incorruptibile et ingenerabile, convertitur panis in Eucharistia. Sed est sermo de conversione secundo modo: quia de tali disputatur in secundo modo, quo ex pluribus perfectis transmutatis fit unum, ut patet in littera.

III. Circa rationem illam, ***quia divina natura et humana non possunt constituere aliquid per modum formae et materiae,*** nota duo. Primum est ly *praesertim corporei.* Dixit enim hoc Auctor ad praeservandum sermonem suum ab informatione secundum esse intelligibile. Dictum est enim in Primo Libro, qu. XII *, quod divina essentia potest esse forma intelligibilis intellectus creati. Sed alterius rationis ac ordinis est esse formam in esse intelligibili intellectus creati, et convenire cum aliquo corporeo per modum formae et materiae ad constituendum aliquam naturam. Hoc

* Art. 2, ad 3; art. 5.

enim maximam imperfectionem, et informationem rei secundum esse materiale, poneret in divina natura: illud autem nullam imperfectionem aut informationem secundum esse ponit in divina essentia, ut ibi patuit.

Secundum est quod sequela in littera subiuncta, scilicet, ***Sequeretur enim quod species resultans esset communicabilis pluribus,*** fundatur super illa propositione: ***Omnis natura composita ex materia et forma est communis pluribus,*** quae ex I *Caeli* * sumitur. Quae propositio vera dicitur quantum est ex se: potest enim aliunde, puta ex hoc quod constat ex tota sua materia, non inveniri nisi in uno natura illa, ut de mundo ibidem * dicitur. Est igitur omnis natura ex materia et forma composita secundum se communis pluribus: et de facto potest inveniri in pluribus nisi constet ex tota sua materia. Et quia natura illa resultans in Christo ex divina natura ut forma et humana ut materia, non constaret ex tota sua materia, ut patet, quia multae aliae naturae humanae singulares inveniuntur ultra illam quae est in Christo: sequitur quod de facto posset natura illa resultans plurificari. Ac per hoc, possent esse plures, immo infiniti Christi eiusdem speciei specialissimae.

* Cap. IX, n. 2. - S. Th. lect. XIX.

* Cap. IX, n. 3 sqq. - S. Th. lect. XIX, XX.

IV. In eodem primo articulo, in responsione ad secundum, circa similitudinem ab Athanasio datam, perspice quod similitudo dicitur tenere quantum ad hoc, idest quantum ad unitatem suppositi utrobique. Nec aliud sonant verba Athanasii nisi similitudinem quoad unitatem suppositi, dicendo, ***sicut anima rationalis et caro unus est homo:*** nam ***unus homo*** unum suppositum manifeste significat. Et non ponit similitudinem quoad unitatem naturae, nec quoad modum constituendi unum suppositum. Neque enim illo modo unum suppositum Christi constat ex divina et humana natura, sicut unus homo constituitur ex anima et corpore. Quoniam unus homo, puta Petrus, constituitur ex anima et corpore ut veris partibus componentibus ipsum Petrum: est enim persona Petri composita ex hac anima et hoc corpore ut partibus suis. Christus autem non constituitur in suo esse personali per utramque naturam, divinam scilicet et humanam, ut infra * patebit. Intellige igitur similitudinem quantum ad ipsam unitatem suppositi utrobique subsistentis in duobus, ibi in natura animae rationalis et carnis, hic in natura Dei et hominis: diversimode tamen, iuxta diversas conditiones eorundem.

* Qu. XVII, art. 2, Comment. in resp. ad 2.

Diligenter autem pensato illa verba litterae: ***Unitas vero personae constituitur ex eis,*** scilicet anima et corpore unitis, ***inquantum est unus aliquis subsistens in carne et anima.*** Oportet namque haec scrutari in quaestionis quartae articulo secundo *, ubi inquiretur et definiendum est quid persona humana, puta Petrus, addit supra suam, hoc est, singularem humanitatem, qua est hic homo.

* Cf. Comment. in resp. ad 3, ad 2^m dub.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM UNIO VERBI INCARNATI SIT FACTA IN PERSONA

III *Sent.*, dist. V, qu. I, art. 3; IV *Cont. Gent.*, cap. XLI; *De Unione Verbi*, art. 1; *Ad Philipp.*, cap. II, lect. II.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod
α unio Verbi incarnati non sit facta α in persona. Persona enim Dei non est aliud a natura ipsius, ut habitum est in
*Qu. XXXIX, art. 1. β Primo *. Si ergo unio non est β in natura, sequitur quod non sit facta in persona.

2. PRAETEREA, natura humana non est minoris dignitatis in Christo quam in nobis. Personalitas
* Qu. XXIX, art. 3, ad 2. autem ad dignitatem pertinet, ut in Primo * habitum est. Cum ergo natura humana in nobis propriam personalitatem habeat, multo magis habuit propriam personalitatem in Christo.

3. PRAETEREA, sicut Boetius dicit, in libro *de Duabus Naturis* *, *persona est rationalis naturae individua substantia.* Sed Verbum Dei assumpsit naturam humanam individuam: *natura* enim *universalis non sistit* γ *secundum se, sed in nuda contemplatione consideratur,* ut Damascenus dicit *. Ergo humana natura habet suam personalitatem. Non ergo videtur quod sit facta unio in persona.

* Cap. III, IV.

γ

* *De Fide Orth.*, lib. III, cap. XI.

α) *facta.* – F et tertia; *perfecta.*
β) *est.* – *facta* addit tertia praeter pG.
γ) *sistit.* – *subsistit* PFsEIII.

SED CONTRA EST quod in Chalcedonensi Synodo * legitur: *Non in duas personas partitum* [δ] *aut divisum, sed unum et eundem Filium unigenitum Dominum nostrum Iesum Christum confitemur.* Ergo facta est unio Verbi in persona.

* Part. II, Act. V.

RESPONDEO DICENDUM quod persona aliud significat quam natura. Natura enim [ε] significat *essentiam speciei, quam significat definitio* *. Et si quidem his quae ad rationem speciei pertinent nihil aliud adiunctum inveniri posset, nulla necessitas esset distinguendi naturam a supposito naturae, quod est individuum subsistens in natura illa: quia unumquodque individuum subsistens in natura aliqua esset omnino idem cum sua natura. Contingit autem in quibusdam rebus subsistentibus inveniri aliquid quod non pertinet ad rationem speciei, scilicet accidentia et principia individuantia: sicut maxime apparet in his quae sunt ex materia et forma composita. Et ideo in talibus etiam secundum rem differt natura et suppositum, non quasi omnino aliqua [ζ] separata: sed quia in supposito includitur ipsa natura speciei, et superadduntur quaedam alia quae sunt praeter rationem speciei. Unde suppositum significatur ut totum, habens naturam sicut partem formalem et perfectivam sui. Et propter hoc in compositis ex materia et forma natura non praedicatur de supposito: non enim dicimus quod hic homo sit sua humanitas. Si qua vero res est in qua omnino nihil est aliud praeter rationem speciei vel naturae suae, sicut est in Deo, ibi [η] non est aliud secundum rem suppositum et natura, sed solum secundum rationem intelligendi: quia natura dicitur secundum quod est essentia quaedam; eadem vero dicitur suppositum secundum quod est subsistens. Et quod est dictum de *supposito,* intelligendum est de *persona* in creatura rationali vel intellectuali: quia nihil aliud est persona quam *rationalis naturae individua substantia,* secundum Boetium *.

* Cf. Aristot. *Physic.* lib. II, cap. I, n. 10. - S. Th. lect. II.

* Loc. cit. in arg. 3.

Omne igitur quod inest alicui personae, sive pertineat ad naturam eius sive non, unitur ei in persona. Si ergo humana natura Verbo Dei non unitur in persona, nullo modo ei unitur. Et sic totaliter tollitur incarnationis fides: quod est subruere totam fidem Christianam. Quia igitur Verbum habet naturam humanam sibi unitam, non autem ad suam naturam divinam pertinentem, consequens est quod unio sit facta in persona Verbi, non autem in natura.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, licet in Deo non sit aliud secundum rem natura et persona, differt tamen secundum modum significandi, sicut dictum est *: quia persona significat per modum subsistentis. Et quia natura humana sic unitur Verbo ut Verbum in ea subsistat, non autem ut aliquid addatur ei ad rationem suae naturae, vel ut eius natura in aliquid [θ] transmutetur, ideo unio facta est in persona, non in natura.

* In corpore.

AD SECUNDUM DICENDUM quod personalitas necessario [ι] intantum pertinet ad dignitatem alicuius rei et perfectionem, inquantum ad dignitatem et perfectionem eius pertinet quod per se existat: quod in nomine personae intelligitur. Dignius autem est [κ] alicui quod existat in aliquo se digniori, quam quod existat per se. Et ideo ex hoc ipso humana natura dignior est in Christo quam in nobis, quia in nobis, quasi per se existens, propriam personalitatem habet, in Christo autem existit in persona Verbi. Sicut etiam esse completivum speciei pertinet ad dignitatem formae: tamen sensitivum nobilius est in homine, propter coniunctionem [λ] ad nobiliorem formam completivam, quam sit in bruto animali, in quo est forma completiva.

AD TERTIUM DICENDUM quod *Dei Verbum non assumpsit naturam humanam in universali, sed in atomo,* idest in individuo, sicut Damascenus dicit *: alioquin oporteret quod cuilibet homini conveniret esse Dei Verbum, sicut convenit Christo. Sciendum est tamen quod non quodlibet individuum in genere substantiae, etiam in rationali natura, habet rationem personae: sed solum illud quod per se existit, non autem illud quod existit in alio perfectiori. Unde manus Socratis, quamvis sit quoddam individuum, non est tamen persona: quia non per se existit, sed in quodam perfectiori, scilicet in suo toto. Et hoc etiam potest significari in hoc quod persona dicitur *substantia individua:* non enim manus est substantia completa [μ], sed pars substantiae. Licet igitur humana natura sit individuum quoddam in genere substantiae [ν], quia tamen non per se separatim existit, sed in quodam perfectiori, scilicet in persona Dei Verbi, consequens est quod non habeat personalitatem propriam. Et ideo facta est unio in persona.

* Loc. cit. in arg.

δ) *partitum.* – Tertia; *particulariter partitum* prima et E, *particulariter* F; post *unigenitum* tertia addit *Deum Verbum.*
ε) *enim.* – *ut dictum est* addit tertia praeter H.
ζ) *omnino aliqua.* – *aliqua omnino* G, *aliqua omnino sit* I, *omnino* F.
η) *ibi.* – Tertia et sE; *ibi enim* prima, *in quo* F.
θ) *aliquid.* – *aliud* F et editiones. – Post *unio* tertia addit *humanae naturae ad Verbum Dei.*
ι) *necessario.* – Om. tertia.
κ) *est.* – *erit* ACE, *esset* F.
λ) *coniunctionem.* – E et tertia praeter pG; *communicationem.*
μ) *completa.* – Om. sH et editiones.
ν) *substantiae.* – PD; *ratione et naturae* A, *naturae* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN articulo secundo eiusdem secundae quaestionis, praedeclarandus esset titulus, nisi in corpore articuli declararetur.

In corpore igitur articuli tria fiunt. Primo, declaratur ly *persona*; secundo, ly *uniri in persona* *: per haec enim duo titulus patet. Tertio, respondetur quaesito unica conclusione affirmativa: *Unio Verbi incarnati est facta in persona, ita quod non in natura* *.

* Cf. num. VI.

* Cf. num. VII.

Primum fit declarando differentiam inter personam et naturam ex diversa significatione nominum naturae et personae. Ubi scito quod personae et naturae nominibus non intelligimus haec vocabula, *natura* et *persona,* quae important naturam et personam in actu signato: sed nomina quae significant naturam et personam in actu exercito, ut *humanitas,* et *hic homo* seu *Socrates,* et sic de aliis. Ita quod ex eo quod aliud significat *humanitas* et similia no-

mina naturarum, et aliud significat *Socrates* et alia nomina personarum, monstratur differentia in rebus significatis, scilicet natura et persona.

Procedit autem littera ex differentia inter naturam et suppositum ad differentiam inter naturam et personam, a communioribus tradens doctrinam. Suppositum enim, cum idem sit quod *prima substantia,* commune est omni naturae generis substantiae: persona autem in sola rationali seu intellectuali natura invenitur. Ita quod, sicut suppositum significat primam substantiam in quacumque specie substantiae sit, ita persona significat primam substantiam in genere intellectualis substantiae. Et propterea in littera dicitur quod differentia assignata inter naturam et suppositum intelligenda est etiam inter naturam et personam: contrahitur enim per ly *persona* ly *natura* ad rationalem; et perinde est ac si diceretur *suppositum naturae rationalis.*

II. Et quoniam diversimode in diversis invenitur aliud et aliud quod significatur nominibus naturae et personae, quia in quibusdam invenitur aliud secundum rem, in quibusdam aliud secundum rationem tantum; ideo in littera, post propositam differentiam significati per naturam a significato per personam, quatuor facit. *Primo,* ostendit quare in quibusdam secundum rem distinguuntur natura et suppositum: dicens hoc ideo esse quia naturae potest inveniri aliquid coniunctum praeter id quod de ratione sua formali est. Et hanc rationem ita ponderat Auctor ut ex affirmatione affirmationem, et ex negatione negationem inferat: hoc est, quod in illis substantiis in quibus invenitur aliquid ultra naturam specificam, suppositum et natura distinguuntur secundum rem; et in illis in quibus nihil invenitur praeter naturam specificam, suppositum et natura non distinguuntur secundum rem.

Secundo, explanat in quibus substantiis manifeste subsumi potest distinctio talis secundum rem, vel non-distinctio. Et dicit quod in substantiis compositis ex materia et forma, in quibus inveniuntur et accidentia et principia individuantia praeter naturam specificam, suppositum et natura distinguuntur secundum rem.

Tertio, declarat qualiter distinguuntur secundum rem. Et dicit: Distinguuntur non tanquam duae res separatae, sed tanquam eadem superaddens aliqua alia. Ubi novitii distinguant quod distingui secundum rem contingit dupliciter: primo, sicut duae res quarum una nihil est alterius, ut albedo et dulcedo, ut Socrates et Plato, etc.; alio modo, sic ut una res includat totam aliam et superaddat ei aliquid aliud. Et hoc modo suppositum distinguitur a natura secundum rem: quia scilicet includit naturam et addit aliqua alia. – Et ne hoc voluntarie dici videatur, ex duobus effectibus hoc probat. Primo, ex modo significandi: quia hinc provenit quod significatur suppositum per modum totius, et natura per modum partis formalis perfectivae suppositi. Secundo, ex negativa praedicatione: quia hic homo non est sua humanitas. Ex hoc enim quod Socrates est ut totum quoddam respectu naturae et aliorum superadditorum, provenit utrumque: et quod sic significetur ut totum, et natura ut pars, constitutiva tamen, ipsius; et quod falsa sit affirmatio naturae de Socrate, utpote partis de toto.

Quarto, sub alio membro subsumit substantiam divinam, in qua natura et suppositum sola ratione distinguuntur: quia nihil in Deo ultra suam naturam invenitur.

III. Sed occurrunt circa haec multa dubia. *Primum* * est, an differentia realis posita hic inter suppositum et naturam, habeat locum in angelis. Et est ratio dubii quia in Prima Parte, qu. III, art. 3, dixit Auctor in substantiis separatis suppositum esse idem secundum rem quod natura: ita quod Gabriel est sua *gabrielitas.* Cuius oppositum dicitur hic de Socrate: quod scilicet non est sua humanitas. – In oppositum autem est quia hic dicitur quod in quibus invenitur aliquid praeter naturam speciei, suppositum differt secundum rem a natura, quia in supposito includitur natura speciei, et quaedam alia quae sunt praeter naturam speciei. Constat autem in angelis inveniri multa praeter naturam speciei, ut existentia actualis, et alia accidentia: quamvis non inveniantur in eis principia individuantia. Ergo.

* Cf. num. IV.

Secundum dubium * est, an illud quod suppositum dicitur addere supra naturam, oporteat esse ens reale: an sufficiat quod sit negatio aliqua, secundum doctrinam Auctoris.

* Cf. num. V.

Tertium dubium * est, an illud quod addit suppositum supra naturam, oporteat esse intrinsecum supposito: an sufficiat quod sit extrinsecum. Et est sermo de supposito et natura singulari: hoc est, de Socrate et hac sua humanitate. Et est ratio dubii difficultas videndi quid est illud intrinsecum; et diversitas opinionum; et nostrum etiam dictum in Commentariis * Primae Partis, in loco allegato, ubi diximus quod non differunt intrinsece.

* Cf. ibid.

* Num. VII, VIII.

Quartum dubium * est, quid sit illud quod suppositum creatum addit, intrinsecum sibi, supra hanc naturam suam. Et est ratio dubii quia hinc non apparet quid sit illud: et propter rei obscuritatem, et propter varias opiniones. Inde autem cogimur aliquid dicere: quoniam dicimus et affirmamus Verbum Dei non assumpsisse personam humanam, sed assumpsisse hanc humanitatem; et dicimus quod persona humana est inassumptibilis, haec autem natura assumpta est.

* Cf. num. V.

Quintum dubium * est circa illud, quod in Deo nihil invenitur praeter rationem suae speciei: cum in Deo confiteamur personales proprietates realiter inter se distantes, praeter unicam absolutam ac communem omnibus divinis personis essentiam.

* Cf. ibid.

IV. *Ad primum dubium* * dicitur quod sententia litterae istius procul dubio locum habet in angelis, ut patet inferius in qu. IV, art. 1, ad 3, ubi natura angeli absque angeli personalitate assumptibilis a divina ponitur persona, quod constat non esse intelligibile si suppositum et natura essent omnino idem secundum rem: et quod in angelis, propter hanc litterae rationem, quam Auctor etiam in *Quolibet* II, qu. II, art. 2, tractat, suppositum differt secundum rem a natura. Non tamen omni modo quo differunt haec in compositis ex materia et forma, ut ibidem * dicitur. Quia suppositum in substantiis materialibus differt a natura etiam quia includit singularitatem naturae, quam non includit natura: talis autem differentia non salvatur inter suppositum et naturam in substantiis separatis. Sed illa differentia quae ponitur hic, communis est omnibus substantiis creatis: scilicet quod suppositum includit naturam, etiam hanc, et addit quaedam alia; natura autem, etiam haec, non includit illa.

* Num. praeced.

* Ad 1.

Nec obstat doctrina habita in Prima Parte. Quoniam ibi est sermo de identitate reali ex intrinseco reali designativo naturae. Ita quod, cum pluribus modis possit contingere distinctio suppositi a natura, ibi non est sermo nisi de illo modo quo differunt penes aliquid reale intrinsecum designativum naturae: quo modo clare patet suppositum differre ab essentia per definitionem significata in substantiis materialibus; Socrates enim manifeste differt ab humanitate, quia includit principia individuantia, quae determinant naturam, scilicet humanitatem, constituendo humanitatem esse hanc; quamvis non differat per hoc solum Socrates ab humanitate. Sic enim in angelis non differunt suppositum et natura.

Nec propterea Auctor fuit ibi diminutus aut falsus, excluso illo modo distinctionis suppositi a natura, concludens identitatem suppositi et naturae in substantiis immaterialibus, et consequenter in Deo. Quoniam etsi processus iste solus reprehendi possit, iunctus tamen articulis sequentibus irreprehensibilis fuit: quoniam ex sequentibus in illamet quaestione articulis excluduntur a Deo, de quo est principalis quaestio, alii modi quibus potest suppositum secundum rem distingui a natura. Excludendo enim compositionem ex essentia et esse *, et quocumque accidente *, et quacumque componibilitate **, satis clare patet quod essentiae illi nihil praeter rationem speciei iunctum est: ac per hoc, omnes modi quibus suppositum potest distingui a natura, exclusi ibi inveniuntur a Deo. Non autem ab angelis: de quibus non erat tunc quaestio.

* Loc. cit. art. 4.
* Ibid. art. 6.
** Ibid. art. 7, 8.

Sensus ergo doctrinae illius est quod in substantiis immaterialibus suppositum et natura sunt idem secundum rem

intrinsece ita quod ly *intrinsece* referatur ad naturam, etiam hanc. An autem referatur etiam ad suppositum, sub dubio relinquatur: quoniam inferius * discutiendum est.

* Qu. IV, art. 2, Comment.

* Num. III.

V. *Ad secundum dubium* * dicitur quod procul dubio oportet esse ens reale quod suppositum addit supra naturam: quia est illud quo differt secundum rem a natura. Constat enim quod differentia secundum rem inter aliqua non est nisi ratione alicuius entis realis. In hac autem littera dicit quod est differentia secundum rem. Igitur oportet quod sit secundum aliquam realitatem.

Ad tertium et quartum dubium respondendum est in qu. IV, art. 2, ubi melius intelligi poterunt dicenda, postquam tot de persona interim discussa apertaque fuerint.

Ad quintum dubium dicitur quod in Deo, praeter rationem suae naturae, nihil aliud invenitur. Aliud autem dico, non solum realiter, sed formaliter loquendo de formalitate divinae naturae, prout ipsa in se ex se est. Deitas namque si definiretur secundum sua merita, clauderet in ratione sua formalissima et simplicissima non solum quid est sapientiae, intellectus, voluntatis et reliquarum absolutarum perfectionum: sed quid est paternitatis, filiationis ac processionis. Sed quia noster intellectus non potest illius celsitudinem capere, more nostro distinctas rationes formales essentiae et personalis proprietatis formamus, fultas in re unica, excellenti, re et quidditate virtualiter continente has distinctas rationes quas formamus.

* Cf. num. I.

VI. Secundum autem, quid scilicet est uniri in persona *, declaratur ponendo unam universalem: *Omne quod inest alicui personae, sive pertineat ad naturam eius sive non, unitur ei in persona.* Ubi scito latitudinem unionis in persona habere triplicem gradum. Ad cuius clarificationem, recolendum est quod alicui personae quatuor attribuuntur: primo, extrinseca, ut vestis et locus; secundo, accidentia inhaerentia, ut albedo et huiusmodi; tertio, partes, ut manus et reliqua membra; quarto, essentia ipsa, etiam singularis, ut haec humanitas. Habet enim Socrates vestem, albedinem, manum, et hanc suam humanitatem. Sed primum horum non est unitum Socrati in persona: quia constat aliud esse suppositum vestis, et aliud suppositum personae vestitae illa veste; suppositum enim vestis est substantia panni, non homo qui vestitur. Reliqua vero tria uniuntur Socrati in persona: nam subiectum accidentium Socratis est ipse Socrates; et similiter Socrates est qui integratur ex suis membris; et qui constituitur in esse suo specifico individuato per hanc suam humanitatem. Est autem inter istos tres modos unionis in persona diversitas magna. Quoniam accidentia uniuntur quidem Socrati in persona, sed non ut pertinentia ad integritatem personae, ut patet; partes vero uniuntur in persona Socratis ut integrantes ipsius personam; natura autem singularis unitur personae Socratis ut constitutiva ipsius Socratis; ita quod tam partes quam natura uniuntur Socrati in persona substantialiter, sed partes secundum esse substantiale partiale, natura vero secundum esse substantiale totius naturae. Et quia in hoc articulo sola quaestio de unione in persona tractatur; et inferius discutienda est, in articulo sexto, an huiusmodi unio in Christo sit substantialis vel accidentalis: ideo praesenti proposito sufficit indistincte determinare quod unio est in persona, non curando de modo seu gradu unionis personalis. Et propterea in littera dicitur quod omne quod inest alicui personae, sive pertineat ad naturam eius sive non, unitur ei in persona.

Et per haec patet titulus articuli.

* Cf. ibid.

VII. Conclusio responsiva * probatur sic. Verbum habet naturam humanam sibi unitam. Et non ad suam naturam divinam pertinentem. Ergo unio est facta in Verbi persona, et non in natura. – Antecedens patet ex fide. – Consequentia probatur. Quia si non unitur ei in persona, nullo modo unitur ei: ac per hoc tota fides subvertitur. Assumptum fundatur super illa maxima: *Omne quod inest alicui personae, sive pertineat ad naturam eius sive non, unitur illi in persona* *. Ex hoc enim patet quod negare unionem naturae humanae in persona Verbi Dei est negare naturam humanam inesse Verbo Dei: quod est negare incarnationem.

* Cf. num. praec.

Sed est circa processum hunc quaestio. Quoniam maxima illa, *Omne quod inest alicui personae, sive pertineat ad naturam illius sive non, unitur ei in persona,* aut intelligitur quod ly *inest* verificetur pro quocumque modo inessendi: aut de aliquo seu aliquibus modis inessendi. Si intelligitur latissime pro quocumque modo inessendi, falsa comprobatur: cum etiam vestis dicatur esse in persona vestita, quam constat non uniri in persona. Si intelligitur restricta ad aliquem vel ad aliquos essendi modos, puta ut forma in subiecto, aut pars in toto, aut secundum esse substantiale vel accidentale: probanda esset minor, scilicet quod Verbum Dei habeat naturam humanam unitam sibi tali modo. Processus ergo iste aut deficit in illa maxima: aut in probatione subsumptorum.

Ad hoc dicitur quod in illa maxima, *Omne quod inest alicui personae* etc., sumitur inesse personae proprie, ut inesse distinguitur contra extrinsecus adiacere, quemadmodum vestis, locus, tempus, et alia huiusmodi, adiacent nobis et non sunt secundum veritatem in nobis. Unde non oportet descendere ad determinatos modos essendi in persona: sed sufficit quod vere insit personae, quocumque modo illud verificetur. Et quia, secundum fidei doctrinam, Verbum Dei factus est homo secundum rem, ideo non oportet probare, sed supponere veritatem subsumpti, scilicet quod natura humana inest Verbo Dei secundum rem. Existit siquidem humanitas Christi, non per seipsam, sed in Verbo Dei: quamvis modus quo existit in illo, non sit manifestus. Procedit igitur ratio litterae efficaciter ad conclusionem intentam.

VIII. In responsione ad primum eiusdem secundi articuli dubium occurrit, quoniam quaestio et argumentum est de rebus, scilicet de unione naturae humanae ad divinam personam vel naturam: responsio autem recurrit ad distinctionem rationis secundum modos significandi. Hoc autem non licere patet ex eo quod, abstrahendo ab omnibus modis significandi, qui ad voces spectant, et contemplando intellectualiter mysterium incarnationis sicut angeli, constat quod unio secundum rem intelligitur facta in persona, et non natura Verbi. Non erat igitur ad modos significandi recurrendum pro ratione quare unio est facta in persona Verbi, et non in illius natura.

Ad hoc dicitur quod Auctor altissimam reddit rationem quare unio est in persona et non in natura: et est adeo profunda ac formalis ut non solum comprehendat quare unio est in persona Verbi et non in illius natura, sed etiam comprehendat quare unio est in persona Dei et non in Dei natura. Ita quod, dato quod Deus non esset trinitas, sed deitas ipsa per seipsam persona esset, ut philosophi intelligunt Deum subsistere, responsio ista invenitur satisfactiva argumento: cui non satisfaciunt responsiones recurrentium ad distinctionem inter essentiam divinam et formale constitutivum personae, et alia huiusmodi dicentium, ut patet. Merito autem Auctor hoc fecit: quia argumentum ex identitate naturae Dei cum Dei persona procedit quocumque modo persona in Deo ponatur, sive secundum philosophos sive secundum veritatem revelatam. Stat igitur responsio in hoc, quod quia natura divina habet rationem naturae, et persona divina habet rationem subsistentis in natura (et hanc differentiam manifestat diversus modus significandi); et unio naturae humanae in mysterio incarnationis non addit aliquid rationi naturae, sed bene addit aliquid rationi personae, quia addit subsistere in natura humana: ideo unio facta est, non in natura, sed in persona. Et quod non adiunctum fuerit aliquid ad naturam Dei, probatur in littera quia nec per appositionem, nec transmutationem. Quod vero adiunctum fuerit aliquid personae Dei, probatur quia humana natura unitur personae Dei ut persona Dei in natura humana subsistat: ex eo enim quod personae, ut distinguitur contra naturam, est subsistere in natura, sequitur manifeste quod, apponendo personae quod in aliqua alia natura subsistat, unio fit in persona.

Unde patet quod passiones nominum secundum modos significandi, non pro ratione, sed pro manifestatione differentiae inter naturam et personam Dei secundum ratio-

nem, allatae sunt. Et ratio realis altissima ad realem conclusionem allata est, manifestans quod etiam cum omnimoda identitate formali naturae et personae divinae stat quod unio est facta in persona, et non in natura Dei.

IX. In responsione ad secundum, dubium occurrit circa similitudinem in littera assignatam inter sensitivum in homine et bruto, et humanam naturam in propria et aliena persona. Nam falsum assumitur quod sensitivum in bruto est forma completiva: est enim velut forma generica tam in homine quam in bruto, ut patet. Et propterea non est mirum si est nobilius in homine, ad quem trahitur per nobilissimam differentiam sui generis, scilicet *rationale.*

Ad hoc dicitur quod similitudo litterae optima est, et optime declarat propositum: sed supponit inter animam intellectivam et animas aliorum animalium tantam esse diversitatem quod istae sunt in genere formarum materialium, illa vero est in genere formarum immaterialium. Ac per hoc, sensitivum ad formas brutorum se habet ut ad res infra latitudinem sui generis: ad animam vero intellectivam, quae est hominis forma, et ex qua radicaliter sumitur propria hominis differentia, se habet ut ad formam nobilioris ordinis. Hoc enim supposito, quod constat esse verum, patet quod sensitivum in bruto, quia per propriam sui generis formam est, habet infra sui generis latitudinem hanc dignitatem quae est esse completivum in specie. In homine vero, quia non per propriam sui ordinis formam est, non habet infra sui generis latitudinem hanc dignitatem quae est esse completivum in specie. Et similiter natura humana in ceteris hominibus habet infra propriae speciei latitudinem dignitatem propriae personalitatis: in Christo vero non habet propriae personalitatis dignitatem. Sed sicut sensitivo dignius est habere esse specificum completum per formam nobilioris ordinis, scilicet per animam intellectivam; ita natura humana in Christo maiori donata est dignitate ex hoc quod ad personalitatem divinam assumpta est. Ex quibus clare patet sensus litterae et similitudinis, sine ulla dissonantia.

X. In responsione ad tertium, nota ly *separatim.* Apposuit siquidem Auctor ly *separatim* ut sciant novitii discernere inter *per se existere,* et *per se separatim existere.* Cuilibet namque substantiae, sive completae sive incompletae, convenit per se existere: nam per hoc distinguitur contra accidens, cui convenit non per se, sed in subiecto existere; *accidentis* enim *esse est inesse,* substantia autem est *ens per se.* Sed per se separatim existere nulli substantiae quae est pars alterius, convenit: quia non existit separatim a suo toto. Et similiter non convenit humanitati Christi (quamvis non sit pars): quia non existit separatim a Verbo Dei, sed in Verbo Dei. Sed si separaretur a Verbo Dei, per se separatim existeret: sicut, si pars aliqua separaretur a suo toto, per se separatim existeret.

XI. Occurrit hoc in loco, ubi primo distinguimus unionem in persona ab unione in natura, transeundo cum communi cursu Doctorum quod unio incarnationis aut est in natura aut in persona seu hypostasi, ut patet in III *Sent.* *: occurrit, inquam, quaestio non facilis de sufficentia distinctionis dictae, scilicet, *aut in natura aut in persona;* et consequenter de processu huius articuli et aliorum. Est autem ratio dubii quia aliter in communi loquendo de natura et supposito, et aliter in speciali loquendo in divinis secundum fidem revelatis, invenimus. Nam in communi loquendo, substantia non dicitur nisi de duobus: scilicet natura; et habente naturam, hoc est, prima substantia; ut patet ex V *Metaphys.* *, et in hoc articulo. In divinis autem invenimus tria: scilicet naturam; habentem naturam ut individuum naturae; et habentem naturam ut hypostasim. Ita quod inter Deum et creaturas haec est differentia in proposito, quod in creatis substantiis individuum naturae et hypostasis solo nomine distinguuntur, et idem est inveniri aut deesse individuum naturae et hypostasim: ut patet in natura humana assumpta a Verbo Dei. Est enim assumpta natura haec, scilicet haec humanitas: et quia non est ibi propria hypostasis humanae naturae (nam humanitas illa non habet propriam personalitatem), deficit quoque ibi proprium individuum naturae humanae; nullus enim *hic homo* ibi invenitur nisi Filius Dei, sicut nulla persona, nulla hypostasis ibi invenitur nisi Filii Dei. Solo igitur nomine distinguuntur hic homo et hypostasis, suppositum seu persona humana, puta Socrates. Et propterea in creaturis duo tantum inveniuntur: natura scilicet, et suppositum.

* Dist. v, vi.

* S. Th. lect. v. - Did. lib. IV, cap. viii, n. 5.

In Deo autem magna invenitur differentia inter individuum naturae divinae, hoc est, hunc Deum, et hypostasim. Nam *hic Deus* communis est secundum rem Patri et Filio et Spiritui Sancto: et consequenter non significat hypostasim, de cuius ratione constat esse incommunicabilitatem. Tam Pater autem, quam Filius, quam Spiritus Sanctus, personam seu hypostasim divinam significat. Et propterea, tria cum inveniantur in Deo, scilicet haec deitas, hic Deus, et persona, puta Verbum Dei; insufficientiae, primo, arguitur distinctio facta, *Aut unio est facta in natura aut in persona.* Nam posset dici quod est facta nec in natura nec in persona, sed in individuo naturae divinae, scilicet, in hoc Deo. – Ruit quoque processus litterae quod, si unio Verbi incarnati non est facta in persona, nullo modo natura humana unitur ei. Ruit et illa maxima, *Omne quod inest alicui personae, sive pertineat ad naturam eius sive non, unitur ei in persona.* Quoniam si natura humana assumpta esset ab hoc Deo, non uniretur in persona, sed in individuo naturae: et tamen inesset personae Verbi, quia Verbum est hic Deus.

XII. Ad hoc dubium quadrupliciter respondetur. Primo, negando quod inveniatur in divinis, praeter hypostases, individuum naturae, scilicet *hic Deus,* licet inveniatur haec deitas: quoniam hoc esset ponere quaternitatem in divinis.

Sed haec responsio falsa est. Tum quia in divinis omne abstractum habet suum proprium concretum: nec invenitur differentia ibi inter abstractum et concretum nisi in modo significandi. Constat autem quod ibi invenitur non solum deitas, sed deitas haec. Igitur non solum invenitur Deus, sed *Deus hic.* Et cum hoc quod significo dicendo *Deus hic,* sit commune secundum rem Patri et Filio et Spiritui Sancto, sequitur quod, praeter hypostases, inveniatur ibi *hic Deus,* significans individuum naturae divinae commune tribus personis.

Tum quoniam in divinis invenitur Deus unus numero, communis Patri et Filio et Spiritui Sancto. Ergo invenitur *Deus hic* communis Patri et Filio et Spiritui Sancto. – Consequentia patet: quia idem addit ly *unus numero* supra ly *Deus,* quod addit ly *hic* supra ly *Deus.* – Antecedens patet ex fidei sententia, qua confitemur Patrem et Filium et Spiritum Sanctum esse unum numero Deum, dum dicimus *, *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus: et tamen non tres dii, sed unus est Deus:* est enim procul dubio sermo de unitate numerali.

* In Symb. s. Athanasii.

Nec hoc est ponere quaternitatem: sicut nec ponendo hoc concretum *Deus* ponitur quaternitas; significat enim habentem deitatem, sicut *hic Deus.* Utroque siquidem nomine ponitur unus numero habens deitatem, communis tribus Personis: quamvis ly *Deus* non explicet unitatem numeralem, quam explicat ly *hic Deus.*

XIII. Secundo respondetur quod, quamvis ponatur in divinis individuum naturae, scilicet *hic Deus;* quia tamen nullus est hic Deus nisi Pater aut Filius aut Spiritus Sanctus; et assumptio oportet quod fiat ad hunc Deum determinate, scilicet vel Patrem vel Filium vel Spiritum Sanctum: ideo hic Deus non posset assumere naturam nisi ut est persona. Et ideo unio aut est in natura aut in persona.

Sed haec responsio ambigua vel falsa est. Et eius dicta examinanda sunt in quaestione tertia, articulo tertio, ubi tractabitur an, abstracta per intellectum personalitate in Deo, possit fieri assumptio naturae humanae.

XIV. Tertio respondetur distinguendo ly *unio,* dicendo quod aequivocatur de unione. Quoniam alterius rationis est unio Verbi incarnati ab unione qua hic Deus esset incarnatus. In hoc autem articulo quaestio est de unione Verbi incarnati: ut patet in illius titulo. Ita quod supponitur hic unio Verbi incarnati: et quaeritur qualitas unionis. Supponitur personam Filii Dei, quam *Verbum* signi-

ficat, esse incarnatam, esse unitam carni: et quaeritur modus quo est facta haec unio, an scilicet in persona. Ubi autem hic Deus incarnatus esset, non supponeretur Verbum incarnatum, sed supponeretur hunc Deum incarnatum: et quaereretur modus unionis, an in natura, an in persona, an in solo individuo naturae. Patet autem uniones has esse diversarum rationum, ex eo quod unio Verbi incarnati est ad incommunicabilem terminum, Verbum enim incommunicabile est cuique supposito: unio autem huius Dei incarnati, si esset, ad communicabilem esset terminum, est enim hic Deus communis omnibus personis divinis.

Sed haec responsio, licet veritatem dicat quoad id quod de facto invenitur in unione Verbi incarnati, quia secundum veritatem unio terminatur ad incommunicabilem terminum ut sic: non satisfacit tamen difficultati motae formaliter. Quoniam in hoc articulo, etsi supponitur Verbum incarnatum, non tamen supponitur unionem hanc esse in persona: ac per hoc, non supponitur unionem esse ad terminum incommunicabilem. Immo, cum Verbum incarnatum sit secundum se et naturae divinae, et subsistens in natura divina, et persona (est enim ipsa deitas et Deus, et est hic Deus, et est Verbum), sicut in primo articulo quaesitum est an unio Verbi incarnati sit facta in natura, ita deinde debebat inquiri an sit facta in individuo naturae, et demum quaeri an sit facta in persona, ut sic discussus esset omnis modus unionis quo Verbum incarnatum unitum intelligi potest carni. Etenim sicut, si Verbum incarnatum unitum esset carni in natura, unitum diceretur ipsum Verbum carni; ita, si Verbum incarnatum unitum esset carni quatenus est individuum naturae, quatenus est hic Deus, diceretur Verbum incarnatum unitum carni.

XV. Unde quarto respondetur distinguendo ly *persona,* quod persona sumitur dupliciter. Primo, secundum completam rationem personae seu hypostasis. Et sic significat singulare habens naturam substantialem incommunicabiliter. Ita quod incommunicabilitatem denotaverit Boetius *, in definitione personae, per ly *individua substantia:* quoniam aequivalet ad ly *substantia prima,* quae alio nomine dicitur hypostasis. – Alio modo sumitur secundum rationem quidem personae, sed imperfectam. Et sic significat singulare habens substantialem naturam ita quod sola incommunicabilitas illi deest ad perfectam rationem personae.

* De Duab. Nat., cap. III, IV.

Et hac distinctione stante, dicitur quod nomen personae, seu hypostasis, aut suppositi, potest sumi dupliciter. Primo, simpliciter. Et sic appellatione personae in divinis non venit hic Deus, quia non habet completam rationem personae: sed solum Pater aut Filius vel Spiritus Sanctus. – Alio modo, ut persona distinguitur contra naturam, ita quod ex uno extremo ponatur natura ut sic, et ex alio extremo ponatur persona: sicut cum distinguimus naturam contra habentem naturam. Et sic appellatione personae venit non solum persona complete, sed persona incompleta: venit non solum Pater aut Filius aut Spiritus Sanctus, sed etiam hic Deus.

Et quia in hoc articulo sermo est de persona ut distinguitur contra naturam ut sic, ut patet in processu articuli ex communibus Deo et reliquis substantiis; ideo persona hic sumitur ut comprehendit etiam hunc Deum. Et propterea optime dictum est quod, si non uniretur in persona, nullo modo uniretur: et reliqua dicta solida sunt.

Patet autem hanc esse intentionem Auctoris, ex eo quod in littera, in corpore articuli, pro eodem habetur *individuum subsistens in natura,* et *suppositum:* constat autem hunc Deum esse individuum subsistens in natura divina, et non habere completam rationem suppositi. – Et rursus dicitur in corpore articuli, loquendo de Deo, quod *natura divina dicitur suppositum secundum quod est subsistens.* Quid clarius? Constat enim hunc Deum significare naturam divinam secundum quod est subsistens: est enim hic Deus subsistens in natura divina, ut patet ex modo significandi. Communiter igitur suppositi seu personae ratio hic sumitur, ut scilicet significat hoc subsistens in natura.

Et ideo haec quarta responsio amplectenda est: utpote litterae consona, et omnem ambiguitatem tollens.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM UNIO VERBI INCARNATI SIT FACTA IN SUPPOSITO, SIVE IN HYPOSTASI

III *Sent.*, dist. VI, qu. I, art. 1, qu^a 1, 2; dist. VII, qu. I, art. 1; IV *Cont. Gent.*, cap. XXXVIII, XXXIX; *De Union. Verbi*, art. 2; *Cont. Error. Graec.*, cap. XX; *Cont. Graec. Armen.*, etc., cap. VI; *Compend. Theol.*, cap. CCX, CCXI; *Quodl.* IX, qu. II, art. 1; *In Ioan.*, cap. I, lect. VII.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod unio Verbi incarnati non sit facta in supposito, sive in hypostasi. Dicit enim Augustinus, in *Enchirid.* *: *Divina substantia et humana utrumque* [α] *est unus Dei Filius: sed aliud propter Verbum, et aliud propter hominem.* Leo Papa etiam dicit, in Epistola *ad Flavianum* *: *Unum horum coruscat miraculis, et aliud succumbit iniuriis.* Sed omne quod est [β] aliud et aliud, differt supposito. Ergo unio Verbi incarnati non est facta in supposito.

* Cap. XXXV, XXXVIII.

* Epist. XXVIII, al. XXIV, cap. IV.

2. Praeterea, hypostasis nihil est aliud quam *substantia particularis:* ut Boetius dicit, in libro *de Duabus Naturis* *. Manifestum est autem quod in Christo est quaedam alia substantia particularis praeter hypostasim Verbi, scilicet corpus et anima et compositum ex eis. Ergo in Christo est alia hypostasis praeter hypostasim Verbi Dei.

* Cap. III.

3. Praeterea, hypostasis Verbi non continetur in aliquo genere, neque sub specie: ut patet ex his quae in Prima Parte * dicta sunt. Sed Christus, secundum quod est factus homo, continetur sub specie humana: dicit enim Dionysius, I cap. *de Div. Nom.* *: *Intra nostram factus est naturam qui omnem ordinem secundum omnem naturam supersubstantialiter excedit* [γ]. Non autem continetur sub specie humana nisi sit [δ] hypostasis quaedam humanae speciei. Ergo in Christo est alia hypostasis praeter hypostasim Verbi Dei. Et sic idem quod prius.

* Qu. III, art. 5; qu. XXX, art. 4, ad 3.

* S. Th. lect. II.

Sed contra est quod Damascenus dicit, in III libro *: *In Domino nostro Iesu Christo duas naturas cognoscimus, unam autem hypostasim.*

* De Fide Orth. lib. III, cap. IV.

Respondeo dicendum quod quidam, ignorantes habitudinem hypostasis ad personam, licet concederent in Christo unam solam personam, posuerunt tamen aliam hypostasim Dei et aliam hominis: ac si unio sit facta in persona, non in

---

α) *utrumque.* – *utraque* PGH.
β) *omne quod est.* – Om. Pc.
γ) *Intra... excedit.* – *Intra naturae nostrae terminos venit qui omnem totius naturae ordinem supereminenter excedit* P.
δ) *sit.* – *sicut* tertia praeter G.

hypostasi * (* Cf. art. 6.). Quod quidem apparet erroneum tripliciter. Primo, ex hoc quod persona supra hypostasim non addit nisi determinatam naturam, scilicet rationalem; secundum quod Boetius dicit, in libro *de Duabus Naturis* * (* Cap. III, IV.), quod *persona est rationalis naturae individua substantia.* Et ideo idem est attribuere propriam hypostasim humanae naturae in Christo, et propriam personam. Quod intelligentes sancti Patres, utrumque in Concilio Quinto, apud Constantinopolim celebrato, damnaverunt, dicentes * (* Collat. VIII, can. V.): *Si quis introducere conetur in mysterio Christi duas subsistentias seu duas personas, talis anathema sit: nec enim adiectionem personae vel subsistentiae suscepit sancta Trinitas, incarnato uno de sancta Trinitate, Deo Verbo.* « Subsistentia » autem idem est quod res subsistens: quod est proprium hypostasis, ut patet per Boetium, in libro *de Duabus Naturis* * (* Cap. III.).

Secundo quia, si detur quod persona aliquid addat supra hypostasim in quo possit fieri unio, hoc nihil est aliud quam proprietas ad dignitatem pertinens: secundum quod a quibusdam * (* S. Bonavent. I *Sent.*, dist. XXIII, qu. I, art. I.) dicitur quod persona est *hypostasis proprietate distincta ad dignitatem pertinente.* Si ergo facta sit unio in persona et non in hypostasi, consequens erit quod non sit facta unio nisi secundum dignitatem quandam. Et hoc est, approbante Synodo Ephesina * (* Part. I, cap. XXVI, anath. III.), damnatum a Cyrillo sub his verbis: *Si quis in uno Christo dividit subsistentias post adunationem, sola copulans eas coniunctione quae secundum dignitatem vel auctoritatem est vel secundum potentiam, et non magis concursu secundum adunationem naturalem, anathema sit.*

Tertio, quia tantum hypostasis est cui attribuuntur operationes et proprietates naturae, et ea etiam quae ad naturae rationem pertinent in concreto: dicimus enim quod *hic homo* ratiocinatur, et est risibilis, et est animal rationale. Et hac ratione *hic homo* [ε] dicitur esse suppositum: quia scilicet *supponitur* his quae ad hominem pertinent, eorum praedicationem recipiens. Si ergo sit alia hypostasis in Christo praeter hypostasim Verbi, sequetur quod de aliquo alio quam de Verbo verificentur ea quae sunt hominis, puta esse natum de Virgine, passum, crucifixum et sepultum. Et hoc etiam damnatum est, approbante Concilio Ephesino * (* Ibid., anath. IV.), sub his verbis: *Si quis personis duabus vel subsistentiis eas quae sunt in Evangelicis et Apostolicis Scripturis impartitur voces, aut de Christo a Sanctis dictas, aut ab ipso de se; et quasdam quidem velut homini praeter illud ex Deo Verbum specialiter intellecto applicat, quasdam vero, velut Deo decibiles, soli ex Deo Patre Verbo: anathema sit.*

Sic igitur patet esse haeresim ab olim [ζ] damnatam dicere quod in Christo sunt duae hypostases vel duo supposita * (* D. 706.), sive quod unio non sit facta in hypostasi vel supposito. Unde in eadem Synodo * (* Loc. cit., anath. II.) legitur: *Si quis non confitetur carni secundum subsistentiam unitum ex Deo Patre Verbum, unumque esse Christum cum sua carne, eundem scilicet Deum et hominem, anathema sit.*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut accidentalis differentia facit *alterum*, ita differentia essentialis facit *aliud*. Manifestum est autem quod alteritas, quae provenit ex differentia accidentali, potest ad eandem hypostasim vel suppositum in rebus creatis pertinere, eo quod idem numero potest diversis accidentibus subesse: non autem contingit in rebus creatis quod idem numero subsistere possit diversis essentiis vel naturis [η]. Unde sicut quod dicitur alterum et alterum in creaturis, non significat diversitatem suppositi, sed solum diversitatem formarum accidentalium; ita quod Christus dicitur aliud et aliud, non importat diversitatem suppositi sive hypostasis, sed diversitatem naturarum. Unde Gregorius Nazianzenus dicit, in Epistola *ad Chelidonium* * (* Epist. CI (*ad Chelidon.* I), al. Orat. L.): *Aliud et aliud sunt ea ex quibus Salvator est, non alius autem et alius. Dico vero « aliud et aliud » e contrario quam in Trinitate habet. Ibi enim « alius et alius » dicimus, ut non subsistentias confundamus: non « aliud » autem « et aliud ».*

AD SECUNDUM DICENDUM quod hypostasis significat substantiam particularem non quocumque modo, sed prout est in suo complemento. Secundum vero quod venit in unionem alicuius magis completi, non dicitur hypostasis: sicut manus aut pes. Et similiter humana natura in Christo, quamvis sit substantia particularis, quia tamen venit in unionem cuiusdam completi, scilicet totius Christi prout est Deus et homo, non potest dici hypostasis vel suppositum: sed illud completum ad quod concurrit, dicitur esse hypostasis vel suppositum.

AD TERTIUM DICENDUM quod etiam [θ] in rebus creatis res aliqua singularis non ponitur in genere vel specie ratione eius quod pertinet ad eius individuationem, sed ratione naturae, quae secundum formam determinatur: cum individuatio magis sit secundum materiam in rebus compositis. Sic igitur dicendum est quod Christus est in specie humana ratione naturae assumptae, non ratione ipsius hypostasis.

ε) *ratiocinatur... hic homo.* – EF et tertia; om.
ζ) *ab olim.* – *olim ab Ecclesia* P.
η) *naturis.* – *Sed unus et idem Christus subsistit in duabus naturis* addit tertia.
θ) *etiam.* – Om. AE et tertia praeter I.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo articuli tertii duo declaranda sunt: quae tamen in corpore articuli habentur. Primo, declarandi sunt termini, scilicet *suppositum* et *hypostasis;* secundo, declaranda est ratio quaestionis. *Suppositum,* ut in littera dicitur, ea ratione vocatum est quia *supponitur* universis quae in aliquo sunt, sive sint substantialia sive accidentalia. Supponitur autem per hoc quod illorum praedicationem recipit. Unde suppositum hominis est *hic homo,* puta Socrates: quia hic homo est de quo praedicatur tam esse hominem, quam esse album, quantum, filium, locatum, agens, etc. Et quia suppositum est nomen secundae intentionis, sicut genus, ideo suppositum significat pro-

priam denominationem primae substantiae, puta huius hominis, seu Socratis. Et propterea non invenitur suppositum in aliis praedicamentis, sed in solo praedicamento substantiae.

Hypostasis autem graecum est vocabulum: et idem significat quod apud nos *substantia,* loquendo de substantia *quae proprie, principaliter et maxime dicitur,* ut habetur in *Praedicamentis* *. Hoc est: significat *primam substantiam.*

* Cap. III, n. 1.

Ratio huius quaestionis non habet ortum a re, sed ab opinione. Quoniam secundum rem, in quaestione praecedentis articuli, de unione in persona, tractandum est de unione in hypostasi seu supposito: quoniam, in natura rationali seu intellectuali loquendo, synonyma sunt persona, hypostasis et suppositum; quodlibet enim horum nihil aliud importat quam primam substantiam in natura rationali. Sed ignorantia, ut in littera dicitur, quorundam propriam vocem ignorantium, distinguendo intellectu haec, et dicendo quod unio est facta in persona et non in hypostasi, obtinuit ut, post articulum de unione in persona, inquireretur de unione in hypostasi.

II. In corpore articuli non opus est distinctione, sed annotatione: quod in determinatione huius articuli patet tam primam quam tertiam opinionem relatam a Magistro Sententiarum in VI distinctione III *Sent.*, esse *haeresim olim ab Ecclesia damnatam.* Nam prima ponit duas in Christo hypostases: tertia autem non solum duas ponit hypostases, sed etiam negat unionem in persona, proprie loquendo, ut patet ibi.

III. In eodem articulo, in responsione ad secundum, sunt illa verba de humanitate Christi notanda, scilicet: *quia tamen venit in unionem cuiusdam completi, scilicet totius Christi prout est Deus et homo,* etc. Ingerunt siquidem haec verba difficultatem de compositione Christi. De qua quia sequens tractat articulus, transeamus.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM PERSONA CHRISTI SIT COMPOSITA

III *Sent.*, dist. VI, qu. II, art. 3.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod persona Christi non sit composita. Persona enim Christi non est aliud quam persona vel hypostasis Verbi, ut ex dictis * patet. Sed in Verbo non est aliud persona et natura: ut patet ex his quae dicta sunt in Prima Parte *. Cum ergo natura Verbi sit simplex, ut in Primo * ostensum est, impossibile est quod persona Christi sit composita.

* Art. 2. * Qu. XXXIX, art. 1. * Qu. III, art. 7.

2. PRAETEREA, omnis compositio videtur esse ex partibus. Sed divina natura non potest habere rationem partis: quia omnis pars habet rationem imperfecti. Ergo impossibile est quod persona Christi sit composita ex duabus naturis.

3. PRAETEREA, quod componitur ex aliquibus, videtur esse homogeneum eis: sicut ex corporibus non componitur nisi corpus. Si igitur ex duabus naturis aliquid sit in Christo compositum, consequens erit quod illud non erit persona, sed natura. Et sic in Christo erit facta unio in natura. Quod est contra praedicta *.

* Art. 1.

SED CONTRA EST quod Damascenus dicit, III libro *: *In Domino Iesu Christo duas naturas cognoscimus: unam autem hypostasim, ex utrisque compositam.*

* De Fide Orth. lib. III, cap. IV.

RESPONDEO DICENDUM quod persona sive hypostasis Christi dupliciter considerari potest. Uno modo, secundum id quod est in se. Et sic est omnino simplex: sicut et natura Verbi. – Alio modo, secundum rationem personae vel hypostasis, ad quam pertinet subsistere in aliqua natura. Et secundum hoc, persona Christi subsistit in duabus naturis. Unde, licet sit ibi unum subsistens, est tamen ibi alia et alia ratio subsistendi. Et sic dicitur persona composita, inquantum unum duobus subsistit.

Et per hoc patet responsio ad primum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod illa compositio personae ex naturis non dicitur esse ratione partium, sed potius ratione numeri: sicut omne illud in quo duo conveniunt, potest dici ex eis compositum.

AD TERTIUM DICENDUM quod non in omni compositione hoc verificatur, quod illud quod componitur sit homogeneum componentibus, sed solum in partibus continui; nam continuum non componitur nisi ex continuis. Animal vero componitur ex anima et corpore, quorum neutrum est animal.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN titulo quarti articuli, difficillimi, hoc solum advertendum occurrit, quod ratio huius quaestionis est multiplex antiquorum Doctorum auctoritas, exprimens Christi personam compositam: ut hic, et in III *Sent.* a Magistro, in dist. VI *, habes.

* In exposit. 2ae sentent.

In corpore articuli ponitur una distinctio bimembris de persona Christi; et iuxta singula membra singulae apponuntur conclusiones. Distinctio est. *Persona* dicitur dupliciter: primo, secundum id quod in se est; secundo, secundum rationem hypostasis.

Prima conclusio est: *Persona Christi, secundum illud quod in se est, est omnino simplex.* Probatur. Quia natura Verbi Dei est omnino simplex.

Secunda conclusio est: *Persona Christi, secundum rationem hypostasis, est composita.* Probatur. Persona Christi, secundum rationem personae seu hypostasis, subsistit in duabus naturis. Ergo est ibi unum subsistens, et duae rationes subsistendi. Ergo sic persona est composita. – Antecedens probatur. Quia ratio hypostasis consistit in hoc quod est subsistere in aliqua natura. Ex hoc enim manifeste habetur quod Verbum Dei, secundum personae seu hypostasis rationem, subsistit in duabus naturis. – Prima vero consequentia, quoad primam partem, evidens est ex dictis *. Quoad secundam, ex vi antecedentis aperte sequitur quod, si subsistit in duabus naturis, oportet quamlibet naturam esse rationem subsistendi in illa. – Secunda vero sequela probatur: quia unum duobus subsistit. Ex hoc namque quod duae subsistendi rationes sic coeunt in unam personam ut unum duobus subsistat, consequens est quod persona sic, hoc est, secundum rationem hypostasis, est composita.

* Art. 2, 3.

II. Circa dicta hic multa occurrunt dubia. Primum * est

* Cf. num. V.

circa distinctionem in littera positam. Nam non apparet sensus illius. Tum quia membra distinctionis coincidunt. Quoniam persona Christi secundum id quod in se est, habet rationem personae: implicat enim dicere oppositum. Et rursus persona Christi secundum rationem personae, est illud quod in se est: cum personaliter, formaliter et realiter sit unum Verbum Dei.

Tum quia in prima distinctione distinguitur Verbum Dei aut contra suam personalitatem; aut contra suam personalitatem ut unita est humanae naturae; aut contra personalitatem in communi. Non potest dici primum: quia aeque simplex est Verbum Dei ut sua personalitas, ut patet. – Nec secundum: quia hic sensus non consonat verbis quibus distinctionis membra significantur in littera. Nam secundum membrum explicatur in littera per rationem hypostasis simpliciter et absolute, et non per rationem hypostasis contracte seu determinate, quatenus subsistit in natura humana, ut patet in littera. Iuxta hunc autem sensum, oportet dicere quod secundum membrum est persona Christi quatenus hypostasis humana. – Neque tertium: quia sic etiam secundum in littera membrum clauderetur in primo; et afferret implicationem contradictoriorum. Nam quod de facto in re convenit alicui secundum rationem praedicati superioris, convenit illi secundum id quod in se est, ut patet inductive: quidquid enim de facto in re convenit Socrati secundum rationem animalis, convenit Socrati secundum id quod in se est, ut sentire, moveri et huiusmodi; Socrates enim secundum illud quod in se est, movetur et sentit. Ac per hoc, quidquid convenit personae Christi seu Verbi secundum communem rationem personae de facto et in re, convenit illi secundum quod in se est. Persona enim seu hypostasis in communi praedicatum superius est respectu Christi seu Verbi, ut patet. Et hinc ulterius inferuntur duo contradictoria: scilicet quod persona Christi, secundum quod in se, est omnino simplex; et est composita.

* Cf. num. vi.

III. Secundum dubium * est circa illas litterae propositiones, scilicet: *Est ibi,* hoc est in persona Christi, *alia et alia ratio subsistendi;* et similiter: *Unum duobus subsistit.* Videntur enim ambae falsae, et contra doctrinam Auctoris. Falsae quidem, quia in persona Christi non est, secundum fidem Catholicam *, nisi una subsistentia, quae scilicet est ex natura divina, ad quam trahitur per assumptionem natura humana. Sola ergo divina natura est personae Christi ratio subsistendi. Ac per hoc, falsum est quod habeat aliam et aliam rationem subsistendi. – Et eadem ratione falsum est quod unum subsistat duobus, quia ly *duobus* denotat duas rationes subsistendi: quamvis verum sit quod unum subsistat *in duobus.*

* Concil. Constantinopol. II, collat. VIII, can. v.

Contra Auctorem vero, quia in IV *Contra Gent.,* cap. XLIX, in solutione tertiae obiectionis, dicit: *Verbum Dei non habet subsistentiam ex natura humana, sed magis naturam humanam ad suam subsistentiam trahit: non enim per illam, sed in illa subsistit.* Haec ibi. Quae sub aliis verbis repetit ibidem in solutione quintae obiectionis. Non possunt enim haec simul stare. Nam si natura humana, ut hic dicitur, est ratio subsistendi personae Christi, sequitur quod persona Christi per naturam humanam et ex natura humana subsistat: et si non subsistit per naturam humanam neque ex natura humana, sequitur quod natura humana non sit illi ratio subsistendi.

* Cf. num. vii.

IV. Tertium dubium * est, an sit simpliciter et formaliter verum personam Christi esse compositam. Et quidem quod sit formaliter verum, apparet ex eo quod compositio convenit personae Christi secundum ipsam rationem personae, ut in littera hac dicitur: quod autem convenit alicui secundum aliquam rationem formalem, convenit illi sub nomine illius rationis formaliter. Verbi gratia, quia congregare visum convenit substantiae secundum rationem nigri, si substantia sub nomine nigri significetur, propositio enuntians congregare visum de illa erit vera formaliter, quamvis denominative: ut si dicatur, *Aethiops est congregativus visus.* Est ergo formaliter vera ista enuntiatio, *Persona Christi est composita:* ex quo esse compositum attribuitur Christo ratione personae, ut dictum est.

Et ex hoc ulterius sequitur quod sit simpliciter vera, retenta identitate subiecti.

* Num. II.

V. Ad primum dubium * dicitur quod distinctionis membra contra se invicem distinguuntur per hoc, quod ly *in se est* denotat Verbum Dei secundum illud quod convenit sibi ad intra: sub quo constat comprehendi esse Deum, esse Filium Dei, esse substantiam, sapientiam, et reliqua quae conveniunt ei ex natura vel proprietate personali. Ita quod loqui de persona Christi secundum illud quod in se est, est loqui de persona Christi secundum illud quod convenit sibi ad intra. Loqui vero de persona Christi secundum rationem hypostasis, est loqui de persona Christi indefinite, secundum illud quod convenit illi ad intra, et secundum illud quod convenit eidem ad extra: nam persona Christi est persona naturae divinae, et est persona naturae humanae. Ita quod, ubi in primo membro indistincte continentur quaecumque conveniunt Verbo Dei ad intra, in secundo membro distincte unum eorum sumitur, scilicet esse personam seu hypostasim. Et quoniam esse hypostasim seu personam de facto comprehendit indistincte et esse hypostasim ad intra respectu divinae naturae, et esse hypostasim ad extra respectu humanae naturae, ideo distinctio cum suis membris solida invenitur, nec unum membrum includit distincte aliud. Et simile est ac si distingueretur divina sapientia dupliciter, secundum quod est in se, et secundum rationem sapientiae; et similiter divina paternitas secundum quod in se est, et secundum rationem paternitatis; et sic de similibus. Manifeste namque apparet ex his quod membra non coincidunt: quia licet esse sapientiam conveniat sapientiae secundum quod est in se, alia tamen est consideratio sapientiae secundum rationem sapientiae ut sic, et alia consideratio eius secundum quod est in se, ut est ipsa deitas, etc. Et sic est in proposito: quod licet esse personam seu hypostasim conveniat Verbo Dei secundum illud quod in se est, alia tamen est consideratio eius cum in eo consideratur illud quod est ad intra, et alia consideratio eius cum consideratur in eo ratio hypostasis, qua non solum ad intra, sed ad extra extendit se. Non est ergo distinctio ista in membra totaliter separata: sed in primo includitur aliquid secundi, et in secundo aliquid primi, ut patet ex dictis, et in exemplis allatis.

* Num. II, *Tum quia in prima.*

Unde ad quaesitum secundae obiectionis * dicendum est tertium: scilicet quod in hac distinctione Verbum Dei distinguitur contra personalitatem in communi, hoc est absolute sumptam; ut ipsa textus verba sonant, dicendo, *Alio modo secundum rationem personae vel hypostasis, ad quam pertinet subsistere in aliqua natura;* ubi clare perspicere potes secundum membrum consistere in ratione hypostasis sine additione ulla.

Et cum contra hoc obiicitur primo, quia secundum in littera membrum clauderetur in primo: respondetur quod hoc non est verum simpliciter, hoc est totaliter, sed secundum aliquid, ut patet ex dictis. Quod non esse inconveniens monstratum est.

Et cum obiicitur secundo, quia hic inferuntur duo contradictoria simul, scilicet quod persona Christi, secundum illud quod in se est, non est composita et est composita, quia quod de facto et in re convenit alicui secundum rationem praedicati superioris, convenit illi secundum illud quod in se est, etc.: – respondetur quod quasi in aequivoco laboramus. Aliud siquidem est convenire aliquid Socrati secundum illud quod in se est, hoc est, convenire illi quod in se est Socrates: et aliud est aliquid convenire Socrati secundum illud quod in se est, hoc est, esse de numero eorum quae conveniunt Socrati secundum suam substantiam. Currere enim convenit Socrati secundum illud quod in se est in primo sensu, et non convenit Socrati secundum illud quod in se est in secundo sensu: quia currere convenit illi rei quae est Socrates, sed non est de numero intrinsecorum Socrati. Simile quid accidit in proposito. Quoniam esse personam, tam ad intra quam ad extra, convenit Verbo Dei secundum illud quod in se est, hoc est, illi rei quae vere est in re Verbum Dei: ipsa enim persona Filii Dei, Deus verus, est persona divinae et hu-

manae naturae. Et non convenit Verbo Dei secundum illud quod in se est in secundo sensu, hoc est, non est de numero eorum quae conveniunt Verbo Dei ad intra, ut patet: iuxta hunc namque sensum convenit Verbo Dei secundum id quod in se est, esse personam ad intra, scilicet in divina natura. Illa ergo maior assumpta, si in primo sensu sumatur, vera est: sed, ut patet, non obstat huic doctrinae, quia in littera Verbum Dei secundum quod in se est, sumitur in secundo sensu. Nec infert contradictoria: sed infert Verbum Dei esse secundum id quod in se est, hoc est, illam rem quae est Verbum Dei esse et omnino simplicem et esse compositam; quod secundum diversa est verum, ut in littera patet. Si vero sumatur in primo sensu, falsa est: ut patet in exemplis de currere et moveri.

* Num. III.

VI. Ad secundum dubium * dicitur distinguendo: *simpliciter,* vel *in tali natura.* Ubi nota quod licet, proprie loquendo, non possit fieri distinctio ista nisi in naturis partialibus, considerando naturalem ordinem universi, quia non invenitur una hypostasis subsistens in pluribus naturis simpliciter, sed solum in pluribus naturis partialibus, ut Socrates subsistit in natura animae rationalis et in natura carnis: quia singularissimum tamen est incarnati Verbi mysterium, distinctione dicta opus est. Verbum siquidem Dei subsistit simpliciter; et in natura divina; et in natura humana. Sed subsistere simpliciter, et in natura divina, ex uno et eodem habet, scilicet ex hoc quod est esse Verbum Dei: nam ex hoc dicitur et subsistens in divina natura, et dicitur sine additione aliqua subsistens. Subsistere autem in humana natura aliunde habet, nam hoc convenit ei ex tempore: et non constituit ipsum in subsistere simpliciter, quia praesupponit ipsum subsistere. Si loquamur ergo de subsistere simpliciter, una est ratio subsistendi in persona Christi: quia unum est ibi subsistere simpliciter, sicut unica subsistentia et unicum subsistens. Sed si sit sermo de subsistere in tali natura, duae sunt in persona Christi rationes subsistendi, tam in fieri quam in facto esse: altera subsistendi in natura divina, altera subsistendi in natura humana. Et ratio quidem subsistendi in natura divina est in fieri generatio aeterna, in facto esse autem esse Deum: ratio vero subsistendi in natura humana in fieri est assumptio humanae naturae, in facto esse autem esse hominem; ex hoc enim quod *Verbum factum est caro,* hoc est homo, ita quod vere est homo, subsistit Verbum in humana natura, in qua prius non subsistebat. Sunt ergo in persona Christi duae rationes subsistendi in duabus naturis, divina scilicet et humana: licet sit ibi unum subsistens simpliciter, et una ratio subsistendi simpliciter. Et similiter unum subsistit duobus ut rationibus subsistendi in duobus, scilicet in esse divino et esse humano.

Et per haec patet quo pacto non dissonant a se invicem diversa dicta Auctoris. Quoniam dicta hic vera sunt de subsistere in tali natura: dicta alibi vera sunt de subsistere simpliciter.

Et si instetur quod Auctor hic ponit duas rationes subsistendi sine additione aliqua, et non dicit quod est alia et alia ratio subsistendi *in tali et tali natura:* respondetur quod, quia iam praemiserat ibidem pro fundamento ad hypostasim spectare *subsistere in aliqua natura,* ideo absque repetitione subintelligi voluit quod de ratione subsistendi in aliqua natura sermo suus est.

* Num. IV.
* Qu. II, art. 3.

VII. Ad tertium dubium *, habita ratione eorum quae Auctor in III *Sent.,* dist. VI *, dicit (quamvis non tam alta sint ut haec), respondetur quod, quia apud nos compositio absque imperfectione componentium intelligi non potest salva sua ratione formali, ideo non simpliciter neque formaliter admittenda videtur in persona Christi: sed cum determinatione aliqua tollente imperfectionem unius componentis, admitti potest, et admissa est simpliciter et formaliter ab Antiquis * et ab Auctore.

* Cit. a Mag. III *Sent.,* dist. VI, in exposit. 2ae sentent.
* *De Div. Nom.,* cap. II. - S. Th. lect. IV.

Ad cuius aliqualem cognitionem (quoniam, ut Dionysius dixit *, est *ineffabilis*), considerandum est multos esse compositionis modos, ut in qu. III Primae Partis habitum est. Compositio namque alia est ex partibus quantitativis, alia ex materia et forma, alia ex natura et supposito, alia ex essentia et esse, alia ex genere et differentia, alia ex subiecto et accidente: et omnes important imperfectionem utriusque componentis, ut patet discurrendo. Sed si ab una istarum, hoc est a compositione ex natura et supposito, auferatur quod est imperfectionis ex parte suppositi, salvari potest in persona Christi compositio ex natura humana et supposito. Et secundum hoc, persona Christi esset composita. Et quoniam iste modus compositionis convenit personae Christi secundum rationem personae seu hypostasis, inquantum scilicet persona Christi subsistit in natura humana, ideo hoc modo persona Christi potest dici composita.

Et in tantum invenitur huiusmodi compositio in persona Christi ut dicat Auctor in lib. IV *Contra Gent.,* cap. XLIX, in solutione sextae obiectionis, quod *natura humana est simplicior quam Verbum inquantum Verbum est hic homo.* Et postea, in solutione decimae obiectionis, declarat quid significatur et supponitur per ly *hic homo,* dicens, *Id quod in natura humana subsistit, est hic homo,* et hoc quoad significationem: *unde ipsum Verbum supponitur cum dicitur, Hic homo,* et hoc quoad suppositionem. Et in Qu. *de Unione Verbi Incarnati,* art. 1, ad 15, dicit quod *natura humana est simplicior et formalior illo homine qui est Verbum caro factum:* et non, *Verbum secundum se.*

VIII. Sed quoniam talis compositio est compositio unius *cum alio seu aliis,* et unius *ex alio seu aliis;* et in littera solum tractari videtur compositio *ex his,* quoniam tractatur compositio personae Christi quasi subsistat ex duabus naturis, ut patet in litterae processu: ideo, utroque compositionis modo persona Christi, secundum personae rationem, composita invenitur, scilicet et compositione *ex his,* inquantum in duobus esse, divino scilicet et humano, ex duabus subsistit naturis – de divina quidem natura, patet quod ex illa subsistit. De humana autem in Symbolo Athanasii habetur, dum dicitur: *Perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens,* ubi expresse Christus, ut perfectus homo, dicitur subsistens ex anima rationali et humana carne, et non solum in anima rationali et humana carne. Magister quoque Sententiarum, in III, dist. VI et VII, pluries affirmat Christi personam ex duabus subsistere naturis, exponendo secundam opinionem, quae est determinatio quam hic docemur, quam omnes Catholici amplectuntur. In professione quoque episcoporum quando ordinantur, dicitur: *Credis unicum et unum Filium Dei in duabus et ex duabus naturis?* et respondetur, *Credo,* ut patet in Pontificali Ecclesiae Romanae –, et compositione *cum his,* inquantum persona Verbi coniungitur cum hoc quod est esse hunc hominem; non quod assumpserit hunc hominem, sed quia facta est hic homo assumendo hanc humanitatem. Sed quomodo hoc sit, excedit humanam mentem: sat sit nobis nosse quia est, dum revelatum est quod Verbum est ille homo qui vocatur Christus. Quo homine, ut sic, natura humana ideo simplicior dicitur, quia ad hunc hominem spectant et principia individuantia et accidentia quae habet, quae uniuntur illi non in natura, sed in persona: quae non clauduntur in natura humana.

IX. Ad quaesitum ergo dicitur quod duo obstant compositioni personae Christi simpliciter et formaliter enuntiandae. Alterum est ratio compositionis: quae, quia imperfectionem componentium formaliter importat, non potest formaliter et simpliciter attribui personae Christi. – Alterum est generalis regula servanda in attributis Christo si sunt communia naturae et personae et oppositum convenit personae, ut inferius * patebit de hoc quod est esse creaturam, et incipere esse: ne denotetur quod persona Christi in se sit composita, sit creatura, incoeperit esse, et huiusmodi.

* Qu. XVI, art. 8 (cf. Comment.), art. 9, 10.

Unde ad primam obiectionem dicitur quod defectus praedicationis formalis hic est ex parte praedicati, quod, formaliter sumptum, non convenit personae. Defectus autem praedicationis simpliciter est ex parte communitatis praedicati respectu talis subiecti, scilicet personae Christi vindicantis sibi in se oppositum, scilicet omnimodam simplicitatem.

Et propterea merito Auctor illas duas conditiones quae

* Cf. arg. 2, 3.
* Cf. s. Th. in III *Sent.*, dist. vi, qu. ii, art. 3.
* *De Div. Nom.* cap. ii. - S. Th. lect. iv.
** Conf. Epistol. CXXXVII, al. III, *ad Volus.*, cap. iii. - Vide etiam Mag. III *Sent.*, dist. vi.
* Cf. arg. *Sed cont.*
** Concil. Constantinop. II (General. V), Collat. VIII, cap. iv.
* Cf. not. ζ.

arguendo ad alteram partem tanguntur *, apposuisse videtur: et Doctores posteriores non utuntur compositionis nomine in mysterio incarnationis *. Quo tamen utendum puto cum aliquo adiectivo: puta quod est compositio *ineffabilis;* quod *sine quacumque imperfectione alterius componentis;* vel aliquo huiusmodi. Et hoc ad denotandum quod coniunctio ista intima est et substantialis: quia in veritate talis est, quamvis supra intellectum nostrum. Propter hoc enim antiqui Doctores, Dionysius *, Augustinus **, Damascenus *, et Auctor, cum Sexta Synodo **, ut in corpore articuli sexti inferius recitatur *, compositionis nomine usi sunt: quamvis explicare eam non potuerint.

X. In responsione ad secundum eiusdem quarti articuli, adverte quod Auctor non dicit quod compositio personae Christi ex naturis est ratione numeri, ut prima facie apparet: sed comparativam dicit, quod *potius est ratione numeri quam ratione partium.* Quod est dicere quod naturae illae potius habent rationem duorum convenientium in unum, quam rationem partium convenientium in unum. Hoc autem constat esse verissimum: quia ratio partis repugnat divinitati, et quodammodo humanitati; ratio autem duorum convenientium in unum non repugnat eisdem. Cum quo tamen stat quod compositio ista longe maior sit quam duorum convenientium in unam personam: ut patet ex dictis * et dicendis specialiter in hac quaestione secunda *.

* Art. 2, Comment. num. vi.
* Art. 9, Comment. num. vi.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM IN CHRISTO FUERIT UNIO ANIMAE ET CORPORIS

III *Sent.*, dist. ii, qu. i, art. 3, qu[a] 3; dist. vi, qu. iii, art. 1; IV *Cont. Gent.*, cap. xxxvii, xli; *Compend. Theol.*, cap. ccix.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod in Christo non fuerit unio animae et corporis. Ex unione enim animae et corporis in nobis causatur persona vel hypostasis hominis. Si ergo anima et corpus fuerunt in Christo unita, sequitur quod fuerit ex unione eorum aliqua hypostasis constituta. Non autem hypostasis Verbi Dei, quae est aeterna. Ergo in Christo erit aliqua persona vel hypostasis praeter hypostasim Verbi. Quod est contra praedicta *.

* Art. 2.

2. Praeterea, ex unione animae et corporis constituitur natura humanae speciei. Damascenus autem dicit, in III libro *, quod *in Domino nostro Iesu Christo non est communem speciem accipere.* Ergo in eo non est facta compositio animae et corporis [α].

* *De Fide Orth.* lib. III, cap. iii.

3. Praeterea, anima non coniungitur corpori nisi ut vivificet ipsum. Sed corpus Christi poterat vivificari ab ipso Verbo Dei, quod est fons et principium vitae. Ergo in Christo non fuit unio animae et corporis.

Sed contra est quod corpus non dicitur animatum nisi ex unione animae. Sed corpus Christi dicitur animatum: secundum illud quod Ecclesia cantat *: *Animatum corpus assumens, de Virgine nasci dignatus est.* Ergo in Christo fuit unio animae et corporis.

* In off. festi Circumcis., ant. 1[a] ad Laudes.

Respondeo dicendum quod Christus dicitur homo univoce cum hominibus aliis, utpote eiusdem speciei existens: secundum illud Apostoli, *Philipp.* ii *: *In similitudinem hominum factus.* Pertinet autem ad rationem speciei humanae quod anima corpori uniatur: non enim forma constituit speciem nisi per hoc quod sit [β] actus materiae; et hoc est ad quod generatio terminatur, per quam natura speciem intendit. Unde necesse est dicere quod in Christo fuerit anima unita corpori: et contrarium est haereticum, utpote derogans veritati humanitatis Christi *.

* Vers. 7.
* Cf. Concil. Constantinopol. II, Collat. VIII, can. iv, viii.

Ad primum ergo dicendum quod ex hac ratione moti fuerunt [γ] illi qui negaverunt unionem animae et corporis in Christo: ne per hoc scilicet cogerentur personam novam aut hypostasim in Christo inducere; quia videbant quod in puris hominibus ex unione animae ad corpus constituitur persona. Sed hoc ideo in puris hominibus accidit quia anima et corpus sic in eis coniunguntur ut per se existant. Sed in Christo uniuntur ad invicem ut adiuncta alteri principaliori quod subsistit in natura ex eis composita. Et propter hoc ex unione animae et corporis in Christo non constituitur nova hypostasis seu persona: sed advenit ipsum coniunctum personae seu hypostasi praeexistenti.

Nec propter hoc sequitur quod sit minoris efficaciae unio animae et corporis in Christo quam in nobis. Quia ipsa coniunctio ad nobilius non adimit [δ] virtutem aut dignitatem, sed auget: sicut anima sensitiva in animalibus constituit speciem, quia consideratur ut ultima forma; non autem in hominibus, quamvis in eis sit nobilior et virtuosior; et hoc per adiunctionem ulterioris et nobilioris perfectionis animae [ε] rationalis, ut etiam supra * dictum est.

* Art. 2, ad 2.

Ad secundum dicendum quod verbum Damasceni potest intelligi dupliciter. Uno modo, ut referatur ad humanam naturam. Quae quidem non habet rationem communis speciei secundum quod est in uno solo individuo: sed secundum quod est abstracta ab omni individuo, prout in nuda contemplatione consideratur; vel secundum quod est in omnibus individuis. Filius autem Dei non assumpsit humanam naturam prout est in sola consideratione intellectus: quia sic non assumpsisset ipsam rem humanae naturae. Nisi forte diceretur quod humana natura esset quaedam idea separata: sicut Platonici posuerunt hominem sine materia *. Sed tunc Filius Dei non assumpsisset carnem: contra id quod dicitur Luc.

* Cf. Arist. *Metaphys.* lib. I, cap. vi; s. Th. lect. x: lib. VI, cap. xvi, n. 7; s. Th. lib. VII. lect. xvi.

α) *compositio animae et corporis. – unio animae et corporis vel compositio* pH et *bc, animae et corporis unio* P.

β) *sit. – fit* sG et editiones.

γ) *fuerunt. – videntur* PGsH.

δ) *adimit. –* PFsH; *amittit.*

ε) *animae. – animae scilicet* F, *scilicet animae* tertia praeter pG.

* Vers. 39. ult. *: *Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* – Similiter etiam non potest dici quod Filius Dei assumpsit humanam naturam prout est in omnibus individuis eiusdem speciei: quia sic omnes homines assumpsisset. – Relinquitur ergo, ut Damascenus postea dicit in
* Cap. xi. eodem libro *, quod assumpserit naturam humanam *in atomo*, idest in individuo, *non quidem in alio individuo, quod sit suppositum vel hypostasis illius naturae, quam in persona Filii Dei.*

Alio modo potest intelligi dictum Damasceni ut non referatur ad naturam humanam, quasi ex unione animae et corporis non resultet una communis natura, quae est humana: sed est referendum ad unionem duarum naturarum, divinae scilicet et humanae, ex quibus non componitur aliquid tertium, quod sit quaedam natura communis; quia sic illud esset natum praedicari de pluribus. Et hoc ibi intendit. Unde subdit *: *Neque* * Loc. cit. in arg.
enim generatus est, neque unquam generabitur alius Christus, ex deitate et humanitate, in deitate et humanitate, Deus perfectus, idem et homo perfectus.

Ad tertium dicendum quod duplex est principium vitae corporalis. Unum quidem effectivum. Et hoc modo Verbum Dei est principium omnis vitae. – Alio modo est aliquid principium vitae formaliter. Cum enim *vivere viventibus sit esse,* ut dicit Philosophus, in II *de Anima* *; sicut * Cap. iv, n. 4. – S. Th. lect. vii.
unumquodque formaliter est per suam formam, ita corpus vivit per animam. Et hoc modo non potuit ζ corpus vivere per Verbum, quod non potest esse corporis forma.

ζ) *potuit.* – AFGIa; *ponit* BCDpE, *potest* sEH, *ponitur* editiones; abrasa pH.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus articuli quinti clarus est in se. Et oritur quaestio haec cum ex difficultate rei in se, quia in Christo non est propria hypostasis, quae consurgere deberet ex unione animae et corporis: tum ex erroribus eorum qui negaverunt in Christo talem unionem.

In corpore quinti articuli unica est conclusio, responsiva quaesito affirmative, cum suo corollario. Conclusio est ista: *Necesse est dicere quod in Christo fuerit anima unita corpori.* Probatur. Ad rationem speciei humanae pertinet quod anima corpori uniatur. Ergo necesse est quod in Christo anima fuerit unita corpori.

Antecedens probatur dupliciter. Primo, quia forma non constituit speciem nisi per hoc quod est actus materiae. Ex hoc enim patet quod non est species humana nisi anima sit actus corporis. Quod est esse unitum corpori: actus enim est unitus materiae cuius est actus. – Secundo, quia hoc, scilicet animam esse in corpore, est terminus generationis, ordinatae a natura ad speciem. Ex hoc namque quod natura per generationem tendit ad speciem, et terminatur ad unionem animae et corporis, manifeste patet quod species constituitur ex coniunctione animae et corporis. – Et sic patet antecedens.

Consequentia vero probatur: quia Christus dicitur homo univoce cum aliis hominibus. Probatur: quia est eiusdem speciei. Probatur: quia est *in similitudinem hominum factus.* Et est procul dubio sermo de similitudine substantiali: quia est sermo de similitudine *hominum*, non de similitudine hominum quantorum aut qualium aut quomodolibet aliter se habentium; *homo* enim substantiae speciei humanae, et non quantitatis aut qualitatis nomen est. Ex hoc namque quod eiusdem est speciei Christus, quatenus homo, cum aliis hominibus, sequitur manifeste quod, si species humanae naturae in aliis constituitur ex unione animae et corporis, in Christo quoque talis unio exigatur.

Corollarium est quod contrarium dicere est haereticum. Probatur. Quia derogat veritati humanitatis Christi, ut patet ex dictis.

II. In responsione ad primum eiusdem articuli, disce hinc optimum ac clarum loquendi modum in hoc mysterio: scilicet quod *ex unione animae et corporis in Christo non constituitur nova persona: sed ad praeexistentem personam Dei composita natura singularis ex anima et corpore adiuncta est.* Oportet ergo ex hac anima et hoc corpore unitis aut constitui novam personam humanam: aut antiquam personam constitui in hoc quod sit persona humana. Et hoc secundum verificatur in Christo. Hypostasis enim Verbi Dei inquantum est hic homo, per naturam humanam hanc constituitur: ut Auctor in IV *Contra Gent.*, cap. xlix, in solutione septimae obiectionis, dicit. Quod est dicere personam Verbi constitui in hoc quod est esse personam humanam, per hanc naturam humanam: *hic* enim *homo* personam humanam significat.

III. In responsione ad secundum eiusdem articuli, adverte quod Damasceni verbum tam tritum, scilicet, *Verbum assumpsit naturam humanam in atomo,* dupliciter exponitur. Primo, quod ly *in atomo* importet ly *in individuo:* et sic exponitur in littera praesenti. Et quia, proprie loquendo, natura humana in individuo est idem quod natura humana in hoc homine, nam hic homo est individuum naturae humanae, et hic homo est hypostasis naturae humanae; et consequenter haec verba insinuant quod Verbum assumpserit naturam humanam iam in hoc homine, iam in hypostasi, iam personatam, quia quod assumitur praesupponitur assumptioni secundum naturae ordinem: ideo Auctor, ad excludendum talem sensum, addidit, *non in alio individuo, quod sit suppositum vel hypostasis illius naturae, quam in persona Filii Dei.* Iuxta quem modum exponuntur similes locutiones in vi et vii dist. III *Sent.* *: * Cf. dist. vi, qu. i, art. 2, ad 1; art. 3, ad 2; expos. text.; dist. vii, qu. i, art. 2, ad 1; expos. text.
ut patet ibi.

Secundo, exponitur facilius, ita quod ly *in atomo* importet ly *singularem.* Et sic clarus sensus est quod *Verbum assumpsit naturam humanam singularem,* quia assumpsit naturam humanam hanc. Et iuxta hunc sensum, est valde tritum, nec eget glossa.

IV. In eadem responsione ad secundum, circa verba: *Neque enim generatus est, neque unquam generabitur alius Christus,* etc., adverte quod, si Christus esset naturae compositae ex deitate et humanitate, natura illa esset communis Christo et filiis suis quos naturaliter virtute illius naturae generasset: ita quod genuisset filium eiusdem naturae, scilicet compositae ex deitate et humanitate; et sic genuisset alium Christum. Sed quia hoc est impossibile, arguit Damascenus a destructione consequentis ad destructionem antecedentis: scilicet, ex hoc quod non potest generari alius Christus ex deitate et humanitate compositus, quod in Christo non est natura composita ex deitate et humanitate.

Nunc autem, quia persona tantum Christi ponitur composita, modo prius * dicto; si Christus naturali generatione * Art. praeced.
aliquem produxisset, cum virtute humanae naturae innocentis generasset, purum hominem produxisset: generans enim generat sibi simile, non in persona, sed in natura.

V. In responsione ad tertium eiusdem articuli, nota illa verba: *Unumquodque formaliter est per formam suam.* Quoniam in qu. xvii *, cum tractabitur an in Christo sint * Art. 2, Comment. in resp. ad 8 cont. conclus., et in fine.
plura esse, discutienda sunt; et quomodo stat doctrina illic data cum ista.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM HUMANA NATURA FUERIT UNITA VERBO DEI ACCIDENTALITER

III *Sent.*, dist. VI, qu. III, art. 2; IV *Cont. Gent.*, cap. XXXIV, XXXVII, XLI, XLIX; *De Unione Verbi*, art. 1; *Compend. Theol.*, cap. CCII, CCIX, CCX; *Ad Rom.*, cap. I, lect. II; *Ad Philipp.*, cap. II, lect. II.



AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod humana natura fuerit unita Verbo Dei accidentaliter. Dicit enim Apostolus, *Philipp.* II *, de Filio Dei, quod *habitu inventus est ut homo.* Sed habitus accidentaliter advenit ei cuius est: sive accipiatur habitus prout est unum de decem generibus [α]; sive prout est species qualitatis. Ergo humana natura accidentaliter unita est Filio Dei.

* Vers. 7.

2. PRAETEREA, omne quod advenit alicui post esse completum, advenit ei accidentaliter: hoc enim dicimus accidens quod potest alicui et adesse et abesse praeter subiecti corruptionem. Sed natura humana advenit ex tempore Filio Dei habenti esse perfectum ab aeterno. Ergo advenit ei accidentaliter.

3. PRAETEREA, quidquid non pertinet ad naturam seu essentiam alicuius rei, est accidens eius: quia omne quod est vel est substantia, vel est accidens. Sed humana natura non pertinet ad essentiam vel naturam Filii Dei divinam: quia non est facta unio in natura, ut supra * dictum est. Ergo oportet quod natura humana accidentaliter Filio Dei advenerit.

* Art. 1

4. PRAETEREA, instrumentum accidentaliter advenit. Sed natura humana in Christo fuit divinitatis instrumentum: dicit enim Damascenus, in III libro *, quod *caro Christi instrumentum divinitatis existit.* Ergo videtur quod humana natura fuerit Filio Dei unita accidentaliter.

* Fe Fide Orth. lib. III, cap. XV.

SED CONTRA EST quod illud quod accidentaliter praedicatur, non praedicat *aliquid* [β], sed *quantum* vel *quale* vel *aliquo modo se habens.* Si igitur humana natura accidentaliter adveniret, cum dicitur Christus esse [γ] homo, non praedicaretur aliquid, sed quale aut quantum aut aliquo modo se habens. Quod est contra decretalem Alexandri Papae * dicentis **: *Cum Christus sit perfectus Deus et perfectus homo, qua temeritate audent quidam dicere quod Christus, secundum quod est homo, non est aliquid?*

* Tertii.
** Remensi Arch. - Cf. cap. *Cum Christus, de Haeret.*

RESPONDEO DICENDUM quod, ad huius quaestionis evidentiam, sciendum est quod circa mysterium unionis duarum naturarum in Christo, duplex haeresis insurrexit. Una quidem confundentium naturas: sicut Eutychetis et Dioscori, qui posuerunt quod ex duabus naturis est constituta una natura; ita quod confitentur Christum esse *ex duabus naturis,* quasi ante unionem distinctis; non autem *in duabus naturis,* quasi post unionem naturarum distinctione cessante.

Alia vero fuit haeresis Nestorii et Theodori Mopsuesteni separantium personas. Posuerunt enim aliam esse personam Filii Dei, et filii hominis. Quas dicebant sibi invicem esse unitas, primo quidem, *secundum inhabitationem:* inquantum scilicet Verbum Dei habitavit in illo homine sicut in templo. Secundo, *secundum unitatem affectus:* inquantum scilicet voluntas illius hominis est semper conformis voluntati Dei [δ]. Tertio modo, *secundum operationem:* prout scilicet dicebant hominem illum esse Dei Verbi instrumentum. Quarto, *secundum dignitatem honoris:* prout omnis honor qui exhibetur Filio Dei, exhibetur [ε] filio hominis, propter coniunctionem ad Filium Dei. Quinto, *secundum aequivocationem,* idest secundum communicationem nominum: prout scilicet dicimus illum hominem esse Deum et Filium Dei. Manifestum est autem omnes istos modos accidentalem unionem importare.

Quidam autem posteriores magistri, putantes se has haereses declinare, in eas per ignorantiam inciderunt. Quidam * enim eorum concesserunt unam Christi personam, sed posuerunt duas hypostases, sive duo supposita; dicentes hominem quendam, compositum ex anima et corpore, a principio suae conceptionis esse assumptum a Dei Verbo. Et haec est prima opinio quam Magister ponit in sexta distinctione Tertii Libri *Sententiarum.* – Alii vero, volentes servare unitatem personae, posuerunt Christi animam non esse corpori unitam, sed haec duo, separata ab invicem, esse unita Verbo accidentaliter: ut sic non cresceret numerus personarum. Et haec est tertia opinio quam Magister ibidem ponit.

* Archiep. Senon. - Cf. Altissiod. *Summ. Aur.* p. III, tract. 1, cap. 1, qu. 8.

Utraque autem harum opinionum incidit in haeresim Nestorii *. Prima quidem, quia idem est ponere duas hypostases vel duo supposita in Christo, quod ponere duas personas, ut supra * dictum est. Et si fiat vis in nomine *personae,* considerandum est quod etiam Nestorius utebatur unitate personae, propter unitatem dignitatis et honoris. Unde et Quinta [ζ] Synodus * definit anathema eum qui dicit *unam personam secundum dignitatem, honorem et adorationem, sicut Theodorus et Nestorius insanientes conscripserunt.* – Alia vero opinio incidit in errorem Nestorii quantum ad hoc, quod posuit unionem accidentalem. Non enim differt dicere quod Verbum Dei unitum est homini Christo secundum inhabitationem sicut in templo suo, sicut dicebat Nestorius; et dicere

* D. 706.
* Art. 3.
* Conc. Constantinop. II General. V.), Collat. VIII, can. V.

α) *generibus.* – *praedicamentis* II et editiones.
β) *aliquid.* – *quid* HsG et editiones; infra *quid* primo loco EHsG et editiones, altero pHsG et editiones; pro *aliquo* primo loco *alio* Hbc, *aliquo alio* Pa; altero loco *alio bc, aliquo alio* P.
γ) *esse.* – *est* FI*a* et editiones.
δ) *Dei.* – *Verbi Dei* I et editiones.
ε) *exhibetur.* – *coexhibetur* tertia.
ζ) *Quinta.* – *Sexta* omnes hic et inferius.

quod unitum fuit Verbum homini secundum induitionem sicut vestimento, sicut dicit tertia opinio. Quae etiam dicit peius aliquid quam Nestorius, quod [η] anima et corpus non sunt unita.

Fides autem Catholica, medium tenens inter praedictas positiones, neque dicit esse [θ] unionem factam Dei et hominis secundum essentiam vel naturam; neque etiam secundum accidens; sed medio modo, secundum subsistentiam seu hypostasim. Unde in Quinta Synodo * legitur: *Cum multis modis unitas intelligatur, qui iniquitatem Apollinarii et Eutychetis sequuntur, interemptionem eorum quae convenerunt colentes,* (idest, interimentes utramque naturam), *unionem secundum confusionem dicunt; Theodori autem et Nestorii sequaces, divisione gaudentes, affectualem unitatem introducunt; sancta vero Dei Ecclesia, utriusque perfidiae impietatem reiiciens, unionem Dei Verbi ad carnem secundum compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam.*

* Ibid., can. IV.

Sic igitur patet quod secunda trium opinionum quas Magister ponit, quae asserit unam hypostasim Dei et hominis, non est dicenda opinio, sed sententia Catholicae fidei. Similiter etiam prima opinio, quae ponit duas hypostases; et tertia, quae ponit unionem accidentalem; non sunt dicendae opiniones, sed haereses * in Conciliis ab Ecclesia damnatae.

* D. 250.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Damascenus dicit, in III libro *: *non necesse autem omnifariam et indefective assimilari exempla: quod enim in omnibus simile, idem* [ι] *utique erit, et non exemplum. Et maxime in divinis: impossibile enim simile exemplum invenire et in Theologia,* idest in deitate Personarum, *et in Dispensatione,* idest in mysterio incarnationis. Humana igitur natura in Christo assimilatur habitui, idest vestimento, non quidem quantum ad accidentalem unionem: sed quantum ad hoc, quod Verbum videtur per humanam naturam, sicut homo per vestimentum. Et etiam quantum ad hoc, quod vestimentum mutatur, quia scilicet formatur secundum figuram eius qui induit ipsum, qui a sua forma non mutatur propter vestimentum: et similiter humana natura assumpta a Verbo Dei est meliorata, ipsum autem Verbum Dei non est mutatum; ut exponit Augustinus, in libro *Octogintatrium Quaestionum* *.

* *De Fide Orth.* lib. III, cap. XXVI.

* Qu. LXXIII.

Ad secundum dicendum quod illud quod advenit post esse completum, accidentaliter advenit, nisi trahatur in communionem illius esse completi *. Sicut in resurrectione corpus adveniet animae praeexistenti: non tamen accidentaliter, quia ad idem esse assumetur, ut scilicet corpus habeat esse vitale per animam. Non est autem sic de albedine: quia aliud est esse albi, et aliud esse hominis cui advenit albedo. Verbum autem Dei ab aeterno esse completum habuit secundum hypostasim sive personam: ex tempore autem advenit ei natura humana, non quasi assumpta ad unum esse prout est naturae, sicut corpus assumitur ad esse animae; sed ad unum esse prout est hypostasis vel personae. Et ideo humana natura non unitur accidentaliter Filio Dei.

* D. 12.

Ad tertium dicendum quod accidens dividitur contra substantiam. Substantia autem, ut patet V *Metaphys.* *, dupliciter dicitur: uno modo, essentia [κ] sive natura; alio modo, pro supposito sive hypostasi. Unde sufficit ad hoc quod non sit unio accidentalis, quod sit facta unio secundum hypostasim, licet non sit facta unio secundum naturam.

* S. Th. lect. X. - Did. lib. IV, cap. VIII, n. 5.

Ad quartum dicendum quod non omne quod assumitur ut instrumentum, pertinet ad hypostasim assumentis, sicut patet de securi et gladio: nihil tamen prohibet illud quod assumitur ad unitatem hypostasis, se habere ut instrumentum, sicut corpus hominis vel membra eius. Nestorius igitur posuit quod natura humana est assumpta a Verbo solum per modum instrumenti, non autem ad unitatem hypostasis. Et ideo non concedebat quod homo ille vere esset Filius Dei, sed instrumentum eius. Unde Cyrillus * dicit, in *Epistola ad Monachos Aegypti* *: *Hunc Emanuelem,* idest Christum, *non tanquam instrumenti officio sumptum dicit Scriptura: sed tanquam Deum vere humanatum,* idest hominem factum. Damascenus autem posuit naturam humanam in Christo esse sicut instrumentum ad unitatem hypostasis pertinens.

* Alexandrin.
* Epist. I.

η) *quod.* – *scilicet quod* E et tertia.
θ) *esse.* – Om. tertia.
ι) *idem.* – Tertia (om. I); *commune.* Mox *et non exemplum* om. ACa; *Et maxime in divinis* om. ABDEH; cf. qu. XXII, art. 1, ad 2. Addunt *in omnibus* ante *simile* EGI, post *invenire* FH et editiones.
κ) *essentia.* – *per essentiam* pG, *prout essentia* I, *pro essentia* cetera tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo articuli sexti ly *accidentaliter* sumitur ut distinguitur contra *substantialiter:* ita quod modus coniunctionis in quaestionem vertitur, an substantialis, an accidentalis sit. Ubi adverte quod, postquam determinatum est * quod humana natura est coniuncta Filio Dei in persona, quaeritur an sit coniuncta ei substantialiter vel accidentaliter. Et hoc quia, ut patet ex superius * assignata latitudine unitorum alicui in persona, aliquid unitur Socrati in persona accidentaliter, ut albedo et reliqua accidentia quae sunt in Socrate: et aliquid unitur Socrati in persona substantialiter, ut membra sua et natura sua. Haec autem quae dicimus, patent ex eo quod, dicendo, *Socrates est albus* aut *magnus,* enuntiamus esse accidentale Socratis: dicendo autem, *Socrates est capitatus* aut *homo,* enuntiamus utrobique esse substantiale Socratis. Quia igitur personae potest aliquid in persona uniri tam substantialiter quam accidentaliter, ideo merito, postquam conclusum est naturam humanam esse unitam Filio Dei in persona, quaeritur an sit illi unita substantialiter, an accidentaliter. Hic est sensus tituli.

* Art. 2.
* Ibid., Comment. num. VI.

II. In corpore articuli tres sunt principales partes: in prima narrantur duae haereses extremae circa quaesitum; in secunda ad alteram earum reducuntur duae opiniones extremae positae a Magistro Sententiarum in VI dist. III *Sent.* *; in tertia ponitur sententia fidei **.

* Cf. num. seq.
** Cf. num. IV.

Quoad primum, clare constat allatas haereses esse ex-

tremas: dum Eutychetis error coniunctionem in Christo in tantum substantialem esse dicit quod ex substantiis duabus composita est una natura; Nestorii autem error coniunctionem istam in tantum accidentalem posuit quod separavit personam Filii Dei a persona filii hominis. Ille confundit naturas, et unam tam naturam quam personam posuit esse in Christo. Iste separavit et naturas et personas, dicens in Christo duas esse et naturas et personas: coniunxit autem eas accidentali unione penes quinque, ut in littera clare habes. – Haec de primo.

* Num. praeced. III. Quoad secundum *, posteriorum magistrorum errores tractantur, qui, putantes se Catholice dicere, opiniones duas introduxerunt extremas apud Magistrum Sententiarum, scilicet primam et tertiam, cum tamen ambae ex parte unius extremi, hoc est Nestoriani erroris, se teneant. Nam utrique conveniunt in hoc quod ponunt in Christo diversas hypostases, ita quod alia est hypostasis Filii Dei et alia hypostasis filii hominis: ac per hoc, utrique separant in Christo et naturas et hypostases seu supposita; et accidentalem proinde unionem ponunt humanae naturae ad personam Filii Dei, quamvis diversimode. Quia primi ponunt sub nomine personae, dicendo hypostases duas uniri in persona: quod monstratum est * non esse intelligibile nisi personae nomen accidens significet. Alii vero ponunt uniri per modum vestis: constat namque quod esse vestitum accidentale tantum esse ponit in persona quae vestita est. Et omnia clare patent in littera.

* Art. 3.

* Num. II. IV. Quoad tertium *, primo ponitur sententia fidei, quae vere est media: scilicet quod *unio est secundum substantiam ut substantia importatur per personam, hypostasim vel suppositum,* et hoc contra Nestorium et posteriores magistros; et quod *non est secundum substantiam ut substantia importatur per essentiam, naturam seu quidditatem,* et hoc contra Eutychetem et Dioscorum. Probaturque auctoritate Sextae * Synodi, ubi patet unionem carnis ad Verbum Dei *secundum compositionem quae est secundum subsistentiam* confessam esse.

* Quintae. Cf. not. ζ.

Secundo, modum loquendi docet circa recitatas sententias tres a Magistro Sententiarum in VI distinctione Tertii: quod scilicet nulla earum vocanda est opinio, sed secunda dicenda est sententia doctrinaque fidei, tam prima autem quam tertia haeresis a Concilio damnata appellanda est. – Ubi scito quod, licet tempore Magistri Sententiarum et illorum magistrorum quorum hic Auctor meminit, iam essent damnatae ambae istae haereses; quia tamen occultum erat comprehendi positiones istas sub illis damnatis, et putabatur istas ab illis tantum distare ut separatae essent ab illis; ideo excusati fuerunt et auctores et sequaces earum, et qui tanquam opiniones illas habuerunt. Sed ex quo tanta concessa est posterioribus perspicacitas ut viderent et discernerent inter illas et unicuique locum suum darent, non amplius excusarentur qui huiusmodi positiones ut opiniones adstruerent.

V. In responsione ad primum et ad secundum, adverte primo, quod commune est utrique, scilicet habitui et accidenti, uniri accidentaliter Socrati: nam indumentum non nisi accidentale esse ponit in Socrate, esse enim vestitum accidentale esse est; et albedo accidentale esse ponit in Socrate. Differentia autem inter ipsa est quod indumentum est in se substantia quaedam, puta pannus laneus: albedo autem est in se accidens. Ita quod albedo et est in se accidens, et accidentaliter coniungitur Socrati: indumentum autem est in se substantia, sed accidentale tantum esse confert Socrati, scilicet esse vestitum. Et quia natura humana est in se substantia, et advenit Verbo Dei post eius esse completum, ideo accidentaliter coniuncta Verbo Dei aestimata est: quemadmodum habitus seu indumentum accidentaliter iungitur Socrati.

Sed aestimationem hanc esse falsam, non solum manifestatur ex ante * dictis, quia scilicet unio vestis ad Socratem non est in persona, quia alia est hypostasis vestis et alia hypostasis Socratis vestiti: sed etiam quia talis unio, ut terminatur ad Socratem, est secundum esse accidentale; quoniam non ponit in Socrate nisi esse vestitum, quod constat esse de genere accidentis. Natura autem humana sic est coniuncta Verbo Dei ut conferat Verbo Dei esse substantiale: quoniam confert illi esse hominem; constat autem quod esse hominem est in genere substantiae, et non in genere accidentis. Filius siquidem Dei sic homo factus est ut verissime sit homo. Unde, fingendo quod vestis sit nomen substantiae, pro claritate doctrinae, coniunctio vestis ad personam vestitam est secundum esse accidentale: quia non confert vestitae personae quod sit vestis, sed quod sit vestita. Sed humana natura coniungitur personae divinae secundum esse substantiale: quia confert Verbo Dei quod sit homo secundum rei veritatem simpliciter, et non in intellectu aut imaginatione aut repraesentatione, aut secundum quid.

* Art. 2, Comment. num. VI.

Et hoc est quod Auctor in IV *Contra Gent.*, cap. XLIX, in solutione ultimae obiectionis, explicavit.

Hoc est quod Extra, *de Haer.*, in cap. *Cum Christus,* Alexander III explicavit: ubi, sub anathemate inhibens ne quis audeat dicere quod *Christus, secundum quod homo, non est aliquid,* quia est verus homo, contra eos loquitur qui dicebant quod *Christus, secundum quod homo, non est aliquid,* sed *ad aliquid* seu *aliqualis.* Hoc enim sequitur ad omnes ponentes unionem naturae humanae ad hypostasim Filii Dei esse accidentalem. Nam secundum huiusmodi positiones, sicut Socratem esse vestitum, aut esse magnum aut honorabilem et super alios, non est Socratem esse aliquid, sed ad aliquid aut aliqualem, etc.; ita Filium Dei esse hominem non esset esse aliquid, sed ad aliquid aut aliqualem, etc.

Unde Auctor optime in hoc articulo induxit decretalem illam ad probandam unionem humanae naturae ad Verbum esse substantialem. – Et Scotus, in ult. qu. VI dist. III *Sent.*, dicit quod per istam decretalem condemnata est tertia opinio illic a Magistro Sententiarum recitata, scilicet quod humana natura unita est Verbo ut habitus: per haec manifestans quod ly *aliquid* sumitur in dicta decretali ut distinguitur contra *ad aliquid, aliquale, aliquantum,* et reliqua accidentium genera, quae solum convenire Christo, secundum quod homo, dicebat positio illa, et quaecumque alia ponens unionem istam accidentalem.

VI. Adverte secundo, propter exemplum quod in littera * datur de unione animae ad corpus, quod dicentes * unioni Verbi et naturae humanae maxime similem esse unionem substantiae et accidentis, sublato hoc quod substantia informatur per accidens sicut potentiale per actuale, aberrant valde. Quoniam, sublata informatione, non remanet inter substantiam et accidens nisi unio accidentalis: ut patet ex hoc quod de facto sunt ibi duo, primum quod substantia iungitur accidenti sustentando illud, secundum quod informatur per illud; constat autem quod de facto nunc ratione neutrius inter accidens et substantiam est coniunctio substantialis, sed solum accidentalis; ergo, si tollatur secundum, scilicet informatio, non nisi accidentalis unio remanet. Non est ergo simillimum exemplum hoc: sed abducens ab unione substantiali inter Verbum et naturam humanam.

* In resp. ad 2.
* Scot. III *Sent.*, dist. I, qu. I, art. I.

VII. Quod autem quidam * dicunt, huic unioni maxime similem esse insitionem, eo quod ramus insitus cum ramo naturali arboris unitur in unitatem suppositi, quia eadem utriusque rami arbor est, et non unitur ei in unitatem naturae, quando ramus insitus alterius naturae est: – nec obstat quod insitio fiat per contactum seu continuationem, quoniam *quod facit in corporibus situs, hoc facit in spiritualibus ordo,* secundum Augustinum. Consonat autem haec similitudo doctrinae sacrae Scripturae, *Apoc.* V *, *Vicit Leo de tribu Iuda, radix David,* et XXII *, *Ego radix David:* per haec enim patet Filium Dei se habere ad David, hoc est ad naturam suam ex David, ut radix: – hoc, inquam, magis ad metaphoricam quam ad propriam theologiam spectat. Nam falsum est quod ramus naturalis et ramus insitus sint uniti in uno supposito secundum veritatem. Quod ex V *Metaphys.* * patet, cum dicitur quod *quaecumque sunt unum numero, sunt unum specie, quamvis non e contra:* constat autem ad sensum quod ramus insitus et ramus naturalis distinguuntur specie, ut patet ex fructibus. Sunt igitur distincti numero in genere substantiae: quod est

* Halens. *Summ. Theolog.*, p. III, qu. VII, memb. I, art. I; memb. III, art. 2.
* Vers. 5.
* Vers. 16.
* S. Th. lect. VIII. – Did. lib. IV, cap. VI, n. 15.

distingui suppositaliter secundum veritatem, quamvis secundum apparentiam unum appareat suppositum arboris. Habet enim se arbor suscipiens insitionem quasi terra, alimentum ex se praestans ramo insito. Ita quod inter ramum insitum et plantatum differentia consistit in primo alimento: nam ramus plantatus in terra inde primum habet alimentum impurum, et digerit illud; ramus vero insitus ex arbore habet primum alimentum, iam depuratum in trunco arboris, habile ad sui nutritionem, augmentationem et fructificationem. Unde ramus insitus ponit quasi radices in arbore unde nutritur, sicut plantatus ponit radices in terra unde alitur. Et propterea non cuiuscumque naturae ramus potest cuilibet arbori inseri: sed oportet proportionem esse inter alimentum decoctum pro arbore, et alimentum rami talis naturae.

At si quispiam dixerit maximam positam similitudinem insitionis ad incarnationem quando ramus insitus est eiusdem speciei cum trunco, quia tunc fit unum suppositum utriusque, quia continuatur ramus insitus arbori: – advertat haec dicens quod iam exit ab unione insitionis quatenus insitio est, quoniam insitio ad ramos alterius speciei extenditur; et declinat ad insitionem talem, scilicet per unitatem continuitatis. Quod, formaliter loquendo, nihil aliud est dicere quam dicere unitatem advenientis partis alicui toti continuo maxime esse similem unioni incarnationis. Quod est ridiculum.

VIII. Revereantur ergo antiquos Doctores: et dicant cum Auctore, in IV *Contra Gent.*, cap. XLI, *nihil in omnibus creatis inveniri huic unioni tam simile sicut est unio animae intellectivae ad corpus.* Quod etiam hic confirmatur, dum similitudo ista affertur et explanatur.

Ubi adverte quod similitudo ista quantum ad unum non tenet, quantum scilicet ad hoc quod anima unitur corpori ut forma materiae, ac per hoc ut pars comparti unius humanae naturae ex eis compositae: ut tam hic quam ibi expresse dicitur, sub aliis tamen verbis. Sed tenet quantum ad hoc, quod anima unitur corpori ut instrumento coniuncto, ut ibi dicitur: vel, et in idem rèdit, quantum ad hoc, quod corpus assumitur ad esse proprium animae prout est personae seu subsistentis. Et de unione quidem per modum instrumenti in loco proprio, hoc est in responsione ad quartum, erit sermo *. Hic autem declaranda utcumque est unio ad esse ut est personae.

* Num. x.

Ad cuius aliqualem perceptionem, fingamus animam rationalem per se subsistere ante corpus: sicut de facto ita est in animabus defunctorum ante resurrectionem; subsistunt enim interim per seipsas, absque corpore aliquo. Hoc stante, considera quod anima per se subsistens advenienti sibi duo communicat corpori: scilicet esse, et subsistere. Vel, dupliciter communicat suum esse corpori. Primo, per modum naturae: et hoc facit informando corpus; ex hoc enim quod informat ipsum, dat ei esse specificum, quod natura significat. Secundo, per modum personae: et hoc facit communicando suum subsistere corpori, ita quod non solum ipsa anima per suum subsistere subsistat, sed corpus subsistat per illudmet subsistere; subsistit enim corpus adveniens non per novum subsistere, sed per antiquam animae subsistentiam. Quocirca, si in unione rationalis animae et corporis consideretur secundus tantum modus abstrahendo a primo, habebitur exemplum in rerum natura inter reliqua simillimum quomodo unio est humanae naturae ad Verbum secundum esse substantiale ipsius Verbi, non ut est naturae, sed ut est personae, ut in littera dicitur. Nam sicut anima rationalis corpus sibi unitum in resurrectione trahit, seclusa informatione, ad esse suum prout est personae, hoc est, prout est subsistere, et non trahit ad esse suum prout est naturae, hoc est, prout est conferens esse specificum; ita Verbum Dei naturam humanam sibi unitam trahit ad esse suum ut est personae, hoc est, ut est subsistere: – quia natura humana in Christo non per se separatim existit, sed in Verbo Dei, ac per hoc, subsistere Verbi est subsistere humanae naturae: ille enim homo qui vocatur Iesus Christus, vere est subsistens, et non alia subsistentia quam increata et aeterna subsistentia Filii Dei: – et non trahit ad esse suum ut est naturae, hoc est, ut confert naturam deitatis. Non enim humana natura in Christo ad naturam deitatis transiit, aut aliquam aliam naturam ex illa acquisivit, sicut corpus ex unione ad esse animae ut est naturae novam ex illa naturam ac speciem acquirit.

Et haec non solum pro exempli similitudine, sed pro expositione responsionis ad secundum sufficiant pro nunc.

IX. In responsione ad tertium, caute et perspicaciter considera quod, proprie seu propriissime loquendo, uniri alicui *in hypostasi* communius est quam uniri illi *secundum hypostasim.* Nam quidquid pertinet ad hypostasim, sive substantiale sive accidentale sit, unitur Socrati in hypostasi seu persona, ut in articulo secundo huius quaestionis Auctor dixit: sed non omne tale unitur Socrati secundum hypostasim. Et hoc dico sumendo ly *in* ut denotat solum inesse personae: et ly *secundum* ut addit modum coniunctionis inter personam et illud quod unitum est illi secundum personam, scilicet per modum subsistentis. Est enim videre in Socrate esse album, et esse capitatum. Et utrumque est unum Socrati in persona: quia, ut patet in V *Metaphys.*, cap. *de Uno* *, *quaecumque sunt in aliquo indivisa, sunt unum in illo;* Socrates autem et sua albedo non sunt divisi subiecto seu hypostasi, quoniam una et eadem est substantia prima quae est Socrates et alba; et similiter quae est Socrates et quae est capitata. Sed esse album non est unum Socrati secundum hypostasim: quia nec Socrates subsistit ex albedine aut in albedine, nec esse album subsistit per subsistere Socratis; hoc enim album quod est in Socrate non subsistit, quia natura accidentis neque per seipsam neque per aliud nata est subsistere. Sed esse capitatum est unum Socrati secundum hypostasim (quamvis partialiter: quia caput pars est Socratis): quia et Socrates subsistit secundum esse capitatum, utpote substantiale; et esse capitatum subsistit per Socratem, quia hoc capitatum subsistit Socratis subsistentia.

* S.Th. lect. VIII. – Did. lib. IV, cap. VI, n. 9.

Quia igitur natura humana unita est Filio Dei ut non solum insit illi et praedicetur de illo sicut esse album inest Filio Dei et praedicatur de eo dum dicitur, *Christus,* seu, *Filius Dei est albus;* sed ut Filius Dei subsistat ex humana natura et in humana natura, quamvis diversimode, ut praedeclaratum est *: – quoniam subsistere ex humana natura intelligitur, inquantum est persona humana; subsistere vero in humana natura absolute admittitur de Verbo Dei. Et similiter humana natura constituit Verbum Dei in hoc quod est esse personam humanam; in hoc quod est esse hypostasim humanae naturae; in hoc quod est esse hunc hominem; et sic natura humana, loco propriae subsistentiae, sortitur subsistentiam propriam Filii Dei, et per illam subsistit, non per seipsam: – quia, inquam, per modum subsistentiae unio est inter personam Filii Dei et naturam humanam, ideo dicitur quod est unio secundum hypostasim; et dicitur in littera hac quod *unio secundum hypostasim sufficit ad hoc quod non sit unio accidentalis.* Ubi clare videre potes quod diximus. Nam si unio secundum hypostasim excludit unionem esse accidentalem, consequens clare est quod uniri secundum hypostasim non est tantum coniungi hypostasi per inesse hypostasi: quoniam coniungi hypostasi per inesse tantum non excludit unionem esse accidentalem, ut patet de albedine coniuncta hypostasi Socratis per inesse tantum. Plus ergo exigit unio secundum hypostasim. Et cum proprium hypostasis sit subsistere in natura, consequens est quod unio secundum hypostasim exigat communionem secundum subsistere. Quam in proposito inveniri declaratum est.

* Art. 4, Comment. num. VI, VII.

X. In responsione ad quartum eiusdem sexti articuli, adverte duo: primo, veritatem rei; deinde processum Auctoris *. Quoad primum, quia instrumentum est nomen causae, uniri alicui ut instrumentum non transcendit unionem comprehensam infra genus seu latitudinem causarum: et ideo est talis unio in causando. Et quia unio humanae naturae ad Verbum, de qua est sermo, non est in causando, sed in essendo secundum esse substantiale subsistentiae; ideo Cyrillus, in littera allatus, reprobat Christum *tanquam instrumenti officio assumptum.* Si enim prima, seu summa unio humanae naturae ad Verbum esset unio

* Cf. num. seq.

instrumenti, iam non esset unio in persona nec secundum personam, nec in essendo, sed in causando: quod maximi erroris est. Inter Verbum siquidem Dei et naturam humanam unio est hypostatica, non secundum aliquod genus vel modum causae, sed secundum aliquod genus seu modum entis per se, quod est substantia: quia est secundum subsistentiam, quae non dicit causam seu causalitatem, sed substantiam. Pateat autem hoc novitiis ex hoc quod unio Filii Dei cum natura humana propria est Filio, ita quod nec Patri nec Spiritui Sancto convenit: omnis autem causalitas Filii Dei respectu naturae assumptae communis est toti Trinitati, quoniam *indivisa sunt Trinitatis opera ad extra* *. Non est ergo definienda unio naturae humanae ad Verbum per unionem instrumenti.

* Cf. Aug. *Enchirid.* cap. XXXVIII.

Si tamen non firmetur sententia super ratione instrumenti ut sic, sed super ratione instrumenti talis, hoc est, *coniuncti*, hoc est spectantis ad hypostasim: iam ab ordine causandi ad ordinem essendi, et ab unione in causando ad unionem in essendo venitur; et ad iam dictam unionem secundum substantiam recursus et resolutio fit; et patet quod prima et maxima ratio unionis non ponitur in unione instrumenti, sed in unione coniunctionis qua instrumentum spectat ad hypostasim. Quocirca, licet sententia ista de unione per modum instrumenti coniuncti sit vera, minus tamen formalis est: quia non attenditur ratio instrumenti ut sic, sed coniunctionis personalis, *in qua pendent Lex et Prophetae*. – Haec quoad veritatem.

XI. In processu vero Auctoris, video ipsum seipso altiorem. Nam in IV *Contra Gent.*, cap. XLI, unionem Verbi incarnati declaravit secundum unionem instrumenti coniuncti. Et hoc fecit quasi a posterioribus et notioribus nobis manuducens ad tam excelsam unionem. In hoc autem loco, altius contemplatus instrumenti ut sic rationem et unionem hypostaticam, statim in principio responsionis instrumenti unionem ab unione hypostatica separavit, dicens, *Non omne quod assumitur ut instrumentum* etc., et ad unionem personalem reducendam dixit; et Nestorium inde confundit, atque Damascenum exponit. Processit siquidem hic non a posterioribus, sed a priori, ex unione hypostatica salvans unionem instrumenti talis: dum, ex hoc quod instrumentum aliquod pertinet ad esse hypostasis, salvat naturam humanam posse dici unitam Verbo ut instrumentum coniunctum. Tu ergo utrinque profice: hinc resolutionem, inde manuductionem sumens.

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM UNIO DIVINAE ET HUMANAE NATURAE SIT ALIQUID CREATUM

III *Sent.*, dist. II, qu. II, art. 2, qu[a] 3, ad 2; dist. V, qu. I, art. 1. qu[a] 1, dist. VII, qu. II, art. 1.

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod unio divinae et humanae naturae non sit aliquid creatum. Nihil enim in Deo creatum potest esse: quia quidquid est in Deo, Deus est. Sed unio est in Deo: quia ipse Deus est humanae naturae unitus. Ergo videtur quod unio non sit aliquid creatum.

2. Praeterea, finis est potissimum in unoquoque *. Sed finis unionis est divina hypostasis sive persona, ad quam terminata est unio. Ergo videtur quod huiusmodi unio maxime debeat iudicari secundum conditionem divinae hypostasis. Quae non est aliquid creatum. Ergo nec ipsa unio est aliquid creatum.

* Cf. Aristot. *Topic.* lib. VI, cap. VIII, n. 2.

3. Praeterea, *propter quod unumquodque, et illud magis* [α] *. Sed homo dicitur esse Creator propter unionem. Ergo multo magis ipsa unio non est aliquid creatum, sed Creator.

α * Aristot. *Anal. Poster.* lib. 1, cap. II, n. 15. – S. Th. lect. VI.

Sed contra est: Quod incipit esse ex tempore, est creatum. Sed unio illa non fuit ab aeterno, sed incoepit esse ex tempore. Ergo unio est aliquid creatum.

Respondeo dicendum quod unio de qua loquimur est relatio quaedam quae consideratur inter divinam naturam et humanam, secundum quod conveniunt in una persona Filii Dei. Sicut autem in Prima Parte * dictum est, omnis relatio quae consideratur inter Deum et creaturam, realiter quidem est in creatura *, per cuius mutationem talis relatio innascitur: non autem est realiter in Deo, sed secundum rationem tantum, quia non nascitur [β] secundum mutationem Dei. Sic igitur dicendum est quod haec unio de qua loquimur, non est in Deo realiter, sed secundum rationem tantum: in humana autem natura, quae creatura quaedam est, est realiter. Et ideo oportet dicere quod sit quoddam creatum *.

* Qu. XIII, art. 7.
* D. 1089.
* D. 1190.

Ad primum ergo dicendum quod haec unio non est in Deo realiter, sed solum [γ] secundum rationem tantum: dicitur enim Deus unitus creaturae ex hoc quod creatura unita est ei, absque Dei mutatione [δ].

Ad secundum dicendum quod ratio relationis, sicut et motus, dependet ex fine vel termino: sed esse eius dependet ex subiecto. Et quia unio talis non habet esse reale nisi in natura creata, ut dictum est *, consequens est quod habeat esse creatum.

* In corpore.

Ad tertium dicendum quod homo dicitur [ε] et est Deus propter unionem inquantum terminatur ad hypostasim divinam. Non tamen sequitur quod ipsa unio sit Creator vel Deus: quia quod aliquid dicatur creatum, hoc magis respicit esse ipsius quam relationem [ζ].

α) *magis.* – *ut dicit Philosophus* addit P.
β) *nascitur.* – *innascitur* tertia praeter pG.
γ) *solum.* – Om. P; *tantum* om. Gl.
δ) *unita est... mutatione.* – *est unita Deo absque eius mutatione* P.
ε) *dicitur.* – *Creator* addit P.
ζ) *relationem.* – *rationem* omnes. Cf. qu. XXXV, art. 5, α, et qu. XVI, art. 1, ad 4.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus articuli septimi eiusdem secundae quaestionis in corpore articuli statim declaratur.

In corpore articuli duo facit: primo, declarat quid sit unio de qua est quaestio; secundo, respondet quaesito conclusione affirmativa *. Quoad primum, dicit quod unio de qua est quaestio est relatio quaedam inter duas naturas coniunctas in una persona Filii Dei. Ita quod tria de unione dicit: primo, *quod quid est,* dicendo quod est *relatio quae-*

* Cf. num. seq.

dam; secundo, extrema dictae relationis, dicendo, *inter divinam naturam et humanam;* tertio, fundamentum dictae relationis, dicendo, *secundum quod conveniunt in una persona Filii Dei.* Ubi nota quod est hic quaestio de unione quantum ad relationem quam significat: et non de unione quantum ad fundamentum ad quod consequitur, quod est coniunctio naturarum in persona Filii Dei, quam conclusum est * esse unionem substantialem, et non secundum esse relativum. – Et sic patet titulus articuli.

* Art. praeced.

II. Quoad secundum *, conclusio est: *Unio, pro relatione, est aliquid creatum.* Probatur. Omnis relatio inter Deum et creaturam est realiter in creatura, et non in Deo. Ergo ista unionis relatio non est in Deo realiter, sed in natura humana est realiter. Ergo est aliquid creatum.

* Num. praeced.

Antecedens et ex dictis in Prima Parte assumitur, et probatur: quia innascitur per mutationem creaturae, et non per mutationem Dei. – Consequentia prima ex declaratione tituli patet. – Secunda autem relinquitur per se nota: quia quidquid realiter est in creatura, est creatum.

III. In hoc articulo cautissime adverte distinctionem praedictam * de unione: vel quantum ad relationem, quam significat; vel quantum ad coniunctionem in persona, ad quam consequitur. Quoniam plus differunt haec duo quam caelum et terra. Unio enim pro relatione est in genere relationis, et est ens reale creatum, ut in littera dicitur. Unio autem pro coniunctione naturae humanae in persona divina, cum consistat in unitate quae est inter naturam humanam et personam Filii Dei, est in genere seu ordine substantiae: et non est aliquid creatum, sed Creator. Quod ex eo constat quod unum non addit supra ens naturam aliquam: et unumquodque per illudmet [per] quod est ens, est et unum. Quod enim est ens accidentale per aliquam formam, est unum accidentale per illam; et quod est ens relativum, habet unitatem secundum esse relativum; et quod est ens per formam substantialem, habet unitatem secundum esse substantiae. Ac per hoc, natura humana in Christo quia per esse substantiale subsistentiae personae Filii Dei est iuncta naturae divinae, oportet quod illud unum esse in quo indivisae sunt natura divina et humana in Christo, sit esse unum substantiale et divinum. Et vere sic est. Quia esse subsistentiae Filii Dei, in quo non distinguuntur ambae naturae, substantia est, Deus est, quia Verbum Dei est: una et eadem quippe subsistentia subsistit Filius Dei in natura divina, et in natura humana. Et consequenter divina et humana natura Christi sunt indivisae in illa subsistentia utrique communi: quamvis inter se valde distinguantur.

* Ibid.

Et si contra hanc doctrinam obiiciatur quod huiusmodi coniunctio incoepit esse ex tempore, et consequenter est aliquid creatum: respondendum est quod haec coniunctio, quantum ad illud quod ponit in ipso esse secundum se, non incoepit esse ex tempore, sed est ab aeterno; sed quantum ad hoc quod natura humana sortita sit illud subsistere, incoepit esse ex tempore. Verbi gratia: si anima rationalis fuisset ab aeterno sine corpore, quando fuisset in tempore iuncta corpori, nec esse corporis incoepisset in tempore: quia non est aliud esse corporis quam illud aeternum esse animae. Nec unum esse substantiale corporis cum anima incoepisset ex tempore quantum ad illud quod ponit illa unitas in esse secundum se: quia, *ens et unum cum multipliciter dicatur, quod proprie est, actus est,* ut dicitur in II *de Anima* *. Sed bene incoepisset ex tempore illud unum esse quantum ad hoc quod corpori illud aeternum esse communicaretur: quod fieret per generationem, qua corpus traheretur ad esse animae. Ita enim accidit in proposito, dum per assumptionem natura humana trahitur ad esse subsistentiae Filii Dei: ex hac enim assumptione subsistentia qua Filius Dei in sola subsistebat natura divina, communicatur naturae humanae, ita ut etiam ipsa natura humana per illam subsistat, et Filius Dei in humana natura subsistat. Hoc autem est unum esse in persona ambas naturas. Ubi patet nihil creatum intervenire nisi passionem qua natura humana trahitur ad esse Verbi. Super hanc autem coniunctionem, super hoc unum esse, fundatur consecutive unio pro relatione: sicut super coniunctionem substantialem corporis et animae fundatur relatio unionis inter animam et corpus. Est igitur, ut unico verbo dicatur, unio naturarum in Christo relatio creata quaedam, hoc est, consequens earundem unitatem personalem increatam.

* Cap. 1, n. 7. – S. Th. lect. 1.

Et quia argumenta Aureoli, a Capreolo allata, in v dist. III *Sent.*, qu. 1 *, procedunt contra dicentes non esse aliam unionem quam relativam inter humanam naturam in Christo et Deum, quod longe est a doctrina Auctoris, expresse ponentis unionem quoad relationem consequi unionem secundum unitatem personalem, ita quod unio significat relationem, non qualemcumque, sed consequentem naturarum unitatem personalem: ideo non censui ipsa aliter afferenda et solvenda, utpote non contra doctrinam Auctoris in veritate, et quae ex hac unica dicta responsione confutantur.

* Art. 2.

IV. In responsione ad tertium eiusdem septimi articuli, dubium occurrit circa illius principium: *Homo dicitur et est Deus propter unionem inquantum terminatur ad hypostasim divinam.* Tum quia falsum est quod unum extremum unionis sit reliquum quia unio terminatur ad reliquum extremum: non enim corpus est anima propterea quia unio corporis terminatur ad animam. Unde male dicitur quod homo est Deus propter unionem quia unio terminatur ad hypostasim divinam.

Tum quia, dato quod esset verum, sequeretur quod homo non esset Deus substantialiter, sed relative. Quod iam * reprobatum est. – Et tenet sequela: quia esse aliquid propter terminum relationis, non est esse illud substantialiter, sed relative, ut patet.

* Art. praeced.

Et si ad haec dicatur quod Auctor loquitur de unione quantum ad fundamentum, non quantum ad relationem: contra hanc responsionem littera clamat aperte, subdens: *Non tamen sequitur quod ipsa unio sit Creator vel Deus: quia quod aliquid dicatur creatum, hoc magis respicit esse ipsius quam rationem* *. Constat enim haec verba de unione quantum ad relationem dici, de qua in responsione ad secundum dixit quod rationem habet ex termino, esse vero habet ex subiecto, sicut motus.

* Cf. not. ζ.

V. Ad hoc dicitur quod, secundum rem, homo est Deus propter unionem secundum unitatem personalem quam importat, ad quam consequitur relatio unionis. Et hoc non est vertendum in dubium. Sed quoniam in idem redit dicere, *Homo est Deus propter unitatem personalem duarum naturarum, quam consequitur unionis relatio,* et dicere, *Homo est Deus propter unionem inquantum terminatur ad hypostasim divinam:* ideo verba Auctoris calumnianda non sunt. Manifestatur autem quod dicimus, advertendo quod relatio unionis est non solum inter naturas duas, divinam scilicet et humanam, sed etiam est inter naturam humanam et hypostasim divinam: nam et una natura unita est alteri, et humana natura unita personae divinae, et e contra divina persona unita est humanae naturae. Servatur autem differentia in loquendo dum de unione inter naturas, aut inter personam et humanam naturam, est sermo. Quia quando de unione inter naturas est sermo, exprimimus naturas pro terminis unionis, et unitatem personalem utriusque naturae ponimus non pro termino, sed causa seu fundamento relationis unionis: ut clare videre potes in principio corporis huius articuli, ubi, declarando titulum, dicitur quod *unio de qua loquimur est relatio quaedam quae consideratur inter divinam naturam et humanam secundum quod conveniunt in una persona Filii Dei.* Quando vero loquimur de eadem relatione unionis inter naturam humanam et personam Filii Dei, ponimus ex parte termini unitatem personalem Filii Dei in utraque natura: quoniam relatio ista unionis non est quaecumque unionis relatio, nec ad hypostasim divinam quomodolibet, sed ad hypostasim Filii unam personaliter in utraque natura. Sicut enim unionis relatio inter corpus et animam non est ad animam quomodolibet se habentem, sed ad animam communicantem substantiale suum esse corpori; ita relatio unionis humanae naturae ad hypostasim divinam non est ad hypostasim Filii Dei qualitercumque se habentem, sed ad Filii Dei hypostasim unam personaliter secum, hoc est cum humana natura.

Et quia Auctor in hac responsione ad tertium loquitur de relatione unionis inter naturam humanam et personam Filii Dei, ut clare sonant verba litterae dicentis, *inquantum terminatur ad hypostasim divinam:* – non dixit, *ad naturam divinam,* ut prius * dixerat, sed dixit, *ad hypostasim divinam*: – ideo coniunctionem personalem, seu, quod idem est, unitatem personalem, ex parte termini relationis unionis posuit. Et perinde valet ac si dixisset: *Homo est Deus propter unionem inquantum in illa invenitur secundum rem unitas personalis divinae hypostasis cum humana natura.*

* In corp. art.

Et si expositionem ad verbum desideras, dicito: *Homo est Deus propter unionem,* hoc est, *relationem unionis,* non simpliciter, sed cum ista conditione explanante quomodo apponimus ly *propter* ad relationem unionis, scilicet, *inquantum terminatur ad hypostasim divinam.* Ita quod ly *inquantum terminatur ad hypostasim* diminuit causalitatem relationis: immo adimit causalitatem a relatione, et transfert causalitatem illam ad terminum. Sicut enim cum dicimus quod generationis motus, inquantum terminatur ad substantiam, est in genere substantiae, intendimus quod generatio ratione termini sortitur et dat esse substantiale: ita dum dicitur quod relatio unionis inquantum terminatur ad hypostasim divinam, hoc est, ratione hypostasis divinae ad quam terminatur, dat quod homo est Deus. Et est sermo de hypostasi divina non qualitercumque se habente, sed terminante in rerum natura relationem unionis naturae humanae ad ipsam: hypostasis siquidem divina terminans relationem realem unionis ad ipsam, est hypostasis divina, ut dictum est, non qualitercumque se habens, sed una personaliter cum humana natura. Constat autem evidentissime quod ratione talis termini homo est Deus. Ac per hoc, admitti potuit quod relatio unionis ratione talis termini dat quod homo est Deus. Et consequenter dici vere potuit quod *Deus est homo propter unionem inquantum terminatur ad divinam hypostasim.*

VI. Ad primam igitur obiectionem * dicitur quod falsum supponit: quod scilicet ideo homo propter unionem sit Deus, quia verum est, in communi loquendo, unum extremum unionis esse reliquum quia unio terminatur ad reliquum. Hanc enim universalem nec somniavimus. Sed, ut declaratum est, fundatur veritas dicti in littera super hoc, quia hoc extremum unionis huius est tale, scilicet hypostasis divina una personaliter cum natura humana.

* Num. IV.

Ad secundam quoque dicitur quod homo est Deus secundum substantiam. Esse namque Deum, quod communicatur homini, non est esse relativum, sed in genere seu ordine substantiae. Et quamvis esse aliquid, in communi loquendo, propter terminum relationis praecise, sit esse relativum; esse tamen aliquid ratione talis termini, scilicet personae divinae unius personaliter cum natura humana, non est esse relativum, sed esse divinum.

Et sic patet quod, non extorquendo litteram, sed de unione quoad relationem loquendo, vera est littera.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM IDEM SIT UNIO QUOD ASSUMPTIO

III *Sent.*, dist. v, qu. I, art. I, qu^{a} 3.

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod idem sit unio quod assumptio. Relationes enim, sicut et motus, specificantur secundum terminum. Sed idem est terminus assumptionis et unionis, scilicet divina hypostasis. Ergo videtur quod non differant unio et assumptio.

2. Praeterea, in mysterio incarnationis idem videtur esse uniens et assumens, unitum et assumptum. Sed unio et assumptio videntur sequi actionem et passionem unientis et uniti, vel assumentis et assumpti. Ergo videtur idem esse unio quod assumptio.

* De Fide Orth. lib. III. cap. XI.

3. Praeterea, Damascenus dicit, in III libro *: *Aliud est unio, aliud incarnatio. Nam unio solam demonstrat copulationem: ad quid autem facta est, non adhuc. Incarnatio autem et humanatio determinant ad quem sit facta copulatio.* Sed similiter assumptio non determinat ad quem facta sit copulatio. Ergo videtur idem esse unio et assumptio.

Sed contra est quod divina natura dicitur unita, non autem assumpta.

* Art. praeced.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est *, unio importat relationem [α] divinae naturae et humanae secundum quod conveniunt in una persona. Omnis autem relatio quae incipit esse ex tempore, ex aliqua mutatione causatur *. Mutatio autem consistit in actione et passione. Sic igitur dicendum est quod prima et principalis differentia inter unionem et assumptionem est quod unio importat ipsam relationem: assumptio autem actionem secundum quam dicitur aliquis assumens, vel passionem secundum quam dicitur aliquid assumptum.

* D. 1190.

Ex hac autem differentia accipitur secundo alia differentia. Nam assumptio dicitur sicut in fieri: unio autem sicut in facto esse. Et ideo uniens dicitur esse unitum: assumens autem non dicitur esse assumptum. Natura enim humana significatur ut in termino assumptionis ad hypostasim divinam per hoc quod dicitur *homo:* unde vere dicimus quod Filius Dei, qui est uniens sibi humanam naturam, est homo. Sed humana natura in se considerata, idest in abstracto, significatur ut assumpta: non autem dicimus quod Filius Dei sit humana natura.

Ex eodem [β] etiam sequitur tertia differentia: quod relatio, praecipue aequiparantiae, non magis se habet ad unum extremum quam ad aliud; actio autem et passio diversimode se habent ad agens et patiens, et ad diversos terminos. Et ideo assumptio determinat terminum et a quo et ad quem, dicitur enim assumptio quasi *ab alio ad se sumptio:* unio autem nihil horum determinat. Unde indifferenter dicitur quod humana natura est unita divinae, et e converso. Non autem di-

α) *relationem.* – *quandam* addit tertia.

β) *eodem.* – *eadem* P. Pro *etiam, autem,* BDFH*b*, *enim* I.

citur divina natura assumpta ab humana, sed e converso: quia humana natura adiuncta γ est ad personalitatem divinam, ut scilicet persona divina in humana natura subsistat.

Ad primum ergo dicendum quod unio et assumptio non eodem modo se habent ad terminum, sed diversimode, sicut dictum est *.

* In corpore.

Ad secundum dicendum quod uniens et assumens non omnino sunt idem. Nam omnis persona assumens est uniens: non autem e converso. Nam persona Patris univit naturam humanam Filio, non autem sibi: et ideo dicitur uniens, non assumens δ. – Et similiter non est idem unitum et assumptum. Nam divina natura dicitur unita, non assumpta.

Ad tertium dicendum quod assumptio determinat cui facta est copulatio ex parte assumentis, inquantum assumptio dicitur quasi *ad se sumptio*. Sed incarnatio et humanatio ex parte assumpti, quod est caro, vel natura humana. Et ideo assumptio differt ratione et ab unione, et ab incarnatione seu humanatione.

γ) *adiuncta.* – *adducta* tertia praeter P.
δ) *assumens.* – *quasi ad se sumens, persona autem Filii, quae humanam naturam sibi univit, est* (*dicitur* EG) *uniens et assumens* addunt E et tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo articuli octavi sunt tres termini: *unio, assumptio* et *idem.* Et primus quidem terminus declaratus est in praecedenti articulo; secundus in corpore declarabitur; tertius autem absolute sumendus est, sicut iacet. In calce autem articuli, solvendo *, exprimetur qua diversitate seu differentia sunt non idem: puta reali, vel rationis, vel utraque.

* In resp. ad 3; cf. num. v.

In corpore articuli respondetur quaesito unica conclusione: *Inter unionem et assumptionem triplex est differentia.* Declaratur manifestando singula membra singillatim et ordinate, ita ut processus clarus sit in littera.

Et prima quidem ac principalis differentia est in re formaliter significata. Nam *unio* significat relationem: *assumptio* actionem vel passionem. Et sic sunt in diverso genere: sicut relatio diversum est genus ab actione et passione. Et quod unio significet relationem, in littera non probatur, sed assumitur ex praecedenti articulo. Ex quo, ad manifestandam dictam differentiam, primo probatur in hoc mysterio inveniri secundum rem duo, scilicet ipsam relationem unionis, et actionem et passionem: quia omnis relatio recipiens esse reale ex tempore, causatur ex aliqua mutatione; mutatio autem in actione et passione consistit. Relatio igitur unionis inter naturam humanam et divinam in Christo, cum incoeperit esse secundum rem in natura humana ex tempore, oportet quod ex aliqua causata sit mutatione, quae in aliquo patiente ex aliqua actione sit. Duobus igitur inventis in hoc mysterio, scilicet relatione unionis et actione et passione, cum unio significet relationem, consequens est quod assumptio significat actionem vel passionem. Et manifestatur consequentia: quia assumptione aliquis dicitur assumens, tanquam agens; et aliquid dicitur assumptum, tanquam patiens.

Secunda autem differentia est, quia assumptio dicitur sicut in fieri: unio autem sicut in facto esse. Probatur ex signo, seu effectu: quia uniens dicitur esse unitum, assumens autem non dicitur esse assumptum; hoc est, *unitum* praedicatur de uniente, dicendo, *hoc est illud; assumptum* autem non sic praedicatur de assumente. Et quod hoc derivetur ex dicta differentia, manifestatur quia inter ly *homo* et ly *natura humana* haec est differentia, in mysterio incarnationis, quod *homo* significat naturam humanam ut in termino assumptionis: constat autem terminum assumptionis spectare ad incarnationem ut in facto esse. *Natura* vero *humana* significat naturam humanam ut quae assumitur: quod constat spectare ad incarnationem ut in fieri. Dicimus autem quod uniens, scilicet Filius Dei, est homo: et non dicimus quod idem assumens est natura assumpta.

Tertia vero differentia est quod assumptio determinat terminum a quo et ad quem: unio autem nihil horum determinat. Huius differentiae primo redditur ratio ex prima: quia relatio aequiparantiae non magis se habet ad unum extremum quam ad aliud; actio autem et passio diversimode se habent ad agens et patiens, et ad diversos terminos. Ex hoc enim sequitur quod, cum unio sit relatio aequiparantiae, nullum extremorum determinet: assumptio autem, quia est actio vel passio, determinare potest sibi terminos a quo et ad quem. – Secundo, manifestatur de assumptione ex etymologia nominis. – Tertio, manifestatur ex signo: scilicet quod indifferenter unum extremum dicitur unitum alteri, non autem assumptum; – ut patet in littera clare.

II. Circa haec dubium primo occurrit de prima differentia *. Nam non solum assumptio, sed etiam unio significat actionem. Quod etiam ex littera probatur, dum dicitur quod *uniens dicitur esse unitum;* et, *Filius est uniens sibi naturam humanam;* et in responsione ad secundum, quod *persona Patris univit naturam humanam Filio.* Certum est enim quod unire est agere, et ideo commune est Patri et Filio et Spiritui Sancto: et similiter quod uniens est agens. Ruit igitur differentia prima.

* Cf. num. vii.

III. Dubium secundo occurrit de secunda differentia *. Quia aut intelligitur quoad rem significatam: aut quoad modum significandi. Non quoad modum significandi: quia tam unire quam assumere significat per modum verbi; omne autem verbum significat per modum fluxus et fieri. – Nec quoad rem significatam: quia natura humana, de qua verificatur quod est unita, non praedicatur de quocumque uniente; quia nec Deus, nec Filius est natura humana.

* Cf. num. viii.

IV. Dubium tertio occurrit de eo quod in tertia differentia dicitur unionem hanc esse relationem aequiparantiae *. Quia constat ex praecedenti articulo esse relationem in et ex altero tantum extremo: quoniam in sola natura humana habet esse. Relatio autem aequiparantiae, ut ipsum nomen sonat, aeque se habet ad utrumque extremum.

* Cf. num. ix.

V. Dubium quarto occurrit, qualis sit differentia inter unionem et assumptionem: an rationis tantum, an etiam realis *. Et est ratio dubii quia in littera, in calce responsionis ad tertium, concluditur quod *assumptio differt ratione ab unione et incarnatione:* clarumque videtur quod assumptio non differt realiter, sed ratione tantum, ab incarnatione. Cum ergo simul contraponantur assumptioni, sola rationis differentia apparet.

* Cf. num. x.

In oppositum autem est, quia actio et passio distinguuntur realiter a relatione consequente coniunctum quod per actionem et passionem fit. Sed assumptio et unio sic se habent. Ergo.

VI. Dubium quinto est de termino assumptionis *: ad quid scilicet terminatur, ac quis est proprius terminus assumptionis; an absolutum aliquod, vel relativum. Et est ratio dubii ex parte rei, quia per istam actionem nullum absolutum fit in persona divina: et similiter nullum absolutum ponitur in natura humana. Sed nec etiam in persona divina realis relatio acquiritur: sed in sola natura humana fit de novo solummodo relatio realis unionis ad personam Filii. Constat autem quod terminus actionis proprius est illud ens quod fit per actionem illam. Sola igitur relatio realis unionis huius naturae humanae ad personam

* Cf. num. xi.

Filii est terminus proprius actionis et passionis assumptionis nomine importatae.

Ratio vero dubii ex parte nostra est, quia doctores aliqui hoc dicunt. Scotus enim, in III *Sent.*, dist. I, qu. I *, tenet huiusmodi assumptionem terminari ad relationem unionis, quia nullum est ibi absolutum novum, tam in natura quam in persona: ponens hanc relationem non spectare ad genus relationis, sed esse de genere respectuum extrinsecus advenientium, qui scilicet non necessario sequuntur fundamentum, etiam posito termino; quales dicit * esse unionis respectus inter animam et corpus, si praeexistentia seorsum unirentur de novo; et panis et quantitas Sacramenti unirentur. Nullum enim absolutum in huiusmodi unionibus acquireretur fundans unionis relationem, sed ad solam unionis relationem terminaretur actio unitiva.

* Art. I, et in resp. ad dubit. cont. art. 3.

* In resp. ad dubit. cont. art. 3.

Durandus quoque, in III *Sent.*, dist. V, qu. II, tenet actionis quae assumptionis nomine significatur, proprie loquendo, terminum intrinsecum esse respectum unionis: quem dicit esse, non relationis genericae, sed modum quendam realem, sicut inhaerere est modus realis consequens naturam accidentis. Ad huiusmodi namque respectus dicit posse esse motum et actionem naturalem: quamvis ad unionem naturae humanae in persona divina, sola divina actio potuerit terminari.

In oppositum autem est quod Auctor hic dicit, in calce corporis articuli, quod *assumptio determinat pro termino ad quem personalitatem divinam, ut scilicet persona divina in humana natura subsistat.* Constat autem hoc non esse respectum, sed esse absolutum, utpote de genere seu ordine substantiae. Ergo.

VII. Ad primum dubium * dicitur quod prima differentia optima est, quantum ad formale significatum. Ad cuius evidentiam, considerandum est fundamentum in littera positum: scilicet quod in mysterio incarnationis, quantum ad propositum spectat, duo tantum inveniuntur, scilicet actio et passio, et relatio unionis; et quod relatio unionis non fit alia actione et passione ab illa actione et passione quam significat assumptio, sed illa actio quae est assumere factio est unionis; non curando pro nunc de modo quo fit unionis relatio per actionem illam, hoc enim ad quintum dubium spectat. Huic enim fundamento si supponas quod ly *unio* est et nomen, dum declinatur *haec unio, unionis;* est et verbum, dum dicimus, *unio, unis, univi, unitum;* et quod idem formaliter significat ut nomen et ut verbum, sicut *similitudo* et *assimilare:* videbis quod, quia nomen *unionis* formaliter significat relationem, etiam verbum *uniendi* significat formaliter relationem; significat enim *unire* « *unionem facere* », sicut *assimilare* « *similitudinem facere* ». Si namque diligentius ad positum fundamentum retuleris significatum hoc, scilicet *facere unionem,* clare perspicies quod, cum ly *facere* illam supponat actionem quam assumptio significat, inter unionem et assumptionem hanc primo invenies differentiam, quod *assumptio* actionem et passionem formaliter explicat quae in incarnatione invenitur, *unio* vero, et *unire* inde derivatum, formaliter relationem explicat, quamvis *unire* per modum actionis significet illam relationem. Conceditur ergo quod in communi *unio* verbum significat actionem, hoc est *unionem facere.* Sed quia in proposito ly *facere* non dicit actionem propriam ipsius relationis distinctam contra actionem significatam per ly *assumere,* ideo et vera est differentia prima assignata in proposita materia, quod *unio* significat formaliter relationem, *assumptio* actionem vel passionem: et verum simul est quod *unire* significat actionem eandem ut terminatur ad relationem, significat enim *unionem facere.* Et propterea toti Trinitati attribuitur unire et esse unientem: ut in littera dicitur.

* Num. II.

VIII. Ad secundum dubium * dicitur quod differentia secunda intelligitur quoad rem significatam: quia scilicet res significata per *unire,* hoc est, *facere relationem unionis,* non est nisi ut in facto esse; quia non est nisi in termino assumptionis. Intelligi enim oportet prius natura terminari assumptionem quam consurgat assumpti relatio unionis, quoniam non unitur nisi per assumptionem: sicut oportet prius natura terminari dealbationem quam consurgat unio albedinis cum subiecto. Quia igitur assumere ut assumere, est efficax sicut via; et assumere ut est facere unionem, efficax non nisi in termino invenitur: ideo ex parte rei differentia secunda posita est quod assumere dicitur ut in fieri, unire autem ut in facto esse. – Nec effectus allatus hic in littera intelligendus est universaliter, ut obiectio opponit: quoniam constat ex littera non esse verum universaliter quod uniens est unitum; Pater enim est uniens, et non est unitum, quia non est homo. Sed est intelligendus permissive: hoc est, quod hinc provenit quod permittitur aliquod uniens esse unitum, si tamen significatur ut in facto esse ut in termino. Et propterea in littera caute dicitur: *Unde vere dicimus quod Filius Dei, quia est uniens sibi naturam humanam, est homo.* Assumens autem nec universaliter nec particulariter est assumptum: quoniam assumptum oportet ordine naturae praeexistere; nulla autem persona divina aut natura est id quod praeexistit assumptioni, quod per naturam in abstracto significatur.

* Num. III.

IX. Ad tertium dubium * dicitur quod relatio unionis dupliciter considerari potest: scilicet realiter, et formaliter. Et si consideretur secundum esse formale, hoc est secundum suam rationem formalem, sic procul dubio est relatio aequiparantiae: sicut similitudo, aequalitas et identitas. Si vero consideretur secundum esse reale, sic non est relatio aequiparantiae, ut obiectio probat. Unde secundum diversas considerationes diversimode contingit loqui de huiusmodi relationibus inter creaturam et Deum: quia quandoque negantur esse relationes aequiparantiae, et verum est realiter; et quandoque affirmantur, et verum est formaliter. Sane igitur ac discrete intellige diversa quae contraria apparent dicta, ut non sint contraria. * Num. IV.

X. Ad quartum dubium * dicitur quod assumptio differt et re et ratione ab unione et ab unire, quamvis sola ratione differat ab incarnatione et humanatione. Et quidem quod distinguatur realiter ab unione, patet ex hoc quod tam actio quam passio significata assumptionis nomine, distinguitur realiter a relatione unionis consequente. Et ne ambiguitas aliqua restet de assumptione passiva, probatur: quia assumptio passiva importat relationem causalitatis passivae, et denotat, ut ita dixerim, *hominem Deum fieri ut ab hoc,* ita quod relatio importata per assumptionem passivam est ly *ab hoc;* quoniam, secundum rem, est relatio qua natura humana a tota Trinitate elevata est ad esse divinum. Relatio autem unionis est naturae humanae ad Filium Dei primo, et ad naturam divinam consequenter: et non est relatio causalitatis passivae, alioquin communiter esset ad totam Trinitatem. * Num. V.

Quod vero distinguatur realiter ab unire, ideo dixi, et verificatur, non secundum ipsas actiones, sed secundum terminos. Quoniam proprius terminus eius actionis quae est assumere, realiter differt a proprio termino actionis quae est facere relationem unionis ut sic, ut in sequenti patebit dubio *: quamvis unum et idem sit facere quod per assumere et unire importatur, ut praedictum est *, quod per se primo terminatur ad proprium terminum assumptionis, et ex consequenti ad unionis relationem, ut nunc nunc patebit. * Num. seq. * Num. VII.

Quod vero sola ratione differat ab humanatione et incarnatione, patet: quia eadem est actio, idem terminus, diversimode, ut in littera dicitur, explicatus.

Ex hoc autem quod in littera dicitur quod unio differt ratione ab assumptione, aut e converso, non habetur quod differant sola ratione, sicut reliqua quibus connumeratur. Ad veritatem siquidem litterae sufficit quod differant ratione: et non exigitur quod sola.

XI. Ad quintum dubium * dicitur quod assumptio habet pro termino suo, propriissime loquendo, ens absolutum super quod fundatur relatio unionis. Est autem illud ens absolutum non persona Filii Dei sola, non haec natura humana sola, sed *Filium Dei esse hominem.* Quoniam nec persona divina, nec haec natura humana fit per assumptionem (quamvis fuerit simul facta cum assumptione): sed Filium Dei esse hominem fit per assumptionem; et, ita fit quod est primum esse quod per assumptionem fit, * Num. VI.

et ad quod assumptio primo tendit; acquisivit enim Filius Dei per assumptionem esse hominem. Quod est esse in genere substantiae: et non in genere relationis aut cuiusvis respectus.

Et ad hoc esse per se primo incarnationem ordinari patet ex Symbolo Fidei *, dum dicitur de Filio Dei: *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est.* Hinc enim clare patet quod tam actio quam passio quae in incarnatione intervenit, ad hoc per se primo ordinata et terminata est quod *Filius Dei factus est homo:* procul dubio non relative, sed substantialiter; alioquin non esset homo; non enim est vere homo qui non est substantialiter homo, cum esse hominem sit esse substantiam animatam sensibilem rationalem, et non sit relative tantum se habere ad substantiam animatam sensibilem rationalem.

* Nicaeno-Constantinop.

Et quia constat, praesupposito hoc esse absoluto, relationem unionis fundari super hoc esse, ideo dicendum est quod ad relationem unionis in hoc mysterio nulla actio aut passio, nulla mutatio per se primo terminatur, ut Auctor expresse dicit in III *Sent.*, dist. II, qu. II, art. 2, qa 3: sed est vera relatio, more aliarum relationum, non producta per seipsam, iuxta doctrinam V *Physic.* *, sed consurgens ex novo esse absoluto facto ex assumptione.

* Cap. II, n. 1. - S. Th. lect. III.

Unde negare relationem unionis habere fundamentum absolutum, ita quod per incarnationem nullum ens absolutum factum est; et cum hoc dicere quod Filius Dei est factus homo et est vere homo secundum rem; est ignorare propriam vocem, et confiteri cum sententia fidei verbis solis quod Deus est homo substantialiter; cum Nestorio autem consentire secundum rem quod Deus est homo accidentaliter et secundum esse relativum. – Est et amplecti secundum verba Decretalem * damnantem dicentes *Christum, secundum quod homo, non esse aliquid:* et refutare eam secundum rem. Quia, si solum esse relativum fit de novo in mysterio incarnationis, Filius Dei, secundum quod homo, non *aliquid,* sed *ad aliquid* est.

* Cap. *Cum Christus, de Haeret.*

XII. Ut autem negantium unionis relationem habere novum esse absolutum factum per incarnationem pro fundamento, et similiter assumptionem terminari ad novum esse absolutum substantiae, scilicet Filium Dei esse hominem, error convincatur, ex fundamentis eorum in philosophia monstratur. Manifestum siquidem est quod, si albedo et subiectum seorsum praeexisterent, et similiter panis et quantitas, et similiter anima et corpus, et postea unirentur, relatio unionis inter ea super novo esse absoluto consurgeret. Cuius oppositum ab adversariis assumitur ad propositum. Nec hoc quod dicimus eget probatione, sed manifestatione. Constat enim quod subiectum in primo exemplo acquireret de novo esse album, et in secundo esse quantum, et in tertio esse vivum: nec potest infitiari quin quodlibet horum esse sit et esse absolutum, et de novo per actionem unitivam factum. Patet igitur quod relatio unionis est vere relatio de genere relationis, conveniens cum illis in modo essendi et fiendi. – Et ex his patet solutio omnium obiectorum.

XIII. Et si contra praedictam sententiam afferantur duae rationes Scoti, ibidem *, contra absolutum fundans relationem unionis: *primo,* quia illud absolutum necessario esset unitum Verbo, si est; nulla enim videtur talis entitas in creatura; *secundo* *, quia talis entitas aut esset substantialis, aut accidentalis; non accidentalis, ut patet; nec substantialis, quia esset eadem materiae, aut formae, aut compositae substantiae; sed quidquid est idem alicui substantiae, manet manente illa; natura igitur assumpta, si dimitteretur a Verbo, retineret illud; ac per hoc, esset fundamentum unionis absque unione: – respondendum ex dictis * est quod, ut dicitur VII *Metaphys.* **, non fit sphaera, non fit aes, sed fit *sphaera aenea;* et similiter in proposito non fit Filius Dei, non fit humana natura, sed fit *Filius Dei homo.* Et similiter sicut, si albedo et Socrates unirentur, acquireret de novo Socrates esse album, et, si postea separarentur tam Socrate quam albedine seorsum conservatis, amitteret Socrates esse album, ita quod, licet non corrumperetur albedo, corrumperetur tamen *esse album,* sicut in unione non generaretur albedo, sed esse album (esse enim album significat esse absolutum in compositione consistens, quod generatur et corrumpitur per unionem et separationem); et similiter, si corpus et anima separatim existentia unirentur, acquireret corpus esse vivum, et, si postea separarentur utroque seorsum conservato, amitteret corpus esse vivum, quod est esse substantiale in compositione consistens: ita in proposito, quia Filius Dei acquisivit per assumptionem esse hominem, proportionaliter loquendo, si separaretur natura humana a Filio, amitteret Filius Dei esse hominem, quod acquisierat, quod constat esse absolutum ens substantiale in compositione consistens. Et loquor non de compositione animae et corporis, quam esse praesupponit: sed de compositione naturae et suppositi, in qua consistit esse hominem; oportet enim aliquem hominem esse hominem, et impossibile est etiam fingere esse hominem in rerum natura nisi aliquem hominem. Ita igitur, quantum ad propositum spectat, se habet esse hominem ad Filium Dei, qui vere est homo, sicut se habet esse vivum ad corpus, seu esse album ad subiectum. Et similiter ita se habet natura humana ad eundem Dei Filium, sicut anima ad corpus et albedo ad subiectum. Et propterea, ut iam dictum est, quemadmodum generatur ex unione et corrumpitur ex separatione, non albedo nec subiectum, sed esse album; et similiter non anima nec corpus, sed esse animatum et esse vivum: ita ex vi assumptionis non fit Filius Dei, non fit natura humana, sed fit esse hominem, non in communi, sed hunc. Et similiter, si separaretur natura humana, corrumperetur non natura humana, sed esse hominem hunc. Nam, si sibi relinqueretur natura humana, non esset idem homo, sed alius homo fieret, qui in natura illa subsisteret: non enim Christus subsisteret in illa natura, sed alius homo.

* Loc. cit. num. VI, in resp. ad dubit. cont. art. 3.

* Cf. num. seq.

* Num. XI.
** S. Th. lect. VII. - Did. lib. VI, cap. VIII, n. 1.

Unde, si verbaliter etiam desideras respondere, habes quod esse hominem est illa entitas absoluta quae fundat relationem unionis in mysterio incarnationis: et quod ista entitas, si est, necessario est unita Verbo. Impossibile est siquidem inveniri idem esse hominem separatum a Verbo, quamvis possit inveniri eadem natura humana separata a Verbo: quoniam esse hominem numeratur ad numerationem individuorum hominis. Si enim natura humana separaretur a Verbo, eo ipso quod fieret et esset alius homo, esset aliud numero esse hominem quo ille alius esset homo, et aliud quo nunc Verbum Dei est homo: quoniam, ut iam dictum est, esse hominem in compositione naturae et suppositi consistit; ac per hoc, variato supposito, variabitur numeraliter. Sicut, si albedo migraret de subiecto in subiectum, esset aliud et aliud numero esse album, iuxta numerum subiectorum; et similiter, si anima migraret de corpore in corpus, esset aliud et aliud numero esse vivum, iuxta numerationem corporum: eadem ratione, quia in compositione haec omnia consistunt, et diversitas numeralis diversitatem subiectorum seu suppositorum comitatur. Et sic patet quod est aliqua entitas absoluta quae quodammodo est in natura creata, scilicet humana natura Christi, scilicet esse hominem, quae, si est eadem numero, necessario est unita personae divinae.

XIV. Ad secundam autem obiectionem * dicitur quod ista entitas est substantialis: et identificatur substantiae compositae, hoc est, huic homini; non autem huic naturae humanae. Et ideo, si haec natura assumpta dimitteretur, non remaneret relatio unionis: quia nec remaneret hic homo idem numero. Et sicut stat quod remaneret haec eadem numero natura humana, et non remaneret idem hic homo, sed esset alius numero homo, alia numero substantia composita, de prima substantia, non de quidditate loquendo: ita stat quod natura assumpta potest dimitti, non remanente eodem hoc homine. Immo implicat contradictoria remanere eundem hunc hominem et naturam assumptam dimitti: quia tunc in natura dimissa subsisteret alius homo et non Christus; et subsisteret Christus et non alius homo. Et error processus Scotici est ex eo quod substantia composita est duplex, scilicet natura et individuum, scilicet haec humanitas et hic homo: nec oportet illud quod est idem substantiae compositae, hoc est, huic

* Num. praeced.

homini, esse idem huic humanitati. Et ideo non oportet, remanente humanitate hac, si dimitteretur, remanere id quod est idem huic homini: quale est esse hominem inventum in hoc homine qui est Christus.

XV. Et haec dicta sint loquendo de termino assumptionis secundum rem, hoc est, actionis et passionis intellectae per nomen assumptionis. Nam loquendo de termino assumptionis ut importatur in vocabulo assumendi, remitto te ad litteram, quod natura humana est ut terminus a quo, et persona divina est ut terminus ad quem. Quae ideo pro novitiis dixerim ut non putent doctrinam datam a verbis Auctoris discrepare: sed attendant quod secundum varias considerationes varie assignari potest terminus. Nos autem ad rem spectavimus: ut actioni reali, et effectui tam excellenti, suum proprium ac primo terminum in re realem assignaremus. Et licet non manifestaverimus quomodo quod dictum est, sit; manifestavimus tamen ex fidei doctrina quod ita est. Et hoc sufficere debet in tanto mysterio; quod, ut Augustinus dicit *, *si rationem haberet, non esset admirabile; et si exemplum haberet, non esset singulare.* Et ideo caute exempla accipienda sunt: ut scilicet utcumque percipiamus mysterii altitudinem, nec metiamur illud viribus ingenioli humani. * Ep. CXXXVII, al. III, ad Volusian., cap. II.

ARTICULUS NONUS

UTRUM UNIO DUARUM NATURARUM SIT MAXIMA UNIONUM

III *Sent.*, dist. V, qu. I, art. 1, qu^a 2.

Ad nonum sic proceditur. Videtur quod unio duarum naturarum [α] non sit maxima unionum. Unitum enim deficit [β] in ratione unitatis ab eo quod est unum: eo quod unitum dicitur per participationem, unum autem per essentiam. Sed in rebus creatis aliquid dicitur esse simpliciter unum: sicut praecipue patet de ipsa unitate quae est principium numeri. Ergo huiusmodi unio de qua loquimur, non importat maximam unitatem.

2. Praeterea, quanto ea quae uniuntur magis distant, tanto minor est unio. Sed ea quae secundum hanc unionem uniuntur, maxime distant, scilicet natura divina et humana: distant enim in infinitum. Ergo huiusmodi est minima unio.

3. Praeterea, per unionem aliquid fit unum. Sed ex unione animae et corporis in nobis fit aliquid unum in persona et natura: ex unione autem divinae et humanae naturae fit aliquid unum solum in persona. Ergo maior est unio animae ad corpus quam divinae naturae ad humanam. Et sic unio de qua loquimur, non importat maximam unitatem.

Sed contra est quod Augustinus dicit, in I *de Trin.* *, quod *homo potius est in Filio quam Filius in Patre.* Filius autem est in Patre per unitatem essentiae: homo autem est in Filio per unionem incarnationis. Ergo maior est unio incarnationis quam unitas divinae essentiae. Quae tamen est maxima unitatum [γ]. Et sic, per consequens, unio incarnationis importat maximam unitatem. * Cap. x.

Respondeo dicendum quod unio importat coniunctionem aliquorum in aliquo uno. Potest ergo unio incarnationis dupliciter accipi: uno modo, ex parte eorum quae coniunguntur; et alio modo, ex parte eius in quo coniunguntur. Et ex hac parte huiusmodi unio habet praeeminentiam inter alias uniones: nam unitas personae divinae, in qua uniuntur duae naturae, est maxima. Non autem habet praeeminentiam ex parte eorum quae coniunguntur.

Ad primum ergo dicendum quod unitas personae divinae est maior quam unitas numeralis, quae scilicet est principium numeri. Nam unitas divinae personae est unitas [δ] per se subsistens, non recepta in aliquo per participationem: est etiam in se completa, habens in se quidquid pertinet ad rationem unitatis. Et ideo non competit sibi ratio partis, sicut unitati numerali, quae est pars numeri, et quae participatur in rebus numeratis. Et ideo quantum ad hoc unio incarnationis praeeminet unitati numerali, ratione scilicet unitatis personae. Non autem ratione naturae humanae, quae non est ipsa unitas personae divinae, sed est ei unita.

Ad secundum dicendum quod ratio [ε] illa procedit ex parte coniunctorum: non autem ex parte personae in qua est facta unio.

Ad tertium dicendum quod unitas divinae personae est maior unitas quam unitas et [ζ] personae et naturae in nobis. Et ideo unio incarnationis est maior quam unio animae et corporis in nobis.

Quia vero id quod in contrarium obiicitur * falsum supponit, scilicet quod maior sit unio incarnationis quam unitas personarum divinarum in essentia, dicendum est ad auctoritatem Augustini quod humana natura non est magis in Filio Dei quam Filius Dei in Patre, sed multo minus: sed ipse homo, quantum ad aliquid, est magis in Filio quam Filius in Patre; inquantum scilicet idem supponitur in hoc quod dico *homo*, prout sumitur pro Christo, et in hoc quod dico, *Filius Dei;* non autem idem est suppositum Patris et Filii. * Arg. *Sed contra.*

α) *naturarum.* – *in Christo* addit P.
β) *deficit.* – Tertia; *differt.*
γ) *unitatum.* – *unionum* editiones.
δ) *unitas.* – *increata* addit tertia praeter pE.
ε) *ratio.* – E et tertia; *unitas.*
ζ) *et.* – Om. CFsE et *abc.*

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo articuli noni, adverte primo quod, cum iam distinctum sit * de unione vel pro relatione unionis, vel pro coniunctione ad quam consequitur relatio unionis, hoc in loco non sumitur unio pro relatione, sed pro coniunctione ipsa: ut patet in principio corporis articuli; et ex conditione quae de ipsa inquiritur, scilicet de excellentia eius respectu reliquarum coniunctionum. Ridiculum enim est hoc quaerere de relatione nisi ratione fundamenti: nam, seclusa ratione fundamenti, nulla unionis relatio est maior altera; sed ideo unio materiae et formae est maior unione substantiae et accidentis, quia fundamentum est magis indivisum, ut patet.

* Art. 7; cf. Comment. num. I.

Adverte secundo, quod non quaeritur explicite de unione naturae et personae, utrum sit maxima: sed *de unione naturarum in persona*. Veruntamen et hoc in responsione ad ultimum * tractabitur.

* Resp. ad 3.

II. In corpore articuli duo fiunt: primo, ponitur distinctio bimembris; deinde respondetur quaesito cum distinctione iuxta membra propositae distinctionis. Est autem distinctio ista. Unio incarnationis dupliciter consideratur: vel ex parte naturarum coniunctarum; vel ex parte eius in quo coniunguntur. – Probatur distinctio. Quia unio claudit in se duo: primo, extrema quae iunguntur; secundo, unum in quo coniunguntur; est enim unio coniunctio aliquorum in aliquo uno.

Principalis conclusio responsiva quaesito est: *Unio naturarum in Christo, ex parte eius in quo uniuntur, est maxima.* Probatur. Quia unitas divinae personae, in qua uniuntur, est maxima. – Secundaria conclusio est: *Huiusmodi unio, ex parte naturarum quae coniunguntur, non est maxima.* Nec aliter probatur.

III. Circa distinctionem in littera assignatam dubium non dissimilandum occurrit: quoniam videtur deficiens *. Quia coniunctio aliquorum in aliquo uno potest accipi non solum ex parte eorum quae coniunguntur, vel ex parte eius in quo coniunguntur: sed etiam ex parte coniunctionis extremorum in illo uno. Verbi gratia, coniunctio corporis et animae in Socrate potest accipi ex parte animae et corporis; vel ex parte Socratis; vel ex parte coniunctionis illorum in Socrate. Et in littera hoc tertium membrum deficit. Et tamen hoc est principalius membrum in proposito considerandum. Quoniam non dicitur, proprie loquendo, unio maior ex parte extremorum, nec ex parte termini: sed ex parte coniunctionis extremorum in termino. Contingit siquidem in Socrate coniungi multa accidentia, quae, licet ex parte eius in quo coniunguntur, scilicet persona Socratis, habeant maximam unitatem, non tamen propterea sunt maxime unum: quia coniunctio ipsa in Socrate non est maxima, sed minima.

* Cf. num. V.

IV. Dubium secundo oritur hinc circa conclusionem principalem *: quoniam non nisi abusive salvatur ex illa unionem incarnationis esse maximam post unionem Trinitatis divinae; quod tamen et Auctor salvare nititur in littera, et Bernardus, in Libro *de Consideratione* *, asserit. Et probatur sequela. Quoniam non nisi abusive diceretur quod unio creaturarum universi est maxima quia ex parte eius in quo uniuntur est maxima, quia unitas Dei, in quo uniuntur, est maxima unitas. Ita enim dicitur in littera quod divinae humanaeque naturae unio in Christo est maxima ex parte eius in quo uniuntur, quia unitas divinae personae, in qua uniuntur, est maxima. Et similiter non solum unitas naturarum divinae et humanae esset maxima: sed etiam unio accidentium Christi, puta visus et auditus, esse albi et crispi, esset maxima ex parte eius in quo uniuntur, quia uniuntur in persona divina, cuius unitas est maxima. Hoc enim non est salvare unionem incarnationis esse maximam nisi abusive, ut patet.

* Cf. num. VI.

* Lib. V, cap. VIII.

Et multiplicatur dubium ex Durando, in v dist. III *Sent.*, qu. III, dicente unionem incarnationis esse maximam quantum ad dignitatem: et non quantum ad intrinsecam rationem unionis *. Et hoc secundum probat, quia illa unio est quantum ad rationem unionis maxima, cuius extrema magis et intimius efficiunt vel efficiuntur unum. Sed extrema multarum unionum, et non incarnationis, sunt talia. Ergo. – Maior probatur: quia unione, ut sic, aliqua sunt unum; ratio autem unius est ratio indivisi. – Minor vero: quia materia et forma constituunt unum per essentiam, et unum est inseparabile ab alio, manente consistentia; non sic autem constat esse extrema incarnationis. – Unde glossat Durandus Bernardum, quod intelligitur de maxima unione quantum ad dignitatem.

* Cf. num. VII.

V. Ad hanc quaestionem * respondetur quod distinctio male intelligitur. Nam neutrum distinctionis membrum accipiendum est secundum se. Ita quod, cum distinguitur coniunctionem posse accipi ex parte extremorum vel ex parte termini, non intelligitur ex parte extremorum secundum se, et similiter non intelligitur ex parte termini secundum se: sed, quemadmodum primum membrum intelligitur ex parte extremorum *inter se,* ita secundum intelligitur ex parte termini *ut coniungentis.* Et sic non deficit tertium membrum: sed tertium membrum est id quod distinguitur in primum et secundum; nam coniunctio ipsa duorum in aliquo uno distinguitur quia accipi potest ex parte extremorum inter se, vel ex parte eius in quo coniunguntur ut sic. Verbi gratia, coniunctio animae et corporis in homine potest dupliciter accipi: primo, ex parte animae et corporis, non secundum se (sic enim valde distant), sed inter se, quia inter se iunguntur ut actus substantialis et potentia; alio modo, ex parte eius in quo iunguntur, inquantum iunguntur in illo, puta inquantum sunt in una natura composita, puta humanitate, vel inquantum sunt in una persona, puta Socrate. Et hic est verus sensus distinctionis litterae. Obiectiones autem procedunt contra alium sensum, quo sumuntur extrema quae iunguntur, secundum se, et id in quo iunguntur, secundum se. Et ideo non est mirum si deficit; si deducit ad inconvenientia; et si non salvat intentum nisi abusive.

* Num. III.

VI. Ex his patet solutio secundi dubii *. Nam sensus litterae est quod naturae divinae et humanae, quae in mysterio incarnationis uniuntur, coniunctio dupliciter potest accipi: vel ex parte naturarum inter se: – et sic per se nota relinquitur pars negativa: sicut vere est per se nota, quia inter se non uniuntur nisi sicut causa et instrumentum causae, ubi constat non esse maximam unionem; – vel ex parte eius in quo uniuntur, hoc est, ex parte personalis coniunctionis quam obtinent in una persona divina. Hoc enim idem est ac dicere, ex parte personae divinae in qua coniunguntur ut sic. Hoc enim idem est ac dicere ex parte personae divinae inquantum est persona utriusque naturae. Hoc enim est accipere coniunctionem ex parte eius in quo iunguntur ut sic: hoc est, formaliter loquendo. Quocirca quia, ut patet ex prius * dictis, uniuntur in persona divina substantialiter, et non accidentaliter, ut accidentia Christi; et uniuntur substantialiter non ut partes, ut manus et caput, sed ut totum, ut natura ipsa, ut haec humanitas unitur Socrati; et uniuntur non solum substantialiter absque partium imperfectione, sed sic substantialiter uniuntur in una simplicissima et indivisibilissima ac incomponibili unitate substantiali personali communi utrique naturae: – ut superet merito omnem aliam unionem quorumcumque in alio ut sic. Ita quod, licet anima et corpus Socratis uniantur substantialiter et in una natura humanitatis et in una persona Socratis, non tamen magis, sed pluribus modis uniuntur quam natura divina et humana in Christo, quia uniuntur et in natura et in persona, istae autem uniuntur tantum uno modo, scilicet in persona. Sed unio haec in isto uno modo est maior quam sit illa in utroque: quia in mysterio incarnationis unitas communis extremis, secundum quam propriissime et formaliter quantificatur coniunctio in tertio, est unitas personalis simplicissima et incomponibilis et indivisibilissima, ad quam constat quod nec unitas personalis Socratis, nec unitas essentialis humanitatis, nec ambae simul ascendunt, ut patet.

* Num. IV.

* Art. 4, Comment. num. VII, IX; art. 6.

Notanter autem dixi, *unionem in alio.* Dixi enim hoc ad praeservandum doctrinam hanc ab unione aliquorum inter se: quoniam, ut in littera patet, non ex hac parte, sed solum ex parte unionis in aliquo uno, unio naturarum in Christo est maxima. Si tamen unio haec incarnationis perspiciatur ut est duorum inter se, scilicet personae divinae et humanae naturae, sic etiam invenitur maxima et excedens omnes alias uniones, propter dictam rationem. Et secundum quid excedit unionem Trinitatis: ut dicitur in responsione ad ultimum * [* Resp. ad arg. *Sed contra.*], ex Augustino, quia *homo potius est in Filio Dei quam Filius in Patre;* quia scilicet idem est suppositum hominis et Filii Dei, non est autem idem suppositum Patris et Filii. Appellatur autem secundum quid maior hinc ista unitas, quia *homo* importat utrumque, naturam scilicet humanam et suppositum: et non quoad naturam significatam, sed quoad suppositum tantum est magis in Filio quam Filius in Patre. Merito autem quod secundum aliquid sui est magis unum, et secundum aliquid minus unum, appellatur secundum quid, et non simpliciter magis unum. – Et per haec patet expositio litterae totius articuli.

VII. Ad Durandum * [* Num. iv, *Et multiplicatur.*] autem dicitur quod extorquet Bernardi sententiam, et vilificat eam. De unione enim inquantum unio, secundum ipsam rationem unionis, loquitur Bernardus, praeponens unionem Trinitatis: quae non esset praeponenda quoad dignitatem, quia tota Trinitas non est dignior persona Filii. Formaliter igitur Bernardus; formaliter et Auctor loquitur; formaliter et nos intelligimus, atque salvamus unionem incarnationis esse, post unitatem Trinitatis, maximam simpliciter.

Et cum dicitur, *Illa sunt magis unum quorum extrema magis et intimius constituunt unum,* dicitur quod addendum est huic propositioni: *vel sunt unum inter se, vel in tertio.* Alioquin, negetur: quia voluntaria est. Nam ex intrinseca ratione unionis et unius nihil aliud habetur quam quod unita aut fiunt aut sunt unum, hoc est indivisa, inter se vel in tertio. Personae enim divinae non fiunt, sed sunt unum in tertio, hoc est in divina essentia. Et similiter in proposito duae naturae sunt unum in persona divina, et natura humana est una personaliter cum persona divina. – Et sic negatur minor, scilicet quod materia et forma magis et intimius sunt unum in essentia humanitatis: non enim est minus unum unum in persona substantialiter et simplicissima, quam unum in substantia et persona composita. – Et cum probatur ex inseparabilitate, respondetur quod etiam hic non potest fieri separatio, salva consistentia omnium extremorum. Quoniam si humana natura separaretur a Verbo, non esset idem, sed alius homo: et similiter persona divina amitteret esse hominem. Constat autem quod tam esse hominem est esse substantiale, quam esse alium hominem est esse aliam substantiam.

Et si haec apparent mirabilia et incomprehensibilia nobis, non propterea sunt reiicienda: sed credenda et veneranda.

ARTICULUS DECIMUS

UTRUM UNIO INCARNATIONIS SIT PER GRATIAM

Infra, qu. vi, art. 6; III *Sent.*, dist. xiii, qu. iii, art. 1; *De Verit.*, qu. xxix, art. 2; *Ad Coloss.*, cap. ii, lect. ii.

Ad decimum sic proceditur. Videtur quod unio incarnationis non sit per gratiam. Gratia enim est accidens quoddam: ut in Secunda Parte * [* Iª IIªᵉ, qu. cx, art. 2, ad 2.] habitum est. Sed unio humanae naturae ad divinam non est facta per accidens: ut supra * [* Art. 6.] ostensum est. Ergo videtur quod unio incarnationis non sit facta per gratiam.

2. Praeterea, gratiae subiectum est anima. Sed sicut dicitur *Coloss.* ii * [* Vers. 9.], *in Christo habitavit plenitudo divinitatis corporaliter.* Ergo videtur quod illa unio non sit facta per gratiam.

3. Praeterea, quilibet sanctus Deo unitur per gratiam. Si igitur unio incarnationis fuit per gratiam, videtur quod non aliter dicatur Christus esse Deus quam alii sancti homines.

Sed contra est quod Augustinus dicit, in libro *de Praedest. Sanctorum* * [* Cap. xv.]: *Ea gratia fit ab initio fidei suae homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus.* Sed homo ille factus est Christus per unionem ad divinam naturam. Ergo unio illa fuit per gratiam.

Respondeo dicendum quod, sicut in Secunda Parte * [* Iª IIªᵉ, qu. cx, art. 1.] dictum est, gratia dupliciter dicitur: uno modo, ipsa voluntas Dei gratis aliquid dantis; alio modo, ipsum gratuitum donum Dei. Indiget autem humana natura gratuita Dei voluntate ad hoc quod elevetur in Deum: cum hoc sit supra facultatem naturae suae. Elevatur autem humana natura in Deum dupliciter. Uno modo, per operationem: qua scilicet sancti cognoscunt et amant Deum. Alio modo, per esse personale: qui quidem modus est singularis Christo, in quo humana natura assumpta est ad hoc quod sit personae [α] Filii Dei. Manifestum est autem quod ad perfectionem operationis requiritur quod potentia sit perfecta per habitum: sed quod natura habeat esse in supposito suo, non fit mediante aliquo habitu.

Sic igitur dicendum est quod, si gratia accipiatur ipsa Dei voluntas gratis aliquid faciens, vel gratum seu acceptum aliquem habens, unio incarnationis facta est per gratiam, sicut et unio sanctorum ad Deum per cognitionem et amorem. Si vero gratia dicatur ipsum gratuitum Dei donum, sic ipsum quod est humanam naturam esse unitam personae divinae, potest dici quaedam gratia, inquantum nullis praecedentibus meritis hoc est factum: non autem ita quod sit aliqua gratia habitualis qua mediante talis unio fiat.

Ad primum ergo dicendum quod gratia quae est accidens, est quaedam similitudo divinitatis participata in homine. Per incarnationem autem humana natura non dicitur participasse similitudinem aliquam divinae naturae: sed dicitur esse coniuncta ipsi naturae divinae in persona Filii. Maius autem est ipsa res quam similitudo eius participata.

Ad secundum dicendum quod gratia habitualis est solum in anima: sed gratia, idest gratuitum Dei donum quod est uniri divinae personae, per-

---

α) *personae.* – *persona* omnes, praeter *in persona* sH; cf. qu. iii, art. 8, β.

tinet ad totam naturam humanam, quae componitur ex anima et corpore. Et per hunc modum dicitur plenitudo divinitatis in Christo corporaliter habitasse: quia est unita divina natura non solum animae, sed etiam corpori.

* Cf. Aug. Epist. CLXXXVII, al. LVII, cap. XII.

Quamvis etiam possit dici * quod dicitur habitasse in Christo corporaliter, idest *non umbraliter* β, sicut habitavit in sacramentis veteris Legis, de quibus ibidem subditur * quod sunt *umbra futurorum, corpus autem est Christus:* prout scilicet corpus contra umbram dividitur.

* Vers. 17.

Dicunt etiam quidam * quod divinitas dicitur in Christo habitasse corporaliter γ, scilicet tribus modis, sicut corpus habet tres dimensiones: uno modo, per essentiam, praesentiam et potentiam, sicut in ceteris creaturis; alio modo, per gratiam gratum facientem, sicut in sanctis; tertio modo, per unionem personalem, quod est proprium sibi.

* Halens. *Summ. Theol.* p. III, qu. VIII, memb. 3, art. 4.

Unde patet responsio ad tertium: quia scilicet unio incarnationis non est facta solum per gratiam habitualem, sicut alii sancti uniuntur Deo; sed secundum subsistentiam, sive personam.

β) *umbraliter.* – *ũbaliter* A, *mutabiliter* B, *umbratiliter* pG, *mirabiliter* b.

γ) *corporaliter.* – E et tertia; om. – Pro *scilicet, idest* PGHI, om. Fa.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus articuli decimi clarus est. – In corpore articuli duo fiunt: primo, ponitur distinctio bimembris de gratia; secundo, respondetur quaesito tribus conclusionibus *.

* Cf. num. seq.

Distinctio est. *Gratia* pro voluntate Dei gratuita; vel pro gratuito dono. Ubi nota duo. Primum est quod in utroque membro fit mentio de gratuito. Quia voluntas quandoque est debita: quandoque gratuita. Voluntas enim iustitiam ministrantis est voluntas ex debito dantis unicuique quod suum est: voluntas autem non ex debito, nec mercenarie, nec vi aut metu dantis, sed amore benevolentiae, gratuita est. Et similiter donum gratuitum est quod ex tali voluntate datur.

Secundum est quod appellatione doni gratuiti non solum venit habitualis gratia: sed etiam quodcumque donum gratis concessum, sive illud sit actuale aliquod auxilium, sive quaecumque alia res. Unde, quia hoc membrum subdividitur in littera, quamvis non sub forma subdivisionis, ideo numerus conclusionum excedere videtur membra divisionis: cum tamen in veritate, iuxta tria membra in littera posita, scilicet gratuitam voluntatem Dei, et gratuitum donum habitualis gratiae, et gratuitum donum ipsius unionis, tres sint conclusiones.

II. Prima igitur conclusio est: *Sumendo gratiam pro gratuita Dei voluntate, unio incarnationis facta est per gratiam, sicut et unio sanctorum ad Deum per cognitionem et amorem.* Probatur. Quia ad hoc quod natura humana elevetur in Deum, sive per esse personale sive per operationem, eget Dei voluntate gratuita: quia utrumque est supra facultatem naturae suae.

III. Secunda conclusio est: *Sumendo gratiam pro gratuito Dei dono, hoc est, gratia habituali, unio incarnationis non est facta per gratiam: unio vero sanctorum ad Deum fit per gratiam.* Probatur. Quia, in communi loquendo, formaliter ad perfectionem operationis requiritur quod potentia sit perfecta per habitum: ad hoc autem quod natura sit in suo supposito, non exigitur habitus aliquis. Differentia autem inter has duas uniones in hoc consistit quod unio sanctorum ad Deum est per elevationem ad operationes cognitionis et amoris: unio autem Christi est per elevationem naturae humanae ad esse personale Filii Dei. Nulla ergo gratia hic mediat, sed ibi.

Ubi nota primo, quod hinc habes, apud Auctorem, eodem se habere modo naturam humanam Christi ad personam Filii Dei sicut se haberet ad personam propriam, et sicut se habet natura Socratis ad personam Socratis. Nam hinc habes quod ex eo quod, formaliter loquendo, inter naturam et proprium suppositum nullus exigitur habitus, ideo inter naturam humanam et personam Filii Dei in Christo nullus exigitur habitus. Fundatur enim hic processus super illa proportionalitate, ut patet.

Nota secundo, quod gratiae habitualis in proposito nomen non restringitur ad gratiam quae ponitur in essentia animae, ut distinguitur a caritate et aliis habitibus infusis: sed communiter sumitur, ut comprehendit sub se quemcumque infusum habitum. Et hoc habes in littera, ex eo quod habitus ad perfectionem operationis requisitus in potentia operativa ponitur: quod non verificatur de gratia restricta ad habitum in essentia, ut patet.

IV. Tertia conclusio est: *Sumendo gratiam pro gratuito Dei dono quidquid sit illud, unio incarnationis est gratia.* Probatur. Quia est donum Dei concessum humanitati Christi nullis praecedentibus meritis.

Ubi nota primo quod, hoc modo loquendo de gratia, ipsa unio appellatur gratia modaliter: quia scilicet gratuite facta est, scilicet absque ullo merito. Et hinc fit ut in Christo ponatur, ultra habitualem gratiam, *gratia unionis,* quae est ipsa unio gratuito concessa.

Nota secundo, quod caute Auctor locutus, non dixit quod, hoc modo sumendo gratiam, unio *sit facta per gratiam,* sicut dixit in praecedentibus conclusionibus, et sicut quaesitum est in titulo articuli: sed dixit quod *ipsa unio est gratia.* Et ratio est quia ly *per* denotat causalitatem gratiae super unione: eiusdem autem ad seipsum non est causalitas.

V. In responsione ad primum eiusdem articuli, nota, ex supra dictis in articulo septimo eiusdem quaestionis *, quod coniunctio humanae naturae cum persona Filii Dei, quae nihil aliud est quam utriusque indivisio in esse personali ipsius Filii Dei, potest dupliciter accipi: scilicet vel secundum illam entitatem positivam quae est illud esse personale illius naturae creatae; vel secundum mutationem et relationem qua unitur et unita relative dicitur humana natura personae illi. Nullum siquidem aliud ens reale apparet intervenisse aut inveniri in hoc mysterio, ultra extrema. Et si quidem unionis gratia, pro gratuito dono, sumatur secundo modo, sic est donum creatum: quoniam tam mutatio passiva qua natura humana elevata est ad esse personale Dei, quam relatio unionis, inter creatas res est. Si vero unionis gratia, similiter pro dono gratuito, sumatur primo modo, sic, quoad rem datam, increatum donum est, quia data est personalitas divina naturae creatae: quoad substantialem vero compositionem, seu coniunctionem personalitatis cum natura, donum creatum est, ut patet. Et quia unionis gratia haec omnia concludit, ideo quandoque res increata ponitur: ut in hac littera, dum dicitur, *Maius autem est ipsa res quam ipsa similitudo eius participata;* et est sermo de re divinae naturae et personae, in qua unionis gratia consistit. Quandoque autem ponitur res creata: dum ex voluntate Dei gratuita facta dicitur in hac littera *; et diffuse inferius articulo duodecimo huiusmet quaestionis. Et verum est quantum ad communionem illius esse divini ad naturam humanam, quae per assumptionem facta est, et ad quam relatio unionis consequitur.

* Comment. n. I.

* In corpore.

ARTICULUS UNDECIMUS

UTRUM UNIO INCARNATIONIS FUERIT ALIQUA MERITA SUBSECUTA

Iª IIªᵉ, qu. XCVIII, art. 4; III *Sent.*, dist. IV, qu. III, art. 1; *Ad Heb.*, cap. 1, lect. IV.

AD UNDECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod unio incarnationis fuerit aliqua merita subsecuta. Quia super illud Psalmi *, *Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te*, dicit Glossa *: *Hic insinuatur desiderium Prophetae de incarnatione, et meritum impletionis.* Ergo incarnatio cadit sub merito.

* Ps. XXXII, vers. 22.
* Cf. Gl. Lomb.; Halens. *Summ. Theol.* p. III, qu. VIII, memb. 3, a. 2, arg. 1 Contra.

2. PRAETEREA, quicumque meretur aliquid, meretur illud sine quo illud haberi non potest. Sed antiqui Patres merebantur vitam aeternam, ad quam pervenire non poterant nisi per incarnationem: dicit enim Gregorius, in libro *Moral.* *: *Hi qui ante Christi adventum in hunc mundum venerunt, quantamlibet iustitiae virtutem haberent, ex corporibus educti in sinum caelestis patriae statim recipi nullo modo poterant, quia nondum ille venerat qui iustorum animas in perpetua sede collocaret.* Ergo videtur quod meruerint incarnationem.

* Lib. XIII, cap. XLIII, al. XV, in vet. XX.

3. PRAETEREA, de Beata Virgine cantatur * quod *Dominum omnium meruit portare:* quod quidem factum est per incarnationem. Ergo incarnatio cadit sub merito.

* Offic. B. M. V. sec. ritum FF. Praed., antiph. ad *Benedictus*.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in libro *de Praedest. Sanctorum* *: *Quisquis in capite nostro praecedentia merita singularis illius generationis invenerit, ipse in nobis, membris eius* [α], *praecedentia merita multiplicatae regenerationis inquirat.* Sed nulla merita praecesserunt regenerationem nostram: secundum illud *Tit.* III *: *Non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Ergo nec illam Christi generationem aliqua merita praecesserunt.

* Cap. XV.
* Vers. 5.

RESPONDEO DICENDUM quod, quantum ad ipsum Christum, manifestum est ex praemissis * quod nulla eius merita potuerunt praecedere unionem. Non enim ponimus quod ante fuerit purus homo, et postea per meritum bonae vitae obtinuerit [β] esse Filius Dei, sicut posuit Photinus: sed ponimus quod a principio suae conceptionis ille homo vere fuerit Filius Dei, utpote non habens aliam hypostasim quam Filium [γ] Dei, secundum illud Luc. I *: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et ideo omnis operatio illius hominis subsecuta est unionem. Unde nulla eius operatio potuit esse meritum unionis.

* Art. 2, 3, 6.
* Vers. 35.

Sed neque etiam opera cuiuscumque alterius hominis potuerunt esse meritoria huius unionis ex condigno. Primo quidem, quia opera meritoria hominis proprie ordinantur ad beatitudinem, quae est *virtutis praemium* *, et consistit in plena Dei fruitione. Unio autem incarnationis, cum sit in esse personali, transcendit unionem mentis beatae ad Deum, quae est per actum fruentis. Et ita non potest cadere sub merito. – Secundo, quia gratia non potest cadere sub merito: quia est merendi principium. Unde multo minus incarnatio cadit sub merito, quae est principium gratiae, secundum illud Ioan. I *: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* – Tertio, quia incarnatio Christi est reformativa totius humanae naturae. Et ideo non cadit sub merito alicuius hominis singularis: quia bonum alicuius puri hominis non potest esse causa boni totius naturae [δ].

* Aristot. *Ethic.* lib. I, cap. IX, n. 3. – S. Th. lect. XIV.
* Vers. 17.

Ex congruo tamen meruerunt sancti Patres incarnationem, desiderando et petendo. Congruum enim erat ut Deus exaudiret eos qui ei obediebant.

Et per hoc patet responsio ad primum.

AD SECUNDUM DICENDUM hoc esse falsum, quod sub merito cadat omne illud sine quo praemium esse non potest. Quaedam enim sunt quae non solum requiruntur ad praemium, sed etiam praeexiguntur ad meritum: sicut divina bonitas, et eius gratia, et ipsa hominis natura. Et similiter incarnationis mysterium est principium merendi: quia *de plenitudine Christi omnes accepimus* [ε], ut dicitur Ioan. I *.

* Vers. 16.

AD TERTIUM DICENDUM quod Beata Virgo dicitur meruisse portare Dominum Iesum Christum, non quia meruit Deum incarnari: sed quia meruit, ex gratia sibi data, illum [ζ] puritatis et sanctitatis gradum ut congrue posset esse mater Dei.

α) *in nobis, membris eius.* – CFGIa; *in nobis membris* AE, *a nobis eius* BD, *a nobis* Hbc, *in nobis* P.
β) *obtinuerit.* – *obtinuerat* ABCEI.
γ) *Filium.* – *Filii* tertia.
δ) *boni totius naturae.* – H et editiones; *totius boni naturae* prima et FGI, *totius humanae naturae boni* E.
ε) *accepimus.* – *acceperunt* tertia praeter P.
ζ) *illum.* – F et tertia; *secundum illum.*

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo articuli undecimi, vide quod in praecedenti et hoc atque sequenti articulo quaestio est de causa unionis. Et quoniam triplex illius causa assignatur, scilicet gratia, merita et natura, ideo, expedito decimo articulo de gratia, in hoc undecimo quaeritur de meritis, an scilicet unio haec ex meritis fuerit; et demum in duodecimo quaeritur an sit naturalis Christo, etc., hoc est, a natura.

In corpore articuli sunt tres conclusiones *. Prima est: *Nulla Christi opera fuerunt meritoria unionis.* Probatur. Ille homo qui est Christus, a principio suae conceptionis fuit Filius Dei hypostatice. Ergo omnis illius hominis operatio subsecuta est unionem. Ergo nulla eius operatio potuit esse meritum unionis.

* Cf. num. III.

Antecedens declaratur, primo, ex differentia inter sententiam fidei et haeresim Photini. Et probatur, secundo, auctoritate Angeli, Luc. I. – Consequentiae autem relinquuntur ut per se notae. Et vere sic est. Quoniam prima patet ex hoc ipso quod omnis operatio cuiuscumque ho-

minis praesupponit illum hominem: oppositum enim non est intelligibile. Idem autem est dicere quod omnis operatio Christi praesupponit unionem, et dicere quod praesupponit personam illius hominis: quoniam nonnisi per unionem habetur persona illius hominis, quoniam est ipsa persona Filii Dei. Ex hoc igitur quod persona illius hominis est persona Filii Dei per unionem naturae humanae ad personam Filii Dei, optime et evidenter sequitur quod omnis operatio illius hominis praesupponit unionem, quia praesupponit illum hominem. – Secunda quoque patet ex hoc quod meritum praecedit, saltem naturae ordine, praemium: ut patet.

II. Dubium hoc in loco nonnullum occurrit quia, licet hinc habeatur quod omnis operatio illius hominis subsecuta est unionem, non tamen hinc habetur quod omnis operatio illius naturae humanae subsecuta est unionem. Et diceret quispiam quod illa natura humana, sicut secundum se praesupponitur naturae ordine unioni, quia assumptio praesupponit quod assumitur; ita secundum aliquod opus eius, puta intelligere et velle, quae sunt instantanea, praesupponitur ordine naturae assumptioni; et per illud velle, informatum caritate, natura illa meruit assumi, in eodem instanti temporis, et prius natura.

Ad hoc dubium non oportet aliunde quam ex litterae fundamento respondere: ita tamen ut non sit sermo de potentia divina absolute, cum dicitur quod non potuit aliqua operatio praecedere unionem; sed de potentia quam ordo rerum habet, simpliciter et in mysterio incarnationis. Cum enim natura humana in Christo assumatur ad esse personale Dei, idem est ordo naturae humanae Christi ad personam Filii Dei qui est naturae humanae Socratis ad personam Socratis. Et ideo, sicut natura Socratis prius natura personatur per Socratem quam operetur; tum quia esse personale, utpote substantiale, est prius quam operari; tum quia primus terminus ut *quod* generationis est ipse Socrates: et deinde, naturae ordine, consequuntur operationes, etiam naturalissimae; ut, si sol fieret, primo fieret suppositum solis et deinde luceret, quamvis in eodem instanti: – ita prius natura humanitas Christi personatur per Verbum Dei quam operetur, propter utramque dictam rationem; quia scilicet personari spectat ad esse substantiale, confert enim subsistere, quod primae substantiae solius est; et quia primus terminus generationis Christi ut *quod* fuit persona Filii Dei, dicente Angelo, *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur,* procul dubio cum rei veritate, *Filius Dei.* Non potest ergo poni quod anima Christi prius natura quam uniretur, intelligeret aut amaret.

III. Secunda conclusio est: *Nulla opera cuiuscumque alterius hominis potuerunt esse meritoria huius unionis ex condigno.* Probatur tripliciter. Primo, quia unio ista superat unionem beatitudinis, quae proprie cadit sub merito. – Secundo, quia unio ista est principium gratiae, quae non potest cadere sub merito. – Tertio, quia unio ista est reformativa totius humanae naturae, cuius totius bonum constat non posse a singulari puro homine causari.

Tertia conclusio est: *Sancti Patres meruerunt incarnationem de congruo, desiderando et petendo.* Probatur. Quia congruum est Deum exaudire sibi obedientes. – Et hoc etiam modo exponi potest quod Beata Virgo *meruit Christum portare* *, scilicet merito congrui. * Cf. arg. 3.

ARTICULUS DUODECIMUS

UTRUM GRATIA UNIONIS FUERIT CHRISTO HOMINI NATURALIS

Infra. qu. xxxiv, art. 3, ad 2; III *Sent.*, dist. iv, qu. iii, art. 2, qu^a 1.

AD DUODECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod gratia unionis non fuerit Christo homini naturalis. Unio enim incarnationis non est facta in natura, sed in * Art. 1. 2. persona, ut supra * dictum est. Sed unumquodque denominatur a termino. Ergo gratia illa magis debet dici personalis quam naturalis.

2. PRAETEREA, gratia dividitur contra naturam: sicut gratuita, quae sunt a Deo, distinguuntur contra naturalia, quae sunt a principio intrinseco. Sed eorum quae ex opposito dividuntur, unum non denominatur ab alio. Ergo gratia Christi non est ei naturalis.

3. PRAETEREA, naturale dicitur quod est secundum naturam. Sed gratia unionis non est naturalis Christo secundum naturam divinam: quia sic conveniret etiam aliis personis. Neque etiam naturalis est ei secundum naturam humanam: quia sic conveniret omnibus hominibus, qui sunt eiusdem naturae cum ipso. Ergo videtur quod nullo modo gratia unionis sit Christo naturalis.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in * Cap. xl. *Enchirid.* *: *In naturae humanae susceptione fit quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, qua nullum possit admittere peccatum.*

RESPONDEO DICENDUM quod, secundum Philo- * S. Th. lect. v. - Did. lib. IV, cap. iv, n. 1, 4. sophum, in V *Metaphys.* *, natura uno modo dicitur ipsa nativitas, alio modo essentia rei. Unde naturale potest aliquid dici dupliciter. Uno modo, quod est tantum ex principiis essentialibus rei: sicut igni naturale est sursum ferri. Alio modo dicitur ^α esse homini naturale quod ab ipsa na- α tivitate habet: secundum illud *Ephes.* ii *: *Eramus* * Vers. 3. *natura filii irae;* et *Sap.* xii *: *Nequam est natio* * Vers. 10. *eorum, et naturalis malitia ipsorum.*

Gratia igitur Christi ^β, sive unionis sive habi- β tualis, non potest dici naturalis quasi causata ex principiis naturae humanae in ipso: quamvis possit dici naturalis quasi proveniens in naturam humanam Christi causante divina natura ipsius. Dicitur autem naturalis utraque gratia in Christo inquantum eam a nativitate habuit: quia ab initio conceptionis fuit natura humana divinae personae unita, et anima eius fuit munere gratiae repleta.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, licet unio non sit facta in natura, est tamen causata ex virtute divinae naturae, quae est vere natura Christi. Et etiam convenit Christo a principio nativitatis.

AD SECUNDUM DICENDUM quod non secundum idem dicitur gratia, et naturalis. Sed gratia quidem dicitur inquantum non est ex merito: naturalis autem dicitur inquantum est ex virtute divinae naturae in humanitate Christi ab eius nativitate.

AD TERTIUM DICENDUM quod gratia unionis non est naturalis Christo secundum humanam natu-

α) *dicitur.* – PFpH; *videtur.*

β) *Christi.* – PEF; om.

ram, quasi ex principiis humanae naturae causata. Et ideo non oportet quod conveniat omnibus hominibus. Est tamen naturalis ei secundum humanam naturam, propter proprietatem nativitatis ipsius: prout sic conceptus est ex Spiritu Sancto ut esset idem naturalis Filius Dei et hominis. Secundum vero divinam naturam est ei naturalis, inquantum divina natura est principium activum huius gratiae. Et hoc convenit toti Trinitati: scilicet huius gratiae esse activum principium.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo articuli duodecimi, nota quod ideo in titulo apponitur ly *homini,* ita quod non quaeritur utrum gratia unionis sit Christo naturalis, sed an sit naturalis *Christo homini,* ut denotaretur quod difficultas huius dubii ex parte eius quod est esse hominem, se tenet. Non enim est quaestio de Christo secundum quod Deus, sed secundum quod est homo, an gratia unionis sit illi naturalis *.

* Cf. art. praec., Comment. num. I, init.

In corpore articuli duo fiunt: primo, ponitur una distinctio de ly *naturalis;* secundo, respondetur quaesito tripliciter *. Distinctio est. *Naturale* dupliciter: vel quod causatur ex principiis essentialibus rei, sicut passio ex principiis subiecti, sicut moveri deorsum ex principiis corporis gravis; vel quod ab ipsa nativitate habetur. Probatur, primo, distinctio. Quia *natura* dicitur dupliciter, V *Metaphys.:* scilicet de *essentia,* et de *nativitate.* – Probatur, secundo, secundum membrum, auctoritate duplici sacrae Scripturae.

* Cf. num. seq.

Nota hic quod secundum membrum, scilicet *naturale a nativitate,* dupliciter intelligi potest. Uno modo, ut denotetur sola coaevitas, quia scilicet incoeperunt simul tempore: sicut de caeco a nativitate dicimus, quia caecitas simul incoepit cum homine qui est caecus. Alio modo, ut denotetur non sola con-duratio, sed etiam causalitas, ita quod ex vi nativitatis habeat illud: sicut dicimus quod sextus digitus est naturalis ex nativitate in utero, quia scilicet ex vi talis nativitatis, abundantis in materia, etc., iste sortitus est sextum digitum. In proposito intelligitur secundum membrum utroque modo. Et ad secundum modum * spectat auctoritas Apostoli, *Eramus natura filii irae:* quoniam ex vi nativitatis nostrae per propagationem ex Adam sumus filii irae, dum ex vi nativitatis nostrae in utero inficimur peccato originali. Ad primum autem modum spectat auctoritas *Sapientiae:* quoniam Chananaei, de quibus loquitur, non ex vi nativitatis contrahebant peccata parentum, sed malitia illorum ita cito incipiebat ut dicatur in utero incoepisse, iuxta consuetum modum loquendi sermone emphatico.

* *membrum* PAB.

II. Prima conclusio est: *Gratia, sive unionis sive habitualis, non est naturalis Christo ut causata ex principiis humanae naturae.*

Secunda conclusio est: *Gratia utraque potest dici naturalis Christo quasi proveniens ex natura divina Christi in naturam humanam eiusdem.*

Tertia conclusio est: *Gratia utraque est naturalis Christo, sumendo naturale a nativitate.* Probatur in primo sensu, hoc est secundum coaevitatem. Quia ab initio conceptionis fuit natura humana divinae personae unita, et hoc quoad gratiam unionis: et anima eius fuit munere gratiae repleta, et hoc quoad gratiam habitualem. – In secundo autem sensu, hoc est ex vi nativitatis, probatur in responsione ad tertium, ex proprietate nativitatis Christi. Quia sic conceptus est ex Spiritu Sancto ut esset idem naturalis Filius Dei et hominis: testante hanc nativitatis vim Angelo dicente *, *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi,* dum subdit, *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei;* illa enim causalis, *Ideoque et quod nascetur ex te, erit Filius Dei,* manifestat ad hoc esse ordinatam actionem Spiritus Sancti ut ex vi talis nativitatis natum esset Filius Dei, quod in ipsa gratia unionis consistit. Gratia autem habitualis, ut in proprio tractatu * patebit, est in Christo velut proprietas consequens gratiam unionis, sicut splendor solem.

* Luc. cap. I, vers. 35.

* Qu. VII, art. 13.

III. Nota hic tria. Primo quod, quamvis in littera divisae sint explanationes et probationes tertiae conclusionis, secundum duos assignatos in secundo membro sensus; quia tamen veri sunt, in littera ponuntur, et brevius uniti clarent novitiis, ideo adunavi dicta in responsione ad tertium, et iunxi corpori articuli.

Secundo, quod Auctor plus donavit quam promisit: dum quaesivit de gratia unionis, et respondit de gratia unionis et habituali.

Tertio quod, dum in secunda conclusione dicitur quod gratia Christi potest dici naturalis ex divina natura, Auctor caute apposuit duo vocabula: primo, *potest dici;* secundo, *quasi proveniens.* Est siquidem considerandum quod ad hoc ut aliquid dicatur proprie naturale a natura pro essentia, duo concurrunt: primum est causalitas; secundum modus causandi. Oportet enim ut causetur a natura, et quod naturali modo, non libere, causetur a natura: sic enim passio a principiis naturae, sic ferri sursum a levitate causatur, sic naturale distinguitur contra liberum. In proposito autem, quia omnis causalitas Dei ad extra est libera et nulla est naturalis, ideo gratia in Christo ex divina natura causata deficit a naturali in modo quo fit: et potest dici naturalis quoad primum, quia ex divina causatur natura; quoad secundum vero, potest dici naturalis non formaliter, quia in veritate non naturaliter, sed libere causatur; sed quasi virtualiter, seu conditionaliter; hoc est quia, si divinae naturae competeret ad extra uterque modus causandi, scilicet naturaliter vel libere, utraque gratia in Christo naturaliter causaretur; quia gratia unionis spectat ad esse personale ipsius divinae naturae, ac per hoc ad causalitatem naturalem pertineret si ibi inveniretur; gratia vero habitualis in Christo spectaret ad proprietatem humanae naturae iunctae iam secundum esse divinae naturae. Et propterea Auctor dixit, *Dici potest naturalis quasi proveniens,* significans per hoc quasi naturalem modum quo gratia in Christo fieri dici potest, quamvis in veritate non sit modus naturalis. Hoc autem singulariter de gratia Christi dici potest. Quia reliquis hominibus, et etiam angelis, constat quod non solum dat, sed daret Deus gratiam suam prout vult, utpote non communicans suum esse personale, nec iunctis sibi secundum esse influens.



QUAESTIO TERTIA

DE UNIONE EX PARTE PERSONAE ASSUMENTIS

IN OCTO ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. II, Introd.

DEINDE considerandum est de unione ex parte personae assumentis *.

Et circa hoc quaeruntur octo.

Primo: utrum assumere conveniat personae divinae.

Secundo: utrum conveniat naturae divinae.

Tertio: utrum natura possit assumere, abstracta personalitate.

Quarto: utrum una persona possit assumere sine alia.

Quinto: utrum quaelibet persona possit assumere.

Sexto: utrum plures personae possint assumere unam naturam numero.

Septimo: utrum una persona possit assumere duas naturas numero.

Octavo: utrum magis fuerit conveniens de persona Filii quod assumpsit humanam naturam, quam de alia persona divina.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM PERSONAE DIVINAE CONVENIAT ASSUMERE NATURAM CREATAM

III *Sent.*, dist. v, qu. II, art. 1.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod personae divinae non conveniat assumere naturam creatam. Persona enim divina significat aliquid maxime perfectum. Perfectum autem est cui non potest fieri additio *. Cum igitur assumere sit quasi *ad se sumere,* ita quod assumptum addatur assumenti, videtur quod personae divinae non conveniat assumere naturam creatam.

* Cf. Aristot. *Physic.* lib. III, cap. VI, n. 8; s. Th. lect. XI.

2. PRAETEREA, illud ad quod aliquid assumitur, communicatur quodammodo ei quod in ipsum assumitur: sicut dignitas communicatur ei qui in dignitatem assumitur. Sed de ratione personae est quod sit incommunicabilis: ut in Prima Parte * dictum est. Ergo personae divinae non convenit assumere, quod est ad se sumere.

* Qu. XXIX, art. 3, ad 4; qu. XXX, art. 4, arg. 2.

3. PRAETEREA, persona constituitur per naturam. Sed inconveniens est quod constitutum assumat constituens: quia effectus non agit in suam causam. Ergo personae non convenit assumere naturam.

SED CONTRA EST quod Augustinus * dicit, in libro *de Fide ad Petrum* *: *Formam, idest naturam servi in suam accepit Deus ille,* scilicet unigenitus, *personam.* Sed Deus unigenitus est persona. Ergo personae competit accipere naturam, quod est assumere.

* Fulgentius.

* Cap. II.

RESPONDEO DICENDUM quod in verbo *assumptionis* duo importantur, videlicet principium actus, et terminus: dicitur enim assumere quasi *ad se aliquid sumere* [α]. Huius autem assumptionis persona est et principium et terminus. Principium quidem, quia personae proprie competit agere: huiusmodi autem sumptio carnis per actionem divinam facta est. Similiter etiam persona est huius sumptionis terminus: quia, sicut supra * dictum est, unio facta est in persona, non in natura. Et sic patet quod propriissime competit personae assumere naturam.

* Qu. II, art. 1, 2.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, cum persona divina sit infinita, non potest ei fieri additio. Unde Cyrillus dicit, in Epistola Synodali Ephesini Concilii *: *Non secundum coappositionem* [β] *coniunctionis intelligimus modum.* Sicut etiam in unione hominis ad Deum quae est per gratiam adoptionis, non additur aliquid Deo: sed id quod divinum est apponitur homini. Unde non Deus, sed homo perficitur.

* Can. V. - Concilii Part. I, cap. XXVI.

AD SECUNDUM DICENDUM quod persona dicitur incommunicabilis inquantum non potest de pluribus suppositis praedicari. Nihil tamen prohibet plura de persona praedicari. Unde non est contra rationem personae sic communicari ut subsistat in pluribus naturis. Quia etiam in personam creatam possunt plures naturae concurrere accidentaliter [γ]: sicut in persona unius hominis invenitur quantitas et qualitas. Hoc autem est proprium divinae personae, propter eius infinitatem, ut fiat in ea concursus naturarum, non quidem accidentaliter, sed secundum subsistentiam.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, natura humana non constituit personam divinam simpliciter: sed constituit eam secundum quod denominatur a tali natura. Non enim ex

* Cf. qu. II, art. 6, ad. 2.

α) *ad se aliquid sumere.* – *ad se sumere aliquid* BD, *aliquid ad se sumere* Ib, *ad se sumere* PHc.

β) *coappositionem.* – *coaptionem bc, appositionem* P, *compositionem* F.

γ) *accidentaliter.* – Tertia; *actualiter;* ita in fine solutionis ABFpC.

natura humana habet Filius Dei quod sit simpliciter, cum fuerit ab aeterno: sed solum quod sit homo. Sed secundum naturam divinam constituitur persona divina simpliciter. Unde persona divina non dicitur assumere divinam naturam, sed humanam.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus articuli primi quaestionis tertiae clarus est.

In corpore articuli unica est conclusio responsiva quaesito: *Personae competit propriissime assumere naturam.* Probatur. Persona est principium et terminus assumptionis. Ergo sibi convenit propriissime assumere.

Antecedens, quoad primam partem, probatur: quia assumere est actio divina; agere autem proprie est personae. Quoad secundam vero: quia unio facta est non in natura, sed in persona, ut patet ex supra dictis. – Consequentia autem probatur: quia in verbo *assumptionis* importantur tria, principium, actus et terminus; quoniam assumere dicitur quasi *ad se sumere.* Ex hoc namque quod assumere importat haec tria, et haec omnia competunt personae, quia ipsa est principium et terminus actus talis, ut in antecedente dicitur; consequens manifeste est quod assumere propriissime competat personae.

Ubi nota tria. Primo quod, exponendo *assumere* quasi *ad se sumere,* quia ly *se* est pronomen reciprocum, dupliciter, seu bis, denotat illud pro quo stat concurrere ad actionem illam: uno modo, seu semel, ut principium; et semel, seu alio modo, ut terminum. Et propterea Auctor, ex hoc quod assumere dicitur quasi *ad se sumere,* dixit quod importat principium et terminum actus: nisi enim ly *se* utrumque denotaret, non esset ad se sumere, sed esset sumere ad alium.

Secundo, quod in littera in conclusione additur ly *propriissime:* quia, ut infra * patebit, non soli personae convenit assumere, sed soli personae convenit propriissime.

* Art. seq.

Tertio, quod hic est sermo de persona divina ut sic, non curando utrum sit una sola persona divina vel plures, utrum absoluta vel relativa. Eius siquidem est proprie agere ut quod agit: et eius est terminare unionem personalem ut quod subsistit in utraque natura.

II. In responsione ad primum eiusdem primi articuli, adverte quod tam mirabilis est haec incarnationis coniunctio ut, cum hoc quod fatemur Deum vere acquisivisse esse hominem, quia vere factus est homo; quia tamen huiusmodi substantiale esse acquisivit sine quacumque ipsius Dei mutatione, ac per hoc sine quacumque sui perfectione, ideo hic vere quoque dicitur quod nihil est per incarnationem additum Deo, et quod non Deus, sed homo per incarnationem perficitur. Et ad hoc tantum allatum esse exemplum de unione adoptionis nostrae intellige, quia sicut in unione filiorum adoptivorum non additur aliquid Deo, sed quod divinum est apponitur homini, ita proportionaliter in unione naturalis Filii nihil apponitur Deo, sed Deus iungitur homini ut homo perfectus sit, hoc est, ut homo sit Deus, quod infinitam perfectionem apponit naturae humanae.

III. In responsione ad secundum, dubium occurrit circa incommunicabilitatem personae ut in littera describitur, scilicet penes hoc quod *non potest de pluribus suppositis praedicari.* Videtur siquidem satis rudis huiusmodi assignatio incommunicabilitatis. Quoniam talis incommunicabilitas convenit cuilibet singulari creato, tam in genere accidentis quam in genere substantiae. Nam hoc album, et similiter haec albedo et haec humanitas, non potest de pluribus suppositis praedicari: quia, ut in *Antepraedicamentis* * dicitur, cuilibet singulari convenit non dici de subiecto.

* *Categ.* cap. II, n. 2.

Ad hoc dicitur quod in theologia non potuit forte brevius, clarius et formalius describi incommunicabilitas personae quam descripta est in littera. Quia apud theologos, omnis natura est communicabilis pluribus suppositis, quamvis diversimode. Quia natura divina communis est per identitatem Patri et Filio et Spiritui Sancto. Et haec natura creata potest esse communis per assumptionem, ut infra * patebit, Patri et Filio et Spiritui Sancto. Persona quoque communis est pluribus naturis: ut patet de persona Filii Dei subsistente in duabus naturis, divina et humana; et de persona Socratis communi pluribus, accidentalibus tamen, naturis, ut in littera dicitur. Restat ergo ut propria incommunicabilitas personae consistat in hoc quod non possit esse communis pluribus suppositis, hoc est sibi ipsi et alteri supposito. Et hoc est quod in littera exprimitur per non posse praedicari de pluribus suppositis. Unde doctrina est subtilissima. Sed obiectio errat in hoc quod pro eodem accipit *non praedicari de pluribus,* de quo Aristoteles loquitur in *Antepraedicamentis,* et *non praedicari de pluribus suppositis,* de quo Auctor in littera loquitur: cum haec distent valde. Quoniam non posse praedicari de aliquo vel aliquibus ut superius de inferiori, convenit omni singulari, ut obiiciendo bene dicitur: sed non posse praedicari de pluribus suppositis soli personae convenit, quia soli personae repugnat. Nam et haec humanitas, et quae illi inest haec albedo, potest de pluribus suppositis praedicari: ut patet si a pluribus divinis personis assumeretur.

* Art. 6.

IV. In eadem responsione ad secundum, dubium occurrit circa illud, *Hoc autem est proprium divinae personae, propter eius infinitatem, ut fiat in ea concursus naturarum non accidentaliter, sed secundum subsistentiam:* et de conclusione, et de ratione eius. Duo siquidem hic dicuntur: primo, affirmatur haec conclusio, scilicet quod sola divina persona potest subsistere in duabus naturis; secundo, assignatur ratio istius conclusionis infinitas divinae personae. Ubi duae quaestiones determinantur. Prima est, an aliqua persona creata possit subsistere in duabus naturis. Asseritur siquidem hic pars negativa, dum dicitur quod proprium est divinae personae ut fiat in ea concursus naturarum secundum subsistentiam. – Secunda est, an haec proprietas conveniat divinae personae propter infinitatem ipsius. Asseritur namque in littera pars affirmativa.

Et primam quidem quaestionem Scotus, in III *Sent.*, dist. I, qu. IV, disputat, et dubiam relinquit. – Secundam autem ibidem tractans, oppositum tenet, arguitque dicens: « Ista ratio non videtur concludere. Quia Verbum non est infinitum secundum rationem personalitatis suae, secundum quam substantificat naturam assumptam. Igitur non requiritur infinitas in illo supposito quod sic substantificat. Antecedens patet: quia tunc aliqua perfectio formaliter deesset Patri quae est in Filio. »

V. Ad horum evidentiam, primo solvenda est obiectio Scoti; et exinde soliditas utriusque dicti in littera monstranda. Ad obiectionem ergo Scoti, negandum est antecedens. – Quamvis possit distingui, dicendo quod Verbum esse infinitum secundum rationem personalitatis suae, potest dupliciter intelligi: scilicet radicaliter, vel formaliter. Et quod Verbum est infinitum secundum rationem deitatis radicaliter, quia ex deitate quidquid est in Deo infinitatem habet: sed secundum suam personalitatem est formaliter infinitum, quoniam personalitas divina non est constitutiva personae nisi infinitae. Et quemadmodum personalitas Verbi, scilicet filiatio divina, est formaliter subsistens, alioquin non esset constitutiva personae, quae formaliter est subsistens, ita est formaliter infinita: quia subsistentia formaliter inclusa in personalitate Verbi nec est finita, nec abstrahens a finito et infinito sicut relatio inquantum relatio; quia subsistentia perfectionem sonat simpliciter, ut patet. – Nec propterea sequitur, ut Scotus arguit probando antecedens, quod aliqua perfectio formaliter deesset Patri quae est in Filio. Quoniam eandem perfectionem quam personalitas Verbi formaliter dicit in Filio, personalitas Patris dicit in Patre: ut patet de perfectione subsistentiae.

Sed contingit hic errare, si personalitates divinas sic

formaliter metimur ut eas nihil aliud formaliter esse putemus quam quod relationi reali formaliter convenit. Quod alienum est a celsitudine personalitatis divinae formaliter sumptae. Quoniam, ut dictum est, convenit illi formaliter subsistentia: alioquin non esset personalitas, quia non esset constitutiva se tota personae. Constat autem quod Filius Dei, quatenus subsistens, naturam humanam substantificat. Unde patet quod Verbum, secundum illam suae personalitatis rationem qua est subsistens, ac per hoc infinitae subsistentiae, vices humanae personae formaliter et eminenter in mysterio incarnationis supplet: est enim Verbum persona humanae naturae.

Et confirmatur. Quia per illud idem quo Verbum subsistit in duabus naturis, divina scilicet et humana, potest subsistere, quantum est ex parte sua, in infinitis naturis. Quoniam ubi pluralitas non facit differentiam, nec infinitas faceret differentiam, si infinitas possibilis esset. Sed Verbum per suam personalitatem, quatenus est constitutiva personae (quod est dicere, quatenus est constitutiva subsistentis in divina natura), habet quod possit in duabus naturis subsistere. Ergo per suam personalitatem, ut subsistentem in divina natura, potest subsistere in infinitis naturis. Sed posse subsistere in infinitis naturis est subsistentiae infinitae. Igitur subsistentia qua Verbum de facto substantificat humanam naturam, exigit infinitatem. Eadem enim est conditio eius qua nunc subsistit in duabus, et qua subsisteret in infinitis.

Praeterea, Verbi personalitas in sua formali ratione claudit subsistentiam. Ergo, perfectionem simpliciter. Ergo est infinita formaliter. – Antecedens probatum est. – Prima consequentia probatur. Primo, quia subsistentia non solum est perfectio, sed maxima perfectio: nullum namque divinum esset perfectum nisi subsistens. Secundo, ex definitione perfectionis simpliciter, scilicet quod *in quolibet melior est ipsa quam non-ipsa* *, arguitur sic. In quolibet ente, ut sic, melior est subsistentia quam quodlibet sibi incompossibile. Ergo est perfectio simpliciter. – Tertia * consequentia est evidens etiam apud Scotum: quoniam omnis perfectio simpliciter est in Deo infinita formaliter.

* Anselm. *Monolog.*, cap. xv, al. xix.
* Secunda.

Ex dictis igitur, si bene considerentur, fidelitas litterae, tam in conclusione quam illius ratione, apparet. Nam ex hoc quod persona divina ex suae personalitatis perfectione, quam illius subsistentia ponit, habet quod possit in pluribus naturis subsistere, manifeste habetur quod, cum illa perfectio sit infinita, *proprium erit divinae personae, ob eius infinitatem, quod in ea fiat concursus naturarum secundum subsistentiam.* Et per hoc solutio utriusque quaestionis apparet.

VI. Nec ex his sequitur, ut Scotus, ibidem, qu. v *, conatur deducere, divinam naturam esse per se primo terminum unionis, propterea quia infinitas primo est naturae. Quoniam infinitas Dei, ut est naturae, dat perfectionem infinitam in essendo et in causando: ut autem est personae, dat perfectionem infinitam in terminando. Quo fit ut, quia terminare naturam assumptam nullam causalitatem dicit, consequenter infinitas in terminando nullam causalitatem det: et tamen constat quod exigitur ad hoc quod una persona subsistat in infinitis naturis, si essent. Quando ergo obiicit Scotus * quod continentia virtualis in termino, qua aequivalere potest tot personis, pertinet ad dependentiam inter causam et causatum ut sic, simpliciter negandum est. Et dicendum est quod, quia terminare naturam alienam subsistendo in illa, ex infinitate personae non in causando sed in terminando provenit (ideoque vocatur quasi continentia virtualis personalitatum in persona divina), non spectat ad dependentiam causae et causati ut sic, sed ad dependentiam personae finitae in terminando ad personam infinitam in terminando. Et quia hoc convenit cuilibet divinae personae ratione suae propriae personalitatis, ideo, ut infra * patebit, propria personalitas Verbi, scilicet filiatio, est de facto per se primo terminus incarnationis.

* Art. 2.
* Ibid.
* Art. seq., Comment. num. iv, viii.

VII. In eodem primo articulo, in responsione ad tertium, adverte ut caute verbum *denominationis* intelligas, cum legis quod *natura humana non constituit divinam personam simpliciter, sed constituit eam secundum quod denominatur a tali natura.* Non enim sumitur hic denominatio pro quacumque denominatione: cum denominentur aliqua ab extrinseco, ut Socrates dicitur locatus aut vestitus; aliqua ab accidente, ut Socrates dicitur albus; et aliqua a substantia, ut Socrates dicitur animatus vel corporeus: – sed sumitur pro denominatione substantiali. Neque restringitur hic denominatio ad denominationem in *Antepraedicamentis* * definitam. Quamvis et de illa littera haec verificetur, de denominatione substantiali loquendo. Nam persona Filii Dei est vere persona humana: et inquantum est persona humana, constituitur per naturam humanam; ita quod natura humana in Christo non constituit Filii Dei personam quatenus est persona, sed quatenus est persona humana. Et hoc intendit littera. Quoniam ly *humana* denominationem substantialem a natura hominis importat. Et quoniam Filii Dei persona sic facta est persona humana ut ipse Filius Dei vere sit homo, ideo dixi quod denominatio ista non sic restringitur quin verificetur etiam substantialis univocatio. Persona siquidem Verbi ita est humana quod est etiam homo univoce cum reliquis hominibus. Tanta est autem excellentia incarnationis ut non possit unica via aut ratione dici: sed oporteat multis viis ac modis mysterii illius cognitionem qualemcumque investigare. Et ideo nunc per denominationem, nunc per univocationem incedimus.

* *Categ.* cap. i, n. 3.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM NATURAE DIVINAE CONVENIAT ASSUMERE

III *Sent.*, dist. v, qu. ii, art. 2.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod naturae divinae non conveniat assumere. Quia, sicut dictum est*, assumere dicitur quasi *ad se sumere.* Sed natura divina non sumpsit ad se humanam naturam: quia non est facta unio in natura, sed in persona, sicut supra * dictum est. Ergo naturae divinae non competit assumere naturam humanam.

* Art. praeced.
* Qu. ii, art. i, 2.

2. PRAETEREA, natura divina communis est tribus personis. Si igitur naturae convenit assumere, sequitur quod conveniat tribus personis. Et ita Pater assumpsit humanam naturam, sicut et Filius. Quod est erroneum.

3. PRAETEREA, assumere est agere. Agere autem convenit personae, non naturae, quae magis significatur ut principium quo [α] agens agit. Ergo assumere non convenit naturae.

SED CONTRA EST quod Augustinus * dicit, in libro *de Fide ad Petrum* *: *Illa natura quae semper genita manet ex Patre,* idest, quae est per genera-

* Fulgentius.
* Cap. ii.

α) *quo*. – Tertia; *a quo*.

tionem aeternam accepta a Patre, *naturam nostram* [β] *sine peccato suscepit.*

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est *, in verbo *assumptionis* duo significantur: scilicet principium actionis, et terminus eius. Esse autem assumptionis principium convenit naturae divinae secundum seipsam: quia eius virtute assumptio facta est. Sed esse terminum assumptionis non convenit naturae divinae secundum seipsam: sed ratione personae in qua consideratur. Et ideo primo quidem et propriissime persona dicitur assumere: secundario autem potest dici quod etiam natura assumit [γ] naturam ad sui personam.

* Art. praeced.

Et secundum etiam hunc modum dicitur natura incarnata: non quasi sit in carnem conversa; sed quia naturam carnis assumpsit. Unde dicit Damascenus *: *Dicimus naturam Dei incarnatam esse, secundum beatos Athanasium et Cyrillum.*

* De Fide Orth. lib. III, cap. vi.

Ad primum ergo dicendum quod ly *se* est reciprocum, et refert idem suppositum. Natura autem divina non differt supposito a persona Verbi. Et ideo, inquantum natura divina sumit naturam humanam ad personam Verbi, dicitur eam ad se sumere. Sed quamvis Pater assumat naturam humanam ad personam Verbi, non tamen propter hoc sumit eam ad se: quia non est idem suppositum Patris et Verbi. Et ideo non potest dici proprie quod Pater assumat naturam humanam.

Ad secundum dicendum quod id quod convenit divinae naturae secundum se, convenit tribus personis: sicut bonitas, sapientia et huiusmodi. Sed assumere convenit ei ratione personae Verbi, sicut dictum est *. Et ideo soli illi personae convenit.

* In corpore.

Ad tertium dicendum quod, sicut in Deo idem est quod est et quo est *, ita etiam in eo idem est quod agit et quo agit: quia unumquodque agit inquantum est ens. Unde natura divina et est id quo Deus agit, et est ipse Deus agens.

* D. 1081.

β) *naturam nostram.* – IpG; *nostram naturam* F, *naturam a matre* prima et E, *naturam nostram a matre* HsG et editiones.

γ) *assumit.* – *assumpsit* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo articuli secundi, nota omnes tres terminos. Nam ly *naturae divinae* in hoc articulo sumitur, non ut sumitur per modum naturae tantum, ut significatur nomine *deitatis:* sed etiam ut sumitur per modum subsistentis in natura ut sic, ut significatur nomine *Dei,* seu *Dei huius.* Ita quod appellatione naturae divinae venit hoc in loco non solum deitas, sed Deus et Deus hic. Nec hoc ego somnio: sed ex responsione ad tertium clare habeo, ut ibi declarabitur *; et nunc supponatur. Ita quod natura divina sumitur hic ut distinguitur contra personam simpliciter, hoc est, secundum completam rationem personae.

* Num. iv.

Ly *conveniat* sumitur non de possibili, sed de facto. Quoniam an natura possit assumere, in sequenti tractabitur articulo: sed an de facto verum sit quod deitas, Deus, hic Deus assumpserit naturam, quaeritur; ut patet ex responsione ad secundum, ubi dicitur quod *assumere convenit naturae divinae ratione personae Verbi.*

Ly *assumere* univoce sumitur, ut scilicet terminatur ad unionem personalem Verbi, qualis descripta iam in ante * dictis est: ut ex responsone ad secundum, iam allegata, patet.

* Art. praeced.

Rursus adverte quod, cum quaeritur hic an naturae divinae conveniat assumere, intentio quaestionis est, an sic conveniat quod possit vere dici quod *natura divina assumpsit naturam humanam.* Et in hoc clauditur, an naturae divinae conveniat assumere ut quod assumit. Ita quod non sufficit quaestioni dicere quod natura divina est *qua* seu *quo* facta est assumptio: sed inquirimus an sit *quod* seu *quae* assumpsit naturam humanam. – Haec de titulo.

II. In corpore articuli unica est conclusio principalis: *Naturae convenit secundario assumere naturam.* Probatur. Assumens est principium et terminus assumptionis. Sed natura divina est secundum se principium: et, non secundum se, sed ratione personae, est terminus assumptionis. Ergo natura divina est secundario assumens, scilicet ad sui personam. – Maior probatur ex eo quod in verbo *assumptionis* importatur utrumque, scilicet principium et terminum assumptionis, esse idem. – Minor, quoad primam partem, probatur: quia virtute naturae divinae assumptio facta est. Quoad secundam vero, quia esse terminum assumptionis convenit primo personae, ut patet ex praecedenti articulo. Ubi quia etiam dictum est quod est etiam principium assumptionis ut quod, ideo hic repetitur quod *propriissime,* et additur quod *primo* convenit personae assumere.

Secunda autem conclusio, adiuncta propter clarificanda similia, est quod *Natura divina per hunc modum, scilicet secundario, est incarnata:* quia scilicet carnem ad sui personam assumpsit.

III. In responsione ad secundum, quoad omnes eius partes, nota pro sequenti articulo. Tria enim hic dicuntur. Primum est de communitate convenientium naturae divinae secundum se, ut distinguitur contra personam. Secundum, de assumere: quod de facto ei convenit ratione Verbi. Tertium, de illa subiuncta causali, scilicet: *Et ideo illi soli personae convenit.* Ad haec enim in sequenti articulo recursus erit.

IV. In responsione ad tertium eiusdem secundi articuli, adverte quod, quia argumentum ad hoc tendebat quod naturae divinae non conveniebat assumere etiam ut principio assumptionis, hoc est ut principio quod assumere dicitur, quia natura habet rationem principii ut quo, non ut quod; et Auctor intendit quod naturae divinae convenit assumere in ratione principii non solum quo, sed quod: ideo in hac responsione dicit: – Sicut quoad esse idem est in Deo quo et quod, ita quoad agere. Et ideo natura divina est quo Deus agit assumptionem, et quod agit illam: quia est ipse Deus agens. Quod nihil aliud est quam dicere, *Quia deitas haec est hic Deus:* haec enim sunt abstracta et concreta naturae divinae singulariter significatae. Ubi clare videre potes bene expositum fuisse titulum articuli *.

* Num. i.

Habes quoque hinc sensum dictorum in corpore articuli de termino assumptionis, cum dicitur quod *naturae divinae non convenit esse assumptionis terminum secundum se, sed ratione personae.* Nam hinc patet, et ex responsione ad secundum, quod appellatione *personae* hic intelligitur sola persona simpliciter et perfecte habens rationem personae, ut est Verbum Dei: et appellatione *naturae* intelligitur tam natura in abstracto quam in concreto, tam *deitas* quam *Deus,* tam *haec deitas* quam *hic Deus.* Habes enim hinc quod *ipse,* seu *hic Deus,* concurrit ad assumere ut principium quod, et non ut terminus. Habes ex responsione ad secundum quod ideo soli personae Verbi convenit assumere ut termino, quia esse terminum assumptionis convenit deitati ratione personae Verbi. Quid clarius?

Restat igitur indubitata apud Auctorem conclusio quod

per se primo terminus assumptionis in mysterio incarnationis est persona Verbi ut sic, ut distinguitur contra naturam, et individuum naturae, et alias personas. Hoc est: Est Verbum ut distinguitur a deitate hac, et hoc Deo, et Patre et Spiritu Sancto.

V. Quaestio non dissimulanda ex Durando, in III *Sent.*, dist. I, qu. II, occurrit, probante quod personae divinae convenit primo ratione essentiae divinae assumere terminative, ita quod ad unionem personalem Verbi cum natura humana non consequitur, sed praeexigitur unio naturae divinae cum natura humana.

Praemittit autem suppositionem unam, scilicet: Subsistere in divinis est unicum et absolutum: ac per hoc, competit omnibus personis divinis ratione essentiae, sicut cetera essentialia. Hanc autem suppositionem probat dupliciter. Primo, ratione. Quia persona divina per aliud formaliter est subsistens, et per aliud formaliter est suppositum: quia per essentiam, et non per proprietatem relativam est subsistens; et per proprietatem relativam est suppositum. Quia subsistere dicit esse secundum perfectissimum modum essendi. Perfectissimus autem modus essendi est in se existere: non ad aliud esse. Essentia autem facit formaliter in se existere: proprietas autem relativa ad aliud esse. Igitur subsistere in divinis est per essentiam, et non per proprietatem relativam. – Secundo, auctoritate Augustini, in V *de Trin.* *: *Omnis res ad seipsam subsistit: quanto magis Deus!* – Probari quoque potest tertio ad hominem, scilicet ad sanctum Thomam. Quia apud ipsum, in Qu. *de Potentia,* qu. IX, art. 5, ad 13, essentia divina non habet subsistere a proprietatibus personalibus: sed contra, proprietates personales habent quod subsistant ab essentia divina.

* Lib. VII, cap. IV.

Hac igitur suppositione stante, probat Durandus intentum sic. Persona divina per illud quo subsistit, primo terminat dependentiam naturae assumptae. Ergo ratione essentiae divinae primo terminat. – Antecedens est per se notum. – Consequentia autem ex suppositione probata patet: quia per essentiam divinam, et non per proprietatem personalem subsistit.

Et sic patet quod terminare assumptionem et unionem primo convenit naturae divinae. Et directe sunt haec contra doctrinam praesentis articuli, ubi expresse dicitur quod *esse terminum assumptionis non convenit naturae divinae secundum se, sed ratione personae.*

VI. Ad hanc quaestionem sic procedendum est quod primo ostendendum est quod subsistere in divinis est essentiale et personale, sicut res: ita quod, sicut tam essentia quam persona quaelibet est secundum seipsam formaliter res, et simul non quatuor, sed tres sunt; ita tam essentia quam persona quaelibet est secundum seipsam formaliter subsistens, et simul non sunt quatuor, sed tres subsistentiae. – Deinde ad quaesitum deveniendum est *.

* Num. IX.

Ad evidentiam autem primi, non est procedendum ex significatione subsistentiae quam iste vel ille assignat: sed ex his quae ab omnibus acceptantur. Et propterea hinc inchoandum reor, quod, infra latitudinem substantiarum semper sermonem hunc intelligendo, differentia manifesta invenitur inter naturam, etiam singularem, et subsistens in natura, in hoc quod ratio naturae, etiam huius, est pura ratio naturae singularis: ratio vero subsistentis in natura est ratio habentis naturam illam. Quod sub aliis verbis dicitur: Natura est ut *quo,* subsistens est ut *quod.* – Manifestatur differentia haec inductive in hac humanitate et hoc homine, hac deitate et hoc Deo, etc. – Probaturque sic esse in re ex ipso incarnationis mysterio, in quo fatemur inveniri hanc humanitatem sine hoc homine proprio illi humanitati: quoniam non est ibi hic homo, nisi Filius Dei. Ex hoc enim quod huic humanitati nihil deest nisi propria subsistentia et nisi proprium subsistens in hac humanitate; et constat quod non deest nisi proprium habens illam humanitatem: manifeste patet quod ratio subsistentis in natura, et ratio habentis naturam, una et eadem est.

Inter substantiam autem divinam et creatas haec est in proposito differentia, quod in creatis unica tantum ratione, unico tantum modo invenitur habens naturam, scilicet ut hypostasis, seu ut prima substantia: quoniam in creaturis non est differentia inter individuum naturae et primam substantiam seu hypostasim. In Deo autem invenitur duplici ratione et modo habens naturam: scilicet habens naturam communiter, ut hic Deus; et habens naturam incommunicabiliter, ut Pater. Ac per hoc, invenitur subsistens in natura communiter, ut hic Deus: et subsistens in natura incommunicabiliter, ut quaelibet divina persona. Constat enim quod hic Deus, ut sic, subsistit essentialiter: tam Pater autem quam Filius quam Spiritus Sanctus, ut sic, subsistit personaliter. Hic Deus subsistit formaliter deitate: Filius autem subsistit formaliter sua personalitate, quae est ipsa filiatio. Alia ergo est ratio subsistendi huic Deo, et alia Filio: sicut alia est ratio deitatis, et personalitatis. Et similiter alius est modus subsistendi quo hic Deus subsistit, quoniam subsistit essentialiter et communiter: et quo Filius subsistit, quoniam subsistit personaliter et incommunicabiliter.

VII. Et ne quis putet me nova cudere, probatur ratione et auctoritate subsistere esse etiam personale in divinis; et esse formaliter magis personale quam essentiale *; quamvis radicaliter sit essentiale *. Probantur singula.

* Num. seq.
* Ibid., *Notanter.*

Quod subsistere sit personale, patet sic. Personalitas divina est formaliter personale. Ergo subsistentia. – Tenet sequela: alioquin, personalitas non constitueret personam, sed relativum tantum. Si enim paternitas non constituit ipsum quasi subiectum relationis paternae, constat quod non constituit personam Patris: et si constituit personam Patris, constituit quasi subiectum paternae relationis. Ipsum autem quasi subiectum paternae relationis constat esse substantiam individuam, subsistentiam, hypostasim. Idem est ergo dicere quod subsistentia non est personalis, et dicere quod personalitas non est personalis: cum personalitas subsistentia sit, quia constituere personam est constituere substantiam individuam in natura intellectuali.

Et confirmatur. Quia, etiam fingendi data licentia, impossibile est intelligere substantiam individuam in natura intellectuali, et non intelligere subsistens in natura intellectuali. Constat autem luce clarius quod ly *substantia individua,* loco cuius ponimus *subsistens,* importat formaliter personalitatem. Claudit ergo personalitas in se formaliter subsistentiam: nec oppositum est intelligibile.

Et confirmatur. Quia nisi esset trinitas subsistentium, non esset trinitas personarum; sed esset sola trinitas relationum ut sic, hoc est, secundum esse et non secundum personalitates. Quod a fidei doctrina alienum est, confitente * quod *alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti.*

* In Symb. S. Athanas.

Auctoritas ad hoc Auctoris est in Prima Parte, qu. XL, ubi dicit, art. 3, in corpore: *Proprietates personales non intelliguntur advenire hypostasibus divinis quasi formae subiecto praeexistenti: sed ferunt secum ipsas hypostases.* – Et in resp. ad 2 dicit: *Paternitate non solum est Pater, sed quis, seu hypostasis.* Quid clarius? – Et in Qu. IX *de Potentia Dei,* art. 4, dicit: *Persona divina formali significatione significat distinctum subsistens in natura divina.*

VIII. Quod autem subsistentia magis sit formaliter personale quam essentiale, ex duobus patet. Primo, quia persona in communi in formali suo significato includit subsistens, ut Auctor expresse dicit in dicto articulo dictae quaestionis *de Potentia Dei,* et patet ex definitione Boetii *: quia in recto significat substantiam individuam, hoc est substantiam primam, quam constat esse subsistens primum. Natura autem in communi non significat subsistens.

* *De Duab. Nat.,* cap. III.

Secundo, ex eo quod subsistens in natura divina, ut subsistens, habet rationem personae, quamvis incomplete. Ex eo namque quod etiam in natura divina subsistens quamvis communiter, induit quandam rationem personae, appropinquando ad rationem personae, et habendo rationem personae incomplete; signum habetur quod subsistere, quod habere rationem subsistentis, magis convenit formaliter personae quam naturae. Magis ergo est formaliter personale quam essentiale.

Notanter autem dixi, *formaliter.* Quia radicaliter constat

divinam essentiam habere primo rationem subsistentis: ita quod, si sic loqui licet, personae divinae mendicant subsistentiam ab essentia, et non e contra. Et secundum hoc salvatur differentia inter Deum et creaturas, quod in creaturis natura mendicat subsistere ab hypostasi, non enim subsistit haec humanitas nisi per hypostasim: in divinis vero deitas seipsa subsistit. Et ideo paternitas constituit hypostasim paternam, quia est eadem deitati. Ita quod ex deitate habet quasi originaliter seu radicaliter, ex seipsa autem formaliter, quod subsistat, quod constituat hypostasim, quod est constituere subsistens hypostatice.

* Num. v. IX. Ex his autem patet quid dicendum ad Durandum*: quod suppositio scilicet quodammodo est vera, et quodammodo falsa. Quoniam subsistere non uno modo dicitur: sed essentialiter, vel personaliter. Et si referatur ad subsistere essentiale, vera est: si autem ad personale, falsa est. Sunt enim in divinis tres subsistentiae personales: sicut tres primae substantiae, sicut tres personae.

Ad rationem autem Durandi dicitur distinguendo quod persona divina per aliud est subsistens essentialiter, quia per essentiam: et per aliud suppositum, quia per proprietatem personalem. Sed per hoc idem est subsistens personaliter: subsistit enim in persona et essentialiter, quia est hic Deus; et personaliter, quia est haec persona. – Et cum dicitur, *Subsistere dicit esse secundum perfectissimum modum essendi,* transeat. Sed non valet: *Ergo non est per relationem divinam inquantum est forma personalis.* Sed bene valet: *Ergo non est per eam inquantum est relatio.* Et similiter valet, *Ergo non per ad aliud se habere ut sic:* cum quo stat quod sit per ad aliud se habere ut est forma hypostatica. – Similiter nihil obstat quod subsumitur: *Sed perfectissimus modus essendi est in se, non ad aliud.* Conceditur siquidem totum, formaliter loquendo. Et dicitur quod subsistere non dicit modum essendi ad aliud, formaliter loquendo: cum quo stat quod dicat modum essendi constitutum per ad aliud, non inquantum ad aliud, sed inquantum est forma hypostatica; ut latius in Commentariis Primae Partis * tractatum est. * Qu. xxix, art. 4.

Ad auctoritatem Augustini dicitur quod, sicut substantia individua, formaliter loquendo, non est ad aliud, sed ad se; et similiter persona non est ad aliud, sed ad se (nullus enim est persona aut substantia individua ad aliud): ita subsistens est ad se, et non ad aliud. Et hoc solum intendit Augustinus: ut patet ex discursu ipsius ex communibus Deo et creaturis. Et hoc est verissimum, ut patet exercendo haec: nulla enim res dicitur substantia individua, aut hypostasis, aut persona, aut subsistens, ad aliud. Sed sicut cum his stat quod, gratia materiae, substantia individua, et hypostasis, et persona, in divinis significat relationem, non [ut] ad aliud, sed ut rem hypostaticam; ita stat quod subsistens et subsistentia significet relationem ut rem hypostaticam.

Ad probationem ad hominem, tertio allatam ex auctoritate Auctoris, iam * dictum est. * Num. viii, *Notanter.*

Ex his quoque patet quid dicendum sit ad rationem Durandi contra propositum *. Nam tota ratio consistit in hoc: *Per illud primo persona terminat dependentiam naturae assumptae, per quod subsistit.* Et ad hoc dicendum est, iuxta dicta, quod si *subsistit* stat pro *subsistere essentialiter,* falsum assumitur: si autem stat pro *subsistere personaliter,* verum dicitur. Sed arguens in primo sensu loquitur, et probat minorem eius. Et ideo nihil contra Auctoris solidam doctrinam concludit. * Num. v, *Hac igitur.*

Et haec responsio data est, non faciendo difficultatem in verbo *dependentiae,* cum arguens dixit, *terminat dependentiam naturae assumptae.* Quod ideo dico, quia dependentia non nisi inter causam et effectum, ut sic, proprie salvari videtur: terminus autem assumptionis, ut sic, nullam causalitatem ad naturam assumptam habet. Alioquin, tota Trinitas necessario esset terminus assumptionis: quia indivisa est causalitas Trinitatis ad extra *. – Et hoc magis manifestat quod persona divina ratione proprietatis personalis, cuius non est secundum se causare, primo terminat assumptionem: et non ratione naturae, cuius est secundum se causare. Nam et personae divinae ratione proprietatis personalis convenit per se primo terminare naturam: usque adeo ut etiam natura divina interminata quodammodo sit secundum se, et ad proprietatem personalem ultimo terminetur; intelligimus enim hunc Deum quasi interminatum, donec determinemus Patrem aut Filium aut Spiritum Sanctum. Ex hoc igitur quod personalitas divina ipsam naturam divinam terminat, ostenditur quod Verbum ratione suae personalitatis primo terminat naturam assumptam: ut sic una Verbi persona terminet duas naturas, divinam scilicet et humanam, sicut subsistit in duabus naturis, divina scilicet et humana, quamvis diversimode. * Cf. Aug. *Enchirid.,* cap. xxxviii.

Omnia igitur consonant veritati doctrinae articuli huius dicentis quod assumere terminative convenit primo personae, ita quod naturae non convenit nisi ratione personae.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM, ABSTRACTA PERSONALITATE PER INTELLECTUM, NATURA POSSIT ASSUMERE

III *Sent.,* dist. v, qu. ii, art. 3.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod, abstracta personalitate per intellectum, natura non possit assumere. Dictum est* enim quod naturae convenit assumere ratione personae. Sed quod convenit alicui ratione alicuius, remoto eo, non potest ei convenire: sicut corpus, quod est visibile ratione coloris, sine colore videri non potest. Ergo, abstracta personalitate per intellectum, natura assumere non potest. * Art. praeced.

2. PRAETEREA, assumptio importat terminum unionis, ut dictum est*. Sed unio non potest fieri in natura, sed solum in persona. Ergo, abstracta personalitate, natura divina non potest assumere. * Art. 1.

3. PRAETEREA, in Prima Parte * dictum est quod in divinis, abstracta personalitate, nihil manet. Sed assumens est aliquid. Ergo, abstracta personalitate, non potest divina natura assumere. * Qu. xl, art. 3.

SED CONTRA EST quod in divinis personalitas dicitur proprietas personalis: quae est triplex, scilicet paternitas, processio et filiatio [α], ut in Prima Parte * dictum est. Sed, remotis his per intellectum, adhuc remanet Dei omnipotentia, per quam est facta incarnatio: sicut Angelus dixit, Luc. i *: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Ergo videtur quod, etiam remota personalitate, natura divina possit assumere. * Qu xxx, art. 2. * Vers. 37.

RESPONDEO DICENDUM quod intellectus dupliciter se habet ad divina. Uno modo, ut cognoscat Deum sicuti est. Et sic impossibile est quod circumscri-

---

α) *processio et filiatio.* – *filiatio et processio* P.

β batur per intellectum aliquid a Deo quod β aliud remaneat: quia totum quod est in Deo est unum, salva distinctione personarum; quarum tamen una tollitur, sublata alia, quia distinguuntur solum relationibus, quas oportet esse simul.

Alio modo se habet intellectus ad divina, non quidem quasi cognoscens Deum ut est, sed per modum suum: scilicet multipliciter et divisim id quod in Deo est unum. Et per hunc modum potest intellectus noster intelligere bonitatem et sapientiam divinam, et alia huiusmodi, quae dicuntur essentialia attributa, non intellecta paternitate vel filiatione, quae dicuntur personalitates. Et secundum hoc, abstracta personalitate per intellectum, possumus adhuc intelligere naturam assumentem.

Ad primum ergo dicendum quod, quia in divinis idem est quo est et quod est *, quidquid eorum quae attribuuntur Deo in abstracto secundum se consideretur, aliis circumscriptis, erit aliquid subsistens: et per consequens persona, cum sit in natura intellectuali. Sicut igitur nunc, positis proprietatibus personalibus in Deo, dicimus tres personas: ita, exclusis per intellectum proprietatibus personalibus, remanebit in consideratione nostra natura divina ut subsistens, et ut persona. Et per hunc modum potest intelligi quod assumat naturam humanam ratione suae subsistentiae vel personalitatis.

* D. 1081.

Ad secundum dicendum quod, etiam circumscriptis per intellectum personalitatibus trium personarum, remanebit in intellectu una personalitas Dei, ut Iudaei intelligunt: ad quam poterit terminari assumptio, sicut nunc dicimus eam terminari ad personam Verbi.

Ad tertium dicendum quod, abstracta personalitate per intellectum, dicitur nihil remanere per modum resolutionis, quasi aliud sit quod subiicitur relationi, et aliud ipsa relatio: quia quidquid consideratur in Deo, consideratur ut suppositum subsistens. Potest tamen aliquid eorum quae dicuntur de Deo intelligi sine alio, non per modum resolutionis, sed per modum iam * dictum.

* In corpore.

β) *quod*. – *et quod* EsG et editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus articuli, quia in corpore articuli declaratur, pertranseundus est: eo tamen pacto ut post declarationem litterae amplius declaretur *.

* Num. III.

In corpore articuli duo fiunt: primo, distinguitur ac declaratur unus terminus quaestionis, scilicet ly *abstracta;* secundo, respondetur quaesito unica conclusione *. Distinctio duplex in littera ponitur. Una explicite, de duplici modo quo se habere potest intellectus ad divina: vel cognoscendo Deum sicuti est; vel cognoscendo Deum per modum ipsius intellectus, scilicet multipliciter et divisim. Altera implicite, de duplici abstractione: vel ex parte rei unde fit abstractio; vel ex parte intellectus tantum. Prima enim abstractio spectat ad primum modum cognoscendi rem, scilicet sicuti est: secunda autem abstractio spectat ad secundum modum cognoscendi rem, scilicet multipliciter et divisim quod in re unum est. Iuxta primum membrum tam modi cognoscendi quam abstractionis, dicitur quod est impossibile aliquid abstrahi in Deo: quoniam omnia sunt ibi unum, salva distinctione personarum, etc. Iuxta secundum modum tam cognitionis quam abstractionis, dicitur quod possibile est aliquid abstrahi in Deo: quia potest cognosci unum non cognoscendo aliud; ut patet de attributis et proprietatibus personalibus.

* Cf. num. IV.

II. Nota hic quod primus modus cognitionis et abstractionis perspicietur impossibilis in divinis, si videbis quare habet locum in creaturis, et in quibus. Quando enim in re invenitur aliud et aliud esse, sive in actu sive in potentia, tunc invenitur abstractio ex parte rei. Nam album ab homine, et e contra, abstrahere possum ex parte rei: quia aliud est esse album, et aliud esse hominem. Formam quoque a materia, et e contra, abstraho: quia aliud est materia, aliud forma; aliud enim est corpus, aliud anima. Animal quoque a rationali, et e contra, abstraho ex parte rei: quia aliud est esse animal, aliud est esse rationale; quamvis in aliquo coincidant in unam rem. Et simile est de aliis huiusmodi iudicium. Et per oppositum, si aliqua quae dicuntur plura, ita simpliciter coeant ut nec actu nec potentia distinctionem aliquam habeant, sed una simplicissima res sit altioris ordinis aequivalens omnibus, non habet ibi locum abstractio ex parte rei. Quoniam abstractio ex parte rei distinctionem aliquam ex parte rei pro fundamento ipsius exigit: alioquin ex parte rei non se tenet; cum abstractio distinctionem quandam ita includat ut sine distinctione non sit intelligibilis. Eo namque ipso quod abstraho, distinguo, vel distinctionem suppono: et propterea, si ex parte rei est abstractio, ex parte rei supponitur distinctio. Unde, quia Deus est simplicissima res altissimi ordinis, omnia praehabens in sua unica re reali et formali, ideo nulla ibi ex parte rei potest fieri abstractio: salva tamen personarum distinctione.

Nec propterea censenda est fictitia abstractio ex parte intellectus tantum. Quoniam talis abstractio, licet non habeat in re distinctionem sibi correspondentem, habet tamen alterius rationis fundamentum in re: scilicet celsitudinem rei virtualiter praehabentis huiusmodi distinctionem. Et, ut unico verbo dicatur, abstractio ex parte rei et abstractio ex parte intellectus tantum differunt sicut effectus ex causa univoca, et ex causa aequivoca: quoniam in prima distinctio abstractionis est ex distinctione inventa in re; in secunda vero distinctio abstractionis est, non ex distinctione inventa in re, sed ex re virtualiter continente huiusmodi distinctionem. In nulla igitur huiusmodi abstractionum est mendacium: sed utraque vere fulta, quamvis difformiter, ex parte rei.

III. Et per hoc patet titulus articuli *: sub quali abstractione vertitur in dubium cum quaeritur, *An, abstracta personalitate,* etc. Patet enim quod de abstractione ex parte intellectus tantum est quaestio. Quoniam personalitas et deitas nullo modo distinguuntur ex natura rei: sed est ibi una simplicissima res, unius in se simplicissimae adeo excelsae rationis formalis ut habeat formaliter et propria deitatis et propria personalitatis, et propria substantiae et propria relationis. Et propterea virtualiter dicitur continere talium distinctionem. Quod abusive ab aliis * vocatur *distingui formaliter ex natura rei.*

* Cf. num. I.

* Cf. Scot. I *Sent.*, dist. II, ad 1am quaest. (in ordine 4am), resp. ad difficult.

Sed, his omissis, et sobrie intellecta abstractione personalitatis, quovis modo exprimatur, dupliciter potest titulus articuli huius intelligi: primo, ut abstractio personalitatis fiat a Deo; secundo, ut abstractio personalitatis non fiat a Deo, sed ab actu incarnationis etiam terminative. Si enim personalitas abstrahi intelligitur a Deo, sensus est: An, si Deus non haberet personalitatem quam de facto habet, posset assumere; et praecipue terminative? Si vero abstractio fiat solum ab actu incarnationis, sensus est: An,

existente Deo sicuti est, scilicet uno in substantia et trino in personis, possit hic Deus, inquantum hic Deus, secundum se, non ratione Patris aut Filii aut Spiritus Sancti, assumere, hoc est, et facere et terminare assumptionem? Et in primo quidem sensu communiter a doctoribus tractari videtur, et ab Auctore hic tractatur. In secundo autem, tangi quidem invenio ab Auctore aliqualiter *, sed ordinate discuti minime. Absolvenda igitur est quaestio haec primum in primo sensu, prosequendo expositionem litterae; et deinde in secundo tractanda est sensu *. – Haec de primo.

* In resp. ad 1. 2; cf. art. seq., Comment. num. II.

* Num. IX.

IV. Quoad secundum *, conclusio responsiva quaesito affirmative est: *Abstracta secundo modo personalitate, possumus intelligere naturam divinam assumentem.* Haec conclusio non aliter probatur in littera: quia, solvendo obiectiones, in responsionibus argumentorum sufficienter manifestatur *.

* Num. I.

* Cf. nn. sqq.

V. In responsione ad primum, dubium novitiorum occurrit circa illud: *Erit aliquid subsistens, et per consequens persona.* Quoniam non valet consequentia, *In natura intellectuali est subsistens, Ergo persona,* ut patet ex ante * dictis: nam hic Deus est subsistens in natura intellectuali, et tamen non est persona.

* Qu. II, art. 2, Comment. num. XV.

Ad hoc dicitur quod in littera non infertur ex subsistentia personalitas: sed ex subsistentia *circumscriptis aliis* infertur personalitas. Haec autem illatio optima est: quoniam, circumscriptis aliis, subsistens in natura intellectuali est incommunicabile, ac per hoc persona. Ita quod circumscriptio sic accipienda est ut apponat incommunicabilitatem. Et hoc clarius in responsione ad secundum patebit nunc nunc *.

* Num. seq.

VI. In responsione ad secundum, dubium simile praecedenti occurrit circa illud: *Circumscriptis per intellectum personalitatibus trium personarum, remanebit in intellectu una personalitas Dei, ut Iudaei intelligunt.* Quoniam videtur hoc esse falsum. Quia *abstrahentium non est mendacium* *. Constat autem in Deo non esse quatuor personalitates, unam scilicet absolutam et tres relativas, ut, abstractis tribus personalitatibus, remaneat quarta: sed esse tres tantum, quibus abstractis, nulla remanet personalitas nisi chimaerica. Falsum ergo est quod, abstractis per intellectum personalitatibus Patris et Filii et Spiritus Sancti, remaneat una personalitas: sed remanet tantum hic Deus subsistens, ut patet.

* Aristot. *Physic.* lib. II, cap. II, n. 3. – S. Th. lect. III.

Ad hoc dicitur quod dupliciter contingit abstrahere sine mendacio. Uno modo, considerando id quod de facto est aut intelligitur in re post abstractionem: sicut, abstrahendo naturalitatem a quanto, consideramus quid convenit quanto. Et hoc modo abstractis personalitatibus trium personarum a Deo, non remanet intelligenda in Deo personalitas, sed subsistentia: quia solum remanet hic Deus, ut optime argumentum concludit. – Alio modo, considerando id quod consequenter esset aut intelligeretur ex abstractione: sicut, in exemplo dato, dicimus quod sphaera tangeret secundum rem planum in puncto (quod nunc de facto non videtur possibile: cum haec in re non inveniantur); et quod, quantumcumque quantum divideretur actualiter, semper remaneret idem numero (quod modo constat esse impossibile: quia saltem resolveretur in continens). Et hoc modo abstractis personalitatibus trium personarum a Deo, remaneret una personalitas. Quia scilicet, si non essent in Deo personalitates trium personarum, essentia divina esset una tantum persona absoluta, ut Iudaei et philosophi intelligunt. Et hoc intendit Auctor in littera. Et ad evitandum mendacium in talibus abstractionibus non oportet respicere ad veritatem eius quod in re est: sed ad veritatem eius quod esset; hoc est, ad veritatem conditionalis super abstractione fundatae; puta, si quantum esset sine naturalitate, etc.; si divina natura esset sine trinitate personarum, etc.; et sic de similibus. Veritas enim huiusmodi conditionalium fugat mendacium ab abstractione.

Et diligentius si contemplatus fueris verba litterae in responsione ad primum, invenies ob dictum duplicem modum remanendi post abstractionem, scilicet de facto vel consequenter, dictum esse sub disiunctione bis remanere in divinis subsistens vel personam, abstractis personalitatibus. De facto enim remanet subsistens: consequenter autem remaneret persona una.

VII. In responsione ad tertium, dubium occurrit, quid intelligit Auctor nomine *abstractionis per modum resolutionis.* Et est ratio dubii hinc inde ex hacmet responsione. Quoniam ex principio huius responsionis apparet quod abstractio per modum resolutionis est abstractio qua aut universale a particularibus, aut forma a materia abstrahitur. Quoniam haec abstractio est de qua locutus est Auctor in Prima, qu. XL, art. 3, cum dixit, abstracta personalitate, nihil manere: quam hic arguendo explicite affert, et respondendo exponit quod verum dictum est loquendo de abstractione per modum resolutionis. – Ex calce autem huiusmet responsionis apparet oppositum, dum dicitur: *Potest tamen aliquid eorum quae dicuntur de Deo intelligi sine alio, non per modum resolutionis.* Ex his enim verbis clare habetur quod abstractio per modum resolutionis non habet locum in Deo.

Tunc sic. Abstractio per modum universalis et particularis, et similiter per modum formae et materiae, habet locum in Deo. Sed abstractio per modum resolutionis non habet locum in Deo. Ergo abstractio per modum resolutionis non est abstractio qua universale a particularibus, aut forma a materia abstrahitur. – Assumptum probatur. Quia secundum abstractionem universalis a particularibus, Deus abstrahit a Patre et Filio et Spiritu Sancto, ut ibidem Auctor dicit: et secundum abstractionem formae a materia, communis spiratio abstrahit a Patre. Unde, abstractis personis, remanet Deus; et, abstracta communi spiratione, remanet persona Patris: quamvis secundum neutram abstractionem abstractis personalibus proprietatibus, remaneat hypostasis, ut ibi dicitur.

VIII. Ad hoc dicitur quod sermo litterae huius est formaliter intelligendus de abstractione resolutiva, et non de hac vel illa specie abstractionis resolutivae. Pro cuius intellectu, considerandum est quod, quia resolutio compositioni opponitur (cuius signum est quod unaquaeque res in ea resolvitur ex quibus composita est; et quod *ultimum in resolutione primum in compositione* dicitur), ideo, ubi nulla est compositio rerum vel intellectuum, ibi nulla resolutio, formaliter et proprie loquendo, locum habet. Compositionem autem intellectuum dico, non ex parte intellectus tantum multipliciter intelligentis simplicissimum, sed ex parte rei. Qualis est compositio ex genere et differentia, ubi non rerum, sed rationum compositio est, ex parte tamen rei: natura siquidem generis alia est a natura differentiae (unde et separatae inveniuntur), quamvis in unam rem coeant; et propterea ex natura rei oritur distinctio et compositio intellectuum generis et differentiae, et consequenter resolutio. Ita quod abstractio resolutiva continet sub se abstractionem generis a differentiis, et universalis a particularibus, et formae a materia: quoniam in omnibus his, proprie sumptis, invenitur compositio et resolutio rerum, vel intellectuum ex parte rei. Et quoniam in Deo nulla est compositio sive secundum rem sive secundum rationem ex parte rei, ideo optime in littera dicitur quod in Deo non habet locum abstractio resolutiva. Ita quod hoc quod in calce huius responsionis dicitur, est illudmet quod dictum est in principio corporis huius articuli, quod, intelligendo Deum sicuti est, non habet in eo locum abstractio. In cuius signum, in calce huius responsionis contraponitur id quod in corpore articuli contrapositum est, scilicet abstrahere ex parte intellectus tantum multipliciter et divisim intelligentis quod simplex est.

Ad id autem quod obiicitur ex Prima Parte, dicitur quod Auctor hic loquitur de illa abstractione de qua ibi locutus est, sed aliter. Quia ibi locutus est de speciebus abstractionis resolutivae, scilicet universalis a particularibus et formae a materia: hic loquitur de ipsis in suo genere, scilicet abstractione resolutiva. – Rursus, ibi negat remanere personas, admittendo in illa materia abstractionem, non resolutivam, sed *quasi ad modum resolutivarum:* quoniam expresse ibi dicitur quod ibi nec universale nec particulare, nec forma nec materia invenitur, etc. Hic negat, non solum in illa materia, sed totaliter in divinis habere

locum abstractionem resolutivam proprie et formaliter sumptam. Quae constat non obstare, si non resolutiva abstractio proprie et formaliter, sed ad modum, ad imitationem resolutivae abstractionis, in divinis admittitur abstractio et universalis a particularibus et formae a materia: utraque enim sic admissa continetur sub abstractione, non resolutiva, sed ex parte intellectus tantum. Unde omnia consonant. -- Et haec de quaestione hac in primo sensu.

* Num. III, in fine.

IX. In secundo autem sensu *, an scilicet, abstractis personalitatibus ab actu incarnationis, posset natura divina assumere humanam, praenotanda sunt duo. Primum est quod ista abstractio intelligitur quoad hoc tantum quod est esse per se primo terminum assumptionis: ita quod, quemadmodum in causando abstrahimus de facto a personis, non simpliciter, sed tanquam a per se primo ratione causandi (quoniam *indivisa sunt opera Trinitatis* *; et divinae personae causant per se primo inquantum sunt hic Deus, quia causant per se primo ratione naturae), ita, stando in ista hypothesi, abstractio fieret a per se primo terminare assumptionem; ut scilicet personae non secundum se, sed ratione subsistentis naturae, hoc est inquantum sunt hic Deus, per se primo terminarent assumptionem; sicut de facto per se primo illam causant inquantum sunt hic Deus.

* Aug. *Enchirid.*, cap. XXXVIII.

Secundum est quod disputatio et decisio quaestionis iuxta hunc sensum non debet egredi ad aliquam conditionem quae de facto non remanet in Deo stante huiusmodi abstractione, sed consequenter esset, ut in priori sensu concessum est *: et debet stare infra limites earum conditionum quae in Deo remanere de facto intelliguntur, stante huiusmodi abstractione. Et propterea, quia, abstrahendo personalitates a per se primo terminare assumptionem, non remanet personalitas per se primo terminans, sed remanet subsistentia naturae per se primo terminans, remanet hic Deus per se primo terminans, sicut modo de facto hic Deus est per se primo causans; et rursus, quia personalitates non abstrahunt a secundario terminare assumptionem (sicut nec modo abstrahunt a secundario, hoc est per naturam, causare), quoniam oporteret personas per naturam terminare, sicut oportet modo per naturam causare: ideo secundum hoc procedendum est.

* Num. VI.

X. Et dicendum est quod *Deus posset assumere naturam humanam.* Et terminaretur tunc ista assumptio per se primo, non ad naturam divinam ut sic, sed ad individuum naturae divinae, hoc est, ad subsistens in divina natura, hoc est, ad hunc Deum. Constat enim tantam esse differentiam inter divinam naturam ut naturam, et subsistens in natura divina, ut deitas nec genita nec generans sit in mysterio Trinitatis, Deus autem sit generans et genitus. Et a fortiori in mysterio incarnationis subsistens, ut subsistens, terminaret: et non natura ut natura. Et quoniam subsistens in natura divina habet rationem hypostasis seu personae, incomplete tamen, ut patet ex superius * dictis; ideo, si hic Deus primo terminasset assumptionem, esset unio non in natura, sed in persona seu hypostasi, incomplete * tamen quoad per se primo terminum. Quod ideo addo, quia quoad secundarium terminum, esset etiam unio in persona complete: nam sicut hic Deus non invenitur nisi Pater et Filius et Spiritus Sanctus, ita tunc hic Deus homo non inveniretur nisi Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Sicut enim nunc quidquid convenit huic Deo secundum se, convenit Patri et Filio et Spiritui Sancto; ita tunc esse hominem, quia conveniret huic Deo secundum se, hoc est non ratione trium personarum, conveniret cuilibet personae divinae: ut, utendo hac ratione, habere hoc potes ab Auctore, in articulo secundo huius quaestionis, in responsione ad secundum. Et sic unio terminata per se primo ad hunc Deum, terminaretur secundario ad omnes et singulas personas divinas. Ac per hoc, considerato utroque termino, scilicet primario et secundario, humanae naturae assumptae, personalitas propria, qua careret, suppleretur perfecte quoad perfectam rationem personalitatis: qualem suppletionem non faceret primarius terminus assumptionis secundum se.

* Qu. II, art. 2, Comment. num. XV.

* complete PAB.

Quocirca tam assumptio quam unio huiusmodi, si fieret, non esset omnino eiusdem rationis cum assumptione et unione quae facta est. Esset enim per se primo ad subsistens commune: quae vero facta est, per se primo ad subsistens incommunicabile. Esset per se primo ad personam incomplete, quamvis excellentiorem omni persona creata: quae facta est, per se primo ad personam complete, etiam excellentiorem omni persona creata. Esset secundario ad omnes personas Trinitatis: quae facta est, ita per se primo ad unam illarum, scilicet Verbum, quod nullo modo ad alias duas. -- Esset tamen eiusdem rationis aliqualiter: hoc est, quoad hoc quod esset unio similis unioni in persona, et iudicanda secundum dicta de unione in persona, incomplete tamen. Et ad ostendendam hanc identitatem rationis in utraque unione (scilicet si fiat ad subsistens in natura divina, et si fiat per se primo ad personam), Auctor in littera praesentis articuli * disiunctive bis dixit subsistentiam vel personalitatem: et superius in qu. II *, ut ibi ** expositum est, usus est hypostasis, suppositi et personae nomine communiter ad personam complete et incomplete.

* Ad 1.

* Art. 2.
** Comment. num. XV.

XI. Unde nullam video in hac materia dissensionem inter Auctoris doctrinam et Scotum, in III *Sent.*, dist. I, qu. II.

Cavendus tamen videtur in re hac Durandus, ibidem, qu. IV, non ut contrarius nobis, sed ut contrarius veritati, et ignorans propriam vocem, aut abutens vocabulis. Veritati quidem contrarius, pro quanto negat sequi, stante hac hypothesi, omnes personas, scilicet Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, incarnatas, quia erroneum est unam personam non posse incarnari sine alia. Nescio unde iste somniavit errorem hunc, stante illa hypothesi: cum evidenter pateat quod, stante positione ista, oporteret personas divinas ita concurrere ad incarnationem terminando mediante natura, sicut modo concurrunt causando illam mediante natura. Sed constat modo verum simpliciter et absolute esse quod Pater causavit assumptionem illam, et similiter Filius causavit, et similiter Spiritus Sanctus causavit: quia causant illam inquantum sunt hic Deus. Ergo tunc esset similiter verum simpliciter quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus terminarent assumptionem illam. Et consequenter, quia causarent et terminarent, vere ac necessario dicerentur incarnati.

Quomodo autem vocabulis abutatur, aut propriam vocem ignoret, non est praesentis propositi ostendere, ubi non arguendi alios, sed exponendi divum Thomam provincia assumpta est, ad veritatis notitiam capessendam. Sat sit cautum reddidisse lectorem.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM UNA PERSONA POSSIT ASSUMERE NATURAM CREATAM, ALIA NON ASSUMENTE

III *Sent.*, dist. I, qu. II, art. 1; IV *Cont. Gent.*, cap. XXXIX.



AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod una persona non possit assumere naturam creatam, alia non assumente. *Indivisa* enim *sunt opera Trinitatis*, ut dicit Augustinus, in *Enchirid.* *: sicut enim trium personarum est una essentia, ita una operatio. Sed assumere est operatio quaedam. Ergo non potest convenire uni personae divinae quin conveniat alii.

* Cap. XXXVIII.

2. PRAETEREA, sicut dicimus personam Filii in-

carnatam, ita et naturam: *tota* enim *divina natura in una suarum hypostasum incarnata est,* ut dicit Damascenus, in III libro *. Sed natura communis est tribus personis. Ergo et assumptio.

* *De Fide Orth.* lib. III, cap. VI.

3. Praeterea, sicut humana natura in Christo assumpta est a Deo, ita etiam et homines per gratiam assumuntur ab ipso: secundum illud *Rom.* XIV *: *Deus illum assumpsit.* Sed haec assumptio communiter pertinet ad omnes personas. Ergo et prima.

* Vers. 3.

Sed contra est quod Dionysius, II cap. *de Div. Nom.* *, incarnationis mysterium dicit pertinere ad *discretam theologiam:* secundum quam scilicet aliquid distinctum α dicitur de divinis personis.

* S. Th. lect. I, III.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est *, assumptio duo importat: scilicet actum assumentis, et terminum assumptionis. Actus autem assumentis procedit ex divina virtute, quae communis est tribus personis: sed terminus assumptionis est persona, sicut dictum est *. Et ideo id quod est actionis in assumptione, commune est tribus personis: sed id quod pertinet ad rationem termini, convenit ita uni personae quod non alii. Tres enim personae fecerunt ut humana natura uniretur uni personae Filii.

* Art. 1, 2.
* Art. 2.

Ad primum ergo dicendum quod ratio illa procedit ex parte operationis. Et sequeretur conclusio si solam illam operationem importaret absque termino, qui est persona.

Ad secundum dicendum quod natura dicitur incarnata, sicut et assumens, ratione personae ad quam terminata est unio, sicut dictum est *: non autem prout est communis tribus personis. Dicitur autem *tota natura divina incarnata,* non quia sit incarnata in omnibus personis: sed quia nihil deest de perfectione divinae naturae personae incarnatae.

* Ibid.

Ad tertium dicendum quod assumptio quae fit per gratiam adoptionis, terminatur ad quandam participationem divinae naturae secundum assimilationem ad bonitatem illius: secundum illud II Pet. I *: *Ut divinae consortes naturae,* etc. Et ideo huiusmodi assumptio communis est tribus personis et ex parte principii et ex parte termini. Sed assumptio quae est per gratiam unionis, est communis ex parte principii, non autem ex parte termini, ut dictum est *.

* Vers. 4.
* In corpore.

α) *distinctum.* – *distinctim* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus intelligendus est ut sonat: scilicet, ut de una persona verificetur assumere, et de alia non.

In corpore articuli non ponitur formaliter, sed elicitive, conclusio responsiva. Nam in corpore non habetur nisi ista conclusio: *Una persona potest assumere sine alia, non quoad operationem, sed quoad terminum.* Ex qua tamen habetur ista vera simpliciter: *Una persona potest assumere sine alia assumente.* Et hanc principaliter intendit Auctor.

Pro hac ergo in littera conclusio posita primo manifestatur quare duas partes habet: quia assumptio importat duo, scilicet operationem et terminum. – Secundo, probatur quoad partem negativam, scilicet, *non quoad operationem:* quia actus assumentis fit virtute divina communi tribus personis. – Tertio, probatur quoad partem affirmativam, scilicet, *quoad terminum:* quia terminus est persona. – Quarto, manifestatur tota conclusio: quia tres personae fecerunt naturam uniri uni personae.

Ex hac autem conclusione, et eius probatione, manifeste sequitur principaliter intenta conclusio tacita. Nam ex eo quod assumere importat utrumque, scilicet operationem et terminum, oportet utrumque inveniri in illo de quo vere enuntiandum est assumere, et non alterum tantum. Et quia in nulla persona divina invenitur utrumque nisi in una tantum, ideo uni personae convenit assumere sine alia assumente.

II. In responsione ad primum, perspice doctrinam datam in praecedenti articulo * de quaestione noviter mota, consonam esse Auctori hic dicenti quod *ratio illa* (scilicet, *sicut essentia est communis* etc.) *procedit ex parte operationis,* et subiungenti: *Et sequeretur conclusio si solam illam operationem importaret assumptio absque termino, qui est persona.* Unde habes quod, si assumptio non importaret personam pro termino, quod assumptio esset communis tribus personis. Sed in hypothesi seu abstractione posita, assumptio non importaret personam pro per se primo termino (de tali enim termino sermo est), sed hunc Deum. Igitur in tali casu assumptio communis esset tribus personis, secundum Auctoris doctrinam.

* Comment. n. IX, X.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM ALIA PERSONA DIVINA POTUERIT HUMANAM NATURAM ASSUMERE, PRAETER PERSONAM FILII

III *Sent.*, dist. I, qu. II, art. 3.



Ad quintum sic proceditur. Videtur quod nulla alia persona divina potuit humanam naturam assumere, praeter personam Filii. Per huiusmodi enim assumptionem factum est quod Deus sit Filius Hominis. Sed inconveniens esset quod esse filium α conveniret Patri vel Spiritui Sancto: hoc enim vergeret in confusionem divinarum personarum. Ergo Pater et Spiritus Sanctus carnem assumere non possent.

2. Praeterea, per incarnationem divinam homines sunt assecuti adoptionem filiorum: secundum illud *Rom.* VIII *: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis*

* Vers. 15.

α) *filium.* – *hominis* addunt DFH et editiones.

filiorum. Sed filiatio adoptiva est participata similitudo filiationis naturalis, quae non convenit nec Patri nec Spiritui Sancto: unde dicitur *Rom.* VIII *: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Ergo videtur quod nulla alia persona potuit incarnari praeter personam Filii.

* Vers. 29.

3. Praeterea, Filius dicitur missus, et genitus nativitate temporali, secundum quod incarnatus est. Sed Patri non convenit mitti, qui est [β] innascibilis: ut in Prima Parte * habitum est. Ergo saltem persona Patris non potuit incarnari.

* Qu. XXXII, art. 3; qu. XLIII, art. 4.

Sed contra, quidquid potest Filius, potest Pater [γ]: alioquin, non esset eadem potentia trium [δ]. Sed Filius potuit incarnari. Ergo similiter Pater et Spiritus Sanctus.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est *, assumptio duo importat: scilicet ipsum actum assumentis, et terminum assumptionis. Principium autem actus est virtus divina: terminus autem est persona. Virtus autem divina communiter et indifferenter se habet ad omnes personas. Eadem etiam est communis ratio personalitatis in tribus personis, licet proprietates personales sint differentes. Quandocumque autem virtus aliqua indifferenter se habet ad plura, potest ad quodlibet eorum suam actionem terminare: sicut patet in potentiis rationalibus, quae se habent ad opposita, quorum utrumque agere possunt. Sic ergo divina virtus potuit naturam humanam unire vel personae Patris vel Spiritus Sancti, sicut univit eam personae Filii. Et ideo dicendum est quod Pater vel Spiritus Sanctus potuit carnem assumere, sicut et Filius.

* Art. 1, 2, 4.

Ad primum ergo dicendum quod filiatio temporalis, qua Christus dicitur Filius Hominis, non constituit personam ipsius, sicut filiatio aeterna: sed est quiddam consequens nativitatem temporalem. Unde, si per hunc modum nomen filiationis ad Patrem vel Spiritum Sanctum transferretur, nulla sequeretur confusio divinarum personarum.

Ad secundum dicendum quod filiatio adoptiva est quaedam participata similitudo filiationis naturalis; sed fit in nobis appropriate a Patre, qui est principium naturalis filiationis; et per donum Spiritus Sancti, qui est amor Patris et Filii; secundum illud *Galat.* IV *: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem: Abba, Pater.* Et ideo sicut, Filio incarnato, adoptivam filiationem accipimus ad similitudinem naturalis filiationis eius; ita, Patre incarnato, adoptivam filiationem reciperemus ab eo tanquam a principio naturalis filiationis; et a Spiritu Sancto, tanquam a nexu communi Patris et Filii.

* Vers. 6.

Ad tertium dicendum quod Patri convenit esse innascibilem secundum nativitatem aeternam: quod non excluderet nativitas temporalis.

Mitti autem dicitur Filius secundum incarnationem, eo quod est ab illo [ε]: sine quo incarnatio non sufficeret ad rationem missionis.

β) *est.* – *est etiam* G, *etiam est* Pl.
γ) *Pater.* – *et Spiritus Sanctus* addunt PFGIc.
δ) *trium.* – *personarum* addit tertia praeter I; pG abrasa.
ε) *illo.* – *alio* F et tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est, nihil aliud apponendo quam titulus sonet. Quod dico, quia non quaeritur an simul potuerit alia persona eandem naturam assumere: sed simpliciter, *an potuerit assumere.* Ad quod verificandum non requiritur simultas: sed sufficit quod, sicut solus Filius est incarnatus, ita solus Pater fuisset incarnatus aut solus Spiritus Sanctus.

II. In corpore articuli unica est conclusio, responsiva quaesito affirmative: *Pater vel Spiritus Sanctus potuit carnem assumere, sicut et Filius.* Probatur. Divina virtus potuit naturam humanam unire personae Patris vel Spiritus Sancti, sicut univit eam personae Filii. Ergo Pater vel Spiritus Sanctus potuit carnem assumere.

Antecedens probatur syllogistice. Virtus indifferenter se habens ad plura, potest ad quodlibet eorum suam actionem terminare. Sed virtus divina indifferenter se habet ad omnes personas. Ergo. – Maior manifestatur ex potentia rationali. – Minor vero, et ex parte virtutis: quia virtus divina communiter et indifferenter se habet ad omnes personas. Et ex parte personarum: quia communis ratio personalitatis omnium personarum eadem est, hoc est, unius est rationis; quoniam quaelibet divina persona est persona divina hac ratione, quia subsistit incommunicabiliter in divina natura, licet proprietates personales, quibus subsistunt, sint distinctae; sicut quilibet homo una et eadem ratione est persona, quia scilicet subsistit in natura humana, quamvis alia sit personalitas mea et alia illius.

Consequentia autem probatur: quia, cum assumptio duo importet, scilicet actum et terminum, principium actus est virtus divina, terminus vero persona. Ex hoc enim quod utrumque concurrere posse in qualibet persona antecedens dicit, consequens est quod quaelibet persona potest assumere: quod conclusio dicit.

Ubi nota quod hoc quod pro probatione consequentiae ex principio corporis articuli allatum est, potest aliter introduci: ut scilicet sit velut suppositio quaedam monstrans requisita ad posse assumere, et ad quae resolvi oportet potentem assumere, scilicet in virtutem divinam et personalitatem. Et sic formatur syllogismus ut supra ad probandum antecedens. Et consequentia relinquitur per se nota.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM DUAE PERSONAE DIVINAE POSSINT ASSUMERE UNAM ET EANDEM NUMERO NATURAM

III *Sent.*, dist. I, qu. II, art. 4.

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod duae personae divinae non possunt assumere unam et eandem numero naturam. Hoc enim supposito, aut essent [α] unus homo, vel plures. Sed non plures: sicut enim una natura divina in pluribus personis non patitur esse plures deos, ita una [β] humana natura in pluribus personis non patitur esse plures homines. Similiter etiam non possent [γ] esse unus homo: quia unus homo est *iste homo,* qui demonstrat unam personam; et sic tolleretur distinctio trium personarum divinarum, quod est inconveniens. Non ergo duae aut tres personae possunt accipere unam naturam humanam.

2. PRAETEREA, assumptio terminatur ad unitatem personae, ut dictum est * [* Art. 4.]. Sed non est una persona Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ergo non possunt tres personae assumere unam naturam humanam.

3. PRAETEREA, Damascenus dicit, in III libro * [* Cf. *de Fid. Orth.* lib. III, cap. III, IV.], et Augustinus, in I *de Trin.* * [* Cf. cap. XIII.], quod ex incarnatione Filii Dei consequitur quod quidquid dicitur de Filio Dei, dicitur de Filio Hominis, et e converso. Si ergo tres personae assumerent unam naturam humanam, sequitur quod quidquid dicitur de qualibet trium personarum, diceretur de illo homine: et e converso ea quae dicerentur de illo homine, possent dici de qualibet trium personarum. Sic ergo id quod est proprium Patris, scilicet generare Filium ab aeterno, diceretur de illo homine, et per consequens diceretur de Filio Dei: quod est inconveniens. Non ergo est possibile quod tres personae divinae assumant unam naturam humanam.

SED CONTRA, persona incarnata subsistit in duabus naturis, divina scilicet et humana. Sed tres personae possunt subsistere in una natura divina. Ergo etiam possunt subsistere in una natura humana: ita scilicet quod sit una natura humana a tribus personis assumpta.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * [* Qu. II, art. 5, ad I.] dictum est, ex unione animae et corporis in Christo non fit neque nova persona neque hypostasis [δ], sed fit una natura assumpta in personam vel hypostasim divinam. Quod quidem non fit per potentiam naturae humanae, sed per potentiam personae divinae. Est autem talis divinarum personarum conditio quod una earum non excludit aliam a communione eiusdem naturae, sed solum a communione eiusdem personae. Quia igitur in mysterio incarnationis *tota ratio facti est potentia facientis,* ut Augustinus dicit, in Epistola *ad Volusianum* * [* Ep. CXXXVII, al. III, cap. II.]; magis est circa hoc iudicandum secundum conditionem personae assumentis quam secundum conditionem naturae humanae assumptae. Sic igitur non est impossibile divinis personis ut duae vel tres assumant unam naturam humanam.

Esset tamen impossibile ut assumerent unam hypostasim vel unam personam humanam: sicut Anselmus dicit, in libro *De Conceptu Virginali* [ε] * [* *Cur Deus Homo*, lib. II, cap. IX.], quod *plures personae non possunt assumere unum eundemque hominem* [ζ].

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, hac positione facta, quod scilicet tres personae assumerent unam humanam naturam, verum esset dicere quod tres personae essent unus homo, propter unam humanam naturam: sicut nunc verum est dicere quod sunt unus Deus, propter unam divinam naturam [η]. Nec ly *unus* importat [θ] unitatem personae: sed unitatem in natura humana. Non enim posset argui ex hoc quod tres personae sunt unus homo, quod essent [ι] unus simpliciter: nihil enim prohibet dicere quod homines qui sunt plures simpliciter, sint unus quantum ad aliquid, puta unus populus; sicut [κ] Augustinus dicit, VI *de Trin.* * [* Cap. III.]: *Diversum est natura spiritus hominis et spiritus Dei, sed inhaerendo fit unus spiritus*, secundum illud I *Cor.* VI * [* Vers. 17.]: *Qui adhaeret Deo, unus spiritus est.*

AD SECUNDUM DICENDUM quod, illa positione facta, humana natura esset assumpta in unitate non unius personae, sed in unitate singularum personarum: ita scilicet quod, sicut divina natura habet naturalem unitatem [λ] cum singulis personis, ita natura humana haberet unitatem cum singulis per assumptionem.

AD TERTIUM DICENDUM quod circa mysterium incarnationis fuit [μ] communicatio proprietatum pertinentium ad naturam: quia quaecumque conveniunt naturae, possunt praedicari de persona subsistente in natura illa, cuiuscumque naturae nomine significetur. Praedicta ergo positione facta, de persona Patris poterunt praedicari et ea

---

α) *essent.* – P; *esset.*

β) *una.* – PEsDG et *c*; om.

γ) *possent.* – P; *posset.*

δ) *hypostasis.* – *nova hypostasis* tertia.

ε) *De Conceptu Virginali.* – *Cur Deus Homo* P.

ζ) *hominem.* – *scilicet in unitatem personae* addit P.

η) *quod scilicet... naturam.* – IsII; *quod scilicet tres personae essent unus homo propter unam humanam naturam, sicut nunc verum est dicere quod sunt unus Deus propter unam divinam naturam, sicut* (*sic* F) *verum esset dicere quod tres personae essent unus homo propter unam humanam naturam* prima et F, omittendo et repetendo. Hanc lectionem cum nostra conflant EH et editiones inserentes *assumerent... tres personae;* H et editiones ante *nunc* inserunt *enim* et (praeter *b*) pro *sicut* altero loco legunt *sic* structurae ergo; editiones insuper ponunt *tres personae* (altero loco) ante *sunt unus Deus.* G om. *verum esset... naturam* ante *sicut nunc.*

θ) *importat.* – *importaret* E et tertia praeter H.

ι) *essent.* – PGI; *non esset* prima et F, *essent unus quia non essent* E, *esset* Hbc.

κ) *sicut.* – *et sicut* F et tertia.

λ) *unitatem.* – E et tertia; *unitatem personarum.*

μ) *fuit.* – *fit* E et tertia.

quae sunt humanae naturae, et ea quae sunt divinae: et similiter de persona Filii et Spiritus Sancti. Non autem illud quod conveniret personae Patris ratione propriae personae, posset attribui personae Filii aut Spiritus Sancti, propter distinctionem personarum, quae remaneret. Posset ergo dici quod, sicut Pater est ingenitus, ita homo esset ingenitus, secundum quod ly *homo* supponeret pro persona Patris. Si quis autem ulterius procederet, *Homo est ingenitus, Filius est homo, Ergo Filius est ingenitus,* esset fallacia figurae dictionis vel accidentis. Sicut et nunc dicimus Deum esse ingenitum, quia Pater est ingenitus: nec tamen possumus concludere quod Filius sit ingenitus, quamvis sit Deus.

Commentaria Cardinalis Caietani

* Art. 1, 3.

Titulus articuli ex iam * dictis patet: intelligendus de personis divinis secundum suas personalitates proprias, ut ab invicem distinguuntur. Potest siquidem dupliciter intelligi an plures personae divinae possint unam et eandem naturam assumere. Primo, loquendo de personis ut conveniunt in natura divina, hoc est, secundum quod sunt unus Deus. Et in hoc sensu quaestio superius * discussa est: et hic non quaeritur. – Secundo, loquendo de personis ut ab invicem propriis personalitatibus distinguuntur: ita quod quaelibet persona trahat naturam illam ad suam propriam personalitatem sic ut non personetur in alia ex hoc quod personatur in una, et e contra, sed personetur in una ut distinguitur ab alia. Cuius oppositum accideret, si *hic Deus* primo incarnatus esset: quoniam una et eadem ratione quaelibet persona diceretur incarnata, scilicet ratione individui naturae. Et, ut unico verbo dicatur, quaestio hic est, an plures personae possint unam numero naturam assumere ut per se primo diversi termini assumptionis. Sic enim non quaelibet persona divina, sed quaelibet persona divina assumens, per se primo terminaret assumptionem. Et ad hoc denotandum, Auctor non quaerit an omnes personae divinae possint assumere, sed, an *duae:* ut ex dualitate intelligas quod non est sermo de personis ut conveniunt, sed ut distinguuntur; ac per hoc, quaelibet sit per se primo terminus assumptionis.

* Art. 3; cf. Comment. num. III, IX, X.

II. In corpore articuli sunt duae conclusiones. Prima est: *Non est impossibile divinis personis ut duae vel tres assumant unam naturam humanam.* – Secunda est: *Esset tamen impossibile ut assumerent unam hypostasim vel personam humanam.*

Probatur utraque simul. Ex unione animae et corporis in Christo non fit nova hypostasis neque persona, sed natura una assumpta in divinam hypostasim, non per potentiam naturae humanae, sed per potentiam divinae personae. Ergo magis est hoc iudicandum secundum conditionem divinae personae assumentis quam secundum conditionem naturae assumptae. Ergo non est impossibile divinis personis, etc. – Antecedens est ex se evidens. – Prima consequentia probatur. Quia *tota ratio facti in mysterio incarnationis est potentia facientis,* secundum Augustinum. – Secunda vero consequentia probatur. Quia conditio divinarum personarum talis est quod una earum non excludit aliam a communione eiusdem naturae, sed solum a communione eiusdem personae. Ubi vides quod ex hoc quod non se excludunt a communione eiusdem naturae, tenet consequentia quoad primam conclusionem: et ex hoc quod se excludunt a communione eiusdem personae, tenet consequentia quoad secundam conclusionem; quae auctoritate Anselmi confirmatur.

III. Adverte in hoc processu quod Auctor unico verbo excludit obiectiones arguentium ex conditione naturae, dicendo quod natura communis pluribus suppositis est infinita seu illimitata, quoniam hoc soli divinae convenit naturae: et similiter quod quaelibet natura finita est terminabilis totaliter unico supposito. Haec enim, et similia, in littera solvuntur dum dicitur quod non per potentiam naturae assumptae, sed per potentiam personae assumentis hoc mysterium iudicandum est.

Concedatur ergo quod una numero natura suapte natura communis pluribus suppositis, est illimitata ac infinita; et quod nulla natura nisi divina est huiusmodi; et, si assumeretur ad plures personalitates, non propterea esset suapte natura communis pluribus, sed ex potentia facientis.

Similiter omnis una numero forma substantialis suapte natura unica totaliter terminatur personalitate propria. Sed ex hoc non habetur quin divina potentia possit pluribus alienis personalitatibus terminari: quoniam hoc non per potentiam naturae, sed per potentiam assumentis personae fit.

Et est semper sermo de naturali potentia naturae, et non de potentia obedientiali eiusdem. Potentia enim obedientiae est quae respondet potentiae personae assumentis: et secundum illam, natura potest assumi ab una et pluribus divinis personis.

IV. Circa primam conclusionem dubium ex Scoto, in III *Sent.,* dist. I, qu. II, occurrit, ubi, tenens oppositum, fundat se super hac ratione: « In omni dependentia essentiali unum dependens non dependet praecise nisi ad unum quod totaliter terminat eius dependentiam. Sed in ista unione est dependentia essentialis unius naturae, et una persona terminat totaliter eam. Ergo.

« Maior probatur * in omni dependentia causati ad causam. Et simile », inquit, « videtur in omnibus dependentiis quae non sunt causatorum ad causas, quod, cum dependentia alicuius fuerit totaliter terminata ad aliquid, ipsum non potest, dependentia eiusdem rationis, dependere ad aliud. – Et confirmatur hoc de accidente respectu plurium subiectorum primorum. * Cf. num. VI.

« Minor probatur *. Quia personalitas creata totaliter terminaret ipsam: et, illa stante, non posset simul esse in alia persona creata vel increata. Non minus enim terminat naturam et dependentiam eiusdem personalitas cuiuscumque personae divinae, quam terminaretur in se. Igitur, etc. » * Cf. num. VII.

V. Ad hanc Scoti rationem respondendum est singula discutiendo, et sic etiam principalem materiam declarando. Maior igitur propositio assumpta a Scoto non est vera nisi triplici quasi glossa subintellecta. Prima est supra ly *dependentia:* quod intelligatur de dependentia *proprie.* Et hoc dico, quoniam dependentia proprie non invenitur sine causalitate. Quamvis enim aliquid sit alteri sine causalitate annexum, non tamen dependentia proprie inter illa est: ut patet inter correlativa, quorum neutrum, ut sic, ab altero dependet in quocumque genere causae; et inter differentias divisivas ex opposito eiusdem generis, quarum neutra ab altera dependet; et tamen tam correlativa quam huiusmodi differentias simul esse oportet.

Scotus autem dependentiae nomine utitur et cum causalitate, et sine causalitate, ut patet. Et propterea, sic extenso nomine utendo *dependentia,* maior non est vera nisi apponatur altera glossa, supra ly *non dependet,* quod intelligatur de dependentia *omnino eiusdem rationis,* ita quod sit dependentia eiusdem speciei specialissimae, et in hoc Scotus consentit: et altera supra ly *totaliter,* quod intelligatur *tam intensive quam extensive.* Quoniam, dato quod unum terminaret totaliter intensive, non propterea habetur quod illud unum terminaret totaliter extensive. Exemplum: albi ut quatuor similitudinem terminat totaliter intensive aliud album ut quatuor; non tamen terminat totaliter extensive, quia potest tertium poni simile.

Oportet autem, ad verificandam maiorem illam, hanc apponere glossam: alioquin, non est vera de dependentia essentiali non causali. Quoniam ex naturalis rationis lu-

mine nulla apparet maior dependentia essentialis non causalis quam ea quae est unius relativi ad proprium correlativum: quia definitur et essentialiter constituitur per esse ad aliud. Constat autem quod unum relativum sic essentialiter dependet ab uno totaliter intensive terminante illud, quod non totaliter extensive terminat illud: ut patet de duplo et dimidio, et aequali, et simili, et aliis huiusmodi; idem enim duplum eadem numero duplicitate duplum est non solum ad A dimidium, sed ad B et C; et unum aequale eadem numero aequalitate aequale est omnibus sibi aequalibus.

At si quis dicat Scotum tenere quod non eadem aequalitate unum aequale est aequale omnibus, et propterea in sua via propositionem esse veram: facile obiicitur quod, ad concludendum aliquid impossibile etiam per divinam potentiam (ut nunc proceditur), non est ex opinatis et refutatis ab aliis et communi schola Peripateticorum procedendum; qualis est ista opinio ponens plura accidentia eiusdem rationis in eodem subiecto secundum idem. Neganda est igitur ista maior, non acceptans dictam glossam.

*Num. IV, *Maior probatur.*

VI. Ad probationem autem istius maioris *, pro quanto probat ipsam in dependentia essentiali causali, non oportet respondere: quia vera ac bona videtur secundum ordinem inditum causis et causatis, et disputatio nostra extra dependentiam causalem versatur. Sed cum subiungit Scotus quod ita etiam videtur in omnibus dependentiis quae non sunt causatorum ad causas, respondetur quod non est idem de utrisque dependentiis iudicium. Et patet instantia de dependentia unius relativi totaliter intensive terminati ab uno, et tamen ab altero eiusdem rationis omnino terminabili. Et suffragatur huic responsioni ratio. Quoniam dependentia causalis ponit imperfectionem et indigentiam in causato, quae si sublata totaliter est ab una causa, implicat quod remaneat indigens altera causa. Sed dependentia non causalis potest sine imperfectione et indigentia inveniri: ut patet in relativis, quae in divinis sine omni imperfectione et indigentia inveniuntur. Ac per hoc, potest aliunde, puta ex alterius conditione, provenire quod etiam terminet quod iam terminatum ab alio est. Et sic est in proposito: quod non ex eo quod Filius Dei imperfecte terminet personaliter naturam humanam, neque ex eo quod natura humana assumpta a Filio Dei remaneat imperfecta personaliter, provenit quod Pater potest illam ad propriam etiam personalitatem assumere; sed ex conditione personae Patris, hoc est ex infinitate suae sufficientiae, provenit quod etiam potest illam personare.

Ad confirmationem, de accidente respectu plurium subiectorum primorum, dicitur primo, quod nulla apparet implicatio contradictionis quod Deus accidenti alicui det unitatem numeralem in se, et, conservando illam, ponat illud accidens in pluribus subiectis primis secundum se. Et quod in tali casu neutrum esset subiectum primum extensive nisi secundum se. Hoc est: quantum est ex parte sui, esset subiectum primum extensive, et daret unitatem numeralem, sed divina potentia aliter de facto operatur.

Dicitur secundo, quod dependentia accidentis a subiecto primo est dependentia causalis: est enim subiectum primum causa accidentis, ut patet. Et ideo non confirmatur per hoc maior illa quoad dependentiam non causalem. – Haec de maiore.

*Ibid., IV, *Minor probatur.*

VII. Ad minorem * autem dicitur quod in ista unione est dependentia essentialis non causalis: ac per hoc, non proprie dependentia. Sed transeundo hoc ad bonum sensum, neganda sunt duo: primo, quod in ista unione sit dependentia unius omnino rationis; secundo, quod una persona, puta Verbum, totaliter eam terminet intensive et extensive. Ratio primae negationis est quia personae divinae, personaliter sumptae, sunt quodammodo unius, et quodammodo diversarum rationum. Nam secundum communem rationem personalitatis, sunt unius rationis, ut in praecedenti articulo patet: secundum vero proprias rationes suarum personalitatum, sunt diversarum rationum; paternitas enim et filiatio et processio diversarum sunt rationum. Constat autem ex hoc quod humanitas Christi ita iuncta est Filio quod non Patri nec Spiritui Sancto, assumptionem terminari per se primo ad personalitatem Filii secundum sibi propriam rationem: alioquin, terminaretur primo ad commune Filio et Patri et Spiritui Sancto. Concurrerent igitur divinae personae ad assumptionem ut etiam sunt diversarum inter se rationum. Et consequenter naturam assumptam a Verbo uniri et posse uniri alteri, Patri aut Spiritui Sancto, alterius est rationis ab uniri Filio et posse uniri Filio: si Aristoteles verum dixit, III *Physic.* *, quod *posse sanari et posse infirmari sunt diversarum rationum, alioquin sanari et infirmari essent idem.* Ex hoc igitur quod personalitates, quae sunt termini unionum, sunt diversarum rationum, habetur quod potentia obedientiae qua natura assumpta potest uniri personae Patris, alterius est rationis ab illa qua unita est Filio, et qua potest uniri Spiritui Sancto. Et consequenter habetur quod in istis unionibus non esset dependentia unius rationis simpliciter et absolute, ut arguens assumit: sed diversarum rationum simpliciter, propter diversas rationes terminorum per se primorum; unius autem rationis secundum communem rationem personalitatis.

* Cap. 1, n. 10. – S. Th. lect. II.

Ratio secundae negationis iam patet: quod, licet Filius totaliter intensive terminet naturam humanam et eius dependentiam ad personari, non tamen totaliter extensive, nec secundum omnem obedientialem potentiam alterius rationis.

Ad probationem minoris, cum dicitur, *Personalitas creata totaliter terminaret ipsam, et, illa stante, non posset simul esse in alia persona creata vel increata: Ergo personalitas increata:* respondetur concedendo antecedens pro utraque parte, sed negando sequelam. Et ad probationem sequelae, cum dicitur, *Quia non minus terminaret naturam et dependentiam eiusdem personalitas quaecumque divinae personae, quam terminaretur in se,* posset negari hoc quantum ad *non minus* extensive. Veruntamen, proprie loquendo, respondendum est quod non minus, sed alio modo et alia ratione terminat persona divina. Et ideo negatur ex hoc ultimo assumpto sequela: quoniam peccat ratio *secundum non-causam ut causam.* Non enim ideo quia minus terminet, persona divina relinquit naturam adhuc assumptibilem, ut argumentum ponit: sed quia alio modo et alia ratione terminat, ideo relinquit naturam assumptam adhuc assumptibilem ab alia persona divina.

VIII. Ad cuius clariorem perceptionem, scito quod haec humanitas si propriam personalitatem haberet, modus habendi propriam personam esset quia ipsa humanitas esset principium constitutivum suae personae: ex unione enim animae et corporis constitueretur non solum una natura singularis, sed etiam una persona. Ratio quoque habendi propriam personam esset sua substantialis ac perfecta natura extra causas suas in rerum natura sibi dimissa. Et quia haec humanitas suapte natura non se extendere potest nisi ad constituendum unam personam sibi propriam; et personae repugnat assumi ab alia persona in unitate personali (intervenit siquidem hic manifesta implicatio contradictoriorum): ideo haec humanitas sic personatur ex propria persona in Socrate quod terminatur in illa intensive et extensive. Nec potest, stante illa, uniri personaliter cum quacunque alia persona, creata vel increata: quia essent duo contradictoria simul vera; essent enim una persona, et non essent una persona cum assumente, ut patet. Sed haec humanitas alio modo et alia ratione personatur per assumptionem. Quoniam non constituendo personam personatur: ut patet in humanitate Christi, quae personatur per personam Verbi, quae non constituitur per illam humanitatem, sed fuit ab aeterno. Et hinc provenit differentia inter hanc humanitatem personatam propria personalitate, et personatam personalitate Verbi, quod illa remanet in se inassumptibilis, ista remanet in se assumptibilis. Quoniam illa non potest assumi, stante sua personalitate, nisi assumeretur sua personalitas, quae non est assumptibilis: ista vero, quia in aliena personalitate subsistit, potest assumi absque hoc quod illa aliena sibi appropriata personalitas assumatur. Ex diverso ergo modo terminandi propria vel aliena personalitate, patet quare natura personata propria personalitate non potest assumi, et quare personata aliena

potest assumi: quia scilicet per propriam terminatur constituendo illam; per alienam, non constituendo illam.

Diversa quoque ratio est utrobique terminandi. Nam et divina persona terminat ex sua infinitate, utpote aliena persona subsistens in alia natura (dictum est enim supra * quod proprium est divinae personae, ob sui infinitatem, subsistere simul in diversis naturis); et natura humana non naturali, sed obedientiae potentia, personatur per alienam personam. Persona autem Socratis, non ex aliqua excellentia, sed ex naturali adaequatione terminat personaliter naturam suam: et e contra natura sua naturaliter est per illam adaequabilis personaliter. Et hinc etiam provenit quod, cum quaelibet persona divina sit infinita, quaelibet personare potest humanitatem hanc, non ex indigentia naturae, ut dictum est *, sed ex sufficientia personae potentis communicare illi naturae etiam suam personalitatem. Ex his autem habes quod non solum dependentia huius humanitatis respectu singularum personarum divinarum quoad assumi, est diversarum rationum inter se; sed etiam quod dependentia seu terminatio huius humanitatis respectu divinae personae, et respectu personae propriae, sunt diversarum rationum; licet omnes conveniant in una communi ratione termini, quia scilicet sunt ad personam.

* Art. 1, ad 2.

* Num. vi.

Ruit ergo a fundamentis undique fabrica Scotica. Et merito. Quoniam hanc humanitatem personari simul a pluribus personis divinis nihil aliud est quam communicare huic humanitati plures personalitates alienas infinitas, appropriando illas illi. Et per haec patet quare repugnat hanc humanitatem habere simul plures personalitates creatas, aut creatam et increatam, quia scilicet utrobique esset implicatio contradictoriorum, dum natura haec in propria personalitate poneretur una persona cum alia persona: et non repugnat habere simul plures personalitates increatas, quia per hoc non ponitur unam personam assumi in unitatem personalem alterius personae.

Et haec pro nunc sufficiant de hac quaestione.

IX. In eodem articulo, in calce corporis, circa auctoritatem Anselmi, adverte quod Durandus, in III *Sent.*, dist. I, qu. III, latenter arguit Auctorem quasi exponentem per ly *unum eumdemque hominem* personam humanam, dicens, contra hanc expositionem: *Anselmus concedit quod una persona assumpsit hominem, et negat plures personas posse assumere unum hominem: Non intelligitur igitur persona per haec.* Sed quoniam Durandusmet postmodum * dicit Anselmum dicere sic, *Impossibile est plures personas divinas esse unam personam cum uno eodemque homine,* ex seipsomet convincendus est. Anselmus volebat excludere aliquid quod possit sub apparenti quaestione cadere. Non potest autem aliter cadere sub apparenti quaestione quod plures personae divinae sint una persona, nisi quia unirentur in una persona humana (et sic exponit Auctor): non enim potest intelligi quod sint plures personae divinae in una persona divina, quia hoc statim offert apparentem valde contradictionem. Exponendo igitur sententiam Anselmi, optime in littera dictum est, sive praeponatur ly *una persona* cum *uno eodemque homine,* sive non praeponatur ly *una persona,* et dicatur, *Impossibile est assumere unum eundemque hominem.* Sensus enim semper est idem: scilicet quod impossibile est plures personas assumere unam personam. – Nec id quod obiicit Durandus obstat. Quia aliud est dicere, *assumit hominem:* et aliud, *assumit unum eundemque hominem.* Nam prima propositio, etsi est aliqualiter impropria, glossatur tamen quod intelligitur quoad naturam: ut patet ex Magistro, in III *Sent.*, dist. v. Secunda autem, propter ly *unum eundemque,* trahitur ad individuum subsistens in natura humana, quod constat esse suppositum: nullus enim unus homo invenitur in natura humana assumpta nisi Filius Dei.

* Loc. cit.

X. In eodem sexto articulo, in responsione ad primum, adverte diligenter verba Auctoris dum, *hac positione facta,* dicit quod *tres personae essent unus homo, et tamen non propterea essent unus * simpliciter;* aut: – *non propterea esset unus homo simpliciter.* Dixit enim haec ambo, propter differentiam quae esset inter unum Deum et unum hominem in tribus personis. Quoniam tres personae sic sunt unus Deus quod sunt unus numero Deus, et est ibi vere unus Deus simpliciter. Sed tres personae sic essent unus homo quod non essent unus numero homo: quia nullus esset ibi unus numero homo communis Patri et Filio et Spiritui Sancto, sicut est unus numero Deus communis Patri et Filio et Spiritui Sancto. Et similiter non esset ibi unus homo simpliciter: quia non esset homo unus secundum naturam et personam, quam unitatem importat unus homo simpliciter. Sed essent tres homines numero in una natura humana: quia essent plures personae humanae secundum unam naturam humanam. – Sed quoniam hoc ad vocabula spectat, parvi refert, si scitur quid esset in re, qualitercumque exprimeretur.

* Ita B. A add. *hô;* P add. *homo,* et om. *aut... simpliciter.*

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM UNA PERSONA DIVINA POSSIT ASSUMERE DUAS NATURAS HUMANAS

III *Sent.*, dist. I, qu. II, art. 5.



AD SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod una persona divina non possit assumere duas naturas humanas. Natura enim assumpta in mysterio incarnationis non habet aliud suppositum praeter suppositum personae divinae, ut ex supra * dictis patet. Si ergo ponatur esse una persona divina assumens duas humanas naturas, esset unum suppositum duarum naturarum eiusdem speciei. Quod videtur implicare contradictionem: non enim natura unius speciei multiplicatur nisi secundum distinctionem suppositorum.

* Qu. II, art. 3, 6.

2. PRAETEREA, hac suppositione facta, non posset dici quod persona divina incarnata esset unus homo: quia non haberet unam naturam humanam. Similiter etiam non posset dici quod essent plures homines: quia plures homines sunt supposito distincti, et ibi esset unum tantum suppositum. Ergo praedicta positio esset omnino impossibilis.

3. PRAETEREA, in incarnationis mysterio tota divina natura est unita toti naturae assumptae, idest cuilibet parti eius: est enim Christus *perfectus Deus et perfectus homo, totus Deus et totus homo,* ut Damascenus dicit, in III libro *. Sed duae humanae naturae non possent totaliter [α] sibi invicem uniri: quia oporteret quod anima unius esset unita corpori alterius, et quod etiam duo corpora essent simul, quod etiam confusionem induceret naturarum. Non ergo est possibile quod persona divina duas humanas naturas assumeret.

* *De Fide Orth.* lib. III, cap. VII. α

α) *totaliter.* – PFGI; *corporaliter.*

Sed contra est quod quidquid potest Pater, potest Filius. Sed Pater, post incarnationem Filii, potest assumere naturam humanam aliam numero ab ea quam Filius assumpsit: in nullo enim per incarnationem Filii est diminuta potentia Patris vel Filii. Ergo videtur quod Filius, post incarnationem, possit aliam humanam naturam assumere, praeter eam quam assumpsit.

Respondeo dicendum quod id quod potest in unum et non in amplius, habet potentiam limitatam ad unum. Potentia autem divinae personae est infinita, nec potest limitari ad aliquid creatum. Unde non est dicendum quod persona divina ita assumpserit unam naturam humanam quod non potuerit assumere aliam. Videretur enim ex hoc sequi quod personalitas divinae naturae esset ita comprehensa per unam humanam naturam quod ad eius personalitatem alia assumi non possit. Quod est impossibile: non enim increatum a creato comprehendi potest. Patet ergo quod, sive consideremus personam divinam secundum virtutem, quae est principium unionis; sive secundum suam personalitatem, quae est terminus unionis: oportet dicere quod persona divina, praeter naturam humanam quam assumpsit, possit aliam numero naturam humanam assumere.

Ad primum ergo dicendum quod natura creata perficitur in sua ratione per formam, quae multiplicatur secundum divisionem materiae. Et ideo, si compositio formae et materiae constituat novum suppositum, consequens est quod natura multiplicetur secundum multiplicationem suppositorum. Sed in mysterio incarnationis unio formae et materiae, idest animae et corporis, non
* Art. praeced. constituit novum suppositum, ut supra * dictum est. Et ideo posset esse multitudo secundum numerum ex parte naturae, propter divisionem ma-
* D. 417. teriae, absque distinctione suppositorum *.

β Ad secundum dicendum quod posset videri β
γ quod, praedicta positione facta, consequeretur γ quod essent duo homines, propter duas naturas, absque hoc quod essent ibi duo supposita: sicut e converso tres personae dicerentur unus homo, propter unam naturam humanam assumptam, ut supra * dictum est. Sed hoc non videtur esse * Art. praeced., ad 1.
verum. Quia nominibus est utendum secundum quod sunt ad significandum imposita. Quod quidem est ex consideratione eorum quae apud nos sunt. Et ideo oportet, circa modum significandi et consignificandi, considerare ea quae apud nos sunt. In quibus nunquam nomen ab aliqua forma impositum pluraliter dicitur nisi propter pluralitatem suppositorum *: homo enim qui est duo- * D. 927.
bus vestimentis indutus, non dicitur duo vestiti, sed *unus vestitus duobus vestimentis*; et qui habet duas qualitates, dicitur singulariter *aliqualis secundum duas qualitates*. Natura autem assumpta quantum ad aliquid se habet per modum indumenti, licet non sit similitudo quantum ad omnia, ut supra * dictum est. Et ideo, si persona * Qu. II, art. 6, ad 1.
divina assumeret duas naturas humanas, propter unitatem suppositi diceretur *unus homo* * *habens* * D. 249, 358.
duas naturas humanas. – Contingit autem quod plures homines dicuntur unus populus, propter hoc quod conveniunt in aliquo uno: non autem propter unitatem suppositi. Et similiter, si duae personae divinae assumerent unam numero humanam naturam, dicerentur δ unus homo, ut su- δ
pra * dictum est, non propter unitatem ε suppo- * Art. praeced., ad 1.
siti, sed inquantum conveniunt in aliquo uno. ε

Ad tertium dicendum quod divina et humana natura non eodem ordine se habent ad unam divinam personam: sed per prius comparatur ad ipsam divina natura, utpote quae est unum cum ea ab aeterno; sed natura humana comparatur ad personam divinam per posterius, utpote assumpta ex tempore a divina persona, non quidem ad hoc quod natura sit ipsa persona, sed quod persona in natura ζ subsistat; Filius enim ζ
Dei est sua deitas, sed non est sua humanitas. Et ideo ad hoc quod natura humana assumatur a divina persona, relinquitur η quod divina na- η
tura unione personali uniatur toti naturae assumptae, idest secundum omnes partes eius. Sed duarum naturarum assumptarum esset uniformis habitudo ad personam divinam, nec una assumeret aliam. Unde non oporteret quod una earum totaliter alteri uniretur, idest, omnes partes unius omnibus partibus alterius.

β) *videri*. – *dicendum* addit tertia.
γ) *consequeretur*. – *sequeretur* tertia.
δ) *dicerentur*. – Pl; *diceretur*.
ε) *propter unitatem*. – *unitate* FH et editiones.
ζ) *natura*. – Tertia; *tali natura* E, *Dei natura* ceteri.
η) *relinquitur*. – *oportet* FI, *requiritur* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo articuli septimi, adverte quod istae quaestiones quae hic moventur de possibili, non ideo moventur ut discutiatur Dei potentia: sed ut exinde mysterium incarnationis factae magis innotescat. Manifestatur siquidem ex his quae discutiendo has quaestiones dicuntur, qualis, quantus, etc., est per se primo terminus incarnationis, scilicet persona Verbi: et qualis est huiusmodi unio ex respectu ad alias personas et naturas, magis ac magis explicatur.

In corpore articuli una est conclusio responsiva quaesito affirmative: *Persona divina, praeter naturam quam assumpsit, potest aliam numero naturam assumere*. Ubi, antequam afferatur probatio, nota quod, quia assumere principium et terminum assumptionis importat, ideo conclusio probatur primo ex parte principii, scilicet potentiae divinae in divina persona; secundo, ex parte termini, scilicet personalitatis divinae. Unde quoad primum, probatur sic. Quod potest in unum et non in amplius, habet potentiam limitatam ad unum. Sed potentia divinae personae est infinita, nec limitabilis ad aliquid creatum. Ergo. – Quoad secundum, probatur sic. Si non posset assumere aliam naturam, sequeretur quod personalitas divinae naturae esset ita comprehensa per unam naturam quod ad eius personalitatem alia assumi non posset. Sed hoc est impossibile: quia increatum a creato comprehendi non potest. Ergo.

II. Circa illam propositionem, *Quod potest in unum et non in amplius, habet potentiam limitatam ad unum*,

adverte quod est intelligenda formaliter, scilicet: *si quantum est ex parte potentiae, in unum et non in amplius.* Nam si aliunde proveniret quod posset in unum et non in amplius, puta ex modo agendi, quia agit per modum naturae, quae est determinata ad unum, non argueret limitationem potentiae. Sed si ex ipsa potentia est quod possit in unum tantum, limitationem in illa arguit: quoniam potentia, ut potentia, extendit se ad possibile, quod non comprehenditur unitate ita quod excludat multitudinem. Unde in art. ult. * qu. XLI in Prima Parte, dictum est quod non ex impotentia Patris est quod unus tantum Filius sit genitus et generabilis in divinis. Et quia haec propositio procedit ex parte potentiae, ideo simpliciter et absolute assumpta est propositio illa.

* Ad 3.

Circa probationem ex parte termini, nota diligentissime Auctorem habere pro inconvenienti ac impossibili personam divinam ut terminum comprehendi a natura creata. Hoc enim nihil aliud est dicere quam docere (quod iam praelibavimus respondendo Scoto *) hoc: quod persona divina non solum est infinita in essendo et causando ratione naturae divinae, sed est infinita in terminando ratione suae personalitatis. Incomprehensibilitas siquidem increatae personae ut termini a natura creata ut assumpta, nihil aliud significat quam infinitatem in terminando increatae personae. Et, ut *excelsa Dei balbutiendo, ut possumus, resonemus* *, dicendum est quod infinitas divina, ut est naturae seu naturalis, constituit infinitum ens et infinitam causam: ut autem est personae seu personalis, constituit infinitam personam ut sic, quod claudit in se infinitatem in terminando. Et ideo potest quaelibet divina persona subsistere non solum in pluribus naturis, scilicet naturali et assumpta, sed etiam in pluribus assumptis. Et, eadem ratione, in infinitis, si infinitae invenirentur simul.

* Art. 1, Comment. num. VI.

* Greg. *Moral.* lib. V, cap. XXXVI, al. XXVI.

III. In responsione ad primum, perspice quod consistit in hoc, quod natura substantiae creatae multiplicatur multiplicato supposito constituto per ipsam: non autem multiplicato supposito non constituto per ipsam, ut patet in littera.

IV. In responsione ad secundum, obiectio Scoti, in III *Sent.*, dist. I, qu. III, occurrit dicentis contra hoc quod sequeretur quod possemus dicere quod plures personae sunt plures dii. Probatur. Secundum hoc, tale concretum habet unitatem vel pluralitatem ex unitate vel pluralitate suppositi.

Ad hoc dicitur quod in littera non dicitur affirmative multiplicari concretum multiplicato supposito, ut arguens forte accepit: sed ponitur universalis regula negative, scilicet: *Nunquam nomen ab aliqua forma impositum pluraliter dicitur nisi propter pluralitatem suppositorum.* Et ista regula est vera tam in concretis adiectivis quam substantivis, tam substantialibus quam accidentalibus: ita quod semper ad pluralitatem concretorum exigitur pluralitas suppositorum. Sed cum hoc stat quod pluralitas suppositorum non sufficiat quandoque, et exigitur etiam pluralitas formae significatae: ut de concretis substantivis in art. 3 qu. XXXIX I Part., patet. Et propterea, licet unitas suppositi optime inferat singularitatem concreti substantivi, quale est ly *homo;* non tamen multitudo suppositorum infert pluralitatem nominis substantivi. Et propterea non sequitur, *Ergo tres personae sunt dii;* nec, *Ergo tres personae homines,* in casu praecedentis articuli, ut in hac etiam littera dicitur. Et tamen bene sequitur in casu huius articuli: *Ergo Verbum Dei non est homines, sed unus homo.*

V. In responsione ad tertium, perspice rationem quare, praesentis articuli positione facta, haec humana natura praeassumpta non assumeret aliam naturam humanam quae post assumeretur, cum qua tamen concurreret in eandem numero personalitatem; et natura divina assumeret quamcumque naturam humanam quae uniretur personaliter Verbo Dei. Ratio, inquam, est quia Filius Dei est sua deitas, non autem est sua humanitas. Hinc enim fit ut cuicumque personaliter unitur Filius Dei per se primo, eidem secundario uniatur deitas: uniatur, dico, et naturae assumptae et cuilibet eius parti, ut patet ex auctoritate Damasceni *. Et hinc fit quod una humanitas non esset unita alteri: ita quod nec ipsi naturae post assumptae praecedens uniretur, nec alicui eius parti; sed per accidens coinciderent in unam personam, inter se distinctae etiam loco. Et ex hoc sequeretur quod non esset communio convenientium illi personae secundum unam naturam assumptam, cum convenientibus sibi secundum aliam assumptam. Immo posset simul mori secundum unam, et vivere secundum aliam. Et si, verbi gratia, secundum primam naturam vocaretur Christus, et secundum secundam vocaretur Ioannes, mortuo Christo non posset dici mortuus Ioannes, sed bene diceretur mortuus Deus et Dei Filius: et similiter, vivo Ioanne tantum, non vero diceretur vivus Christus, sed vivus Deus et Dei Filius. Et sic de similibus.

* Cit. arg. 3.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM FUERIT MAGIS CONVENIENS FILIUM DEI INCARNARI QUAM PATREM VEL SPIRITUM SANCTUM

III *Sent.*, dist. I, qu. II, art. 2; IV *Cont. Gent.*, cap. XLII.

AD OCTAVUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non fuerit magis conveniens Filium Dei incarnari quam Patrem vel Spiritum Sanctum. Per mysterium enim incarnationis homines ad veram Dei cognitionem sunt perducti: secundum illud Ioan. XVIII *: *In hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhiberem veritati.* Sed ex hoc quod persona Filii Dei est incarnata, multi impediti fuerunt a vera Dei cognitione, ea quae dicuntur de Filio secundum humanam naturam referentes ad ipsam Filii personam: sicut Arius, qui posuit inaequalitatem personarum propter hoc quod dicitur Ioan. XIV *, *Pater maior me est;* qui quidem error non provenisset si persona Patris incarnata fuisset; nullus enim existimasset Patrem Filio minorem. Magis ergo videtur conveniens fuisse quod persona Patris incarnaretur quam persona Filii.

* Vers. 37.

* Vers. 28.

2. PRAETEREA, incarnationis effectus videtur esse recreatio quaedam humanae naturae: secundum illud *Galat.* ult. *: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed nova creatura.* Sed potentia creandi appropriatur Patri. Ergo magis decuisset Patrem incarnari quam Filium.

* Vers. 15.

3. PRAETEREA, incarnatio ordinatur ad remissionem peccatorum: secundum illud Matth. I *: *Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Remissio autem peccatorum attribuitur Spiritui Sancto: secundum illud Ioan. XX *: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittentur eis.* Ergo magis congruebat personam Spiritus Sancti incarnari quam personam Filii.

* Vers. 21.

* Vers. 22, 23.

SED CONTRA EST quod Damascenus dicit, in III libro *: *In mysterio incarnationis manifestata*

* *De Fide Orth.* lib. III, cap. I.

est sapientia et virtus Dei: sapientia quidem, quia invenit difficillimi solutionem pretii [α] *valde decentissimam; virtus autem, quia victum fecit rursus victorem.* Sed virtus et sapientia appropriantur Filio: secundum illud I *Cor.* I * [* Vers. 24.]: *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* Ergo conveniens fuit personam Filii incarnari.

Respondeo dicendum quod convenientissimum fuit personam Filii incarnari. Primo quidem, ex parte unionis. Convenienter enim ea quae sunt similia, uniuntur. Ipsius autem personae [β] Filii, qui est Verbum Dei, attenditur, uno quidem modo, communis convenientia ad totam creaturam. Quia verbum artificis, idest conceptus eius, est similitudo exemplaris eorum quae ab artifice fiunt. Unde Verbum Dei, quod est aeternus conceptus eius, est similitudo exemplaris totius creaturae. Et ideo, sicut per participationem huius similitudinis creaturae sunt in propriis speciebus institutae, sed mobiliter; ita per unionem Verbi ad creaturam non participativam sed personalem, conveniens fuit reparari creaturam in ordine ad aeternam et immobilem perfectionem: nam et artifex per formam artis conceptam qua artificiatum condidit, ipsum, si collapsum fuerit, restaurat. – Alio modo, habet convenientiam specialiter cum humana natura: ex eo quod Verbum est conceptus aeternae sapientiae, a qua omnis sapientia hominum derivatur. Et ideo homo per hoc in sapientia proficit [γ], quae est propria eius perfectio prout est rationalis, quod participat Verbum Dei: sicut discipulus instruitur per hoc quod recipit verbum magistri. Unde et *Eccli.* I * [* Vers 5.] dicitur: *Fons sapientiae Verbum Dei in excelsis.* Et ideo, ad consummatam hominis perfectionem, conveniens fuit ut ipsum Verbum Dei humanae naturae personaliter uniretur.

Secundo potest accipi ratio huius congruentiae ex fine unionis, qui est impletio praedestinationis: eorum scilicet qui praeordinati sunt ad hereditatem caelestem, quae non debetur nisi filiis, secundum illud *Rom.* VIII * [* Vers. 17.]: *Filii* [δ] *et heredes.* Et ideo congruum fuit ut per eum qui est Filius naturalis, homines participarent similitudinem huius filiationis secundum adoptionem: sicut Apostolus ibidem * [* Vers. 29.] dicit: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii eius.*

Tertio potest accipi ratio huius congruentiae ex peccato primi parentis, cui per incarnationem remedium adhibetur. Peccavit enim primus homo appetendo scientiam: ut patet ex verbis serpentis promittentis homini *scientiam boni et mali* * [* *Gen.* cap. III, vers. 5; cf. cap. II, vers. 9, 17.]. Unde conveniens fuit ut per Verbum verae sapientiae homo reduceretur in Deum, qui per inordinatum appetitum scientiae recesserat a Deo.

Ad primum ergo dicendum quod nihil est quo humana malitia non posset abuti: quando etiam ipsa Dei bonitate abutitur, secundum illud *Rom.* II * [* Vers. 4.]: *An divitias bonitatis eius contemnis?* Unde et, si persona Patris fuisset incarnata, potuisset ex hoc homo alicuius erroris occasionem assumere, quasi Filius sufficere non potuisset ad humanam naturam reparandam.

Ad secundum dicendum quod prima rerum creatio facta est a potentia Dei Patris per Verbum. Unde et recreatio per Verbum fieri debuit a potentia Dei Patris, ut recreatio creationi responderet: secundum illud II *Cor.* V * [* Vers. 19.]: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.*

Ad tertium dicendum quod Spiritus Sancti proprium est quod sit donum Patris et Filii. Remissio autem peccatorum fit per Spiritum Sanctum tanquam per donum Dei. Et ideo convenientius fuit ad iustificationem hominum quod incarnaretur Filius, cuius Spiritus Sanctus est donum.

α) *pretii.* – Om. Gl*b*; pro *valde, quam* P; pro *victum* quod PEI, *victus* prima et F, *virtus* pG, *qui fuit victus* sG, *qui victus fuit* Hbc; pro *fecit, ferit* D.

β) *personae.* – P; om. 1pG, *(In ipsius autem) persona* E, *persona* ceteri.

γ) *proficit.* – *perficitur* editiones.

δ) *Filii.* – *Si filii* tertia praeter pG.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus octavi articuli clarus est. – In corpore una est conclusio responsiva quaesito affirmative: *Convenientissimum fuit personam Filii incarnari.* Probatur tripliciter * [* Cf. fin. huius Comment.]. Primo, ex parte unionis. Similia convenienter uniuntur. Persona Filii et humana natura, tam secundum communem creaturae rationem quam secundum propriam rationem, sunt similes. Ergo.

Minor, quoad primam partem, et probatur simpliciter: quia Verbum Dei est exemplaris similitudo omnis creaturae, quia verbum artificis est exemplaris similitudo eorum quae fiunt ab artifice. – Et probatur applicando ad deducendam inde convenientiam incarnationis. Primo, in communi: quia artifex per conceptam formam qua condidit, restaurat collapsum. Secundo, in speciali, ex tribus inventis in dependentia creaturarum a Verbo. Primum est participatio similitudinis exemplaris; secundum, constitui in propriis naturis; tertium, modus, quod mobiliter constant. Quibus convenienter adiunguntur tria perfectiora: scilicet, super participationem, unio non participativa, sed personalis; super constitutionem in propriis, reparatio in divinis, scilicet gratia, gloria et vita caelestis; super mobilitatem, aeterne et immutabiliter vitam felicitatemque habere.

Quoad secundam vero partem, probatur similiter primo similitudo simpliciter, quoad duo se habentia ut causa et effectus. Primo, quia Verbum est conceptus aeternae sapientiae, et omnis sapientia hominum ab aeterna sapientia derivatur. Secundo, ex hoc quia propria perfectio hominis ut rationalis, quae est sapientia, consistit in participando Verbum Dei. Quod probatur exemplo, sicut perfectio discipuli in participando verbum magistri: et auctoritate, *Fons sapientiae,* etc. – Probatur deinde applicando: quod, supra participationem divini Verbi, in qua propria perfectio hominis secundum mentem consistit, convenientissime apponitur ut ipsum Verbum Dei personaliter uniatur naturae humanae, ut consummata sit hominis perfectio; ut scilicet quae inchoatur in participatione ipsius Verbi humana perfectio, consummetur non in participatione, sed in personali adeptione ipsius Verbi.

Reliquae rationes clare patent in littera.

QUAESTIO QUARTA

DE UNIONE EX PARTE ASSUMPTI

IN SEX ARTICULOS DIVISA

DEINDE considerandum est de unione ex parte assumpti *. Circa quod primo considerandum occurrit de his quae sunt a Verbo Dei assumpta; secundo, de co-assumptis, quae sunt perfectiones et defectus *.

* Cf. qu. II, Introd.
* Qu. VII.

Assumpsit autem Filius Dei humanam naturam, et partes eius. Unde circa primum triplex consideratio occurrit: prima est, quantum ad ipsam naturam humanam; secunda est, quantum ad partes ipsius *; tertia, quantum ad ordinem assumptionis *.

* Qu. V.
* Qu. VI.

Circa primum quaeruntur sex.

Primo: utrum humana natura fuerit magis assumptibilis a Filio Dei quam aliqua alia natura.

Secundo: utrum assumpserit personam.

Tertio: utrum assumpserit hominem.

Quarto: utrum fuisset conveniens quod assumpsisset humanam naturam a singularibus separatam.

Quinto: utrum fuerit conveniens quod assumpsisset humanam naturam in omnibus singularibus.

Sexto: utrum fuerit conveniens quod assumeret humanam naturam in aliquo homine ex stirpe Adae progenito.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM HUMANA NATURA FUERIT MAGIS ASSUMPTIBILIS A FILIO DEI QUAM QUAELIBET ALIA NATURA

III *Sent.*, dist. II, qu. I, art. 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LIII, LV; *Ad Heb.*, cap. II, lect. IV.



AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod humana natura non fuerit magis assumptibilis a Filio Dei quam quaelibet alia natura. Dicit enim Augustinus, in Epistola *ad Volusianum* *: *In rebus mirabiliter factis tota ratio facti est potentia facientis.* Sed potentia Dei facientis incarnationem, quae est opus maxime mirabile, non limitatur ad unam naturam: cum potentia Dei sit infinita. Ergo natura humana non est magis assumptibilis a Deo quam aliqua alia creatura.

* Ep. CXXXVII, al. III, cap. II.

2. PRAETEREA, similitudo est ratio faciens ad congruitatem incarnationis divinae personae, ut supra * dictum est. Sed sicut in natura rationali invenitur similitudo imaginis, ita in natura irrationali invenitur similitudo vestigii. Ergo creatura irrationalis assumptibilis fuit, sicut humana natura.

* Qu. III, art. 8.

3. PRAETEREA, in natura angelica invenitur expressior Dei similitudo quam in natura humana: sicut Gregorius dicit, in Homilia *de Centum Ovibus* *, introducens illud Ezech. XXVIII **, *Tu signaculum similitudinis.* Invenitur etiam in angelo peccatum, sicut in homine: secundum illud *Iob* IV *: *In angelis suis reperit pravitatem.* Ergo natura angelica fuit ita assumptibilis sicut natura hominis.

* Homil. XXXIV *In Evang.*
** Vers. 12.
* Vers. 18.

4. PRAETEREA, cum Deo competat summa perfectio, tanto magis est Deo aliquid simile, quanto est magis perfectum. Sed totum universum est magis perfectum quam partes eius: inter quas est humana natura. Ergo totum universum est magis assumptibile quam humana natura.

SED CONTRA EST quod dicitur *Prov.* VIII *, ex ore Sapientiae genitae: *Deliciae meae esse cum filiis hominum.* Et ita videtur esse quaedam congruentia unionis Filii Dei ad humanam naturam.

* Vers. 31.

RESPONDEO DICENDUM quod aliquid assumptibile dicitur quasi aptum assumi a divina persona. Quae quidem aptitudo non potest intelligi secundum potentiam passivam naturalem, quae non se extendit ad id quod transcendit ordinem naturalem, quem transcendit [α] unio personalis creaturae ad Deum. Unde relinquitur quod assumptibile aliquid dicatur secundum congruentiam ad unionem praedictam. Quae quidem congruentia attenditur secundum duo in humana natura: scilicet secundum eius dignitatem; et necessitatem. Secundum dignitatem quidem, quia humana natura, inquantum est rationalis et intellectualis, nata est contingere [β] aliqualiter ipsum Verbum per suam operationem, cognoscendo scilicet et amando ipsum. Secundum necessitatem autem, quia indigebat reparatione, cum subiaceret originali peccato. Haec autem duo soli humanae naturae conveniunt: nam creaturae irrationali deest congruitas dignitatis; naturae autem angelicae deest congruitas praedictae necessitatis. Unde re-

α) *ordinem naturalem, quem transcendit.* – F et tertia praeter pG; *naturam cuius est* E, om. ceteri.

β) *contingere.* – *attingere* CEG.

linquitur quod sola natura humana sit assumptibilis.

Ad primum ergo dicendum quod creaturae denominantur aliquales ex eo quod competit eis secundum proprias causas, non autem ex eo quod convenit eis secundum primas causas et universales: sicut dicimus aliquem morbum esse incurabilem, non quia non potest curari a Deo, sed quia per propria principia subiecti curari non potest. Sic ergo dicitur aliqua creatura non esse assumptibilis, non ad subtrahendum aliquid divinae potentiae, sed ad ostendendum conditionem creaturae quae ad hoc aptitudinem non habet.

Ad secundum dicendum quod similitudo imaginis attenditur in natura humana secundum quod est capax Dei, scilicet ipsum attingendo propria operatione cognitionis et amoris. Similitudo autem vestigii attenditur solum secundum repraesentationem aliquam ex impressione divina in creatura existentem: non autem ex eo quod creatura irrationalis, in qua est sola talis similitudo, possit ad [γ] Deum attingere per solam suam operationem. Quod autem deficit a minori, non habet congruitatem ad id quod est maius: sicut corpus quod non est aptum perfici anima sensitiva, multo [δ] minus est aptum perfici anima intellectiva. Multo autem est maior et perfectior unio ad Deum secundum esse personale quam quae est secundum operationem. Et ideo creatura irrationalis, quae deficit ab unione ad Deum per operationem, non habet congruitatem ut uniatur ei secundum esse personale.

Ad tertium dicendum quod quidam * dicunt angelum non esse assumptibilem, quia a principio suae creationis est in sua personalitate perfectus: cum non subiaceat generationi et corruptioni. Unde non potuisset in unitatem divinae personae assumi nisi eius personalitas destrueretur: quod neque convenit incorruptibilitati naturae eius; neque bonitati assumentis, ad quam non pertinet quod aliquid perfectionis in creatura assumpta corrumpat. – Sed hoc non videtur totaliter excludere congruitatem assumptionis angelicae naturae. Potest enim Deus, producendo novam angelicam naturam, copulare eam sibi in unitate personae: et sic nihil praeexistens ibi corrumperetur [ε] *. Sed, sicut dictum est **, deest congruitas ex parte necessitatis: quia, etsi natura angelica in aliquibus peccato subiaceat, est tamen eius peccatum irremediabile *, ut in Prima Parte ** habitum est.

Ad quartum dicendum quod perfectio universi non est perfectio unius personae vel suppositi: sed eius quod est unum sub positione [ζ] vel ordine. Cuius plurimae partes non sunt assumptibiles, ut dictum est *. Unde relinquitur quod solum natura humana sit assumptibilis.

* Cf. B. Alb. Magn. III *Sent.*, dist. II, art. 2; Petr. Tarantas. (B. Innoc. V) III *Sent.*, dist. II, qu. 1, art. 1.

* D. 248. ** In corpore.

* D. 151. ** Qu. LXIV, art. 2.

* In corpore.

γ) *ad*. – Om. P. – *solam* om. EsH.
δ) *multo*. – FsE et tertia; *multo autem*.
ε) *corrumperetur*. – PDGHI; *corrumpetur*.
ζ) *sub positione*. – *suppositione* DFI, *positione* H et editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus articuli primi quaestionis quartae, in corporis principio, declaratur quod intelligitur de assumptibili non secundum potentiam passivam naturalem; et in responsione ad primum, nec secundum potentiam obedientiae ad omnipotentiam Dei; sed secundum potentiam congruitatis ad unionem personalem. Et ratio omnium in locis suis patebit *.

* Numm. seqq.

In corpore articuli est unica conclusio: *Sola natura humana est assumptibilis*. Probatur. Haec duo, scilicet congruentia dignitatis et necessitatis, soli naturae humanae conveniunt. Ergo sola natura humana est assumptibilis.

Antecedens, quoad exponentem affirmativam, probatur: quoad dignitatem quidem, quia natura humana nata est attingere per propriam operationem, cognoscendo et amando, Verbum Dei. Quoad necessitatem vero, quia, subiacens peccato originali, indigebat reparatione. – Quoad exponentem autem negativam, probatur: quia creaturae irrationali deest dignitas; naturae autem angelicae deest congruitas necessitatis.

Consequentia probatur. Quia assumptibile dicit aptum natum assumi a divina persona. Non per potentiam passivam naturalem. Ergo per potentiam congruitatis ad unionem personalem divinam. – Hoc ultimo assumptum probatur. Quia potentia passiva naturalis non se extendit ad id quod transcendit ordinem naturalem.

II. Circa haec duae * dubitationes sunt, quae ex dictis litterae in responsionibus argumentorum solvuntur. Primum dubium est circa consequentiam illam, *Assumptibile non attenditur secundum potentiam passivam naturalem, Ergo secundum congruentiam:* cum possit responderi: *Consequentia non valet: quoniam potest attendi secundum potentiam obedientiae.*

* Cf. num. V.

Ad hoc, ex responsione ad primum in littera, respondetur quod creaturae denominantur aliquales ex eo quod convenit eis secundum propria, et non ex eo quod convenit eis secundum primas et universales causas. Potentia autem obedientiae convenit creaturae in ordine ad primam causam, ut patet: potentia autem congruitatis attenditur secundum propria ipsius creaturae. Et ideo creaturae denominantur aliquales, hoc est, assumptibiles, secundum congruitatem, non secundum obedientiam.

III. Sed haec responsio non videtur solida. Tum quia etiam, secundum Auctorem *, humana natura dicitur assumptibilis per potentiam obedientiae.

* Qu. I, art. 3, ad 3; III *Sent.*, dist. II, qu. I, art. 1, qa 1.

Tum quia assumptibile est denominatio conveniens creaturae solum ex ordine ad Deum, causam universalissimam: cum iam * dictum sit proprium esse divinae personae subsistere in pluribus naturis.

* Qu. III, art. 1, ad 2.

Tum quia creaturae denominantur aliquales ex eo quod convenit illis secundum causas primas et universales. Dicuntur enim *creatae* et *conservatae* ac *conservabiles* ex prima causa. Dicitur etiam natura *reparata* ex prima et universalissima causa Deo, etc.

IV. Ad haec dicitur quod propositio in responsione ad primum allata, scilicet, *Creaturae denominantur aliquales ex eo quod convenit eis secundum proprias causas, non autem ex eo quod convenit eis secundum primas et universales causas,* intelligenda est cum grano salis: scilicet, quando oppositae denominationes conveniunt illis secundum proprias, et secundum primas causas. Et hanc glossam manifestat Auctor esse suae intentionis in subiuncto exemplo de morbo, qui secundum propria dicitur incurabilis, quamvis secundum Deum oppositam denominationem habeat et dicatur curabilis. Ita quod intendit Auctor quod, quando denominatio aliqua sic se habet ad creaturas quod secundum propria affirmative et secundum primam causam

negative, aut e contra secundum propria negative et secundum primam causam affirmative sunt denominandae: tunc creaturae denominantur aliquales simpliciter secundum propria; et non secundum primam causam, sed cum additione, ut patet in exemplo litterae. Morbus denominari potest curabilis et incurabilis secundum propria, et secundum primam causam curabilis: et ideo simpliciter dicitur curabilis vel incurabilis attendendo ad propria; secundum primam autem causam dicitur cum additione, *curabilis per Dei potentiam*. Et simile est in proposito. Creaturae simpliciter dicuntur assumptibiles quae congruitatem habent ad unionem personalem, et inassumptibiles quae illa carent. Cum quo tamen stat quod omnes naturae dicantur assumptibiles cum additione, scilicet, *per Dei potentiam*.

Ad primam ergo obiectionem dicitur quod potentia obedientiae, quia respondet omnipotentiae divinae, clauditur in proposito sub denominatione, *ex omnipotentia Dei*. Eiusdem enim rationis est quod denominetur natura assumptibilis ex potentia Dei, et ex potentia obedientiae, qua creatura subditur Dei potentiae absolute. Et ideo praetermissa est in hoc processu, sicut et potentia Dei.

Ad secundam dicitur quod, licet assumptibile dicatur solummodo in ordine ad Deum, attendi tamen potest etiam ex parte congruentiae naturae secundum illius propria, et ex parte omnipotentiae Dei. Et secundum hoc opposito modo natura aliqua est denominabilis. Et ideo secundum propria dicitur congrue assumptibilis vel inassumptibilis.

Ad tertiam, conceditur quod creaturae denominantur simpliciter aliquales ex Dei potentia, quando ex propriis non sunt opposito modo denominabiles. Nec oppositum habetur ex littera sane intellecta.

V. Dubium secundum est: Quomodo verum est quod in angelis deficiat necessitas reparationis; cum angelica natura adhuc reparatione indigeat?

Ad hoc dicitur quod non intendit Auctor excludere ab angelica natura indigentiam seu necessitatem reparationis: sed *congruentiam necessitatis*. Ita quod, licet in angelica natura sit maior indigentia, quia irreparabilis est illius lapsus; quia tamen necessitas illa non habet congruitatem ad reparationem, quia est necessitas non viae, sed termini; ideo notanter dicitur quod *deest angelicae naturae congruitas ex parte necessitatis,* tam in corpore articuli quam in responsione ad tertium.

VI. Nota in dictis huius articuli illam propositionem de potentia passiva naturali, quod *non se extendit ad id quod transcendit naturalem ordinem:* quoniam verissima est, et formalis, et propria, et secundum illa iudicanda quae hic atque illic inveniuntur dicta. Secundum quam patet quod potentia naturalis intellectus nostri non se extendit ad visionem Dei, etc. Unde et hic dicitur de natura humana, quatenus intellectualis, quod nata est *aliqualiter* contingere per operationem Verbum Dei.

VII. In responsione ad primum eiusdem primi articuli, notandum est quod hinc apparet Auctorem non contradicere suis dictis in III *Sent.*, dist. II, qu. I, art. 1 *, nec retractare illa: sed altius, ac Theologo dignius locutus est de assumptibili, *sententiam eandem servans et sermonem quasi cohibens* *. Unde et, pertranseundo, in hac responsione praetermittit discussionem consequentium ad effectum divinae omnipotentiae si assumeret angelum aut lapidem. Unde et nos, Auctoris vestigia sectantes, quaestionem illam, *An Deus possit assumere lapidis naturam,* tanquam communiter acceptatam et sufficienter discussam, et quasi offensivam piarum aurium in illius discussione, relinquendam duximus. Vide haec, si vis, in Auctore in loco allegato, et in Capreolo ibidem *.

* Quª 1.

* Cf. Aug. *de Civit. Dei* lib. V, cap. I.

* Qu. unic., conclus. 1.

VIII. In responsione ad secundum, dubium occurrit circa illud: *Multo autem maior et perfectior est unio ad Deum secundum esse personale quam quae est secundum operationem.* Quoniam non caret scrupulo propositio ista; et multi glossant, aut negant eam. Est autem ratio scrupuli quia, seorsum ista sumpta unio personalis communis est rationalibus et irrationalibus: unio secundum operationem propria est rationalibus. Et rursus unio personalis convenit rationalibus secundum id in quo communicant cum omnibus substantiis, quia convenit eis inquantum sunt naturae potentes subsistere: unio autem secundum operationem perfectae felicitatis convenit eis inquantum sunt *consortes divinae naturae* * per adoptionem. Maior ergo et perfectior est unio secundum operationem fruitionis beatae quam secundum esse personale. Et propterea ista propositio negatur, seorsum acceptis extremis. – Et confirmatur. Quia maius est assumere lapidem in filium Dei adoptivum quam ad unionem personalem: quoniam illud implicat contradictionem, hoc non.

* II Petr. cap. I, vers. 4.

Glossatur autem, quod vera est in natura capaci utriusque unionis.

Et aliqui de veritate illius etiam sic intellectae dubitant. Quia melius est concipere Deum *mente quam carne,* ut dicitur in libro *de Sancta Virginitate* *. Et de Beata Virgine dicitur * quod *beatior fuit concipiendo fidem Christi quam carnem Christi.*

* Cap. III. - Augustini.
* Ibid.

In oppositum autem est litterae auctoritas, ex Augustino, super illud, *Verbum caro factum est* *.

* *In Ioan. Evang.* Tract. II. - Cf. *de Trin.* lib. XIII, cap. XIX.

IX. Ad hanc quaestionem dicendum est quod procul dubio maius, nobilius, excellentius perfectiusque est uniri Deo in persona quam per gratiam et gloriam consummatam. Et ratio habita est in ultimo articulo praecedentis quaestionis: quia scilicet unio personalis non est unio participativa, sed per substantiam Dei, conferens non similitudinem aut participationem Dei, sed ipsum esse personale Dei, ita ut persona Dei fiat persona naturae assumptae; unio autem per fruitionem unio participativa Dei est, conferens non esse Dei, sed similitudinem et adoptionem filialem. Est igitur unio personalis *maior:* quia confert maius, scilicet esse Deum non participative, sed personaliter. Quanto namque maius est esse Deum personaliter quam participative, tanto maior est unio personalis quam participativa. Est et *perfectior:* quia confert perfectius, scilicet esse Deum secundum substantiam, hoc est, hypostasim; non secundum accidentia, ut sunt operationes quibus fruimur Deo. Quanto enim perfectius est esse Deum personaliter quam accidentaliter, tanto perfectior est unio personalis quam per operationem. Et ideo simpliciter et absolute, cum Augustino et Auctore, fateamur longe maius esse uniri Deo in persona quam per gratiam et gloriam.

X. Ad primam autem et secundam obiectionem * dicitur quod, dato quod maius sit illud quod natum est ex parte entium creatorum convenire intellectualibus solum, et similiter intellectualibus ut intellectualia sunt, quam communia: longe tamen maius est quod ex parte Dei potest conferri naturis substantialibus ut communicant in natura substantiali, quam id quod est eis donabile secundum earum operationes. Quoniam potest naturis conferri esse Dei personale in seipso, ut sit esse personale earum: quod non conferri potest per operationes. Rationes enim istae non inferunt quod unio per operationem sit maior aut nobilior: sed bene inferunt quod plus nobilitatis et perfectionis ex parte creaturae exigitur ad unionem per operationem; quia exigitur et natura et operatio intellectualis, et gratia seu gloria, quae non exiguntur ad naturam ut unibilem personaliter. Sed cum hoc stat quod, ex parte accepti doni, longe maior et perfectior sit unio personalis, qua non Deus participative, sed in propria ipsius persona habetur a natura unita.

* Num. VIII.

Ad confirmationem dicitur quod falsum assumitur. Et ad probationem respondetur quod falsissimum est quod implicans contradictoria sit maius. Quoniam implicans contradictoria non est aliquid: non est ens nec non-ens, sed ens et non-ens simul. Secundum huiusmodi enim argumenta, maius esset albedinem esse nigredinem quam esse Deum: quia illud implicat, hoc non.

Ad rationem dubii multorum *, *Quia melius est concipere fidem* etc., respondetur negando consequentiam. Quoniam non est eadem utrobique ratio. Quoniam in conceptione carnali Dei non fit ut concipiens sit Deus, sicut fit in unione personali ut homo sit Deus. Et propterea non arguitur a simili: sed a longe alieno.

* Ibid. *Et aliqui.*

Maximum ergo bonum quod Christus habet, est quod suum *ego* est verus Deus. Et super ac post hoc habet quod sit creata fruitione Dei beatus.

* Cf. ibi Comment. num. II.

XI. In responsione ad tertium eiusdem articuli, nota, pro sequentis articuli quaestione *, quod hic habetur quod si angelus iam creatus assumeretur, personalitas eius corrumperetur, ac per hoc aliquid perfectionis in creatura assumpta corrumperetur. Ex hoc enim insinuatur quod personalitas angeli aliquid perfectionis addit supra naturam angeli.

Quod etiam innuitur de omni supposito et persona sentiendum, dum in responsione ad quartum dicitur: *Perfectio universi non est perfectio unius personae vel suppositi.*

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM FILIUS DEI ASSUMPSERIT PERSONAM

III *Sent.*, dist. v, qu. III, art. 3.

* *De Fide Orth.* lib. III, cap. XI.

* Cap. III.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Filius Dei assumpserit personam. Dicit enim Damascenus, in III libro *, quod Filius Dei *assumpsit humanam naturam in atomo,* idest, in individuo. Sed *individuum rationalis naturae* est persona: ut patet per Boetium, in libro *de Duabus Naturis* *. Ergo Filius Dei personam assumpsit.

*Lib. cit. cap. VI.

2. PRAETEREA, Damascenus dicit * quod Filius Dei *assumpsit ea quae in natura nostra plantavit.* Plantavit autem ibi personalitatem. Ergo Filius Dei assumpsit personam.

* Paschas. Diac. *de Spiritu Sancto*, lib. II, cap. IV. - Cf. Concil. Franceford. an. 794, Synodic. ad Episc. Galliae et German.

3. PRAETEREA, nihil consumitur nisi quod est. Sed Innocentius III * dicit, in quadam Decretali, quod *persona Dei consumpsit personam hominis.* Ergo videtur quod persona hominis fuit prius assumpta.

* Fulgentius.

* Cap. XVII, al. reg. XIV.

SED CONTRA EST quod Augustinus * dicit, in libro *de Fide ad Petrum* *, quod *Deus naturam hominis assumpsit, non personam.*

* Qu. III, art. 1, 2.

RESPONDEO DICENDUM quod aliquid dicitur assumi ex eo quod *ad aliquid sumitur.* Unde illud quod assumitur oportet praeintelligi assumptioni: sicut id quod movetur localiter praeintelligitur ipsi motui. Persona autem non praeintelligitur in humana natura assumptioni, sed magis se habet ut terminus assumptionis, ut supra * dictum est. Si enim praeintelligeretur, vel oporteret quod corrumperetur: et sic frustra esset assumpta. Vel quod remaneret post unionem: et sic essent duae personae, una assumens et alia assumpta; quod est erroneum, ut supra * ostensum est. Unde relinquitur quod nullo modo Filius Dei assumpsit humanam personam.

* Qu. II, art. 6.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod naturam humanam assumpsit Filius Dei *in atomo*, idest, *in individuo quod non est aliud a supposito increato quod est persona Filii Dei* *. Unde non sequitur quod persona sit assumpta.

*Cf. qu. II, art. 5, ad 2.

AD SECUNDUM DICENDUM quod naturae assumptae non deest propria personalitas propter defectum alicuius quod ad perfectionem humanae naturae pertineat: sed propter additionem alicuius quod est supra humanam naturam, quod est unio ad divinam personam.

AD TERTIUM DICENDUM quod *consumptio* ibi non importat destructionem alicuius quod prius fuerat: sed impeditionem eius quod aliter esse posset [α]. Si enim humana natura non esset assumpta a divina persona, natura humana propriam personalitatem haberet. Et pro tanto dicitur persona *consumpsisse personam,* licet improprie, quia persona divina sua unione impedivit ne humana natura propriam personalitatem haberet.

α) *sed... posset.* – Tertia; *secundum... non posset* prima, *sed... non posset* EF.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS articuli secundi satis clarus est quoad *quid nominis* personae humanae: sed quoad *quid rei*, longo tractatu in hoc articulo perscrutandus est.

In corpore articuli unica est conclusio responsiva quaesito negative: *Filius Dei nullo modo assumpsit personam humanam.* Probatur. Illud quod assumitur oportet praeintelligi assumptioni. Persona non praeintelligitur in humana natura assumptioni. Igitur persona non assumitur.

Maior et probatur, quia assumi aliquid dicitur quia *ad aliquid sumitur:* et declaratur exemplo, *sicut illud quod movetur localiter oportet praeintelligi ipsi motui.* – Minor probatur ducendo ad impossibile. Si persona praeintelligeretur, oporteret ipsam vel corrumpi, et sic frustra esset assumpta: vel remanere, et sic essent duae personae; quod est erroneum, quia non esset unio in persona.

II. In hoc articulo quaestio difficillima occurrit: Quid persona, seu hypostasis, addat supra naturam singularem. Et hoc tam in substantiis compositis, puta: *Quid addit Socrates supra suam hanc humanitatem compositam ex hac anima et hoc corpore?* Et similiter: *Quid addit Gabriel supra suam naturam singularem?*

Et est specialiter ex verbis huius articuli hinc et inde ratio dubii. Quia tam in corpore articuli, quam in responsione ad tertium, habetur quod addit aliquid positivum *: dum dicitur ** quod *personam oporteret corrumpi si praeexisteret assumptioni* (quod in praecedenti quoque articulo * de angeli persona dictum est, cum adiunctione quod *aliquid perfectionis corrumperetur*); et rursus dicitur * quod *persona divina sua unione impedivit ne natura humana propriam personalitatem haberet;* si enim nihil adderet, impedimentum nihilo praestitum esset.

* Cf. num. XII, *Patet quinto.*
** In corpore.
* In resp. ad 3; cf. comment. n. XI.
* Hic ad 3.

* Cf. num. XXII.

In oppositum autem sonat responsio ad secundum *, dicens quod *naturae assumptae non deest propria personalitas propter defectum alicuius quod ad perfectionem humanae naturae pertineat, sed propter additionem,* etc. Si enim persona adderet aliquid positivum supra hanc naturam, oporteret illud deesse naturae assumptae: et sic falsum esset quod personalitas deest non propter defectum alicuius quod ad perfectionem spectat. Constat enim quod, si personalitas positivum aliquid addit, illud ad perfectionem spectaret: cum persona significet perfectissimum quid in genere substantiae.

Simpliciter autem et generaliter ratio dubii magni est tanta diversitas opinionum, et obscuritas rei.

III. Clauduntur autem in quaestione ista quatuor quaesita. Primum est: An persona supra hanc naturam addat in se aliquid, an solum secundum rationem? Secundum: An, supposito quod addat aliquid in se, an illud sit positivum, vel negativum? Tertium: An illud sit intrinsecum personae, an extrinsecum? Et quartum: Quid est illud positivum vel negativum, intrinsecum vel connotatum? Quae, ad evitandam replicationem, simul tractabuntur.

Est igitur *prima opinio* quod suppositum et natura haec in omnibus substantiis sunt idem re, et differunt solo modo intelligendi, ut *quod est* et *quo est:* ita quod idem est *quo* et *quod* diversa ratione. Natura enim est ut qua Socrates est homo: Socrates vero est ipsa sua natura ut participans seu habens illam ab agente. Et huius opinionis est Henricus de Gandavo, in *Quolibet* IV, qu. III *.

* Qu. IV.

Secunda autem opinio est quod suppositum et natura sunt idem re quoad intrinseca, sed differunt realiter quantum ad connotata quae ostenduntur ex modo significandi. Connotata autem huiusmodi sunt illa quae simul cum natura habentur, sine quibus natura non potest esse. Verbi gratia, Socrates est ipsa sua humanitas in concreto, ut significatur habens reliqua sine quibus humanitas non habetur in rerum natura. Et huius opinionis est Hervaeus, in *Quolibet* III, qu. VI *.

* Art 2.

Tertia opinio est quod suppositum et natura differunt realiter medio modo inter extrinsece et intrinsece: ita quod suppositum addit supra naturam affectionem qua natura subest accidentibus. Ita quod Socrates non est sua humanitas: quia *Socrates* significat humanitatem ut affectam accidentibus; *humanitas* vero non. Ab Hervaeo * et Ioanne de Neapoli recitatur haec opinio, et improbatur.

* *Quolib.* III, qu. VI, art. I, opin. 1[a].

Quarta opinio est quod suppositum differt realiter a natura sicut totum a parte: quia dicit compositum ex natura et esse existentiae. Haec etiam recitatur ab utroque dictorum, et improbatur.

Quinta opinio est quod suppositum differt a natura per unum connotatum extrinsecum, scilicet actum essendi. Ponit enim haec opinio actum essendi non claudi in suppositi ratione (in quo differt a praecedente: et bene dicit in hoc), sed connotari per suppositum: quia esse est proprius actus suppositi ut *quod est.* Et haec est opinio Capreoli, in III *Sent.*, dist. V, qu. III *.

* Art. 3, ad 1[m] Scoti cont. conclus. 2[am].

Sexta opinio est quod persona addit supra naturam hanc aliquid intrinsecum constitutivum personae, negativum tamen. Et haec est opinio Scoti, in III *Sent.*, dist. I, qu. I *. *Quae,* verbis ipsius utendo, *addit duplicem negationem:* scilicet dependentiae actualis a persona divina; et dependentiae aptitudinalis respectu eiusdem termini, scilicet personae divinae, hoc est, non dependere etiam secundum aptitudinem a persona divina ut sic. Ita quod haec humanitas est persona per hoc quod nec apta nata est terminari ad personalitatem divinam, nec actualiter terminatur per eam.

* Art. 3.

Septima opinio, propinqua huic, est quod persona addit supra naturam hanc solam negationem annexam extrinseci positivi et intrinsecae unionis ad illud. Ita quod suppositum significat illammet rem quam significat natura: sed significat eam ut habet hanc duplicem negationem, scilicet quod in nullo extrinseco sustinetur. Et huius opinionis est Ioannes de Neapoli, in *Quol.* q. 9.

Omnium harum opinionum, convenientium in hoc quod suppositum nihil positivum intrinsecum addit supra naturam personabilem singularem, fundamentum est * quia illud intrinsecum constat non posse esse accidens: nec substantiam, quae est forma, aut materia, aut compositum ex utraque *. – Accedit ad hoc auctoritas Aristotelis, in VII *Metaphys.* * tractantis hanc quaestionem, et dicentis quod *in his quae sunt per se, idem est quod quid est, et id cuius est.* Constat enim substantiam esse de numero eorum quae sunt et dicuntur per se *. – Ponendi aut aliquid superadditum, negativum vel positivum, cogit et modus significandi; et assumptio singularis humanitatis a Christo sine sua personalitate.

* Cf. num. XII, *Patet quarto.*

* Cf. Aristot. *de Anima* lib. II, cap. I, n. 2; cap. II, n. 13. - S. Th. lect. I, IV.

* S. Th. lect. V. - Did. lib. VI, cap. IV, n. 4 sqq.

* Cf. Arist. *Post. Anal.* lib. I, cap. IV, n. 5. - S. Th. lect. X.

IV. Praeter omnes autem dictas opiniones, recitatur alia opinio a Scoto * et Ioanne de Neapoli (si tamen una et eadem ab utroque recitatur) tenens suppositum addere supra naturam singularem entitatem positivam intrinsecam supposito, constitutivamque ipsius: sicut haec, inquit Scotus, humanitas addit supra humanitatem; vel sicut modus essendi, ut inquit Ioannes de Neapoli, addit supra naturam cuius est. Et reducitur entitas ista ad genus substantiae: sicut esse quale ad genus qualitatis, et punctus ad genus quantitatis. Improbaturque ab utroque opinio ista *.

* Loc. cit. supra.

* Cf. num. XIII.

V. Omisi afferre opinionem dicentem suppositum differre a natura quia Socrates dicit compositum ex materia et forma, humanitas vero formam. Quia non esset ad propositum quaestionis: in qua supponimus Filium Dei assumpsisse singularem humanitatem compositam ex hac anima et hoc corpore, iuxta illud *, *Perfectus homo ex anima rationali et humana carne subsistens,* et tamen non assumpsisse hypostasim humanam.

* Symb. S. Athanas.

VI. Examinanda igitur discutiendaque sunt haec et secundum doctrinam divi Thomae, et simpliciter *. Ex doctrina divi Thomae habetur inter naturam et suppositum in creaturis talem tantamque esse differentiam ut suppositum sit primum subiectum actus essendi in rerum natura, natura non: et similiter quod suppositum sit subiectum filiationis realis, natura non. Ita quod, si natura sine suo supposito poneretur, non esset subiectum actus essendi, nec esset subiectum filiationis. Et primum quidem dicit Auctor inferius, in qu. XVII, art. 2, per totum, ubi, in resp. ad 1, dicit haec verba: *Esse consequitur naturam, non sicut habentem esse, sed qua aliquid est: personam autem, sive hypostasim, sicut habentem esse.* Secundum autem dicit inferius, qu. XXXV, art. 5, per totum, ubi, in resp. ad 1, dicit haec verba: *Nativitas temporalis causaret in Christo temporalem filiationem realem, si esset ibi subiectum huiusmodi filiationis capax,* etc.

* Cf. num. VIII.

Ex hoc autem quod haec humanitas et hic homo sic differunt quod illa secundum rem neque actus essendi neque filiationis realis est capax nisi ratione huius hominis ut per se primo subiecti utriusque, oportet dicere quod aliqua realis differentia sit inter hanc humanitatem et hunc hominem, ita quod aliquid reale includat hic homo quod non includit haec humanitas, qua realitate hic homo habeat quod sit susceptivum tam actus essendi quam filiationis realis, cuiusque realitatis defectu haec humanitas deficiat ab hoc quod est esse susceptivum per se primo actus essendi et filiationis temporalis. Nam haec differentia in rerum natura est, et secundum constitutivum per se primo subiecti filiationis realis, sive actus essendi. Et propterea non potest reduci ad differentiam secundum modos intelligendi aut significandi, nec ad differentiam secundum extra connotata, quaecumque sint illa: quoniam haec differentia praevenit omnia extrinseca, et modos intelligendi et significandi. Nec ad differentiam penes negationes: quoniam negatio non est constitutiva subiecti entitatis realis, quamvis sit concomitans et circumloquens constitutivum illud quandoque; quoniam subiectum entitatis realis, ut sic, purum ens reale esse in se sufficit; negatio enim, cum nihil formaliter sit, non dat formaliter alicui enti esse capax entitatis realis. Sed si haec humanitas et hic homo ita se habent quod huic humanitati in rerum natura repugnat esse per se primo susceptivum harum extrinsecarum entitatum realium, scilicet actus essendi vel filiationis, et huic homini convenit: oportet aliquid positivum reale claudi in hoc homine quod non clauditur in hac humanitate, quo fiat per se primo susceptivum huius rei, cuius illa non est capax.

VII. Haec ratio videtur convincere intellectum bene dispositum, stantibus fundamentis. De quibus scito quod, quamvis Thomistae aliqui videantur negare fundamentum hoc quantum ad per se primo subiectum actus essendi (quorum phantasia in qu. XVII * ostendetur aliena a doctrina Auctoris), nullus tamen infitiari potest fundamentum hoc esse divi Thomae quoad per se primo subiectum filiationis realis. Et hoc sufficit efficaciae huius rationis. Quoniam tota vis rationis consistit in hoc, quod constitutivum rei

* Art. 2, Comment.

in hoc quod est esse per se primo susceptivum entitatis realis, oportet esse realitatem aliquam: sed hic homo in hoc differt ab hac humanitate, quod claudit in se aliquid quo est per se primo susceptivus alicuius entitatis realis repugnantis huic humanitati: ergo claudit in se realitatem constitutivam in esse quo differt ab hac humanitate. Sed non differt nisi in esse personali, quo hic homo est hypostasis sive persona, haec humanitas non. Ergo personalitas huius hominis addit aliquam realitatem intrinsece constitutivam personae humanae, supra hanc humanitatem.

Haec ratio non nisi ad manifestandum quid sentiat Auctor de differentia inter suppositum et naturam allata est. Apud alios namque scio non valere: quia ponunt in Christo non solum plura esse, sed etiam novam filiationem realem. Et hoc ipsum magis attestatur quod sententia Auctoris est quae dicta est. Quoniam, consequenter loquendo, ponentes personam non constitui intrinsece aliquo positivo supra hanc naturam, consequenter ex negatione personalitatis humanae nihil reale debent auferre ab homine Christo quod est in aliis: quia nihil reale convenit hominibus ratione negationis, aut huiusmodi. Et per oppositum tollentes aliquam realitatem a Christo homine propterea quia aliqua realitas est personae et aliqua naturae, debent, consequenter loquendo, dicere quod personalitas aliquam realitatem constitutivam intrinsece personae ut distinguitur ab hac natura, dicit, quae in Christo non fuit, et ad cuius impeditionem secuta est impeditio reliquarum realitatum personalium.

Consonat autem haec sententia his quae in praecedenti et hoc articulo dicuntur de corruptione personalitatis et impedimento eiusdem *: et his quae in IV *Contra Gentes*, cap. XLIII, dicuntur, dum asseritur quod, *si hypostasis humana non remaneret in ea natura in qua, assumenda a Verbo, praeextitisset, hoc sine corruptione accidere non potuisset: nullum enim singulare desinit esse hoc quod est nisi per corruptionem.* Haec ille.

* Cf. num. II.

VIII. Simpliciter autem et absolute loquendo *, monstratur positio ista rationi consentanea, tam secundum ea quae sunt ex lumine naturali, quam secundum ea quae sunt ex lumine fidei * nota. Rationabile siquidem est ut, dupliciter dicta substantia in V *Metaphys.* *, scilicet de essentia et de prima substantia, sicut substantia pro essentia est res cui debetur talis modus essendi quem circumloquimur per *esse per se*, hoc est, *non in alio sicut accidens est in subiecto:* ita substantia pro substantia prima sit res cui debetur talis modus essendi quem circumloquimur per *esse per se separatim ita quod repugnet ei esse in alio ut in quod,* sive ut *quo* in *quod,* sive ut pars aut quasi pars in toto. Sic enim ponendo, quemadmodum substantia pro essentia non ex modo essendi, affirmativo vel negativo, constituitur, sed ex constitutiva intrinsece realitate cui debetur esse tali modo: ita substantia pro hypostasi non actu essendi tali modo, sed ex realitate constitutiva ipsius intrinsece cui debetur actus essendi tali modo, constituitur.

* Cf. num. VI, initio.
* Cf. num. seq.
* S. Th. lect. X. - Did. lib. IV, cap. VIII, n. 5.

Nec tacita a Philosopho huiusmodi realitas, sed expressa est in proprio constituto per ipsam, dum in V *Metaphys.* * substantia distincta est in substantiam pro hypostasi et substantiam pro essentia substantiali; et in *Praedicamentis* * substantia prima *proprie, principaliter et maxime substantia* dicitur. Idem autem significatur per *substantiam primam, hypostasim, suppositum* et *personam,* nisi quod *persona* in solis rationalibus locum habet, ut patet ex ante * dictis.

* Loc. cit.
* Cap. III, n. 1.
* Qu. II, art. 3, Comment. num. I.

Accedit ad haec quod nomen *hypostasis* aut *personae,* et similiter nomina propria naturarum cum pronominibus, ut *hic homo, hic bos,* et similiter pronomina demonstrativa personaliter, ut *ego, tu, ille,* omnes confitemur significare formaliter substantiam, et non negationem aut accidens aut extranea. Si omnes hoc fatemur, cur, ad *quid rei significatae* perscrutantes, divertimus a communi confessione? Et, si personalitatem negationem esse formaliter dicere licet, cur non statur in sententia tanto probabiliori quanto magis consona communi confessioni?

IX. Theologi quoque, ponentes personalitatem in divinis positivam rem, cum ex illa personalitate *omnis personalitas in caelo et in terra nominetur,* sicut ex illo Patre *omnis paternitas,* iuxta Apostoli sententiam *, docent nos, ad divinae personalitatis aliqualem imitationem, etiam in creaturis personalitatem positivam rem esse.

* *Ad Ephes.* cap. III, vers. 15.

Amplius, dicentes personam Verbi in Christo supplere personam humanam, constat quod non dicunt quod supplet nihil (negatio autem est nihil formaliter): sed intendunt quod supplet substantiam quam significat persona humana, seu hic homo. Non igitur personalitas negatio, aut modus significandi, aut extraneum quid est: sed substantia, loco cuius in Christo est persona Verbi, quae vere est hic homo et persona humana.

Amplius, si natura assumpta a Verbo desereretur ab eo in suis propriis naturalibus, esset tunc alia persona Verbi Dei et alia persona illiusmet naturae humanae. Ergo esset tunc alia substantia illiusmet humanitatis: quoniam *alia* est relativum diversitatis substantiae. Ergo personalitas addit supra illam singularem naturam substantiam intrinsece constitutivam formaliter personae in esse personali. – Nec potest dici ad primam consequentiam quod esset alia persona negative tantum. Quoniam constat quod non solum non esset eadem persona cum persona Verbi, sed poneret in numerum cum illa: quoniam essent duae personae, non minus quam modo sunt persona Verbi et persona mea.

X. Est igitur personalitas realitas constitutiva personae ut sic. Et ideo ad eam consequuntur negationes; ac repugnantiae ad esse *quo* et esse partem; et capacitates ad personales realitates, ut sunt actus essendi et filiatio; et *quod est,* et *habens esse,* et reliqua quae hypostasi attribuuntur.

Est autem huiusmodi realitas in genere substantiae reductive, sicut reliquae realitates constitutivae substantiarum, ut *rationale* et huiusmodi: quamvis non sit differentia, proprie loquendo; sed est terminus ultimus, ac ut sic purus, naturae substantiae.

Ubi tria dico. Primo, quod est *terminus naturae.* Quod probatur ex hoc quod naturam personari est naturam terminari, et personare est terminare naturam. Exponimus enim naturam humanam in Christo personari per Verbum, quia terminatur per illius personam: et e contra Verbum personare naturam illam, quia terminat illam.

Secundo, quod est *ultimus.* Quoniam natura nunquam est ultimate terminata donec personetur. Quantumcumque enim individuetur, nisi personetur, non est ultimate terminata: ut patet de humanitate Christi, quae est secundum se in se singularis et terminabilis per personam Verbi aut propriam, terminata autem per personam Verbi. Constat autem quod, si terminata est personalitate propria vel aliena, stante illa non est terminabilis ultra: nisi forte extensive, non ex parte sui, sed ex omnipotentia alterius potentis etiam seipsum terminum illius efficere, ut superius * dictum est si una natura assumeretur a duabus personis divinis. Sed hoc non tollit quin prima persona assumens terminaverit ut ultimus terminus, sed terminos multiplicat extensive. Est igitur personalitas terminus ultimus naturae.

* Qu. III, art. 6, Comment. num. III.

Quod autem tertio addidi, *ut sic purus,* ad maiorem explicationem, non ad necessitatem appositum est: ad instruendum novitios quod terminare, ut terminare, nullam dicit causalitatem; et explanandum quod personalitas, ut terminans naturam, nullam causalitatem dicit respectu naturae terminatae; ita quod non solum est extra genera causarum extrinsecarum, sed etiam extra causas intrinsecas; quoniam nec in genere causae formalis, nec in genere causae materialis se habet ad naturam, sed ut terminus eius. Unde et in mysterio incarnationis dictum est * quod unio personalis secundum nullum genus causae attenditur. Nec hoc est figmentum, sed testimonium habet ex terminis quantitatis: punctum enim est ita terminus lineae quod nulla causa est illius.

* Qu. II, art. 6, Comment. num. X.

XI. Et quod haec non voluntarie, sed rationabiliter dixerim, declaro ex auctoritate et ratione. Auctoritas est divi Thomae, in III *Sent.*, dist. V, qu. III, art. 3, dicentis: *Quod assumitur, trahitur ad aliquid completius, ipsum incompletum existens: et hoc est contra rationem personae, quae*

maximam completionem importat. Haec ille. Ubi clare habes naturam singularem sine personalitate esse incompletam, et personam maximam completionem importare. Hoc enim nihil aliud est quam dicere quod natura singularis non est ultimate terminata; et personam ultimum terminum naturae importare.

Ratio prima, theologice manifestata, iam * dicta est: quia scilicet personare et personari sunt terminare et terminari ultimate. Igitur personalitas est ultimus terminus. – Antecedens manifestatur. Quia idem, quamvis aliter, facit personalitas propria naturae, et personalitas aliena: quoniam aliena supplet propriam. Sed inter alienam et naturam est terminare et terminari: ut patet in mysterio incarnationis. Ergo.

* Num. praeced.

Ratio altera est ex apparentibus in naturalibus substantiis homogeneis. Videmus enim quod ex sola divisione res multorum praedicamentorum simul actu absque alio generante fiunt. Ex sola enim ligni vel aquae divisione quaelibet pars acquirit novum terminum in genere quantitatis: quoniam ex illa parte qua continuabantur, quaelibet pars proprio termino actu terminatur. De novo acquirit novam relationem: quoniam quaelibet fit actu totum, ut patet. Acquirit esse in actu proprium: cum prius esset in potentia in toto, utpote pars eius. Acquiritur nova hypostasis: quoniam quaelibet pars est hypostasis, seu prima substantia; cum prius non esset prima substantia, sed primae substantiae pars. Existente siquidem hypostasi una in actu et multis in potentia, consequens est, secundum doctrinam Aristotelis, in II *de Anima* *, ut sola divisione fiant duae substantiae in actu, quae prius erant una in actu et duae in potentia: non minus quam in animalibus imperfectis, existente una anima in actu et duabus in potentia, sola divisione fiunt duae animae. Ex modo igitur quo videmus multiplicari hypostases, rationi consentaneum apparet quod terminationem naturae singulari superaddat: quoniam terminorum talis est generatio. – Et confirmatur hoc auctoritate divi Thomae, ubi supra *, ad 3 arg., si Verbum Dei deponeret assumptam humanitatem, dicentis: *Separatio dat utrique partium totalitatem:* totalitas enim et completio idem sonant, eo quod ultimata terminatione consummantur.

* Cap. II, n. 8. - S. Th. lect. IV.
* Cf. princ. huius num.

XII. Et quia *vero omnia consonant* *; et *ex quod quid est solvuntur omnes difficultates rei* *: ideo tanto rationabilior haec positio monstratur, quanto omnia consona ostendentur, et solventur difficultates *. Ex hoc namque quod realitas personalitatis est terminus ultimus naturae, patet primo difficultas de identitate et diversitate eius a natura singulari. Est enim quodammodo idem, et quodammodo non idem: sicut terminus est terminato quasi idem, et quasi non idem. Est enim aliquid eius, scilicet terminus, et non est illud: ut patet de puncto et linea.

* Aristot. *Anal. Prior.* lib. I, cap. XXXII, n. 1.
* Aristot. *Anal. Poster.* lib. II, cap. V, n. 4. - S. Th. lect. IV.
* Num. seq.

Patet secundo, de separabilitate. Nam potest natura fieri sine suo termino in actu: non autem e converso. Sicut potest linea esse sine omni puncto in actu, ut patet de linea circulari: non autem e converso, quia implicat punctum esse sine linea, utpote habens et non habens positionem.

Patet tertio, de compositione. Inter terminatum enim et terminum nulla est compositio. Non enim linea componitur ex punctis, aut ex linea et puncto. Et similiter inter personalitatem et naturam nulla est compositio, sed se habent ut terminus et terminatum.

Patet quarto, quod non fingimus novam substantiam, ultra materiam, formam et compositum *. Quoniam appellatione *compositi* intelligitur in substantiis materialibus utraque substantia posita in V *Metaphys.* *, scilicet essentia et hypostasis: nam ex materia et forma componitur non solum essentia Socratis (sive communiter sumpta, ut humanitas: sive singulariter, ut haec humanitas), sed etiam ipse Socrates, ut patet. Sed quoniam substantia distincta est in naturam et substantiam primam; et substantia prima invenitur in solis substantiis completis, sive sint compositae sive simplices formae: in lucem protulimus quid substantia prima, seu hypostasis, formaliter importat in communi.

* Cf. num. III, *Omnium.*
* S. Th. lect. X; Did. lib. IV, cap. VIII, n. 5. - Cf. supra num. VIII.

Patet quinto, sensus verborum divi Thomae *, cum dixit pluries quod *personalitas corrumperetur si Verbum assumpsisset angelum aut hominem praeexistentem.* Corrumpi enim non est nisi entium: nihil enim moritur nisi vivens; et similiter nihil corrumpitur nisi ens. – Et cum dixit quod *persona Verbi impedivit ne humanitas illa haberet suam propriam personalitatem:* quod Innocentius vocavit *consumptionem personae* *. Non enim impedita est a nihilo (negationes autem omnes formaliter sunt nihil): sed ab aliquo. Similiter persona Verbi non consumpsit nihil, sed aliquid: quod enim nihil est, consumptibile non est.

* Cf. num. II.
* Cf. arg. 3.

Patet sexto, sensus doctrinae Augustini *, et sententiae Ecclesiae *, cum dicitur quod persona Verbi *assumpsit naturam et non personam.* Si enim persona negationem addit formaliter, dicendo, *Non assumpsit personam,* dictum est, *Non assumpsit nihil.*

* Cf. arg. *Sed contra.*
* Cf. qu. II, art. 3, arg. *Sed cont.;* art. 6.

XIII. Patebit et septimo, solutio obiectionum. Scotus enim *, in III *Sent.*, dist. I, qu. I **, arguit contra hanc positionem quadrupliciter. « *Primo,* quia tunc esset aliqua entitas positiva in natura humana quae esset inassumptibilis a Verbo. Hoc est inconveniens. Tum quia, secundum Damascenum *, *quod est inassumptibile, est incurabile.* – Tum quia omnis entitas positiva creaturae aeque est in potentia obedientiali respectu personae divinae ».

* Cf. num. XV.
** Art. 3.
* *De Fide Orth.* lib. III, cap. VI.

« *Secundo* *, quia sequeretur quod humanitas assumpta a Verbo careat illa entitate positiva: quae tamen ponitur ultima, et quasi actualissima et determinatissima in natura tali. Et sic non esset homo univoce. – Et si reputatur non inconveniens quod careat illa: arguo quod ista natura non posset dimitti sibi quin oporteret sibi dari novam realitatem, vel remanere non personam ».

* Cf. num. XVI.

« *Tertio* *, quia sequitur quod ista natura non posset dimitti, vel esse personata. Quia talis realitas non est realitas naturae: nec potest contineri per identitatem in aliqua natura quae non est eadem sibi ».

* Cf. num. XVII.

« *Quarto* *, sequeretur quod natura intellectualis posset fieri actu existens, et in nulla persona. Patet sequela. Quia natura quae assumitur est prior seipsa ut est sub realitate personalitatis quae non est eadem realiter aut formaliter naturae: et tunc, si non assumeretur, sed relinqueretur sibi, non esset personata personalitate creata vel increata ».

* Cf. num. XVIII.

XIV. Deinde arguit Aureolus *, apud Capreolum, in III *Sent.*, dist. V, qu. III *. *Primo,* ex auctoritate Damasceni **: *Assumpsit Verbum quidquid in natura nostra plantavit.* – Et si dicatur quod assumpsit totum quod pertinet ad naturam, non totum quod pertinet ad suppositum, contra: Terminus humanitatis est aliquid humanitatis. Ergo assumpsit etiam terminum humanitatis. Antecedens probatur: quia punctum est aliquid lineae.

* Cf. num. XIX.
* Art. 2.
** *De Fide Orth.* lib. III, cap. VI; cf. arg. 2.

Secundo *, si terminatio et personalitas est aliqua realitas, ergo ens. Ergo quidditas et quid: ut patet VII *Metaphys.* * Ergo natura aliqua. Ergo est assumptibilis a Verbo. – Et confirmatur. Quia, si distinguitur realiter a natura, posset Deus ipsam separare realiter, et separatim assumere.

* Cf. num. XX.
* Cf. S. Th. lect. IV. - Did. lib. VI, cap. IV, n. 8.

Tertio *, quia ex hoc sequuntur multa inconvenientia. *Primum* est quod Verbum non posset supplere vicem illius termini: cum sit quid subsistens, et non solum terminus. – *Secundum,* quod Verbum non esset homo. Quia terminatio illa, si poneretur, non esset homo. – *Tertium,* quod angelus non posset assumi a Verbo: cum in eo non differat quod quid est ab eo cuius est, secundum Philosophum *. – *Quartum* est quod prima substantia non haberet rationem primae substantiae per essentiam, sed per istam realitatem. Et sic secunda substantia esset magis substantia: quia prima, inquantum prima, non esset substantia. – *Quintum* est quod nulla res subsisteret per se, sed per aliud a se: sicut corpus non terminatur per se, sed per superficiem. Et tamen conceditur quod substantia subsistit per se. – *Sextum* est quod natura haberet magis rationem suppositi. Quoniam natura substat realitati personalitatis. – *Septimum* est quod suppositum esset quarta substantia ex tribus constituta, scilicet materia, forma, et illa realitate. – Cum igitur ista sint absona, non potest illa positio poni.

* Cf. num. XXI.
* Cf. *Metaphys.* lib. VI, cap. VI, n. 4. - S. Th. lib. VII, lect. V.

XV. Ad primum Scoti * dicitur nullum inconveniens

* Num. XIII.

esse quod aliqua realitas creata sit inassumptibilis. Pro cuius clara resolutione, distinguendum est quod, sicut substantia dicitur dupliciter, scilicet de hypostasi et de natura, ita entitas seu realitas dicitur dupliciter: scilicet de realitate hypostatica seu personali, et de realitate naturali; hoc est, spectante ad naturam ut natura distinguitur contra hypostasim, et e contra. Et quoniam, secundum Damascenum *, in Christo naturalia duplicantur, quia duas habet Christus naturas, divinam scilicet et humanam; personalia autem non multiplicantur sed in unitate sistunt, quia unica tantum est in Christo persona, scilicet hypostasis Verbi: ideo in Christo, sequendo Damasceni doctrinam, immo Ecclesiae sententiam, si consequenter loqui debemus, quidquid spectat ad naturam humanam ut distinguitur contra hypostasim humanam, est, et assumptum est, et assumptibile fuit; quidquid autem spectat ad personalitatem humanam ut distinguitur contra naturam humanam, non est assumptibile, non est assumptum, non fuit nec est in Christo. Et sub membro hoc continentur multae entitates reales, quamvis diversimode: scilicet personalitas, actus essendi, et filiatio realis temporalis, ut infra in suis patebit locis *. Et ideo nihil horum est assumptibile. Diversimode tamen: quia personalitati repugnat contradictorie assumi; actui vero essendi repugnat secundum ordinem rerum, ut infra, qu. XVII *, patebit. Et omnes auctoritates sonantes aliquam integritatem aut universalitatem assumptorum vel assumptibilium, intelligenda sunt in genere naturalium ut distinguuntur contra personalia.

* Lib. cit., cap. XIII.
* Qu. XVII, art. 2; qu. XXXV, art. 5.
* Art. 2, Comment.

Et propterea, cum primo obiicit Scotus quia *quod est inassumptibile, est incurabile,* intelligitur sic: *Quod inter naturalia est inassumptibile, est incurabile.* Et probatur glossa ex ipsius Damasceni doctrina *, ponentis personalia non esse assumpta.

* Loc. proxime cit.

Ad secundam eiusdem probationem, negatur illa propositio: *Quaelibet creata entitas est aeque in potentia obedientiae ad assumptionem.* Quoniam alicui creatae rei repugnat assumi. Unde in littera dicitur quod oporteret personalitatem corrumpi, si natura angelica vel humana praeexistens assumeretur *.

* Cf. num. II.

XVI. Ad secundum Scoti, conceditur quod in Christo non est realitas creatae personalitatis. Sed falsum est quod ista realitas sit actualissima: cum sit constitutiva subiecti actus essendi. Et similiter falsum est quod sit determinatissima: immo non est determinata, sed terminus; terminus enim non est terminatus, sicut nec albedo est alba.

Adiuncta autem sequela, quod Christus non esset homo univoce, nihil valet, ut divus Thomas docet *: quia univocatio in nomine hominis attenditur secundum naturae humanae rationem, et non secundum personalitatem; ratio autem naturae humanae eadem omnino est in Christo et aliis hominibus, quamvis personalitas sit diversa.

* *De Union. Verb.*, art. 2, ad 4.

Et cum contra concessum defectum realitatis personalis creatae in Christo arguitur, quia sequeretur quod sibi dimissae humanitati assumptae oporteret novam dari realitatem: respondetur quod oporteret novam realitatem adesse, sed non de novo per aliquam novam actionem dari. Sola enim separatio, ut Auctor dixit *, dat complementum, sublato impedimento illius perfectionis: sicut, sublato impedimento, grave descendit deorsum. Iam enim patet ex littera praesenti * quod persona divina assumendo impedit naturam assumptam a propria personalitate.

* III *Sent.*, dist. V, qu. III, art. 3, ad 3. - Cf. num. XI.
* Ad 3.

XVII. Ad tertium Scoti, negatur sequela. Nec probatio allata probat illam. Quia, concesso quod talis realitas nec est natura nec per identitatem continetur in natura, negatur sequela: et dicitur quod talis realitas ex natura separata a Verbo haberetur. Est enim separatio reductiva de potentia ad actum illorum quae coniunctio impediebat: ut patet in continuis *. Huiusmodi autem realitas continetur in natura quasi in potentia: pro quanto natura est terminabilis ex se tali realitate, non ut actu, sed ut termino proprio.

* Cf. num. XI.

XVIII. Ad quartum dicitur quod, si est sermo de potentia naturali, negatur sequela, quae non probatur. Quia, si humanitas non assumeretur, personaretur propria personalitate. Non enim omne prius potest naturaliter fieri sine posteriori.

Si vero sit sermo de potentia divina, fateor nullam me videre impossibilitatis rationem quare non possit Deus naturam absque omni personalitate conservare: cum actu tamen essendi miraculose consequente absque personalitate, quae est proprium illius subiectum secundum naturae ordinem, cui divina non est alligata potentia.

Et scito quod sicut, cum de integritate et perfectione ac non-defectu hominis in Christo est sermo, intelligitur quoad naturalia ut distinguuntur contra personalia, – testante etiam Athanasio *, *Perfectus homo ex anima rationali et humana carne subsistens:* ubi expresse perfectionem hominis in Christo in constare ex anima rationali et humana carne posuit; clarum est autem *perfecto nihil deesse* *; nihil ergo deesse perfecto homini Christo asseritur, si ex anima rationali et humana carne constare dicitur, cum qua perfectione liquet stare defectum personalitatis, quidquid sit illa: – ita, quando est sermo de novitate aut acquisitis seu acquisibilibus per humanitatem assumptam si sibi dimitteretur, et dicitur nihil novi acquiri aut advenire sed per seipsam subsistere, intelligitur de his quae non ex ipsa separatione consequuntur; et quod, dimissa sibi, per seipsam dimissam subsisteret; in quo clauditur id quod ex separatione datur seu consequitur in ipsa natura. Negatio enim et exclusio et exceptio non cadunt super concomitantibus ipsam separationem quae ponitur. Constat autem ex dictis ab Auctore * quod separatio dat totalitatem seu complementum qua seu quo hypostasis differt a natura: et quod natura assumpta impedita est a propria personalitate, quae ad ipsam consequeretur separatam, quoniam cessaret unio, quae impedivit. Et si ad has duas glossas te resolveris, perspicies omnia soluta, clara et consona.

* In Symb.
* Aristot. *Physic.* lib. III, cap. VI, n. 8. - S. Th. lect. XI.
* In resp. ad 3; III *Sent.*, dist. V, qu. III, art. 3, ad 3, 4.

XIX. Ad Aureoli primum * respondetur primo, quod *quidquid in natura plantatum est, assumpsit Verbum:* – *in natura,* dixit Damascenus, non *in persona.*

* Num. XIV.

Veruntamen, quia personalitas plantata est in natura, ad quam sequeretur si non esset impedita per assumptionem, dicitur secundo, quod ly *quidquid* distribuit pro plantatis in natura ita quod conveniant sibi ut distinguitur contra personam.

Et si contra hoc applicetur instantia allata, scilicet, *Terminus humanitatis est aliquid humanitatis,* respondetur: Quod terminus ultimus (de quo solo est sermo) sit aliquid humanitatis, potest dupliciter intelligi. Primo, quod ita sit aliquid humanitatis distinctae contra personam, quod conveniat sibi absque personalitate. Et sic negatur: quia implicat duo contradictoria simul, quoniam est constitutivus personalitatis. – Alio modo, quod sit aliquid humanitatis totaliter completae. Et hoc est verum: quia est terminus eius. Et ultra hoc, est aliquid in potentia ipsius humanitatis, quae secundum se est terminabilis termino proprio.

XX. Ad secundum, negatur, proprie loquendo, prima sequela. Quoniam huiusmodi entitates et realitates constitutivae non sunt ipsa entia quae sunt, sed sunt quibus aliqua sunt: hoc enim modo actus essendi, et universaliter constitutiva entium, entia dicuntur. – Unde secunda sequela nihil valet: nec habetur VII *Metaphys.*

Ad confirmationem, negatur illa conditionalis, *Si distinguuntur realiter, possunt separari et separatim assumi.* Quoniam non omnia distincta realiter sunt separabilia, salvis utrisque.

XXI. Ad tertium, negatur sequela multorum inconvenientium. Et ad primum inconveniens, negatur sequela. Probatio autem et assumit falsum, et est pro nobis. Assumit quidem falsum, dicendo quod Verbum non est terminatio. Quoniam Verbum est sua personalitas, quae est ultima terminatio naturae divinae, sicut personalitas humana est terminatio naturae humanae: salva semper differentia quae subintelligitur inter divina et creata. – Est autem pro nobis: quia ex hoc quod Verbum est terminatio subsistens, sequitur quod potest supplere vices terminationis creatae, quae non est suum terminatum, utpote praehabens quidquid est in huiusmodi creatis terminationibus.

Ad secundum inconveniens, similiter negatur sequela.

Nec probatur per hoc quia terminatio illa non est homo. Quia non oportet quod terminatio illa sit homo: sed quod constitutum per terminationem illam sit homo. Quod est verum: quia persona humana, quae constituitur illa terminatione, est homo. Et patet nullitas huius modi arguendi ex differentiis: ex hoc enim quod rationalitas non est animal, non sequitur, Ergo constitutum per rationalitatem non est animal.

Ad tertium inconveniens, negatur similiter sequela. Quoniam in angelis, etsi non distinguitur natura ab hac natura, quoniam seipsa est haec (et hoc intendit Philosophus): distinguitur tamen natura a persona. De qua distinctione vel indistinctione Philosophus nihil dixit. Philosophus enim indistincte utitur nomine individui et hypostasis, et solum pertractat de distinctione quidditatis et eius cuius est, secundum principia naturae et individuationis. Nec mirum: cum etiam Auctor, in Prima Parte, qu. III *, ita indistincte et tractet et decidat quaestionem de distinctione naturae et suppositi. Puto autem in causa fuisse quod usque hodie non fuissent excitata ingenia humana ad perscrutandas subtilitates inter personam et individuam naturam, nisi mysterium Trinitatis et incarnationis revelatum ad hoc invitasset.

* Art. 3.

Ad quartum dicitur exponendo sensum propositionis, *Substantia prima est prima substantia per essentiam.* Quoniam potest dupliciter intelligi. Primo, per essentiam completam. Et sic est verissima: et sequitur ex positione nostra. – Alio modo, per essentiam absque termino proprio. Et sic est falsa: quia non sufficit ad rationem primae substantiae esse sine termino. Nec est verum quod prima substantia non sit substantia inquantum prima, sicut non est verum quod homo inquantum homo non est animal: quamvis nec rationalitas sit animal, nec personalitas sit ipsa substantia.

Ad quintum, negatur sequela: quoniam substantia dicit subsistere per se, quia per suam essentiam completam seu terminatam subsistit. Sed verum est quod sequitur quod substantia interminata seu incompleta non per se subsistat, sed oportet quod sit terminata proprio termino. Nec subsistere per proprium terminum distinguitur contra subsistere per se: quoniam proprius terminus aliquid sui est; sicut lineam terminari per punctum, et corpus per superficiem, [non] distinguitur contra terminari per se. Quoniam non sic est aliud terminus proprius, quin sit aliquid terminati: corpus enim, de genere quantitatis, non est aliter terminabile quam per superficiem propriam.

Ad sextum, negatur sequela. Et probatio assumit falsum: quoniam terminatum non substat termino. Aliud est enim subesse alicui: et aliud terminari per illud. Natura autem terminatur per personalitatem, sicut linea terminatur puncto.

Ad septimum, negatur, proprie loquendo, sequela: quoniam terminus non componit cum terminato. Sed bene sequitur quod, ultra substantiam pro essentia, quae resolvitur in materiam et formam, et ponit substantiam compositam etiam singularem, invenitur aliter substantia pro hypostasi, simplex vel composita: quae, quia nihil addit supra singularem essentiam nisi terminum, non ponit in numerum cum illa et suis partibus. Et hanc distinctionem iam accepimus * ab Aristotele, in V *Metaphys.*

* Cf. num. VIII, XII.

XXII. Restat nunc satisfacere obiectioni in oppositum in principio allatae * ex verbis Auctoris in responsione ad secundum eiusdem articuli. Et dicendum est quod, si subtiliter inspiciantur, littera supponit defectum propriae personalitatis in humanitate assumpta. Et causam reddit, non defectum alicuius quod pertinet ad perfectionem naturae ut distinguitur contra personam, sed additionem alicuius quod est supra naturam, scilicet personalitatis divinae. Ubi clare patet, secundum planum litterae sensum, quod defectus personalitatis supponitur, et causa illius defectus redditur: et non dicitur simpliciter nihil deficere, sed nihil deficere spectans ad perfectionem naturae. Cuius oppositum non diximus: sed hoc exposuimus * ex ipsomet, quod intelligitur de natura ut distinguitur contra hypostasim. Ut clarius etiam patet hic in responsione ad tertium, cum dicitur quod natura quae assumitur, impeditur a propria personalitate. Aliquid ergo illi deficit, non pertinens ad perfectionem naturae, sed ad personam, quae impeditur.

* Num. II, *In oppositum.*

* Num. VII, XVI, XVIII.

XXIII. In eodem articulo, in responsione ad tertium, circa illud, *Persona divina sua unione impedivit ne humana natura propriam personalitatem haberet,* dubium primo occurrit, an humana natura in Christo inclinetur ad propriam personalitatem. Et est ratio dubii quia quod inclinetur, apparet ex hoc quod impeditur ab illa: nihil enim impeditur nisi ab eo in quod tendit. – Quod vero non inclinetur, apparet ex hoc quia, si inclinaretur naturaliter in propriam personalitatem, quiesceret violente in aliena persona, qualis est persona divina *. *Nullum* autem *violentum perpetuum* *.

* Cf. num. XXVI, fin.

* Arist. *De Caelo* lib. II, cap. III, n. 1; cap. XIV, n. 1. - S. Th. lect. IV, XXVI.

Dubium secundo occurrit *, quo pacto verificatur quod persona divina impedierit naturam humanam a propria personalitate. Obscurum quippe valde est: quia non apparet quomodo personalitas humana nata est consequi ad naturam humanam, aut fluere ab illa; cum non ponatur in natura humana causalitas aliqua respectu personalitatis.

* Cf. num. XXVIII.

XXIV. Ad primum dubium dicunt quidam quod humanitas Christi habet naturalem inclinationem ad propriam personam. Probantque hoc quatuor mediis *. Primo, quia natura carens aliquo sibi debito solo divino miraculo, naturaliter inclinatur in illud: sicut ignis carens actu comburendi pueros, Dan. III *, naturaliter inclinabatur ad comburendum *.

* Cf. num. XXVII.

* Vers. 20 sqq.

* Cf. vers. 47, 48.

Secundo, quia humanitas Christi est eiusdem conditionis, quantum ad naturales potentias et habilitates, cum ceteris humanitatibus. Sed reliquae naturaliter inclinantur in proprias hypostases. Ergo.

Tertio, quia sicut accidens, quantumcumque separatum, habet semper aptitudinem naturalem ad inhaerendum, ita essentia substantiae habet semper aptitudinem naturalem ad per se existendum. Et tenet sequela: quia sic definitur substantia, quod est *res per se existens.*

Quarto, quia magis inseparabiliter et per se consequitur naturam substantiae propria suppositatio, qua non potest nisi miraculose carere, quam potentiam naturalem, puta intellectum, proprius actus. Sed potentia naturalis, quantumcumque careat actu, semper naturaliter inclinatur in actum. Ergo.

XXV. Sed haec opinio, intellecta ut sonat, falsa est: et aliter dicendum est, distinguendo quod humanitas Christi potest considerari et iudicari dupliciter *. Primo, secundum se: hoc est, abstrahendo a personalitate divina, cui actu iuncta est. Et sic verum est quod habet naturalem inclinationem ad propriam personalitatem, sicut reliquae humanitates secundum se sumptae: cum sint eiusdem rationis. Et hinc provenit quod, si separaretur a Verbo, quod propriam personalitatem haberet: quoniam ipsa separatio in re conferret id quod sibi in abstractione consideratae natum est convenire. Nec est opus probare quod humanitas secundum se naturaliter inclinatur ad propriam personalitatem: quoniam hoc est per se notum, ex eo quod naturaliter quaelibet humanitas invenitur propria personalitate personata, excepta Christi humanitate ex maximo miraculo; constat autem ex II *Physic.* * quod *unumquodque, sicut naturaliter agitur, ita aptum natum est agi.*

* Cf. num. seq.

* Cap. VIII, n. 4. - S. Th. lect. XIII.

Et ex hac conclusione per se nota, scilicet, *Humanitas quaelibet secundum se inclinatur naturaliter in propriam personalitatem,* potes arguere quod personalitas non solam negationem, sed positivum addat naturae, ad quod concomitatur negatio. Quoniam nulla naturalis habilitas est per se primo ad negationem, sed ad positivum, cui quandoque annectitur negatio: quia naturalis inclinatio est per se primo ad aliquid, et non ad nihil formaliter; negatio autem nihil formaliter est.

Nec est vera responsio eorum ad hoc, dicendo quod corpora naturalia, quia naturaliter possunt non esse, habent inclinationem ad non esse: et quod aer, ex sua diaphaneitate, est naturaliter habilis ut sit tenebrosus. Quoniam corpora naturalia ideo possunt non esse, quia materia eorum appetit per se primo aliud esse, cui annexa

est negatio praesentis corporis. Et similiter diaphaneitas est per se primo ad lumen, cum lumen sit *actus diaphani* *: et non est ad negationem luminis nisi per accidens, quia scilicet deest illi propria perfectio, scilicet lumen. Nihil autem horum potest dici de habilitate naturae ad personalitatem propriam, si ponitur negatio: quia per se primo ponitur ad negationem, cum ad nihil aliud sit quam ad negationem quae ponitur personalitas.

* Aristot. *de Anima* lib. II, cap. VII, n. 2. - S. Th. lect. XIV.

XXVI. Alio autem modo consideratur et iudicatur humanitas Christi ut est: hoc est, ut de facto est unita personae divinae. Et sic iudicanda est secundum id quod sortita est ex unione ad divinam personam. Et sic dicendum est quod non inclinatur ad propriam personalitatem habendam. Quia regulare est ut potentia naturalis ad aliquid, si perficiatur per aliud perfectius sic quod contineat quidquid est in illo ad quod naturaliter inclinatur, non inclinetur amplius in illud, utpote iam satiato appetitu suo naturali ex perfectiori continente etiam illud ad quod naturaliter tendebat. Neque enim minus est satiatus appetitus ex acquisitione illius perfectioris, quam fuisset satiatus ex acquisitione illius imperfectioris ad quod tendebat. Sed si acquisivisset illud imperfectum, iam fuisset expletus appetitus, ne amplius appeteret, sed quiesceret in illo absque alterius appetitu. Ergo, si ponitur quod acquisierit id in quo continetur quidquid in alio est, quiescet in illo absque alterius appetitu. Sic autem est in proposito, utendo potentia et actu prout locum habere possunt inter terminabile et terminum. Quoniam persona divina continet excellenter in se, etiam in terminando, quidquid habet personalitas creata: cum sit infinita et in essendo et in terminando. Et propterea humanitas Christi, assumpta ad personalitatem divinam, totum appetitum personalitatis plus quam satiatum ac consummatum habet: et consequenter quiescit, absque appetitu quocumque alterius personalitatis. Sicut, si materia alicuius generabilis haberet unam formam continentem quidquid in qualibet forma generabilium esse potest, quiesceret in illa ita quod nullam aliam appeteret: quamvis, secundum se, hoc est abstrahendo ab illa forma, considerata, naturaliter inclinaretur ad propriam formam generabilem.

Et quoniam humanitas Christi differenter consideratur in assumptione, et iam assumpta; quia in assumptione consideratur secundum se, quia quod assumitur praeintelligitur assumptioni; iam autem assumpta, iudicatur secundum quod est unita personae divinae: ideo, caute loquendo, dicendum est quod persona divina *impedivit* naturam humanam a propria personalitate; et non est dicendum quod persona divina *impedit* humanitatem a propria personalitate. Per impedimentum enim in praeterito denotatur naturalis inclinatio humanitatis secundum se: per negationem autem impedimenti in praesenti denotatur consummatio omnis appetitus personalitatis in illa natura. Et propterea patet quod impeditio praeterita, quia annexa est actioni consummativae excellentius illius appetitus, non inducit violentiam in actione aut passione, aut quiete sequente: cum etiam *passum conferat vim* * obedientiae huiusmodi actioni, quam significat assumptio. Et propterea in littera dicitur in praeterito quod *impedivit:* et non dicitur quod *impedit*.

* Cf. Arist. *Ethic.* lib. III, cap. I, n. 3. - S. Th. lect. III.

XXVII. Ad rationes autem alterius opinionis * respondendo, dicitur quod magni refert loqui de humanitate solummodo suspensa per divinam potentiam a sua personalitate, ut si Deus humanitatem aliquam sine ulla personalitate faceret: et loqui de humanitate terminata per personalitatem divinam et carentem propria. Nam de humanitate primo modo, verum est quod naturaliter inclinatur ad suam personalitatem. Et hoc tantum probat argumentum loquens tantum de carente sibi debito per divinum miraculum. De humanitate vero secundo modo, falsum est quod inclinetur in propriam personalitatem: quia appetitus eius quiescit in personalitate divina. Et quia huiusmodi humanitas non est tantum carens propria personalitate, sed terminata ac satiata aliena tali, ideo argumentum non habet in ea locum.

* Num. XXIV.

Ad secundum dicitur quod humanitas Christi, quoad naturales potentias et habilitates humanae naturae secundum se, est eiusdem rationis cum aliis. Sed quoad terminationem et satietatem suae personalitatis, est alterius rationis ab aliis: quia terminatur et satiatur aliena divinaque personalitate; personae reliquae propriis personalitatibus terminantur et satiantur.

Ad tertium dicitur quod aequivocat de *per se esse*. Quoniam *esse per se* dupliciter sumitur. Scilicet, ut distinguitur contra *esse in alio ut accidens est in subiecto:* et de tali verum est quod ita se habet ad substantiam sicut inesse ad accidens. Alio modo sumitur ut distinguitur contra *esse in alio ut in quod:* et sic non definit substantiam; nec convenit substantiae nisi ratione hypostasis, cui per se primo convenit. Et ideo non est mirum si humanitas Christi, ex unione ad divinam personam consummatum habens appetitum personalitatis, nec actu nec aptitudine naturali (nisi cum ista adiectione, *secundum se*) inclinatur ad propriam personalitatem. Patet enim iam non esse simile de ipsa et de accidente separato: sed esset simile de humanitate suspensa ab omni personalitate, si suspendi intelligatur per miraculum, aut per conditionalem.

Ad quartum dicitur, sicut ad primum, quod aliud est loqui de inclinatione naturali privata vel carente actu vel termino: et aliud de eadem consummata per actum vel terminum eminenter continentem actum vel terminum proprium, et ideo privata vel carente proprio termino vel actu. Quoniam in prima semper restat naturalis aptitudo ad proprium: in secunda non, propter rationem dictam. Et ideo, si intellectus poneretur consummari actu aliquo supernaturali eminenter continente actum proprium, non inclinaretur amplius in proprium.

XXVIII. Ad secundum dubium * dicitur quod, ut Auctor superius dixit, in qu. II, art. 1, ad 2, ex anima et corpore constituitur in unoquoque nostrum duplex unitas, naturae scilicet et personae: naturae quidem, secundum quod ex materia et forma, ut formaliter illam perficit, componitur natura una composita; personae vero, inquantum est unus aliquis subsistens in carne et anima. Ubi primo vide quod, quia ens et unum convertuntur, ac per hoc, ubi est duplex unitas, ibi est duplex entitas, cum unitas supra entitatem solam indivisionem addat: propterea, dicendo quod ex anima et corpore constituitur duplex unitas, naturae et personae, dictum est quod constituitur duplex entitas, naturae scilicet et personae. Et hinc habes quod opinio ante * dicta de personalitate consonat doctrinae Auctoris.

* Num. XXIII, *Dubium secundo.*

* Num. VI sqq.

Vide secundo, quod unitas ac entitas personae non excluditur a causalitate naturae, dum dicitur quod ex principiis naturae constituitur, ex anima et corpore. Et ideo utendum occurrit regula communium Deo et creaturis, puta esse sapientiae, scientiae, et huiusmodi, quae dicimus transferri in Deum formaliter, sublato eo quod imperfectionis est in creaturis. Ita quod, licet in creaturis personare et personari non nihil causalitatis habeat annexum, formaliter tamen (ut superius * de eo communiter diximus sine causalitate comparari ad naturam), sublato omni eo quod imperfectionis est, ut in divinis invenitur, nullam causalitatem includit. Et sic intervenit in mysterio incarnationis, quod secundum nullam causalitatem dictum est * esse inter personam et naturam humanam: alioquin communis esset toti Trinitati.

* Num. X.

* Ibid.

Veruntamen natura, seu naturae principia, non ita causant personalitatem ut interveniat media actio: sed per modum naturalis sequelae personalitas adest naturae; non sicut propria passio naturaliter consequitur subiectum iam constitutum, quoniam non ea ratione personalitas adest quasi quod, data forma, dentur consequentia ad formam; sed sicut perfectio seu complementum effectus naturaliter sequitur effectum cuius est complementum. Natura siquidem, ut prior causalitate, incompleta est quoad ultimum sui complementum, ut Auctor dixit *: et, ut personatur, ultimum complementum assequitur. Quo fit ut actio qua fit hic homo, inchoata et deducta usque ad terminum inclusive sit quando fit natura personata, quam significat hic homo seu Socrates: quando vero fit aut consideratur

* III *Sent.*, dist. V, qu. III, art. 3.

ut inchoata, et deducta est usque ad naturam hanc abstrahendo a personatione, inconsummata est, quoniam est usque ad terminum exclusive. Modus ergo qua personalitas sequitur naturam vel naturae principia, est quo terminus actionis et rei factae naturaliter adest in fine actionis rei factae nisi adsit impedimentum. Impediuntur enim in compositis substantiis principia naturae, constituta iam natura, a constitutione sui termini: ut ex littera habetur praesentis articuli iuncta litterae allatae * ex qu. II. Et similiter in substantiis angelicis natura ipsa quae fit, impediretur in suo fieri a consecutione sui termini. Et propterea, sublato impedimento, non oportet quaerere aliam causam donantem complementum: quoniam ipsa natura secundum se habet in se sufficiens consecutivum sui termini.

* In princip. huius num.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM PERSONA DIVINA ASSUMPSERIT HOMINEM

Supra, qu. II, art. 6; III *Sent.*, dist. VI, qu. I, art. 2; *Cont. Error. Graec.*, cap. XX; *Compend. Theol.*, cap. CCX; *Ad Rom.*, cap. I, lect. III; *Ad Philipp.*, cap. II, lect. II.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod persona divina assumpserit hominem. Dicitur enim in Psalmo *: *Beatus quem elegisti et assumpsisti*: quod Glossa * exponit de Christo. Et Augustinus dicit, in libro *de Agone Christiano* *: *Filius Dei hominem assumpsit, et in illo humana perpessus est.*

* Ps. LXIV, vers. 5. * Ord. Aug. et Interlin. * Cap. XI.

2. PRAETEREA, hoc nomen *homo* significat naturam humanam. Sed Filius Dei assumpsit humanam naturam. Ergo assumpsit hominem.

3. PRAETEREA, Filius Dei est homo. Sed non est homo quem non assumpsit: quia sic esset pari ratione Petrus, vel quilibet alius homo. Ergo est homo quem assumpsit.

SED CONTRA EST auctoritas Felicis Papae et Martyris, quae introducitur in Ephesina Synodo *: *Credimus in Dominum nostrum Iesum Christum, de Virgine Maria natum, quia ipse est Dei sempiternus Filius et Verbum, et non homo a Deo assumptus, ut alter sit praeter illum. Neque enim hominem assumpsit Dei Filius ut alter sit praeter* [α] *ipsum.*

* Part. II, act. I.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, id quod assumitur non est terminus assumptionis, sed assumptioni praeintelligitur. Dictum est autem * quod individuum in quo assumitur natura humana, non est aliud quam divina persona, quae est terminus assumptionis *. Hoc autem nomen *homo* significat humanam naturam prout est nata in supposito esse: quia, ut dicit Damascenus *, sicut hoc nomen *Deus* significat *eum qui habet divinam naturam,* ita hoc nomen *homo* significat *eum qui habet humanam naturam.* Et ideo non est proprie dictum quod *Filius Dei assumpsit hominem,* supponendo, sicut rei veritas se habet, quod in Christo sit unum [β] suppositum et una hypostasis.

* Art. praeced. * Ibid., ad 1. * Cf. qu. III, art. 1, 2. * De Fide Orth. lib. III, cap. XI.

Sed secundum illos qui ponunt in Christo duas hypostases vel duo supposita, convenienter et proprie dici posset quod Filius Dei hominem assumpsisset. Unde et prima opinio quae ponitur sexta distinctione Tertii Libri *Sententiarum*, concedit hominem esse assumptum. Sed illa opinio erronea est *, ut supra ** ostensum est.

* D. 706. ** Qu. II, art. 6.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod huiusmodi locutiones non sunt extendendae, tanquam propriae: sed pie sunt exponendae, ubicumque a sacris Doctoribus ponuntur; ut dicamus *hominem assumptum,* quia eius natura est assumpta; et quia assumptio terminata est ad hoc quod Filius Dei sit homo.

AD SECUNDUM DICENDUM quod hoc nomen *homo* significat naturam humanam in concreto, prout scilicet est in aliquo supposito. Et ideo, sicut non possumus dicere quod suppositum sit assumptum, ita non possumus dicere quod homo sit assumptus.

AD TERTIUM DICENDUM quod Filius Dei non est homo quem assumpsit; sed cuius naturam assumpsit.

α) *illum. Neque... praeter.* – Om. Pl.

β) *unum.* – *tantum unum* Pl.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS tertii articuli directe quaerit de homine ut distinguitur contra naturam humanam.

In corpore articuli duo fiunt: primo, respondetur quaesito negative; secundo, excluditur error contrarius. Conclusio responsiva est: *Non est proprie dictum quod Filius Dei assumpsit hominem.* Probatur. *Homo* significat humanam naturam in supposito. Ergo non est proprie dictum quod Filius Dei assumpsit hominem. – Antecedens probatur ex auctoritate Damasceni: *Sicut Deus significat eum qui habet deitatem, ita homo eum qui habet humanitatem.* – Consequentia probatur. Illud quod assumitur, non est terminus assumptionis, sed praeintelligitur illi. Individuum autem in quo natura humana assumitur, est terminus, scilicet divina persona. Igitur, si *homo* significat humanam naturam in supposito, non assumitur.

Ubi nota quod congenita Auctori reverentia ad sacros Doctores effecit ut minus expresserit in conclusione quam probaverit in praemissis. Probavit enim quod Filius Dei non assumpsit hominem: expressit tantum quod non est proprie dictum quod Filius Dei assumpsit hominem. Quia hoc invenitur quandoque affirmatum in sacris litteris *, cum grano salis intelligendum.

* Cf. arg. 1.

Error qui excluditur in littera concedentium in Christo plura supposita, satis patet.

II. In responsione ad primum, nota duas glossas quibus pie possunt exponi dicta Sanctorum. Prima, ut exponatur *homo* quoad naturam. Et hanc dederat Magister Sententiarum in littera III *Sent.*, dist. VI.

Secunda est ut exponatur *assumptio* non in fieri, sed in facto esse: quia assumptio in facto esse habet hominem pro termino; quia hoc effecit assumptio, et ad hoc terminata est, quod Filius Dei est homo.

III. In responsione ad secundum, dubium novitiorum occurrit: quia videtur concedendum quod *Filius Dei assumpsit hominem,* quia praedicata tenentur formaliter; constat autem quod Filius Dei assumpsit hominem quoad formam, seu naturam.

Ad hoc dicitur quod non est hic quaestio de propositione in qua homo est praedicatum: quoniam sub hacmet quaestione cadit, *An homo sit assumptus a Filio Dei,* ubi est subiectum. Sed est quaestio de re: an scilicet res significata nomine *hominis* sit assumpta a Verbo Dei. Et quia res significata est habens humanitatem; et habens humanitatem non est nisi suppositum, quod non est assumptum: ideo in littera dicitur quod, sicut non potest dici suppositum assumptum, ita non potest dici homo assumptus.

IV. In responsione ad tertium, cum legis, Novitie, quod *Filius Dei est homo cuius naturam assumpsit,* cave ne fallaris: puta, quasi sit quidam alius homo cuius naturam assumpsit. Sed intellige quod Filius Dei ideo est homo cuius naturam assumpsit, quia ipse est ille homo cuius naturam assumpsit. Ita quod et ly *homo* non pro alio quam Filio Dei supponit, indistincte tamen: et ly *cuius* refert non alium hominem quam Filium Dei, qui est suppositum divinum habens humanam naturam.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM FILIUS DEI DEBUERIT ASSUMERE NATURAM HUMANAM ABSTRACTAM AB OMNIBUS INDIVIDUIS

Supra, qu. II, art. 2, ad 3; art. 5, ad 2; III *Sent.*, dist. II, Expos. litt.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Filius Dei debuit assumere naturam humanam abstractam ab omnibus individuis. Assumptio enim naturae humanae facta est ad communem omnium hominum salutem: unde dicitur I *Tim.* IV *, de Christo, quod est *Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* Sed natura prout est in individuis, recedit a sua communitate. Ergo Filius Dei debuit humanam naturam assumere prout est ab omnibus individuis abstracta.

* Vers. 10.

2. PRAETEREA, in omnibus quod nobilissimum est Deo est attribuendum. Sed in unoquoque genere id quod est per se potissimum est. Ergo Filius Dei debuit assumere *per se hominem.* Quod [α] quidem, secundum Platonicos *, est humana natura ab individuis separata. Hanc ergo debuit Filius Dei assumere.

* Cf. Arist. *Metaphys.* lib. I, cap. VI; s. Th. lect. X: lib. VI, cap. XVI, n. 7; s. Th. lib. VII, lect. XVI.

3. PRAETEREA, natura humana non est assumpta a Filio Dei prout significatur in concreto per hoc nomem *homo,* ut dictum est *. Sic autem significatur prout est in singularibus, ut ex dictis * patet. Ergo Filius Dei assumpsit humanam naturam prout est ab individuis separata.

* Art. praeced.

* Ibid.

SED CONTRA EST quod dicit Damascenus, in III libro *: *Dei Verbum incarnatum neque eam quae nuda contemplatione consideratur naturam assumpsit. Non enim incarnatio hoc: sed deceptio, et fictio incarnationis.* Sed natura humana prout est a singularibus [β] separata vel abstracta, *in nuda contemplatione cogitatur: quia secundum seipsam non subsistit,* ut idem [γ] Damascenus dicit *. Ergo Filius Dei non assumpsit humanam naturam secundum quod est a singularibus separata.

* *De Fide Orth.* lib. III, cap. XI.

* Ibid.

RESPONDEO DICENDUM quod natura hominis, vel cuiuscumque alterius rei sensibilis, praeter esse quod in singularibus habet, dupliciter potest intelligi: uno modo, quasi per seipsam esse habeat praeter materiam [δ], sicut Platonici posuerunt *; alio modo, sicut in intellectu existens, vel humano vel divino.

* Cf. arg. 2.

Per se quidem subsistere non potest, ut Philosophus probat, in VII *Metaphys.* *: quia ad naturam speciei rerum sensibilium pertinet materia sensibilis, quae ponitur in eius definitione; sicut carnes et ossa in definitione hominis. Unde non potest esse quod natura humana sit praeter materiam sensibilem.

* S. Th. lect. XV. - Did. lib. VI, cap. XV, n. 2 sqq.

Si tamen esset hoc modo subsistens natura humana, non fuisset conveniens ut a Verbo Dei assumeretur. Primo quidem, quia assumptio ista terminatur ad personam. Hoc autem est contra rationem formae communis, ut sic in persona individuetur [ε]. – Secundo, quia naturae communi non possunt attribui nisi operationes communes et universales [ζ], secundum quas homo nec meretur nec demeretur: cum tamen illa assumptio ad hoc facta sit ut Filius Dei in natura assumpta nobis mereretur. – Tertio, quia natura sic existens non est sensibilis, sed intelligibilis. Filius autem Dei assumpsit humanam naturam ut hominibus in ea visibilis appareret: secundum illud Baruch III *: *Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.*

* Vers. 38.

Similiter etiam non potuit assumi natura humana a Filio Dei secundum quod est in intellectu divino. Quia sic nihil aliud esset quam natura divina: et per hunc modum, ab aeterno esset in Filio Dei humana natura.

Similiter non convenit dicere quod Filius Dei assumpserit humanam naturam prout est in intellectu humano. Quia hoc nihil aliud esset quam si [η] intelligeretur assumere naturam humanam. Et sic, si non assumeret eam in rerum natura, esset intellectus falsus. Nec aliud esset [θ] quam *fictio quaedam incarnationis,* ut Damascenus dicit *.

* Cf. arg. *Sed cont.*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Filius Dei incarnatus est communis omnium Salvator, non

α) *Quod.* – *Qui* PGI.
β) *a singularibus.* – *ab individuis* H et editiones. – *separata vel* om. GI.
γ) *idem.* – *ibidem* tertia praeter G.
δ) *praeter materiam.* – Om. sG et editiones.
ε) *ut sic in persona individuetur.* – *ut sit in persona quia in persona individuatur* tertia praeter pG.
ζ) *universales.* – H et editiones; *naturales.*
η) *si.* – *si quod* A, *sic* F, *quod* tertia.
θ) *aliud esset.* – *esset aliud ista naturae humanae assumptio* Pc.

communitate generis vel speciei, quae attribuitur naturae ab individuis separatae: sed communitate causae, prout Filius Dei incarnatus est universalis causa salutis humanae.

Ad secundum dicendum quod *per se homo* non invenitur in rerum natura ita quod sit praeter singularia, sicut Platonici posuerunt. – Quamvis quidam dicant quod Plato non intellexit hominem separatum esse nisi in intellectu divino. Et sic non oportuit quod assumeretur a Verbo: cum ab aeterno sibi affuerit.

Ad tertium dicendum quod natura humana, quamvis non sit assumpta in concreto ut suppositum praeintelligatur assumptioni: sic tamen assumpta est in individuo, quia assumpta est ut sit in individuo.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo ly *debuit* denotat debitum congruentiae: ut in principio huius quaestionis quartae, ubi distinguuntur articuli eius, patet. – Ly *abstracta* in corpore articuli declaratur.

In corpore articuli tria fiunt. Primo, declaratur titulus quantum ad ly *abstracta a singularibus,* distinguendo quod dupliciter potest intelligi: primo, quod habeat esse secundum rem separatum a singularibus materialibus; secundo, quod habeat esse obiectivum in intellectu, quicumque sit ille intellectus, divinus vel humanus. – Secundo, tractatur quaestio in primo sensu. – Tertio, tractatur in secundo sensu *.

* Cf. num. vii.

II. In primo autem sensu, an fuerit conveniens Filium Dei assumere humanitatem per se separatam secundum esse, dupliciter tractatur in littera. Primo, per interemptionem eius quod praesupponitur, scilicet quod humanitas possit sic inveniri in rerum natura. Et hoc, asserendo rationem Aristotelis.

Secundo, sub conditionali, si esset humanitas sic separata. Et respondetur negative ad quaestionem: quod, si esset sic, non fuisset conveniens quod assumeretur a Filio Dei. Et hoc probatur tripliciter *. Primo, quia humanitas communis non est personabilis, quia non est individuabilis: persona enim individuum quoddam est. Assumptio autem ad personalem unionem terminatur.

* Cf. num. v, et num. vi fin.

III. Ubi statim occurrit dubium de veritate illius propositionis: *Est contra rationem formae communis ut sit in persona.* Et ratio dubii est quia, si humanitas esset subsistens, ut Platonici dicuntur finxisse, non esset excellentior aliis substantiis separatis, quales sunt angeli. Sed non est contra rationem angelicae naturae esse in persona: immo de facto natura angelica est personata. Ergo non esset contra rationem humanitatis separatae personari.

Amplius, aliud est iudicium de natura communi in exemplari participatione, singulari tamen in essendo, qualis esset humanitas per se: et aliud est iudicium de natura communi in essendo, qualis intelligitur natura humana ut est universalis in praedicando de omnibus hominibus, qualis non esset humanitas per se. Contra rationem enim naturae communis in essendo est individuatio: non autem naturae communis in participatione exemplari. Humanitas autem per se non ponitur communis in essendo.

Et confirmatur. Quia humanitas subsistens procul dubio esset res singularis in essendo. Alioquin, non subsisteret: sicut nec deitas subsisteret nisi esset res singularis.

IV. Ad hoc dicitur quod, quia ratio ista non affertur ad monstrandam impossibilitatem assumptionis, sed incongruentiam, ideo propositiones eius intelligendae sunt in plano sensu, quo, servata univocatione terminorum, scilicet ly *persona hominis* et ly *individuum hominis,* monstrat aperte incongruentiam humanitatis separatae ad assumptionem. Est igitur sensus illius propositionis: Contra rationem naturae communis est quod sit in persona, scilicet *humana, ut sunt personae humanae quas scimus.* Et hoc manifestat quia in persona individuatur: relinquens pro per se noto quod contra rationem talis humanitatis est individuari; quod est verum, univoce loquendo de individuatione ut natura apud nos individuatur. Ex hac namque propositione et ratione optime infertur quod humanitas per se incongrua est assumptioni: natura enim repugnans personis et individuis suae speciei, non congrua est ad hoc quod trahatur ad alienam personam.

Et per haec patet responsio ad duo ultima.

Ad primum autem dicitur quod, si humanitas esset separata, sequeretur et quod non esset persona: quia ponitur quod sit tantum humanitas; equinitas enim, ut dixit Avicenna *, est tantum equinitas. Et ideo propositio litterae est absolute vera, quod contra rationem naturae communis esset personalitas. Non sic autem est de naturis angelicis, quae non ponuntur tantum ipsae, sed ponuntur habentes naturas suas. – Et sequeretur quod haberet personam: pro quanto per se separatim subsisteret naturaliter. Nec mirum: quia antecedens implicat incompossibilia.

* *Metaphys.* lib. V, cap I.

V. Secunda ratio * est quia naturae communi non possunt attribui nisi operationes communes et universales, secundum quas homo non meretur nec demeretur: assumptio autem facta est ad hoc ut ille homo mereretur nobis.

* Cf. num. ii.

Sed occurrunt hic dubitationes duae. Altera est, quia aut in prima parte propositionis maioris est sermo de operatione communi et universali ex parte subiecti. Et hoc non. Quia hoc est contra hypothesim, qua ponimus naturam communem per se existere, ac per hoc esse singulare quoddam in essendo: et consequenter operatio sua ex parte subiecti esset singularis. – Aut ex parte termini, seu effectus: puta quia extendit se ad omnes homines. Et sic ratio est ad oppositum. Quia Christus meruit nobis ut causa universalis, ut infra * patebit: ac per hoc, congruebat eius merito natura humana operans communiter et universaliter.

* Qu. xix, art. 4.

Altera est, quia secunda pars dictae propositionis est falsa. Quoniam homo meretur, si est in gratia, secundum omnes suas operationes, sive sint communes sive propriae: quoniam sive comedat sive bibat, sive generet, sive dormiat, *omnia in gloriam Dei facit,* iuxta Apostolicum praeceptum *.

* I *ad Cor.* cap. x, vers. 31.

VI. Ad primam dubitationem dicitur quod sermo est de operatione communi et universali ex parte subiecti: quia scilicet non haberet operationes nisi quae consequuntur naturam communem omnibus hominibus. Tales enim operationes dicuntur communes et universales ex parte subiecti, quia sequuntur naturam secundum se, non ut in hoc aut illo. Natura autem secundum se communis et universalis dicitur. Natura autem congrua assumptioni debet sic se habere ut operationes personales, et non solum naturales, congrue sibi attribuantur.

Ad secundam dicitur quod operationem aliquam esse meritoriam contingit dupliciter: scilicet ex suo genere; vel ex parte operantis tantum. Operationes enim naturales ex suo genere non sunt meritoriae: et ideo dicitur quod *naturalibus non meremur nec demeremur.* Possunt tamen esse meritoriae ex parte operantis, in Deum obiectum supernaturalis beatitudinis illas referentis. Operationes autem liberae ac moraliter bonae ex suo genere sunt meritoriae: quoniam ex suo genere habiles sunt ut caritate informentur. In littera ergo est sermo de meritoriis ex suo genere. Ita quod ratio litterae consistit in hoc: Natura humana illo modo essendi est incongrua assumptioni quo non est nata ut conveniant sibi operationes meritoriae ex suo genere: quia assumptio ad hoc tendit ut, mediante natura assumpta, Filius Dei mereatur nobis. Sed naturae communi non attribuuntur nisi operationes communes, etc. Ergo.

Tertia ratio * expositione non eget.

* Cf. num. ii.

VII. In secundo autem sensu *, tractatur quaestio secundum esse in duplici intellectu: primo, divino; deinde, hu-

* Num. i fin.

* Cf. num. seq.

mano *. Et quidem quod natura humana secundum quod est in intellectu divino, non potuit assumi, probat dupliciter. Primo, quia natura humana sic nihil aliud est quam natura divina. – Secundo, quia natura humana ab aeterno esset in Filio Dei per hunc modum.

Ubi nota, pro primae rationis evidentia, quod esse obiectivum rerum respectu intellectus divini non est esse diminutum, ut Scotus, in xxxvi distinctione I *Sent.*, somniavit. Nec est esse relativum rationis: quasi quoddam respectivum esse acquirant ex hoc quod obiiciuntur divino intellectui. Quoniam Deus, secundum veram philosophiam et altissimam theologiam, nihil intelligit extra se: non quod aliquid illum lateat, sed quia, intuendo seipsum tantum, intuetur omnia, quoniam omnia et cognoscibilia et cognita a Deo, sunt ipse Deus, iuxta illud Ioan. I *, *Quod factum est, in ipso vita erat.* Quia ergo humanitas in intellectu divino nihil aliud est quam deitas secundum id quo humanitatem continet, ideo optime ratio litterae concludit quod assumere humanitatem ut est in intellectu divino, esset assumere naturam divinam: quae non est assumptibilis.

* Vers. 3, 4.

Et quia deitas est in Filio ab aeterno, sequitur quod natura humana, per hunc modum essendi, est in Filio Dei ab aeterno, et non ex tempore coniuncta: ut secunda ratio subiunxit.

Potest tamen aliter induci haec secunda ratio per se seorsum: ut sit sensus quod, quidquid sit illud esse obiectivum humanitatis in intellectu divino, humanitas per hunc modum, scilicet secundum quod est obiectum intellectus divini, ab aeterno est in Filio Dei, utpote qui est ipse intellectus divinus. Non ergo erat opus ut assumeret humanitatem sic: nullus enim assumit aliquid illo modo quo habebat. Et hic sensus in responsione ad secundum explicatur.

VIII. Quod autem natura humana secundum quod est in intellectu humano, non debeat assumi, probatur deducendo ad impossibile. Assumere humanitatem in esse obiectivo intellectus humani nihil aliud est quam intelligi assumere naturam humanam. Ergo non est assumere naturam humanam in rerum natura. Ergo esset intellectus falsus. Ergo esset *fictio quaedam incarnationis.* Et affertur testimonium Damasceni ad hoc.

Ubi nota, pro evidentia litterae, quod quia humanitas obiecta intellectui nostro non habet, ut sic, esse in rerum natura, sed habet solummodo esse intelligibiliter relative, quo dicitur repraesentata intellectui et terminativa actus intelligendi; consequens est quod ad humanitatem sic nulla actio transiens realis potest terminari; sicut nec ad Caesarem repraesentatum in statua aut memoria (licet ad ipsam statuam vel memoriam possit actio realis transiens terminari, ut patet). Et quia assumptio significat actionem realem transeuntem in humanitatem quae assumitur, ideo assumptio non potest terminari ad humanitatem sic.

Actiones autem reales immanentes possunt terminari ad res sic: possum enim imaginari et amare Caesarem repraesentatum. Sed et actiones reales transeuntes possunt dupliciter, sicut et ipsa humanitas potest dupliciter accipi: scilicet secundum quod sunt in rerum natura; et secundum quod intelliguntur. Verbi gratia, secare lignum ut est in rerum natura, – et est vere secare: et secare lignum prout aliquis imaginatur aut intelligit secare lignum, – et hoc non est vere secare lignum, sed est intelligi aut imaginari quod lignum secatur. Primo siquidem modo, quo solo sunt verae actiones reales transeuntes, non possunt terminari ad naturam sic: secundo autem modo, possunt. Sed tunc non ipsae actiones in veritate terminantur ad naturam sic, sed imaginatio seu intellectus earum. Et ideo optime in littera, pro antecedente et *quod quid est* assumptionis naturae sic, dicitur quod assumere humanitatem sic nihil aliud est quam intelligi assumere naturam humanam. Et vere sic esse patet: sicut occidere Caesarem repraesentatum nihil aliud est quam intelligi seu imaginari occidere Caesarem; et facere Socratem imaginatum tantum regem nihil aliud quam imaginari facere Socratem regem. Et quoniam ex huiusmodi actiones imaginatas aut intellectas terminari ad res, non sequitur quod sic sit in rerum natura (non enim invenitur propterea lignum sectum, aut Caesar occisus aut Socrates rex), ideo optime deducitur in littera quod non assumeret humanitatem in rerum natura; et quod esset intellectus falsus, quia *ab eo quod res est vel non est, intellectus dicitur verus vel falsus* *; et quod esset fictio incarnationis, non incarnatio ipsa, ut clare iam patet, sicut fictio comestionis panis est comedere panem in imaginatione tantum. * Aristot. *Categ.* cap. III, n. 22.

IX. Dubium restat hic, quare, cum humanitas in intellectu triplici esse habeat, scilicet divino, angelico et humano, de duobus tantum intellectibus Auctor locutus est, omittens humanitatem secundum esse quod habet in intellectu angelico.

Ad hoc dici facile prima facie potest quod, quia intellectus angelicus medius est inter divinum et humanum, per extrema dedit intelligendum medium.

Subtilius autem et verius dicitur quod, quia esse obiectivum in intellectu sufficienter per hos duos essendi modos distinctum est, scilicet quod aut est idem quod esse naturale intelligentis, aut est esse relativum rationis quo dicitur et est repraesentatum et terminativum, etc.; et utroque modo exclusum ab assumptione ita est ut neutro modo humanitas vere assumeretur, sed vel natura intelligentis illam assumeretur, vel esset fictio assumptionis: ideo non oportuit sollicitum esse doctorem de humanitate secundum esse quod habet in intellectu angelico, quoniam incidit in alterum dictorum.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM FILIUS DEI HUMANAM NATURAM ASSUMERE DEBUERIT IN OMNIBUS INDIVIDUIS

III *Sent.*, dist. II, qu. I, art. 2, qu[a] 1.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Filius Dei humanam naturam assumere debuit in omnibus individuis. Id enim quod primo et per se assumptum est, est natura humana. Sed quod convenit per se alicui naturae, convenit omnibus in eadem natura existentibus. Ergo conveniens fuit ut natura humana assumeretur a Dei Verbo in omnibus suppositis.

2. PRAETEREA, incarnatio divina processit ex divina caritate: ideo dicitur Ioan. III *: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret.* Sed caritas facit ut aliquis se communicet amicis quantum possibile est. Possibile autem fuit Filio Dei ut plures naturas hominum assumeret, ut supra * dictum est: et, eadem ratione, omnes. Ergo conveniens fuit ut Filius Dei assumeret naturam α in omnibus suis suppositis. * Vers. 16. * Qu. III, art. 7. α

α) *naturam.* – *humanam* addit tertia praeter I.

3. Praeterea, sapiens operator perficit opus suum breviori via qua potest. Sed brevior via fuisset si omnes homines assumpti fuissent ad naturalem filiationem, quam quod per unum Filium naturalem *multi in adoptionem filiorum adducantur* β, ut dicitur *Galat.* iv *. Ergo natura humana debuit a Filio Dei assumi in omnibus suppositis.

* Vers. 5. - Cf. *ad Heb.* cap. ii, vers. 10.

Sed contra est quod Damascenus dicit, in III libro *, quod Filius Dei *non assumpsit humanam naturam quae in specie consideratur: neque enim omnes hypostases eius assumpsit.*

* *De Fide Orth.* lib. III, cap. xi.

Respondeo dicendum quod non fuit conveniens quod humana natura in omnibus suis suppositis a Verbo assumeretur. Primo quidem, quia tolleretur multitudo suppositorum humanae naturae, quae est ei connaturalis. Cum enim in natura assumpta non sit considerare aliud suppositum praeter personam assumentem, ut supra * dictum est; si non esset natura humana nisi assumpta, sequeretur quod non esset nisi unum suppositum humanae naturae, quod est persona assumens.

* Art. 3; qu. ii, art. 6.

Secundo, quia hoc derogaret dignitati Filii Dei incarnati, prout est *primogenitus in multis fratribus* * secundum humanam naturam, sicut est *primogenitus omnis creaturae* * secundum divinam γ. Essent enim tunc omnes homines aequalis dignitatis.

* *Ad Rom.* cap. viii, vers. 29.
* *Ad Coloss.* cap. i, vers. 15.

Tertio, quia conveniens fuit quod, sicut unum suppositum divinum est incarnatum, ita unam solam naturam humanam assumeret: ut ex utraque parte unitas inveniatur.

Ad primum ergo dicendum quod assumi convenit secundum se humanae naturae, quia scilicet non convenit ei ratione personae, sicut naturae divinae convenit assumere ratione personae. Non autem quia δ convenit ei secundum se sicut pertinens ad principia essentialia eius, vel sicut naturalis eius proprietas: per quem modum conveniret omnibus eius suppositis.

Ad secundum dicendum quod dilectio Dei ad homines manifestatur non solum in ipsa assumptione humanae naturae, sed praecipue per ea quae passus est in natura humana pro aliis hominibus: secundum illud *Rom.* v *: *Commendat autem Deus suam caritatem in nobis, quia, cum inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Quod locum non haberet si in omnibus hominibus naturam humanam assumpsisset.

* Vers. 8 sqq.

Ad tertium dicendum quod ad brevitatem viae quam sapiens operator observat, pertinet quod non faciat per multa quod sufficienter potest fieri per unum. Et ideo convenientissimum fuit quod per unum hominem alii omnes ε salventur.

β) *adducantur.* – Tertia; *advocantur.*
γ) *prout... secundum divinam.* – F et tertia; *prout est primogenitus omnis creaturae scilicet Dei.*
δ) *quia.* – E; *quod* prima, om. F et tertia.
ε) *alii omnes.* – *alii homines* BEF*abc*, *omnes alii* PGI.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus articuli intelligendus est in sensu in quo fit, magis quam in sensu quem facit. Nam per *naturam humanam in omnibus suis individuis* intendit Auctor singulas humanitates quae inveniuntur quandoque in rerum natura: licet haec verba, *natura humana in omnibus suis individuis*, significent singulas humanitates in suis propriis suppositis. Quas quia ut sic implicat assumi, putavit Auctor sensum intentum percipi absque ambiguitate aliqua. Ita quod exponenda sunt haec verba pro humana natura, non quae est, sed quae esset in omnibus suis individuis.

In corpore articuli unica est conclusio responsiva quaesito negative: *Non fuit conveniens quod humana natura in omnibus suis suppositis: hoc est, quod singulae humanitates quae distribuerentur per omnia supposita humana, assumerentur a Filio Dei.* Probatur tripliciter. Primo, quia tolleretur multitudo suppositorum in humana natura. – Secundo, quia tolleret Filio Dei dignitatem primogeniturae inter multos fratres. – Tertio, quia unico supposito unica assumpta natura congruit.

In responsione ad primum, responsio consistit in distinguendo *per se* ut distinguitur contra *per aliud*, scilicet personam: et ut distinguitur contra *per accidens*. Primo modo, humanitati convenit per se assumi: non secundo.

In responsione ad secundum et tertium, responsio consistit in hoc quod non uno solo modo convenit et commendari caritatem Dei erga nos, et brevitatem viae sapientis observare. Et ideo convenientiorem decuit eligere.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM FUERIT CONVENIENS UT FILIUS DEI HUMANAM NATURAM ASSUMERET EX STIRPE ADAE

Infra, qu. xxxi, art. 1; III *Sent.*, dist. ii, qu. i, art. 2, qu[a] 2, 3; *Compend. Theol.*, cap. ccxvii.


D sextum sic proceditur. Videtur quod non fuerit conveniens ut Filius Dei humanam naturam assumeret ex stirpe Adae. Dicit enim Apostolus, *ad Heb.* vii *: *Decebat ut esset nobis pontifex segregatus a peccatoribus.* Sed magis esset a peccatoribus segregatus si non assumpsisset humanam naturam ex stirpe Adae peccatoris. Ergo videtur quod non debuit de stirpe Adae naturam humanam assumere.

* Vers. 26.

2. Praeterea, in quolibet genere nobilius est principium eo quod est ex principio. Si igitur assumere voluit humanam naturam, magis debuit eam assumere in ipso Adam.

3. Praeterea, gentiles fuerunt magis peccatores quam Iudaei: ut dicit Glossa *, *Galat.* ii, super

* Interlin. et Lomb.

* Vers. 15. illud *, *Nos natura Iudaei, non ex gentibus peccatores.* Si ergo ex peccatoribus naturam humanam assumere voluit, debuit eam magis assumere ex gentilibus quam ex stirpe Abrahae, qui fuit iustus.

* Vers. 23 sqq. SED CONTRA EST quod Luc. III * generatio Domini reducitur usque ad Adam.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut Augustinus
* Cap. XVIII. dicit, in XIII *de Trin.* *, *poterat Deus hominem aliunde suscipere, non de genere illius Adae qui suo peccato obligavit genus humanum. Sed melius iudicavit et de ipso quod victum fuerat genere assumere hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum.* Et hoc propter tria. Primo quidem, quia hoc videtur ad iustitiam pertinere, ut ille satisfaciat qui peccavit. Et ideo de natura per ipsum [α] corrupta debuit assumi id per quod satisfactio erat implenda pro tota natura.

Secundo, hoc [β] etiam pertinet ad maiorem hominis dignitatem: dum ex illo genere victor diaboli nascitur quod per diabolum fuerat victum.

Tertio, quia per hoc etiam Dei potentia magis ostenditur: dum de natura corrupta et infirma assumpsit id quod in tantam virtutem et dignitatem est promotum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Christus debuit esse a peccatoribus segregatus quantum ad culpam, quam venerat destruere: non quantum ad naturam, quam venerat salvare; secundum quam *debuit per omnia fratribus assimilari,* ut idem Apostolus dicit, *Heb.* II *. Et in hoc etiam mirabilior * Vers. 17.
est eius innocentia, quod de massa peccato subiecta natura assumpta tantam habuit puritatem.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut dictum est *, * Ad 1.
oportuit eum qui peccata venerat tollere, esse a peccatoribus segregatum quantum ad culpam: cui Adam subiacuit, et quem Christus *a suo delicto eduxit,* ut dicitur *Sap.* X *. Oportebat autem eum * Vers. 2.
qui mundare omnes venerat, non esse mundandum: sicut et in quolibet genere motus primum movens est immobile secundum illum motum, sicut primum [γ] alterans est inalterabile. Et ideo non fuit conveniens ut assumeret humanam naturam in ipso Adam.

AD TERTIUM DICENDUM quod, quia Christus debebat esse maxime a peccatoribus segregatus quantum ad culpam, quasi summam innocentiae obtinens, conveniens fuit ut a primo peccatore usque ad Christum perveniretur mediantibus quibusdam iustis, in quibus perfulgerent quaedam insignia futurae sanctitatis. Propter hoc etiam in populo ex quo Christus erat nasciturus, instituit Deus quaedam sanctitatis signa, quae incoeperunt in Abraham, qui primus promissionem accepit de Christo, et circumcisionem in signum foederis consummandi, ut dicitur *Gen.* XVII *. * Vers. 11.

α) *ipsum.* – *peccatum* PpGsH.
β) *hoc.* – Om. H*bc*, *quia hoc* P.
γ) *primum.* – E et tertia praeter G; *principium.*

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus est. Et ideo quaesitus, quia poterat Deus creare unam naturam humanam in supposito Verbi, sicut creavit Adam, non per propagationem. Poterat etiam aliquem alium hominem cum sua uxore creare innocentes et in innocentia perseverantes, sicut creavit Adam et Evam, et ex illa innocente stirpe humanam naturam assumere, et non ex stirpe Adae. Poterat et unam solam virginem creare innocentem ex qua nasceretur, sicut natus est de Maria Virgine, filia Adae. Cum igitur multis aliis modis incarnatio fieri potuisset, quaesitum est an convenienter sit facta ex stirpe Adae.

II. In corpore articuli unica est conclusio, responsiva quaesito affirmative, probata triplici ratione, et auctoritate Augustini praeposita. Et omnia clare patent.

Siste tamen paululum in secunda ratione: et intellige minimum quid de nostra dignitate explicari per hoc quod nobis, peccatoribus victis, collatum est vincere per caput ex nobis sumptum. Longe enim dignior sum quod, Dei filiationem per adoptionem cum sprevissem peccando, factus sum Dei Filius in persona, factus sum Deus in persona. Multum enim mihi dignitatis collatum fateor quod ex inimico factus sum amicus Dei; quod qui offendi, satisfeci; qui demerui, merui; qui victus sum, vici etiam diabolum et triumphavi de ipso; qui eram *in regione longinqua* *, et *vulneratus a latronibus* **, etc., factus sum * Luc. cap. XV, vers. 13.
Dominus angelorum. Sed omnes superat dignitates quod ** Luc. cap. X, vers. 30.
factus sum Deus personaliter: quod mei generis, tam infimi tamque corrupti, ac Deo inimici; mei, inquam, generis unus *ego* verus est Deus, non participative, sed substantialiter. Ad maximam ergo peccatoris hominis dignitatem spectat quod de stirpe peccatrice carnem assumpsit Deus.



QUAESTIO QUINTA

DE ASSUMPTIONE PARTIUM HUMANAE NATURAE

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. iv, Introd.

Deinde considerandum est de assumptione partium humanae naturae *.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo: utrum Filius Dei debuerit assumere verum corpus.

Secundo: utrum assumere debuerit corpus terrenum, scilicet carnem et sanguinem.

Tertio: utrum assumpserit animam.

Quarto: utrum assumere debuerit intellectum.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM FILIUS DEI ASSUMPSERIT VERUM CORPUS

III *Sent.*, dist. II, qu. I, art. 3, qu^a 1, 2; dist. IV, qu. II, art. 1; IV, dist. III, art. 3, qu^a 2, ad 2; IV *Cont. Gent.*, cap. XXIX, XXX; *Compend. Theol.*, cap. CCVII; *Ad Rom.*, cap. VIII, lect. 1; II *ad Cor.*, cap. V, lect. IV.

* Vers. 7.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod Filius Dei non assumpserit verum corpus. Dicitur enim *Philipp.* II * quod *in similitudinem hominum factus est.* Sed quod est secundum veritatem, non dicitur esse secundum similitudinem. Ergo Filius Dei non assumpsit verum corpus.

* Primo. ** Serm. XXI, al. XX.

2. Praeterea, assumptio corporis in nullo derogavit dignitati divinitatis: dicit enim Leo Papa, in Sermone * *de Nativitate* **, quod *nec inferiorem naturam consumpsit glorificatio, nec superiorem minuit assumptio.* Sed hoc ad dignitatem Dei pertinet quod sit omnino a corpore separatus. Ergo videtur quod per assumptionem non fuerit Deus corpori unitus.

3. Praeterea, signa debent respondere signatis. Sed apparitiones veteris Testamenti, quae fuerunt signa et figurae [α] apparitionis Christi, non fuerunt secundum corporis veritatem, sed secundum imaginariam visionem: sicut patet Isaiae VI: *Vidi Dominum sedentem*, etc. Ergo videtur quod etiam apparitio Filii Dei in mundum [β] non fuerit secundum corporis veritatem, sed solum secundum imaginationem.

* Qu. XIV.

Sed contra est quod Augustinus dicit, in libro *Octogintatrium Quaest.* *: *Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus. Et si fefellit, veritas non est. Est autem veritas Christus. Ergo non phantasma fuit corpus eius.* Et sic patet quod verum corpus assumpsit.

* Cap. II. - Inter Opp. Aug. / * Qu. IV, art. 1.

Respondeo dicendum quod, sicut dicitur in libro *de Ecclesiasticis Dogmatibus* *, *natus est Dei Filius non putative, quasi imaginatum corpus habens, sed corpus verum.* Et huius ratio triplex potest assignari. Quarum prima est ex ratione humanae naturae, ad quam pertinet verum corpus habere. Supposito igitur ex praemissis * quod conveniens fuerit Filium Dei assumere humanam naturam, consequens est quod verum corpus assumpserit.

Secunda ratio sumi potest ex his quae in mysterio incarnationis sunt acta. Si enim non fuit verum corpus eius sed phantasticum, ergo nec veram mortem sustinuit; nec aliquid eorum quae de eo Evangelistae narrant, secundum veritatem gessit, sed solum secundum apparentiam quandam. Et sic etiam sequitur quod non fuit vera salus hominis subsecuta: oportet enim effectum [γ] causae proportionari.

* Vers. 37. / * Vers. 39.

Tertia ratio potest sumi ex ipsa dignitate personae assumentis, quae cum sit veritas, non decuit ut in opere eius aliqua fictio esset. Unde et Dominus hunc errorem per seipsum excludere dignatus est, Luc. ult., cum discipuli, *conturbati et conterriti, putabant se spiritum videre* *, et non verum corpus: et ideo se eis palpandum praebuit, dicens *: *Palpate et videte: quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.*

* Vers. 8.

Ad primum ergo dicendum quod similitudo illa exprimit veritatem humanae naturae in Christo, per modum quo omnes qui vere in humana natura existunt, similes specie esse dicuntur. Non autem intelligitur similitudo phantastica. Ad cuius evidentiam, Apostolus subiungit * quod *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis:* quod fieri non potuisset si fuisset sola similitudo phantastica.

* Fulgentius. / * Cap. II.

Ad secundum dicendum quod per hoc quod Filius Dei verum corpus assumpsit, in nullo est eius dignitas diminuta. Unde Augustinus * dicit, in libro *de Fide ad Petrum* *: *Exinanivit seipsum, formam servi accipiens, ut fieret servus: sed formae Dei plenitudinem non amisit.* Non enim Filius Dei sic assumpsit verum corpus ut forma

---

α) *et figurae.* – Om. HpG et editiones.
β) *mundum.* – *mundo* P.

γ) *effectum.* – E et tertia; *effectus.*

corporis fieret, quod repugnat divinae simplicitati et puritati: hoc enim esset assumere corpus in unitate naturae, quod est impossibile, ut ex
* Qu. II, art. 1. supra * dictis patet. Sed, salva distinctione na-
δ turae, assumpsit δ in unitate personae.

ε Ad tertium dicendum quod figura respondere debet ε quantum ad similitudinem, non quantum ad rei veritatem: *si enim per omnia esset similitudo, iam non esset signum, sed ipsa res,* ut Damascenus dicit, in III libro *. Conveniens igitur fuit ut apparitiones veteris Testamenti essent secundum apparentiam tantum ζ, quasi figurae: apparitio autem Filii Dei in mundo esset secundum corporis veritatem, quasi res figurata sive signata η per illas figuras. Unde Apostolus, *Coloss.* II *: *Quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.*

* De Fide Orth. lib. III, cap. XXVI.
* Vers. 17.

δ) *assumpsit.* – *corpus* addit tertia.
ε) *respondere debet.* – *debet respondere rei* tertia.
ζ) *tantum.* – Om. H et editiones.
η) *sive signata.* – Om. tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus articuli primi clarus est: et propter Manichaeorum errorem motus, ut habes in IV *Contra Gentes*, cap. XXIX.

In corpore articuli conclusio unica est, responsiva quaesito affirmative, praeposita auctoritate, et probata triplici ratione. Omnia clara sunt in littera.

* In arg. *Sed contra.* Nota hoc in loco allatam * Augustini auctoritatem ex libro *Octogintatrium Quaestionum.* Quoniam in ea habetur illa conditionalis, *Si fefellit, veritas non est:* et loquitur de Christo. Nota autem hoc propter vertentes in dubium an Deus possit fallere. Nam si conditionalis dicta est vera, patet solutio quaestionis: quod scilicet non potest fallere, quia non potest esse verum quod fallat. Quia, si fefellit, veritas non est. Sed est veritas. Ergo non fefellit. – Si conditionalis negatur, Augustinus negatur.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CHRISTUS HABUERIT CORPUS CARNALE, SIVE TERRESTRE

Infra, qu. XXXI, art. 1, ad 1; III *Sent.*, dist. II, qu. I, art. 3, qu[a] 1; dist. IV, qu. II, art. 1; IV *Cont. Gent.*, cap. XXX; *Compend. Theol.*, cap. CCVIII; *In Ioan.*, cap. II, lect. I; *Ad Heb.*, cap. VIII, lect. I.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Christus non habuerit corpus carnale, sive terrestre, sed caeleste. Dicit enim
* Vers. 47. Apostolus, I *Cor.* XV *: *Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de caelo, caelestis.* Sed primus homo, scilicet Adam, fuit de terra
* Vers. 7. quantum ad corpus, ut patet *Gen.* II *. Ergo etiam secundus homo, scilicet Christus, fuit de caelo quantum ad corpus.

* Vers. 50. 2. Praeterea, I *Cor.* XV * dicitur: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Sed regnum Dei principaliter est in Christo. Ergo in ipso non est caro et sanguis, sed magis corpus caeleste.

3. Praeterea, omne quod est optimum est Deo attribuendum. Sed inter omnia corpora corpus nobilissimum est caeleste. Ergo tale corpus debuit Christus assumere.

* Vers. 39. Sed contra est quod Dominus dicit, Luc. ult. *: *Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Caro autem et ossa non sunt ex materia caelestis corporis, sed ex inferioribus elementis. Ergo corpus Christi non fuit corpus caeleste, sed carneum et terrenum.

Respondeo dicendum quod eisdem rationibus apparet quare corpus Christi non debuit esse
* Art. praeced. caeleste, quibus ostensum est * quod non debuit esse phantasticum. Primo enim, sicut non salvaretur veritas humanae naturae in Christo si corpus eius esset phantasticum, ut posuit Manichaeus; ita etiam non salvaretur si poneretur caeleste, sicut posuit Valentinus. Cum enim α forma hominis sit quaedam res naturalis, requirit determinatam materiam, scilicet carnes et ossa, quae in hominis definitione poni oportet, ut patet per Philosophum, in VII *Metaphys.* *

* S. Th. lect. XI. – Did. lib. VI, cap. XI, n. 2, 6.

Secundo, quia hoc etiam derogaret veritati eorum quae Christus in corpore gessit. Cum enim corpus caeleste sit impassibile et incorruptibile, ut probatur in I *de Caelo* *, si Filius Dei corpus caeleste assumpsisset, non vere esuriisset nec sitiisset, nec etiam passionem et mortem sustinuisset.

* Cap. III, n. 4, 5. – S. Th. lect. VI, VII.

Tertio, etiam hoc derogat veritati divinae. Cum enim Filius Dei se ostenderet hominibus β quasi corpus carneum et terrenum habens, fuisset falsa demonstratio si corpus caeleste habuisset. Et ideo in libro *de Ecclesiasticis Dogmatibus* * dicitur: *Natus est Filius Dei carnem ex Virginis corpore trahens, et non de caelo secum afferens.*

* Cap. II. – Inter Opp. Aug.

Ad primum ergo dicendum quod Christus dicitur dupliciter de caelo descendisse. Uno modo, ratione divinae naturae: non ita quod divina natura esse in caelo defecerit γ; sed quia in infimis novo modo esse coepit, scilicet secundum naturam assumptam; secundum illud Ioan. III *: *Nemo ascendit in caelum nisi qui descendit de caelo, Filius Hominis, qui est in caelo.* * Vers. 13.

Alio modo, ratione corporis: non quia ipsum corpus Christi secundum suam substantiam de caelo descenderit; sed quia virtute caelesti, idest

α) *enim.* – P; om. H, *ergo* vel *igitur* ceteri.
β) *ostenderet hominibus.* – *hominibus ostenderit* tertia.
γ) *defecerit.* – *defecerat* bc, *desierit* PF.

Spiritus Sancti, est eius corpus formatum. Unde Augustinus dicit, *ad Orosium* *, exponens auctoritatem inductam *: *Caelestem dico Christum, quia non ex humano conceptus est semine.* Et hoc etiam modo Hilarius exponit, in libro *de Trinitate* *.

* *Dialog. LXV Quaest.*, qu. IV. - Inter Opp. Aug.
* In arg.
* Lib. X, cap. XVI.

Ad secundum dicendum quod *caro et sanguis* non accipiuntur ibi pro substantia carnis et sanguinis: sed pro corruptione carnis et sanguinis. Quae quidem in Christo non fuit quantum ad culpam. Fuit tamen ad tempus quantum ad poenam, ut opus nostrae redemptionis expleret.

Ad tertium dicendum quod hoc ipsum ad maximam Dei gloriam pertinet quod corpus infirmum et terrenum ad tantam sublimitatem provehit δ. Unde in Synodo Ephesina * legitur verbum sancti Theophili dicentis: *Qualiter artificum optimi non pretiosis tantum materiebus artem ostendentes in admiratione sunt, sed, vilissimum lutum et terram dissolutam plerumque assumentes, suae disciplinae demonstrantes virtutem, multo magis laudantur; ita omnium optimus artifex, Dei Verbum, non aliquam pretiosam materiam corporis caelestis apprehendens ad nos venit, sed in luto magnitudinem suae artis ostendit.*

* Part. II, act. I.

δ) *provehit.* – *provexit* F et tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est: et motus propter errorem Valentini, ut patet in IV *Contra Gentes,* cap. XXX.

In corpore articuli unica est conclusio responsiva quaesito: *Christus habuit corpus terrestre, non caeleste.* Et probatur triplici ratione, et auctoritate.

II. Omnia clara sunt: nisi quod, in responsione ad primum, circa glossam Augustini et Hilarii, dubium occurrit, scilicet quod Christus sit homo caelestis quia de Spiritu Sancto conceptus. Quoniam si ex virtute activa seu formativa corporis homo est caelestis secundum corpus, Adam quoque esset homo caelestis: quia est immediate divina virtute corpus eius formatum. Et sic Apostolus non recte posuisset differentiam inter primum hominem et Christum in hoc quod ille terrestris, iste caelestis, ad corpus referendo, ratione virtutis formativae.

Ad hoc dicitur quod, quia expositio ista non est secundum sensum litteralem, non potest ex illa argumentum contra verba Apostoli sumi. Ad litteram namque Apostolus loquitur de primo initio utriusque hominis, scilicet Adae et Christi. Constat autem initium Adae ex terra esse, cui dispositae iuncta est anima: initium vero Christi ex hypostasi divina, quae materiam sibi disposuit, formavit, animavit, univit, etc. Per hoc enim probat Apostolus * illum *in animam viventem,* istum *in spiritum vivificantem;* illum *terrenum,* quia vere persona terrena et secundum substantiam et secundum qualitatem fuit Adam; istum *caelestem,* et secundum substantiam personae, et secundum qualitatem superioris ordinis, unde sunt dotes corporis, de quibus loquitur *.

* Loc. cit., vers. 45, 47.
* Cf. ibid., vers. 35 sqq.

Allata tamen expositio non est refutanda, sed reverenter amplectenda, ita ut etiam salvet differentiam corporum secundum virtutem formativam. Tum quia Adam fuit immediate a Deo secundum debitum naturae ordinem. Exigit siquidem rerum ordo, supposita novitate mundi, ut prima individua perfectarum specierum fiant, non ex semine, sed immediate a Deo: quoniam, ut dicitur XII *Metaphys.* *, *perfecta sunt naturaliter priora imperfectis.* Christus autem, stante iam naturali modo generationis humanae per commixtionem maris et feminae, miraculose supra naturae leges conceptus est divina virtute, absque semine humano. – Tum quia Adam a Deo immediate factus sicut et boves et leones, secundum suas naturas, dicitur *: Christi vero conceptio specialiter appropriatur Spiritui Sancto *, ut intelligatur ad hoc a Deo immediate factus homo ut spiritualis sit. Ita quod non ex sola negatione humani seminis, sed ex hoc quod, supra naturae leges, ex Spiritu Sancto dicitur conceptus, differentia posita est inter Christum et Adam quantum ad corpus, quod Christus *de caelo caelestis,* ille *de terra terrestris.*

* S. Th. lect. VIII; Did. lib. XI, cap. VII, n. 9. - Cf. *Physic.* lib. VIII, cap. IX, n. 1; s. Th. lect. XIX: *De Caelo* lib. I, cap. II, n. 9; s. Th. lect. IV, V.
* Cf. *Gen.* cap. I, vers. 21, 24 25.
* Matth. cap. I, vers. 18, 20; Luc. cap. I, vers. 35.

III. In hoc secundo articulo dubium occurrit de assumptione sanguinis: an scilicet sanguis qui erat in corpore Christi, erat unitus divinitati. Et est ratio dubii ex philosophia. Quia sanguis non est pars corporis humani, sed alimentum eius: quod constat non esse actu, sed potentia corpus quod alitur. Est enim sanguis alimentum decoctum convertendum, non conversum, in membra.

Et confirmatur auctoritate non solum Aristotelis, II *de Partibus Animalium* *: sed divi Thomae, in multis locis **, et singulariter inferius in qu. XXXI, art. 5, ad 1, ubi ponit differentiam inter ossa et carnes ex una parte, et sanguinem ex alia parte, in hoc quod *caro et ossa sunt actu partes corporis humani,* sanguis autem *non est actu pars, sed est potentia totum;* et ideo caro et ossa non possunt absque corruptione et diminutione corporis auferri, sanguis autem sine corruptione communicatur.

* Cap. III, VI, X.
** Cf. III *Sent.*, dist. III, qu. V, art. 1, ad 4; IV, dist. XI, Expos. litt.

IV. Ad hoc dicitur, secundum Auctoris doctrinam in IV *Sent.,* dist. XLIV, qu. I *, quod partes humani corporis sunt duplices. Quaedam sic sunt actu partes quod sunt intransmutabiles in alias partes: ut carnes, ossa, nervi; et membra, ut manus, pedes, etc. Quaedam vero sic sunt actu partes quod sunt in potentia etiam ad alias partes: et tales videntur esse quatuor humores ex quibus sumus, inter quos est sanguis. Unde, quia huiusmodi habent aliquo modo rationem partis in actu, et aliquo modo partis in potentia, ideo diversa de eis dicuntur. Nam inquantum sunt partes in actu, verificatur quod corpus nostrum componitur ex eis: ut in principio dicti libri * Aristoteles testatur. Ut vero sunt in potentia ad alias partes, verificatur quod est alimentum corporis.

* Art. 2, qu^a 3.
* Cap. I.

Et per hoc patet responsio ad rationem in oppositum: dicendo quod sanguis est corporis alimentum, sed non tantum. Quia est ita alimentum ut etiam sit secundum se pars corporis.

Ad auctoritatem divi Thomae dicitur quod loquitur de parte totaliter in actu, cum dicit quod *non potest sine corruptione aut diminutione subtrahi:* non autem de parte partim in actu et partim in potentia, qualis est sanguis.

Absque dubio igitur credendum est Filium Dei assumpsisse corpus terrestre, hoc est, *carnem et sanguinem:* ut, dividendo quaestionem, Auctor titulum explicat.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM FILIUS DEI ANIMAM ASSUMPSERIT

III *Sent.*, dist. II, qu. I, art. 3, qu^a 2; IV *Cont. Gent.*, cap. XXXII; *De Verit.*, qu. XX, art. I; *Compend. Theol.*, cap. CCIV; *In Ioan.*, cap. I, lect. VII; *Ad Rom.*, cap. I, lect. II.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Filius Dei animam non assumpserit. Ioannes enim, incarnationis mysterium tradens, dixit * [* Cap. I, vers. 14.]: *Verbum caro factum est,* nulla facta de anima mentione. Non autem dicitur caro factum eo quod sit in carnem conversum: sed quia carnem assumpsit. Non ergo videtur assumpsisse animam.

2. PRAETEREA, anima necessaria est corpori ad hoc quod per eam vivificetur. Sed ad hoc non fuit necessaria corpori Christi, ut videtur: quia ipsum Dei Verbum est, de quo in Psalmo * [* Ps. XXXV, vers. 10.]: *Domine, apud te est fons vitae.* Superfluum igitur fuisset animam adesse, Verbo praesente. *Deus* autem *et natura nihil frustra faciunt:* ut etiam Philosophus dicit, in I *de Caelo* ^α * [* Cap. IV, n. 8; s. Th. lect. VIII: lib. II, cap. XI; s. Th. lect. XVI.]. Ergo videtur quod Filius Dei animam non assumpsit.

3. PRAETEREA, ex unione animae ad corpus constituitur natura communis, quae est species humana. *In Domino autem Iesu Christo non est communem speciem accipere:* ut Damascenus dicit, in III libro * [* *De Fide Orth.* lib. III, cap. III.]. Non igitur assumpsit animam.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in libro *de Agone Christiano* * [* Cap. XXI.]: *Non eos audiamus qui solum corpus humanum dicunt esse susceptum a Verbo Dei; et sic audiunt quod dictum est, Verbum caro factum est, ut negent illum hominem vel animam, vel aliquid hominis habuisse nisi carnem solam.*

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, in libro *de Haeresibus* * [* Haeres. XLIX, LV.], opinio primo fuit Arii, et postea Apollinaris, quod Filius Dei solam carnem assumpserit, absque anima, ponentes quod Verbum fuerit carni loco animae. Ex quo sequebatur quod in Christo non fuerunt duae naturae, sed una tantum: ex anima enim et carne una natura humana constituitur.

Sed haec positio stare non potest, propter tria. Primo quidem, quia repugnat auctoritati Scripturae, in qua Dominus de sua anima facit mentionem: Matth. XXVI * [* Vers. 38.], *Tristis est anima mea usque ad mortem;* et Ioan. X * [* Vers. 18.], *Potestatem habeo ponendi animam meam.*

Sed ad hoc respondebat Apollinaris quod in his verbis anima metaphorice sumitur: per quem modum in veteri Testamento Dei anima commemoratur, Isaiae I * [* Vers. 14.]: *Calendas vestras et solemnitates* ^β *odivit anima mea.* – Sed, sicut dicit Augustinus, in libro *Octogintatrium Quaest.* * [* Qu. LXXX.], Evangelistae in Evangelica narratione narrant quod miratus est Iesus, et iratus, et contristatus, et quod esuriit. Quae quidem ita demonstrant eum veram animam habuisse, sicut ex hoc quod comedit et dormivit et fatigatus est, demonstratur habuisse verum corpus humanum. Alioquin, si et haec ad metaphoram referantur ^γ, cum similia legantur in veteri Testamento de Deo, peribit fides Evangelicae narrationis. Aliud est enim quod prophetice nuntiatur in figuris: aliud quod secundum rerum proprietatem ab Evangelistis historice scribitur.

Secundo, derogat praedictus error utilitati incarnationis, quae est liberatio hominis. Ut enim argumentatur Augustinus * [* Vigilius Tapsensis.], in libro *contra Felicianum* * [* Cap. XIII. - Inter Opp. Aug.], *si, accepta carne, Filius Dei animam omisit* ^δ, *aut, innoxiam sciens, medicinae indigentem non credidit; aut, a se alienam putans, redemptionis beneficio non donavit; aut, ex toto insanabilem iudicans, curare nequivit; aut ut vilem, et quae nullis usibus apta videretur, abiecit. Horum duo blasphemiam important in Deum. Quomodo enim dicetur omnipotens, si curare non potuit desperatam? Aut quomodo omnium Deus, si non ipse fecit animam nostram? Duobus vero aliis, in uno animae causa nescitur: in altero meritum non tenetur. Aut intelligere causam putandus est animae qui eam, ad accipiendum legem habitu insitae* ^ε *rationis instructam, a peccato voluntariae transgressionis nititur separare? Aut quomodo eius generositatem novit qui ignobilitatis vitio dicit despectam? Si originem attendas, pretiosior est animae substantia: si transgressionis culpam, propter intelligentiam peior est causa* ^ζ. *Ego autem Christum et perfectam sapientiam scio, et piissimam esse non dubito: quorum primo, meliorem et prudentiae capacem non despexit; secundo, eam quae magis fuerat vulnerata, suscepit.*

Tertio vero, haec positio est contra ipsam incarnationis veritatem. Caro enim et ceterae partes hominis per animam speciem sortiuntur. Unde, recedente anima, non est os aut caro nisi aequivoce: ut patet per Philosophum, II *de Anima* * [* Cap. I, n. 9. - S. Th. lect. II.], et VII *Metaphys.* * [* S. Th. lect. X. - Did. lib. VI, cap. X. n. II.]

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, cum dicitur, *Verbum caro factum est,* « caro » ponitur pro toto homine, ac si diceret, *Verbum homo factum est:* sicut Isaiae XL * [* Vers. 5. - Cf. Luc. cap. III, vers. 6.] dicitur: *Videbit omnis caro salutare Dei nostri* ^η. Ideo autem totus homo per carnem significatur, quia, ut dicitur in auctoritate inducta * [* In arg.], quia ^θ per carnem Filius Dei visibilis apparuit: unde subditur: *Et vidimus gloriam eius.* – Vel ideo quia, ut Augustinus dicit, in li-

α) *de Coelo.* – *de Coelo et Mundo* ACF.
β) *et solemnitates.* – *vestras* addit P, om. cetera tertia.
γ) *haec... referantur.* – Tertia; *hoc... referatur.*
δ) *omisit.* – F et tertia praeter pG; *amisit.*
ε) *insitae.* – Tertia; *incertae* prima et E, *insertae* F.
ζ) *causa.* – *carne* P. – Pro *piissimam*, *piissimum* PBDEF.
η) *salutare Dei nostri.* – *pariter quod os Domini locutus est* P.
θ) *quia.* – Om. F et tertia.

* Qu. LXXX. bro *Octogintatrium Quaest.* *, *in tota illa unitate susceptionis principale Verbum est, extrema autem atque ultima caro. Volens itaque Evangelista commendare pro nobis dilectionem humilitatis Dei, Verbum et carnem nominavit, omittens animam, quae est Verbo inferior, carne praestantior.* – Rationabile etiam fuit ut nominaret carnem, quae, propter hoc quod magis distat a Verbo, minus assumptibilis videbatur.

Ad secundum dicendum quod Verbum est fons vitae sicut prima causa vitae effectiva. Sed anima est principium vitae corpori tanquam forma ipsius. Forma autem est effectus agentis. Unde ex praesentia Verbi magis concludi posset quod corpus esset animatum: sicut ex praesentia ignis concludi potest quod corpus cui ignis adhaeret, sit calidum.

Ad tertium dicendum quod non est inconveniens, immo necessarium dicere quod in Christo fuit natura quae constituitur per animam corpori advenientem. Damascenus autem negat in Domino Iesu Christo esse communem speciem quasi aliquid tertium resultans ex unione divinitatis et humanitatis.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est, intelligendus ut sonat; et quaesitus propter Arium et Apollinarem, ut in littera dicitur, negantes in Christo animam propriam.

In corpore articuli duo fiunt: primo, recitatur error Arii et Apollinaris; secundo, reprobatur tripliciter. Quoad primum, ponitur positio ista in se, et sua sequela. In se quidem, quia negatur anima in Christo, sed ponitur Verbum loco animae. – In sua vero sequela, quia negantur duae naturae in Christo. Quoniam non est ibi natura humana. Vel quoniam ex anima et corpore una natura constituitur: ac per hoc, ex eo quod est loco animae et corpore una esset tantum natura. Prima expositio tamen litterae consonat, de natura humana loquenti.

Quoad secundum, afferuntur tres rationes. Prima, ex auctoritate Scripturae. Secunda, ex ratione deducente ad inconveniens, ex Augustino. Tertia, ex ratione convincente quod ignorat propriam vocem positio ipsa: quia, ponendo carnem, negat carnem; et per hoc, veritati incarnationis contrariatur. Vide de his in IV *Contra Gentes,* cap. XXXII.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM FILIUS DEI ASSUMPSERIT MENTEM HUMANAM, SIVE INTELLECTUM

III *Sent.,* dist. II, qu. I, art. 3, qu^a 2; IV *Cont. Gent.,* cap. XXXIII; *De Verit.,* qu. XX, art. 1; *Compend. Theol.,* cap. CCV; *In Ioan.,* cap. I, lect. VII.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod Filius Dei non assumpsit mentem humanam, sive intellectum. Ubi enim est praesentia rei, non requiritur eius imago. Sed homo secundum mentem est ad imaginem Dei: ut dicit Augustinus, in libro *de Trinit.* * Cum ergo in Christo fuerit praesentia ipsius divini Verbi, non oportuit ibi esse mentem humanam. * Lib. XII, cap. VII. - Cf. lib. XIV, cap. III, VIII.

2. Praeterea, maior lux offuscat minorem. Sed Verbum Dei, quod est *lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum,* ut dicitur Ioan. I *, comparatur ad mentem sicut lux maior ad minorem: quia et ipsa mens quaedam lux est, quasi lucerna illuminata a prima luce, *Proverb.* X *: *Lucerna Domini spiraculum hominis.* Ergo in Christo, qui est Verbum Dei, non fuit necessarium esse mentem humanam. * Vers. 9. * Vers. 27.

3. Praeterea, assumptio humanae naturae a Dei Verbo dicitur eius *incarnatio.* Sed intellectus, sive mens humana, neque est caro neque est actus carnis: quia nullius corporis actus est, ut probatur in III *de Anima* *. Ergo videtur quod Filius Dei humanam mentem non assumpserit. * Cap. IV, n. 4. - S. Th. lect. VII.

Sed contra est quod Augustinus * dicit, in libro *de Fide ad Petrum* *: *Firmissime tene, et nullatenus dubites, Christum, Filium Dei, habentem* α *nostri generis carnem et animam rationalem. Qui de carne sua dicit: « Palpate et videte: quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere »,* Luc. ult. * *Animam quoque se ostendit habere, dicens: « Ego pono animam meam, et iterum sumo eam »,* Ioan. X *. *Intellectum quoque* β *se ostendit habere, dicens: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde »,* Matth. XI *. *Et de ipso per Prophetam Dominus dicit: « Ecce intelliget puer meus »,* Isaiae LII *. * Fulgentius. * Cap. XIV. * Vers. 39. * Vers. 17. * Vers. 29. * Vers. 13.

Respondeo dicendum quod, sicut Augustinus dicit, in libro *de Haeresibus* *, *Apollinaristae de anima Christi a Catholica Ecclesia dissenserunt, dicentes, sicut Ariani, Christum* γ *carnem solam sine anima suscepisse. In qua quaestione testimoniis Evangelicis victi, mentem defuisse animae Christi dixerunt, sed pro hac ipsum Verbum in ea fuisse.* * Haeres. LV.

Sed haec positio eisdem rationibus convincitur sicut et praedicta *. Primo enim, hoc adversatur narrationi Evangelicae, quae commemorat eum fuisse miratum, ut patet Matth. VIII *. Admiratio autem absque ratione esse non potest: quia importat collationem effectus ad causam; dum scilicet aliquis videt effectum cuius causam ignorat, et quaerit, ut dicitur in principio *Metaphys.* * * Arii et Apollinaris. - Cf. art. praeced. * Vers. 10. * Cap. II, n. 8. - S. Th. lect. III.

Secundo, repugnat utilitati incarnationis, quae est iustificatio hominis a peccato. Anima enim humana non est capax peccati, nec gratiae iustificantis, nisi per mentem. Unde praecipue oportuit mentem humanam assumi. Unde Damasce-

α) *habentem.* – *habere veram* P, *habentem veram* cetera tertia.
β) *quoque.* – *animae* addit tertia.
γ) *Christum.* – *Deum Christum* P, om. cetera tertia.

* De Fide Orth. lib. III, cap. VI.

nus dicit, in III libro *, quod *Dei Verbum assumpsit corpus et animam intellectualem et rationalem:* et postea subdit: *Totus toti unitus est, ut toti mihi salutem gratificet,* idest, gratis faciat [δ]: *quod enim inassumptibile* [ε] *est, incurabile est.*

Tertio, hoc repugnat veritati incarnationis. Cum enim corpus proportionetur animae sicut materia propriae formae, non est vera caro humana quae non est perfecta anima humana, scilicet rationali. Et ideo, si Christus animam sine mente habuisset, non habuisset veram carnem humanam, sed carnem bestialem: quia per solam mentem anima nostra differt ab anima bestiali. Unde dicit Augustinus, in libro *Octogintatrium Quaest.* *, quod secundum hunc errorem sequeretur quod Filius Dei *beluam quandam cum figura humani corporis suscepisset.* – Quod iterum repugnat veritati divinae, quae nullam patitur fictionis falsitatem.

* Qu. LXXX.

Ad primum ergo dicendum quod, ubi est ipsa res per sui praesentiam, non requiritur eius imago ad hoc quod suppleat locum rei: sicut, ubi erat imperator, milites non venerabantur [ζ] eius imaginem. Sed tamen requiritur cum praesentia rei imago ipsius ut perficiatur ex ipsa rei praesentia: sicut imago in cera perficitur per impressionem sigilli, et imago hominis resultat in speculo per eius praesentiam. Unde, ad perficiendam humanam mentem, necessarium fuit quod eam sibi Verbum Dei univit.

Ad secundum dicendum quod lux maior evacuat lucem minorem alterius corporis illuminantis: non tamen evacuat, sed perficit lucem corporis illuminati. Ad praesentiam enim solis stellarum lux obscuratur: sed aeris lumen perficitur. Intellectus autem seu mens hominis est quasi lux illuminata a luce divini Verbi. Et ideo per lucem divini [η] Verbi non evacuatur mens hominis, sed magis perficitur.

Ad tertium dicendum quod, licet potentia intellectiva non sit alicuius corporis actus, ipsa tamen essentia animae humanae, quae est forma corporis, requiritur quod sit nobilior, ad hoc quod habeat potentiam intelligendi. Et ideo necesse est ut corpus melius dispositum ei respondeat.

δ) *gratificet, idest, gratis faciat.* – *largiretur* P.
ε) *inassumptibile.* – *inassumptum* tertia praeter G.
ζ) *ubi erat... venerabantur.* – *ubi est... venerantur* P.
η) *lucem divini.* – *praesentiam* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus: propter Apollinarem motus, convictum ad confitendum in Christo animam, et confitentem animam sensitivam in Christo, sed non mentem, sed loco mentis Verbum; ut habes in IV *Contra Gentes,* cap. XXXIII, et in littera.

In corpore articuli duo fiunt: primo, ponitur error Apollinaristarum; secundo, excluditur tripliciter. Et rationes videntur satis clarae. In prima tamen, adverte quod non dicit Auctor admirationem esse actum rationis: sed quod exigit rationem, dum absque ratione collativa effectus cum causa esse non potest.

II. In responsione ad secundum, perspice quod lux maior dicitur offuscare minorem, non quoad substantiam lucis, sed quoad effectum: quia facit non apparere effectum minoris, cum nihil tollat a luce minore. Quoad substantiam vero lux maior perficit minorem, augendo effectum illius. Aer enim illuminatus a candela, cum superilluminatur a sole, non perdit prius lumen, sed acquirit maius lumen. Augetur enim lumen ex praesentia maioris lucis: quod in littera vocatur *perfici.* Unde non sunt duo lumina in eodem: sed idem perfectius.



QUAESTIO SEXTA

DE ORDINE ASSUMPTIONIS

IN SEX ARTICULOS DIVISA

DEINDE considerandum est de ordine assumptionis praedictae *.

* Cf. qu. iv, Introd.

Et circa hoc quaeruntur sex.

Primo: utrum Filius Dei assumpserit carnem mediante anima.

Secundo: utrum assumpserit animam mediante spiritu, sive mente.

Tertio: utrum anima Christi fuerit prius assumpta a Verbo quam caro.

Quarto: utrum caro fuerit prius a Verbo assumpta quam animae unita.

Quinto: utrum tota humana natura sit assumpta mediantibus partibus.

Sexto: utrum sit assumpta mediante gratia.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM FILIUS DEI ASSUMPSERIT CARNEM MEDIANTE ANIMA

Infra, art. 4, ad 3; qu. L, art. 2, ad 2; III *Sent.*, dist. II, qu. II, art. 1, qu^a 1; dist. XXI, qu. I, art. 1, qu^a 1, ad 1; IV *Cont. Gent.*, cap. XLIV; *De Spirit. Creat.*, art. 3, ad 5.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Filius Dei non assumpserit carnem mediante anima. Perfectior enim est modus quo Filius Dei unitur humanae naturae et partibus eius, quam quo est in omnibus creaturis. Sed in creaturis est immediate per essentiam, praesentiam et potentiam. Ergo multo magis Filius Dei unitur carni [α], et non mediante anima.

2. PRAETEREA, anima et caro unita sunt Dei Verbo in unitate hypostasis seu personae. Sed corpus immediate pertinet ad personam sive hypostasim hominis, sicut et anima. Quinimmo magis videtur se de propinquo habere ad hypostasim hominis corpus, quod est materia, quam anima, quae est forma: quia principium individuationis, quae importatur in nomine hypostasis, videtur esse materia. Ergo Filius Dei non assumpsit carnem mediante anima.

3. PRAETEREA, remoto medio, separantur ea quae per medium coniunguntur: sicut, remota superficie, cessaret color a corpore, qui inest corpori per superficiem. Sed, separata per mortem anima, adhuc remanet unio Verbi ad carnem: quod infra * patebit. Ergo Verbum non coniungitur carni mediante anima.

* Qu. L, art. 2.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in Epistola *ad Volusianum* *: *Ipsa magnitudo divinae virtutis animam sibi rationalem, et per eandem corpus humanum, totumque omnino hominem, in melius mutandum* [β], *coaptavit.*

* Ep. CXXXVII, al. III, cap. II.

RESPONDEO DICENDUM quod medium dicitur respectu principii et finis. Unde, sicut principium et finis important ordinem, ita et medium. Est autem duplex ordo: unus quidem temporis; alius autem naturae. Secundum autem ordinem temporis, non dicitur in mysterio incarnationis aliquid medium: quia totam naturam humanam simul sibi Dei Verbum univit, ut infra * patebit.

* Art. 3, 4.

Ordo autem naturae inter aliqua potest attendi dupliciter: uno modo, secundum dignitatis gradum, sicut dicimus angelos esse medios inter homines et Deum; alio modo, secundum rationem causalitatis, sicut dicimus mediam causam [γ] existere inter primam causam et ultimum effectum. Et hic secundus ordo aliquo modo consequitur primum: sicut enim dicit Dionysius, XIII cap. *Cael. Hier.*, Deus per substantias magis propinquas [δ] agit in ea quae sunt magis remota.

Si ergo [ε] attendamus gradum dignitatis, anima media invenitur inter Deum et carnem. Et secundum hoc, potest dici quod Filius Dei univit sibi carnem mediante anima. – Sed secundum ordinem causalitatis, ipsa anima est aliqualiter causa carnis uniendae Filio Dei. Non enim esset assumptibilis nisi per ordinem quem habet ad animam rationalem, secundum quam [ζ] habet quod sit caro humana: dictum est enim supra * quod natura humana prae ceteris est assumptibilis.

* Qu. IV, art. 1.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod duplex ordo considerari potest inter creaturam et Deum. Unus quidem, secundum quod creaturae causantur a Deo et dependent ab ipso sicut a principio sui esse. Et sic, propter infinitatem suae virtutis, Deus immediate attingit quamlibet rem, causando et conservando. Et ad hoc pertinet quod Deus immediate est in omnibus per essentiam, potentiam et praesentiam.

α) *unitur carni.* – *immediate* addit *a*, praefigunt F et tertia.
β) *mutandum.* – F et tertia; *mutando.*
γ) *dicimus mediam causam.* – *dicitur mediam causam* pG, *dicitur media causa* cetera tertia.
δ) *propinquas.* – *sibi propinquas* tertia.
ε) *Si ergo.* – *Sic ergo si* tertia.
ζ) *quam.* – *quem* PFpH, *quem etiam* bc.

Alius autem ordo est secundum quod res reducuntur in Deum sicut in finem. Et quantum ad hoc, invenitur medium inter creaturam et Deum: quia inferiores creaturae reducuntur in Deum per superiores, ut dicit Dionysius, in libro *Caelest. Hier.* * Et ad hunc ordinem pertinet assumptio humanae naturae a Verbo Dei, quod est terminus assumptionis. Et ideo per animam unitur carni.

* Cap. IV. - Cf. *Eccl. Hier.* cap. V.

Ad secundum dicendum quod, si hypostasis Verbi Dei constitueretur simpliciter per naturam humanam, sequeretur quod corpus esset ei vicinius, cum sit materia, quae est individuationis principium: sicut et anima, quae est forma specifica, propinquius se habet ad naturam humanam. Sed quia hypostasis η est prior et altior quam humana natura, tanto id quod est in humana natura propinquius se habet θ, quanto est altius. Et ideo propinquior est Verbo Dei anima quam corpus.

Ad tertium dicendum quod nihil prohibet aliquid esse causam alicuius quantum ad aptitudinem et congruitatem, quo tamen remoto, id non tollitur: quia, etsi fieri alicuius dependeat ex aliquo, postquam tamen est in facto esse, ab eo non dependet. Sicut, si inter aliquos amicitia causaretur aliquo mediante, eo recedente adhuc amicitia remanet: et si aliqua in matrimonium ducitur propter pulchritudinem, quae facit congruitatem in muliere ad copulam coniugalem, tamen, cessante pulchritudine, adhuc durat copula coniugalis. Et similiter, separata anima, remanet unio Verbi Dei ad carnem.

η) *hypostasis.* – *Verbi* addit tertia.

θ) *se habet.* – *se habet ad eam* FG, *ad eam se habet* Plc.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus primi articuli quaestionis sextae intelligendus est ut sonat: quoniam in corpore distinguetur. Et motus est occasione verborum Augustini *, et Magistri Sententiarum, in II distinctione III *Sent.*, ponentium ordinem in ista assumptione.

* Cf. arg. *Sed contra.*

In corpore articuli duo fiunt: primo, declaratur ille terminus *mediante* in titulo positus; secundo, respondetur quaesito, ibi *, *Sic ergo si attendimus* **. Primum fit declarando, distinguendo, excludendo, subdistinguendo, et conferendo membra distincta inter se. Declaratur in primis quod medium importet ordinem. Quod probatur: quia dicitur respectu principii et finis, quorum utrumque importat ordinem aliquem ad quem spectat, secundum quem dicitur principium aut finis. Unde et medium secundum aliquem ordinem oportet quod sit medium: nec oppositum intelligi potest. – Distinguitur praeterea ordo in ordinem temporis, vel naturae. – Et, excluso ordine temporis a mysterio assumptionis, ut in hac eadem quaestione patebit, subdividitur ordo naturae in ordinem dignitatis, et causalitatis. Exempla patent in littera. – Conferuntur autem hi duo naturae ordines inter se secundum connexionem: pro quanto secundus ordo consequitur aliquo modo primum. Et dicitur, *aliquo modo:* quia non oportet universaliter quod dignius est esse causam minus digni; non enim leonina natura est causa naturae formicae, licet sit formica longe dignior.

* Cf. not. ε. ** Cf. num. seq.

II. Quoad secundum, respondetur quaesito duabus conclusionibus, iuxta duplicem modum medii secundum dictos duos naturae ordines, scilicet medium dignitatis et medium causalitatis. Prima est: *Filius Dei univit sibi carnem mediante anima, loquendo secundum ordinem dignitatis.* Probatur. Quia anima invenitur media inter Deum et carnem secundum dignitatis gradum.

Secunda est quod, *Secundum ordinem causalitatis, Filius Dei univit sibi carnem mediante anima.* Probatur. Anima est aliqualiter causa carnis uniendae Filio Dei. Ergo est medium in causando unionem carnis ad Filium Dei. – Antecedens probatur dupliciter. Primo, quia caro non esset assumptibilis nisi per ordinem quem habet ad animam rationalem. Secundo, quia caro per ordinem ad animam rationalem habet quod sit caro humana: sola autem natura humana est assumptibilis, ut patet ex prius dictis.

III. Antequam ad ulteriora progrediamur, declarandum censeo quid sentit Auctor in hac materia, et in quo impugnatur. Scito igitur quod sunt hic duae principales difficultates. Prima est circa ordinem partium inter se, non absolute, sed relatas ad assumptionem. Et haec tractatur hic quoad partes essentiales, scilicet animam et corpus; et in sequenti articulo quoad partes potentiales, scilicet mentem et sensum. Altera est circa ordinem inter partes et totum, scilicet animam et corpus, et naturam humanam. Et haec tractatur in articulo quinto huius quaestionis. Et in utraque quaestione sunt variae opiniones.

Durandus namque, in III *Sent.*, dist. II, qu. II, negat omnem naturae ordinem in mysterio assumptionis, tam in partibus inter se, quam in partibus et toto, relatis ad assumptionem.

Scotus vero, in III *Sent.*, dist. II, qu. II *, aliquo modo negat utrobique ordinem naturae, et aliquo modo affirmat. Negat siquidem unam partem esse mediam ut *quod* assumitur, respectu alterius; et similiter partes esse medium ut *quod* assumitur, respectu totius naturae humanae. Affirmat autem unam partem esse medium ut *quo,* et respectu totius, et respectu alterius partis: quia anima est constitutiva et naturae et carnis ut sit assumptibilis.

* Art. I principali.

IV. Doctrina autem Auctoris media via incedit. Quoniam et concedit naturae ordinem utrobique, scilicet tam in partibus inter se, quam in partibus et toto inter se, relatis semper ad assumptionem; et partim concedit secundum naturae ordinem medium ut *quod,* et partim non concedit medium ut *quod;* et universaliter concedit medium ut *quo* in hoc assumptionis mysterio.

Declaro singula (praesupposita distinctione iam * dicta): – quod mediare secundum naturae ordinem ut causa assumptionis ex parte assumpti, contingit dupliciter. Uno modo, quod sic sit causa quod aliud assumatur, quod ipsa causa praeassumi intelligatur: quasi sit progressus quidam in his quae assumuntur, et prius secundum naturae ordinem assumatur anima, et deinde caro; sicut dicimus quod prius generatur homo quam risibile secundum naturae ordinem, quamvis simul tempore, quia risibile praesupponit hominem ut quod est genitum. Et hoc modo Auctor concedit partes naturae, animam scilicet et corpus, prius natura assumi quam totam naturam: prius tamen natura secundum quid, hoc est, secundum ordinem executionis; ut in quinto patebit articulo, ubi afferentur argumenta Scoti et Durandi contra hoc, et solventur *.

* Num. praeced., *Scotus vero.*

* Comment. n. V, sqq.

Alio modo, quod sit causa ut aliud sit assumptibile, sive ut *quo* sive ut *quod* non curando. Et hoc modo affirmat Auctor utrobique esse medium: scilicet et inter partes inter se; et inter partes et totum. Et, explicando distincte sententiam suam, sentit quod anima est medium ut *quo* tantum, respectu carnis; et quod anima est etiam medium ut *quo,* partiale tamen, respectu totius; et quod anima et corpus sunt medium ut *quod* respectu totius, secundum executionis ordinem; et quod totum est medium ut *quo* et ut *quod* respectu partium, secundum intentionis ordinem.

Quocirca primo afferenda sunt argumenta Durandi contra naturae ordinem inter animam et carnem relatas ad assumptionem; deinde declaranda est positio Auctoris de mediatione animae ad carnem, tam quoad mediationem causalem, quam quoad modum, scilicet ut *quo* et non ut *quod* *; et demum respondebitur obiectis **. Reliqua quinto reservanda sunt articulo. Non enim oportet Scotica argumenta contra mediationem animae respectu carnis afferre: quia contra medium ut *quod* fiunt, quod nos non tenemus, comparando partes inter se ad assumptionem. Simul enim, non solum tempore, sed natura, animam et carnem assumi dicimus ut quod assumitur, ita quod neutra mediante altera ut *quod:* sed quod caro assumatur mediante anima ut *quo,* ut clare patebit.

* Num. VI.
** Num. VII.

V. Arguit ergo Durandus. Si in assumptione esset ordo naturae, aut esset ex parte assumptionis, aut ex parte assumptorum. Sed non ex parte assumptionis. Quia ponitur assumptio unica: unius autem ad seipsum non est ordo naturae. – Nec ex parte assumptorum, comparando partes inter se. Quia, quando unum unitur duobus non ut duo sunt, sed ut unum, neutrum eorum est medium: quoniam medium distinctionem exigit ad illud cuius est medium. Sed Filius Dei unitus est per se animae et carni non ut plura sunt, sed ut unum sunt: quia unitur eis inquantum sunt partes unius naturae humanae. Ergo non assumpsit carnem mediante anima secundum ordinem naturae, ex parte rei.

VI. Quod autem vere secundum rem naturae ordo intersit inter animam et carnem in assumptione, ex hoc ipso patet quod est ibi vera causalitas realis. Ad cuius clariorem notitiam, afferenda est differentia inter animam et carnem respectu assumptionis. Comparando siquidem haec duo ad assumptionem, manifeste constabit quod inter actionem assumptivam et actionem creativam utriusque haec invenitur differentia, quod respectu animae nulla alia actio mediat: sed respectu carnis mediat actio animativa carnis. Nam, praesupposita actione creativa carnis, non est caro assumptibilis secundum congruitatem (sic enim de assumptibili est sermo) nisi sit animata, seu humana. Animata autem aut humana non est materia illa nisi per actionem animativam illius. Actio autem animativa constat quod animam ponit in carne, quae, realiter faciendo illam in esse animato et humano, vere ut causa media causat carnis assumptibilitatem. Praesupposita autem actione creativa animae, non expectatur alia actio, qua aliquid superaddatur animae per quod fiat assumptibilis: sed statim est assumptibilis. Est igitur anima per actionem assumptivam attingibilis absque actione media: caro autem, sive materia, non nisi media actione animativa. Est igitur inter carnem et animam inter se, relatas ad assumptionem, ordo naturae secundum causalitatem in re.

Et quoniam ex hoc quod anima sic causat carnem assumptibilem, non sequitur, *Ergo anima prius natura assumitur,* sed bene sequitur, *Ergo est ratio quod caro assumatur,* et, ut in littera * dicitur, non est nisi in fieri ratio; id autem quod se habet ad carnem ut ratio quod assumatur, se habet ut *quo,* et non oportet quod se habeat ut *quod:* ideo ex hac doctrina Auctoris non plus habeo quam quod anima mediat ut causa media ut *qua,* seu *quo.* Ita quod non prius natura anima ut *quod* assumitur, sed prius natura anima ut *quo* assumitur, et simul natura utrumque ut *quod* assumitur. Ita quod, referendo animam et carnem inter se ad assumi ut *quod,* nullus est naturae ordo: quia neutrum est alteri medium ut *quod.* – Et si ad hoc tendebat Durandus, non contradico. Sed quia non invenio se sic declarasse, ut Scotus fecit, ideo, etc.

* Ad 3.

Moveor autem ad negandum quod anima est medium ut *quod* respectu carnis in assumptione, quia nulla apparet ratio quare debeat hoc concedi. Quamvis enim tam anima quam caro sit assumpta ut quod assumitur, partialiter tamen, seu ut pars; quia tamen anima non intelligitur prius assumpta quam animet carnem (quod per creativam actionem sortitur ex modo suae creationis, quia scilicet creatur in corpore), nec caro prius assumitur quam sit animata; ideo inter animam et carnem ut sunt quae assumuntur, nullum video ordinem naturae aut intellectus, sed solum, ut dictum est, quod anima est causa carni ut *quo* quod assumatur.

VII. Ad obiectionem autem Durandi * dicitur quod in assumptione est naturae ordo ex parte assumptorum. Et cum contra hoc arguitur quia unitum pluribus non inquantum sunt plura, sed unum, etc.: negatur minor. Quoniam Filius Dei assumpsit animam et corpus ut sunt plura: quia assumpsit illa ut sunt duae partes essentiales realiter distinctae inter se.

* Num. V.

Ad probationem dicitur quod aliud est concedere affirmativam, scilicet, *Assumpsit partes ut sunt unum:* et aliud est, cum dicta affirmativa, concedere etiam negativam, scilicet, *Non assumpsit partes ut sunt plures res.* Affirmativa namque importat quod partes sunt assumptae ut uniuntur in toto: et hoc est dictu quod partes sunt assumptae ut sunt in toto. Negativa autem importat quod partes non sunt assumptae secundum seipsas, sed quod assumptio terminatur ad totum tantum, et ad partes non nisi ut sunt in toto. Constat autem ex doctrina sacra Filium Dei assumpsisse ita partes in toto quod tamen ad ipsas partes in seipsis terminata est assumptio: alioquin, oportuisset in morte Christi fieri novas assumptiones animae in se et corporis in se, quoniam in toto non erant. Dicito igitur quod Filius Dei assumpsit animam et carnem inquantum sunt partes unius naturae: sed ex hoc non sequitur, *Ergo inquantum sunt unum et non inquantum sunt plures.* Quia et assumpsit inquantum sunt unum in natura unica: et inquantum sunt in se plures res, partiales tamen.

VIII. In responsione ad secundum eiusdem primi articuli, nota primo hanc doctrinam: quod scilicet non eodem ordine se habent partes naturae humanae ad personalitatem alienam, scilicet Verbi Dei, quo se haberent ad personalitatem propriam, scilicet personae humanae. Et ratio in littera redditur ex altitudine divinae personae. Et haec bene retineto, et applicato cum discutitur assumptionis mysterium quoad ordinem assumptorum: et non fundes te super ordine eorundem ad propriam personalitatem; ut in quinto articulo * ratio Scoti super hoc fundamento afferetur.

* Comment. n. V, IX.

Nota secundo, quod prima verba litterae, scilicet, *Corpus est vicinius personae propriae, anima autem naturae humanae,* non carent scrupulo. Quoniam, etsi vera sunt secundum communia homini et aliis substantiis sensibilibus (quoniam in eis anima vicinior est naturae et corpus personae, quia anima constituit formaliter naturam et materia individuat, personae autem constat individuum maxime appropinquare: unde et creduntur idem omnino quoad rem apud multos *), secundum tamen propria principia hominis, videtur oppositum. Quoniam anima intellectiva, quia est ex se subsistens, et defert secum subsistentiam quam communicat supposito, propinquior est personae, cuius proprium est subsistere, adeo ut ipsi personae primo conveniat. – Sed hoc non obstat. Quia anima intellectiva in suo fieri mendicat haecceitatem a corpore, licet occasionaliter: nec defert secum subsistentiam propriam sibi ut quod subsistit (nisi in potentia), sed ut proprium illius principium ut quo. Unde, licet aliquid plus propinquitatis habeat ad hypostasim quam aliae animae, quia ex proprio ordine defert (ut quo tamen) actum subsistendi: non tamen propinquior est quam corpus, quod ipsam animam et suum essendi actum individuat. Stant ergo solida verba litterae.

* Cf. qu. IV, art. 2, Comment. n. III.

IX. In responsione ad tertium eiusdem articuli, clare habes quo pacto apud Auctorem intelligitur animam mediare in assumptione carnis: scilicet cum tribus conditionibus. Prima est, *secundum aptitudinem:* quia scilicet reddit carnem aptam ad assumi, faciendo ipsam animatam et humanam.

Secunda est, *secundum congruitatem:* quia haec aptitudo non est necessitatis, sed congruitatis. Nam et Deus posset sine illa assumere carnem, et caro sic apta non necessitat ad assumptionem: sed ex hoc ipso quod caro est humana, est habilis de congruo ut assumatur; hoc est, assumptibilis est de congruo.

Tertia est, *in fieri:* quia conditio ista qua caro est de congruo assumptibilis, non mediat in facto esse, sed in fieri

tantum. Et propterea, cessante tali conditione actualiter, ut de facto cessavit in morte Christi (quia caro Christi in triduo non erat animata nec humana, nec etiam caro nisi aequivoce), non propterea desinit unio assumptae carnis ad divinam hypostasim: quam oportuisset desinere si anima esset medium in facto esse; sicut, quia est medium in fieri, ideo in principio assumptionis caro non nisi animata ac humana assumitur. Et hinc habes quod caro ipsa in se terminat assumptivam actionem, et non solum ut animata et ut humana, licet non attingeret eam nisi esset animata aut humana: sicut aliquis accipit in uxorem mulierem pulchram secundum seipsam mulierem, licet non acciperet eam nisi esset in principio, cum eam accipit, pulchra, ut in littera dicitur. Et propterea in morte Christi, desinente humanitate per mortem, non de novo Verbum Dei assumpsit animam et corpus: sed quae in principio facta est assumptio, et terminata ad totum et partes etiam secundum se, non desiit terminari ad partes deficiente toto; quoniam nec ipsum totum est medium in assumptione nisi in fieri, secundum ordinem intentionis, ut infra * patebit. * Art. 5.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM FILIUS DEI ASSUMPSERIT ANIMAM MEDIANTE SPIRITU

III *Sent.*, dist. II, qu. II, art. 1, qu^a 2.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Filius Dei non assumpsit animam mediante spiritu. Idem enim non cadit medium inter ipsum ^α et aliquid aliud. Sed spiritus, sive mens, non est aliud in essentia ab ipsa anima: ut in Prima Parte * dictum est. Ergo Filius Dei non assumpsit animam mediante spiritu, sive mente.

* Qu. LXXVII, art. 1, ad 1.

2. Praeterea, id quo mediante facta est assumptio, videtur magis assumptibile. Sed spiritus, sive mens, non est magis assumptibilis quam anima: quod patet ex hoc quod spiritus angelici non sunt assumptibiles, ut supra * dictum est. Ergo videtur quod Filius Dei non assumpserit animam mediante spiritu.

* Qu. IV, art. 1.

3. Praeterea, posterius assumitur a primo mediante priori. Sed anima nominat ipsam essentiam, quae est prior naturaliter quam ipsa potentia eius, quae est mens. Ergo videtur quod Filius Dei non assumpserit animam mediante spiritu vel mente.

Sed contra est quod Augustinus dicit, in libro *de Agone Christiano* *: *Invisibilis et incommutabilis Veritas per spiritum animam, et per animam corpus accepit.*

* Cap. XVIII.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est *, Filius Dei dicitur assumpsisse carnem anima mediante, tum propter ordinem dignitatis, tum etiam propter congruitatem assumptionis. Utrumque autem horum invenitur si comparemus intellectum, qui spiritus dicitur, ad ceteras animae partes. Non enim anima est assumptibilis secundum congruitatem nisi per hoc quod est capax Dei, ad imaginem eius existens: quod est secundum mentem, quae spiritus dicitur, secundum illud *Ephes.* IV *: *Renovamini spiritu mentis vestrae.* Similiter etiam intellectus, inter ceteras partes animae, est superior et dignior et Deo similior. Et ideo, ut Damascenus dicit, in III libro *, *unitum est carni per medium intellectum Verbum Dei: intellectus enim est quod est animae purissimum; sed et Deus est intellectus.*

* Art. praeced. — * Vers. 23. — * De Fide Orth. lib. III, cap. VI.

Ad primum ergo dicendum quod, si ^β intellectus non sit aliud ab anima secundum essentiam, distinguitur tamen ab aliis partibus animae secundum rationem potentiae. Et secundum hoc competit sibi ratio medii.

Ad secundum dicendum quod spiritui angelico non deest congruitas ad assumptionem propter defectum dignitatis, sed propter irreparabilitatem casus *. Quod non potest dici de spiritu humano: ut patet ex his quae in Prima Parte * dicta sunt.

* D. 151. — * Qu. LXIV, art. 2.

Ad tertium dicendum quod anima inter quam et Dei Verbum ponitur medium intellectus, non accipitur pro essentia animae, quae est omnibus potentiis communis: sed pro potentiis inferioribus, quae sunt omni ^γ animae communes.

α) *ipsum.* – *seipsum* F et tertia.
β) *si.* – *etsi* tertia praeter 1.
γ) *omni.* – PHIsG; om. *ac*, *omnium b*; abrasa pG, *non* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo, nota quod, si termini praedeclarandi sunt ut in conclusione sumuntur *, non restat locus argumentis primo et tertio. Sed si in titulo relinquuntur indistincti, ita tamen ut nomine *spiritus* intelligatur mens, seu pars intellectiva, locus relinquitur argumentis et responsionibus.

* Cf. resp. ad 3.

In corpore articuli unica est conclusio, responsiva quaesito affirmative: *Filius Dei assumpsit animam mediante spiritu.* Probatur dupliciter. Primo, ratione. Assumpsit ceteras partes animae mediante intellectu, tam secundum ordinem dignitatis, quam secundum ordinem ad congruentiam assumptionis. Ergo assumpsit animam mediante spiritu. – Antecedens pro prima parte probatur: quia intellectus est dignior. Pro secunda: quia anima non est assumptibilis nisi per illud quo est ad imaginem Dei. – Consequentia probatur ex praecedenti articulo, ex simili ratione.

Secundo, probatur conclusio auctoritate Damasceni.

II. Adverte hic duo. Primo, quod hic est comparatio partium potentialium: scilicet partis superioris, quae vocatur *spiritus*, sive *mens*, sive *intellectus*; et partis inferioris, quae est pars sensitiva et vegetativa, quae vocatur *anima*. Et quoniam omnes istae partes sunt assumptae a Verbo; et distinguuntur etiam genere inter se; et ordine quodam se habent ad Verbum, tum quoad dignitatem, tum quoad assumptibilitatem, quia pars sensitiva non est assumptibilis nisi quia coniuncta est intellectivae, sicut nec caro nisi quia est pars hominis: ideo Augustinus dixit *, et Auctor declaravit, quod assumpsit animam, idest partem sensitivam, mediante spiritu, idest parte intellectiva.

* Cf. arg. Sed cont.

Et scito quod, si considerentur istae duae partes non secundum quod uniuntur in una substantia animae (quia sensitivum est in intellectivo *ut trigonum in tetragono*,

* Cap. III, n. 6. - S. Th. lect. v.

ut dicitur in II *de Anima* *), sed abstrahendo ab illo vel alio modo coniunctionis; et considerentur ipsae partes diversae, et quod coniunctae sunt in homine, non curando de modo quo sunt coniunctae: simile est iudicium de illa propositione, *Assumpsit carnem mediante anima,* et, *Assumpsit animam mediante spiritu.* Et propterea Augustinus simul utramque protulit, et in littera similis dicitur utraque mediatio: salvantur enim utrobique et gradus dignitatis, et causa et causatum, dum pars intellectiva, ex hoc quod coniungitur parti sensitivae, perficit illam, et est illi ratio quod sit assumptibilis.

Quocirca non requiras hic causalitatem sicut pars essentialis, quae est forma, est causa alterius constitutiva: sed proportionaliter causalitatem, sicut pars potentialis formalior et superioris ordinis est causa partis inferioris. Oportet enim proportionaliter inquirere et intelligere causalitatem: sicut proportionaliter sunt partes quae dicuntur partes essentiales, et quae dicuntur partes potentiales.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM ANIMA CHRISTI FUERIT PRIUS ASSUMPTA A VERBO QUAM CARO

III *Sent.*, dist. II, qu. II, art. 3; IV *Cont. Gent.*, cap. XXXIII.

D TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod anima Christi fuerit prius assumpta a Verbo quam caro. Filius enim Dei assumpsit carnem mediante anima, ut dictum est *. Sed prius pervenitur ad medium quam ad extremum. Ergo Filius Dei prius assumpsit animam quam corpus.

* Art. 1.

2. PRAETEREA, anima Christi est dignior angelis: secundum illud Psalmi *: *Adorate eum, omnes angeli eius.* Sed angeli creati sunt a principio: ut in Primo * habitum est. Ergo et anima Christi. Quae non fuit ante creata quam assumpta: dicit enim Damascenus, in III libro *, quod *nunquam neque anima neque corpus Christi propriam habuerunt hypostasim praeter Verbi hypostasim* [α]. Ergo videtur quod anima fuerit ante assumpta quam caro, quae est concepta in utero virginali.

* Ps. XCVI, vers. 7. — * Qu. XLVI, art. 3. — * De Fide Orth. lib. III, cap. XXVII.

3. PRAETEREA, Ioan. I * dicitur: *Vidimus eum plenum gratiae et veritatis:* et postea * sequitur: *de plenitudine eius omnes accepimus,* idest, omnes fideles quocumque tempore, ut Chrysostomus exponit *. Hoc autem non esset nisi Christus [β] habuisset plenitudinem gratiae et veritatis ante omnes sanctos qui fuerunt ab origine mundi: quia causa non est posterior causato. Cum ergo plenitudo gratiae et veritatis fuerit in anima Christi ex unione ad Verbum, secundum illud quod ibidem * dicitur, *Vidimus gloriam eius quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis;* consequens videtur quod a principio mundi anima Christi fuisset a Verbo Dei assumpta.

* Vers. 14. — * Vers. 16. — * Homil. XIV, al. XIII, *in Ioan.* — * Vers. 14.

SED CONTRA EST quod Damascenus dicit, in IV libro *: *Non, ut quidam mentiuntur, ante eam quae est ex Virgine incarnationem, intellectus est unitus Deo Verbo, et ex tunc vocatus est Christus* [γ].

* De Fide Orth. lib. IV, cap. VI.

RESPONDEO DICENDUM quod Origenes * posuit [δ] omnes animas a principio fuisse creatas: inter quas etiam posuit animam Christi creatam *. Sed hoc quidem est inconveniens: scilicet [ε], si ponatur quod fuerit tunc creata sed non statim Verbo unita, quia sequeretur quod anima illa habuisset aliquando propriam subsistentiam sine Verbo. Et sic, cum fuisset a Verbo assumpta, vel non esset facta unio secundum substinentiam [ζ]; vel corrupta fuisset subsistentia animae praeexistens.

* Peri Archon lib. I, cap. VII, VIII; lib. II, cap. VIII. — * Ibid. lib. II, cap. VI.

Similiter etiam est inconveniens si ponatur quod anima illa fuerit a principio Verbo unita, et postmodum in utero Virginis incarnata. Quia sic eius anima non videretur eiusdem esse naturae cum nostris, quae simul creantur dum corporibus infunduntur. Unde Leo Papa dicit, in Epistola *ad Iulianum* *, quod *non alterius naturae erat caro quam nostra: nec alio illi quam ceteris hominibus est anima inspirata principio* [η].

* Epist. XXXV, al. XI, cap. III.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, anima Christi dicitur esse medium in unione carnis ad Verbum secundum ordinem naturae. Non autem oportet ex hoc quod fuerit medium ex ordine temporis.

* Art. 1.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut Leo Papa, in eadem Epistola *, dicit, anima Christi *excellit* [θ] *non diversitate generis, sed sublimitate virtutis.* Est enim eiusdem generis cum nostris animabus: sed excellit etiam angelos secundum *plenitudinem gratiae et veritatis* *. Modus autem incarnationis [ι] respondet animae secundum proprietatem sui generis: ex quo habet, cum sit corporis forma, ut creetur simul dum corpori infunditur et [κ] unitur. Quod non competit angelis, quia sunt substantiae omnino a corporibus absolutae.

* Cap. III. — * Ioan. cap. I, vers. 14.

AD TERTIUM DICENDUM quod de plenitudine Christi omnes homines accipiunt secundum fidem quam habent in ipsum: dicitur enim *Rom.* III *, quod *iustitia Dei est per fidem Iesu Christi in omnes et super omnes qui credunt in ipsum.* Sicut autem nos in ipsum credimus ut incarnatum [λ], ita antiqui crediderunt in ipsum ut nasciturum: *habentes enim eundem spiritum credimus,* ut dicitur II *Cor.* IV *. Habet autem fides quae est in

* Vers. 22. — * Vers. 13.

α) *praeter Verbi hypostasim.* – Om. P.
β) *Christus.* – *anima Christi* tertia.
γ) *Christus.* – Editiones; *Deus.*
δ) *posuit.* – *in suo Periarchon* addit tertia.
ε) *scilicet.* – Om. P.
ζ) *sine Verbo... subsistentiam.* – F et tertia, nisi quod FG addunt *animae;* om. Mallemus legere cum prima, inserto *non* ante *habuisset.*
η) *erat caro... principio.* – *erat caro eius quam nostra nec alia illi quam ceteris hominibus anima est a principio inspirata* P; *caro eius* etiam GH*bc*, *eius caro* FI; *alia* etiam BIsE; *anima est* etiam cetera tertia; denique *inspirata a principio* F; cf. qu. XXXIII, art. 2, 1 arg.
θ) *excellit.* – *animas nostras* addit P.
ι) *incarnationis.* – *creationis* tertia praeter pG.
κ) *infunditur et.* – Om. tertia praeter sH.
λ) *incarnatum.* – *in iam natum* tertia; eadem statim pro *nasciturum, in nasciturum.*

* Vers. 5.

Christum virtutem iustificandi ex proposito gratiae Dei: secundum illud *Rom.* IV *: *Ei qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, fides reputatur ad iustitiam secundum propositum gratiae Dei.* Unde, quia hoc propositum est aeternum, nihil prohibet per fidem Iesu Christi aliquos iustificari antequam μ eius anima esset plena gratia et veritate.

μ) *antequam. – etiam antequam* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo ly *prius* sumitur secundum tempus: ita quod quaestio est de prioritate temporis. Et occasio huius est positio Origenis.

In corpore articuli sunt tria: primo, ponitur positio Origenis; secundo, reprobatur in uno sensu; tertio, reprobatur in alio sensu *. Distinctio partium clara est in littera.

* Cf. num. v.

Quoad primum, positio Origenis refertur quoad duo: scilicet et quoad animas omnium hominum, et quoad animam Christi; scilicet quod omnes fuerunt a principio simul creatae. De qua Origenis positione vide, si vis, in II *Contra Gentes,* cap. LXXXIII: quoniam hic non tractatur nisi quoad animam Christi in ordine ad assumptionem.

Quoad secundum, quia dupliciter poni potest animam Christi ab initio mundi creatam fuisse; vel creatam et non simul assumptam a Filio Dei; vel tunc creatam et simul assumptam a Filio Dei, sed postea in utero Virginis carni unitam: ideo in littera uterque modus excluditur.

Et contra primum ponitur conclusio haec: *Inconveniens est animam Christi ab initio creatam esse, et non simul assumptam.* Probatur ducendo ad inconveniens. Quia sic fuisset aliquando per se subsistens: et vel corrupta fuisset illius subsistentia in assumptione, quod est inconveniens; vel remansisset, quod est impossibile, quia non fuisset unio secundum subsistentiam.

II. Ubi nota primo, quod Auctor loquitur hic de subsistentia tanquam si loqueretur de personalitate: quia anima separata differt a persona solum per hoc quod est incompletae speciei; quia non est species, sed pars speciei. Quia enim eadem est ratio de personalitate et subsistentia quoad assumi et non assumi, quia scilicet utrique eadem ratione repugnat: ideo eadem utitur ratione Auctor contra subsistentiam animae separatae qua usus est superius * contra personalitatem substantiae separatae quae est angelus. Nam sicut implicat personam assumi in unitatem personalem alterius personae, quia pertineret ad esse personale assumentis personae quia assumpta esset, et non pertineret ad esse personale assumentis personae quia esset secundum se in persona alia: ita implicat subsistentem animam assumi ad aliud subsistens, quia simul per se separatim existeret, et non per se separatim existeret. Ex eo namque quod ponitur subsistens secundum se, ponitur per se separatim existere: nam hoc ipsum significat subsistere secundum se. Et ex eo quod ponitur assumi ad alterius subsistentiam, ponitur quod non per se, sed per illud aliud subsistat: alioquin, ad illius alterius subsistentiam non esset tracta.

* Qu. IV, art. 1, ad 3.

III. Nota secundo, quod subsistentiam animae praeexistentem corrumpi, potest intelligi dupliciter. Primo, quoad actum subsistendi: qui nihil aliud est quam actus essendi ipsius animae ut est ipsius solius, hoc est, ut est eius ut *quod est.* Et hoc modo videntur Thomistae, iuxta superius * recitata de personalitate, intelligere hunc locum.

* Qu. IV, art. 2, Comment. num. VI.

Alio modo, non solum quoad actum subsistendi, sed quoad id quod subiicitur actui subsistendi: ita ut, corrupto subiecto actus, ex consequenti sequatur corruptio actus. Et hoc modo intelligendus videtur hic textus, conformiter ad praedeterminata de personalitate *. Imaginandum est enim quod anima separata est semi-persona, et non solum semi-natura. Nam unita carni est semi-natura, cum sit pars essentialis humanae naturae: sed non subsistit per seipsam ut quod, sed per hypostasim, cui ut anima, ut ratio subsistendi ex proprio genere, scilicet immateriali ordine, defert actum essendi et subsistendi. Sed statim ut separata est a corpore, ex hoc ipso quo constituitur in esse separato, constituitur in quadam totalitate et completione, ut scilicet sit quod subsistit (inadaequate tamen ad suum esse, in quo natum est etiam corpus, et totus homo subsistere): iam * enim dictum est quod separatio dat quandam totalitatem et completionem. Et ideo statim separata anima est semi-persona, ac per hoc proprio termino terminatur: quae, in corpore existens, terminabatur termino totius hominis. Et ideo sicut, si assumeretur praeexistens angelus, corrumperetur primo terminatio naturae angelicae, quae est illius personalitas; ita, si assumeretur anima prius separatim existens, corrumperetur ipsius terminatio, qua constituitur in esse quod est. et semi-personae et subsistentis. Sed si anima assumitur non praeexistens separata (sicut etiam unitur de facto corpori non praeexistens separata), tunc solum ut semi-natura assumitur et unitur: quia non adhuc terminata intelligitur proprio termino, quem in sui a corpore et ab hypostasi separatione nata est habere. Notanter autem dico non solum *a corpore,* sed *ab hypostasi:* quia, si anima separaretur a corpore et non ab hypostasi (quod in solo Christo accidit in triduo), tunc non nisi ut semi-natura separata a tota natura, quae desineret, remaneret, subsistens non per se, sed per hypostasim alienam, puta Filii Dei, cui semper est unita.

* Ibid.

* Ibid., Comm. num. XI.

IV. Sed insurgit tunc quaestio, an in communi resurrectione anima separata huius vel illius, reversa ad corpus, retineat suam propriam terminationem: an perdat illam, et terminetur personalitate totius.

Ad hoc dicitur quod, quia aliter se habet anima rationalis in sui principio, cum in corpore fit; et aliter cum ad corpus per resurrectionem redit, – quod ex hoc habetur, quod anima in sui principio individuatur ex corpore (quamvis occasionaliter), in resurrectione autem anima individuat potius corpus quam individuetur ex ipso; ut patet in his in quibus divina virtute materia corporis supplebitur, puta qui totaliter per multas generationes et generationes ex solis carnibus humanis nutriti sunt: – sicut ergo individuationem semel in corpore adeptam nunquam deserit anima rationalis, sed ex illa individuat, si opus est, corpus, ita ut idem numero sit resurgens homo qui prius fuit: ita rationabile est ut ad propriam terminationem aliter se habeat in corpore, et extra, ac in reditu. Nam non acquirit illam in corpore constituendo naturam, sicut acquirit individuationem: sed acquirit illam in corpore constituendo personam; hoc est, si ad hoc perveniat quod sit principium constitutivum propriae personae, et non solum propriae naturae. Et ideo in Christo non acquisivit proprium terminum, quia non constituit propriam personam. Sed nec constituendo propriam personam videtur acquirere illum consummate, sed medio modo inter actum et potentiam: quoniam aliquo modo est quod subsistit et operatur, et aliquo modo non. Sed in separatione a corpore et corruptione hypostasis (quae simul in aliis a Christo hominibus sunt), anima proprium terminum consummate acquirit. Quem semel adeptum retinebit etiam in reditu ad corpus; et in statu perfectiori possessura illum reunita corpori quam si separata esset, eo quod tunc erit in naturalissimo suo esse. Ut sic differentia quoad propriam terminationem inter animam in sui principio, et in resurrectione, sit quod in sui principio *de foris venit* * ut quo, etiam quoad personalitatem, et ideo impediri contingit illam et a propria et totius personalitate, ut patet in mysterio assumptionis: in regressu autem venit ut quod est, licet partialiter. Et ideo, sicut individuat et communicat suum esse homini, et glorificat illum in Sanctis; ita sub-

* Cf. Aristot. *de Generat. Animal.* lib. II, cap. III.

sistentiam, terminationem semique-personalitatem ad perfectionem humanae subsistentiae et personalitatis adducit.

V. Quoad tertium * (* Num. I.), refutatur Origenis positio intellecta secundo modo: scilicet quod anima illa in sui creatione ab initio fuerit unita, et postmodum in utero Virginis incarnata. Primo, deducendo ad inconveniens: quod scilicet anima Christi non videretur esse eiusdem naturae cum nostris. – Secundo, auctoritate Leonis.

Circa rationem hanc dubium ex duplici capite occurrit. Primo, quantum valeat simpliciter. Nam ex hoc quod homo vel bos creatur ante omnia saecula vel post, non variatur natura eius, sed mensura secundum durationem. Nihil ergo videtur valere ratio inferens alietatem naturae ex prioritate secundum durationem productionis.

Secundo, quantum valeat ad hominem. Quia Origenes ponebat non solum Christi, sed omnium hominum animas ab initio creatas. Unde magis, si ratio valet, sequitur quod anima Christi sit eiusdem naturae cum nostris: ex quo simul ab initio omnes creatae ponuntur.

Ad hoc dicitur quod ratio non est ad hominem, sed simpliciter. Et ideo non oportet ipsam salvare ad hominem, sed simpliciter. Fundatur autem ratio super hoc, quod naturalis modus productionis alicuius diversus penes hoc quod est produci in corpore, vel extra et ante corpus, monstrat diversitatem naturae rei productae. Nec eget multa probatione haec propositio, sed est quasi per se nota. Quoniam si res aliquae sic se habent quod ex naturis suis vindicant sibi tam diversos modos suae naturalis productionis, non nisi ex diversitate formali rerum quae producuntur procedunt: puta quia una naturaliter est in corpore et alia non, et propterea una naturaliter exigit fieri in corpore, et alia ante corpus; una naturaliter est forma corporis, et ideo fit in corpore, alia non est naturaliter forma corporis, et ideo fit extra et ante corpus. Unde supponit haec ratio animas nostras, secundum suum naturalem modum fiendi, ***creando infundi et infundendo creari*** * (* Cf. Mag. II *Sent.* dist. XVII, XIX.), quia sunt naturaliter formae corporum: et ex hac suppositione arguit quod anima Christi non fuit ab initio creata et assumpta. Supponit etiam quod in prima constitutione universi non attenditur, ut Augustinus docuit * (* *De Gen. ad litt.* lib. II, cap. I.), quid Deus potuerit facere: sed quid naturae rerum, earumque ordo exigat.

VI. In responsione ad tertium eiusdem articuli, nota bene resolutionem claram unde fides Christi est iustificativa: scilicet, ***ex proposito divinae gratiae,*** iuxta evidentem auctoritatem Apostoli, ***ad Rom.*** IV.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CARO CHRISTI FUERIT PRIUS A VERBO ASSUMPTA QUAM ANIMAE UNITA

III *Sent.*, dist. II, qu. II, art. 3; IV *Cont. Gent.*, cap. XLIV.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod caro Christi fuit primo [α] a Verbo assumpta quam animae unita. Dicit enim Augustinus * (* Fulgentius.), in libro *de Fide ad Petrum* ** (** Cap. XVIII.): *Firmissime tene, et nullatenus dubites, non carnem Christi sine divinitate conceptam in utero Virginis antequam susciperetur a Verbo.* Sed caro Christi videtur prius fuisse concepta quam animae rationali unita: quia materialis [β] dispositio prius est in via generationis quam forma completiva. Ergo prius fuit caro Christi assumpta quam animae unita.

2. PRAETEREA, sicut anima est pars naturae humanae, ita et corpus. Sed anima humana non habuit aliud principium sui esse in Christo quam in aliis hominibus: ut patet ex auctoritate Leonis Papae supra * (* Art. praeced.) inducta. Ergo videtur quod nec corpus Christi aliter habuit principium essendi quam in nobis. Sed in nobis ante [γ] concipitur caro quam adveniat anima rationalis. Ergo etiam ita fuit in Christo. Et sic caro prius fuit a Verbo assumpta quam animae unita.

3. PRAETEREA, sicut dicitur in libro *de Causis* * (* Prop. I.), *causa prima plus influit in causatum, et prius unitur ei quam causa secunda.* Sed anima Christi comparatur ad Verbum sicut causa secunda ad primam. Prius ergo Verbum est unitum carni quam anima.

SED CONTRA EST quod Damascenus dicit, in III libro * (* *De Fide Orth.* lib. III, cap. II.): *Simul Dei Verbi caro, simul caro animata* [δ], *rationalis et intellectualis.* Non ergo unio Verbi ad carnem praecessit unionem ad animam.

RESPONDEO DICENDUM quod caro humana est assumptibilis a Verbo secundum ordinem quem habet ad animam rationalem sicut ad propriam formam. Hunc autem ordinem non habet antequam anima rationalis ei adveniat: quia simul dum aliqua materia fit [ε] propria alicuius formae, recipit illam formam; unde in eodem instanti terminatur alteratio in quo introducitur forma substantialis. Et inde est quod caro non debuit ante assumi quam esset caro humana, quod factum est anima rationali adveniente. Sicut igitur anima non est prius assumpta quam caro, quia contra naturam animae est ut prius sit quam corpori uniatur; ita caro non debuit prius assumi quam anima, quia non prius est caro humana quam habeat animam rationalem.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod caro humana sortitur esse per animam. Et ideo ante adventum animae non est caro humana: sed potest esse dispositio ad carnem humanam. In conceptione tamen Christi Spiritus Sanctus, qui est agens infinitae virtutis, simul et materiam disposuit et ad perfectum perduxit.

AD SECUNDUM DICENDUM quod forma actu dat speciem: materia autem, quantum est de se, est in potentia ad speciem. Et ideo contra rationem formae esset quod praeexisteret naturae speciei, quae perficitur per unionem eius ad materiam: non autem est contra naturam materiae quod praeexistat naturae speciei. Et ideo dissimilitudo quae est inter originem nostram et originem Christi secundum hoc quod caro nostra prius

α) *primo.* – *prius* tertia. Cf. qu. LV, art. 1, 3 arg., fin.

β) *materialis.* – *naturalis materia b, naturalis materia vel c, materia vel* PH. – Pro *prius, prior* tertia praeter I.

γ) *Sed in nobis ante.* – Tertia; *Ante enim* prima et F, *In nobis autem ante* sD recte ut videtur, *In nobis autem* E; pro *quam, ante quam* sE.

δ) *Verbi caro, simul caro animata.* – Tertia; *Verbum caro, simul animata caro.*

ε) *fit.* – FsE et tertia; *sit.*

concipitur quam animetur, non autem caro Christi, est secundum id quod praecedit naturae complementum: sicut et quod nos concipimur ex semine viri, non autem Christus. Sed differentia quae esset quantum ad originem animae, redundaret in diversitatem naturae.

Ad tertium dicendum quod Verbum Dei per prius intelligitur unitum carni quam anima per modum communem quo est in ceteris creaturis per essentiam, potentiam et praesentiam: prius tamen dico, non tempore, sed natura. Prius enim intelligitur caro ut quoddam ens, quod habet a Verbo, quam ut animata, quod habet ab anima. Sed unione personali prius secundum intellectum oportet quod caro uniatur animae quam Verbo: quia ex unione ad animam habet quod sit unibilis Verbo in persona; praesertim quia persona non invenitur nisi in rationali natura.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus de prioritate temporis intelligitur. Et est ratio quaestionis quia in conceptione aliorum hominum invenitur prius tempore caro quam adveniat anima rationalis, quia prius vivit vita plantae, deinde vita sensus, et postremo animatur anima rationali: et constat quod Filius Dei assumpsit carnem ab initio conceptionis sui corporis.

In corpore unica est conclusio, responsiva quaesito negative: *Caro Christi non prius assumpta est a Verbo quam animae unita.* Probatur dupliciter. *Primo,* sic. Caro humana non est assumptibilis antequam sit propria materia animae rationalis, et humana. Ergo non est prius assumpta quam animae rationali unita. – Antecedens habet duas partes, quae in idem redeunt, nec differunt nisi sicut expressum in communi et proprio vocabulo. Quoniam *materia propria animae rationalis* et *caro humana* idem sunt: sed differunt quia, ut materia propria, sonat id quod commune est omnibus materiis * propriis; ut caro humana, specificat id quod est in ordine ad animam rationalem.

* *naturis* Pab.

Ex utraque ergo parte probatur in littera consequentia. Primo, ex proprietate materiae: quia materia, simul dum recipit formam, fit propria illius formae. Quod probatur: tum quia materia non prius habet ordinem ad formam ut propriam formam, quam habeat ipsam formam; tum quia simul terminatur generatio et alteratio praevia. – Ex secunda vero parte: quia caro non est humana ante adventum animae rationalis.

Antecedens vero pro secunda parte relinquitur per se notum. – Pro prima vero parte, probatur. Quia caro humana non est assumptibilis nisi per ordinem quem habet ad animam rationalem ut propriam formam.

Secundo, probatur conclusio ex proportionali adiuncta huic rationi similitudine de anima: Sicut anima rationalis non prius assumpta quam unita carni, ita nec caro prius assumpta quam unita animae rationali. Et utrobique ratio proportionaliter est, quia id contra naturam animae, hoc contra naturam carnis humanae.

II. Circa hunc processum, unum dubium occurrit: quia videtur quod materia propria formae fit ante adventum formae. Quoniam materia non est propria nisi propter dispositiones ad talem formam. Materia autem plene disposita est immediate ante instans introductionis formae. Prius igitur tempore est materia propria animae rationalis, et universaliter formae, quam adsit ipsa forma.

Praeterea, minus est materia propria animae rationalis, et minus habet ordinem ad ipsam, caro mortua quam caro immediate ante instans introductionis animae rationalis: quoniam ista naturaliter necessitat ad formam; illa naturaliter magis ac magis recedit a forma exclusa. Sed caro Christi mortua habet ordinem ad animam Christi, propter quem remanet assumpta, ut propria materia illius. Igitur et caro in ultima dispositione habet illum ordinem, et est propria materia animae rationalis.

III. Ad primum dicitur quod propria materia alicuius formae dupliciter dicitur: scilicet, in fieri tantum; vel in facto esse. In proposito autem sermo est de materia propria in facto esse: obiectio autem procedit de materia propria in fieri.

Ad secundum, conceditur quod, secundum naturae ordinem, caro ultimo disposita habet magis rationem propriae materiae quam caro mortua. Sed in ordine ad resurrectionem, quae sola divina potest potentia fieri, caro mortua habet magis materiae propriae rationem: quia ista iam in facto esse fuit propria materia istius animae; et dedit huic animae individuationem; et reunienda est illi ad reconstituendum eundem numero hominem. Unde in aequivoco laboramus: quoniam aliter sumitur propria materia in generatione, ubi naturae ordo attenditur; et aliter in resurrectione, ubi divinus ordo consideratur. Quia tamen apud theologum utraque dicitur propria materia, ideo caute Auctor in littera non dixit hunc ordinem non haberi nisi praesente anima rationali corpori: sed dixit non haberi *antequam anima adveniat.* Cum hoc enim stat quod habeat etiam post mortem, ex quo iam semel anima affuit corpori: cum primo autem dicto non staret quod haberetur post mortem propria materia.

IV. In responsione ad secundum eiusdem articuli, vide rationem naturalem quare non arguit diversitatem naturae auferre a Christo naturalem modum producendi carnem, et argueret diversitatem naturae si anima producta esset ante corpus: quia scilicet in carnis productione varietas esset penes antecedentia tantum, in animae vero productione varietas ponitur in ipsis constitutivis intrinsecis. Et ratio assignatur: quia materia nata est esse ante formam et disponi ad illam; forma autem non est nata esse ante materiam.

Hanc tamen rationem intelligito pro ratione convenientiae: quare scilicet conveniens fuit carnem Christi non naturaliter, hoc est aliorum hominum more, fieri per dispositiones praevias, sed miraculose statim concipi perfectam; animam vero conveniens fuit non miraculose ante corpus, sed naturaliter, hoc est secundum aliarum cursum, fieri, scilicet *creando infundi et infundendo creari* *. Quoniam, ut ex ante * dictis patet, diversus modus producendi animam, scilicet in corpore vel extra et ante corpus, in diversitatem naturae non redundaret si miraculose aliqua anima fieret extra et ante corpus: sed si naturaliter fieret extra et ante corpus. Quod scilicet naturaliter factum fuisse oportet ponere illos qui in constitutione mundi sic factum putant, ut praedictum est *.

* Cf. Mag. II *Sent.*, dist. xvii, xix.
* Art. praeced., Comment. num. v.
* Ibid.

V. In responsione ad tertium, distingue et ordina, Novitie, unam et eandem carnem secundum diversa praedicata substantialia, praeponendo magis commune minus communi: verbi gratia, secundum quod est corpus, secundum quod est animatum, etc. Et perspicies quod caro prius natura attingitur a Verbo effective per essentiam, potentiam et praesentiam, quam terminative per unionem personalem: quia prius natura est quoddam ens, puta corpus, quam animata. Sed prius natura est animata quam unita Verbo personaliter. Tum quia constituitur in esse assumptibili per esse animatum. Tum quia caro constituitur in natura rationali per esse animatum anima rationali: constat autem quod non est assumptibilis nisi ut pars naturae rationalis; non solum ex parte sui, sed etiam ex parte personae, quae significat non quamlibet hypostasim, sed hypostasim naturae rationalis.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM FILIUS DEI ASSUMPSERIT TOTAM NATURAM HUMANAM MEDIANTIBUS PARTIBUS

III *Sent.*, dist. II, qu. II, art. 1, qu[a] 3; art. 3, qu[a] 1.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod Filius Dei assumpserit totam naturam humanam mediantibus partibus. Dicit enim Augustinus, in libro *de Agone Christiano* * [* Cap. XVIII.], quod *invisibilis et incommutabilis Veritas per spiritum animam, per animam corpus, et sic totum hominem assumpsit.* Sed spiritus, anima et corpus sunt partes totius hominis. Ergo totum hominem assumpsit mediantibus partibus.

2. Praeterea, ideo Dei Filius carnem assumpsit mediante anima, quia anima est Deo similior quam corpus. Sed partes humanae naturae, cum sint simpliciores [α], videntur esse similiores ei, qui est simplicissimus, quam totum. Ergo assumpsit totum mediantibus partibus.

3. Praeterea, totum resultat ex unione partium. Sed unio intelligitur ut terminus assumptionis: partes autem praeintelliguntur assumptioni. Ergo assumpsit totum per partes.

Sed contra est quod Damascenus dicit, in III libro * [* De Fide Orth. lib. III, cap. XVI.]: *In Domino Iesu Christo non partes partium intuemur, sed quae proxime componuntur, idest deitatem et humanitatem.* Humanitas autem est quoddam totum, quod componitur ex anima et corpore sicut ex partibus. Ergo Filius Dei assumpsit partes mediante toto.

Respondeo dicendum quod, cum dicitur aliquid medium in assumptione incarnationis, non designatur ordo temporis: quia simul facta est assumptio totius et omnium partium. Ostensum est * [* Art. 3, 4.] enim quod simul anima et corpus sunt ad invicem unita ad constituendam naturam humanam in Verbo. Designatur autem ibi ordo naturae. Unde per id quod est prius natura, assumitur id quod est posterius.

Est autem aliquid prius in natura dupliciter: uno modo ex parte agentis, alio modo ex parte materiae; hae enim duae causae praeexistunt rei. Ex parte quidem agentis, est simpliciter primum id quod primo cadit in eius intentione, sed secundum quid est primum illud a quo incipit eius operatio: et hoc ideo, quia intentio est prior operatione. Ex parte vero materiae, est prius illud quod prius existit in transmutatione materiae.

In incarnatione autem oportet maxime attendere ordinem qui est ex parte agentis: quia, ut Augustinus dicit, in Epistola *ad Volusianum* * [* Ep. CXXXVII, al. III, cap. II.], *in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.* Manifestum est autem quod secundum intentionem facientis prius est completum quam incompletum: et per consequens, totum quam partes. Et ideo dicendum est quod Verbum Dei assumpsit partes humanae naturae mediante toto. Sicut enim corpus assumpsit propter ordinem quem habet ad animam rationalem, ita assumpsit corpus et animam propter ordinem quem habent ad humanam naturam.

Ad primum ergo dicendum quod ex verbis illis nihil datur intelligi nisi quod Verbum, assumendo partes humanae naturae, assumpsit totam humanam naturam. Et sic assumptio partium prior est in via operationis intellectu, non tempore. Assumptio autem naturae est prior in via intentionis: quod est esse prius simpliciter, ut dictum est * [* In corpore.].

Ad secundum dicendum quod Deus ita est simplex quod etiam est perfectissimus. Et ideo totum est magis simile Deo quam partes, inquantum est perfectius.

Ad tertium dicendum quod unio personalis est ad quam terminatur assumptio: non autem unio naturae, quae resultat ex coniunctione partium.

α) *simpliciores.* – *quam corpus* addunt Pc. – Pro *ei, Filio Dei* bc, *Deo* PIsH, om. GpH.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus articuli intelligendus est ut sonat. – In corpore articuli duo fiunt: primo, declaratur quomodo intelligitur ly *mediante* in mysterio assumptionis; secundo, respondetur quaesito una conclusione * [* Cf. num. seq.].

Quoad primum, dicit unam propositionem multarum partium, scilicet: *In mysterio assumptionis medium intelligitur non temporis, sed naturae; ex parte agentis; et simpliciter.* Ubi quatuor conditiones medii in hoc mysterio ponuntur.

Prima est quod non est medium secundum tempus. Quae probatur: quia simul tempore omnia assumpta sunt.

Secunda, quod est medium secundum ordinem naturae. Et haec ex dictis * [* Art. 1; art 3, ad 1; art. 4, ad 3.] supponitur.

Tertia est quod est ibi talis ordo naturae, scilicet ex parte agentis. Et haec declaratur: quia, in communi, ordo naturae, quo aliquid est prius et aliquid posterius in natura, dupliciter invenitur; vel ex parte agentis, vel ex parte materiae. Et redditur ratio quare secundum has duas causas invenitur: quia sunt causae praeexistentes ante effectum. Agens enim et materia praeexistunt: formam autem oportet non praeexistere; et similiter finem generationis, cum coincidat cum forma. – In speciali autem, hoc est in assumptionis mysterio: quia *tota ratio facti est potentia facientis.*

Quarta conditio est ly *simpliciter:* ad definiendum quod medium simpliciter in hoc mysterio attenditur secundum ordinem naturae ex parte agentis, non quemcumque, quia non secundum quid, sed simpliciter. Est siquidem duplex naturae ordo ex parte agentis: vel secundum ordinem intentionis; vel secundum ordinem executionis. Et differunt hi ordines inter se in hoc, quod illud quod est prius secundum intentionem, est prius simpliciter: quod vero est prius secundum executionem, est prius secundum quid. Et ratio est quia intentio prior est simpliciter executione, ut patet.

* Num. praeced., in princip.

II. Quoad secundum *, conclusio responsiva quaesito est ista: *Verbum Dei assumpsit partes humanae naturae mediante toto.* Probatur dupliciter. Primo, quia secundum ordinem naturae ex parte intentionis agentis, prius est completum quam incompletum. Et consequenter prius est totum quam partes.

Secundo, ex proportionalitate. Sicut assumpsit corpus mediante anima quia assumpsit corpus propter ordinem quem ad animam habet, ita assumpsit partes mediante toto, quia assumpsit animam et corpus propter ordinem quem habent ad humanam naturam.

III. Sed occurrunt hic litteralia multa inquirenda. *Primo,* cur, existente naturae ordine secundum quodlibet genus causae, ordinem naturae duobus eorum appropriat?

Secundo, cur ordinem naturae ex parte materiae in hoc mysterio Auctor pertransivit: cum prius natura, ex parte causae materialis, corpus Christi fuerit conceptum quam animatum? Patiens enim praesupponitur actui qui in eo fit.

Tertio, cur Auctor in hoc mysterio de medio secundum naturae ordinem ex parte agentis secundum ordinem operationis, respondendo tacuit: cum tamen, in responsione ad primum, postmodum de illo tractet?

IV. Ad *primum* dicitur quod quia ordo naturae secundum genus causae formalis et finalis reducitur ad ordinem naturae secundum genus causae agentis, tanquam in quo clarius relucet. Quoniam secundum ordinem agentium ordinantur et fines generationum et formae genitorum. Et res natura priores secundum ordinem finis aut formae, in his quae fiunt, sunt posteriores in esse: quoniam et forma et finis, quanto ulterior in aliquo ordine, tanto prior, quia perfectior. Res vero, ut sunt tam in materiae transmutatione quam in intentione aut executione agentis priores, sunt etiam priores secundum esse aliquod reale: scilicet, vel secundum ipsam intentionem eorum, sicut domus est in intentione artificis; vel secundum quod saltem in inchoata transmutatione sunt, sicut alteratio est prior generatione; vel secundum se, ut ab ipsis incipit executio, ut fundamentum est prius parietibus. Merito igitur naturae ordinem duobus appropriavit Auctor generibus causarum: quia sunt priores in esse; tum quia clarius relucet prioritas naturae in istis; tum quia prioritas aliorum, apud generabilia, reducitur ad ista.

Ad *secundum* dicitur quod in mysterio incarnationis nulla fuit transmutatio materiae nisi instantanea formatio corporis ab infinita virtute Spiritus Sancti. Et illa instantanea formatio quamvis naturae ordine prior secundum genus causae materialis sit quam animae rationalis adventus in eam, quia anima rationalis non detulit secum corpus, sed supposuit corpus organicum in quo reciperetur, cuius esset actus, in quo fieret: quia tamen in illo priori naturae non erat assumptibilis, ut ex dictis * patet, quia constituta est in esse assumptibili per esse animatum; ideo Auctor, loquens hic de priore et posteriore secundum naturam in ordine ad assumptionem, nihil de prioritate ex parte materiae, utpote extra ordinem ad assumptionem, dixit, sed tanquam impertinentem ad propositum dimisit.

* Art. praeced.

Ad *tertium* dicitur quod in promptu causa est quare, respondendo quaesito, tacuit ordinem executionis: quia scilicet respondendum est quaesito simpliciter de medio simpliciter, et non de medio secundum quid; ac per hoc, de medio secundum ordinem simpliciter, et non secundum ordinem secundum quid. Unde merito medium secundum quid reservavit responsionibus argumentorum, soluta quaestione de mediatione simpliciter et absolute.

V. In eodem articulo, in responsione ad primum, dubium occurrit ex Scoto et Durando arguentibus, in III *Sent.,* dist. II, contra hanc doctrinam: quod scilicet non assumpserit totum mediantibus partibus. Arguit ergo Scotus primo, in qu. II *, sic **. Primo assumptum non est natura humana, sed pars seu partes eius. Ergo assumens non est primo homo.

* Art. 1.
** Cf. num. VIII.

Et confirmatur. Quia sicut in instanti assumptionis se habuit ad totum et partes, ita et modo. Igitur et modo non est primo homo, sicut Socrates est primo homo. Quod videtur inconveniens.

Amplius, videtur sequi quod Christus non sit homo. Probatur. Quia denominatio a parte vel partibus non dat denominationem a toto.

Praeterea, propter duas uniones Verbi ad partes naturae humanae non est homo. Ergo requiritur tertia, quae sit totius primo, propter quam tertiam Verbum est homo. Sed ista sufficit sine aliis duabus. Igitur illae duae superfluunt.

Demum probat ostensive * quod natura tota est primo sine medio assumpta. Quod est in se primo personabile si sibi dimitteretur, hoc in alio primo personatur quando assumitur. Sed tota natura, et non pars vel partes, est primo et immediate hoc modo personabilis in se si sibi dimittatur. Ergo. – Probatur maior. Quia in eodem instanti naturae in quo in se personaretur si sibi dimitteretur, personatur in alio vel ab alio: quia nihil ante illud instans est natum assumi, quia non prius fuit natura singularis; nec post illud instans assumitur, quia tunc esset persona in se. – Minor probatur. Quia in eodem instanti naturae in quo partes praecedunt totum, neutra nata est esse persona, sed tunc primo quando ex istis unitis est tota natura: quia tunc ipsa tota est persona in se, si non impediatur ab assumente.

* Cf. num. IX.

VI. Durandus autem, in quaestione quoque secunda, arguit dupliciter *, destruendo totaliter ordinem naturae in assumptione totius et partium. Primo, quia totum et partes unitae (sic enim assumptae sunt) omnino sunt idem re.

* Cf. num. X.

Secundo, quia assumptio una est unius ad unum. Sed assumptio humanae naturae est una ad unum: quia ad personalitatem Filii. Ergo est unius, scilicet naturae integrae ex suis partibus: constat enim eam esse assumptam. Ergo tam natura quam partes sunt assumptae ut unum. Non est igitur ordo realis inter totum et partes in assumptione.

VII. Ad evidentiam positionis quae in hac littera explicatur, sciendum est quod ordo operationis, seu executionis, eadem et eodem modo intelligitur habere media si est secundum naturam tantum, et si est secundum progressum operationum. Verbi gratia, domus, sive fiat per multas operationes, ut ab arte successive fit; sive fiat tota simul a Deo; eadem media pertransit, puta fundamentum, parietes, tectum; et similiter eodem modo, hoc est, quod quodlibet eorum est ut medium *quod.* Nam sicut, successive operando, prius tempore fit fundamentum ut quod partiale; et mediante fundamento fit paries, etiam ut quod partiale; et postea tectum, ut quod partiale; et omnibus mediantibus ut quod partialibus, fit domus ut quod totale: ita, simul omnia operando, operatio illa prius natura, secundum executionis ordinem, attingere intelligitur fundamentum, et postea parietem, etc., ut dictum est. Haberet enim operatio illa unica unum per se primo terminum ordine intentionis, scilicet totum, qui esset ultimus ordine executionis; et multos partiales terminos ordine executionis priores, uno per se primo intento termino, scilicet toto.

Simile enim quid accidit in mysterio incarnationis, in quo simul tota natura et omnes partes eius factae et assumptae sunt: nisi quod, ad assumptionem referendo totum et partes, non invenitur ordo inter partes (ut praedictum est *) sic ut una prius natura assumpta sit ut quod quam altera, quia simul natura anima et corpus assumpta sunt. Sed bene invenitur talis ordo inter partes simul et totum: quod scilicet, secundum executionis ordinem, prius natura terminata est assumptio ad partes simul, hoc est, animam et corpus, ut terminos partiales, quam ad totum, ad quod primo, ut primo intentum, ultimo terminata est; et ratione huius primo intenti, terminata praeintelligitur ad partes; sicut ratione domus terminata praeintelligeretur creatio domus ad partes eius, ex quibus constat domus.

* Art. 1, Comment. num. VI.

Negantes autem hunc executionis ordinem inter partes et totum in assumptione, imaginantur quod assumptio etiam executive terminata est prius ad totum quam ad partes, ita quod diffusa seu quasi extensa est assumptio a toto ad partes: ita ut non oportuerit de novo in

morte Christi assumere partes, sed remanserit respectu partium. Et quamvis primo aspectu haec positio non solum probabilis, sed probabilior videatur quam posita in littera, quia assumptio per se primo respicit totum; nec est ut factio totius, sed quasi praeexistentis elevatio, quae etiam in operando incipere debet a per se primo intento, ex quo supponit illud esse: si tamen perspicacius intuiti fuerimus quod ordo resolutionis verax testis est ordinis compositionis, quia *primum in resolutione fuit ultimum in compositione* *; et constare nos meminerimus quod in morte Christi assumptio quasi resolvi incoepit, dum natura ipsa ab assumptione desiit, partes autem naturae assumptae remanserunt; percipiemus quod ex hoc ipso facto revelavit Deus quod assumendo inchoavit, executionis ordine, a partibus, et quod velut primum in compositione assumptionis fuit assumptio partium; ut sic divina sapientia *disposuerit* etiam *suaviter* * assumptionem, secundum executionem et resolutionem. Quo fit ut probabilior sit positio in littera posita, fulta Augustini favore.

* Cf. Aristotel. *Ethic.* lib. III, cap. III, n. 12. - S. Th. lect. VIII.

* *Sap.* cap. VIII, vers. 1.

VIII. Unde ad primum Scoti * distingui potest quod *primo assumptum* dupliciter: ut *quod totale;* et *quod non totale,* seu *partiale.* Et similiter *primum assumptum:* terminata totaliter assumptione; vel, non terminata totaliter. Et dici quod natura humana est primo assumpta ut quod totale, vel, terminata totaliter assumptione: partes autem sunt, secundum operationis ordinem, prius assumptae non terminata totaliter assumptione, non ut quod totale. Cum ergo dicitur, *Primo assumptum non est natura humana,* negatur, loquendo de primo assumpto terminata totaliter assumptione; et similiter de primo assumpto ut totale passivum assumptionis; in quo tamen sensu oportet verificari tale antecedens, si consequentiae suae debent valere, et inconvenientia sequi.

* Num. v.

Ad confirmationem, negatur quod simili modo omnino se habeat Verbum assumens tunc, et semper. Quia pro illo instanti assumptio erat dupliciter, scilicet in fieri et in facto esse: quia tunc erat verum dicere, *Nunc est unita: et immediate ante hoc, non erat unita.* Quod deinceps falso diceretur: quoniam assumptio remanet non in fieri, sed in facto esse. Et propterea conceditur quod, quantum ad factum esse, eodem modo se habuit tunc et habet modo. Et sic tunc Filius Dei vere fuit primo homo, sicut Socrates est primo homo, ex primo assumpto terminata totaliter assumptione, et similiter ex primo assumpto ut totali passivo assumptionis; ita et nunc; et in aeternum.

Ad alia duo simul dicitur quod nec somniamus Verbum dici hominem a partialibus assumptis, et a non totaliter terminata assumptione. Nec esse ibi tot assumptiones: sed unam tantum, secundum naturae ordinem, exequendo, progredientem prius ad partes quam ad totum. Quia sumus certi quod, quasi resolvendo, desiit a toto, et non a partibus.

IX. Ad rationem autem ostensivam *, quae est fundamentum opinionis suae, respondetur ex Auctoris doctrina praenotata in art. 1 huius quaest., in resp. ad 2: quod scilicet non est similis ordo assumptorum ad personam assumentem qui esset eorundem ad propriam personalitatem; cuius oppositum pro fundamento Scotus assumit. Et ratio Auctoris ibidem est quia persona assumens est altioris ordinis quam esset persona propria. Et ne involvatur intellectus, distinguatur quod, quia quaestio est de ordine assumptionis, et non de ordine personationis; ideo, ne aequivocetur, dicatur quod per *esse personale,* et similiter per *personari,* potest intelligi posse fieri vel fieri *personam,* vel quasi constitutivum personae; vel potest intelligi posse fieri vel fieri *aliquid personae.* Si primum intelligatur, concedatur totum: absque declinatione tamen, tanquam impertinens; quia non est quaestio de prius natura personabili illo modo ut sit persona aut quasi constitutivum personae, sed de prius natura assumptibili ad unitatem personalem.

* Ibid.

Si autem secundo modo intelliguntur dicti termini, ad propositum quidem sunt, sed minus proprii. Veruntamen non fiat vis in vocabulis: et, supposita distinctione quae in littera habetur de prius assumptibili ordine naturae secundum intentionem et secundum executionem, respondeatur quod maior est vera de primo secundum ordinem intentionis; non autem de primo secundum ordinem executionis. Illud enim quod est in se per se primo personabile, illud primo ordine intentionis, non primo ordine executionis personatur in alio, hoc est, *fit aliquid alienae personae,* a qua assumitur. Pars enim, vel partes eius, stat quod prius secundum executionem fiat vel fiant aliquid alienae personae quam tota natura, quae est in se per se primo personabilis si sibi dimitteretur.

Probatio autem maioris, ad hunc sensum applicata, nihil valet. Quia secundum executionis ordinem, illud totum, non in se toto, sed in parte vel partibus eius, prius personaretur, hoc est, *fieret aliquid assumentis personae,* quam esset in seipso toto personabile si sibi dimitteretur. – Et cum contra hoc affertur quia in illo priori illud totum non est natum assumi, quia non est natura singularis: respondetur quod verum est quod non est natum assumi in seipso toto ante illud naturae instans; sed est natum assumi secundum sui partem vel partes ante illud instans, secundum executionis ordinem. Quoniam quaelibet pars nata est assumi ut sit aliquid personae assumentis: quamvis solum natura integra nata sit assumi ut sit velut constitutivum personae, quia ipsa sola est sic personabilis, scilicet ut sit vel persona vel quasi constitutiva personae. Partes autem eius sunt personabiles, hoc est, *assumptibiles ad unitatem personalem,* antequam, secundum executionem, assumi intelligatur totum.

Ubi scito quod, licet respectu personae propriae prius secundum executionem intelligatur personari tota natura quam partes, quia partes, puta anima et corpus, ad personandum concurrunt mediante tota natura constituta per illas: ad assumptibilitatem tamen a divina persona prius secundum executionem concurrunt partes, scilicet anima et corpus, quam natura integra, quia ad exequendum assumptionem non oportet mediare executive, sed secundum intentionem tantum, totam naturam. Quoniam constat divinam personam posse inchoare assumptionem a partibus, quasi progrediendo ad totum: et rationabiliter constat quod de facto sic fecit, ut probatum est *. Respectu personae propriae, non nisi naturalis ordo partium ad propriam personam attenditur, qui est, etiam executive, mediante toto. Et ideo non habet solidum fundamentum, ut ex Auctore allatum est, ratio Scoti, eodem ordine partes naturae humanae et totam ordinantis ad propriam et ad divinam personam. * Num. VII.

X. Ad primam autem Durandi rationem *, negatur quod natura humana sit omnino idem secundum rem quod suae partes, etiam simul sumptae. Et quoniam quaestio haec supponenda potius quam discutienda hic est, ideo non moror. * Num. VI.

Ad secundam dicitur quod assumptionem esse unius contingit dupliciter: scilicet unius simplicis; vel unius compositi. Et rursus, unius compositi secundum quod unum tantum est: vel non solum secundum quod est in se unum, sed etiam secundum suas partes. Et subiungitur quod incarnatio est assumptio una et ad unum et unius, ultimo modo exposito: quia sic Filius Dei assumpsit unam naturam humanam compositam ex anima et corpore, ut etiam, simul tempore, et prius natura secundum nos ordine executionis, vel posterius natura secundum alios, assumpserit animam et corpus in seipsis, et non solum secundum quod sunt unum in tota natura; quod nihil aliud est quam assumere totam naturam. Et quod hoc oporteat fateri, patet ex eo quod alioqui oporteret Filium Dei in morte de novo assumpsisse corpus et animam. Quod Scotus insolutum dimisit; et Durandus male videtur posse evadere. Nihil igitur valet illatio illa, *Natura integra est assumpta, Ergo partes assumptae sunt ut unum,* intelligendo cum praecisione, hoc est, ut sunt unum praecise, et non etiam ut sunt in se diversae.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM FILIUS DEI ASSUMPSERIT HUMANAM NATURAM MEDIANTE GRATIA

Supra, qu. II, art. 10: III *Sent.*, dist. II, qu. II, art. 2. qu[a] 1, 2; dist. XIII, qu. III, art. 1; *De Verit.*, qu. XXIX, art. 2; *Quodl.* IX, qu. II, art. 1, ad 3; *Compend. Theol.*, cap. CCXIV.

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Filius Dei assumpserit humanam naturam mediante gratia. Per gratiam enim unimur Deo. Sed humana natura in Christo maxime fuit unita [α]. Ergo illa unio facta fuit per gratiam.

2. PRAETEREA, sicut corpus vivit per animam *, quae est eius perfectio, ita anima per gratiam. Sed humana natura redditur congrua ad assumptionem per animam [β]. Ergo Filius Dei assumpsit animam mediante gratia.

* Cf. Aug. *in Ioan. Evangel.* tract. IX.

3. PRAETEREA, Augustinus, XV *de Trin.* *, dicit quod Verbum incarnatum est sicut verbum nostrum in voce. Sed verbum nostrum unitur voci mediante spiritu. Ergo Verbum Dei unitur carni mediante Spiritu Sancto: et ita mediante gratia, quae Spiritui Sancto attribuitur, secundum illud I *ad Cor.* XII *: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.*

* Cap. XI.

* Vers. 4.

SED CONTRA EST quod gratia est quoddam accidens animae, ut in Secunda Parte * habitum est. Unio autem Verbi ad humanam naturam est facta secundum subsistentiam, et non secundum accidens: ut ex supra * dictis patet. Ergo natura humana non est assumpta mediante gratia.

* I[a] II[ae], qu. CX, art. 2, ad 2.

* Qu. II, art. 6.

RESPONDEO DICENDUM quod in Christo ponitur gratia unionis, et gratia habitualis. Gratia ergo non potest intelligi ut medium in assumptione humanae naturae, sive loquamur de gratia unionis, sive de gratia habituali. Gratia enim unionis est ipsum esse personale quod gratis divinitus datur humanae naturae in persona Verbi: quod quidem est terminus assumptionis. Gratia autem habitualis, pertinens ad specialem [γ] sanctitatem illius hominis, est effectus quidam consequens unionem: secundum illud Ioan. I *: *Vidimus gloriam eius quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis;* per quod datur intelligi quod hoc ipso quod ille homo est Unigenitus a Patre, quod habet [δ] per unionem, habet plenitudinem gratiae et veritatis.

* Vers. 14.

Si vero intelligatur gratia ipsa voluntas Dei aliquid gratis faciens vel donans, sic unio facta est per gratiam, non sicut per medium, sed sicut per causam efficientem.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod unio nostra ad Deum est per operationem, inquantum scilicet eum cognoscimus et amamus. Et ideo talis unio est per gratiam habitualem: inquantum operatio perfecta procedit ab habitu. Sed unio naturae humanae ad Verbum Dei est secundum esse personale: quod non dependet ab aliquo habitu, sed immediate ab ipsa natura.

AD SECUNDUM DICENDUM quod anima est perfectio substantialis corporis: gratia vero est perfectio animae accidentalis. Et ideo gratia non potest ordinare animam ad unionem personalem, quae non est accidentalis, sicut anima corpus [ε].

AD TERTIUM DICENDUM quod verbum nostrum unitur voci mediante spiritu, non quidem sicut medio formali, sed sicut per medium movens: nam ex verbo concepto interius procedit spiritus, ex quo formatur vox. Et similiter ex Verbo aeterno procedit Spiritus Sanctus, qui formavit corpus Christi, ut infra * patebit. Non autem ex hoc sequitur quod gratia Spiritus Sancti sit formale medium in unione praedicta.

* Qu. XXXII, art. 1.

α) *unita.* – *unita Deo* G, *Deo unita* F et cetera tertia.
β) *animam.* – *gratiam* omnes praeter E, qui legit *animam ut dictum est: ergo et anima redditur congrua ad assumptionem per gratiam.*
γ) *specialem.* – *spiritualem* pEH et editiones.
δ) *quod habet.* – *habet quod* P.
ε) *corpus.* – *et corpus* PFH, *ad corpus* bc.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS articuli sexti intelligendus est ut sonat.

In corpore articuli unica est conclusio responsiva quaesito: *Gratia non potest intelligi ut medium in assumptione humanae naturae.* Et probatur sic. Gratia tripliciter dici potest: dupliciter quidem in Christo, scilicet gratia unionis, et gratia habitualis; et tertio modo, ipsa voluntas Dei gratis donans. Sed nullo istorum modorum habet rationem medii in assumptione humanae naturae. Ergo.

Probatur singillatim. Primo, de gratia unionis. Quia est ipsum esse personale gratis datum, quod in assumptione se habet ut terminus, non ut medium. – Secundo, de gratia habituali. Quia se habet ut effectus consequens unionem, ut patet Ioan. I. – Tertio, de voluntate divina. Quia se habet ut causa efficiens, non ut medium.

II. Nota hic primo, quod gratia potest dupliciter inesse: scilicet formaliter, vel effective. Et quia gratia primis duobus modis dicitur formaliter, tertio autem effective, ideo in littera Auctor duplicem tantum in Christo in principio corporis articuli dixit, scilicet unionis et habitus: utraque enim est formaliter in Christo. Divina autem voluntas est gratia effective: ac per hoc, velut extrinseca causa. Et propterea non est in littera connumerata inter gratias in Christo. Illa siquidem praepositio *in* denotat esse in Christo formaliter, sicut forma est in subiecto.

Nota secundo quod, cum quis gratiose dat seipsum alicui, tunc ipsemet vocatur et est gratia: iuxta communem usum loquendi, quo concessum gratiose donum gratia vocatur, dum dicimus, *Iste fecit mihi hanc gratiam*, etc. Et hoc modo, quia res data humanae naturae in mysterio assumptionis est esse personale Filii Dei, ideo ipsum esse personale, ut induit rationem doni gratiose concessi, vocatur gratia: *unionis* autem, quia per unionem habetur

a natura cui datum est. De hac tamen unionis gratia, propter varia quae de ipsa dici videntur, in articulo ultimo * quaestionis septimae erit latior sermo.

* Comment. num. II.

Nota tertio, quod Auctor, seipso doctior, opinionem quam in III *Sententiarum* secutus est, dist. II, qu. II, art. 2, qu[a] 1, de gratia habituali, quod erat medium congruentiae respectu assumptionis, hic confutat auctoritate Ioannis Evangelistae. Et sic tene quod prius natura humanitas Christi assumpta est quam gratia habituali donata: ut ex personalitate omnia fluenta gratiae in homine illo essent *pleno gratiae et veritatis.*



QUAESTIO SEPTIMA

DE GRATIA CHRISTI SECUNDUM QUOD EST SINGULARIS HOMO

IN TREDECIM ARTICULOS DIVISA

DEINDE considerandum est de coassumptis a Filio Dei in humana natura *. Et primo, de his quae pertinent ad perfectionem; secundo, de his quae pertinent ad defectum *. Circa primum consideranda sunt tria: primo, de gratia Christi; secundo, de scientia eius *; tertio, de potentia ipsius *.

* Cf. qu. IV, Introd.
* Qu. XIV.
* Qu. IX.
* Qu. XIII.

De gratia autem Christi considerandum est dupliciter: primo quidem, de gratia eius secundum quod est singularis [α] homo; secundo, de gratia eius secundum quod est caput Ecclesiae *. Nam de gratia unionis iam * dictum est.

* Qu. VIII.
* Qu. II.

Circa primum quaeruntur tredecim.

Primo: utrum in anima Christi sit aliqua gratia habitualis.
Secundo: utrum in Christo fuerint virtutes.
Tertio: utrum in eo fuerit fides.
Quarto: utrum fuerit in eo spes.
Quinto: utrum in Christo fuerint dona.
Sexto: utrum in Christo fuerit timoris donum.
Septimo: utrum in Christo fuerint gratiae gratis datae.
Octavo: utrum in Christo fuerit prophetia.
Nono: utrum in eo fuerit plenitudo gratiae.
Decimo: utrum talis plenitudo sit propria Christi.
Undecimo: utrum Christi gratia sit infinita.
Duodecimo: utrum potuerit augeri.
Tertiodecimo: qualiter haec gratia se habeat ad unionem.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM IN ANIMA ASSUMPTA A VERBO FUERIT GRATIA HABITUALIS

III *Sent.*, dist. XIII, qu. I, art. 1; *De Verit.*, qu. XXIX, art. 1; *Compend. Theol.*, cap. CCXIII, CCXIV; *In Ioan.*, cap. III, lect. VI.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in anima assumpta a Verbo non fuerit gratia habitualis. Gratia enim est quaedam participatio divinitatis in creatura rationali: secundum illud II Pet. I *: *Per quem magna et pretiosa nobis promissa donavit, ut divinae simus consortes naturae.* Christus autem Deus est non participative, sed secundum veritatem. Ergo in eo non fuit gratia habitualis.

* Vers. 4.

2. PRAETEREA, gratia ad hoc est necessaria homini ut per eam bene operetur, secundum illud I *Cor.* XV *, *Abundantius omnibus laboravi: non autem ego, sed gratia Dei mecum;* et etiam ad hoc quod homo consequatur vitam aeternam, secundum illud *Rom.* VI *, *Gratia Dei vita aeterna.* Sed Christo, ex hoc solo quod erat naturalis Filius Dei, debebatur [β] hereditas vitae aeterna. Ex hoc etiam quod erat Verbum, per quod *facta sunt omnia* *, aderat ei facultas omnia bona [γ] operandi. Non igitur secundum humanam naturam indigebat alia gratia nisi unione ad Verbum.

* Vers. 10.
* Vers. 23.
* Ioan. cap. I, vers. 3.

3. PRAETEREA, illud quod operatur per modum instrumenti, non indiget habitu ad proprias operationes, sed habitus fundatur in principali agente. Humana autem natura in Christo fuit sicut *instrumentum deitatis:* ut dicit Damascenus, in III libro *. Ergo in Christo non debuit esse aliqua gratia habitualis.

* *De Fide Orth.* lib. III, cap. XV.

SED CONTRA EST quod dicitur Isaiae XI *: *Requiescet super eum Spiritus Domini:* qui quidem esse in homine dicitur per gratiam habitualem, ut in Prima Parte * dictum est. Ergo in Christo fuit gratia habitualis.

* Vers. 2.
* Qu. XLIII, art. 3.

RESPONDEO DICENDUM quod necesse est ponere in Christo gratiam habitualem, propter tria. Primo quidem, propter unionem animae illius ad Verbum Dei. Quanto enim aliquod receptivum propinquius est causae influenti, tanto magis participat de influentia ipsius. Influxus autem gratiae est a Deo: secundum illud Psalmi *: *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Et ideo maxime fuit conveniens ut anima illa reciperet influxum divinae gratiae.

* Ps. LXXXIII, vers. 12.

Secundo, propter nobilitatem illius animae, cuius operationes oportebat propinquissime attingere ad Deum per cognitionem et amorem. Ad quod necesse est elevari humanam [δ] naturam per gratiam.

Tertio, propter habitudinem ipsius Christi ad genus humanum. Christus enim, inquantum homo, est *mediator Dei et hominum*, ut dicitur I *Tim.* II *. Et ideo oportebat quod haberet gratiam etiam in alios redundantem: secundum illud Ioan. I *: *De plenitudine eius omnes accepimus, gratiam pro gratia.*

* Vers. 5.
* Vers. 16.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Christus est verus Deus secundum personam et naturam di-

α) *singularis.* – *quidam singularis* tertia.
β) *debebatur.* – *ei* addit tertia praeter I; pro *Ex*, *Et ex* tertia.
γ) *bona.* – *bene* PF.
δ) *humanam.* – *rationalem* tertia.

vinam. Sed quia cum unitate personae remanet distinctio naturarum, ut ex supra * dictis patet, anima Christi non est per suam essentiam divina. Unde oportet quod fiat divina per participationem, quae est secundum gratiam.

* Qu. II, art. 1, 2.

Ad secundum dicendum quod Christo, secundum quod est naturalis Filius Dei, debetur hereditas aeterna, quae est ipsa beatitudo increata, per increatum actum cognitionis et amoris Dei, eundem scilicet quo Pater cognoscit et amat seipsum. Cuius actus anima capax non erat, propter differentiam naturae. Unde oportebat quod attingeret ad Deum per actum fruitionis creatum. Qui quidem esse non potest nisi per gratiam.

Similiter etiam, inquantum est Verbum Dei, habuit facultatem omnia bene operandi operatione divina. Sed quia, praeter operationem divinam, oportet ponere ε operationem humanam, ut infra * patebit; oportuit in eo esse habitualem gratiam, per quam huiusmodi operatio in eo esset perfecta.

* Qu. XIX, art. 1.

Ad tertium dicendum quod humanitas Christi est instrumentum divinitatis, non quidem sicut instrumentum inanimatum, quod nullo modo agit sed solum agitur: sed tanquam instrumentum animatum anima rationali, quod ita agit quod etiam agitur. Et ideo, ad convenientiam actionis, oportuit eum habere gratiam habitualem.

ε) *ponere*. – *poni* Hb, *poni in eo* PGIc.

Commentaria Cardinalis Caietani

In divisione quaestionum de gratia Christi, adverte quod triplex gratia in Christo ponitur: scilicet gratia unionis, gratia singularis, et gratia capitalis. Et quia gratia unionis est ipsa coniunctio personalis Dei ad naturam humanam, de qua tractatum est, ideo Auctor dicit quod de ipsa tractatum est (quamvis non sub nomine gratiae, sed rei quae est gratia), et propterea de aliis duabus tractandum est.

Titulus articuli primi intelligendus est ut sonat: ita quod non oportet quod ly *gratia* limitetur ad gratiam singularis hominis. Quoniam statim ut dicitur *gratia habitualis,* sufficienter exprimitur quod de perfectione animae in seipsa est quaestio: habitus enim est perfectio eius cuius est habitualis perfectio. Et, ne idem saepius repetatur, hoc eodem modo intelligendi sunt tituli sequentium articulorum de virtutibus et donis.

II. In corpore articuli est unica conclusio, responsiva quaesito affirmative: *Necesse est ponere in Christo gratiam habitualem.* Probatur tripliciter. Primo, quia anima illa maxime propinqua est principio gratiae. – Secundo, quia anima illa nobilissimas operationes videndi et amandi Deum habet. – Tertio, quia Christus, mediator, gratiam in alios redundantem habere debet.

Ubi nota quod ly *necesse,* in conclusione positum, non denotat necessitatem logicam, hoc est, *quod impossibile omnino est aliter se habere* *: quoniam non est hic quaestio de tali necessitate; nec rationes in littera allatae ad hoc tendunt. Sed est sermo de necessario secundum ordinem rebus consonum, seu secundum potentiam Dei ordinatam, ita quod impossibile est aliter se habere stante ordine a divina sapientia statuto: sicut dicimus in naturalibus necessarium esse quod homo fiat ab homine et leo a leone, et in artificialibus quod domus fiat ab artifice, etc. Et hoc concludunt rationes litterae.

* Cf. Aristot. *Metaphys.* lib. IV, cap. V, n. 3. - S. Th. lib. V, lect. VI.

Utrum autem id quod in secunda ratione dicitur, scilicet quod necesse est rationalem creaturam per gratiam elevari ad videndum et amandum Deum, dicat necessitatem simpliciter, non est praesentis propositi: cui sat est quod dicat necessitatem secundum ordinem rebus statutum et consonum. Sic enim animae Christi conditiones exquirimus: et non semper de divina omnipotentia disserimus.

III. In eodem articulo, circa rationem tertiam dubium occurrit: quoniam quaestio ista tota proposita est de gratia Christi *secundum quod est singularis homo* *; ratio autem ista procedit de Christo secundum quod est caput aliorum hominum. Divertere igitur videtur a gratia singulari ad gratiam capitalem.

* Cf. Introd. quaest.

Ad hoc dicitur primo quod, quia alia est ratio medii, alia ratio capitis, ideo, cum in littera sit sermo de Christo secundum quod est mediator, non sequitur quod divertatur ad Christum secundum quod est caput.

Dicitur secundo, et melius, quod gratia Christi in ordine ad genus humanum, sive secundum ordinem mediatoris, sive capitis, sive aliquo alio simili modo, habet in se duo. Primo, est bonum habentis: quoniam idoneum ac dignum formaliter reddit ipsum ut sit mediator vel caput, etc. Secundo, est bonum aliorum: dum mediat et influit, etc. Et licet secundo modo spectet ad gratiam capitalem, primo tamen modo spectat ad gratiam singularem. Et propterea optime in littera concluditur ex effectu mediationis vel influxus in alios, esse habitum in Christo dignificantem ipsum formaliter, et constituentem in tali eminentia ut ex ipso in alios redundet gratia: constat enim bonitatem et dignitatem hanc magnum esse bonum singularis hypostasis vel animae; sicut si ex necessitate illuminandi alios inferrem quod illud in se valde lucidum oportet esse. Nulla ergo est diversio, sed gratia singularis ex effectu concluditur.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM IN CHRISTO FUERINT VIRTUTES

III *Sent.*, dist. XIII, qu. 1, art. 1; art. 2, qu^a 1.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod in Christo non fuerint virtutes. Christus enim habuit abundantiam gratiae. Sed gratia sufficit ad omnia recte agendum: secundum illud II *Cor.* XII *: *Sufficit tibi gratia mea.* Ergo in Christo non fuerunt virtutes.

* Vers. 9.

2. Praeterea, secundum Philosophum, VII *Ethic.* *, virtus dividitur contra *quendam heroicum sive divinum habitum,* qui attribuitur hominibus divinis. Hoc autem maxime convenit Christo. Ergo Christus non habuit virtutes, sed aliquid altius virtute.

* Cap. I, n. 1, 2. - S. Th. lect. I.

3. Praeterea, sicut in Secunda Parte * dictum est, virtutes omnes simul habentur. Sed Christo

* I^a II^ae, qu. LXV, art. 1, 2.

non fuit conveniens habere simul [α] omnes virtutes: sicut patet de liberalitate et magnificentia, quae habent actum suum circa divitias, quas Christus contempsit, secundum illud Matth. VIII *: *Filius Hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Temperantia etiam et continentia sunt circa concupiscentias pravas: quae in Christo non fuerunt. Ergo Christus non habuit virtutes.

* Vers. 20.

SED CONTRA EST quod super illud Psalmi *, *Sed in lege Domini voluntas eius,* dicit Glossa *: *Hic ostenditur Christus plenus omni bono.* Sed *bona qualitas mentis* est virtus *. Ergo Christus fuit plenus omni virtute.

* Ps. I, vers. 2.
* Lomb. et Ord. sub nom. Aug. et Cassiod.
* Mag. II *Sent.*, dist. XXVII.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut in Secunda Parte * habitum est, sicut gratia respicit essentiam animae, ita virtus respicit eius potentiam. Unde oportet quod, sicut potentiae animae derivantur ab eius essentia, ita virtutes sunt quaedam derivationes gratiae *. Quanto autem aliquod principium est perfectius, tanto magis imprimit suos effectus. Unde, cum gratia Christi fuerit perfectissima, consequens est quod ex ipsa processerint virtutes ad perficiendum singulas potentias animae, quantum ad omnes animae actus. Et ita Christus habuit omnes virtutes.

* Iª IIªᵉ, qu. CX, art. 4.
* D. 677.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod gratia sufficit homini quantum ad omnia quibus ordinatur ad beatitudinem. Horum tamen quaedam perficit gratia immediate per seipsam, sicut gratum facere Deo, et alia huiusmodi: quaedam autem mediantibus virtutibus, quae ex gratia procedunt.

AD SECUNDUM DICENDUM quod habitus ille heroicus vel divinus non differt a virtute communiter dicta nisi secundum perfectiorem modum, inquantum scilicet aliquis est dispositus ad bonum quodam altiori modo quam communiter omnibus competat. Unde per hoc non ostenditur quod Christus non habuit virtutes: sed quod habuit eas perfectissime, ultra communem modum. Sicut etiam Plotinus posuit quendam sublimem modum virtutum, quas esse dixit *purgati animi* *.

* Cf. Macrob. in *Somn. Scip.* lib. I, cap. VIII.

AD TERTIUM DICENDUM quod liberalitas et magnificentia commendantur circa divitias inquantum aliquis non tantum appretiatur divitias quod velit eas retinere praetermittendo id quod fieri oportet. Ille autem minime divitias appretiatur qui penitus eas contemnit et abiicit propter perfectionis amorem. Et ideo in hoc ipso quod Christus omnes divitias contempsit, ostendit in se summum gradum liberalitatis et magnificentiae. Licet etiam liberalitatis actum exercuerit, secundum quod sibi conveniens erat, faciendo pauperibus erogari quae sibi dabantur: unde, cum Dominus dixit Iudae, Ioan. XIII *, *Quod facis, fac citius,* discipuli intellexerunt Dominum mandasse quod *egenis aliquid daret* *.

* Vers. 27.
* Vers. 29.

Concupiscentias autem pravas Christus omnino non habuit: sicut infra * patebit. Propter hoc tamen non excluditur quin habuerit temperantiam: quae tanto perfectior est in homine quanto magis pravis concupiscentiis caret. Unde, secundum Philosophum, in VII *Ethic.* *, temperatus in hoc differt a continente, quod temperatus non habet pravas concupiscentias, quas continens patitur. Unde, sic accipiendo continentiam sicut Philosophus accipit, ex hoc ipso quod Christus habuit omnem virtutem, non habuit continentiam, quae non est virtus *, sed aliquid minus virtute *.

* Qu. XV, art. 2.
* Cap. IX, n. 6. - S. Th. lect. IX.
* D. 389.
* Cf. Arist. *Ethic.* lib. IV, cap. IX, n. 8. - S. Th. lect. XVII.

α) *simul.* – Om. tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo secundi articuli quaestionis septimae, adverte quod quaestio est de virtutibus quae simpliciter vocantur virtutes: quales in philosophia et in theologia simul sunt morales, et rursus in theologia sunt theologales; hae enim *bonum faciunt habentem* *. Intellectuales autem virtutes non simpliciter bonum, sed secundum intellectum faciunt hominem bonum: non enim dicitur homo bonus ex hoc quod est doctus, sed ex hoc quod iustus, temperatus, fortis, etc. Unde de illis postea erit quaestio, cum scilicet de scientia animae Christi tractabitur *.

* Aristot. *Ethic.* lib. II, cap. VI, n. 2, 3. - S. Th. lect. IV.
* Qu. IX sqq.

In corpore articuli unica est conclusio, responsiva quaesito affirmative: *Christus omnes virtutes habuit.* Probatur. Gratia Christi fuit perfectissima. Ergo ex ipsa processerunt virtutes ad perficiendum singulas potentias animae quantum ad omnes animae actus. Ergo Christus habuit omnes virtutes. – Antecedens supponitur. – Consequentia prima quantum ad duo in ea contenta probatur: primum est quod ex gratia procedant virtutes; secundum est quod ex perfectissima procedant virtutes ad perficiendum ad omnes actus animae. Primum probatur: Sicut gratia est in essentia animae, ita virtus in potentia; Ergo, sicut ab essentia fluunt potentiae, ita a gratia virtutes. Secundum vero probatur: quia quanto aliquod principium est perfectius, tanto magis imprimit suos effectus.

Nota hic, circa sensum conclusionis, quod inferius * explanandum restat quomodo, cum hoc quod Christus habuit omnes virtutes, stat quod non habuerit virtutem fidei neque spei. Et stat resolutio in hoc, quod Christus habuit omnes virtutes non ponentes ex sui ratione defectum aliquem in anima Christi, qui simul erat viator et comprehensor.

* Art. seq., ad 1.

Cetera huius rationis discussa sunt superius *, cum de gratia tractatum est.

* Iª IIªᵉ, qu. CX, art. 3, 4.

II. In responsione ad secundum eiusdem articuli, habes ab Auctore solutionem illius quaestionis, an virtus heroica differat specie a virtute communiter dicta. Hinc enim aperte habes partem negativam, dum dicitur quod *non differt nisi secundum perfectiorem modum.* Est ergo excellentia heroica in modo, non in formali differentia sita. Et hoc Auctor quasi probat ex simili apud Plotinum: ubi patet non esse differentiam formalem, sed maioris et minoris perfectionis tantum. Et consonat rationi fugienti, ad instar naturae, pluralitatem, ubi unum sufficit. Constat enim quod ad actum fortitudinis quantumcumque celsum sufficit fortitudinis latitudo: sicut in naturalibus videmus quod ad quantumcumque illuminationis actum sufficit latitudo luminis; et ad actum frigefactionis latitudo frigoris; et sic de aliis.

III. In responsione ad tertium, adverte quod in virtutibus quae sunt passionum moderativae, ut sunt istae de quibus est sermo hic, duo inveniri possunt. Primum est intus in anima. Et hoc est interior dispositio appetitus humani, ut sic sit dispositus ne abduci possit a recto propter passiones. Et hoc est simpliciter necessarium haberi per virtutem. Et quoad hoc omnes morales virtutes mo-

derativae passionum optime salvantur in Christo: dum animum sic habituatum intus habuit, tam circa divitias quam circa venerea, ut penitus abiecerit illa a se secundum rectam rationem. Et ideo summe in eo commendatur et liberalitas et magnificentia et temperantia.

Secundum est quoad actus exercitium. Et sic non oportet Christum omnis virtutis proprio actu exteriori uti: quoniam nunquam fuit tempus quo conveniens esset personae suae quod uteretur omnibus, sed aliquibus tantum. Nunquam enim fuit tempus utendi magnificentia, quae est circa magnos sumptus: quia nunquam fuit conveniens ut esset dives et haberet unde magnos sumptus faceret, qui, *cum esset Dominus omnium, factus est egenus propter nos* *. Et ideo in littera actu liberalitatis dicitur usus, non autem actu magnificentiae. * II *ad Cor.* cap. VIII, vers. 9. - Cf. *Act.* cap. X, vers. 36.

In eadem responsione ad tertium, attende quod caute Auctor loquitur negando in Christo continentiam, dum limitat continentiae rationem ad Aristotelis usum. Nam, sumendo continentiae nomen et rationem cummuniori usu, nihil prohibet Christum continentem appellare.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM IN CHRISTO FUERIT FIDES

Infra, art. 4; art. 8, ad 2; art. 9, ad 1; Iª IIªᵉ, qu. LXV, art. 5, ad 3; III *Sent.*, dist. XIII, qu. I, art. 2, quª 1, ad 1; dist. XXXVI, art. 2, ad 3; IV, dist. XXXIII, qu. III, art. 2, ad 6; *De Verit.*, qu. XXIX, art. 4, ad 15; *De Virtut.*, qu. IV, art. 1, ad 12.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in Christo fuerit fides. Fides enim est nobilior virtus quam virtutes morales, puta temperantia et liberalitas. Huiusmodi autem virtutes fuerunt in Christo, ut dictum est *. Multum ergo magis fuit in eo fides. * Art. praeced.

2. PRAETEREA, Christus non docuit virtutes quas ipse non habuit: secundum illud *Act.* I *: *Coepit Iesus facere et docere.* Sed de Christo dicitur, *Heb.* XII *, quod est *auctor et consummator fidei.* Ergo in eo maxime fuit fides. * Vers. 1. * Vers. 2.

3. PRAETEREA, quidquid est imperfectionis excluditur a beatis. Sed in beatis est fides: nam super illud *Rom.* I *, *Iustitia Dei revelatur in eo ex fide in fidem,* dicit Glossa *: *de fide verborum et spei in fidem rerum et speciei.* Ergo videtur quod etiam in Christo fuerit fides: cum nihil imperfectionis importet. * Vers. 17. * Ord.

SED CONTRA EST quod dicitur *Heb.* XI *, quod *fides est argumentum non apparentium.* Sed Christo nihil fuit non apparens: secundum illud quod dixit ei Petrus, Ioan. ult. *: *Tu omnia nosti.* Ergo in Christo non fuit fides. * Vers. 1. * Vers. 17.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut in Secunda Parte * dictum est, obiectum fidei est res divina non visa. Habitus autem virtutis, sicut et quilibet alius, recipit speciem ab obiecto. Et ideo, excluso quod res divina non sit ᵅ visa, excluditur ratio fidei. Christus autem in ᵝ primo instanti suae conceptionis plene vidit Deum per essentiam, ut infra * patebit ᵞ. Unde fides in eo esse non potuit. * IIª IIªᵉ, qu. IV, art. 1. α β * Qu. XXXIV, art. 4. γ

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod fides est nobilior ᵟ virtutibus moralibus, quia est circa nobiliorem materiam: sed tamen importat quendam defectum in comparatione ad illam materiam, qui defectus in Christo non fuit. Et ideo non potuit in eo esse fides: licet fuerint in eo virtutes morales, quae in sui ratione huiusmodi defectum non important per comparationem ad suas materias. δ

AD SECUNDUM DICENDUM quod meritum fidei consistit in hoc quod homo, ex obedientia Dei, assentit istis quae non videt: secundum illud *Rom.* I *: *Ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro* ᵋ *nomine eius.* Obedientiam autem ad Deum plenissime habuit Christus: secundum illud *Philipp.* II *: *Factus est obediens usque ad mortem.* Et sic nihil ad meritum pertinens docuit quod ipse excellentius non impleret. * Vers. 5. ε * Vers. 8.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut Glossa * ibidem dicit, *fides proprie est qua creduntur quae non videntur* *. Sed fides quae est rerum visarum, improprie dicitur, et secundum quandam similitudinem, quantum ad certitudinem aut firmitatem adhaesionis. * Ord. Aug. * D. 606.

α) *non sit.* – *sit non* F et tertia.
β) *in.* – *a* E et tertia.
γ) *patebit.* – *dicetur* tertia.
δ) *nobilior.* – *virtus* addit tertia.
ε) *pro.* – Editiones; *in.*

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS tertii articuli clarus est, de fide quae est virtus theologica, inquirens an fuerit in Christo.

In corpore articuli unica est conclusio, responsiva quaesito negative: ***In Christo non potuit esse fides.*** Probatur. Obiectum fidei est res divina non visa. Ergo, excluso quod res divina sit non visa, non remanet ratio fidei. Ergo in Christo non potuit esse fides. – Antecedens ex priori patet Libro. – Prima consequentia probatur: quia habitus virtutis recipit speciem ab obiecto, sicut etiam quilibet alius habitus. – Secunda vero consequentia probatur: quia Christus ab instanti suae conceptionis plene vidit Deum per essentiam.

II. Sed occurrit statim hic dubium, cum obiectum habeat rationem materiae circa quam versatur habitus, quo pacto ex defectu materiae circa quam potest inferri defectus habitus: cum contingat pauperem esse magnificum (et de Christo hoc iam * affirmatum est), et tamen defectus divitiarum, seu magnorum sumptuum, circa quos est magnificentia, intervenit. Cur non potest similiter dici quod in Christo fuit fidei habitus, quamvis defuerit illius materia circa quam, scilicet res divina non apparens: sicut fuit in eo magnificentia, quamvis illius defuerit materia circa quam? * Art. praeced., ad 3.

Ad hoc dicitur quod, quamvis materia circa quam versatur virtus et obiectum coincidere inveniantur, alia tamen est ratio formalis obiecti, et alia ratio propria materiae. Et ideo, si deficiat aliquid sub ratione materiae, non propterea oportet deficere habitum: sed si deficit sub ratione formali obiecti, oportet habitus illius rationem formalem deficere. Et si impossibile fuit et est obiectum aliquod

formaliter locum habere respectu alicuius, impossibile quoque est et fuit in illo locum habere habitum illum. In proposito autem totum oppositum invenitur respectu magnificentiae et fidei. Quia respectu fidei, res quae sunt materia quae creduntur, inveniuntur apud intellectum Christi, ut Trinitas, etc., sed non sub illa ratione formali qua creduntur, quia non ut non visae: quia huiusmodi ratio formalis ponit imperfectionem in Christi anima. Et ideo nec fuit, nec esse potuit in Christo habitus fidei. Respectu autem magnificentiae, res quae sunt materia magnificentiae, ut divitiae, defuerunt, sed ratio formalis earum, *quomodo,* scilicet, *quando, ubi, sicut, pro quo, etc., oportet, exponendae essent,* non deerat animo Christi: quia haec nullam imperfectionem ponit intus in anima eius; sicut nec etiam defectus materiae magnificentiae redundabat in aliquam imperfectionem animae. Et ideo optime ex defectu obiecti formalis defectus fidei conclusus est: ex defectu autem materiae magnificentiae non sequitur defectus magnificentiae interioris.

III. In responsione ad secundum eiusdem articuli, nota glossam aliam, quomodo omnes virtutes, includendo etiam fidem et spem, fuerunt in Christo: scilicet, quantum ad meritum. Implevit siquidem excellentius quidquid meritorii actus est tam credendo quam sperando, quamvis non eodem modo, quia non credendo aut sperando: sicut quidquid cognoscit sensus, cognoscit intellectus, sed non eodem modo.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM IN CHRISTO FUERIT SPES

Infra, art. 6, ad 1; art. 8, ad 2; art. 9, ad 1; Iª IIªᵉ, qu. LXV, art. 5, ad 3; IIª IIªᵉ, qu. XVIII, art. 2, ad 1; III *Sent.*, dist. XIII, qu. I, art. 2, quª 1, ad 1; dist. XXVI, qu. II, art. 5, quª 1; *De Verit.*, qu. XXIX, art. 4, ad 15; *De Virtut.*, qu. IV, art. 1, ad 12; art. 4, ad 16; *In Psalm.* XV, XXX; *Ad Heb.*, cap. II, lect. III.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in Christo fuerit spes. Dicitur enim in Psalmo * ex persona Christi, secundum Glossam [α] *: *In te, Domine, speravi.* Sed virtus spei [β] est qua homo sperat in Deum. Ergo virtus spei fuit in Christo.

(* Ps. XXX, vers. 2 (al. 1). — * Interlin. et Ord. Cassiod. super titul. Psalmi.)

2. PRAETEREA, spes est expectatio futurae beatitudinis, ut in Secunda Parte * habitum est. Sed Christus aliquid expectabat ad beatitudinem pertinens, videlicet gloriam corporis. Ergo videtur quod in eo fuit spes.

(* IIª IIªᵉ, qu. XVII, art. 1, ad 2; art. 5; art. 6, arg. 2.)

3. PRAETEREA, unusquisque potest sperare id quod ad eius perfectionem pertinet, si sit futurum. Sed aliquid erat futurum quod ad perfectionem Christi pertinet: secundum illud *Ephes.* IV *: *Ad consummationem* [γ] *sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi.* Ergo videtur quod Christo competebat habere spem.

(* Vers. 12.)

SED CONTRA EST quod dicitur *Rom.* VIII *: *Quod videt quis, quid sperat?* Et sic patet quod, sicut fides est de non visis, ita et spes. Sed fides non fuit in Christo, sicut dictum est *. Ergo nec spes.

(* Vers. 24. — * Art. praeced.)

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut de ratione fidei est quod aliquis assentiat his quae non videt, ita de ratione spei est quod aliquis expectet id quod nondum habet. Et sicut fides, inquantum est virtus theologica, non est de quocumque non viso, sed solum de Deo, ita etiam spes, inquantum est virtus theologica, habet pro obiecto ipsam Dei fruitionem, quam [δ] principaliter homo expectat per spei virtutem. Sed ex consequenti ille qui habet virtutem spei, potest etiam in aliis divinum auxilium expectare: sicut et ille qui habet virtutem fidei, non solum credit Deo de rebus divinis, sed de quibuscumque aliis sibi divinitus revelatis.

Christus autem a principio suae conceptionis plene habuit fruitionem divinam, ut infra * dicetur. Et ideo virtutem spei non habuit. Habuit tamen spem respectu aliquorum quae nondum erat adeptus: licet non habuit fidem respectu quorumcumque. Quia, licet plene cognosceret omnia, per quod totaliter fides excludebatur ab eo, non tamen adhuc plene habebat omnia quae ad eius perfectionem pertinebant, puta immortalitatem et gloriam corporis, quam poterat sperare.

(* Qu. XXXIV, art. 4.)

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod hoc non dicitur de Christo secundum spem quae est virtus theologica: sed eo [ε] quod quaedam alia speravit nondum habita, sicut dictum est *.

(* In corpore.)

AD SECUNDUM DICENDUM quod gloria corporis non pertinet ad beatitudinem sicut in quo principaliter beatitudo consistat, sed per quandam redundantiam a gloria animae, ut in Secunda Parte * dictum est. Unde spes, secundum quod est virtus theologica, non respicit beatitudinem corporis, sed beatitudinem animae, quae in divina fruitione consistit.

(* Iª IIªᵉ, qu. IV, art. 6.)

AD TERTIUM DICENDUM quod aedificatio Ecclesiae per conversionem fidelium non pertinet ad perfectionem Christi qua in se perfectus est: sed secundum quod alios ad participationem suae perfectionis inducit. Et quia spes dicitur proprie respectu alicuius quod expectatur ab ipso sperante habendum, non proprie potest dici quod virtus spei Christo conveniat ratione inducta.

α) *secundum Glossam.* – Om. P.
β) *spei.* – PDF; *etiam spei.*
γ) *consummationem.* – *confirmationem* GH*bc*.
δ) *ipsam Dei fruitionem, quam.* – *ipsum Deum cuius fruitionem* tertia.
ε) *eo.* – F et tertia; *etiam* ABDpC, *secundum* EsC et *a*.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus, de spe quae est virtus theologica quaerens.

In corpore articuli duo fiunt. Primo, respondetur quaesito negative, scilicet: *In Christo non fuit spes.* – Secundo, ponitur differentia inter defectum fidei et defectum spei in Christo, quantum ad hoc, quod fides nullo modo fuit in Christo: spes autem, quantum ad secundario sperata, in Christo fuit.

Primum probatur sic. Spes est de Deo non habito ut obiecto. Ergo in Christo non fuit spes. – Antecedens probatur quoad duo: scilicet et quod spes sit de non habito ut obiecto; et quod sit de Deo non habito ut obiecto. Primum probatur ex proportionalitate fidei in assentiendo, et spei in expectando. Secundum etiam probatur ex convenientia theologicarum virtutum: quia omnes sunt de Deo ut obiecto. – Consequentia autem probatur. Quia Christus ab initio conceptionis suae plene fruitionem divinam habuit.

Differentia autem secundo loco proposita inter fidem et spem in Christo, declaratur ponendo, primo, convenientiam extensivam fidei et spei, quia scilicet utraque est de solo Deo ut obiecto et extenditur ad alia a Deo secundario; et subiungendo deinde differentiam, cum sua ratione, quod fides nec quantum ad principale creditum nec quantum ad secundario credita locum habet in Christo, quia hoc poneret imperfectionem cognitionis intus in anima Christi; spes autem, quantum ad secundario tantum sperata, in Christo locum habuit, quia non omnia sperata habebat actu a principio, ut patet de immortalitate corporis et eiusdem gloria; quibus tamen carere nullam imperfectionem posuit in anima Christi, sed spectat ad assumptionem defectuum corporalium, quos dispensative, ob immensam suam misericordiam, pro nobis assumpsit.

II. Occurrit hic statim dubium, an spes in Christo respectu secundario speratorum fuerit habitus aliquis, an solus actus sperandi *: et an theologicus, an moralis, sive actus sive habitus fuerit *. Et est ratio dubii quia nihil prohibet fuisse habitum. Quin potius, si non fuit habitus, videtur quod actus ille sperandi fuit imperfectus, utpote natus elici per habitum, ut patet in nobis, et de facto elicitus sine habitu. – Quod sit etiam theologicus, videtur ex eo quod actus sperandi respectu secundario speratorum est ex suo genere actus theologicus: ut patet in nobis. Ergo, si est ab habitu, oportet quod sit ab habitu qui virtus est theologica.

* Cf. num. seq.
* Cf. num. IV.

In oppositum autem est quia, si est habitus, oportet quod sit habitus spei. Sed non est habitus spei: quia deficit ratio formalis obiecti. Ergo. – Et per idem patet quod non est habitus theologicus: quia scilicet non est virtus theologica quae est spes.

Et quod etiam non sit actus theologicus, apparet quia, deficiente ratione formali obiecti theologici, deficit quoque actus theologicus. Sed constat hic deesse rationem formalem obiecti theologici: quia non est hic Deus non habitus. Ergo actus sperandi gloriam corporis non est actus theologicus. Par siquidem ratio est actus et habitus quoad specificari ex ratione formali obiecti: ita quod, cessante ratione obiecti, cessat specificatio tam habitus quam actus ex obiecto.

III. Ad primum horum dicitur quod in Christo nullus fuit habitus spei respectu secundario speratorum. Quia nullus habitus infusus fuit in ipso quin similis fuerit in hominibus sanctis vel viatoribus: cum constet quod etiam habitus gratiae capitalis sit secundum essentiam idem quod habitus gratiae, ut infra * patebit. Certum est autem in hominibus non esse talem habitum spei diversum a spe virtute theologica. Igitur nec in Christo fuit huiusmodi habitus.

* Qu. VIII, art. 5.

Et cum obiicitur quod actus spei in Christo fuisset imperfectus sine habitu, negatur. Et ad probationem, *Omnis actus natus informari habitu, est sine habitu imperfectus:* respondetur dupliciter, et utroque modo bene. Primo, quod ista propositio non est vera in actu non omnino eiusdem rationis: qualis est actus spei in Christo. Nam actus quo speratur immortalitas et gloria corporis, non est omnino eiusdem rationis, ex parte obiecti, in nobis et Christo: quia in nobis habet rationem ardui gloria illa; in Christo autem non. Et ratio est quia habenti gloriam animae gloria corporis parvum quid est et videtur.

Secundo, quod illa propositio non est vera quando principium elicitivum actus est melius dispositum ad actum illum quam si esset habituatum. Sic autem est in proposito. Quoniam voluntas Christi, fruens Deo non in spe sed in re, est melius disposita ad expectandum secundario sperata quam si haberet habitum spei: quanto certior et excellentior est res quam spes. Quocirca expectatio qua voluntas Christi fertur in secundario sperata, deficit a ratione actualis spei et ex parte obiecti et ex parte subiecti: et magis habet rationem desiderii quam spei. Nec mirum: quia, cum spes sit de genere imperfectorum, quanto minus spei habetur, tanto magis ab imperfecto receditur.

Utraque responsio clara fit si ad beatos aspexeris, in quibus spes est et non est, sicut in Christo: expectant enim corporis gloriam immortalem.

IV. Ad secundum * dicitur quod actus potest dici theologicus dupliciter: vel ex parte elicitivi principii; vel ex parte principalis obiecti. Et quod actualis illa spes corporis immortalis, licet ex parte elicitivi principii non sit de facto actus theologicus, quia non est actu a virtute theologica: est tamen, quantum est ex suo genere, actus, secundarius tamen, virtutis theologicae.

* Num. II.

Ex parte vero obiecti formalis, est magis theologicus actus quam si esset a virtute theologica. Quoniam si esset a virtute theologica, scilicet spe, obiectum formale esset Deus habendus: quia in ordine ad Deum habendum speramus gloriam corporis. In Christo autem, sicut et in beatis, ratio formalis obiecti est Deus habitus. Haec enim ratio succedit sperato principali, quod obiectum formale est spei: ac per hoc, respectu sperantis Christi et beatorum, loco obiecti formalis suae spei succedere videtur. Et consequenter actum secundarium spei remanentem magis theologicum reddit.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM IN CHRISTO FUERINT DONA

In Isaiam, cap. XI; *In Ioan.,* cap. I, lect. VIII.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in Christo non fuerint dona. Sicut enim communiter dicitur, dona dantur in adiutorium virtutum. Sed id quod est in se perfectum, non indiget exteriori auxilio. Cum igitur in Christo fuerint virtutes perfectae, videtur quod in eo non fuerunt dona.

2. PRAETEREA, non videtur esse eiusdem dare dona et recipere: quia dare est habentis, accipere autem non habentis. Sed Christo convenit dare dona: secundum illud Psalmi *: *Dedit dona hominibus.* Ergo Christo non convenit accipere dona Spiritus Sancti.

* Ps. LXVII, vers. 19.-Cf. *ad Ephes.,* cap. IV, vers. 8.

3. PRAETEREA, quatuor dona videntur pertinere ad contemplationem viae, scilicet sapientia, scientia, intellectus et consilium, quod pertinet ad prudentiam: unde et Philosophus, in VI *Ethic.* *, numerat ista inter virtutes intellectuales. Sed Christus habuit contemplationem patriae. Ergo non habuit huiusmodi dona.

* Cap. III, n. 1. - S. Th. lect. III.

Sed contra est quod dicitur Isaiae iv* [* Vers. 1.]: *Apprehendent septem mulieres virum unum:* Glossa[α] * [* Ord. ex Hieron.]: *idest, septem dona Spiritus Sancti Christum.*

Respondeo dicendum quod, sicut in Secunda Parte * [* Iª IIªᵉ, quaest. LXVIII, art. 1.] dictum est, dona proprie sunt quaedam perfectiones potentiarum animae secundum quod sunt natae moveri a Spiritu Sancto. Manifestum est autem quod anima Christi perfectissime a Spiritu Sancto movebatur: secundum illud Luc. iv* [* Vers. 1.]: *Iesus, plenus Spiritu Sancto, regressus est a Iordane, et agebatur a Spiritu in desertum.* Unde manifestum est quod in Christo fuerunt excellentissime dona.

Ad primum ergo dicendum quod illud quod est perfectum secundum ordinem suae naturae, indiget adiuvari ab eo quod est altioris naturae: sicut homo, quantumcumque perfectus, indiget adiuvari a Deo. Et hoc modo virtutes[β] indigent adiuvari per dona, quae perficiunt potentias animae secundum quod sunt motae a Spiritu Sancto.

Ad secundum dicendum quod Christus non secundum idem est recipiens et dans dona Spiritus Sancti: sed dat secundum quod Deus, et accipit secundum quod homo. Unde Gregorius dicit, in II *Moral.* * [* Cap. LVI, alias XXVIII; in vet. XLI.], quod *Spiritus Sanctus humanitatem Christi nunquam deseruit, ex cuius divinitate procedit.*

Ad tertium dicendum quod in Christo non solum fuit cognitio patriae, sed etiam cognitio viae, ut infra * [* Qu. XV, art. 10.] dicetur. Et tamen etiam in patria sunt per aliquem modum dona Spiritus Sancti, ut in Secunda Parte * [* Iª IIªᵉ, quaest. LXVIII, art. 6.] habitum est.

α) *Glossa.* – F et tertia; *dicit Glossa.*

β) *virtutes.* – *quae perficiunt potentias animae secundum quod ducuntur ratione, quantumcunque sint perfectae* addit tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus articuli quinti clarus est. – In corpore articuli unica est conclusio, responsiva quaesito affirmative: *In Christo fuerunt excellentissime dona.* Probatur. Anima Christi perfectissime a Spiritu Sancto movebatur. Ergo in Christo fuerunt excellentissime dona.

Antecedens probatur ex duplici auctoritate Evangelii. – Consequentia probatur ex quidditate donorum: scilicet, quod sunt proprie perfectiones potentiarum animae secundum quod sunt natae moveri a Spiritu Sancto.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM IN CHRISTO FUERIT DONUM TIMORIS

III *Sent.*, dist. xv, qu. II, art. 2, quª 3; *In Isaiam*, cap. XI.



Ad sextum sic proceditur. Videtur quod in Christo non fuit donum timoris. Spes enim potior videtur quam timor: nam spei obiectum est bonum, timoris vero malum, ut in Secunda Parte * [* Iª IIªᵉ, qu. XL, art. 1; qu. XLI, art. 2; qu. XLII, art. 1.] habitum est. Sed in Christo non fuit virtus spei, ut supra * [* Art. 4.] habitum est. Ergo etiam non fuit in eo donum timoris.

2. Praeterea, dono timoris timet aliquis vel separationem a Deo, quod pertinet ad timorem *castum;* vel puniri ab ipso, quod pertinet ad timorem *servilem;* ut Augustinus dicit, *super Canonicam Ioan.* * [* Tract. IX. - Cf. *In Ioan. Evang.*, tract. LXXXV.] Sed Christus non timuit separari a Deo per peccatum, neque puniri ab eo propter culpam suam: quia impossibile erat eum peccare, ut infra * [* Qu. XV, art. 1.] dicetur; timor autem non est de impossibili. Ergo in Christo non fuit donum timoris.

3. Praeterea, I Ioan. iv * [* Vers. 18.] dicitur: *Perfecta caritas foras mittit timorem.* Sed in Christo fuit perfectissima caritas: secundum illud *Ephes.* iii * [* Vers. 19.]: *Supereminentem scientiae caritatem Christi.* Ergo in Christo non fuit donum timoris.

Sed contra est quod dicitur Isaiae xi * [* Vers. 3.]: *Replebit eum Spiritus timoris Domini.*

Respondeo dicendum quod, sicut in Secunda Parte * [* Iª IIªᵉ, qu. XLII, art. 1.] dictum est, timor respicit duo obiecta: quorum unum est malum terribile; aliud est ille[α] cuius potestate malum potest inferri, sicut aliquis timet regem inquantum habet potestatem occidendi. Non autem timeretur ille qui habet potestatem[β], nisi haberet quandam eminentiam potestatis, cui de facili resisti non possit: ea enim quae in promptu habemus repellere, non timemus. Et sic patet quod aliquis non timetur nisi propter suam eminentiam.

Sic igitur dicendum est quod in Christo fuit timor Dei, non quidem secundum quod respicit malum separationis a Deo per culpam; nec secundum quod respicit malum punitionis pro culpa; sed secundum quod respicit ipsam divinam eminentiam, prout scilicet anima Christi quodam affectu reverentiae movebatur in Deum, a Spiritu Sancto acta. Unde *Heb.* v * [* Vers. 7.] dicitur quod in omnibus *exauditus est pro sua reverentia.* Hunc enim affectum reverentiae ad Deum Christus, secundum quod homo, prae ceteris habuit pleniorem. Et ideo ei attribuit Scriptura * [* Cf. arg. *Sed Cont.*] plenitudinem timoris Domini[γ].

Ad primum ergo dicendum quod habitus virtutum et donorum proprie et per se respiciunt bonum, malum autem ex consequenti: pertinet

α) *ille.* – *illud* D et editiones.
β) *habet potestatem.* – *non habet potestatem* F, *habet potestatem nocere bc, potest nocere* I, *potest nocere* P.

γ) *timoris Domini.* – Pc; *timoris doni* ADEpB, *doni timoris* CFG HIsB et *a*, *Domini timoris b.*

enim ad rationem virtutis ut *opus bonum reddat*, ut dicitur in II *Ethic.* * Et ideo de ratione doni timoris non est illud malum quod respicit timor, sed eminentia illius boni, scilicet divini, cuius potestate aliquod malum infligi potest. Spes autem, secundum quod est virtus, respicit non solum actorem boni, sed etiam ipsum bonum inquantum est non habitum. Et ideo Christo, quia[δ] iam habebat perfectum beatitudinis bonum, non attribuitur virtus spei, sed donum timoris.

* Cap. vi, n. 2, 3. — S. Th. lect. vi.

Ad secundum dicendum quod ratio illa procedit de timore secundum quod respicit obiectum quod est malum.

Ad tertium dicendum quod perfecta caritas foras mittit timorem servilem, qui respicit principaliter poenam. Sic autem timor non fuit in Christo.

δ) *quia.* — *qui* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. — In corpore articuli unica est conclusio responsiva quaesito: *In Christo fuit timor Dei, non respectu mali, sed respectu eminentiae Dei, prae ceteris hominibus.*

Haec conclusio in littera primum declaratur quoad terminos duos, distinguendo duo obiecta timoris: scilicet malum terribile; et eminentiam potentis infligere malum. Quae probatur: quia, nisi esset eminens, non timeretur. — Deinde declaratur quid sit in Christo iste affectus timoris eminentiae: dicendo quod est affectus reverentialis tantae eminentiae. — Demum probatur, quoad primam partem affirmativam, auctoritate Apostoli, *ad Hebraeos.* Et quoad comparativam, auctoritate Isaiae: *Replebit eum Spiritus timoris Domini.*

II. Occurrit hic dubium circa timorem reverentialem Christi: ex eo quod eminentia Dei potentis infligere malum, aut habuit rationem reverendi quatenus eminentia Dei absolute; aut quatenus eminentia est potentis infligere malum. Non potest dici primum. Tum quia eminentia Dei, ut sic, venerandum adorandumque sonat, non timendum: cum non dicat ordinem ad malum. — Tum quia expresse Auctor, in art. 1 qu. xlii Primae Secundae, dixit quod tam Deus, quam quilibet alius potens, est obiectum timoris ut causa mali: ac per hoc, Deus obiectum timoris ut eminens, non absolute, sed ut eminentia est causativa mali, intelligitur. Quod etiam in hac littera confirmatur, ubi eminentia ponitur ratio quod timeatur quia superativa est ad causandum malum.

Nec potest dici secundum. Quia Christus nullum malum poenae pro culpa, aut separationem a Deo timebat, ut in littera dicitur. In idem autem redit timere malum aliquod, et timere potentiam inflictivam mali. Nec differunt nisi sicut per se et per aliud: quia scilicet malum per se timemus; potentiam autem inflictivam per aliud, hoc est propter malum, quia in ordine ad possibile malum ab illa potentia timor insurgit. Unde, si subtrahatur ab eminenti potentia ordo ad malum, nulla restat ratio timoris. Et quia sic fuit in Christo, quoniam certus ac securus erat quod nullum poterat a Deo sibi provenire malum fugiendum per donum timoris, consequens est quod nec respectu divinae eminentiae fuit in Christo timor reverentialis: nam timor reverentialis quidam timor est.

III. Ad hoc dicitur quod procul dubio Deus non est obiectum timoris nisi in ordine ad malum: quia bonum non timetur nisi in ordine ad malum, quod est per se primo timoris obiectum. Et ideo eminentia divina in proposito ponitur timoris obiectum non absolute, sed ut causa mali. Verum duplicem habet divina eminentia ordinem ad malum ut causa ad effectum: primo, absolute; secundo, ut substat divinae voluntati. Si consideretur divina eminentia secundum suum posse quod habet ad causandum malum, sic procul dubio timendi rationem retinet: quia secundum se habet posse causare malum. Si vero consideretur divina eminentia ut stat sub determinatione divinae voluntatis ad non causandum executive malum, sic non habet rationem timendi: quia haec conditio reddit creaturam securam et certam de impossibilitate mali in effectu. Potest ergo divina eminentia, non solum absolute (quo modo non est obiectum timoris), sed ut causa mali, abstrahere a possibili executione mali: et sic esse obiectum timoris absque ordine ad malum possibile evenire. Sed non potest, ut causa mali, abstrahere ab hoc quod ipsa secundum se est potens causare malum.

Et quia sic erat in Christo, ideo utrumque de Christo dicitur: scilicet, et quod non erat in eo timor mali possibilis, fugiendi scilicet per donum timoris; et quod erat in eo timor eminentiae divinae potentis infligere malum. Contemplando siquidem divinam eminentiam ut causam potentem, quantum ex se est, infligere malum, insurgebat timor reverentialis ad illam: quamvis, sciendo eminentiam illam esse causam determinatam ad non causandum in se huiusmodi malum, securus esset, absque suspicione quacumque huiusmodi mali.

Et per haec patet solutio obiectorum: et quod omnia consonant.

IV. In responsione ad primum eiusdem articuli sexti, si distinctionem iam * dictam de duplici ordine causae ad effectum, applicueris ad litteram, videbis differentiam inter timoris donum et spei virtutem, in littera positam. Habet siquidem actor sive boni sive mali duplicem ordinem ad suum effectum: primo, secundum se, pro quanto est potens causare bonum sive malum, etiam mihi; secundo, ut praeparatus est ad executionem boni vel mali. Tunc autem tantum timetur malum vel speratur bonum ex actore, quando uterque ordo intervenit. Quando autem primus tantum, tunc actor tantum respicitur.

* Num. praeced.

In littera igitur ponitur differentia inter virtutem spei et donum timoris in hoc, quod spes est respectu boni in executione, et respectu actoris boni utroque modo: timor vero non est respectu mali, nec respectu actoris ut executivi, sed respectu actoris potentis secundum se malum causare. Et ratio redditur in littera ex communi ratione doni et virtutis: quia scilicet commune est virtuti et dono per se primo respicere bonum, quia virtus primo *bonum facit* *. Hinc enim sequitur quod spes, quae non solum inquantum donum, sed secundum propriam rationem spei, directe respicit bonum, omnia quae convenire nata sunt spei, retineat: ac per hoc, quod sit boni habendi, seu non habiti. Timor autem, quia secundum propriam rationem timoris directe respicit malum, sed quatenus elevatus est in celsitudinem doni, proprie et per se respicit bonum, non retinet ea quae se tenent ex parte mali, sed ad id quod se tenet ex parte boni, tendit. Et ideo minimum retinuit de aspectu ad malum timoris donum in Christo: dum in solum tendebat actorem mali, non ut executivum, sed ut in se potentem causare malum. Quo fit ut virtus spei in Christo non fuerit: utpote ponens Deum non haberi ab anima Christi. Timoris autem donum in eo fuerit: utpote solam reverentiam actoris mali ponens in Christi anima.

* Cf. loc. cit. in resp.

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM IN CHRISTO FUERINT GRATIAE GRATIS DATAE

In Isaiam, cap. I.

AD SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in Christo non fuerint gratiae gratis datae. Ei enim qui habet aliquid secundum plenitudinem, non competit illud habere secundum participationem. Sed Christus habuit gratiam secundum plenitudinem: secundum illud Ioan. I *: *Plenum gratiae et veritatis.* Gratiae autem gratis datae videntur esse quaedam participationes divisim [α] et particulariter diversis attributae: secundum illud I *Cor.* XII *: *Divisiones gratiarum sunt.* Ergo videtur quod in Christo non fuerint gratiae gratis datae.

(* Vers. 14. — * Vers. 4.)

2. PRAETEREA, quod debetur alicui, non videtur esse gratis ei datum. Sed debitum erat homini Christo quod sermone sapientiae et scientiae abundaret, et potens esset in virtutibus faciendis, et alia [β] huiusmodi quae pertinent ad gratias gratis datas *: cum ipse sit *Dei virtus et Dei sapientia,* ut dicitur I *Cor.* I *. Ergo Christo [γ] non fuit conveniens habere gratias gratis datas.

(* Cf. I *Cor.* cap. XII, vers. 8 sqq. — * Vers. 24.)

3. PRAETEREA, gratiae gratis datae ordinantur ad utilitatem fidelium: secundum illud I *Cor.* XII *: *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.* Non autem videtur ad utilitatem [δ] pertinere habitus, aut quaecumqne dispositio, si homo non utatur: secundum illud *Eccli.* XX *: *Sapientia abscondita, et thesaurus invisus, quae utilitas in utrisque?* Christus autem non legitur usus fuisse omnibus gratiis gratis datis: praesertim quantum ad genera linguarum. Non ergo in Christo fuerunt omnes gratiae gratis datae.

(* Vers. 7. — * Vers. 32.)

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in Epistola *ad Dardanum* *, quod sicut in capite sunt [ε] omnes sensus, ita in Christo fuerunt omnes gratiae.

(* Ep. CLXXXVII, al. LVII, cap. XII.)

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut in Secunda Parte * habitum est, gratiae gratis datae ordinantur ad fidei et spiritualis doctrinae manifestationem. Oportet autem eum qui docet, habere ea per quae sua doctrina manifestetur: aliter sua doctrina esset inutilis. Spiritualis autem doctrinae et fidei primus et principalis Doctor est Christus: secundum illud *Heb.* II *: *Cum initium accepisset enuntiari a Domino* [ζ], *per eos qui audierunt in nos confirmata est, contestante Deo signis et prodigiis,* etc. Unde manifestum est quod in Christo fuerunt excellentissime omnes gratiae gratis datae, sicut in primo et principali Doctore fidei.

(* Ia IIae, qu. CXI, art. 4. — * Vers. 3, 4.)

AD PRIMUM ERGO dicendum quod, sicut gratia gratum faciens ordinatur ad actus meritorios tam interiores quam exteriores, ita gratia gratis data ordinatur ad quosdam actus exteriores fidei manifestativos [η], sicut est operatio miraculorum, et alia huiusmodi. In utraque autem gratia Christus plenitudinem habuit: inquantum enim divinitati unita erat [θ] eius anima, plenam efficaciam habebat ad omnes praedictos [ι] actus perficiendos. Sed alii sancti, qui moventur [κ] a Deo sicut instrumenta non unita, sed separata, particulariter efficaciam recipiunt ad hos vel illos actus perficiendos. Et ideo in aliis sanctis huiusmodi gratiae dividuntur: non autem in Christo.

AD SECUNDUM DICENDUM quod Christus dicitur *Dei virtus et Dei sapientia*, inquantum est aeternus Dei Filius. Sic autem non competit sibi habere gratiam, sed potius esse gratiae largitorem [λ]. Competit autem sibi gratiam habere secundum humanam naturam.

AD TERTIUM DICENDUM quod donum linguarum datum est Apostolis quia mittebantur *ad docendas omnes gentes* *. Christus autem in una sola Iudaeorum gente voluit personaliter praedicare: secundum quod ipse dicit, Matth. XV *: *Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel;* et Apostolus dicit, *Rom.* XV *: *Dico Iesum Christum ministrum fuisse Circumcisionis.* Et ideo non oportuit quod loqueretur pluribus linguis. Nec tamen defuit ei omnium linguarum notitia: cum etiam occulta cordium non essent ei abscondita, ut infra * dicetur, quorum voces quaecumque sunt signa *. Nec tamen inutiliter hanc notitiam habuit: sicut non inutiliter habet habitum qui eo non utitur quando non est opportunum.

(* Matth. cap. XXVIII, vers. 19. — * Vers. 24. — * Vers. 8. — * Qu. X, art. 2. — * Cf. Aristot. *Peri Hermen.* cap. I, n. 2. - S. Th. lib. I, lect. II.)

α) *divisim.* – Tertia; *divinae divisim.*
β) *alia.* – *in aliis* P, *aliis* cetera tertia.
γ) *Christo.* – Tertia; post *fuit* D, *eum* post *habere* F, om. ceteri.
δ) *utilitatem.* – *aliorum* addit tertia.
ε) *capite sunt.* – Tertia; *Christo fuerunt.*
ζ) *enuntiari a Domino.* – *enarrari per Dominum* P; eadem mox pro *prodigiis, portentis.* Cf. qu. XXXVIII, art. 2, β.
η) *manifestativos.* – PEGHI; *manifactivos* A, *manifestationis* ceteri.
θ) *enim divinitati unita erat.* – *a divinitate unita* tertia praeter P.
ι) *praedictos.* – Om. BCDF*a*.
κ) *moventur.* – E et tertia; *movebantur* BCDF*a*; *Sed alii... perficiendos* om. A.
λ) *gratiae largitorem.* – *gratiae datorem* GHI, *datorem gratiae* editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS articuli septimi ut sonat intelligitur.

In corpore unica est conclusio, responsiva quaesito affirmative: *In Christo fuerunt excellentissime omnes gratiae gratis datae.* Probatur. Oportet eum qui docet habere ea per quae sua doctrina manifestetur. Ergo oportet in Christo excellentissime fuisse omnes gratias gratis datas. – Antecedens probatur. Quia alias sua doctrina esset inutilis. – Consequentia vero probatur. Quia Christus est primus et principalis Doctor fidei: et gratiae gratis datae sunt ea per quae fidei Spiritusque doctrina manifestatur.

Ubi nota quod Christus dicitur primus et principalis fidei Doctor, vel quia persona illa habet etiam tempore

primatum in docendo: vel quia non obumbratae, sed revelatae fidei Doctor primus tempore et principalis auctoritate fuit Christus secundum quod homo, prout de ipso est sermo hic. (* Loc. cit. in art.) Et hoc auctoritati Apostoli, *ad Heb.* II *, consonat, ubi salus initium manifestae narrationis a Christo, in quo *Deus novissime locutus est* * (* Cap. I, vers. 1, 2.), sumpsisse dicitur.

Super hoc autem quod Christus est primus ac principalis Doctor, fundatur consequentia non solum gratiarum, sed etiam excellentissimo modo gratiarum, in Christo. Decet enim primum ac praecipuum Doctorem excellentius aliis se habere in doctrina et requisitis ad illam. Propter quod in littera, in calce corporis, huius sequelae ratio tangitur, dicendo: *sicut in primo et principali fidei Doctore.*

II. In responsione ad primum eiusdem septimi articuli, cum legis differentiam inter Christum et alios sanctos in hoc quod in aliis sanctis gratiae gratis datae dividuntur, non autem in Christo: intellige non de diversitate et unitate, quasi in Christo omnes gratiae gratis datae sint una gratia, in aliis vero sanctis alia sit gratia prophetiae, alia gratia sanitatum, alia gratia miraculorum, etc.; quoniam, sicut virtutes infusae, quae spectant ad gratiam gratum facientem, multiplicantur in Christo sicut in aliis sanctis, et non omnes virtutes in Christo sunt una virtus, ita multiplicantur, tam in Christo quam in aliis sanctis, gratiae gratis datae. Sed intellige de divisione et indivisione totius et partium: hoc est, quod in Christo fuit tota plenitudo gratiarum gratis datarum; in aliis vero sanctis fuit partialiter. Quia uni sancto una gratia, et alteri alia, iuxta doctrinam Apostoli * (* Loc. cit. in arg. 2.); et rursus, uni sancto talis gratia, puta prophetiae aut miraculorum, secundum talem mensuram * (* *Ad Ephes.* cap. IV, vers. 7.); in Christo autem tota plenitudo, etc. Et ratio assignatur in littera: quia humanitas Christi erat organum coniunctum divinitati, alii vero sancti moventur a Deo ut instrumenta separata. Quod si plenius non intelligis, vide, ultra prius * (* Qu. II, art. 6, Comment. num. X.) dicta, in IV *Contra Gentiles,* cap. XLI.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM IN CHRISTO FUERIT PROPHETIA

IIª IIªᵉ, qu. CLXXIV, art. 5, ad 3; *De Verit.*, qu. XX, art. 6; *Compend. Theol.*, cap. CCXVI; *In Ioan.*, cap. IV, lect. VI; cap. VI, lect. II.

AD OCTAVUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in Christo non fuerit prophetia. Prophetia enim importat quandam obscuram et imperfectam notitiam: secundum illud *Num.* XII * (* Vers. 6.): *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, per somnium aut in visione loquar ad eum.* Sed Christus habuit plenam et perfectam [α] notitiam: multo magis quam Moyses, de quo ibi subditur * (* Vers. 8.) quod *palam, et non per aenigmata Deum vidit.* Non ergo debet in Christo poni prophetia.

2. PRAETEREA, sicut fides est eorum quae non videntur, et spes eorum quae non habentur, ita prophetia est eorum quae non sunt praesentia, sed distant: nam propheta dicitur quasi *procul fans.* Sed in Christo non ponitur fides neque spes, ut supra * (* Art. 3, 4.) dictum est. Ergo etiam prophetia non debet poni in Christo.

3. PRAETEREA, propheta est inferioris ordinis quam angelus: unde et de Moyse, qui fuit supremus prophetarum, ut dictum est in Secunda Parte * (* IIª IIªᵉ, quaest. CLXXIV, art. 4.), *Act.* VII ** (** Vers. 38.) dicitur quod *locutus est cum Angelo in solitudine.* Sed Christus non est *minoratus ab angelis* secundum notitiam animae, sed solum *secundum corporis passionem:* ut dicitur *Heb.* II * (* Vers. 9.). Ergo videtur quod Christus non fuit propheta.

SED CONTRA EST quod de eo dicitur [β], *Deut.* XVIII * (* Vers. 15. - Cf. *Act.* cap. III, vers. 22.): *Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris.* Et ipse de se dicit, Matth. XIII * (* Vers. 57.) et Ioan. IV * (* Vers. 44.): *Non est propheta sine honore nisi in patria sua.*

RESPONDEO DICENDUM quod propheta dicitur quasi *procul fans,* vel *procul videns:* inquantum scilicet cognoscit et loquitur ea quae sunt procul ab hominum sensibus; sicut etiam Augustinus dicit, XVI *Contra Faustum* * (* Cap. XVIII.). Est autem considerandum quod non potest dici aliquis propheta ex hoc quod cognoscit et annuntiat ea quae sunt aliis procul, cum quibus ipse non est [γ]. Et hoc manifestum est secundum locum et secundum tempus. Si enim aliquis in Gallia existens cognosceret et annuntiaret aliis in Gallia existentibus ea quae tunc in Syria agerentur, propheticum esset: sicut Elisaeus ad [δ] Giezi dixit, IV *Reg.* V * (* Vers. 26; cf. vers. 21.), quomodo vir descenderat [ε] de curru et occurrerat ei. Si vero aliquis in Syria existens ea quae sunt ibi annuntiaret, non esset hoc propheticum. Et idem apparet secundum tempus. Propheticum enim fuit quod Isaias praenuntiavit quod Cyrus, Persarum rex, templum Dei esset reaedificaturus, ut patet Isaiae XLIV * (* Vers. 28.): non autem fuit propheticum quod Esdras hoc scripsit * (* Esdr. lib. I, cap. I, III.), cuius tempore factum est.

Si igitur Deus aut angeli, vel etiam beati, cognoscunt et annuntiant ea quae sunt procul a nostra notitia, non pertinet ad prophetiam: quia in nullo nostrum statum attingunt. Christus autem ante passionem nostrum statum attingebat: inquantum non solum erat comprehensor, sed etiam viator. Et ideo propheticum erat quod ea quae erant procul ab aliorum viatorum notitia, et cognoscebat et annuntiabat. Et hac ratione dicitur in eo fuisse prophetia * (* D. 1068.).

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod per illa verba non ostenditur esse de ratione prophetiae aenigmatica cognitio, quae scilicet est per somnium et in visione: sed ostenditur comparatio aliorum

α) *perfectam.* – *apertam* tertia, om. A.
β) *dicitur.* – *praedicitur* tertia.
γ) *est.* – *sed solum quando cognoscit et annuntiat ea quae sunt aliis procul cum quibus ipse est* addunt DF.
δ) *ad.* – F et tertia praeter G; *de.*
ε) *descenderat.* – F et tertia; *descendebat.* – Pro *occurrerat, occurrebat* AE.

ζ prophetarum, qui per somnium et in visione [ζ] perceperunt divina, ad Moysen, qui palam et non per aenigmata Deum vidit *; qui tamen [η] propheta est dictus, secundum illud *Deut.* ult. *: *Non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses.*

* D. 1066.
* Vers. 10.

Potest tamen dici quod, etsi Christus habuit plenam et apertam notitiam quantum ad partem intellectivam, habuit tamen in parte imaginativa quasdam similitudines, in quibus etiam poterat speculari divina, inquantum non solum erat comprehensor, sed etiam viator.

Ad secundum dicendum quod fides est eorum quae non videntur ab ipso credente. Similiter spes est eorum quae non habentur ab ipso sperante. Sed prophetia est eorum quae sunt procul a communi hominum sensu, cum quibus propheta conversatur et communicat in statu viae. Et ideo fides et spes repugnant perfectioni beatitudinis Christi: non autem prophetia.

Ad tertium dicendum quod angelus, cum sit comprehensor, est supra prophetam qui est purus viator: non autem supra Christum, qui simul fuit viator et comprehensor.

ζ) *sed ostenditur... visione.* – Tertia praeter pG; *sed ponitur differentia aliquorum qui per somnium et in visione* E, *sed ostenditur per comparationem ad aliorum prophetarum quae per somnium et in visione (percipiunt)* F, om. prima et pG; pro *comparatio* videtur *differentia* legendum.
η) *tamen.* – Om. tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus octavi articuli intelligitur ut sonat.

In corpore articuli una est conclusio, responsiva quaesito affirmative, scilicet: *In Christo fuit prophetia.* Probatur. Christus fuit non solum comprehensor, sed viator. Et cognoscebat ac dicebat quae procul ab aliorum erant notitia. Ergo fuit propheta.

Consequentia probatur. Quia ad prophetiam requiritur quod cognita sint procul ab aliis cum quibus cognoscens et annuntians est. Quod probatur ex differentia secundum locum et secundum tempus: et consequenter ex differentia inter pure comprehensores et viatores.

II. Ubi nota primo, ex Libro praecedenti, qu. clxxiii, art. 1, et ex qu. clxxiv, art. 5, quod cognitio prophetica dupliciter sortitur esse procul: scilicet, vel ex parte cognitionis; et penes hoc distinguitur cognitio prophetica communiter dicta a visione Dei per essentiam. Vel ex parte cognoscentis. Et penes hoc distinguitur prophetia Moysi et Christi a cognitione beatorum: quoniam beati non sunt procul, quia comprehensores tantum; Moyses autem fuit simpliciter viator; Christus vero comprehensor et viator. Et propterea Auctor hoc in loco prophetiam in Christo investigat et concludit ex parte cognoscentis, quia scilicet Christus erat viator.

III. Nota secundo, Novitie, quod probatio litterae secundum locum et tempus, repetitione eiusdem loci, et similiter temporis, respectu dicentis et aliorum, eget. Ita quod in exemplo de loco ad partem negativam, scilicet, *Si vero aliquis in Syria existens ea quae sunt ibi annuntiaret,* – subaudi, *existentibus in Gallia,* cum quibus non est, a quibus tamen procul sunt gesta in Syria, – *non esset propheticum.* Alioquin, scribentes litteras ex Syria de gestis ibi, essent prophetae. Et similiter in exemplo de tempore, *Non fuit propheticum quod Esdras scripsit posteris,* cum quibus non fuit, et a quibus procul fuit, *aedificationem templi.* Alioquin, omnes historici essent prophetae. Exigitur ergo ad prophetam utriusque simul concursus conditionis: scilicet, quod cognoscat ea quae sunt procul ab aliis, cum quibus ipse est. Et ideo nec Deus, nec sancti aut angeli sunt prophetae: sed viatores.

IV. Nota tertio, quod duplici ratione Christus, inquantum viator, potest dici propheta. Primo, ut ly *inquantum viator* denotet conditionem tam cognitionis quam cognoscentis: quia scilicet prophetia convenit Christo ratione cognitionis spectantis ad viam, sive intellectu sive imaginativa, ut dicitur hic in responsione secunda ad primum; et convenit sibi ratione conditionis cognoscentis, quia erat viator.

Secundo, ut ly *inquantum viator* denotet conditionem cognoscentis tantum: ita quod Christus, quacumque creata cognitione noverit occulta aliis, propheta est; quia cognitio illa viatoris est, quamvis non inquantum viator est sibi conveniat. – Nec propterea sequitur, *Christus ratione cognitionis comprehensivae est propheta, Ergo inquantum comprehensor est propheta:* quoniam ratione cognitionis comprehensivae, non in quocumque, sed in viatore, est propheta Christus. Valeret autem si ratione cognitionis comprehensivae absolute Christus esset propheta: quod non dicimus. – Et ad hoc tendit responsio prima ad primum, cum toto corpore articuli: dum de cognitionis conditione nulla est cura, sed de conditione cognoscentis.

V. Nota, Novitie, quarto, quod cum dicitur, *Christus inquantum viator est propheta,* ly *inquantum* non reduplicative tenetur, alioquin omnis viator esset propheta: sed specificative, quoniam denotat conditionem in Christo qua suscipit praedicationem prophetae. Est enim propheta quia est viator, sicut Socrates est crispus inquantum capillatus, quia crispitudinem habet non nisi quia capillatus.

ARTICULUS NONUS

UTRUM FUERIT IN CHRISTO GRATIAE PLENITUDO

III *Sent.*, dist. xiii, qu. 1, art. 2, qu^a 1; dist. xv, qu. 1, art. 2, ad 5; *Compend. Theol.*, cap. ccxiii, ccxiv; *In Ioan.*, cap. 1, lect. viii.



Ad nonum sic proceditur. Videtur quod non fuerit in Christo gratiae plenitudo. A gratia enim [α] derivantur virtutes, ut in Secunda Parte * dictum est. Sed in Christo non fuerunt omnes virtutes: non enim fuit in eo fides neque spes, ut ostensum est *. Ergo in Christo non fuit gratiae plenitudo.

* Iª IIªᵉ, qu. cx, art. 4, ad 1.
* Art. 3, 4.

2. Praeterea, sicut patet ex his quae in Secunda Parte * dicta sunt, gratia dividitur in operantem et cooperantem. Operans autem gratia

* Iª IIªᵉ, qu. cxi, art. 2.

α) *enim.* – Tertia; *enim Christi.*

dicitur per quam iustificatur impius. Quod quidem non habuit locum in Christo, qui nunquam subiacuit alicui peccato. Ergo in Christo non fuit plenitudo gratiae.

* Vers. 17. 3. Praeterea, Iac. I * dicitur: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum, de sursum est, descendens a Patre luminum.* Sed quod descendit, habetur particulariter, et non plene. Ergo nulla creatura, nec etiam anima Christi, potest habere plenitudinem donorum gratiae.

* Vers. 14. Sed contra est quod dicitur Ioan. I *: *Vidimus eum plenum gratiae et veritatis.*

Respondeo dicendum quod plene dicitur haberi quod totaliter et perfecte habetur. Totalitas autem et perfectio potest attendi dupliciter. Uno modo, quantum ad quantitatem eius intensivam: puta si dicam aliquem plene habere albedinem, si habeat eam quantumcumque nata est haberi. Alio modo, secundum virtutem: puta si aliquis dicatur plene habere vitam, quia habet eam secundum omnes effectus vel opera vitae. Et sic plene habet vitam homo: non autem brutum animal, vel planta.

Utroque autem modo Christus habuit gratiae plenitudinem. Primo quidem, quia habuit eam in summo, secundum perfectissimum modum
β qui [β] potest haberi. Et hoc quidem apparet primo, ex propinquitate animae Christi ad causam
* Art. 1. gratiae. Dictum est enim * quod, quanto aliquod receptivum propinquius est causae influenti, abun-
γ dantius [γ] recipit. Et ideo anima Christi, quae propinquius coniungitur Deo inter omnes creaturas rationales, recipit maximam influentiam gratiae eius. – Secundo, ex comparatione eius ad effectum. Sic enim recipiebat anima Christi gratiam ut ex ea quodammodo transfunderetur in alios. Et ideo oportuit quod haberet maximam gratiam: sicut ignis, qui est causa caloris in omnibus calidis, est maxime calidus.

Similiter etiam quantum ad virtutem gratiae, plene habuit gratiam: quia habuit eam ad omnes operationes vel effectus gratiae. Et hoc ideo, quia conferebatur ei gratia tanquam cuidam univer-
sali principio in genere habentium gratias [δ]. Vir- δ
tus autem primi principii alicuius generis universaliter se extendit ad omnes effectus illius gene-
ris: sicut sol, qui [ε] est universalis causa genera- ε
tionis, ut dicit Dionysius, IV cap. *de Div. Nom.* *, * S. Th. lect. III.
eius virtus se extendit ad omnia quae sub generatione cadunt. Et sic secunda plenitudo gratiae attenditur in Christo, inquantum se extendit eius gratia ad omnes gratiae effectus, qui sunt virtutes et dona et alia huiusmodi.

Ad primum ergo dicendum quod fides et spes
nominant effectus gratiae cum [ζ] quodam defectu ζ
qui est ex parte recipientis gratiam: inquantum scilicet fides est de non visis, et spes de non habitis. Unde non oportet quod in Christo, qui
est auctor gratiae, fuerint [η] defectus quos impor- η
tant fides et spes. Sed quidquid est perfectionis in fide et spe, est in Christo multo perfectius. Sicut in igne non sunt omnes modi caloris defectivi ex defectu subiecti: sed quidquid pertinet ad perfectionem caloris.

Ad secundum dicendum quod ad gratiam operantem per se pertinet facere iustum: sed quod iustum faciat ex impio, hoc accidit ei ex parte subiecti, in quo peccatum invenitur. Anima Christi igitur iustificata est per gratiam operantem, inquantum per eam facta est iusta et sancta a principio suae conceptionis: non quod ante fuerit
peccatrix, aut etiam non iusta [θ]. θ

β) *qui.* – *quo* P.
γ) *abundantius.* – *tanto abundantius* PF.
δ) *gratias.* – *gratiam* tertia, om. A.
ε) *sol, qui.* – *sol* F, *si sol* tertia praeter P.
ζ) *cum.* – *in* tertia.
η) *fuerint.* – IsG et editiones; *fuerit.* Pro *quos, quod* F.

θ) *iusta.* – *Ad tertium dicendum quod plenitudo gratiae attribuitur animae Christi secundum capacitatem creaturae, non autem per comparationem ad plenitudinem infinitam bonitatis divinae* addunt F et tertia praeter pG; corrector antiquus E margine notat: *hic deficit responsio ad tertium et similiter in exemplari;* post verba *Ad tertium* pG reliquit spatium sex linearum.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus articuli noni ab Auctore in principio corporis declaratur: quod plenitudo importat totalitatem et perfectionem; ita quod habere gratiae plenitudinem est habere gratiam totaliter et perfecte. Et quia *totaliter et perfecte* dupliciter invenitur, vel in genere aliquo, vel simpliciter; intellige hic quod est sermo de totalitate et perfectione simpliciter. Ita quod quaestio est: An in Christo fuerit gratiae plenitudo simpliciter.

In corpore articuli tria fiunt: primo, declarantur termini, et distinguuntur; secundo, respondetur unica conclusione de plenitudine intensiva; tertio, respondetur unica
* Cf. num. III. conclusione de plenitudine extensiva *.

Declaratur in primis ly *plenitudo.* Et distinguitur: vel *intensive,* vel *virtualiter.*

Prima autem conclusio est: *In Christo fuit plenitudo gratiae intensive.* Probatur. Habuit gratiam in summo. Ergo. – Consequentia relinquitur per se nota. – Antecedens vero probatur dupliciter. *Primo,* ex causa. Quia anima Christi erat propinquissima causae gratiae: quia personaliter coniuncta. Quanto autem propinquior, tanto magis gratiae recipit. Ergo in summo propinqua est in summo gratiae. *Secundo,* ex effectu. Anima Christi accepit gratiam ut ex ea transfunderetur in alios. Ergo habuit summam gratiam. Et patet sequela in exemplo de calore in igne.

II. Nota hic primo, quod expresse littera, loquens de quantitate intensiva gratiae, dicit quod Christus habuit eam *in summo.* Et hoc diligentissime nota, contra attribuentes
Auctori quod non datur summum possibile in gratia *. Non * Cf. art. 12, Comment. num. II.
enim haberet Christus gratiam in summo intensive, nisi haberet summum possibile: sicut non habetur albedo in summo, si possibile esset dari albedinem intensiorem, ut patet.

Nota secundo, quod Auctor non dixit animam Christi recipere gratiam ut esset in aliis gratiae causa absolute et simpliciter: sed cum additione. Apposuit enim ly *quodammodo,* dicens: *ut ex ea quodammodo transfunderetur in alios.* Deus enim ipse est gratiae causa simpliciter et absolute: anima autem Christi quodammodo. De quo modo
inferius erit sermo diffusus in loco proprio *. * Qu. VIII, art. 1, ad 1; ibid. Comment. num. III.

III. Secunda conclusio est: *Christus habuit plenitudinem gratiae quantum ad virtutem.* Probatur. Quia habuit gratiam ad omnes effectus gratiae, scilicet virtutes, dona, etc. Probatur. Christus habuit gratiam ut universale principium in genere habentium gratiam: ergo. – Probatur sequela.

Quia virtus primi principii alicuius generis universaliter se extendit ad omnes effectus illius generis: ut patet de sole respectu generationis.

Ubi nota quod hic non occurrit quaestio de conclusione, sed ratio eius non caret scrupulo. Quoniam Christum esse *principium universale generis habentium gratiam* dupliciter potest intelligi: primo, ut principium contentum in genere tali, scilicet habentium gratiam; secundo, ut principium universale talis generis non contentum in tali genere, sed supra illud. Si primo modo intelligatur, dato quod sit vera, non tamen sic probatur in littera: quoniam in littera subsumitur sub illa maiore de principio universali extra genus; sicut si sol poneretur causa generis eorum quae generantur et corrumpuntur, ipse extra genus corruptibilium generabiliumque existens. Si secundo modo intelligatur, propositio non apparet vera: nam Christus est unus habentium gratiam, et non est extra genus habentium gratiam, iuxta illud, *plenum gratiae et veritatis,* Ioan. I *. Aut igitur maior, de universali principio ut sol respectu generabilium intellecta, non est ad propositum. Aut minor, de Christo, quod sit universale principium sic, est falsa.

* Vers. 14.

Ad hoc dicitur quod propositio illa, *Christus habuit gratiam ut universale principium in genere habentium gratiam,* intelligitur de principio universali non contento in tali genere. Ita quod concedendum est quod Christus non est in genere, sed supra genus habentium gratiam: quoniam est supra generationem habentium gratiam in esse gratiae. – Nec propterea sequitur Christum non habere gratiam: sed non habere gratiam per generationem qua fiunt habentes gratiam. Est siquidem inter Christum et alios habentes gratiam haec differentia, quod alii habent gratiam per adoptionem: Christus autem non per adoptionem, sed per naturam. Nam ceteri filii sunt adoptivi: Christus autem non, sed de eo, Luc. I *, ad Beatam Virginem dictum est: *Quod ex te nascetur sanctum.* Cum ergo legis, *genus habentium gratiam,* intellige perinde ac si legeres, *genus filiorum adoptivorum Dei:* quoniam genus habentium gratiam per adoptionem est. Et quia Christus est universale principium generis habentium gratiam, sicut si sol poneretur universale principium generabilium secundum naturam, ideo oportet quod gratia Christi extendat se ad omnes gratiae effectus, sicut virtus solis ad omnia generabilia in natura se extenderet.

* Vers. 35.

IV. In responsione ad tertium eiusdem articuli *, adverte quod aliud est loqui de gratia formaliter, hoc est sub ratione gratiae: et aliud de ipsa re, immo ipsis rebus quae sunt *gratia* et *dona gratiae.* Nam gratia non invenitur in Deo secundum se formaliter: cum creatae rei nomen sit, sicut *beneficium.* Dona vero gratiae in Deo sunt etiam formaliter: ut patet de sapientia, intellectu, caritate, iustitia, etc. Et propterea, cum argumentum tertium in littera esset de donis gratiae, Auctor, non ad rationem gratiae sed donorum gratiae aspiciens, dixit duo. Primo, quod plenitudo gratiae, hoc est, donorum gratiae, attenditur in Christo secundum capacitatem creaturae. Secundo, quod non attenditur per comparationem ad plenitudinem infinitam bonitatis divinae: – et non dixit, *gratiae divinae;* descendunt enim gratiae creaturae non a gratia in Deo, sed a bonitate in Deo. Ita quod inter gratiam formaliter, et res quae sunt dona gratiae, tantum interest quod dona gratiae, quia communia sunt Deo et creaturae, si dicuntur plene inesse creaturae, intelligitur secundum capacitatem creaturae, et non secundum suas rationes formales absolute, secundum quas in sola divina sunt bonitate. Gratia vero si ponitur plene, simpliciter et absolute in creatura, non oportet quod limitatio dicta subintelligatur: quia secundum suam rationem creatae rei nomen est proprium. Quocirca ideo in littera responsionis huius distincta est plenitudo secundum capacitatem creaturae, et secundum quod in Deo, quia de donis gratiae, quae *descendunt a Patre luminum,* agebatur.

* Cf. not. θ.

ARTICULUS DECIMUS

UTRUM PLENITUDO GRATIAE SIT PROPRIA CHRISTI

Infra, qu. XXVII, art. 5, ad 1; III *Sent.*, dist. XIII, qu. 1, art. 2, qu^a 2, ad 2; *Compend. Theol.*, cap. CCXIV; *Expos. super Salut. Angel.; In Ioan.*, cap. I, lect. VIII; cap. III, lect. VI; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. I; cap. XII, lect. I; *Ad Coloss.*, cap. I, lect. V.



AD DECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod plenitudo gratiae non sit propria Christi. Quod enim est proprium alicui, sibi soli convenit. Sed esse plenum gratia quibusdam aliis attribuitur: dicitur enim, Luc. I *, Beatae Virgini, *Ave, gratia plena: Dominus tecum* α; dicitur etiam, *Act.* VI *, *Stephanus autem plenus gratia et fortitudine.* Ergo plenitudo gratiae non est propria Christi.

* Vers. 28.
* Vers. 8.

2. PRAETEREA, id quod potest communicari aliis per Christum, non videtur proprium Christo. Sed plenitudo gratiae potest communicari per Christum aliis: dicit enim Apostolus, *Ephes.* III β *: *Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Ergo plenitudo gratiae non est propria Christo.

* Vers. 19.

3. PRAETEREA, status viae videtur proportionari statui patriae. Sed in statu patriae erit quaedam plenitudo: quia *in illa caelesti patria, ubi est plenitudo omnis boni, licet quaedam data sint excellenter, nihil tamen possidetur singulariter,* ut patet per Gregorium, in Homilia *de Centum Ovibus* *. Ergo in statu viae gratiae plenitudo habetur a singulis hominibus. Et ita plenitudo gratiae non est propria Christo.

* Homil. XXXIV *In Evang.*

SED CONTRA EST quod plenitudo gratiae attribuitur Christo inquantum est Unigenitus a Patre: secundum illud Ioan. I *: *Vidimus eum, quasi Unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis.* Sed esse unigenitum a Patre est proprium Christo. Ergo et sibi proprium est esse plenum gratiae et veritatis.

* Vers. 14.

RESPONDEO DICENDUM quod plenitudo gratiae potest attendi dupliciter: uno modo, ex parte ipsius gratiae; alio modo, ex parte habentis gratiam. Ex parte quidem ipsius gratiae, dicitur esse plenitudo ex eo quod aliquis pertingit ad summum gratiae et quantum ad essentiam et quantum ad virtutem: quia scilicet habet gratiam et in maxima excellentia qua potest haberi, et in maxima extensione ad omnes gratiae effectus. Et talis gratiae plenitudo est propria Christo. – Ex parte vero subiecti, dicitur gratiae plenitudo γ

α) *Dominus tecum.* – Om. tertia; eadem mox om. *autem.*

β) *Ephes. III.* – P; *Ephes.* IV cetera tertia, idem prima sed post *Dei.*

γ) *est propria Christo... plenitudo.* – EF et tertia et, omisso *vero,* vetus Escurialis, in quo tamen deletur per *vacat;* om. ABC; *fuit in Christo, ex parte habentis attenditur gratiae plenitudo* D, *est propria Christo, alia est gratiae plenitudo ex parte habentis gratiam* sC, *est propria Christo, ex parte autem habentis dicitur esse plenitudo* ed. *a.*

quando aliquis habet plene gratiam secundum suam conditionem: sive secundum intensionem, prout in eo est intensa gratia usque ad terminum praefixum ei a Deo, secundum illud *Ephes.* IV *, *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi;* sive etiam secundum virtutem, inquantum scilicet habet facultatem gratiae ad omnia quae pertinent ad suum statum sive officium, sicut Apostolus dicebat, *Ephes.* III *, *Mihi autem, omnium sanctorum minimo, data est gratia haec, illuminare homines* [δ], etc. Et talis gratiae plenitudo non est propria Christo, sed communicatur aliis per Christum.

* Vers. 7.
* Vers. 8, 9.

Ad primum ergo dicendum quod Beata Virgo dicitur gratia plena [ε], non ex parte ipsius gratiae, quia non habuit gratiam in summa excellentia qua potest haberi, nec ad omnes effectus gratiae: sed dicitur fuisse plena gratiae per comparationem ad ipsam, quia scilicet habebat gratiam sufficientem ad statum illum ad quem erat electa a Deo, ut scilicet esset mater Dei [ζ]. Et similiter Stephanus dicitur plenus gratia, quia habebat gratiam sufficientem ad hoc quod esset idoneus minister et testis Dei, ad quod erat electus. Et eadem ratione [η] dicendum est de aliis. Harum tamen plenitudinum una est plenior alia: secundum quod aliquis est divinitus praeordinatus ad altiorem vel inferiorem statum.

Ad secundum dicendum quod Apostolus ibi loquitur de illa plenitudine gratiae quae accipitur ex parte subiecti, in comparatione ad id ad quod homo est divinitus praeordinatus. Quod quidem est vel aliquid commune, ad quod praeordinantur omnes sancti: vel aliquid speciale, quod pertinet ad excellentiam aliquorum. Et secundum hoc, quaedam plenitudo gratiae est omnibus sanctis communis: ut scilicet habeant gratiam sufficientem ad merendum vitam aeternam, quae in plena Dei fruitione consistit. Et hanc plenitudinem optat Apostolus fidelibus quibus scribit.

Ad tertium dicendum quod illa dona quae sunt communia in patria, scilicet visio, comprehensio et fruitio, et alia huiusmodi, habent [θ] quaedam dona sibi correspondentia in statu viae, quae etiam sunt communia sanctis [ι]. Sunt tamen quaedam praerogativae sanctorum, in patria et in via, quae non habentur ab omnibus [κ].

δ) *homines.* – *omnes* P.
ε) *dicitur gratia plena.* – *dicta est plena gratia* tertia.
ζ) *Dei.* – *Unigeniti eius* F et tertia.
η) *eadem ratione.* – *ratione eadem* G, *idem* cetera tertia et F.
θ) *habent.* – F et tertia; *sunt.*
ι) *sanctis.* – *omnibus sanctis* tertia.
κ) *omnibus.* – FsC et tertia; *hominibus.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus occasionem sumit ex eo quod multis in sacra Scriptura attribuitur plenitudo gratiae: ut patet de Beata Virgine et Stephano.

In corpore est una distinctio bimembris, cum duabus conclusionibus responsivis secundum singula membra. Distinctio est haec. Plenitudo gratiae duplex est: vel ex parte gratiae; vel ex parte subiecti. – Prima conclusio responsiva est: *Plenitudo gratiae ex parte gratiae propria est Christo.* – Secunda est: *Plenitudo gratiae ex parte subiecti non est propria Christo, sed communis est multis per Christum.*

Prima conclusio probatur. Quia solus Christus pertingit ad summum gratiae tam intensive, quantum ad essentiam; quam extensive, quantum ad virtutem. – Pròbatur. Quia solus habet gratiam in maxima excellentia qua potest haberi; et in maxima extensione ad omnes gratiae effectus.

Secunda autem probatur. Quia aliis gratia datur intensive secundum mensuram eis a Deo praefixam, iuxta Apostoli auctoritatem. Et similiter datur virtus gratiae ad omnia quae pertinent ad suum officium vel statum, iuxta aliam Apostoli auctoritatem.

II. Nota hic primo, quod distinctio in praecedenti articulo posita de plenitudine gratiae intensive vel extensive, dividit quodlibet membrum distinctionis in hoc articulo factae. Nam plenitudo gratiae secundum se attenditur hic tam intensive quam extensive: et similiter plenitudo gratiae ex parte subiecti attenditur tam intensive quam extensive. Quocirca in articulo praecedenti plenitudo gratiae absolute, hoc est sine additione, considerata distinctaque est: hic vero cum explicata additione, *vel ex parte sui vel ex parte subiecti,* considerata et distincta est. Unde in Christo est plenitudo gratiae simpliciter intensive et extensive, iuxta praecedentem articulum. Et in eodem solo est plenitudo gratiae ex parte gratiae, tam intensive quam extensive; et in eodem et aliis per ipsum est plenitudo gratiae ex parte subiecti, iuxta hunc articulum. Sed in Christo plenitudo ex parte subiecti coincidit cum plenitudine gratiae secundum se: quoniam Unigenitum a Patre decet plenitudo gratiae secundum se. In aliis autem est plenitudo ex parte subiecti limitata, ita quod non est plenitudo ex parte gratiae secundum se: quoniam haec est propria Unigeniti a Patre, ut prima huius articuli conclusio dicit.

Nota secundo, diligentissime, quod Auctor, de quantitate intensiva gratiae secundum se loquens in hoc articulo, dicit quod invenitur de facto in summo data animae Christi: ut patet in primo membro distinctionis et prima conclusione. Et declarat tale summum esse quantum ad essentiam, distinguendo contra virtutem; et quantum ad excellentiam, distinguendo contra extensionem (quae ad virtutem spectat), dicendo quod est *in maxima excellentia qua haberi potest* (ubi impersonaliter loquitur); et *ex parte gratiae,* et non ex parte subiecti; ut clare adeo patet in littera quod non potest infitiari.

Et haec ideo notanda duxi, ut videant Thomistae secundum Auctoris doctrinam dari summam caritatem, summam gratiam, non solum ex parte subiecti secundum mensuram quam unicuique praefixit Deus, sed ex parte ipsius caritatis et gratiae secundum se: ut infra * ampliùs clarificabitur.

* Art. 12, Comment. num. II.

III. In responsione ad primum, nota sobrietatem doctrinae praesentis circa plenitudinem gratiae in Beata Virgine: scilicet ut sit plena gratia, tam intensive quam extensive, non plenitudine gratiae secundum se (quia illa est propria Unigenito a Patre), sed plenitudine, tam intensive quam extensive, requisita ad Matrem Dei. Et haec nota contra loquaces et gratiam Beatae Virginis extendentes ad omnes effectus gratiae: quasi Matris Dei laus indigeat nostris pro voluntate, non ratione, laudibus, sub quadam *pietatis specie.* Siste igitur, Vir vere devote ac docte, in laudibus ratione fultis: ut scilicet sit gratia plena, non ex parte gratiae, sed subiecti; nec in summo, intensive aut extensive, ex parte gratiae. Lauda in ea gratiam: sed in summo ex parte subiecti, supra omnem puram creaturam. Haec enim plenitudo Matrem Dei decet, quae super omnes est puras creaturas exaltata.

ARTICULUS UNDECIMUS

UTRUM GRATIA CHRISTI SIT INFINITA

I *Sent.*, dist. xvii, qu. ii, art. 4, ad 3; dist. xliv, art. 3, ad 2; III, dist. xiii, qu. i, art. 2, qu[a] 2; *De Verit.*, qu. xxix, art. 3; *Compend. Theol.*, cap. ccxv; *In Ioan.*, cap. iii, lect. vi.

AD UNDECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod gratia Christi sit infinita. Omne enim immensum est infinitum. Sed gratia Christi est immensa: dicitur enim Ioan. iii *: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum,* scilicet [α] Christo. Ergo gratia Christi est infinita.

* Vers. 34.

2. PRAETEREA, effectus infinitus demonstrat virtutem infinitam, quae non potest fundari nisi in essentia infinita. Sed effectus gratiae Christi est infinitus: extendit enim se ad salutem totius humani generis; *ipse* enim *est propitiatio pro peccatis totius* [β] *mundi,* ut dicitur I Ioan. ii *. Ergo gratia Christi est infinita.

* Vers. 2.

3. PRAETEREA, omne finitum per additionem [γ] potest pervenire ad quantitatem cuiuscumque rei finitae. Si ergo gratia Christi est finita, posset alterius hominis gratia tantum crescere quod perveniret ad aequalitatem gratiae Christi. Contra quod dicitur *Iob* xxviii *: *Non adaequabitur ei aurum vel vitrum,* secundum quod Gregorius ibi exponit *. Ergo gratia Christi est infinita.

* Vers. 17.
* *Mor.* lib. XVIII, c. xlviii, al. xxvii; in vet. xxxii.

SED CONTRA EST quod gratia Christi [δ] est quiddam creatum in anima. Sed omne creatum est finitum: secundum illud *Sap.* xi *: *Omnia in numero, pondere et mensura disposuisti.* Ergo gratia Christi non est infinita.

* Vers. 21.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut ex supra * dictis patet, in Christo potest duplex gratia considerari. Una quidem est gratia unionis: quae [ε], sicut supra dictum est, est ipsum uniri personaliter Filio Dei, quod est gratis concessum humanae naturae. Et hanc gratiam constat esse infinitam: secundum quod ipsa persona Verbi est infinita.

* Qu. ii, art. 10; qu. vi, art. 6.

Alia vero est gratia habitualis. Quae quidem potest dupliciter considerari. Uno modo, secundum quod est quoddam ens. Et sic necesse est quod sit ens finitum. Est enim in anima Christi sicut in subiecto. Anima autem Christi est creatura quaedam, habens capacitatem finitam. Unde esse gratiae, cum non excedat suum subiectum, non potest esse infinitum.

Alio modo potest considerari secundum propriam rationem gratiae. Et sic gratia ipsa [ζ] potest dici infinita, eo quod non limitatur: quia scilicet habet quidquid potest pertinere ad rationem gratiae, et non datur ei secundum aliquam certam [η] mensuram id quod ad rationem gratiae pertinet; eo quod, *secundum propositum gratiae* [θ] *Dei* *, cuius est gratiam mensurare, gratia confertur animae Christi sicut cuidam universali principio gratificationis in humana natura, secundum illud *Ephes.* i *, *Gratificavit nos in dilecto Filio suo.* Sicut si dicamus lucem solis esse infinitam, non quidem secundum suum esse, sed secundum rationem lucis, quia habet quidquid potest ad rationem lucis pertinere.

* *Ad Rom.* cap. iv, vers. 5.
* Vers. 6.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod id quod dicitur, *Pater non ad mensuram dat Spiritum Filio,* uno modo exponitur de dono quod Deus Pater ab aeterno dedit Filio, scilicet divinam naturam, quae est donum infinitum. Unde quaedam glossa * dicit, ibidem: *ut tantus sit Filius quantus et Pater.*

* Gloss. Interlin. ex Aug. ad vers. 35.

Alio modo, potest referri ad donum quod datum est humanae naturae, ut uniatur divinae personae, quod est [ι] donum infinitum. Unde Glossa dicit ibidem: *Sicut Pater plenum et perfectum genuit Verbum, sic plenum et perfectum est unitum humanae naturae* [κ] *.

* Cf. Additiones Burgens. ad Glos. Lyran., ibid.

Tertio modo, potest referri ad gratiam habitualem, inquantum gratia Christi se extendit ad omnia quae sunt gratiae. Unde Augustinus *, hoc exponens, dicit: *Mensura quaedam divisio donorum est: alii enim datur per Spiritum sermo sapientiae, alii sermo scientiae. Sed Christus, qui dat, non ad mensuram accepit.*

* Tract. XIV *in Ioan. Evang.*

AD SECUNDUM DICENDUM quod gratia Christi habet infinitum effectum, tum propter infinitatem praedictam * gratiae; tum propter unitatem divinae personae, cui anima Christi est unita.

* In corpore.

AD TERTIUM DICENDUM quod minus per augmentum potest pervenire ad quantitatem maioris in his quae habent quantitatem unius rationis. Sed gratia alterius hominis comparatur ad gratiam Christi sicut quaedam virtus particularis ad universalem. Unde, sicut virtus ignis, quantumcumque crescat, non potest adaequari virtuti [λ] solis; ita gratia alterius hominis, quantumcumque crescat, non potest adaequari gratiae Christi.

α) *scilicet.* – *scilicet gratiae bc, Filio scilicet* P.
β) *totius.* – *nostris et totius* tertia.
γ) *additionem.* – *finiti* addit P. – Pro *rei finitae, finiti* tertia.
δ) *Christi.* – Om. tertia praeter l.
ε) *quae.* – Fa et tertia; *quod.*
ζ) *ipsa.* – *Christi* P.
η) *certam.* – PsAE; *creatam.*
θ) *gratiae.* – Om. tertia.
ι) *est.* – *etiam est* P.
κ) *naturae.* – F et tertia (*naturae creaturae* pG); *naturae vel creaturae.*
λ) *adaequari virtuti.* – *adaequare virtutem* tertia; eadem mox *adaequare gratiam.* Cf. qu. lxxxviii, art. 3, γ.

Commentaria Cardinalis Caietani

Divinae ut non desim gratiae, par est ut coeptum opus prosequamur: et quanto amplius Dei, Sanctissimique Domini Nostri Leonis Decimi Pontificis Maximi gratia, Cardinea me dignitate attollens, abundavit, tanto magis debeo Iesu Christi mysteria, Ecclesiaeque sacramenta, scrutari in lucemque proferre. Hoc igitur eodem anno, salutis quidem millesimo quingentesimo decimoseptimo, aetatis autem propriae nono supra quadragesimum, inchoatum opus die duodecima Cardinalatus simul et mensis Iulii prosequendo, titulum huius undecimi articuli quaestionis septimae intelligendum ut sonat dicimus.

II. In corpore articuli respondetur quaesito dividendo et subdistinguendo sic quod, iuxta tria membra distinctionis, tribus conclusionibus respondetur. Divisio est. Gratia Christi duplex: vel unionis; vel habitualis. – Subdistinctio est. Gratia habitualis dupliciter consideratur: vel secundum rationem entis; vel secundum rationem gratiae. – Unde consurgunt tria membra, videlicet: gratia unionis; gratia habitualis ut ens; gratia habitualis ut gratia.

Prima conclusio, iuxta primum membrum, est: *Gratia unionis est infinita.* Probatur. Uniri personaliter Filio Dei est infinitum: secundum quod ipsa persona Verbi est infinita. Ergo gratia unionis est infinita. Ubi, iuxta promissa *, expecta calcem ultimi articuli * praesentis quaestionis.

* Qu. vi, art. 6, Comment. num. ii.
* Comm. num. iii.

Secunda conclusio est: *Gratia habitualis Christi, inquantum ens, est finita.* Probatur. Est in anima Christi sicut in subiecto. Ergo est ens finitum. – Probatur sequela. Quia non excedit suum subiectum, quod est finitae capacitatis, quia creatura quaedam.

* Cap. ii. n. 10. – S. Th. lect. iii.

Nota hic quod, quia finiti et infiniti ratio quantitati soli congruit, ut dicitur in I *Physic.* *, iuxta multiplicem quantitatem rei, multiplex finitas vel infinitas considerari potest. Verbi gratia, in linea, iuxta duplicem quantitatem, scilicet molis vel perfectionis, dupliciter potest dici finita vel infinita: nam, si esset linea aliqua infinitae longitudinis, esset finita secundum perfectionem (esset enim accidens, ac per hoc, imperfectius ens quam substantia quaecumque); et esset infinita secundum rationem lineae. Et simile accidit in habentibus tantum quantitatem perfectionis, multarum tamen rationum: quod scilicet possunt, iuxta multiplicem perfectionis quantitatem, multipliciter dici finita vel infinita; ita quod secundum quantitatem talis perfectionis sunt finita, et secundum quantitatem alterius rationis perfectionis sunt infinita. Ut, si esset albedo infinita intensive secundum latitudinem albedinis, esset infinita secundum rationem albedinis, esset tamen finita secundum quantitatem perfectionis simpliciter: quoniam esset accidens, ac per hoc, imperfectius ens qualibet substantia quantumcumque finitae perfectionis.

In littera igitur Auctor gratiam considerat et secundum quantitatem perfectionis convenientis sibi secundum propriam gratiae rationem: et secundum quantitatem perfectionis convenientis sibi secundum communem rationem entis; quod est considerare ipsam, sicut et quodlibet aliud ens, secundum communem rationem perfectionis. Nam quod est finitae perfectionis, est finitae entitatis, et e contra: et similiter quod est infinitae entitatis, est infinitae perfectionis, et e contra.

Et dicit in secunda conclusione quod *gratia habitualis Christi est finita secundum rationem entis:* hoc est, *est ens finitum.* In tertia autem, quod *eadem est infinita secundum rationem gratiae:* hoc est, *est gratia infinita.* Quae tertia conclusio in littera primo exponitur; deinde probatur. Explanatur quidem, et quantum ad vim nominis, scilicet quod est infinita quia non est limitata secundum aliquam creatam * mensuram; et quantum ad rem, quia habet quidquid potest pertinere ad rationem gratiae; et quantum ad exemplum, de luce solis. – Probatur autem: Animae Christi confertur gratia sicut cuidam universali principio gratificationis in humana natura. Ergo animae Christi gratia est infinita secundum rationem gratiae. Antecedens probatur ex auctoritate Apostoli, *ad Ephes.* i.

* Cf. not. γ.

Nota hic quod ly *in humana natura* determinat subiectum necessitatis, non extensionis. Hoc est: – Quod Christus est universale principium gratificationis, humanae necessitatis est: nam causa necessitatis ad habendum Christum principium gratificationis, humana natura est. Sed licet necessitas ex humana occasionem sumpserit natura, extenditur tamen hoc principium non solum ad homines, sed ad angelos, ut infra * patebit: ita quod Christus est universale principium gratificationis etiam angelorum, extensa iam sua capitali gratia etiam ad angelos.

* Qu. viii, art. 4.

III. In responsione ad secundum eiusdem articuli, perspice quod gratia habitualis Christi habet effectum infinitum ob duplicem, ut dicitur in littera, causam. Hinc enim habes et meritum et satisfactionem Christi infinitatem habere.

IV. In responsione ad tertium, dubium occurrit, primo: quomodo verum sit quod gratia cuiuslibet singularis personae habeat quantitatem alterius rationis a quantitate gratiae Christi. – Secundo: quomodo verum sit quod gratia cuiuslibet singularis personae sit velut virtus particularis, et gratia Christi velut virtus universalis.

Et est ratio utriusque dubii, quia gratia est eiusdem speciei specialissimae in quacumque sit creatura: ut patet de caritate. Impossibile est autem quod in una specie specialissima inveniatur vere tanta diversitas ut unum illius individuum sit virtus universalis, et alterum particularis: cum virtus universalis et particularis, loquendo per se, distinguantur ad minus specie; ut patet inductive; et convincitur ratione ex diversitate actuum propriorum virtutis universalis et virtutis particularis.

V. Ad hoc dicitur quod gratia habitualis Christi (de qua est sermo) et aliorum, licet sit eiusdem speciei specialissimae quoad essentiam, est tamen diversarum rationum quantum ad modum essendi. Est siquidem gratia in Christo ut in toto adaequante ipsam secundum se: est autem in omnibus aliis ut in partibus inadaequatis ipsi secundum se gratiae. Et propterea est in Christo ut in subiecto et principio universali gratiae: in aliis vero ut in particulariter participantibus. Et ideo, quantumcumque crescat aliorum gratia, nunquam pervenire potest ad quantitatem intensivam vel extensivam gratiae Christi.

Et ut haec doctrina facilius intelligatur, dicamus sub exemplo. Calor eiusdem est in se speciei sive in igne, sive in aere, sive in mixtis. Veruntamen ignis adaequat calorem secundum se: quia tanti, tam extensive quam intensive, est susceptivus caloris, quantus natus est esse secundum se calor. Aer autem, sive mixtum quodcumque, calorem participat. Ita quod, statim ut calor in alio quam igne poni intelligitur, limitatus et deficiens a perfectione quam natus est calor secundum se habere, intelligitur: ex hoc enim ipso quod calor in subiecto inadaequante calorem secundum seipsum ponitur, limitatus ac deficiens ponitur. Et propterea, quantumcumque crescere ponatur calor in tali subiecto inadaequante, nunquam perveniet ad quantitatem perfectionis caloris in igne, adaequato subiecto: eo quod tale augmentum, etiam si in infinitum ponatur, continebitur et sistet infra latitudinem subiecti participantis, cuius tota latitudo succumbit subiecto adaequato.

Ad propositum igitur hinc redeundo, dicimus, iuxta prius * habitam doctrinam, gratiam habitualem esse in Christo secundum totam perfectionem quam nata est habere gratia secundum seipsam: et in nullo alio esse gratiam secundum totam perfectionem quam nata est habere gratia secundum seipsam. Et propterea in Christo fuisse gratiam ut in subiecto totali: in aliis vero ut in subiectis partialibus. Et hoc est gratiam esse diversarum rationum, quantitatum et perfectionum, non secundum essentiam, sed secundum modum. Et hinc provenit quod gratia Christi comparatur ad gratias aliorum ut virtus universalis ad virtutes particulares. Nam, spectando ad differentiam quae est penes dictos modos essendi, clare liquet gratiam Christi habere quidquid perfectionis natum est convenire gratiae secundum seipsam, ac per hoc, omnem illius perfectio-

* Art. praeced.

nem intensivam et extensivam: utramque enim perfectio gratiae secundum seipsam exigit. Et consequenter gratiam Christi esse universalis virtutis, utpote quae omnem gratiae perfectionem intensivam et extensivam in se continet: aliorum vero gratiam esse particularis virtutis, utpote partem intensivae et partem extensivae perfectionis gratiae in se continens; plus tamen vel minus iuxta cuiusque mensuram, *qua mensus est illi Deus* *. Quo fit ut, quantumcumque quaecumque pura creatura crescat in gratia, nunquam pervenire possit ad quantitatem aequalem gratiae Christi: sicut nunquam pars adaequare potest totum, nisi partis rationem amittat.

* II *ad Cor.* cap. x, vers. 13.

Et hoc est quod in littera dicitur, reddendo rationem quare finitum crescendo non potest adaequare aliud finitum: quia scilicet habent quantitates diversarum rationum, penes hoc quod Christi gratia est virtutis et quantitatis universalis, aliorum vero gratia est perfectionis et virtutis particularis; quia in illo est gratia cum perfectione debita sibi secundum seipsam gratiam, in aliis vero est gratia cum perfectione modificata et mensurata secundum tale subiectum particulare.

Et propterea in Clementina *Ad Nostrum, De Haeret.*, damnatur error Beguinorum dicentium hominem in via posse pervenire ad talem gratiae gradum ut non possit ultra proficere, eo quod aliter excedi posset gratia Christi. Utrumque etenim erroneum esse ex dictis iam patet, et amplius patebit *.

* Art. seq.

ARTICULUS DUODECIMUS

UTRUM GRATIA CHRISTI POTUERIT AUGERI

I *Sent.*, dist. xv, qu. v, art. 1, qu^a 4; dist. xvii, qu. ii, art. 4, ad 3; III, dist. xiii, qu. i, art. 2, qu^a 3.

AD DUODECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod gratia Christi potuerit augeri. Omni enim finito potest fieri additio. Sed gratia Christi finita fuit, ut dictum est *. Ergo potuit augeri.

* Art. praeced.

2. PRAETEREA, augmentum gratiae fit per virtutem divinam: secundum illud II *Cor.* ix *: *Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.* Sed virtus divina, cum sit infinita, nullo termino coarctatur. Ergo videtur quod gratia Christi potuerit esse maior.

* Vers. 8.

3. PRAETEREA, Luc. ii * dicitur quod *Puer Iesus proficiebat aetate, sapientia* [α] *et gratia apud Deum et homines.* Ergo gratia Christi potuit augeri.

* Vers. 52.

SED CONTRA EST quod dicitur Ioan. i *: *Vidimus eum, quasi Unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis.* Sed nihil potest esse aut intelligi maius quam quod aliquis sit unigenitus a Patre. Ergo non potest esse, vel etiam [β] intelligi, maior gratia quam illa qua Christus fuit plenus.

* Vers. 14.

RESPONDEO DICENDUM quod aliquam formam non posse augeri contingit dupliciter: uno modo, ex parte ipsius subiecti; alio modo, ex parte illius [γ] formae. Ex parte quidem subiecti, quando subiectum attingit ad ultimum [δ] in participatione ipsius formae secundum suum modum: sicut si dicatur quod aer non potest crescere in caliditate, quando pertingit ad ultimum gradum caloris qui potest salvari in natura aeris; licet possit esse maior calor in rerum natura, qui est calor ignis. Ex parte autem formae excluditur possibilitas augmenti quando aliquod subiectum attingit ad ultimam perfectionem qua potest talis forma haberi [ε]: sicut si dicamus quod calor ignis non potest augeri, quia non potest esse perfectior gradus caloris quam ille ad quem pertingit ignis.

Sicut autem aliarum formarum est ex divina sapientia determinata propria mensura, ita et gratiae: secundum illud *Sap.* xi *: *Omnia in numero, pondere et mensura disposuisti.* Mensura autem unicuique formae praefigitur per comparationem ad suum finem: sicut non est maior gravitas quam gravitas terrae, quia non potest esse inferior locus loco terrae. Finis autem gratiae est unio creaturae rationalis ad Deum. Non potest autem esse, nec intelligi, maior unio creaturae rationalis ad Deum quam quae est in persona. Et ideo gratia Christi pertingit usque ad summam mensuram gratiae. Sic ergo manifestum est quod gratia Christi non potuit augeri ex parte ipsius gratiae.

* Vers. 21.

Sed neque ex parte ipsius subiecti. Quia Christus, secundum quod homo, a primo instanti suae conceptionis fuit verus et plenus comprehensor. Unde in eo non potuit esse gratiae augmentum, sicut nec in aliis beatis: quorum gratia augeri non potest, eo quod sunt in termino.

Hominum vero qui sunt pure viatores, gratia potest augeri et ex parte formae, quia non attingunt [ζ] summum gratiae gradum: et ex parte subiecti, quia nondum pervenerunt ad terminum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, si loquamur de quantitatibus mathematicae [η], cuilibet finitae quantitati potest fieri additio: quia ex parte quantitatis finitae non est aliquid quod repugnet additioni. Si vero loquamur de quantitate naturali, sic potest esse repugnantia ex parte formae, cui debetur determinata quantitas, sicut et alia accidentia determinata. Unde Philosophus dicit, II *de Anima* *, quod *omnium natura constantium est terminus et ratio magnitudinis et augmenti.* Et inde est quod quantitati totius caeli non potest fieri additio. Multo igitur magis in ipsis formis consideratur aliquis terminus, ultra quem non transgrediuntur [θ]. Et propter hoc, non oportuit quod gratiae Christi posset [ι] fieri additio, quamvis sit finita secundum sui essentiam.

* Cap. iv, n. 8. - S. Th. lect. viii.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, licet virtus divina posset facere aliquid maius et melius quam sit

α) *aetate, sapientia.* – *sapientia et aetate* tertia.
β) *etiam.* – Post *Ergo* ponit tertia.
γ) *illius.* – *ipsius* F et tertia.
δ) *ultimum.* – *gradum* addit P.
ε) *qua... haberi.* – *quam potest talis forma habere* F, idem addito *in natura* H et editiones, *quam potest talis forma* I.
ζ) *attingunt.* – D et tertia; *attingit.*
η) *mathematicae.* – *mathematicis* P.
θ) *transgrediuntur.* – *progrediuntur* tertia.
ι) *oportuit... posset.* – *oportuit... possit* E, (om. *oportuit*)... *posset* pH, *oportet... possit* cetera tertia.

habitualis gratia Christi, non tamen posset facere quod ordinaretur ad aliquid maius quam sit unio personalis ad Filium unigenitum a Patre: cui unioni sufficienter correspondet talis mensura gratiae secundum definitionem divinae sapientiae.

Ad tertium dicendum quod in sapientia et gratia aliquis potest proficere dupliciter. Uno modo, secundum ipsos habitus sapientiae et gratiae augmentatos. Et sic Christus in eis non proficiebat. – Alio modo, secundum effectus: inquantum scilicet aliquis sapientiora et virtuosiora opera facit. Et sic Christus proficiebat sapientia et gratia, sicut et aetate: quia secundum processum aetatis perfectiora opera faciebat, ut se verum hominem demonstraret, et in his quae sunt ad Deum et in his quae sunt ad homines.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus articuli duodecimi clarus est. – In corpore articuli duo fiunt: praeponitur siquidem una distinctio; et ponuntur deinde duae conclusiones responsivae quaesito *.

* Cf. num. iv.

Distinctio est. Formam suscipientem magis et minus posse vel non posse augeri contingit dupliciter: primo, ex parte formae; secundo, ex parte subiecti. Exempla clara sunt in littera. Et ex hac distinctione radicis posse vel non posse augeri in communi, subintellige in speciali quod gratiam non posse vel posse augeri contingit dupliciter: vel ex parte gratiae; vel ex parte subiecti.

Et probatur primum membrum, scilicet ex parte gratiae, quantum ad negativam partem, quae est prima conclusio, scilicet: *Gratiam Christi, ex parte gratiae, non posse augeri.* Quia, sicut aliarum formarum, ita et gratiae Christi propria mensura secundum se est ex divina sapientia. Ergo propria gratiae mensura determinata est penes finem. Ergo penes rationalis creaturae unionem ad Deum. Ergo gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiae. Ergo gratia Christi non potest augeri ex parte ipsius gratiae. – Antecedens probatur auctoritate Scripturae. – Prima consequentia probatur. Quia mensura unicuique formae praefigitur in comparatione ad finem. Quod declaratur exemplo in terrae gravitate. – Secunda autem: quia finis gratiae est unio creaturae rationalis ad Deum. – Tertia vero: quia nec esse nec intelligi potest maior ad Deum unio quam personalis.

II. Siste hoc in loco, Lector, et perspice, primo, quod in praecedentis Libri * commentariis, cum de caritate tractaretur, scripsimus, non somniasse nos, sed ab Auctore didicisse: scilicet gratiam, ac per hoc caritatem, in creaturis habere secundum se terminum in summo, ita quod non sunt amplius augmentabiles. Et verba Auctoris in illo loco, quae videntur sonare oppositum, non esse falsa, aut correcta seu retractata hic: sed sunt exponenda, ut ibi exposuimus. Et sentiendum, cum Auctore hoc in loco, est quod gratia habitualis Christi est vere in summo ad quod potest gratia ex parte sui perduci. Et hoc iam in praecedentibus huius Libri pluries habuimus *.

* IIª IIªᵉ qu. xxiv, art. 7, Comment. num. iii, vi, xvi.

* Cf. art. 9, sqq.

Ad claritatem tamen doctrinae praesentis, intellige mensuram formae praefixam esse penes relationem ad finem, non sic quod mensura penes extrinsecum sit, quoniam mensura formae intrinseca est formae cuius est mensura: sed sic quod, cum *omne agens agat propter finem* *, ac per hoc, id quod substantialiter est propter finem, oportet commensuratum esse fini, sicut quod secundum aliquam figuram est propter finem, oportet, ut figuratum, esse commensuratum illi fini; propterea, cum grave sit propter esse deorsum, oportet grave, ut sic, commensuratum esse fini; ut scilicet infimo deorsum commensuretur sola summa gravitas, et supremo sursum sola summa levitas. Ita summae unioni creaturae rationalis ad Deum commensurari oportet solam summam gratiam.

* Cf. Arist. *Physic.* lib. II, cap. xiv, xv; *Metaphys.* lib. Iα, cap. ii, n. 9. s. Th. lib. II, lect. iv.

III. Sed est hic locus quaestioni, quo pacto finis gratiae habitualis (de qua est sermo) est unio personalis: cum, secundum ante * dicta et in sequenti articulo ex proposito definita, unio personalis non sequatur, sed praecedat gratiam habitualem; finis autem posterior sit, generationis ordine, eo quod est propter finem.

* Qu. ii, art. 11, 12; qu. vi, art. 6.

Ad hoc dicitur quod finis non dicitur tantum de fine consequendo, sed de fine praeexistente, qui finalizat, non ut sit aut bene sit, sed quia est: sicut Deus, qui nec est nec conservatur aut quomodolibet augetur per creaturas, finis earum dicitur. Quocirca unio personalis finis est gratiae habitualis, non assequendus per eam, sed quia ipsa emanat ab unione personali, ordinata ad unionem personalem ut ad finem quia est: sicut creaturae fiunt a Deo propter Deum ut finem earum quia est. Nec est hoc remotum ab ordine quem in rebus generabilibus videmus. Quoniam in istis perspicimus quod non solum antecedentes dispositiones, sed consequentia etiam accidentia ordinantur ad substantiam, prius natura genitam, ut ad finem: esse namque disciplinabilem, quod consequitur ad formam hominis, ordinatur ad hominem ut ad finem. Stat ergo solida litterae doctrina, tradens gratiam habitualem Christi esse in summo, quia consonat et commensuratur summae unioni ut fini.

IV. Secunda conclusio * est: *Gratia Christi non potuit augeri ex parte subiecti.* Probatur ratione. Quia Christus ab initio fuit plene comprehensor, ac per hoc in termino. – Et a simili. Quia nec beatorum in patria gratia potest, ob dictam rationem, augeri. – Et a dissimili tam haec quam praecedens conclusio manifestatur. Quia pure viatorum gratia potest augeri et ex parte gratiae, quia non pertingunt ad summum secundum se; et ex parte subiecti, quia adhuc sunt in via, et non pervenerunt ad viae terminum.

* Cf. num. i.

Ubi nota quod ideo absque alia probatione in littera asseritur nullum pure viatorem attingere ad summum gratiae ex parte gratiae, quia consequuntur se haec duo, videlicet summum gratiae ex parte gratiae, et gratia virtutis universalis. Nam gratia secundum se summa ad quidquid potest spectare ad rationem gratiae, se extendit: et si ad quidlibet perfectionis gratiae se extendit, summa gratia est. Et quoniam utrumque constat esse plenitudinis propriae Unigeniti a Patre, quem ipsa plenitudo gratiae constituit ab initio comprehensorem; ideo absque haesitatione aliqua asserendum est nullam puram creaturam, sive in via sive in patria, ad summum gratiae ex parte gratiae pertingere.

V. In responsione ad primum eiusdem duodecimi articuli, considera perspicaciam responsionis, non solum propositioni obiectae satisfacientis, sed ex radice oppositum monstrantis. Propositionem siquidem illam, *Omni finito potest fieri additio*, cum finitum et infinitum quantitatis primo sit, distinguit secundum posse dupliciter quantum finitum considerari: mathematice, hoc est, abstrahendo a materia sensibili, ut loquimur de linea, superficie vel corpore absolute; vel physice, hoc est, ut ad specificas naturas rerum naturalium est determinatum, ut quantitas humana vel caelestis. Primo modo vera est propositio illa: secundo autem falsa, ut patet de quantitate caeli. Et quia ratio quare quantitati determinatae ad naturam talem repugnat additio, est forma naturalis, ut patet ex II *de Anima* *; ideo littera, radicem attingens, subdit quod multo magis ipsi formae naturali, quamvis finitae, repugnat additio. Quoniam, si forma naturalis efficit ut quantitas, cui secundum se non repugnat additio, excludat additionem; multo magis efficit ut a seipsa excludat additionem. Quo fit ut, quia gratia eiusdem est rationis, quoad finitatem vel infinitatem, cum formis naturalibus, cum sit illarum una de quibus scriptum est *, *Omnia in numero, pondere et mensura disposuisti:* ideo gratia Christi et finita et excludens additionem simul est.

* Cap. iv, n. 8. - S. Th. lect. viii.

* *Sap.* cap. xi, vers. 21.

VI. In responsione ad secundum eiusdem duodecimi articuli, adverte quod, quia in littera gratia Christi, relata ad proprium finem, excludit melius se; et tamen compa-

titur aliquid maius seu melius se: ideo manifeste littera ista docet gratiam Christi dupliciter posse considerari. Primo, secundum id quod in se est: hoc est, secundum propriam intrinsecam entitatem, qua est tale ens inter entia universi. Et sic potest aliquid esse nobilius ens quam ipsa sit. Immo omnis substantia est nobilior, secundum sui generis rationem, illa: cum sit essentialiter accidens. – Alio modo, secundum id ad quod ipsa sua entitas, tantae perfectionis, ordinatur ut ad proprium finem. Et sic non potest fieri aliquid maius aut melius illa: quoniam suapte natura commensurata est unioni personali Dei ut proprio fini, qua nihil esse potest melius.

Et ut melius percipias quae in littera subiunguntur, perspicaciter attendendum est a divina sapientia dupliciter aliquid ordinatum, quantum est ex parte rei ordinatae, ad unionem personalem Filii Dei: vel per se, ut perfectio gratiae secundum se; vel per accidens, ut humana natura. Per accidens siquidem evenit, quantum est ex parte humanae naturae, ut complaceret Deo illam eligere ad unionem personalem sui: quoniam ipsa natura humana secundum se nullam habet proportionem aut commensurationem ad assumptibilitatem, quia nullam habet potentiam passivam ad ea quae omnem naturalem ordinem transcendunt, sed divina caritas ac sapientia elevavit illam, ordinando ipsam ut assumeretur. Gratia autem secundum se totaliter perfecta quia ex proprii ordinis, utpote supernaturalis ac divini, ratione ad supernaturale ac divinum quid ordinatur; par est ut suapte natura ad unionem personalem, in sui summa plena perfectione, ordinetur ac commensuretur. Ac per hoc, non per accidens, sed per se a divina sapientia ad unionem personalem ordinatur. Et ideo in littera dicitur quod *unioni personali correspondet sufficienter talis mensura gratiae*, hoc est, gratia in summo secundum se, *secundum divinae sapientiae ordinem*, quo omnia disposuit ab aeterno suaviter. Quocirca, quantumcumque aliquod ens in se secundum suam intrinsecam entitatem melius gratia quae est in Christo fieret, non fieret tamen ens suapte natura ordinatum per se ad melius quam ordinetur perfectio quae in Christo est gratiae. Et hoc aperte intendit littera per se intellecta.

VII. In responsione ad tertium, adverte quod similitudo profectus Christi quoad sapientiam, gratiam et aetatem, in littera asseritur quoad partem affirmativam: scilicet quod proficiebat quoad effectus aetatis sicut quoad effectus sapientiae et gratiae. Et hoc constat esse verissimum: quoniam opera sua consona aetati faciebat. Sed non asseritur quoad partem negativam: scilicet quod non proficiebat secundum aetatem ipsam, sicut non proficiebat secundum ipsam sapientiam seu gratiam. Quoniam constat quod esset falsum hoc: nam Christus vere proficiebat ipsa aetate; quoniam secundum aetatis mensuram corporalis progressus est. Constat enim Christum vere primo infantem, deinde puerum, inde adolescentem, atque in virum tandem perfectum emersisse, sicut ceteros homines, sensim et per incrementa temporum, augente naturali virtute membra, roburque viribus ministrante.

ARTICULUS DECIMUSTERTIUS

UTRUM GRATIA HABITUALIS IN CHRISTO SUBSEQUATUR UNIONEM

Supra, qu. VI, art. 6; III *Sent.*, dist. XIII, qu. III, art. 2, qu[a] 3; *Compend. Theol.*, cap. CCXIV.

AD DECIMUMTERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod gratia habitualis in Christo non subsequatur unionem. Idem enim non sequitur ad seipsum. Sed haec gratia habitualis videtur eadem esse cum gratia unionis: dicit enim Augustinus, in libro *de Praedest. Sanctorum* *: *Ea gratia fit ab initio fidei suae homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus;* quorum duorum primum pertinet ad gratiam habitualem, secundum ad gratiam unionis. Ergo videtur quod gratia habitualis non subsequatur unionem. * Cap. XV.

2. PRAETEREA, dispositio praecedit perfectionem tempore, vel saltem intellectu. Sed gratia habitualis videtur esse sicut quaedam dispositio humanae naturae ad unionem personalem. Ergo videtur quod gratia habitualis non subsequatur unionem, sed magis praecedat.

3. PRAETEREA, commune est prius proprio. Sed gratia habitualis est communis Christo et aliis hominibus: gratia autem unionis est propria Christo. Ergo prior est, secundum intellectum, gratia habitualis quam ipsa unio. Non ergo sequitur eam.

SED CONTRA EST quod dicitur Isaiae XLII *, *Ecce servus meus, suscipiam eum:* et postea sequitur, *Dedi Spiritum meum super eum,* quod quidem ad donum gratiae habitualis pertinet. Unde relinquitur quod susceptio naturae humanae in unione [α] personae praecedat gratiam habitualem in Christo. * Vers. 1.

RESPONDEO DICENDUM quod unio humanae naturae ad divinam personam, quam supra * diximus esse ipsam gratiam unionis, praecedit gratiam habitualem in Christo, non ordine temporis, sed naturae et intellectus. Et hoc triplici ratione. Primo quidem, secundum ordinem principiorum utriusque. Principium enim unionis est persona Filii assumens humanam naturam, quae secundum hoc dicitur *missa esse in mundum* * quod humanam naturam assumpsit. Principium autem gratiae habitualis, quae cum caritate datur, est Spiritus Sanctus, qui secundum hoc dicitur mitti quod per caritatem mentem inhabitat *. Missio autem Filii, secundum ordinem naturae, prior est missione Spiritus Sancti: sicut ordine [β] naturae Spiritus Sanctus procedit a Filio et a Patre [γ] dilectio. Unde et unio personalis, secundum quam intelligitur missio Filii, est prior, ordine naturae, gratia habituali, secundum quam intelligitur missio Spiritus Sancti.

* Qu. II, art. 10; qu. VI, art. 6.

* Ioan. cap. III, vers. 17; cap. X, vers. 36; cap. XVII, vers. 8.

* *Ad Rom.* cap. V, vers. 5; cap. VIII, vers. 9, 11; *ad Galat.* cap. IV, vers. 6.

Secundo, accipitur ratio huius ordinis ex habitudine gratiae ad suam causam. Gratia enim causatur in homine ex praesentia divinitatis, sicut lumen in aere ex praesentia solis: unde dicitur Ezech. XLIII *: *Gloria Dei Israel ingrediebatur per* * Vers. 2.

α) *unione.* – *unionem* F, *unitatem* tertia.
β) *sicut ordine.* – F et tertia praeter G, (*quia* sC, *sicut* sG) *secundum ordinem.*
γ) *Patre.* – *Patre ut* D; *Patre et a sapientia* F; *sapientia* tertia; *Spiritus Sancti... ordine naturae* om. *a.*

viam orientalem, et terra splendebat a maiestate eius. Praesentia autem Dei in Christo intelligitur secundum unionem humanae naturae ad divinam personam. Unde gratia habitualis Christi intelligitur ut consequens hanc unionem, sicut splendor solem.

δ Tertia δ ratio huius ordinis assumi potest ex fine gratiae. Ordinatur enim ad bene agendum. *Actiones* autem *sunt suppositorum et individuorum* *. Unde actio, et per consequens gratia ad ipsam ordinans, praesupponit hypostasim operantem. Hypostasis autem non praesupponitur in humana natura ante unionem, ut ex supra * dictis patet. Et ideo gratia unionis, secundum intellectum, praecedit gratiam habitualem.

* Cf. Arist. *Metaphys.* lib. I, cap. I, n. 6. - S. Th. lect. I.

* Qu. IV, art. 3.

Ad primum ergo dicendum quod Augustinus ibi gratiam nominat gratuitam Dei voluntatem gratis beneficia largientem. Et propter hoc eadem gratia dicit hominem quemcumque fieri Christianum qua gratia factus est Christus homo, quia utrumque gratuita Dei voluntate, absque meritis, factum est.

Ad secundum dicendum quod, sicut dispositio in via generationis praecedit perfectionem ad quam disposuit ε in his quae successive perficiuntur, ita naturaliter perfectionem sequitur quam aliquis iam consecutus est: sicut calor, qui fuit dispositio ad formam ignis, est effectus profluens a forma ignis iam praeexistentis. Humana autem natura in Christo unita est personae Verbi a principio absque successione. Unde gratia habitualis non intelligitur ut praecedens unionem, sed ut consequens eam, sicut quaedam proprietas naturalis. Unde et Augustinus dicit, in *Enchirid.* *, quod *gratia est quodammodo Christo homini naturalis.* ε

* Cap. XL.

Ad tertium dicendum quod commune est prius proprio si utrumque sit unius generis: sed in his quae sunt diversorum generum, nihil prohibet proprium prius esse communi. Gratia autem unionis non est in genere gratiae habitualis: sed est super omne genus, sicut et ipsa divina persona. Unde hoc proprium nihil prohibet esse prius communi: quia non se habet per additionem ad commune, sed potius est principium et origo eius quod commune est.

δ) *Tertia.* – *Tertio* tertia.

ε) *disposuit.* – *disponit* PDGIpH, *disponat* sH.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore articuli unica est conclusio responsiva quaesito: *Gratia unionis in Christo praecedit gratiam habitualem eius, non ordine temporis, sed naturae et intellectus.* Probatur tripliciter.

Primo. Missio Filii est prior, naturae ordine, missione Spiritus Sancti. Ergo gratia unionis, etc. – Antecedens probatur: quia Spiritus Sanctus procedit naturae ordine a Filio, et dilectio a sapientia *. – Consequentia vero: quia secundum ipsam unionem attenditur missio Filii, et secundum gratiam habitualem attenditur missio Spiritus Sancti.

* Cf. not. γ.

Ubi nota quod caute loquitur in littera Auctor, dum missiones ordinat secundum prius et posterius naturae: processiones autem Filii et Spiritus Sancti ordinat quidem naturae ordine, sed non secundum prius et posterius. Quia, ut in XX dist. I *Sent.* dicitur, in divinis est *ordo naturae, non quo alter est prior altero, sed quo alter est ab altero.* Missiones autem, ad ea quae sunt extra Trinitatem respicientes, prioritatem etiam et posterioritatem naturae in suis rationibus ac rebus admittunt.

Secundo. Praesentia deitatis est prior splendore eius. Sed unio est ipsa praesentia: gratia habitualis splendor eius. Ergo.

Tertio. Actio, et gratia ad ipsam ordinans, praesupponit hypostasim. Ergo gratia habitualis praesupponit unionem. – Antecedens probatur: quia actiones sunt suppositorum. – Consequentia vero: quia gratia unionis facit hypostasim in natura humana.

Ubi caute perspice quod aliud est dicere, *Non praesupponit hypostasim:* et aliud est dicere, *Non praesupponit hypostasim in natura humana.* Gratia enim unionis praesupponit, non facit hypostasim Verbi Dei, quae sola in Christo hypostasis est: sed eadem gratia unionis non praesupponit, sed facit in Christo *hypostasim in humana natura,* dum facit quod persona Filii Dei sit non solum persona divina, sed etiam persona humana; dum facit quod subsistat non solum in natura divina, sed etiam in natura humana. Et hoc est quod in littera dicitur: et super hoc ratio fundatur, intendens quod actio humana supponit hypostasim humanam, etc.

II. In responsione ad secundum eiusdem decimitertii articuli, habes quod gratia in Christo non habet rationem dispositionis respectu unionis: sed habet rationem naturalis proprietatis, sicut calor consequens formam ignis. Et hoc bene nota.

III. In responsione ad tertium, occurrit reddenda ratio tot dictorum de gratia unionis. Dicitur enim de ipsa in hoc articulo, in principio corporis, quod gratia unionis est *ipsa unio;* et in hac responsione, quod est *supra omne genus;* et in articulo undecimo huiusmet quaestionis, quod est *infinita, secundum quod ipsa persona Verbi est infinita;* et in articulo sexto quaestionis sextae, in corpore, dictum est quod gratia unionis est *ipsum esse personale quod gratis divinitus datur humanae naturae in persona Verbi;* et in articulo duodecimo quaestionis secundae, ad tertium, dicitur quod gratia unionis est *causata a tota Trinitate;* quod et hic replicatur, in corpore articuli, dum principium appropriatum gratiae unionis ponitur persona Filii.

Haec siquidem dicta licet dissonare inter se videantur, facile tamen distincte perspicientibus apparet quod gratia unionis duo in se claudit: scilicet esse Verbi personaliter terminans humanitatem Christi; et compositionem, seu coniunctionem utriusque. Nec loquor de terminatione, coniunctione aut unione quae est relatio: sed de fundamento, quod est esse Deum et hominem, quod constat esse substantiam, et praedicta duo in se claudere, scilicet personam unitam et ipsam coniunctionem. De huiusmodi enim unione in littera dicitur quod est esse personale, quod est infinita simpliciter sicut ipsa persona divina, quod est supra omne genus. Quoniam hoc fundamentum relationis unionis nihil aliud est quam unum esse Deum et hominem in esse divino personali. Unum autem, cum nihil positivi addat super ens quod unum dicitur, ut dicitur in IV *Metaphys.* *, consequens est quod nihil in proposito addat super esse personale Verbi. Ac per hoc unio, pro suo principali sumpta, scilicet pro ipsa re in qua uniuntur et sunt unum ens, una persona, ambae naturae: – infinita est, supra omne genus est, esse Verbi est, esse personale est. Pro eo vero quod addit ipsa unio super rem in qua est unio: – temporale quid est; causatum a tota Trinitate secundum rem, et per appropriationem a Filio; gratis concessum humanae naturae est. De quo quid sit, superius * declaratum est, *balbutiendo* * tamen. – Consona igitur sunt omnia Auctoris dicta de unione seu unionis gratia, sane intellecta.

* S. Th. lect. II; Did. lib. III, cap. II, n. 5. - Cf. lib. IX, cap. II, n. 8; S. Th. lib. X, lect. III.

* Qu. II.

* Cf. Greg. *Moral.* lib. V, cap. XXXVI, al. XXVI.

QUAESTIO OCTAVA

DE GRATIA CHRISTI SECUNDUM QUOD EST CAPUT ECCLESIAE

IN OCTO ARTICULOS DIVISA

DEINDE considerandum est de gratia Christi secundum quod est caput Ecclesiae *. [* Cf. qu. VII, Introd.]

Et circa hoc quaeruntur octo.

Primo: utrum Christus sit caput Ecclesiae.

Secundo: utrum sit caput hominum quantum ad corpus ^α^, vel solum quantum ad animas.

Tertio: utrum sit caput omnium hominum.

Quarto: utrum sit caput angelorum.

Quinto: utrum gratia ^β^ secundum quam est caput Ecclesiae, sit eadem cum habituali eius secundum quod est quidam homo singularis.

Sexto: utrum esse caput Ecclesiae sit proprium Christo.

Septimo: utrum diabolus sit caput omnium malorum.

Octavo: utrum Antichristus etiam possit dici caput omnium malorum.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM CHRISTO, SECUNDUM QUOD EST HOMO, COMPETAT ESSE CAPUT ECCLESIAE

III *Sent.*, dist. XIII, qu. II, art. 1; *De Verit.*, qu. XXIX, art. 4, 5; *Compend. Theol.*, cap. CCXIV; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. 1; *Ad Ephes.*, cap. I, lect. VIII; *Ad Coloss.*, cap. I, lect. V.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christo, secundum quod est homo, non competat esse caput Ecclesiae. Caput enim influit sensum et motum in membra. Sensus autem et motus spiritualis, qui est per gratiam, non influitur nobis a Christo homine: quia, sicut dicit Augustinus, in XV *de Trin.* * [* Cap. XXVI.], nec etiam Christus, secundum quod est homo, dat Spiritum Sanctum, sed solum inquantum est Deus. Ergo ei, secundum quod est homo, non competit esse caput Ecclesiae.

2. PRAETEREA, capitis non videtur esse aliud caput. Sed Christi, secundum quod est homo, caput est Deus: secundum illud I *Cor.* XI * [* Vers. 3.]: *Caput Christi Deus.* Ergo ipse Christus non est caput.

3. PRAETEREA, caput in homine est quoddam particulare membrum influentiam recipiens a corde. Sed Christus est universale principium totius Ecclesiae. Ergo non est Ecclesiae caput.

SED CONTRA EST quod dicitur *Ephes.* I * [* Vers. 22.]: *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.*

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut tota Ecclesia dicitur unum corpus mysticum per similitudinem ad naturale corpus hominis, quod secundum ^γ^ diversa membra habet diversos actus, ut Apostolus docet, *Rom.* XII * et I *Cor.* XII ** [* Vers. 4, 5. ** Vers. 12 sqq.]; ita Christus dicitur caput Ecclesiae secundum similitudinem humani capitis. In quo tria possumus considerare: scilicet ordinem, perfectionem et virtutem. Ordinem, quia caput est prima pars hominis, incipiendo a superiori. Et inde est quod omne principium consuevit vocari caput: secundum illud Ierem. II ^δ^ * [* Cf. vers. 20; et Ezech. cap. XVI, vers. 24, 25, 31.]: *Ad omne caput viae posuisti lupanar tibi.* – Perfectionem autem, quia in capite vigent omnes sensus et interiores et exteriores: cum in ceteris membris sit solus tactus. Et inde est quod dicitur Isaiae IX * [* Vers. 15.]: *Senex et honorabilis ipse est caput.* – Virtutem vero, quia virtus et motus ceterorum membrorum, et gubernatio eorum in suis actibus, est a capite, propter vim sensitivam et motivam ibi dominantem. Unde et rector dicitur caput populi: secundum illud I *Reg.* XV * [* Vers. 17.]: *Cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es.*

Haec autem tria competunt Christo spiritualiter. Primo enim, secundum propinquitatem ad Deum gratia eius altior et prior est, etsi non tempore: quia omnes alii acceperunt gratiam per respectum ad gratiam ipsius, secundum illud *Rom.* VIII * [* Vers. 29.]: *Quos praescivit, hos et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* – Secundo vero, perfectionem habet quantum ad plenitudinem omnium gratiarum, secundum illud Ioan. I * [* Vers. 14.]: *Vidimus eum plenum gratiae et veritatis,* ut supra * [* Qu. VII, art. 9.] ostensum est. – Tertio, virtutem habuit ^ε^ influendi gratiam in omnia membra Ecclesiae: secundum illud Ioan. I * [* Vers. 16.]: *De plenitudine eius omnes accepimus.* – Et sic patet quod convenienter dicitur Christus caput Ecclesiae.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod dare gratiam aut Spiritum Sanctum convenit Christo secundum quod Deus, auctoritative: sed instrumenta-

---

α) *corpus.* – *corpora* tertia.
β) *gratia.* – *Christi* addit P. – Ante *habituali* PIc addunt *gratia*, idem E post *habituali.*
γ) *quod secundum.* – Tertia; *quia secundum* F, *secundum quod* ceteri; pro *habet, habent* EsD.
δ) *Ierem. II.* – *Ezech. XVI* P; eadem pro *posuisti lupanar tibi*, *aedificasti signum prostitutionis tuae.*
ε) *habuit.* – *habet* tertia.

liter ei convenit secundum quod est homo, inquantum scilicet eius humanitas fuit *instrumentum divinitatis eius* *. Et ita actiones ipsius ex virtute divinitatis fuerunt nobis salutiferae, utpote gratiam in nobis causantes, et per meritum et per efficientiam quandam. Augustinus autem negat Christum, secundum quod est homo, dare Spiritum Sanctum per auctoritatem. Instrumentaliter autem, sive ministerialiter, etiam alii sancti dicuntur dare Spiritum Sanctum *: secundum illud *Galat.* III *: *Qui tribuit vobis Spiritum Sanctum* ζ, etc.

* Damasceni *de Fide Orth.* lib. III, cap. xv.
* D. 430.
* Vers. 5.

Ad secundum dicendum quod in metaphoricis locutionibus non oportet attendi similitudinem quantum ad omnia: sic enim non esset similitudo, sed rei veritas *. Capitis igitur naturalis non est caput aliud, quia corpus humanum non est pars alterius corporis. Sed corpus similitudinarie dictum, idest aliqua multitudo ordinata, est pars alterius multitudinis: sicut multitudo domestica est pars multitudinis civilis. Et ideo paterfamilias, qui est caput multitudinis domesticae, habet super se caput rectorem civitatis. Et per hunc modum nihil prohibet caput Christi esse Deum, cum tamen ipse η sit caput Ecclesiae.

* Cf. Damasc. *de Fide Orth.* lib. III, cap. xxvi.

Ad tertium dicendum quod caput habet manifestam eminentiam respectu exteriorum membrorum: sed cor habet quandam influentiam occultam. Et ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus, qui invisibiliter Ecclesiam vivificat et unit: capiti comparatur Christus, secundum visibilem naturam, qua θ homo hominibus praefertur.

ζ) *Sanctum.* – Om. tertia.
η) *ipse.* – *Christus* addit tertia.
θ) *qua.* – *secundum quam* H et editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus primi articuli clarus est. – In corpore articuli primo respondet Auctor directe quaesito unica conclusione; secundo, declarat terminum unum conclusionis *.

* Cf. num. seq.

Est igitur conclusio responsiva: *Christus caput Ecclesiae dicitur secundum similitudinem humani capitis.* Probatur. Sicut tota Ecclesia dicitur unum corpus, *ad Rom.* XII, secundum similitudinem corporis humani, ita consequens est quod Christus dicatur caput Ecclesiae secundum similitudinem humani capitis. – Ubi nota quod esse caput non dicitur de Christo proprie, sed metaphorice: sicut etiam esse unum corpus dicitur metaphorice de Ecclesia. Et propterea non multa opus est discussione in re hac.

II. Terminus autem in conclusione positus qui declaratur in littera, est ly *secundum similitudinem ad humanum caput.* Declaratur siquidem quod similitudo ista attenditur quoad tria: scilicet ordinem, perfectionem et virtutem.

Ubi scito primo, quod in corpore humano consideratur ordo, non originis, sed situs. Et ideo in littera dicitur quod caput est primum membrum *incipiendo a superiori:* procul dubio secundum situm. Quamvis etiam possit intelligi de superiori secundum naturales differentias positionis animalium, prout in animali distinguuntur sex naturales differentiae, scilicet *sursum et deorsum, ante et retro, dextrum et sinistrum* *: nam sursum in homine est ipsum caput, unde trahit alimentum. Et quoniam utroque modo caput humanum est sursum, scilicet secundum situm simpliciter et secundum differentiam naturalem animalis, ideo utroque modo intelligi potest. Primo tamen modo manifestius sensui patet: et ideo magis consonat litterae, quae in responsione ad ultimum evidentiam sensibilem consideratam in hac similitudine dicit, dum capitis magis quam cordis nomen Christus suscepisse dicitur.

* Cf. Aristot. *de Caelo*, lib. II, cap. II, n. 1, 2. – S. Th. lect. II.

Scito secundo, quod virtus attribuitur capiti humano respectu virium et motuum reliquorum membrorum, non tanquam primo inter membra principio, sed tanquam comprincipio primi simpliciter membri, scilicet cordis: ex corde siquidem, mediante capite, omnis vis et motus membrorum pendet. Et similiter Christus homo comprincipium est Spiritus Sancti, qui est cor Ecclesiae, ad vim et motum reliquorum membrorum Ecclesiae. Et ideo Christus, *ad Coloss.* II *, *caput* Ecclesiae dicitur, *ex quo,* tanquam ex comprincipio, *corpus* Ecclesiae, *per nexus et coniunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei.*

* Vers. 19.

Scito tertio, quod gratia Christi dicitur prima, quia *altior et prior:* hoc est, secundum ordinem causae formalis, et exemplariter. Nam ex eo quod altior, est prior secundum ordinem causae formalis, in quo, quanto quid est intensive altius, tanto formalius. Ex eo autem quod ad conformitatem ipsius aliis gratia datur, est prior tanquam exemplar reliquarum gratiarum. Et, ut in littera dicitur, non est hoc exemplar prius tempore exemplatis: sed ut finis in intentione, ut exemplar conceptum.

III. In responsione ad primum eiusdem articuli, adverte duos modos quibus Auctor ponit actiones Christi hominis causare in nobis gratiam: scilicet meritorie, et effective. Et de modo quidem meriti nulla est ambiguitas: quoniam potest cadere sub unius merito quod Deus creet in altero gratiam. Sed de modo efficientiae obscurum est: quoniam, ut in Prima Parte * habitum est, nec principaliter nec instrumentaliter potest creatura aliqua creare; Christus autem dicitur hic instrumentaliter concurrere.

* Qu. XLV, art. 5.

Et licet quaestio haec perplexa appareat, non habet tamen hoc in loco multum dubitationis. Quoniam, secundum commune dictum, actiones Christi, sive mediis sacramentis, ut quotidie in Ecclesia fit, sive absque sacramentis, ut latronem gratificavit, eodem modo ad creationem gratiae concurrunt: non attingendo scilicet ipsam gratiam quae creatur, sed efficiendo aliquid per modum dispositionis; quod est creare gratiam instrumentaliter. Quod non inconvenit cum creatur aliquid in subiecto praeexistente, praedisponendo ad illam rem creandam: ut patet cum creatur anima intellectiva in corpore humano tot dispositionibus praeparato ab agente naturali, necessitante naturalis ordinis exactione passivam creationem ipsius animae.

Altius tamen dicitur, secundum excellentiorem Auctoris doctrinam inferius in qu. XIII, art. 2 *, quod gratia non spectat simpliciter ad genus creationis: sed ad genus immutationis creaturarum, non secundum naturae ordinem, sed secundum ordinem gratiae. Quod sufficienter probatur ex hoc quod Deum non conservare gratiam non est annihilare, et ipsam desinere esse non est annihilari: cum Deus nihil unquam annihilet, quamvis annihilare possit. Ex hoc enim quod creationi et conservationi divinae respondet annihilatio, manifeste sequitur quod, si corruptio seu desitio alicuius non est annihilatio, productio quoque eiusdem ordinaria non est creatio. Quia igitur gratiae infusio non simpliciter creatio est, sed mutatio quaedam animae in ordine gratuitorum ad caelestem patriam; et ad huiusmodi mutationes extendit se anima Christi ut instrumentum coniunctum Verbi: non videtur negandum gratiam attingi instrumentaliter ab actione humanitatis Christi; sed dicendum quod effectus iste qui est animam gratificari, ex illa parte qua intervenit quodammodo creatio, est immediate a Deo; sed ex illa parte qua intervenit

* Cf. ibid. Comment.

animae mutatio secundum obedientialem potentiam ad caelestem beatitudinem, est a Deo mediante humanitate Christi instrumentaliter. Hoc enim non est creaturae communicari potentiam creandi instrumentaliter: sed immutandi instrumentaliter *ad restauranda omnia quae in caelis et in terris sunt* *. * Ad Ephes. cap. I, vers. 10.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CHRISTUS SIT CAPUT HOMINUM QUANTUM AD CORPORA

III *Sent.*, dist. XIII, qu. II, art. 2, qu^a 3.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus non sit caput hominum quantum ad corpora. Christus enim dicitur caput Ecclesiae inquantum influit spiritualem sensum et motum gratiae in Ecclesiam. Sed huius spiritualis sensus et motus capax non est corpus. Ergo non est caput hominum secundum corpora.

2. PRAETEREA, secundum corpora communicamus cum brutis. Si ergo Christus esset caput hominum quantum ad corpora, sequeretur quod etiam esset caput brutorum animalium. Quod est inconveniens.

3. PRAETEREA, Christus corpus suum ab aliis hominibus traxit: ut patet Matth. I et Luc. III *. Sed caput est primum inter cetera membra, ut dictum est *. Ergo Christus non est caput Ecclesiae quantum ad corpora.

* Vers. 23 sqq.
* Art. praeced.

SED CONTRA EST quod dicitur *Philipp.* III *: *Reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae.*

* Vers. 21.

RESPONDEO DICENDUM quod corpus humanum habet naturalem ordinem ad animam rationalem, quae est propria forma eius et motor. Et inquantum quidem est forma eius, recipit ab anima vitam et ceteras proprietates convenientes humano corpori secundum suam speciem. Inquantum vero anima est motor corporis, corpus instrumentaliter servit animae.

Sic ergo dicendum quod habet vim influendi Christi humanitas inquantum est coniuncta Dei Verbo, cui corpus unitur per animam, ut supra * dictum est. Unde tota Christi humanitas, secundum scilicet animam et corpus, influit in homines et quantum ad animam et quantum ad corpus: sed principaliter quantum ad animam; secundario quantum ad corpus. Uno modo, inquantum *membra corporis exhibentur arma iustitiae* in anima existenti per Christum: ut Apostolus dicit, *Rom.* VI *. Alio modo, inquantum vita gloriae ab anima derivatur ad corpus: secundum illud *Rom.* VIII *: *Qui suscitavit Iesum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.*

* Qu. VI, art. 1.
* Vers. 13.
* Vers. 11.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod sensus spiritualis gratiae non pervenit quidem ad corpus primo et principaliter: sed secundario et instrumentaliter, ut dictum est *.

* In corpore.

AD SECUNDUM DICENDUM quod corpus animalis bruti nullam habitudinem habet ad animam rationalem, sicut habet corpus humanum. Et ideo non est simile.

AD TERTIUM DICENDUM quod, licet Christus traxerit materiam corporis ab aliis hominibus, vitam tamen immortalem corporis omnes homines trahunt ab ipso: secundum illud I *Cor.* XV *: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur.*

* Vers. 22.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN titulo articuli secundi, adverte quod ly *quoad corpora* non solum refertur ad corpora aliorum hominum, sed etiam ad corpus ipsius Christi: ut clare patet ex argumento tertio in littera, quod impugnat corpus Christi non posse esse caput aliorum quia sumptum est ex aliis; et ex conclusione responsiva in corpore articuli. Est igitur sensus tituli: *An Christus, etiam secundum corpus, sit caput aliorum hominum etiam quoad corpora.*

II. In corpore articuli unica est conclusio, responsiva quaesito affirmative: *Tota humanitas Christi, secundum scilicet animam et corpus, influit in homines, et quantum ad animam principaliter, et quantum ad corpus secundario.* Haec conclusio primo probatur; deinde declaratur ultima eius particula *. Probatur sic. Humanitas Christi habet vim influendi inquantum est coniuncta Dei Verbo, cui corpus unitur per animam. Et corpus humanum habet naturalem ordinem ad animam dupliciter: scilicet ut materia ad formam, et ut instrumentum ad principalem motorem. Ergo tota humanitas Christi, etc.

* Cf. num. seq.

Ubi nota quod, quia duo continentur in conclusione, scilicet quod corpus Christi influat, et quod corpora aliorum recipiant influxum a corpore Christi, ideo duo principia assumpta sunt in littera. Alterum commune corpori Christi et aliorum hominum corporibus, de duplici naturali ordine inter corpus et animam, ex quo habetur communio mutua, qua non solum corpus accipit ab anima, sed anima accipit a corpore ministrante sibi. Et hinc habes consequenter quod corpus Christi non est alienum a viribus suae animae: et quod corpora aliorum non excluduntur a donis suarum animarum. – Alterum principium proprium est corpori Christi, continens duo: scilicet quod humanitas Christi habet vim influendi ex coniunctione personali ad Deum; et quod corpus Christi coniunctum est Verbo mediante anima. – Ex his siquidem simul iunctis habes quod corpus Christi mediante anima habet vim influxivam ex Verbo, sicut habet mediante anima coniunctionem ad illud: ut sic et ex parte influentis, anima Christi principaliter, et corpus secundario inveniatur; et similiter ex parte recipientium influxum, animae hominum principaliter, et corpora secundario inveniantur; et utrobique eadem sit ratio, scilicet propter naturalem ordinem corporis ad animam.

III. Declaratur deinde quod corpus secundario recipiat influxum dupliciter verificari: scilicet per modum ministerii; vel per modum derivationis. Nam quando in praesenti vita anima iustificatur, movet membra corporis ad assequendam, conservandam, tuendam augendamque animae iustitiam: et sic corpus nostrum secundario, ut minister animae, movetur a iustificante animam. Quando vero in resurrectione anima gloriosa iuncta erit corpori, ex gloria animae derivabitur gloria in corpus: et sic a glorificante immortali divinaque vita animam, glorificabitur secundario corpus, redundante gloria animae in corpus.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM CHRISTUS SIT CAPUT OMNIUM HOMINUM

III *Sent.*, dist. XIII, qu. II, art. 2, quª 2.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus non sit caput omnium hominum. Caput enim non habet relationem nisi ad membra sui corporis. Infideles autem nullo modo sunt membra Ecclesiae, *quae* * Vers. 23. *est corpus Christi,* ut dicitur *Ephes.* I *. Ergo Christus non est caput omnium hominum.

* Vers. 25, 27. 2. PRAETEREA, Apostolus dicit, *Ephes.* V *, quod *Christus tradidit semetipsum pro Ecclesia, ut ipse sibi exhiberet Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi.* Sed multi sunt, etiam fideles, in quibus invenitur macula aut ruga peccati. Ergo nec erit omnium α fidelium Christus caput α.

3. PRAETEREA, sacramenta veteris Legis comparantur ad Christum sicut *umbra* ad *corpus,* * Vers. 17. ut dicitur *Coloss.* II *. Sed Patres veteris Testamenti sacramentis illis suo tempore serviebant: * Vers. 5. secundum illud *Heb.* VIII *: *Exemplari et umbrae deserviunt caelestium.* Non ergo pertinebant ad corpus Christi. Et ita Christus non est caput omnium hominum.

* Vers. 10. SED CONTRA EST quod dicitur I *Tim.* IV *: *Sal-* * Vers. 2. *vator omnium est, et maxime fidelium.* Et I Ioan. II *: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non autem pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.* β Salvare autem homines, aut propitiatorem β esse pro peccatis eorum, competit Christo secundum quod est caput. Ergo Christus est caput omnium hominum.

RESPONDEO DICENDUM quod haec est differentia inter corpus hominis naturale et corpus Ecclesiae mysticum, quod membra corporis naturalis sunt omnia simul, membra autem corporis mystici non sunt omnia simul: neque quantum ad esse naturae, quia corpus Ecclesiae constituitur ex hominibus qui fuerunt a principio mundi usque ad finem ipsius; neque etiam quantum ad esse gratiae, quia eorum etiam qui sunt in uno tempore, quidam gratia carent postmodum habituri, aliis eam iam habentibus. Sic igitur membra corporis mystici non solum accipiuntur secundum quod sunt in actu, sed etiam secundum quod sunt in potentia. Quaedam tamen sunt in potentia quae nunquam reducuntur ad actum: quae- γ dam vero γ quae quandoque reducuntur ad a- δ ctum, secundum hunc δ triplicem gradum, quorum unus est per fidem, secundus per caritatem viae, tertius per fruitionem patriae.

Sic ergo dicendum est quod, accipiendo generaliter secundum totum tempus mundi, Christus est caput omnium hominum: sed secundum diversos gradus. Primo enim et principaliter est caput eorum qui actu uniuntur sibi per gloriam. Secundo, eorum qui actu uniuntur sibi per caritatem. Tertio, eorum qui actu uniuntur sibi per fidem. Quarto vero, eorum qui sibi uniuntur ε ε solum potentia nondum ad actum reducta, quae tamen est ad actum reducenda, secundum divinam praedestinationem. Quinto vero, eorum qui in potentia sibi sunt uniti quae nunquam reducetur ad actum: sicut homines in hoc mundo viventes qui non sunt praedestinati. Qui tamen, ex hoc mundo ζ recedentes, totaliter desinunt esse ζ membra Christi: quia iam nec sunt in potentia ut Christo uniantur.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod illi qui sunt infideles, etsi actu non sint de Ecclesia, sunt tamen η in potentia. η Quae quidem potentia in duobus fundatur: primo quidem et principaliter, in virtute Christi, quae sufficiens est ad salutem totius humani generis; secundario, in arbitrii libertate.

AD SECUNDUM DICENDUM quod esse Ecclesiam *gloriosam, non habentem maculam neque rugam,* est ultimus finis, ad quem perducimur per passionem Christi. Unde hoc erit in statu patriae: non autem in statu viae, in quo, *si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus,* ut dicitur I Ioan. I *. * Vers. 8. Sunt tamen quaedam, scilicet mortalia, quibus carent illi qui sunt membra Christi per actualem unionem caritatis. Qui vero his peccatis subduntur, non sunt membra Christi actualiter, sed potentialiter: nisi forte imperfecte, per fidem informem, quae unit Christo secundum quid et non simpliciter, ut scilicet per Christum homo assequatur vitam gratiae; *fides* enim *sine operibus mortua est,* ut dicitur Iac. II *. * Vers. 20. Percipiunt tamen tales a Christo quendam actum vitae, qui est credere: sicut si membrum mortificatum moveatur aliqualiter ab homine.

AD TERTIUM DICENDUM quod sancti Patres non insistebant sacramentis legalibus tanquam quibusdam rebus, sed sicut imaginibus et umbris futurorum. Idem autem est motus in imaginem, inquantum est imago, et in rem *: ut patet per * D. 720. Philosophum, in libro *de Memoria et Reminiscentia* *. * Cap. I. - S. Th. lect. III. Et ideo antiqui Patres, servando legalia sacramenta, ferebantur in Christum per fidem et dilectionem eandem qua et nos in ipsum ferimur. Et ita Patres antiqui pertinebant ad idem corpus Ecclesiae ad quod nos pertinemus.

α) *erit... caput.* – *etiam... est caput* F et tertia.
β) *aut propitiatorem.* – *et propitiatorem* G, *et propitiationem* cetera tertia.
γ) *vero.* – *non* ABCpD, *vero sunt* editiones.
δ) *secundum hunc.* – *et secundum hunc* BC, *et secundum habet* E, *et hoc secundum* F et tertia. – Pro *unus, primus* tertia.
ε) *uniuntur.* – E; *actu uniuntur* prima et F; tertia legit: *qui sibi uniuntur solum in potentia nondum reducta ad actum;* sC: *non actu uniuntur sibi sed solum* etc.
ζ) *mundo.* – *saeculo* tertia.
η) *tamen.* – *de Ecclesia* addit tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. In corpore articuli duo fiunt: primo, declaratur modus quo corpus Christi mysticum habet membra; secundo, respondetur quaesito *. * Cf. num. seq.

Ex differentia autem inter corpus naturale et mysticum quoad modum habendi membra simul vel successive, declaratur modus quo corpus Christi mysticum habet membra: scilicet non solum in actu, sed in potentia. Et potentia quidem in proposito dupliciter invenitur: quae scilicet quandoque reducetur; et quae nunquam reducetur ad actum. Actus vero tripliciter: vel secundum fidem; vel secundum caritatem viae; vel secundum fruitionem patriae.

Ubi nota primo, quod non distinguitur potentia in potentiam reducibilem vel non reducibilem ad actum: sed in potentiam quae de facto quandoque reducetur ad actum; et in potentiam quae de facto nunquam reducetur ad actum, quamvis reducibilis fuerit ad actum, alioquin non fuisset in potentia.

Nota secundo quod, licet fides, ut in responsione ad secundum habes, constituat membrum Christi imperfecte et secundum quid; quia tamen infra latitudinem actus consistit, ideo hic primus gradus actus in esse gratiae in membris Christi assignatur fidei.

II. Conclusio responsiva est: *Christus est caput omnium hominum, diversimode tamen, loquendo generaliter secundum totum mundi tempus.* Probatur deducendo per quinque gradus secundum quos homines uniuntur Christo.

Ubi nota Auctorem in sex status omnes homines distinxisse, et omnes differentias eorum comprehendisse. In primo beati; in secundo viatores in caritate; in tertio viatores in fide tantum; in quarto viatores sine fide, praedestinati tamen; in quinto viatores sine fide non praedestinati; in sexto damnati sunt.

Et *primus* quidem gradus, licet hodie omnino sit clarus, relatus tamen ad totum mundi tempus, comprehendit sub se beatos etiam impeditos, quamvis in termino: ut erant sancti Patres in limbo ante mortem Christi. Comprehenduntur siquidem in primo gradu omnes actu Christo coniuncti immutabiliter, seu in termino: quales tunc erant sancti Patres, quibus sola patefactio caeli deerat.

Secundus vero gradus trifariam distinguitur. Nam continet tam existentes in purgatorio, qui adhuc extra viam totaliter non sunt; quam existentes in caritate hic praedestinatos; quam etiam existentes in caritate secundum praesentem iustitiam tantum, quos constat esse praescitos. Hi enim omnes, quia sunt in via et caritate, computantur inter membra Christi actualiter: sed primi duo simpliciter, tertii secundum praesentem tantum iustitiam.

Tertius quoque gradus, qui etiam secundum actum, licet imperfectum, attenditur, duo continet genera hominum: scilicet fide tantum praeditos et tamen praedestinatos; et similes non praedestinatos. Utrique enim inter membra Christi actualiter ratione fidei computantur, mortificata tamen: sed primi ut membra permansura, secundi ut membra abscindenda.

Quartus gradus, qui secundum potentiam attenditur, assignatus est in littera in ordine ad actum simpliciter, hoc est fruitionem patriae, sicut et quintus: sed quartus secundum ordinem positivum ad dictum actum; quintus secundum negationem ordinis ad eundem actum. Et quoniam iustum est ut potentiae ad actus secundum quid reducantur ad potentiam ad actum simpliciter, ideo quartus gradus comprehendit omnes viatores sine fide praedestinatos, et reductive illos etiam sine fide qui quandoque reducentur in actum fidei tantum, vel etiam caritatis viae tantum. Hi enim, ratione status potentiae quae quandoque reducetur ad actum simpliciter, ut primi, vel secundum quid, ut reliqui, quartum constituunt gradum, iuxta distinctionem praemissam in littera ante conclusionem.

Et propterea *quinto* gradui illi soli relinquuntur qui sic in vita ista degunt in potentia ad actum simpliciter vel secundum quid, quod nunquam assequentur aliquem eorum: qui scilicet non solum praesciti sunt, sed nunquam ad caritatem viae, nunquam ad fidem informem pervenient; ut sunt iugiter infideles.

Extra omnia autem Christi membra computatur *sextus* status hominum, hoc est, status aeternae damnationis. Qui etiam continet duo genera hominum: scilicet damnatorum ad poenam sensus et damni, quales sunt omnes adulti damnati; et ad poenam damni tantum, quales sunt infantes et perpetuo amentes qui sine sacramento fidei decesserunt. Hi namque, ut sic, quia nec actu nec potentia inter membra Christi sunt, aliena omnino ponuntur a capite Christo. Est tamen inter istos latitudo: dum quidam eorum decidunt a potentia tantum, ut semper infideles et qui nunquam usum liberi arbitrii habuerunt, de quibus tantum fit mentio in littera; quidam autem decidunt ab actu vel fidei tantum, vel etiam caritatis viae, ut Christiani damnati; qui membra vere abscissa a corpore Christi sunt, quoniam illius fuerunt, secundum praesentem iustitiam vel fidei sacramenta, membra.

III. In responsione ad primum eiusdem articuli, adverte, pro intellectu litterae et praedictorum, quod dupliciter possumus loqui de potentia, ut patet V *Metaphys.* *: scilicet logice, vel physice; hoc est, vel de potentia prout termini non implicant contradictionem, vel de potentia activa vel passiva existente in natura ad agendum vel patiendum actum aliquem ordinata. In praesenti materia non est sermo de potentia logice, sed physice: ut patet ex hac littera, in qua Auctor fundat potentiam ecclesiasticam, hoc est posse esse membrum Ecclesiae, quae est corpus Christi mysticum, super reali virtute Christi et reali facultate liberi arbitrii humani in statu viae; secundum enim has duas potestates dicitur aliquis physice in potentia vel non in potentia ad esse membrum Christi. Et propterea damnati omnes, licet sint in potentia logice ut sint membra Christi, quia tamen non sunt in potentia physice ad esse inter membra Christi, quoniam nec virtus Christi est ordinata ad redemptionem damnatorum (scriptum est enim * quod *in inferno nulla est redemptio*), nec illorum liberum arbitrium vertibile est amplius ad Christum quia sunt in termino, ideo simpliciter et absolute dicuntur in littera * totaliter desinere esse membra Christi.

* S.Th. lect. XIV. - Did. lib. IV, cap. XII.
* Cf. Breviar. Roman. Offic. Defunct. resp. VII ad Mat.; S. Bern. Serm. XLII, *de Divers.*
* In corpore.

IV. In responsione ad secundum, adverte quod tres conditiones Ecclesiae, hoc est *gloriosam* et *sine macula* et *sine ruga* esse, non convenire Ecclesiae militanti ratione primae conditionis manifeste patet. Sed et Auctor ratione tertiae, hoc est, peccatorum venialium, probat. Quod intellige formaliter *de Ecclesia militante,* hoc est, de congregatione fidelium existentium in caritate. Quoniam huiusmodi congregatio, ratione omnium suarum partium, in via hac rugam aliquam vetustatis habet: licet non semper in singulis. Potest enim viator aliquis aliquanto tempore sine omni actuali peccato inveniri: non potest tamen omnino vitam hanc agere sine aliquo peccato, ut in littera Apostolica probat auctoritas.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CHRISTUS, SECUNDUM QUOD HOMO, SIT CAPUT ANGELORUM

III *Sent.*, dist. XIII, qu. II, art. 2, qu^a 1; IV, dist. IX, art. 2, qu^a 5; dist. XLIX, qu. IV, art. 4, ad 5; *De Verit.*, qu. XXIX, art. 4; *Compend. Theol.*, cap. CCXIV; I *ad Cor.*, cap. XI, lect. I; *Ad Ephes.*, cap. I, lect. VIII.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus, secundum quod homo, non sit caput angelorum. Caput enim et membra sunt unius naturae. Sed Christus, secundum quod homo, non est conformis in natura cum angelis, sed solum cum hominibus: quia, ut dicitur *Heb.* II *: *Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit.* Ergo Christus, secundum quod homo, non est caput angelorum.

* Vers. 16.

2. PRAETEREA, illorum Christus est caput qui pertinent ad Ecclesiam, *quae est corpus eius* [α], ut dicitur *Ephes.* I *. Sed angeli non pertinent ad Ecclesiam: nam Ecclesia est congregatio fidelium; fides autem non est in angelis; non enim *ambulant per fidem*, sed *per speciem*, alioquin *peregrinarentur a Domino*, secundum quod Apostolus argumentatur, II *Cor.* V *. Ergo Christus, secundum quod homo, non est caput angelorum.

* Vers. 23.
* Vers. 6, 7.

3. PRAETEREA, Augustinus dicit, *super Ioan.* *, quod sicut *Verbum quod erat a* [β] *principio apud Patrem*, vivificat animas, ita *Verbum caro factum* vivificat corpora: quibus angeli carent. Sed *Verbum caro factum* est Christus secundum quod homo. Ergo Christus, secundum quod homo, non influit vitam angelis. Et ita, secundum quod homo, non est caput angelorum.

* Tractat. XIX, XXIII.

SED CONTRA EST quod Apostolus dicit, *Coloss.* II *: *Qui est caput omnis principatus et potestatis.* Et eadem ratio est de angelis aliorum ordinum. Ergo Christus est caput angelorum.

* Vers. 10.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est *, ubi est unum corpus, necesse est ponere unum caput. Unum autem corpus similitudinarie dicitur una multitudo ordinata in unum secundum distinctos actus sive officia. Manifestum est autem quod ad unum finem, qui est gloria divinae fruitionis, ordinantur et homines et angeli. Unde corpus Ecclesiae mysticum non solum consistit ex hominibus, sed etiam ex angelis. Totius autem huius multitudinis Christus est caput: quia propinquius se habet ad Deum, et perfectius participat dona ipsius, non solum quam homines, sed etiam quam angeli; et de eius [γ] influentia non solum homines recipiunt, sed etiam angeli. Dicitur enim *Ephes.* I *, quod *constituit eum*, scilicet Christum Deus Pater, *ad dexteram suam in caelestibus, supra omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro, et* [δ] *omnia subiecit sub pedibus eius.* Et ideo Christus non solum est caput hominum, sed etiam angelorum. Unde Matth. IV * legitur quod *accesserunt angeli et ministrabant ei.*

* Art. 1, ad 2.
* Vers. 20 sqq.
* Vers. 11.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod influentia Christi super omnes homines principaliter quidem est quantum ad animas: secundum quas homines conveniunt cum angelis in natura generis, licet non in natura speciei. Et huius conformitatis ratione Christus potest dici caput angelorum, licet deficiat conformitas quantum ad corpora.

AD SECUNDUM DICENDUM quod Ecclesia secundum statum viae est congregatio fidelium: sed secundum statum patriae est congregatio comprehendentium. Christus autem non solum fuit viator, sed etiam comprehensor. Et ideo non solum fidelium, sed etiam comprehendentium est caput, utpote plenissime habens gratiam et gloriam.

AD TERTIUM DICENDUM quod Augustinus ibi loquitur secundum quandam assimilationem causae ad effectum, prout scilicet res corporalis agit in corpora, et res spiritualis in res spirituales. Tamen humanitas Christi, ex virtute spiritualis naturae, scilicet divinae, potest aliquid causare non solum in spiritibus hominum, sed etiam in spiritibus angelorum, propter maximam coniunctionem eius ad Deum, scilicet secundum unionem personalem.

α) *eius.* – F et tertia praeter G; om.
β) *a.* – *in* tertia.
γ) *et de eius.* – HsG et editiones; *de eius* ABCF, *de cuius* D, *de eius enim* Ea; *sed etiam... homines* om. IpG.
δ) *et.* – Tertia; *et illud Psalmi* prima et pE, *secundum illud Psalmi* sE, *et secundum illud Psalmi (Omnia subiecisti)* Fa.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus est. In corpore articuli una est conclusio responsiva quaesito: *Christus non solum est caput hominum, sed etiam angelorum.* Probatur dupliciter: scilicet ratione; et auctoritate.

Ratione quidem, sic. Homines et angeli ordinantur ad unum finem, scilicet gloriam divinae fruitionis. Ergo corpus mysticum Ecclesiae non solum ex hominibus, sed etiam ex angelis consistit. Ergo totius huius multitudinis est caput unum, quod est Christus. Igitur Christus est caput non solum hominum, sed angelorum. – Prima consequentia probatur. Quia corpus similitudinarie dicitur quaecumque una multitudo ordinata in unum secundum distinctos actus seu officia. Hinc enim aperte patet quod multitudo angelorum et hominum, ex eo quod ordinatur ad unum finem, est unum corpus mystice: nulla enim est ambiguitas quin in his sit diversitas actuum et officiorum in ordine ad caelestem felicitatem. – Secunda vero consequentia habet duas partes: prima est quod inferatur caput unum; secunda est quod illud caput sit Christus. Et quoad primam, probatur ex eo quod, ubi est unum corpus, oportet esse caput unum. – Quoad secundam vero, probatur dupliciter. Primo, ex tribus conditionibus capitis ante * dictis, scilicet primitate, perfectione et virtute, inventis in Christo: quia propinquior est Deo, et perfectius habet dona Dei, et influit in homines et angelos. Secundo, auctoritate Apostoli, ad *Ephes.* I.

* Art. 1.

Deinde probatur conclusio principalis ex signo: quia scilicet angeli ministrabant Christo, Matth. IV. Hoc enim signum est subiectionis: cum minor sit qui ministrat *.

* Cf. Luc. cap. XXII, vers. 27.

II. In responsione ad primum eiusdem articuli, adverte, Novitie, quod non apponitur hic supra * dictis tribus conditionibus capitis quarta conditio, puta conformitas naturae. Sed prius fuit sermo de conditionibus propriis capitis, quibus differt et praestat ceteris membris. Modo autem loquimur de conditione communi capiti et reliquis membris: oportet siquidem omnia membra corporis unius esse naturae, puta humanae vel leoninae vel taurinae, etc. Unde conditio ista conformitatis in natura exigitur ad caput ut praesupposita, sicut commune praesupponitur proprio. Et propterea in littera dicitur quod, *propter conformitatem Christi cum angelis in natura generis, potest Christus dici caput angelorum:* non quod conformitas sit ratio Christo quod sit caput, cum conformitas communis sit Christo et angelis; sed quia conformitas ratio est quod in Christo inveniatur communis conditio capiti et membris. Et ideo, propter conformitatem ut conditionem communem, Christus, habens proprias capitis conditiones, potest dici caput angelorum.

* Art. 1.

III. In responsione ad tertium eiusdem articuli, dubium occurrit circa causalitatem corporalis naturae Christi super angelos, qui sunt puri spiritus, corporibus nec uniti nec unibiles ut formae. Non videtur siquidem intelligibile quod corpus possit agere in spiritum separatum omnino, peripatetice loquendo: cum non communicent *; et longe inferioris, immo infimae naturae sit corpus quodcumque, cum corporalibus, respectu substantiarum omnino separatarum a materia, quales supponimus angelos esse.

* Cf. Aristot. *de Gen. et Corr.* lib. I, cap. VI, n. 3; cap. X, n. 8. – Continuat. Comment. a. Th. lect. XVIII, XXV.

Ad hoc dicitur quod, licet hoc mirum appareat, si tamen consideremus phantasma sub lumine intellectus agentis posse in animam intellectivam agere, non erit incredibile quod aliqua res corporea, virtute divinitatis cui iuncta est personaliter, possit in substantiam separatam agere: ut sic quod phantasma ex naturali vinculo cum anima intellectiva sortitum est, humanitas Christi ex supernaturalissima et maxima coniunctione ad divinitatem adepta sit excellentiori modo; quia potest libere, instrumentaliter tamen, causare in angelis et animabus nostris aliquid spirituale. Non intelligo tamen hunc causandi modum excedere modum quo ponimus sacramenta causare in animabus nostris spirituales gratias.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM SIT EADEM GRATIA QUA CHRISTUS EST CAPUT ECCLESIAE, CUM GRATIA SINGULARI ILLIUS HOMINIS

III *Sent.*, dist. XIII, qu. III, art. 2, qu^a 1, 2; *De Verit.*, qu. XXIX, art. 5.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod non sit eadem gratia qua Christus est caput Ecclesiae, cum gratia singulari illius hominis. Dicit enim Apostolus, *Rom.* V *: *Si unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit.* Sed aliud est peccatum actuale ipsius Adae: et aliud peccatum originale, quod traduxit in posteros. Ergo alia est gratia personalis, quae est propria ipsius Christi: et alia est gratia eius inquantum est caput Ecclesiae, quae ab ipso ad alios derivatur.

* Vers. 15.

2. Praeterea, habitus distinguuntur secundum actus. Sed ad alium actum ordinatur in Christo gratia eius personalis, scilicet ad sanctificationem illius animae: et ad alium actum ordinatur gratia capitis, scilicet ad sanctificandum alios. Ergo alia est gratia personalis ipsius Christi: et alia est gratia eius inquantum est caput Ecclesiae.

3. Praeterea, sicut supra * dictum est, in Christo distinguitur triplex gratia: scilicet gratia unionis, gratia capitis, et gratia singularis illius hominis. Sed gratia singularis Christi est alia a gratia unionis. Ergo est etiam alia a gratia capitis.

* Qu. VII, Introd.

Sed contra est quod dicitur Ioan. I *: *De plenitudine eius omnes accepimus.* Secundum hoc autem est caput nostrum, quod ab eo accipimus. Ergo secundum hoc quod habet plenitudinem gratiae, est caput nostrum. Plenitudinem autem gratiae habuit secundum quod perfecte fuit in illo gratia personalis, ut supra * dictum est. Ergo secundum gratiam personalem est caput nostrum. Et ita non est alia gratia capitis, et alia gratia personalis.

* Vers. 16.

* Qu. VII, art. 9.

Respondeo dicendum quod unumquodque agit inquantum est ens actu *. Oportet autem quod sit idem actu [α] quo aliquid est actu, et quo agit: et sic idem est calor quo ignis est calidus, et quo calefacit. Non tamen omnis actus quo aliquid est actu, sufficit ad hoc quod sit principium agendi in alia: cum enim *agens sit praestantius patiente,* ut Augustinus dicit, XII *super Gen. ad litt.* *, et Philosophus, in III *de Anima* **, oportet quod agens in alia habeat actum secundum eminentiam quandam. Dictum est autem [β] supra * quod in anima Christi recepta est gratia secundum maximam eminentiam. Et ideo ex eminentia gratiae [γ] quam accepit, competit sibi quod gratia illa ad alios derivetur. Quod pertinet ad rationem capitis. Et ideo eadem est secundum essentiam gratia personalis qua anima Christi est iustificata, et gratia eius secundum quam est caput Ecclesiae iustificans alios: differt tamen secundum rationem.

* Aristot. *Metaphys.* lib. VIII, cap. VIII, n. 3; s. Th. lib. IX, lect. VII. – Cf. *Physic.* lib. III, cap. II, n. 6; s. Th. lect. IV.

α

* Cap. XVI.
** Cap. V, n. 2. – S. Th. lect. X.

β

* Qu. VII, art. 9, 10.

γ

Ad primum ergo dicendum quod peccatum originale in Adam, quod est peccatum naturae, derivatum est a peccato actuali ipsius, quod est peccatum personale *, quia in eo persona corrupit [δ] naturam; qua corruptione mediante, peccatum primi hominis derivatur ad posteros, secundum quod natura corrupta corrumpit personam. Sed gratia non derivatur a Christo in nos mediante natura humana, sed per solam personalem actionem ipsius Christi. Unde non oportet

* D. 1006.

δ

α) *sit idem actu.* – DE; *sit idem sic actum* A, *sit idem sit actu* pBC, *sit idem actus* FsBC, *actu sit idem* ed. *a;* tertia legit: *Respondeo dicendum quod, quia unumquodque agit inquantum est actu, oportet quod idem sit actus quo aliquid est actu et quo agit, sicut (sicut* etiam F) *idem est calor* etc.

β) *autem.* – Tertia; *enim.*

γ) *gratiae.* – F*a* et tertia; *gratiae illa* ABC, *gratia* D, *illa gratiae* E.

δ) *corrupit.* – *a* et sF; *corrumpit.*

in Christo distinguere duplicem gratiam, quarum una respondeat naturae, alia personae, sicut in Adam distinguitur peccatum naturae et personae.

Ad secundum dicendum quod diversi actus quorum unus est ratio et causa alterius, non diversificant habitum *. Actus autem personalis gratiae, qui est sanctum facere formaliter habentem, est ratio iustificationis aliorum, quae pertinet [ε] ad gratiam capitis. Et inde est quod per huiusmodi differentiam non diversificatur essentia habitus.

* D. 57.

Ad tertium dicendum quod gratia personalis et gratia capitis ordinantur ad aliquem actum: gratia autem unionis non ordinatur ad actum, sed ad esse personale. Et ideo gratia personalis et gratia capitis conveniunt in essentia habitus: non autem gratia unionis. – Quamvis gratia personalis possit quodammodo dici gratia unionis [ζ], prout facit congruitatem quandam ad unionem. Et secundum hoc, una per essentiam est gratia unionis et gratia capitis et gratia singularis personae, sed differens sola ratione.

ε) *pertinet.* – P; *pertinent.*

ζ) *Quamvis gratia... unionis.* – F et tertia; om.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est: de identitate enim reali quaeritur. In corpore articuli unica est conclusio, responsiva quaesito affirmative: *Gratia personalis qua anima Christi iustificata est, et gratia eius secundum quam est caput Ecclesiae iustificans alios, est eadem secundum essentiam, differt tamen secundum rationem* *. Probatur. Quo aliquid est actu, et quo agit, est unus actus: oportet tamen, ad hoc ut sit quo agat in alia, quod actus secundum eminentiam quandam habeatur. Ergo gratia Christi habet etiam quod sit activa in alios: quod pertinet ad rationem capitis. Ergo gratia personalis qua anima Christi iustificata est, et gratia eiusdem qua est caput Ecclesiae iustificans alios, est eadem.

* Cf. num. iv.

Antecedens, quoad primam partem, probatur ratione: quia unumquodque agit secundum quod est ens actu. Et exemplo, in calore ignis. – Quoad secundam vero partem: quia *agens oportet esse praestantius patiente,* ut Augustinus et Aristoteles testantur. – Consequentia vero prima probatur. Quia in anima Christi recepta est gratia secundum maximam eminentiam. – Secunda autem est per se evidens.

II. Sed occurrit hic dubium quantum valeat processus iste, ex hoc quod actus habetur secundum quandam eminentiam, inferens quod sit activus aliorum eiusdem rationis. Supponimus enim habitualem gratiam in anima Christi et in aliis esse unius speciei specialissimae secundum essentiam. Et est ratio dubii quia, licet ex hoc quod actus aliquis eminet et praestat, habeat quod sit activus sibi similis; non tamen ex hoc sibi vindicat quod sit caput omnium aliorum sibi similium, hoc est, quod sit activum omnium sibi similium, ut patet inductive: alioquin, quodlibet activum esset activum omnium sibi similium. Peccat ergo processus iste, quia aliud est probare quod actus sit activus sibi similis, quod probatur in littera: et aliud, quod sit activus omnis sibi similis; quod erat probandum, quia hoc importatur nomine gratiae capitalis.

Ad hoc dicitur quod, quia sermo litterae formalis est, non spectat ad locum hunc probare, sed supponere ex ante discussis gratiam Christi qua influit aliis, esse capitalem, hoc est, influxivam in omnes. Et propterea falsum obiiciendo assumitur quod erat hic probandum gratiam Christi esse activam omnis sibi similis, seu capitalem. Sed littera synonyme utitur gratia Christi qua agit in alios, et gratia Christi ut est caput, hoc est, qua agit in omnes: quia supponit quod agere in alios coincidit cum agere in omnes respectu gratiae Christi, quam superius * manifestavit esse gratiam capitis, cuius est in omnia membra influere. Quia igitur ut synonyma haec hic habentur, ideo Auctor sollicitus tantum fuit ut probaret identitatem actus quo Christi anima est in se sancta, et quo alios sanctificat. Et hanc identitatem probat sufficienter ex hoc quod posse agere non addit super actum dantem esse nisi eminentiam quandam: quam constat non mutare essentiam actus. Unde restat processus solidus et efficax.

* Art. 1.

III. Cum his quoque scito quod in littera non dicitur quod habeatur actus intensissime, sed dicitur quod habeatur *secundum eminentiam quandam*: et de Christo subditur quod habuit gratiam *secundum eminentiam maximam.* Plus enim comprehenditur sub eminentiae nomine quam intensionis quantaecumque. Et revera quando actus habetur secundum eminentiam intensionis et modi habendi, est causa universalis, homogenea tamen, reliquorum: ut patet in calore, qui, quoniam in summo invenitur in igne et habetur eminenti modo, quia calor in summo est naturalis proprietas ignis solius, ideo est causa univoca ceterorum calidorum. Et proportionaliter, quia in anima Christi gratia est in summo et habetur eminentissimo modo, quia ut naturalis proprietas consequens unionem personalem, iuxta illud *, *Vidimus gloriam eius quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae,* etc.: ideo gratia Christi, ex eminentia tali, est activa in alios, et est activa in omnes ut caput; ac per hoc, ut conforme seu homogeneum.

* Ioan. cap. 1, vers. 14.

IV. Ultima pars conclusionis, hoc est, *Differt tamen ratione,* non aliter probatur in littera, quia clara est. Constat enim secundum rationem differre quod gratia est actus faciens formaliter esse gratum, et quod est principium agendi in alios. Alioquin, esse gratum et causare gratiam in alios essent idem.

V. In responsione ad primum, scito, Novitie, quod in Adam distinguitur peccatum personae et naturae, quia peccatum personae vocatur peccatum illud quod in actu primi peccati Adae consistit; peccatum vero naturae vocatur fomes peccati cum privatione originalis iustitiae. Et quia hoc secundum causatum fuit in Adam ex primo, ideo dicitur quod *persona,* hoc est actus personalis, *corrupit naturam,* hoc est naturale bonum ac Donum. In nobis autem dicitur quod *natura corrumpit personam,* quia ex fomite, etc., quem cum natura contraximus, persona et damnationi obnoxia semper est (nisi per baptismum repararetur), et in peccatum actuale labitur. Non proportionaliter autem se habet Christi gratia, ut scilicet alia sit gratia naturae, alia personae. Tum quia gratia non est data Christo ex animae suae actuali operatione. Tum quia gratia non communicatur nobis a Christo per actionem naturae, seu communicando naturam: sed per actionem personalem Christi, qua meruit nobis et voluntarie influit nobis gratiam.

VI. In responsione ad tertium, vide, Novitie, quod Auctor primo appellat gratiam unionis id quod proprie est gratia unionis: et de illa dicit quod non est eadem gratiae personali seu habituali. Deinde, propter reverentiam aliorum, permittit appellari ipsam habitualem gratiam Christi nomine gratiae unionis, non simpliciter, sed *quodammodo:* pro quanto scilicet ipsa habitualis gratia in Christo facit congruitatem quandam ad unionem. Et intelligit de congruitate, non antecedente unionem, velut disponente ad illam: sed de congruitate consequente ad unionem. Reddit enim habitualis gratia animam Christi congruam dignitati unionis, ad quam praeelevata intelligitur: sicut gravitas congruit terrae; et sicut desponsata iam mulier principi, congrua redditur principi ex ornatu iocalium quae ex dono sponsi accepit.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM ESSE CAPUT ECCLESIAE SIT PROPRIUM CHRISTO

De Verit., qu. XXIX, art. 4, ad 2.

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod esse caput Ecclesiae non sit proprium Christo. Dicitur enim I *Reg.* XV*: *Cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es.* Sed una est Ecclesia in novo et in veteri Testamento. Ergo videtur quod, eadem ratione, alius homo praeter Christum potest esse caput Ecclesiae.

* Vers. 17.

2. PRAETEREA, ex hoc Christus dicitur caput Ecclesiae quod gratiam influit Ecclesiae membris. Sed etiam ad alios pertinet gratiam aliis praebere: secundum illud *Ephes.* IV*: *Omnis sermo malus ab ore vestro non procedat: sed si quis bonus est ad aedificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Ergo videtur quod etiam alii quam Christo competat esse caput Ecclesiae.

* Vers. 29.

3. PRAETEREA, Christus, ex eo quod praeest Ecclesiae, non solum dicitur caput, sed etiam *pastor** et *fundamentum*** Ecclesiae. Sed non soli sibi [α] Christus retinuit nomen pastoris: secundum illud I Pet. V*: *Cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam.* Nec etiam nomen fundamenti: secundum illud *Apoc.* XXI*: *Murus civitatis habens fundamenta duodecim.* Ergo videtur quod nec etiam nomen capitis sibi soli retinuerit.

* Ioan. cap. X, vers. 11, 14; *ad Heb.*, cap. XIII, vers. 20.
** I *ad Cor.*, cap. III, vers. 11.
α
* Vers. 4.
* Vers. 14.

SED CONTRA EST quod dicitur *Coloss.* II*: *Caput Ecclesiae est ex quo corpus, per nexus et coniunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei.* Sed hoc soli Christo convenit. Ergo solus Christus est caput Ecclesiae.

* Vers. 19.

RESPONDEO DICENDUM quod caput in alia membra influit dupliciter. Uno modo, quodam intrinseco influxu: prout [β] virtus motiva et sensitiva a capite derivatur ad cetera membra. Alio modo, secundum exteriorem quandam gubernationem: prout scilicet secundum visum et alios sensus, qui in capite radicantur, dirigitur homo in exterioribus actibus.

β

Interior autem effluxus [γ] gratiae non est ab aliquo nisi a solo Christo, cuius humanitas, ex hoc quod est divinitati adiuncta [δ], habet virtutem iustificandi. Sed influxus in membra Ecclesiae quantum ad exteriorem gubernationem, potest aliis convenire. Et secundum hoc, aliqui alii possunt dici capita Ecclesiae: secundum illud Amos VI*: *Optimates capita populorum.* Differenter tamen a Christo. Primo quidem, quantum ad hoc, quod Christus est caput omnium eorum qui ad Ecclesiam pertinent secundum omnem locum et tempus et statum: alii autem homines dicuntur capita secundum quaedam specialia loca, sicut episcopi suarum ecclesiarum; vel etiam secundum determinatum tempus, sicut Papa est caput totius Ecclesiae, scilicet tempore sui pontificatus; et secundum determinatum statum, prout scilicet sunt in statu viatoris. Alio modo, secundum quod [ε] Christus est caput Ecclesiae propria virtute et auctoritate: alii vero dicuntur capita inquantum vicem gerunt Christi; secundum illud II *Cor.* II*: *Nam et ego, quod donavi, si quid donavi, propter vos, in persona Christi;* et II *Cor.* V*: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.*

γ
δ
* Vers. 1.
ε
* Vers. 10.
* Vers. 20.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod verbum illud intelligitur secundum quod ratio capitis consideratur ex exteriori gubernatione, prout rex dicitur caput regni sui.

AD SECUNDUM DICENDUM quod homo non dat gratiam interius influendo, sed exterius persuadendo ad ea quae sunt gratiae.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut dicit Augustinus, *super Ioan.**, *si praepositi Ecclesiae pastores sunt, quomodo unus pastor est, nisi quia sunt illi omnes unius membra pastoris?* Et similiter alii possunt dici fundamenta et capita, inquantum sunt unius capitis et fundamenti membra. Et tamen, sicut Augustinus ibidem * dicit, *quod pastor est* [ζ], *dedit membris suis: ostium vero se nemo nostrum dicit; hoc sibi ipse proprium tenuit.* Et hoc ideo quia in ostio importatur principalis auctoritas, inquantum ostium est per quod omnes ingrediuntur in domum: et ipse solus Christus est *per quem accessum habemus in gratiam istam in qua stamus**. Per alia vero nomina praedicta potest importari auctoritas non solum principalis, sed etiam secundaria.

* Tract. XLVI.
* Tract. XLVII.
ζ
* *Ad Rom.*, cap. V, vers. 2.

α) *soli sibi.* – *solus sibi* G, *sibi solum* P, *solum sibi* cetera tertia et F.
β) *prout.* – *scilicet* addit tertia.
γ) *effluxus.* – *exfluxus* A, *influxus* P.
δ) *adiuncta.* – *coniuncta* tertia.
ε) *secundum quod.* – *quia* tertia.
ζ) *quod pastor est.* – *quī pastor est* ed. *a*, *quod pastorem* DEHIbc, *quod pastorem esse* F, *pastorem esse* P; pro *se nemo nostrum dicit* quod legit G, *se nemo nostrum dedit* BCDE, *nemo dedit* A, *nemo nostrum se dicit* cetera tertia et F.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo articuli sexti, nota quod in dubium dupliciter potest verti an esse caput Ecclesiae sit proprium Christo: primo, in ordine ad Deum et personas Patris et Spiritus Sancti; secundo, in ordine ad creaturas angelicas et humanas. In hac tamen littera non disputatur, et consequenter non quaeritur, nisi secundo modo: ita quod ly *proprium* excludit commune Christo et aliis creaturis. De Deo enim Patre dictum est, *caput Christi* (ac per hoc, Ecclesiae totius, hoc est, totius integri corporis ecclesiastici ex capite et membris constantis) *Deus**: de Spiritu Sancto autem, quod est *cor Ecclesiae**. Et propterea esse caput homogeneum, idest eiusdem naturae specificae vel genericae, proprium Christo esse, et non commune toti Trinitati, relictum est. Nunc superest videre an sit commune Chri-

* I *ad Cor.*, cap. XI, vers. 3.
* Cf. art. 1, ad 3.

sto, secundum naturam humanam, et alteri creaturae: an soli Christo conveniat.

II. In corpore articuli unica est distinctio bimembris, cum duabus conclusionibus responsivis iuxta singula membra.

Distinctio est de esse caput, vel secundum influxum interiorem; vel secundum exteriorem gubernationem.

Prima conclusio est: *Esse caput Ecclesiae secundum interiorem influxum est proprium Christo.* Probatur. Quia sola humanitas Christi habet virtutem iustificandi: quia sola coniuncta est personaliter divinitati.

Secunda conclusio est: *Esse caput Ecclesiae secundum exteriorem gubernationem est commune Christo et aliis: differenter tamen.* Prima pars conclusionis, utpote clara, manifestatur auctoritate Amos. – Secunda autem pars ex duplici differentia. Prima, secundum extensionem vel restrictionem: quia gubernatio Christi extenditur ad omne tempus, omnem locum, omnemque statum, scilicet viae et termini; aliorum vero restringitur vel ad certum locum, vel certum tempus, vel certum statum. Secunda, secundum virtutem propriam vel vicariam: quia Christus propria auctoritate est caput, alii ut vices gerentes Christi, ut patet auctoritatibus.

III. In responsione ad tertium eiusdem articuli, discerne, Novitie, inter ostium et ostiarium. Quia licet esse ostium Ecclesiae ac regni caelorum sibi soli Dominus reservaverit, esse tamen ostiarium aliis communicavit, claves regni caelestis tribuendo, et Petrum ianitorem caeli instituendo *. * Matth. cap. XVI, vers. 19.

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM DIABOLUS SIT CAPUT MALORUM

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod diabolus non sit caput malorum. Ad rationem enim capitis pertinet quod influat sensum et motum in membra: ut dicit quaedam Glossa *, *ad Ephes.* I, super illud, *Ipsum dedit caput,* etc. Sed diabolus non habet virtutem influendi malitiam peccati, quod ex voluntate peccantis procedit. Ergo diabolus non potest dici caput malorum.

* Ord. Anselm. sup. *Coloss.* cap. I, vers. 18. - Cf. Halens. *Summ. Theol.* part. III, qu. XII, memb. 2, art. 1, in solut.

2. Praeterea, per quodlibet peccatum fit homo malus. Sed non omnia peccata sunt a diabolo. Quod quidem manifestum est de peccatis daemonum, qui non ex persuasione alterius peccaverunt. Similiter etiam nec omne peccatum hominis ex diabolo procedit: dicitur enim in libro *de Ecclesiasticis Dogmatibus* *: *Non omnes cogitationes nostrae malae semper diaboli instinctu excitantur: sed aliquoties ex motu arbitrii nostri emergunt.* Ergo diabolus non est caput omnium malorum.

* Cap. XLIX, al. LXXXII. - Inter Opp. Aug.

3. Praeterea, unum caput uni corpori praeficitur. Sed tota multitudo malorum non videtur habere aliquid in quo uniantur: quia *malum malo contingit esse contrarium* *; contingit enim [α] *ex diversis defectibus,* ut Dionysius dicit, IV cap. *de Div. Nom.* * Ergo diabolus non potest dici caput omnium malorum.

* Aristot. *Categ.* cap. VIII, n. 23. α
* S. Th. lect. XXII.

Sed contra est quod, super illud *Iob* XVIII *, *Memoria illius pereat de terra,* dicit Glossa *: *De unoquoque iniquo dicitur ut ad caput, idest diabolum, revertatur.*

* Vers. 17.
* Ord. ex Greg., super vers. 18.

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, caput non solum interius influit membris, sed etiam exterius gubernat, eorum actus dirigendo ad aliquem finem. Sic igitur potest dici aliquis caput alicuius multitudinis vel secundum utrumque, scilicet secundum interiorem influxum et exteriorem gubernationem: et sic est Christus caput Ecclesiae, ut dictum est *. – Vel secundum solam exteriorem gubernationem: et sic quilibet princeps vel praelatus est caput multitudinis sibi subiectae. Et per hunc modum dicitur diabolus caput omnium malorum: nam, ut dicitur *Iob* XLI *, *ipse est rex super omnes filios superbiae.*

* Art. praeced.
* Ibid.
* Vers. 25.

Pertinet autem ad gubernatorem ut eos quos gubernat ad suum finem perducat. Finis autem diaboli est aversio rationalis creaturae a Deo: unde a principio hominem ab obedientia divini praecepti removere tentavit *. Ipsa autem aversio a Deo habet rationem finis inquantum appetitur sub specie libertatis: secundum illud Ierem. II *: *A saeculo confregisti iugum, rupisti vincula, dixisti, Non serviam.* Inquantum igitur ad hunc finem aliqui adducuntur peccando, sub diaboli regimine et gubernatione cadunt. Et ex hoc dicitur eorum caput.

* *Gen.* cap. III.
* Vers. 20.

Ad primum ergo dicendum quod, licet diabolus non influat interius rationali menti, tamen suggerendo inducit ad malum.

Ad secundum dicendum quod gubernator non semper suggerit singulis [β] ut eius voluntati obediant, sed proponit omnibus signum suae voluntatis, ad cuius sequelam aliqui excitantur inducti, alii sponte propria [γ]: sicut patet in duce exercitus, cuius vexillum sequuntur milites etiam nullo persuadente. Sic igitur primum peccatum diaboli, qui *ab initio peccat,* ut dicitur I Ioan. III *, propositum est omnibus ad sequendum [δ]: quod quidam imitantur per suggestionem ipsius, quidam propria sponte absque ulla suggestione. Et secundum hoc, omnium malorum caput est diabolus, inquantum illum imitantur: secundum illud *Sap.* II *: *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.*

β γ
* Vers. 8. δ
* Vers. 24, 25.

Ad tertium dicendum quod omnia peccata conveniunt in aversione a Deo, licet ad invicem differant secundum conversionem ad diversa commutabilia bona.

α) *enim.* – *etiam* tertia praeter I.
β) *singulis.* – F et tertia; *subiectos* A, *subiectis* ceteri.
γ) *sponte propria.* – *propria sponte* tertia.
δ) *ad sequendum.* – H et editiones; *assequendum.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore articuli repetitur, primo, supra * posita distinctio de capite secundum interiorem influxum, et secundum gubernationem exteriorem. Et ponitur deinde conclusio responsiva quaesito, iuxta alterum membrum distinctionis: *Diabolus est caput omnium malorum secundum exteriorem gubernationem.* (* Art. praeced.)

Probatur dupliciter. Primo, auctoritate *Iob: Ipse est rex,* etc.

Secundo, ratione. Finis diaboli est aversio a Deo. Ergo, inquantum quicumque abducuntur peccando in hunc finem, sub diaboli gubernatione cadunt. Ergo diabolus est omnium malorum caput secundum gubernationem. – Antecedens probatur, primo, ex hoc quod tentavit ab initio a divinis abducere. Manifestatur deinde quomodo aversio potest habere rationem finis: scilicet sub specie libertatis. Probatur auctoritate Ieremiae. – Consequentia vero prima probatur: quia ad gubernatorem pertinet adducere quos gubernat in suum finem. – Altera autem sequela est per se nota.

Coniunge huic doctrinae responsionem ad secundum, et perspice quod ad gubernatorem spectat ad suum finem alios adducere, non uno tantum modo, sed diversis: scilicet vel impellendo, vel solum ex proposito signo sui regni. Et sic videbis primam consequentiam tenere, dum ex fine diaboli omnes ad illum finem tendentes sub diaboli regimine concludi infertur: tanquam diabolus ipse omnium talium dux fuerit, hoc vel illo modo, ad suum vexillum.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM ANTICHRISTUS SIT CAPUT MALORUM



Ad octavum sic proceditur. Videtur quod Antichristus non sit caput malorum. Unius enim corporis non sunt diversa capita. Sed diabolus est caput multitudinis malorum. Non ergo Antichristus est eorum caput.

2. Praeterea, Antichristus est membrum diaboli. Sed caput distinguitur a membris. Ergo Antichristus non est caput malorum.

3. Praeterea, caput habet influentiam in membra. Sed Antichristus nullam habet influentiam in malos homines qui eum praecesserunt. Ergo Antichristus non est caput malorum.

Sed contra est quod *Iob* xxi, super illud *, *Interrogate quemlibet de viatoribus,* dicit Glossa *: *Dum de omnium malorum corpore loqueretur, subito ad omnium iniquorum caput, Antichristum, verba convertit.* (* Vers. 29. * Ord. Greg.)

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, in capite naturali tria inveniuntur: scilicet ordo, perfectio et virtus influendi. Quantum ergo ad ordinem temporis, non dicitur esse Antichristus caput malorum, quasi eius peccatum praecesserit, sicut praecessit peccatum diaboli. (* Art. 1.)

Similiter etiam non dicitur esse malorum caput propter virtutem influendi. Si [α] enim aliquos sui temporis ad malum sit conversurus, exterius inducendo; non tamen illi qui ante eum fuerunt, ab ipso sunt in malitiam inducti, nec eius malitiam sunt imitati. Unde secundum hoc non posset dici caput omnium malorum, sed aliquorum.

Relinquitur igitur quod dicatur caput omnium malorum propter malitiae perfectionem. Unde super illud II *Thess.* II *, *Ostendens se tanquam sit Deus,* dicit Glossa *: *Sicut in Christo omnis plenitudo divinitatis inhabitavit, ita in Antichristo plenitudo omnis malitiae:* non quidem ita quod humanitas eius sit assumpta a diabolo in unitate personae, sicut humanitas Christi a Filio Dei; sed quia diabolus malitiam suam eminentius ei influit [β] suggerendo quam omnibus aliis. Et secundum hoc, omnes alii mali qui praecesserunt sunt quasi quaedam figura Antichristi: secundum illud II *Thess.* II *: *Mysterium iam operatur iniquitatis* **. (* Vers. 4. * Ord. ex Haym. * Vers. 7. ** Cf. Gloss. Haym. super istum loc.)

Ad primum ergo dicendum quod diabolus et Antichristus non sunt duo capita, sed unum: quia Antichristus dicitur esse caput inquantum plenissime invenitur [γ] in eo impressa malitia diaboli. Unde super illud II *Thess.* II *, *Ostendens se tanquam sit Deus,* dicit Glossa *: *In ipso erit caput omnium malorum, scilicet diabolus, qui est rex super omnes filios superbiae.* Non autem dicitur in eo esse per unionem personalem; nec per intrinsecam habitationem [δ], quia *sola Trinitas menti illabitur,* ut dicitur in libro *de Ecclesiasticis Dogmatibus* *: sed per malitiae effectum. (* Vers. 4. * Ord. Haym. * Cap. L, LXXXIII. – Inter. Opp. Aug.)

Ad secundum dicendum quod, sicut *caput Christi est Deus* *, et tamen *ipse est caput Ecclesiae* **, ut supra * dictum est; ita Antichristus est membrum diaboli, et tamen ipse est caput malorum. (* I *ad Cor.* cap. XI, vers. 3. ** *Ad Coloss.* cap. I, vers. 18. * Art. 1, ad 2.)

Ad tertium dicendum quod Antichristus non dicitur caput omnium malorum propter similitudinem influentiae, sed propter similitudinem perfectionis. In eo enim diabolus quasi malitiam suam ducet ad caput: per modum quo dicitur aliquis *ad caput* propositum suum ducere, cum illud perfecerit.

α) *Si.* – *Etsi* tertia.
β) *influit.* – *influat* I, *influet* cetera tertia.
γ) *invenitur.* – *invenietur* BCDI.
δ) *habitationem.* – *inhabitationem* F et tertia praeter I.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore articuli est unica conclusio responsiva quaesito: *Antichristus est omnium malorum hominum caput secundum perfectionem tantum.*

Haec conclusio habet tres partes: unam affirmative, quod est omnium caput secundum perfectionem; et duas negative, et quod non est caput secundum ordinem, nec secundum virtutem tam interiorem quam exteriorem; iuxta tres modos quibus potest dici caput, secundum similitudi-

nem ad tres conditiones capitis, scilicet ordinem, virtutem et perfectionem. Et propterea in littera probatur processu divisivo: sic quod primo repetitur trimembris ac sufficiens divisio conditionum secundum quarum similitudinem caput dicitur in sacris litteris mystice; deinde excludit singillatim duo membra, scilicet secundum ordinem, et secundum virtutem tam intus quam extra; et sic concludit tertium membrum, scilicet secundum perfectionem.

Ubi, quia processus clare patet in littera, nota quod Auctor, licet quaerat an Antichristus sit caput omnium malorum hominum, quia tamen hoc ex auctoritate constat sic esse, respondet ad id quod est obscurum in hoc quaesito, scilicet qua ratione sit caput omnium hominum malorum: et dicit quod ratione perfectionis. Nec hoc exorbitat ab arte: quoniam, ut patet II *Poster.* *, omnis quaestio est quaestio medii; constat autem *quod quid est* esse medium ad omnem quaestionem solvendam *; ratio autem qua Antichristus est caput omnium malorum, est *quod quid est* esse capitis in Antichristo respectu omnium malorum.

* Cap. II, n. 2 sqq. - S. Th. lect. I.

* Ibid., cap. V, n. 4. - S. Th. lect. IV.

Confirmat autem littera conclusionem illatam ex auctoritate Glossae. Quam etiam declarat, tollens falsum sensum qui posset ex illa accipi. Et clare patent omnia.

Et demum declarat quo pacto mali priores Antichristo secundum tempus se habent ad ipsum, scilicet ut figura quaedam: ut ex Glossa super illud, *Nam mysterium iam operatur iniquitatis,* dicit. Ubi perspicere potes esse inter Antichristum et alios malos ipsum praecedentes non solum simplicem habitudinem perfecti ad imperfectos, quia ille perfectionem omnis malitiae, isti minus mali: sed esse talem modum habitudinis imperfectionis, quo scilicet figura est imperfectior figurato. Ita quod Antichristus est caput praecedentium malorum ratione perfectionis et quia in ipso est plenitudo malitiae, in aliis pars aliqua malitiae; et quia ipse est ut veritas malitiae, illi ut figura tantae futurae malitiae. Et propterea dicitur *operari iam mysterium iniquitatis:* quia iniqui operantur malum non solum secundum se, sed ut figura malitiae sui capitis. Figura enim mysterium est respectu figurati: et figuratum operari dicitur, non secundum se, sed secundum se figurantes, quando ad ipsum figurandum operantur, ut contingit quando mali inique agunt.

Memento hic doctrinae acceptae in V *Metaphys.* *, quod perfectum et imperfectum transferimus etiam ad mala, dum dicimus perfectum latronem, et perfectum tyrannum, et huiusmodi. Sic namque hic dicimus Antichristum esse caput ratione perfectionis: quia scilicet perfecte malus.

* S. Th. lect. XVIII. - Did. lib. IV, cap. XVI, n. 1.

II. Occurrit hic dubium, an Antichristus dicitur caput omnium malorum tam daemonum quam hominum: an hominum tantum. Et est ratio dubii quia in littera nunquam restringuntur membra Antichristi ad malos homines: sed absolute dicitur caput malorum.

Et, quod plus est, dum in littera distinguuntur articuli huius quaestionis, post locatum articulum septimum, *An diabolus sit caput omnium malorum,* locando hunc octavum dicitur: *An Antichristus etiam possit dici caput omnium malorum.* Ubi, apponendo ly *etiam,* ostendit quod ad eosdem omnes malos refert Antichristum ad quos retulerat diabolum. Constat autem diabolum esse caput omnium malorum tam daemonum quam hominum. Ergo Antichristus etiam erit caput eorundem.

Et confirmatur ratione ex auctoritate Glossae II *ad Thess.* II: *Sicut in Christo plenitudo divinitatis, ita in Antichristo plenitudo malitiae* *. Si enim in Antichristo habitabit plenitudo malitiae Luciferi, sequitur quod erit perfectior in malitia quam quicumque alii mali tam daemones quam homines. Et consequenter est caput, ratione perfectionis, tam daemonum quam hominum malorum.

* Cf. corp. art.

In oppositum est et quia absurdum est ponere Antichristum caput daemonum.

Et quia Antichristus, cum sit viator purus, non potest poni caput malorum in termino, quales sunt daemones: cum quilibet damnatus, utpote omnino pertinax et inflexibilis ad bonum, sit peior quocumque viatore; sicut e contra quilibet beatus melior est quocumque puro viatore, iuxta illud Matth. XI *, *Qui autem minor est in regno caelorum, maior est illo,* scilicet Ioanne Baptista.

* Vers. 11.

III. Ad hoc dicitur quod procul dubio Antichristus non est caput daemonum malorum, sed hominum tantum. Quia nec ordine, nec virtute, nec perfectione illos excedet in malitia: cum sit futurus purus viator; ac per hoc, non habiturus ita malam voluntatem sicut habent daemones, qui in quolibet opere suo sunt mali, adeo quod etiam naturalibus actibus apponunt circumstantias malas. Antichristum autem nihil prohibet operaturum aliquid de genere suo bonum sine mala operis circumstantia: puta quia honorabit parentes, et huiusmodi. Unde et angelum custodem habebit, persuasurum quandoque ut ab aliquo desistat malo.

De diabolo autem aliud est dicendum absolute: et aliud infra expositionem praesentis litterae. Nam absolute verum est quod Lucifer est caput omnium malorum tam daemonum quam hominum: quod facile deduci potest utendo ratione septimi articuli. Secundum praesentem autem litteram, diabolus dicitur caput omnium malorum hominum: ita quod tam in septimo quam in octavo articulo non est sermo nisi de malis hominibus. Et ly *diabolus* non sumitur pro aliquo uno diabolo solo, sed pro toto ordine diabolico: vel, melius, pro Lucifero ut continet totum ordinem diabolicum. Ita quod sensus est quod diabolus, hoc est, Lucifer cum suis, vel ordo diabolicus, est caput omnium malorum hominum. Et huic sensui attestantur tentationes hominum, quae non ab aliquo uno diabolo fiunt.

Unde patet responsio ad duas primas obiectiones.

Ad tertiam autem dicitur quod in Antichristo ponitur plenitudo malitiae non simpliciter, nec Luciferi, sed inter homines: ea ratione quia in eo est diabolus, hoc est, diabolicus ordo, secundum plenum effectum malitiae.

IV. In responsionibus ad primum et secundum simul, dubium occurrit, quia in responsione ad primum dicitur diabolum et Antichristum *non esse duo capita, sed unum caput:* in responsione autem ad secundum dicitur Antichristum esse *membrum diaboli.* Haec enim sibi invicem adversantur. Quia, si Antichristus est membrum diaboli, oportet diabolum esse caput Antichristi. Ac per hoc, Antichristus est caput subordinatum altiori capiti, scilicet diabolo. Et sic Antichristus et diabolus sunt duo capita.

Ad hoc dicitur quod diabolus potest dupliciter considerari: scilicet, secundum se; vel ut est in Antichristo. Si secundum se, sic Antichristus et diabolus sunt duo capita, quorum unum subordinatur alii, scilicet Antichristus diabolo: et hoc dicit responsio ad secundum. Si autem consideretur diabolus ut est in Antichristo, sic ambo sunt unum caput: et sic verificatur responsio ad primum.

Vel, et melius, respondetur quod diabolus et Antichristus dupliciter considerari possunt. Primo, in ordine ad multitudinem malorum hominum, de quibus est sermo. Et sic ambo sunt caput unum corporis unius. Et hoc directe intendit responsio ad primum, dum duo capita unius et eiusdem omnino corporis mystici excludit. — Secundo, considerantur inter se. Et sic Antichristus respectu diaboli est membrum, diabolus autem caput eius: sicut *Deus caput Christi.* Cum quo stat quod respectu multitudinis malorum hominum Antichristus est caput. Et sic Antichristus est caput subordinatum altiori capiti, qui diabolus est. Et hoc dicit responsio ad secundum.

QUAESTIO NONA

DE SCIENTIA CHRISTI IN COMMUNI

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. VII, Introd.

* Qu. X.

Deinde considerandum est de scientia Christi *. Circa quam duo consideranda sunt: primo, quam scientiam Christus habuerit; secundo, de unaquaque scientiarum ipsius *.

Circa primum quaeruntur quatuor.

Primo: utrum Christus habuerit aliquam scientiam praeter divinam.

Secundo: utrum habuerit scientiam quam habent beati vel comprehensores.

Tertio: utrum habuerit scientiam inditam vel infusam.

Quarto: utrum habuerit aliquam scientiam acquisitam.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM IN CHRISTO FUERIT ALIQUA SCIENTIA PRAETER DIVINAM

III *Sent.*, dist. XIV, art. 1, qu[a] 1; *De Verit.*, qu. XX, art. 1; *Compend. Theol.*, cap. CCXVI.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod in Christo non fuerit aliqua scientia praeter divinam. Ad hoc enim necessaria est scientia ut per eam aliqua cognoscantur. Sed Christus per scientiam divinam cognoscebat omnia. Superfluum igitur fuisset quod in eo esset quaedam alia scientia.

2. Praeterea, lux minor per maiorem offuscatur. Sed omnis scientia creata comparatur ad scientiam Dei increatam sicut lux minor ad maiorem. Ergo in Christo non refulsit alia scientia quam divina.

* Qu. II, art. 2.

* Cf. Halens. *Sum. Theol.* p. III, qu. XIII, memb. 2, 5.

3. Praeterea, unio humanae naturae ad divinam facta est in persona, ut ex supra * dictis patet. Ponitur autem in Christo, secundum quosdam *, quaedam *scientia unionis,* per quam scilicet Christus ea quae ad mysterium incarnationis pertinent plenius scivit quam aliquis alius. Cum ergo unio personalis contineat duas naturas, videtur quod in Christo non sint duae scientiae, sed una tantum scientia pertinens ad utramque naturam.

* Cap. VII, n. 71 (Ed. Migne).

Sed contra est quod Ambrosius dicit, in libro *de Incarnatione* *: *Deus in carne perfectionem humanae naturae assumpsit: suscepit sensum hominis, sed non sensum carnis inflatum.* Sed ad sensum hominis pertinet scientia creata. Ergo in eo fuit [α] alia scientia praeter divinam.

* Qu. V.

Respondeo dicendum quod, sicut ex supra * dictis patet, Filius Dei humanam naturam integram assumpsit: idest, non corpus solum, sed etiam animam; non solum sensitivam, sed etiam rationalem. Et ideo oportuit quod haberet scientiam creatam, propter tria. Primo quidem, propter animae perfectionem. Anima enim, secundum se considerata, est in potentia ad intelligibilia cognoscenda: est enim *sicut tabula in qua nihil est scriptum* *; et tamen possibile est in ea scribi, propter [β] intellectum possibilem, *in quo est omnia fieri,* ut dicitur in III *de Anima* *. Quod autem est in potentia, est imperfectum nisi reducatur ad actum. Non autem fuit conveniens ut Filius Dei humanam naturam imperfectam assumeret, sed perfectam: utpote qua mediante, totum humanum genus erat ad perfectum reducendum. Et ideo oportuit quod anima Christi esset perfecta per aliquam scientiam, quae esset proprie [γ] perfectio eius. Et ideo oportuit in Christo esse aliquam scientiam praeter scientiam divinam [δ]. Alioquin anima Christi esset imperfectior omnibus [ε] animabus aliorum hominum.

* Aristot. *de Anima*, lib. III, cap. IV, n. II. - S. Th. lect. IX.

* Cap. V, n. 1. - S. Th. lect. X.

Secundo quia, cum *quaelibet res sit propter suam operationem,* ut dicitur in II *de Caelo et Mundo* [ζ] *, frustra haberet Christus animam intellectualem, si non intelligeret secundum illam. Quod pertinet ad scientiam creatam.

* Cap. III, n. 1. - S. Th. IV.

Tertio, quia aliqua scientia creata pertinet ad animae humanae naturam, scilicet illa per quam naturaliter cognoscimus prima principia: *scientiam* enim hic large accipimus pro qualibet cognitione intellectus humani. Nihil autem naturalium Christo defuit: quia totam humanam naturam suscepit, ut supra * dictum est. Et ideo in Sexta Synodo * damnata est positio negantium in Christo duas esse scientias, vel duas sapientias.

* Qu. V.

* Act. IV, *Epist. Agathon. PP. ad Imper.* - Cf. Act. X, XI.

Ad primum ergo dicendum quod Christus co-

α) *fuit.* – *non fuit* ABpDE; tertia legit: *Ergo in Christo fuit scientia creata.*
β) *propter.* – *per* P. – Pro *in quo, ut in quo* pC.
γ) *proprie.* – *propria* tertia.
δ) *scientiam divinam.* – PDEIsGH et *a*; *divinam divinorum scientiam* A (qui tamen *divinam* expungit), *scientiam divinorum divinam* B, *divinorum scientiam* C, *divinam scientiam* F, *scientiam divinorum* pGH et *bc*.
ε) *omnibus.* – Om. tertia.
ζ) *de Caelo et Mundo.* – *de Caelo* tertia; ita illa semper; prima, quam sequimur, fluctuat.

gnovit omnia per scientiam divinam operatione increata, quae est ipsa Dei essentia: Dei enim intelligere est sua substantia, ut probatur in XII *Metaphys.** Unde hic actus non potuit esse animae humanae Christi: cum sit alterius naturae. Si igitur non fuisset in anima Christi alia scientia praeter divinam, nihil cognovisset. Et ita frustra fuisset assumpta: cum *res* η *sit propter suam operationem* *.

* S. Th. lect. XI. - Did. lib. XI, cap. IX.

* Cf. loc. cit. in corp.

Ad secundum dicendum quod, si duo lumina accipiantur eiusdem ordinis, minus offuscatur per maius *: sicut lumen solis offuscat lumen candelae, quorum utrumque accipitur in ordine illuminantis. Sed si accipiatur maius θ in ordine illuminantis et minus in ordine illuminati, minus lumen non offuscatur per maius, sed magis augetur: sicut lumen aeris per lumen solis. Et hoc modo lumen scientiae non offuscatur, sed clarescit in anima Christi per lumen scientiae divinae, quae est *lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum,* ut dicitur Ioan. I*.

* D. 827.

* Vers. 9.

Ad tertium dicendum quod, ex parte unitorum, ponitur scientia in Christo et quantum ad naturam divinam et quantum ad humanam: ita quod per unionem, secundum quam est eadem hypostasis Dei et hominis, id quod est Dei attribuitur homini, et id quod est hominis attribuitur Deo, ut supra * dictum est. Sed ex parte ipsius unionis non potest poni in Christo aliqua scientia. Nam unio illa est ad esse personale: scientia autem non convenit personae nisi ratione alicuius naturae.

* Qu. III, art. 6, arg. 3.

η) *res.* – *omnis res* tertia.

θ) *Sed si accipiatur maius.* – *Si vero accipiantur duo lumina ita quod maius sit* tertia. – *et minus in ordine illuminati* om. I.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore tria fiunt. Primo, repetitur integritas naturae assumptae pro radice conclusionis. – Secundo, respondetur quaesito unica affirmativa conclusione, scilicet, *Oportet in Christo esse scientiam creatam:* tribus rationibus, super dicto fundamento fabricatis, probando illam. – Tertio, confirmatur conclusio auctoritate sacri Concilii, reddendo illius rationem. – Omnia clara sunt in littera.

II. In responsione ad primum eiusdem articuli, dubia duo occurrunt circa illud: *Unde hic actus non potuit esse animae humanae Christi, cum sit alterius naturae.* Primum quidem, circa id quod dicitur de impossibilitate actus intelligendi divini quod sit actus intelligendi animae Christi. Nam multi reputant hoc esse possibile. – Secundum, circa dicti rationem, scilicet: *cum sit alterius naturae.* Quoniam non apparet quantum valeat *.

* Cf. num. III.

Circa primum igitur, habes in III *Sententiarum* Ioannis Capreoli, dist. XIV, qu. I *, argumenta multa Ioannis de Ripa et aliorum. Quae quoniam procedunt ex extraneis, aut immiscent illa, puta quod visio sit species, aut differentiam inter matutinam et vespertinam cognitionem, aut cognitionem creaturarum in Verbo, aut differentiam inter cognitionem aenigmaticam et facialem aut intuitivam; aut etiam magis extranea; aut illa quae in littera hac solvuntur; et scientia debet tradi ex propriis, non ex extraneis, resecareque debet superflua: ideo omittenda censui, allatis tantum duobus motivis *.

* Art. 2, cont. conclus. I.

* Cf. num. VI.

Primum est. Deus respectu beatorum se habet ut species intelligibilis. Ergo multo magis potest se habere ut intellectio. – Antecedens patet. – Et consequentia probatur. Quia magis repugnat Deo ratio habitus seu habitualis formae, quam actus seu formae actualis. Sed species habet rationem habitus seu habitualis formae: intelligere autem habet rationem actus. Ergo.

Secundum est ex auctoritate Augustini, I *de Trin.*, cap. ult., dicentis de visione beata duo: primo, quod illa Deus est bonus et beatus; secundo, quod *ipsa sola est summum bonum, cuius adipiscendi gratia praecipimur agere quidquid ratione agimus.* Ex his enim patet quod visio beatorum est quid increatum. Alioquin, Deus esset bonus et beatus aliquo creato: et aliquid creatum esset summum bonum et finis ultimus, etc.

III. Circa secundum * autem, occurrit statim obiectio quod alietas naturae, licet inferat intellectionem divinam non posse esse naturalem animae humanae, non tamen infert non posse communicari animae humanae *. Magna enim differentia est inter convenire ut naturale, et convenire ut communicatum. Proprietas siquidem ignis non convenit rei ignitae ut naturalis illi rei, puta ferro: sed ut communicata ferro. Et ad divina ascendendo, personalitas Verbi non convenit humanitati Christi ut naturalis sibi: sed ut communicata. Quocirca, sicut personalitas Verbi est ipsa Dei substantia, et tamen convenit animae humanae Christi, quae est alterius naturae, non ut naturalis animae humanae, sed ut communicata sibi; ita intelligere divinum, quod est essentia Dei, potest animae humanae, alterius naturae, convenire, non ut naturale animae humanae, sed ut communicatum. Alietas siquidem naturae, ut monstratum est, non prohibet proprietatis communionem, sed naturalitatem. Vana igitur est haec ratio.

* Num. praeced., init.

* Cf. num. VII.

Et si haec ratio non valet, voluntarie conclusio asseritur: cum inveniantur tenentes oppositum philosophi. Ut patet de Averroe, in III *de Anima,* com. XXXVI, dicente quod in statu *intellectus adepti* intelligemus per substantiam *intellectus agentis:* ex quo apparet quod possibile est actum proprium naturae superioris, qui est illius substantia, communicari inferiori.

IV. Ad huius quaestionis solutionem evidentem, sciendum est duplici via * posse procedi ad videndum impossibilitatem propositam, scilicet quod intelligere substantiae superioris non potest communicari sic ut sit intelligere quo formaliter intelligit substantia inferior. Altera via est ex dependentia intellectionis ab intelligente. Quia scilicet intelligere est operatio vitalis intelligentis. De ratione autem operationis vitalis est quod sit ab eo cuius est operatio vitalis. Alioquin, vivere actualiter non esset a vivere substantialiter. Quod non videtur intelligibile: quia sic anima non esset principium vegetandi, sentiendi, appetendi, intelligendi, et secundum locum movendi; et sic anima non esset anima. Et confirmatur: quia sicut non est intelligibile quod Socrates generet Platonem et actus generandi non sit a Socrate; et similiter quod Socrates motu animali progrediatur et motus eius non sit ab ipso; et similiter quod appetat aut velit et appetitus eius non sit ab anima; ita non est intelligibile quod vivat vita intellectuali actuali, quae nihil aliud est quam ipsum intelligere, et quod tale intelligere, tale vivere, non sit ab intelligente. Constat autem quod divinum intelligere non potest dependere ab aliqua creatura. Impossibile est igitur quod actus intelligendi quo Deus intelligit, fiat actus intelligendi quo creatura formaliter intelligat. Ex hac igitur via, quod actus vitalis cuiusque viventis aut est ipsa substantia viventis aut est ab ipsa, concluditur primo impossibilitas proposita.

* Cf. num. seq.

V. Quia tamen multi, ignorantes propriam vocem, non sunt capaces dictae rationis, offert se secunda via: ex hoc

quod operatio est actus operantis secundum esse naturale. Haec propositio habet duas partes. Prima est quod operatio est actus operantis. Et quoad istam partem, sobrie intellectam, hoc est, proportionaliter de operatione transeunte et immanente, per se nota est. Nam operatio transiens est actus agentis ut *a quo* saltem: operatio autem immanens est actus operantis ut *cuius* saltem.

Secunda vero pars est ly *secundum esse naturale.* Quae etiam est per se nota inducendo: nam generare est a generante secundum esse naturale; et sentire est in sentiente secundum naturale esse; et similiter desiderare in desiderante, et intelligere in intelligente. Et ex terminis patet: quia operans, inquantum operans, secundum suum naturale esse operatur, sicut et est.

Sub hac autem propositione subsumendum est quod divina substantia non potest esse actus secundum esse naturale alicuius creaturae: ut patet. Igitur non potest divinum intelligere esse intelligere quo formaliter intelligat creatura.

Dico autem *naturale esse,* ad differentiam actus secundum esse intelligibile, ut obiectum intellectus est perfectio et actus intellectus secundum esse intelligibile. Nihil enim prohibet substantiam aliquam quae est actus non solum in genere entis, sed in ordine intelligibili, esse perfectionem, ac per hoc actum, alterius secundum esse intelligibile. Hoc siquidem modo ponunt theologi divinam essentiam esse ut speciem intelligibilem intellectus creati beati *: et similiter philosophi ponentes inferiorem intelligentiam intelligere per superiorem *.

* Cf. s. Th. *Summ. Theol.* part. I, qu. XII, art. 2, ad 3; art. 9.
* Cf. Averr. loc. cit. supra.

Et hac via processit Auctor in littera, afferens pro ratione alietatem naturae. Quia enim operatio est actus operantis in esse naturae, impossibile est quod operatio quae est substantia unius, conveniat alienae naturae, nisi substantia illa in esse naturae iungatur alienae naturae. Quod in proposito esse impossibile clare liquet.

VI. Et per haec patet responsio ad primam obiectionem in primo dubio *. Nam patet iam non esse idem aut par iudicium de specie intelligibili, et actu intelligendi: quia illa potest esse alterius actus in genere intelligibili; iste non nisi in genere naturae.

* Num. II, *Primum est.*

Nec ratio allata de actu et habitu obstat. Quia licet species intelligibiles secundum communem viam sint formae habituales (quod tamen Avicenna negavit *), divina tamen substantia non supplet vicem speciei intelligibilis quatenus est forma habitualis, quia habitus claudit in se imperfectionem potentiae quam in sua ratione admixtam habet: sed quatenus est forma actualis tantum, et hoc in esse intelligibili tantum, ut dictum est.

* *De Anima.* lib. V, cap. VI.

Ad auctoritatem primam Augustini * dicitur quod non intendit Augustinus eandem numero visionem esse beantem Deum et nos: sed eandem obiective, et modaliter; quia idem obiectum, et idem modus est utriusque, dum Deus per seipsum a se et nobis videtur.

* Num. II, *Secundum.*

Ad secundam dicitur quod non inconvenit aliquam operationem creatam esse summum bonum, non simpliciter, sed inter creata: et similiter esse ultimum finem. Item, et in idem redit, dicitur summum bonum inter concupiscibilia simpliciter: et ultimus finis ut concupiscibilis simpliciter.

VII. Ad secundi autem dubii obiecta * respondetur quod processus litterae est efficax ad probandum quod intelligere divinum non potest esse actus animae Christi, ex eo quod est alterius naturae. Et cum dicitur quod alietas naturae compatitur habere actum alienum per communionem: respondetur quod, licet hoc in communi verum sit, quia in quibusdam potest natura ipsa alteri naturae communicari, ut forma communicatur materiae, et ignis ferro; in tali tamen natura quae est incommunicabilis alteri naturae in esse naturae, falsum est; quia alietas naturae excludit alienum actum a se non solum ut naturalem, sed ut communicatum sibi ita quod sit actus eius. Et quia divina natura est incommunicabilis secundum esse naturae cuicumque naturae, ideo, efficaciter loquens, explicite de ipsa Auctor conclusit quod non potest ipsius intelligere esse actus animae humanae Christi.

* Num. III.

Quod autem obiicitur, quasi a simili, de personalitate divina communicata naturae humanae, facile solvitur ex eo quod personalitas non communicatur ut actus creatae naturae. Auctoris autem ratio de actu loquitur: dum ex eo quod intelligere Dei est actus qui natura est divina, infert quod non potest esse actus animae, quia est alterius naturae. Non est ergo similis ratio de communione personalitatis ut personalitas, et actu intelligendi ut actus intelligendi: quia personalitas divina potest fieri personalitas humanae naturae sine hoc quod sit actus eius; actus autem intelligendi divinus non potest fieri actus intelligendi humanae animae, nisi fiat actus animae humanae, quod est impossibile. Rationabiliter igitur conclusio litterae asseritur.

Philosophi autem ponentes inferiores intelligentias intelligere per substantias superiorum intelligentiarum, non adversantur doctrinae huic. Quoniam ex hoc non habetur quod ponant intelligere superioris communicari inferiori idem numero: sed solum quod substantia superioris se habet respectu inferioris ut forma seu species intelligibilis, ut nos dicimus de essentia divina respectu beatorum. Unde nihil obstant eorum dicta, sive vera sive falsa sint in se.

VIII. In responsione ad tertium eiusdem articuli, adverte quod Auctor, ad rem spectans, monstrat non dari scientiam unionis ut distinguitur contra unita: hoc est, non dari ex parte unionis aliquam scientiam, sed solum ex parte naturarum unitarum, divinae scilicet et humanae. Et loquitur de his subiective. Illi autem qui allegantur in argumento, posuerunt scientiam unionis obiective. Et ideo non curavit de illis Auctor.


Appellatur autem scientia unionis vel unitorum subiective, quae scilicet consequitur ad unitas naturas, ut divina ad divinam et humana ad humanam: et quae consequeretur ad ipsam unionem naturarum, quam Auctor monstrat non dari.

Scientia autem unionis vel unitorum obiective, vocatur quae de unione vel unitis est ut obiecto. Et talis scientia unionis datur in Christo. Quia scitur a Christo unio, ut illi dicebant: sed non nisi scientia divina vel humana, ut Auctor in littera explanat.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM IN CHRISTO FUERIT SCIENTIA BEATORUM VEL COMPREHENSORUM

Compend. Theol., cap. CCXVI.



AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in Christo non fuerit scientia beatorum vel comprehensorum. Scientia enim beatorum est per participationem divini luminis: secundum illud Psalmi *: *In lumine tuo videbimus lumen.* Sed Christus non habuit lumen divinum tanquam participatum, sed ipsam divinitatem in se habuit substantialiter manentem: secundum illud *Coloss.* II *: *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Ergo in ipso non fuit scientia beatorum.

* Ps. XXXV, vers. 10.
* Vers. 9.

2. PRAETEREA, scientia beatorum eos beatos facit: secundum illud Ioan. XVII *: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, verum Deum, et quem misisti, Iesum Christum.* Sed homo ille fuit beatus ex hoc ipso quod fuit Deo unitus in persona:

* Vers. 3.

[* Ps. LXIV, vers. 5.] secundum illud Psalmi *. *Beatus quem elegisti et assumpsisti.* Non ergo oportet ponere in ipso scientiam beatorum.

3. Praeterea, duplex scientia homini competit: una secundum suam naturam; alia supra suam naturam. Scientia autem beatorum, quae in divina visione consistit, non est secundum naturam hominis, sed supra eius naturam. In Christo autem fuit alia supernaturalis scientia multo fortior et [α] altior, scilicet scientia divina. Non igitur oportuit in Christo esse scientiam beatorum.

Sed contra, scientia beatorum in Dei visione vel [β] cognitione consistit. Sed ipse plene cognovit Deum, etiam secundum quod homo: secundum illud Ioan. VIII *: *Scio eum, et sermonem eius servo.* [* Vers. 55.] Ergo in Christo fuit scientia beatorum.

Respondeo dicendum quod illud quod est in potentia, reducitur in actum per id quod est actu: oportet enim esse calidum id per quod alia calefiunt. Homo autem est in potentia ad scientiam beatorum, quae in visione Dei consistit, et ad eam ordinatur sicut ad finem: est enim creatura rationalis capax illius beatae cognitionis, inquantum est ad imaginem Dei. Ad hunc autem finem beatitudinis homines reducuntur per Christi humanitatem: secundum illud *Heb.* II *: [* Vers. 10.] *Decebat eum propter quem omnia et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari.* Et ideo oportuit quod cognitio ipsa [γ] in Dei visione consistens excellentissime Christo homini conveniret: quia semper causam oportet esse potiorem causato.

Ad primum ergo dicendum quod divinitas unita est humanitati Christi secundum personam, et non secundum naturam vel essentiam: sed cum unitate personae remanet distinctio naturarum. Et ideo anima Christi, quae est pars humanae naturae, per aliquod lumen participatum a natura divina perfecta est ad scientiam beatam, qua Deus per essentiam videtur.

Ad secundum dicendum quod ex ipsa unione homo ille est beatus beatitudine increata: sicut ex unione est Deus. Sed praeter beatitudinem increatam, oportuit in natura humana Christi esse quandam beatitudinem creatam, per quam anima eius in ultimo fine humanae naturae constitueretur.

Ad tertium dicendum quod visio seu scientia beata est quodammodo supra naturam animae rationalis: inquantum scilicet propria virtute ad eam pervenire non potest. Alio vero modo est secundum naturam ipsius: inquantum scilicet per naturam suam est capax eius, prout scilicet ad imaginem Dei facta est, ut supra * dictum est. [* In corpore.] Sed scientia increata est omnibus modis supra naturam animae humanae.

α) *fortior et.* – Om. tertia.
β) *visione vel.* – Om. tertia. – Pro *cognitione, operatione* A.
γ) *ipsa.* – *beata* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore articuli una est conclusio: ***In Christo est scientia beata, consistens in visione Dei, excellentissime.*** Conclusio ista habet duas partes: prima est quod in Christo est scientia beata; secunda, quod excellentissime.

Probatur in littera, primo, prima pars. Omne quod est in potentia, reducitur in actum per aliquod ens actu. Homo est in potentia ad scientiam beatam, in Dei visione consistentem: et reducitur in actum istum per Christi humanitatem. Ergo in Christo est scientia beata. – Maior probatur in calido. – Minor, quoad primam partem, probatur: quia homo est capax illius beatitudinis, quia est ad imaginem Dei, et ad illam ordinatur ut ad finem. Quoad secundam vero, auctoritate Apostoli: *Decebat eum* etc.

Deinde, in calce corporis articuli, probatur secunda pars conclusionis, scilicet quod excellentissime. Quia semper causam oportet esse perfectiorem causato.

Adverte, Novitie, quod quia propositiones evidentes ac usitatae, tanquam statim perceptae, truncate quandoque dicuntur, ideo Auctor maiorem sic attulit, non curans limitare eam ut debet intelligi, scilicet: *si reducitur ad actum.* Neque enim omne quod est in potentia reducitur ad actum: cum multa sint in potentia quae nunquam erunt. Sed omne quod est in potentia, si reducitur ad actum, oportet quod reducatur ad actum per aliquod ens actu. Hoc enim intendit littera: et hoc solum est ad propositum. Et propterea in minore ponuntur tot conditiones: scilicet quod homo est in potentia, et quod ordinatur ad illam ut finem. Ex hoc enim ostendit necessitatem quod potentia est reducenda ad actum, licet non in singulis hominibus: quia impossibile est quod potentia ad finem sit frustra in tota universali specie.

II. Circa hunc litterae processum, dubium occurrit, quia propositio illa fundamentalis, *Reducens aliquid de potentia in actum est in actu,* quamvis sit verissima in causis principalibus, non tamen est vera in causis instrumentalibus: ut ex Alexandro patet, XII *Metaphys.* * [* Alex. apud Averr. XII *Metaphys.*, comment. XXIV.] Et ad sensum patet instrumenta non esse talia in actu qualia fiunt ab ipsis: ut semina in naturalibus, et organa artificum testantur. Humanitas autem Christi non est efficiens principale, sed instrumentale, respectu nostrae beatitudinis. Non igitur sequitur ex sua efficientia quod sit actu beata (quamvis de facto beata sit). Non est ergo efficax processus litterae.

Ad hoc dicitur quod instrumentum est duplex: quoddam pure instrumentum, ut organa artium, et semina, et huiusmodi; quoddam ita instrumentum quod est etiam *causa sui* *, [* Cf. Aristot. *Metaphys.* lib. I, cap. II, n. 9. - S. Th. lect. III.] sicut servus est organum domini, ita tamen quod libero arbitrio suorum motuum causa est *. [* Cf. Aristot. *Polit.* lib. I, cap. V, n. 3. - S. Th. lect. X.] Quamvis autem primum instrumentorum genus non habeat actu quod instrumentaliter efficit, secundum tamen instrumentorum genus, quatenus sui dominium habet admixtum, actu habet quod in aliis efficit. Et quia Christus homo sic est instrumentum Dei ut liber sit, libere cooperetur et efficiat nos beatos, ideo in littera illatum est quod ipse est actu beatus.

III. In probatione secundae partis conclusionis, nota, Novitie, quod Auctor plus concludit quam probet explicite ratio allata. Quia ratio non probat explicite nisi quod Christus est perfectius beatus quam alii homines. Et tamen concluditur quod est beatus *excellentissime.* Licuit autem hoc gratia materiae. Quoniam iam * declaratum est [* Qu. VIII, art. 3, 4.] Christum esse caput omnium beatorum, tam hominum quam angelorum: ac per hoc, subintelligendo nunc quod Christus est causa efficiens beatitudinem nostram ut caput beatorum, optime infertur quod est excellentissime beatus, utpote causa ut caput.

IV. In responsione ad tertium eiusdem articuli, nota distinctionem de *supra naturam,* vel *secundum naturam.* Quoniam hinc habes intellectum diversorum dictorum de beatitudine nostra, cum invenies quod est naturalis, aut

quod est supernaturalis. Veruntamen esto cautus: ut bene notes, in secundo membro, ly *inquantum scilicet secundum naturam suam est capax eius*. Quoniam est conditio haec diminuens a *simpliciter* ad *secundum quid*. Non enim quia homo est capax illius visionis, sequitur, *Ergo est illi naturalis*, aut, *Habet ad illam potentiam naturalem*: quia plus requiritur ad naturalitatem simpliciter et ad potentiam naturalem, scilicet naturalis inclinatio in illum actum. Sed solum sequitur quod habet naturam quae potest elevari in illum actum. In hoc enim differt homo ab animalibus, scilicet ex hoc ipso quod est intellectualis animae, quod bruta non possunt elevari in actum videndi Deum, homo autem potest elevari in illum. Quod hinc provenit, quia intellectualitas est capax visionis illius: pars autem sensitiva tantum non est illius capax. Quocirca visio Dei est aliquo modo naturalis animae nostrae, sed secundum quid: quia est capax ex sua natura illius. Non est autem simpliciter naturalis illi, aut alteri cuicumque creaturae, sed soli Deo.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM IN CHRISTO SIT ALIA SCIENTIA INDITA, PRAETER SCIENTIAM BEATAM

Infra, qu. XII, art. 1; III *Sent.*, dist. XIV, art. 1, qu[a] 5; *De Verit.*, qu. XX, art. 2, 3; *Compend. Theol.*, cap. CCXVI.


AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in Christo non sit alia scientia indita [α], praeter scientiam beatam. Omnis enim alia scientia creata [β] comparatur ad scientiam beatam sicut imperfectum ad perfectum. Sed, praesente perfecta cognitione, excluditur cognitio imperfecta: sicut manifesta visio faciei excludit aenigmaticam visionem fidei, ut patet I *Cor.* XIII *. Cum igitur in Christo fuerit scientia beata, ut dictum est *, videtur quod non potuerit in eo alia esse scientia indita.

* Vers. 10, 12.
* Art. praeced.

2. PRAETEREA, imperfectior modus cognitionis disponit ad perfectiorem: sicut opinio, quae est per syllogismum dialecticum, disponit ad scientiam, quae est per syllogismum demonstrativum. Habita autem perfectione, non est ulterius necessaria dispositio: sicut, habito termino, non est necessarius motus. Cum igitur cognitio quaecumque alia creata comparetur ad cognitionem beatam sicut imperfectum ad perfectum, et sicut dispositio ad terminum, videtur quod, cum Christus habuerit cognitionem beatam, quod non fuerit ei necessarium habere aliam cognitionem.

3. PRAETEREA, sicut materia corporalis est in potentia ad formam sensibilem, ita intellectus possibilis est in potentia ad formam intelligibilem. Sed materia corporalis non potest simul recipere duas formas sensibiles, unam perfectiorem et aliam minus perfectam. Ergo nec anima potest simul recipere duplicem scientiam, unam perfectiorem et aliam minus perfectam. Et sic idem quod prius.

SED CONTRA EST quod dicitur *Coloss.* II *, quod *in Christo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi.*

* Vers. 3.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est *, decebat quod natura humana assumpta a Verbo Dei, imperfecta non esset. Omne autem quod est in potentia, est imperfectum nisi reducatur ad actum. Intellectus autem possibilis humanus est in potentia ad omnia intelligibilia. Reducitur autem ad actum per species intelligibiles, quae sunt formae quaedam completivae ipsius: ut patet ex his quae dicuntur in III *de Anima* *. Et ideo oportet in Christo scientiam ponere inditam, inquantum per Verbum Dei animae Christi, sibi personaliter unitae, impressae sunt species intelligibiles ad omnia ad quae est intellectus possibilis in potentia: sicut etiam per Verbum Dei impressae sunt species intelligibiles menti angelicae in principio creationis rerum, ut patet per Augustinum, *super Gen. ad litt.* *. Et ideo, sicut in Angelis, secundum eundem Augustinum *, ponitur duplex cognitio, una scilicet *matutina*, per quam cognoscunt res in Verbo, et alia *vespertina*, per quam cognoscunt res in propria natura per species sibi inditas; ita, praeter scientiam divinam increatam, est in Christo, secundum eius animam, scientia beata, qua cognoscit Verbum et res in Verbo; et scientia indita sive infusa, per quam cognoscit res in propria natura per species intelligibiles humanae menti proportionatas.

* Art. 1.
* Cap. VIII, n. 1, 2. – S. Th. lect. XIII.
* Lib. II, cap. VIII.
* *De Gen. ad litt.* lib. IV, cap. XXII; *de Civ. Dei* lib. XI, cap. VII sqq.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod visio imperfecta fidei in sui ratione includit oppositum manifestae visionis: eo quod de ratione fidei est ut sit de non visis, ut in Secunda Parte * habitum est. Sed cognitio quae est per species inditas, non includit aliquid oppositum cognitionis [γ] beatae. Et ideo non est eadem ratio utrobique.

* II[a] II[ae], qu. 1, art. 4.

AD SECUNDUM DICENDUM quod dispositio se habet ad perfectionem dupliciter: uno modo, sicut via ducens in perfectionem; alio modo, sicut effectus a perfectione procedens. Per calorem enim disponitur materia ad suscipiendum [δ] formam ignis: qua tamen adveniente, calor [ε] non cessat, sed remanet quasi quidam effectus talis formae. Et similiter opinio, ex syllogismo dialectico causata, est via ad scientiam [ζ], quae per demonstrationem acquiritur: qua tamen acquisita, potest remanere cognitio quae est per syllogismum dialecticum, quasi consequens scientiam demonstrativam, quae est per causam; quia ille qui cognoscit causam, ex hoc etiam magis potest cognoscere signa probabilia, ex quibus procedit dialecticus syllogismus. Et similiter in Christo simul cum scientia beatitudinis manet scientia indita, non quasi via ad

---

α) *indita*. – *indita vel infusa* tertia, *creata vel indita* F.
β) *creata*. – Om. H et editiones.
γ) *cognitionis*. – *cognitioni* F et tertia.
δ) *suscipiendum*. – *suscitandum* ABCF.
ε) *qua tamen adveniente, calor*. – PEFHIsG et *c*; *quae tamen adveniente calore* prima et *b*, *quam tamen advenientem calore* pG.
ζ) *via ad scientiam*. – Tertia; *ad scientiam via*.

beatitudinem, sed quasi ^η^ per beatitudinem confirmata.

Ad tertium dicendum quod cognitio beata non fit per speciem quae sit similitudo divinae essentiae *, vel eorum quae in divina essentia cognoscuntur, ut patet ex his quae in Prima Parte * dicta sunt: sed talis cognitio est ipsius divinae essentiae immediate, per hoc quod ipsa essentia divina unitur menti beatae sicut intelligibile intelligenti. Quae quidem essentia divina est forma excedens proportionem cuiuslibet creaturae. Unde nihil prohibet quin, cum hac forma superexcedente, simul insint rationali menti species intelligibiles proportionatae suae naturae.

* D. 485.
* Qu. XII, art. 2, 9.

η) *quasi.* – E et tertia; *quasi via* (sed A om. *sed quasi per beatitudinem*).

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo tertii articuli ponitur disiunctio terminorum illorum, videlicet, *indita vel infusa* *, ut satisfiat diversimode illam appellantibus. Scientia siquidem ista, quia simul cum natura animae datur, *indita* vocatur: quia vero non acquiritur, nec ex vi naturae animae ipsam comitatur, sed Deo alia actione creante animam et alia actione influente scientiam, quamvis simul tempore habetur, ideo *infusa* nuncupatur. Et revera infusa vocanda est, si proprie loquendum est. Angelorum autem scientia indita proprie vocatur: quia comes est naturae ut illius proprietas naturalis; eademque actione qua Verbum Dei creat angelicam naturam, imprimit in illam species intelligibiles perfectivas intellectus angelici. Potest nihilominus, gratia materiae, scilicet animae Christi, dici scientia indita: pro quanto comitatur naturaliter animam Christi, non ut creatam, sed ut assumptam a Verbo, sicut et gratia habitualis. Est enim *Unigenitus a Patre plenus,* non solum *gratiae,* sed *veritatis* *.

* Cf. not. α; et inem corporis.
* Ioan. cap. I, vers. 14.

II. In corpore articuli unica est conclusio responsiva quaesito, dupliciter probata. Conclusio est: *Oportet in Christo ponere scientiam inditam.* Probatur primo, ex vitanda imperfectione naturae assumptae. Decebat ut natura humana assumpta a Verbo Dei, imperfecta non esset. Ergo oportet in Christo ponere scientiam inditam. – Probatur consequentia. Quia aliter intellectus eius possibilis fuisset imperfectus. Probatur hoc. Quia omne quod est in potentia, est imperfectum nisi reducatur in actum: sed intellectus possibilis humanus est in potentia, et reducitur in actum per species intelligibiles: ergo esset imperfectus si non haberet species intelligibiles; quod est habere scientiam inditam. Et hoc explanatur in littera apponendo conclusioni, *inquantum per Verbum Dei impressae sunt species intelligibiles,* etc.: et declaratur ex subiuncto exemplo in angelis.

Deinde probatur a simili, ex auctoritate Augustini. Sicut in angelis ponitur duplex cognitio, matutina et vespertina, ita in Christo utraque. – Littera clara est.

Adverte hic quod natura humana assumpta a Verbo debet absque imperfectione poni ex parte animae. Nam ex parte corporis nihil prohibet imperfectionem affirmare in illa in sui principio: quia *minoratus est paulo minus ab angelis* propter corpus passibile *. Scientia autem ad animam spectat.

* Ad Heb. cap. II, vers. 7, 9.

III. Circa probationem conclusionis dubium occurrit: quia ratio allata procedit de potentia naturali intellectus possibilis, quae perficitur per species intelligibiles naturales, de quibus allata auctoritas Philosophi loquitur; ac per hoc, de imperfectione naturali. Conclusio autem loquitur de scientia tam naturali quam revelata: ut patet in primo articulo quaestionis undecimae inferius, ubi de illa scientia tractatur. Excedit ergo conclusio rationem. Immo nec consonat conclusioni: quia, ut in sequenti habetur articulo *, alterius rationis est scientia infusa Christo ab illa quae est naturalis, de qua loquitur auctoritas allata Aristotelis.

* Resp. ad 3.

Ad hoc dicitur quod procul dubio littera non arctatur ad imperfectionem et potentiam naturalem intellectus possibilis: sed in communi loquitur de potentia intellectus nostri ad actum sibi commensuratum, et similiter de imperfectione privativa actus proportionati intellectui humano possibili, et hoc sive secundum statum naturae, sive secundum statum gratiae. Ita quod intendit littera quod, quia in intellectu humano, secundum esse naturae, est potentia naturalis ad sciendum omnia naturalia per actus commensuratos sibi; et similiter, secundum esse gratiae, ad sciendum omnia ecclesiastica per actus commensuratos sibi; et omne quod est in potentia est imperfectum nisi reducatur in actum: ideo esset imperfectus nisi ponatur reductus in actum omnium intelligibilium, tam spectantium ad ordinem naturae quam spectantium ad ordinem Ecclesiae, sive militantis sive triumphantis, per actus proportionatos ipsi humano intellectui.

Auctoritas autem Aristotelis est allata directe ad monstrandum quod intellectus humanus est in potentia ad sciendum omnia per species intelligibiles ut actus commensuratos sibi: ut per hoc habeatur intentum, quod sicut in esse naturali esset imperfectus intellectus nisi esset reductus in actum commensuratum sibi, scilicet scientiam per species, quantumcumque illamet sciat in Verbo actu omnino superexcedente omnem facultatem naturae; ita in esse ecclesiastico esset imperfectus nisi nosset omnia per actus commensuratos sibi, quantumcumque eadem noverit in Verbo. Consonat ergo ratio conclusioni, et probat eam, sive ista scientia infusa, cum suis speciebus, sit alterius, sive eiusdem rationis cum illa de qua loquitur Aristoteles: quoniam, ut patet ex dictis, non arctatur ad naturalem scientiam; et multo minus ad talem modum naturalitatis qualis est in scientia de qua loquitur Aristoteles. Hoc autem dixerim, quia anima habet duplicem scientiam naturalem: alteram secundum statum coniunctionis ad corpus, de qua locutus est Aristoteles; alteram secundum statum separationis a corpore, quam non novit Aristoteles *. Praesens autem tam ratio quam conclusio non arctatur ad actum commensuratum naturae intellectus possibilis secundum istum vel illum statum: sed in communi indistincteque de potentia intellectus possibilis humani ad actum sibi commensuratum loquitur; quem esse species intelligibiles, ex eo quod in isto apparet statu, ex auctoritate Aristotelis probat.

* Cf. *de Anima,* lib. I, cap. IV, n. 14, s. Th. lect. X; lib. III, cap. V, n. 2, s. Th. lect. X.

IV. In responsione ad secundum, discerne verba litterae ex industria mutata, dum primo proponitur cognitio ex dialectico syllogismo acquisita ut via, sub nomine *opinionis:* et deinde resumitur eadem cognitio ut consequens, non sub nomine opinionis, sed sub nomine *cognitionis.* Oportuit autem sic dicere: quia cum scientia alicuius conclusionis non potest simul stare in eodem subiecto opinio eiusdem; sed bene potest cognitio eiusdem per medium probabile stare in eodem subiecto. Addit siquidem opinio super cognitionem per medium probabile, formidinem in subiecto respectu alterius partis: quae repugnat subiecto excludenti formidinem, quale est sciens demonstrative. Unde cognitio dialectica, ante demonstrativam habens rationem opinionis, post demonstrativam scientiam non habet rationem opinionis, sed remanet solum cognitio dialectica, cessante illa conditione formidinis ex parte subiecti.

In responsione ad tertium eiusdem articuli, nota quod qualiter species infusae sint humanae menti commensuratae, inferius * patebit. Qualiter autem divina essentia sit species superexcedens, clarum est.

* Art. 4, Comment. num. X.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM IN CHRISTO FUERIT ALIQUA SCIENTIA EXPERIMENTALIS ACQUISITA

Infra, qu. XII, art. 2; qu. XV, art. 8; III *Sent.*, dist. XIV, art. 3, qu[a] 5, ad 3; dist. XVIII, art. 3, ad 5; *De Verit.*, qu. XX, art. 3, ad 1; *Compend. Theol.*, cap. CCXVI.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in Christo non fuerit aliqua scientia experimentalis acquisita. Quidquid enim Christo conveniens fuit, excellentissime habuit. Sed Christus non habuit excellentissime scientiam acquisitam: non enim institit studio litterarum, quo perfectissime scientia acquiritur; dicitur enim Ioan. VII *: *Mirabantur Iudaei, dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Ergo videtur quod in Christo non fuerit aliqua scientia acquisita.

* Vers. 15.

2. PRAETEREA, ei quod est plenum, non potest aliquid superaddi. Sed potentia animae Christi fuit impleta per species intelligibiles divinitus inditas, ut dictum est *. Non ergo potuerunt supervenire eius animae aliquae species acquisitae.

* Art. praeced.

3. PRAETEREA, in eo qui iam habitum scientiae habet, per ea quae a sensu accipit, non acquiritur novus habitus, quia sic duae formae eiusdem speciei simul essent in eodem: sed habitus qui prius inerat, confirmatur et augetur. Cum ergo Christus habuerit habitum scientiae inditae, non videtur quod per ea quae sensu percepit [α], aliquam aliam scientiam acquisierit.

SED CONTRA EST quod *Heb.* V * dicitur: *Cum esset Filius Dei, didicit ex his quae passus est, obedientiam:* Glossa *: *idest, expertus est.* Fuit ergo in Christo aliqua experimentalis scientia: quae est scientia acquisita.

* Vers. 8.
* Lomb.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut ex supra * dictis patet, nihil eorum *quae Deus in nostra natura plantavit,* defuit humanae naturae assumptae a Verbo Dei *. Manifestum est autem quod in humana natura Deus plantavit non solum intellectum possibilem, sed etiam intellectum agentem. Unde necesse est dicere quod in anima Christi non solum intellectus possibilis, sed etiam intellectus agens fuerit. Si autem in aliis *Deus et natura nihil frustra fecerunt* [β], ut Philosophus dicit, in I *de Caelo et Mundo* *, multo minus in anima Christi aliquid fuit frustra. Frustra autem est quod non habet propriam operationem: cum *omnis res sit propter suam operationem,* ut dicitur in II *de Caelo et Mundo* *. Propria autem operatio intellectus agentis est facere species intelligibiles actu, abstrahendo eas a phantasmatibus: unde dicitur in III *de Anima* * quod intellectus agens est *quo est omnia facere.* Sic igitur necesse est dicere quod in Christo fuerunt aliquae species intelligibiles per actionem intellectus agentis in intellectu possibili eius receptae. Quod est esse in ipso scientiam acquisitam, quam quidam experimentalem nominant.

* Qu. IV, art. 2, arg. 2; qu. V per tot.
* Cf. Damascen. *de Fide Orth.* lib. III, cap. VI.
* Cap. IV, n. 8. – S. Th. lect. VIII.
* Cap. III, n. 1. – S. Th. lect. IV.
* Cap. V, n. 1. – S. Th. lect. X.

Et ideo, quamvis aliter alibi * scripserim [γ], dicendum est in Christo scientiam acquisitam fuisse. Quae proprie est scientia secundum modum humanum, non solum ex parte recipientis subiecti [δ], sed etiam ex parte causae agentis: nam talis scientia ponitur in Christo secundum lumen intellectus agentis *, quod est humanae naturae [ε] connaturale. Scientia autem infusa attribuitur animae humanae secundum lumen desuper infusum: qui modus cognoscendi est proportionatus naturae angelicae. Scientia vero beata, per quam ipsa Dei essentia videtur, est propria et connaturalis soli Deo: ut in Prima Parte * dictum est.

* III *Sent.*, dist. XIV, art. 3, qu[a] 5. ad 3; dist. XVIII, art. 3, ad 5.
* D. 1218.
* Qu. XII, art. 4.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, cum duplex sit modus acquirendi scientiam, scilicet inveniendo et addiscendo, modus qui est per inventionem est praecipuus, modus autem qui est per disciplinam est secundarius. Unde dicitur in I *Ethic.* *: *Ille quidem est optimus qui* [ζ] *omnia per seipsum intelligit: bonus autem et ille qui bene dicenti obediet.* Et ideo Christo magis competebat habere scientiam acquisitam per inventionem quam per disciplinam: praesertim cum ipse daretur a Deo omnibus in Doctorem, secundum illud Ioel II *: *Laetamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis Doctorem iustitiae.*

* Cap. IV, n. 7. – S. Th. lect. IV.
* Vers. 23.

AD SECUNDUM DICENDUM quod humana mens duplicem habet respectum. Unum quidem ad superiora. Et secundum hunc respectum, anima Christi fuit plena per scientiam inditam. Alius autem respectus eius est ad inferiora: idest ad phantasmata, quae sunt nata movere mentem humanam per virtutem intellectus agentis. Oportuit autem quod etiam secundum hunc respectum anima Christi scientia impleretur: non quin prima plenitudo menti humanae sufficeret secundum seipsam; sed oportebat eam perfici etiam secundum comparationem [η] ad phantasmata.

AD TERTIUM DICENDUM quod alia ratio est de habitu acquisito, et de habitu infuso. Nam habitus scientiae acquiritur per comparationem humanae mentis ad phantasmata: unde secundum eandem rationem non potest alius habitus iterato acquiri. Sed habitus scientiae infusae est alterius rationis, utpote a superiori descendens in animam, non secundum proportionem phantasmatum. Et ideo non est eadem ratio de utroque habitu *.

* D. 1109, 1111, 1183.

α) *sensu percepit.* – F et tertia; *a sensu accepit* D, *a sensu percipit* ceteri.
β) *fecerunt.* – *fecerit* A, *faciunt* tertia.
γ) *alibi scripserim.* – *alii scripserint* F, *scripserit alibi* I.
δ) *recipientis subiecti.* – *subiecti recipientis* F et tertia.
ε) *humanae naturae.* – *humanae* pG, *humanae animae* sG, *animae humanae* cetera tertia.
ζ) *qui.* – F et tertia; *quia.* – Pro *et, rursus et* CGHI, *rursus est* editiones; pro *obediet, obedit* Pc.
η) *comparationem.* – *fortiorem* pI, ut nos sI, *conformationem* cetera tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo, adverte quod aliud sonat, et alio tendit. Nam sonat scientiam experimentalem acquisitam: quae communiter se habet ad actualem experientiam quam quis acquirere potest; vel ad habitualem scientiam intellectu ex experientia acquisitam. Tendit autem ad perscrutationem huius secundi membri: quia de hoc tantum est difficultas.

In corpore articuli est unica conclusio responsiva quaesito: *In Christo est scientia acquisita.* Probatur dupliciter. Primo. Nihil eorum quae Deus in humana natura plantavit, defuit humanitati assumptae a Verbo Dei. Ergo in anima Christi fuit non solum intellectus possibilis, sed etiam intellectus agens. Ergo non fuit in Christo intellectus agens frustra. Ergo habuit propriam operationem. Ergo in Christo fuerunt aliquae species intelligibiles per actionem intellectus agentis in intellectu eius possibili receptae. Ergo in ipso fuit scientia acquisita. – Prima consequentia probatur: quia in humana natura Deus plantavit, non solum intellectum possibilem, sed etiam intellectum agentem. – Secunda vero: quia *Deus et natura* in aliis *nihil faciunt frustra,* ex I *Caeli.* – Tertia autem: quia frustra est quod non habet propriam operationem. Probatur: quia *omnis res est propter propriam operationem,* II *Caeli.* – Quarta deinceps: quia propria operatio intellectus agentis est facere species intelligibiles in actu, abstrahendo eas a phantasmatibus. – Quinta demum: quia hoc est esse in Christo scientiam acquisitam, quam quidam experimentalem nominant.

Secundo probatur conclusio connaturalitate talis scientiae, seu modi sciendi, ad naturam humanam. Et consistit vis rationis in hoc. Ex quo in Christo ponitur scientia connaturalis soli Deo, scilicet beata; et scientia connaturalis angelis, scilicet infusa; consequens est ut ponatur in illo scientia connaturalis undique naturae humanae, scilicet scientia acquisita, quae est connaturalis homini ex parte agentis et patientis, ac per hoc scientia proprie est secundum humanum modum, et totaliter humana.

* Cf. num. vi. II. In hoc processu duo occurrunt dubia. Primum * circa illam propositionem: *Frustra est quod caret propria operatione.* Potest enim habere duplicem sensum: vel quod intelligatur de genere vel specie; vel quod intelligatur de quolibet individuo. Nam si in primo intelligitur sensu, vera est: frustra enim esset potens operari natura aliqua generica vel specifica, si secundum totam latitudinem generis vel speciei careret propria operatione. Sed in hoc sensu non infert conclusionem litterae, quae de uno individuo humanitatis Christi est.

Si autem in secundo sensu intelligitur, tunc est sensus quod frustra est potentia quae in quolibet individuo suo caret propria operatione. Et sic est quidem ad propositum, sed *est falsa,* inquit Scotus, in 3 qu. xiv dist. III *Sent.* Quoniam stat quod potentia in aliquo praeveniatur ab alio superiore agente, et propterea careat propria operatione: et ipsa non est frustra, quia est ad integritatem perfectionemque naturae. Affertque instantias in beatis: in quibus est intellectus agens, et sic possent acquirere scientiam; et similiter est potentia augmentativa, et sic possent augeri, etc.

* Cf. num. vii. III. Secundum dubium * est circa eandem propositionem iunctam minori. Quoniam aut est sermo de omni propria operatione alicuius, ita quod sensus sit: *Frustra est quod caret omni propria operatione.* Et tunc minor est falsa, scilicet quod omnis propria operatio intellectus agentis est facere species intelligibiles in actu: cum praeter hanc operationem habeat alias sibi proprias operationes; scilicet, facere evidentiam propositionum per se notarum, et, mediante ista evidentia, facere evidentiam omnium quae per prima principia cognoscuntur. – Si vero non est sermo de omni propria operatione, sed de quacumque, propria tamen, ita quod sensus sit, *Frustra est quod caret aliqua operatione sibi propria*: tunc esset ad propositum, sed est falsa. Quia non est frustra quod caret una propria operatione et habet aliam propriam operationem: esset enim propter illam quam habet operationem. Sicut mutus non frustra habet os et linguam: quia, quamvis non habeat locutionem, habet tamen aliam operationem, puta sumere et discernere alimentum.

IV. In eodem corpore, circa conclusionem principalem, occurrunt primo obiectiones Scoti, in loco allegato *; deinde Durandi, ibidem *. Et Scotus quidem arguit dupliciter *. Primo, *ex dictis,* ut ipse ait, *opinantis,* scilicet Auctoris. Secundo, *contra conclusionem in se.* Sed quoniam omnes obiectiones eius consistunt in hoc, quod scientia infusa et acquisita sunt eiusdem rationis; aut distinguuntur sicut matutina et vespertina; aut secundum originem, quia una a Deo, altera ab intellectu agente, apud nos, sicut homo genitus et homo creatus; quorum nullum Auctor etiam somniavit, ut expresse in hoc eodem articulo, respondendo ad tertium, docet: ideo omittendas censui. * Cf. num. ii. * Qu. iv, al. iii. * Cf. num. viii.

Durandus vero * probat probabile esse scientiam infusam et acquisitam esse unius rationis, quia oculi nati, et oculi restituti vel dati a Deo, sunt unius rationis. Probareque nititur indignum esse Christo quod acquisierit scientiam a sensibilibus, sicut non decuit ipsum discere ab homine: quia aequivalent haec duo, cum homo docens non se habeat nisi ut proponens obiectum. * Cf. num. ix.

V. Ad horum evidentiam, scito quod scientiam esse et vocari infusam, contingit dupliciter: hoc est, per se; vel per accidens. Scientia est et vocatur infusa per se cuius naturalis generatio est infusio: qualis est scientia angelorum. Per accidens autem infusa est cui accidit quod habita sit per infusionem: ut scientia Adae. Scientia autem acquisita non nisi per se invenitur, cuius scilicet naturalis generatio est acquisitio: quoniam non potest scientia ex suo genere infusa acquiri, sicut e contra potest scientia ex suo genere acquisita infundi; quia agens superius potest praevenire inferiorem causam, inferius autem agens non potest superioris ordinis effectum producere. Unde scientia quae nata est haberi per lumen intellectus agentis, sive habeatur per acquisitionem sive per infusionem, est et vocatur, per se loquendo, scientia acquisita: quia ex suo genere est scientia acquisita. Et propterea scientia naturalium quam habuit Adam, fuit scientia acquisita ex suo genere et per se: quamvis ipse non acquisierit illam, sed fuerit sibi a Deo infusa. Scientia autem infusa in Christo, conclusa in praecedenti articulo, est infusa ex suo genere: et non est sicut Adae scientia, sed sicut scientia angelica, ut in hoc articulo dicitur.

Intellige igitur hunc titulum de scientia tam infusa quam acquisita ex suo genere, seu per se: et non per accidens ab actu infusionis vel actualis acquisitionis. Et tunc illucescet altitudo veritatis huius litterae, tam male intellectae. Noli ergo proponere ante mentis oculos Christum, velut Adam, plenum scientiae acquisibilis ex suo genere sed infusae per accidens: quia, si sic Christum imaginatus fueris, processus litterae corruet. Et tamen sic est imaginatus Christus a non intelligentibus hanc litteram, et obiicientibus. Neque enim in Adam frustra fuit intellectus agens: sicut nec potentia augmentativa. Sed imaginare Christum plenum scientiae infusae ex suo genere; et *sicut tabulam rasam* * quoad scientiam acquisitam ex suo genere. Et tunc processu litterae utere, dicendo quod, si in Christo non esset scientia acquisita ex suo genere, – dico autem, non esset omnino, scilicet nec per se nec per accidens, hoc est, neque per acquisitionem, quae est per se generatio eius, nec per infusionem, quae est per accidens generatio eius: si, inquam, in Christo non esset omnino scientia acquisita, intellectus agens esset in ipso frustra; quia nihil esset impediens aut tollens quovis modo operationem eius, et tamen non posset habere operationem suam. In Adam siquidem caruit operatione sua principali quia non erat ibi patiens dispositum ad recipiendum, quia

* Cf. Aristot. *de Anima,* lib. III, cap. iv, n. 11. – S. Th. lect. ix.

erat iam in actu ab alio agente reductum, nec erat amplius in potentia ad recipiendum intelligibilia ab intellectu agente: sicut potentia augmentativa non poterat augere quia corpus eius iam erat actu perfectum in quantitate naturali.

VI. Ad primum igitur dubium * dicitur quod propositio illa, *Frustra est quod caret propria operatione,* non est arctanda ad genus, speciem aut individuum quodlibet vel aliquod, sed absolute sumenda est. Et sane debet intelligi, scilicet, subintellectis conditionibus generalibus quae, cum de operibus est sermo, subintelliguntur: scilicet, *quando, ubi, et in quo,* etc.. *debet operari.* Ita quod sensus est quod *Frustra est quod caret operatione quando debet illam habere.* Et sic propositio ista efficaciter in littera probatur ex hoc quod *unumquodque est propter suam operationem:* frustra siquidem est quod finem suum non assequitur, quando debet.

* Num. ii.

Et per hoc satisfit omnibus instantiis. Nam status beatus habet ut tunc non debeat abstrahere intellectus agens: quia homo est in termino. – Et Adam fuit suppositum in quo intellectus agens non debebat abstrahere species: quia intellectus possibilis plenus erat acquisita scientia. – Et similiter potentia augmentativa non fuit frustra: quia caruit quidem operatione, sed non quando et in quo debuit operari. Quoniam constat quod operatio eius debet esse in subiecto imperfecto secundum quantitatem, et in statu augmenti: quorum nullum locum habuit in Adam, creato perfecto secundum quantitatem naturalem. – Stat ergo solida prima litterae propositio.

VII. Ad secundum dubium * dicitur quod non refert utro modo propositio intelligatur. Quia unius potentiae non est nisi una operatio propria principalis, quae se habet ad ipsam ut finis, cuius privatione dicitur frustra: quia potentia naturalis determinata est ad unum; et rationalis alterum contrariorum principaliter respicit. Et rursus omnis potentia natura quaedam est: et propterea una est cuiusque principalis operatio, fundans reliquas ordine quodam. Ad litteram tamen, Auctor loquitur de operatione principali, quae est finis.

* Num. iii.

Et multo minus refert quovis modo sumatur in proposito. Quia, si in Christo non est scientia ex suo genere acquisita, intellectus agens esset frustra quia careret operatione principali, quae est finis (et hoc intendit Auctor: ut patet in art. 2 qu. xii): et nihilominus sequi videtur quod esset omnino frustra in ipso; quia careret et principali operatione, quae est facere species intelligibiles; et secundaria, quae est facere evidentiam primarum propositionum immediate, et mediante illa facere aliorum evidentiam. Quoniam tam cognitio primorum principiorum, quam reliquorum ex illis, ad scientiam acquisitam ex suo genere spectat: quam supponimus in Christo non esse, sed infusam ex suo genere tantum. Quocirca, si in Christo supponeretur scientia ex suo genere acquisita per infusionem habita, sicut ponitur in Adam, intellectus agens non careret omni operatione sibi propria, sed prima tantum, scilicet abstractione specierum intelligibilium: fecisset namque, sicut de facto in Adam fecit, evidentiam primarum propositionum immediate, et aliarum mediante illa. Nam eodem lumine fuerunt per se nota Adae prima principia, et conclusiones per principia, quo modo sunt evidentia nobis: quamvis nos acquiramus nostra actione species, et studio nostro conclusiones; ille autem per infusionem habuit quidquid nos acquirimus, sub illo tamen lumine quo acquirere nos possumus. Sed quia in Christo supponitur non esse quovis modo scientiam ex suo genere acquisitam, sed ex suo genere infusam, quae est supra lumen intellectus agentis: ideo omnino frustra poneretur, utpote absque omni sua propria operatione, intellectus agens in Christo. Et sic stat omnino solida et inconcussa propositio litterae, iuncta etiam subsumptis.

Et haec intelligito, quantum est ex parte sui, hoc est, intellectus agentis. Quoniam ex libertate animae Christi, potuisset cooperari ad illustrandum phantasmata ministrantia scientiae infusae, quando placuisset uti scientia illa convertendo se ad phantasmata. Similiter ad intellectionem multorum intelligibilium.

VIII. Ad obiecta Scoti contra conclusionem ipsam *, iam incipit patere quod in responsione ad tertium amplius explanabitur *. Nam, secundum Auctorem, scientia infusa ex suo genere seu per se, et scientia acquisita ex suo genere seu per se, sunt diversarum rationum. Et licet differant penes origines et agentia diversarum rationum, non tamen differunt tantum penes origines et agentia: sed penes formalia obiecta, ac per hoc, per intrinsecas differentias, ut patebit. Et ideo ridiculum est obiicere quod differunt sicut homo natus et homo creatus; aut sicut oculi caeci nati miraculose illuminati, et oculi aliorum. Haec enim vera sunt de scientia acquisita et scientia per accidens infusa, ut fuit scientia Adae, quae ex suo genere erat eiusdem rationis cum nostra: non autem de scientia ex suo genere infusa, quoniam haec altioris ordinis ex intrinseco est, et ideo non potest acquiri et exigit infusionem. Et de hac Auctor, assuetus sermonibus formalibus et per se, loquitur in hac littera. Isti autem ad *per accidens* declinarunt: dum ad scientiam cui fieri accidit quod sit infusa, diverterunt.

* Num. iv.
* Num. x.

IX. Unde patet Durandi suppositionem * non a probabilitate, sed a possibilitate alienam esse, loquendo per se. Sed ipse loquitur de infusa per accidens, et credit se opponere contra hanc litteram: a qua aequivocat, quia littera loquitur de per se acquisita et per se infusa, sciens quod *ea quae sunt per accidens relinquuntur ab arte* *.

* Num. iv.
* Aristot. *Metaphys.* lib. V, cap. ii, n. 8. - S. Th. lib. VI, lect. ii.

Ad rationem autem Durandi ex dignitate Christi, respondetur quod non eadem est ratio acceptionis scientiae a rebus, et a doctore. Quoniam res causant scientiam quasi ut instrumenta Dei, qui fecit illas ut exemplatas a sua sapientia: iuxta illud *Eccli.* i *: *Effudit sapientiam super omnia opera sua.* Doctor vero, licet se habeat ut proponens obiectum, non tamen se habet sic tantum: sed principalius se habet ut proponens conceptiones suas per voces, quae sunt *signa eorum quae sunt in anima* *, et ordinando ac subordinando has conceptiones illis, et deducendo has ex illis, ut experimur quotidie. Quod indignum erat Christo Domino, qui *unus est Magister* * totius generis humani. Et habes hanc responsionem inferius, qu. xii, art. 3, ad 2.

* Vers. 10.
* Aristot. *Peri Herm.* cap. i, n. 2 - S. Th. lib. I, lect. ii.
* Matth. c. xxiii, vers. 8.

X. In eodem articulo quarto, in responsionibus ad secundum et tertium, perspicere facile potes quae diximus esse vere de intentione Auctoris *. Nam in responsionibus his habes tres differentias per se inter habitum infusum et acquisitum. Prima est secundum causas efficientes: quia infusa a superiori, acquisita ab inferiori. – Secunda, sequens ad istam, secundum origines: scilicet infusionem, et acquisitionem. – Tertia est secundum obiecta: quia acquisita est commensurata et proportionata phantasmati, quod se habet ad intellectum ut color ad visum, ut dicitur in III *de Anima* *; infusa autem est superexcedens proportionem phantasmatum. Et haec est differentia intrinseca et essentialis, propter quam istae scientiae sunt diversarum rationum. Et cum haec ultima differentia clarissime habeatur in littera, mirum est quomodo Scotus ausus est imponere Auctori oppositum.

* Cf. num. viii.
* Cap. vii, n. 3. - S. Th. lect. xii.

Et debes scire, Novitie, quod scientiam esse commensuratam phantasmati, nihil aliud est quam esse proportionatam et adaequatam obiecto ut relucet in phantasmatibus: qualis est scientia humana, et fuit scientia Adae. Et, per oppositum, scientiam excedere commensurationem phantasmatum, est illam esse proportionatam obiecto excellentiori, et excellentiori modo, quam sit obiectum phantasiabile. Et haec inferius * clara erunt, cum de utraque scientia tractabitur. Et dicetur quod scientia acquisita habet pro obiecto quod quid est abstrahens a singularibus; et non omne quod quid est, sed sensibilium rerum tantum; et ideo illa scientia non se extendit ad singularia nec substantias separatas, sicut nec nostra scientia ad haec se extendit. Scientia autem infusa ex suo genere est sicut angelica scientia, habens quidditatem pro obiecto non abstrahentem, sed concretam singularibus, ita quod extendit se ad essentiam et omnia illius tunc accidentia, etc., ut patuit in Primo Libro *; et similiter habet pro obiecto quidditatem non solum rerum sensibilium, sed etiam intellectualium, citra actum purum, qui soli sibi ipsi est quidditative notus et beatis ut sic, ut ibidem * monstratum est.

* Qu. xi, art. 1, Comment. num. v; art. 6, Comment. num. ii.
* Qu. lvii, art. 2; qu. lxxxix, art. 4.
* Qu. xii, art. 4; qu. lvi, art. 2, 3.

Conclude ergo: sicut, in communi loquendo, habitus per se infusi, et habitus per se acquisibiles, sunt diversarum rationum intrinsecus et essentialiter, ut patet de caritate, fide, spe, et virtutibus intellectualibus et moralibus; ita in speciali de scientia dicendum est quod scientia per se infusa seu ex suo genere, et per se seu ex suo genere acquisibilis, sunt diversarum rationum.

XI. Oritur autem ex dictis novum dubium, simpliciter et ad hominem: cur in Christo asseritur non fuisse scientiam ex suo genere acquisibilem per infusionem, ut fuit in Adam *. Et est ratio dubii simpliciter, quia melius est ut Christus semper habuerit talem scientiam quam post lapsum temporis: *actus* enim *melior est potentia in bonis,* ut dicitur IX *Metaphys.* *

* Cf. num. v.

* S. Th. lect. x. - Did. lib. VIII, cap. IX, n. 1, 2.

Et confirmatur. Quia eadem ratio militat de Adam et Christo: scilicet, quia datus est a Deo uterque doctor generis humani. Unde, si Adam, quia creatus instructor succedentis generis, habuit talem scientiam per infusionem, multo magis Christus, qui datus est in doctorem humani generis, debuit perfectus creari quoad animam, ut scilicet perfecta esset scientia acquisibili ex suo genere.

Ad hominem vero, quia, licet in littera probetur in Christo fuisse scientiam acquisitam ex suo genere, non tamen probatur quod fuit talis scientia in Christo per talem viam, scilicet per acquisitionem. Stat enim quod talis scientia fuerit in Christo, et non per talem viam, sed per infusionem: ut patet in Adam, in quo, quia fuit scientia acquisita ex suo genere, licet non per acquisitionem sed per infusionem, non sequitur intellectum agentem fuisse frustra, ut patet ex dictis *. Et, eadem ratione, non fuisset in Christo intellectus agens frustra, si scientia acquisita ex suo genere fuisset in ipso per infusionem.

* Num. v.

XII. Ad hoc dicitur quod rationabiliter haec scientia in Christo ponitur per acquisitionem, et non per infusionem: tum ex parte scientiae; tum ex parte scientis; tum ex perfectione modi sciendi. Ex parte quidem scientiae, quia acquisitio est talis scientiae generatio per se, quoniam ipsa illius naturalis generatio est: infusio autem est talis scientiae generatio per accidens, accidit enim ex miraculo quod infundatur. Generatio autem per se praestat generationi per accidens.

Ex parte vero scientis, quia nobilius est quod seipsum movet quam quod ab alio movetur, ut dicitur in VIII *Physic.* * Sciens autem per inventionem seipsum movet: sciens per infusionem ab extrinseco movetur, hoc est, reducitur de potentia ad actum. Illud ergo est Christo attribuendum.

* Cap. v, n. 7. - S. Th. lect. IX.

Ex parte autem modi sciendi, quia, sicut in Christo fuit scientia beata modo beatorum, et scientia indita modo inditae, ita debuit esse scientia acquisita modo acquisitae: ut nullus modus sciendi convenire potens Christo, illi defuerit.

XIII. Ad obiectionem autem primam * dicitur quod actus melior est potentia, ceteris paribus. In proposito autem cetera non sunt paria. Nam esset motus ab alio, ubi nunc ponitur movere seipsum; et careret connaturali et per se modo generationis talis scientiae; ut patet ex dictis *. Quae praeponderant illi praeventioni actualis scientiae.

* Num. XI.

* Num. praeced.

Ad confirmationem dicitur quod non est similis ratio. Quia Adam creatus est ut principium naturae humanae in naturalibus, tam secundum corpus quam secundum animam: et quia *perfecta sunt, secundum naturae ordinem, priora imperfectis,* ut XII *Metaphysicae* * Aristoteles dicit, ideo Adam, sicut secundum corpus creatus est perfectus in quantitate, ita et secundum animam creatus est perfectus in scientia. Christus autem non est productus ut principium hominum in esse naturae, nec in naturalibus pro hoc statu: sed ut doctor mysteriorum Dei et regni caelestis. In cuius signum, productus est, secundum corpus, quantitatis imperfectae: et similiter, secundum animam, in pura potentia quoad scientiam naturaliter acquisibilem. Et sicut *crevit aetate* et vere augmentum corporale habuit, ita *crevit sapientia:* simul enim Evangelista haec dicit *. Nec docuit mathematicam aut astrologiam et huiusmodi: sed arcanum Trinitatis, et vias ac secreta regni caelorum.

* S. Th. lect. VIII; Did. lib. XI, cap. VII, n. 9. - Cf. VIII *Phys.*, cap. IX, n. 1, s. Th. lect. XIX; I *de Caelo*, cap. II, n. 9, s. Th. lect. IV.

* Luc. cap. II, vers. 52.

XIV. Ad obiectionem contra litteram * dicitur quod, licet illa ratio, quod intellectus agens esset frustra, si absolute sumatur, non concludat utrumque, scilicet scientiam talem ex suo genere acquisibilem, et viam talem, scilicet per acquisitionem, ut instantia de Adam manifestat; contracte tamen sumpta, hoc est in Christo, infert utrumque. Nam in Christo supponitur nullam esse per accidens productam scientiam, sed omnem in illo scientiam esse cum suo proportionato naturaliter modo, tam in se quam in sua origine: decet enim Christum perfectionem omnem suae animae per se habere, et non per accidens. In Christo igitur, in quo omnis suae animae conveniens perfectio per se ponenda est, frustra poneretur intellectus agens, si in eo non esset scientia acquisita, et per acquisitionem: quia careret propria principali operatione, scilicet causatione specierum intelligibilium, in illo in quo debet talem operationem habere, hoc est in Christo viatore, quem decet scientiam acquisitam habere, et modo humano habere. Unde in littera, ad explicandam plene probationem conclusionis, subiungitur connaturalitas cuiusque scientiae inventae in Christo: scilicet quod beata est Deo connaturalis, infusa angelo, acquisita homini. Et est sermo non solum de ipsa scientia, sed de modo habendi ipsam, ut patet in littera. Tanquam si diceret quod, quia Christum decet habere humanam scientiam more humano, est secundum animam subiectum in quo intellectus uterque debet habere propriam operationem more humano. Ac per hoc, optime dictum est quod frustra, utpote carens propria operatione principali quando et in quo debet, esset intellectus agens, nisi causaret scientiam in Christo humanam.

* Num. XI, *Ad hominem.*

Nec obstat instantia de Adae scientia. Quia illum, utpote principium naturae humanae, decebat esse ab initio perfectum et scientia ex suo genere acquisita: quae absolute quidem sortitur infusionem pro generatione per accidens; in tali vero supposito, scilicet primo totius generis humani, sortitur infusionem pro productione quodammodo quasi per se, pro quanto principia exigunt quod sint perfecta, quoniam *perfecta sunt naturaliter priora imperfectis,* ut dicitur XII *Metaphysicae* *.

* Cf. num. praeced.



QUAESTIO DECIMA

DE SCIENTIA BEATA ANIMAE CHRISTI

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

Deinde considerandum est de qualibet praedictarum scientiarum *. Sed quia de scientia divina dictum est in Prima Parte *, restat nunc videre de aliis α: primo, de scientia beata; secundo, de scientia indita *; tertio, de scientia acquisita *. Sed quia de scientia beata, quae in Dei visione consistit, plura dicta sunt in Prima Parte *, ideo hic sola illa videntur dicenda quae pertinent β ad animam Christi.

* Cf. qu. IX, Introd. * Qu. XIV. * Qu. XI. * Qu. XII. * Qu. XII.

Circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo: utrum anima Christi comprehenderit Verbum, sive divinam essentiam.

Secundo: utrum cognoverit omnia in Verbo.

Tertio: utrum anima Christi in Verbo cognoverit infinita.

Quarto: utrum videat Verbum, vel divinam essentiam, clarius qualibet alia creatura.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM ANIMA CHRISTI COMPREHENDERIT ET COMPREHENDAT VERBUM, SIVE DIVINAM ESSENTIAM

III *Sent.*, dist. XIV, art. 2, qu[a] 1; *De Verit.*, qu. XX, art. 4, 5; *Compend. Theol.*, cap. CCXVI; I *ad Tim.*, cap. VI, lect. III.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod anima Christi comprehenderit et comprehendat γ Verbum, sive divinam essentiam. Dicit enim Isidorus * quod *Trinitas sibi soli nota est, et homini assumpto.* Igitur homo assumptus communicat cum sancta Trinitate in illa notitia sui quae est sanctae Trinitatis propria. Huiusmodi autem est notitia comprehensionis. Ergo anima Christi comprehendit divinam essentiam.

* *Sentent.*, al. *de Sum. Bon.*, lib. I, cap. III.

2. Praeterea, magis est uniri Deo secundum esse personale quam secundum visionem. Sed, sicut Damascenus dicit, in III libro *, *tota divinitas, in una personarum, est unita humanae naturae in Christo.* Multo igitur magis tota natura divina videtur ab anima Christi. Et ita videtur quod anima Christi comprehendat divinam essentiam.

* *De Fide Orth.* lib. III, cap. VI.

3. Praeterea, *illud quod convenit Filio Dei per naturam, convenit Filio Hominis per gratiam,* ut Augustinus dicit, in libro *de Trinitate* *. Sed comprehendere divinam essentiam competit Filio Dei per naturam. Ergo Filio Hominis competit per gratiam. Et ita videtur quod anima Christi per gratiam Verbum comprehendat.

* Cf. lib. I, cap. XIII. - Vide *Cont. Sermon. Arian.*, cap. VIII.

Sed contra est quod Augustinus dicit, in libro *Octogintatrium Quaest.* *: *Quod se comprehendit, finitum est sibi.* Sed essentia divina non est finita in comparatione ad animam Christi: cum in infinitum eam excedat. Ergo anima Christi non comprehendit Verbum.

* Qu. XV.

Respondeo dicendum quod, sicut ex supra * dictis patet, sic facta est unio naturarum in persona Christi quod tamen proprietas utriusque naturae inconfusa permansit: ita scilicet quod *increatum mansit increatum, et creatum mansit infra limites creaturae,* sicut Damascenus dicit, in III libro *. Est autem impossibile quod aliqua creatura comprehendat divinam essentiam *, sicut in Prima Parte * dictum est: eo quod infinitum non comprehenditur a finito. Et ideo dicendum quod anima Christi nullo modo comprehendit divinam essentiam.

* Qu. II, art. 1. * *De Fide Orth.* lib. III, cap. III. * D. 366. * Qu. XII, art. 7.

Ad primum ergo dicendum quod homo assumptus connumeratur δ divinae Trinitati in sui cognitione, non ratione comprehensionis, sed ratione cuiusdam excellentissimae cognitionis prae ceteris creaturis.

Ad secundum dicendum quod nec etiam in unione quae est secundum esse personale, natura humana comprehendit Verbum Dei, sive naturam divinam: quae quamvis tota unita fuerit humanae naturae in una persona Filii, non tamen fuit tota virtus divinitatis ab humana natura quasi circumscripta. Unde Augustinus dicit, in Epistola *ad Volusianum* *: *Scire te volo non hoc Christianam habere doctrinam, quod ita Deus infusus sit carni ut curam gubernandae universitatis vel deseruerit vel amiserit, vel ad illud corpusculum quasi contractam collectamque transtulerit.* Et similiter anima Christi totam essentiam Dei videt: non tamen eam comprehendit, quia non totaliter eam videt, idest, non ita perfecte sicut visibilis est, ut in Prima Parte * expositum est.

* Ep. CXXXVII, al. III, cap. II. * Qu. XII, art. 7.

Ad tertium dicendum quod verbum illud Augustini est intelligendum de gratia unionis, secun-

α) *videre de aliis. – dicendum de aliis tribus* tertia.
β) *pertinent. – proprie pertinent* tertia.
γ) *comprehenderit et comprehendat. – comprehendit* F.
δ) *connumeratur. – conformatur* PF; *connumeratur* margo P.

dum quam omnia quae dicuntur de Filio Dei secundum naturam divinam, dicuntur de Filio Hominis, propter identitatem suppositi. Et secundum hoc, vere potest dici quod Filius Hominis est comprehensor divinae essentiae: non quidem secundum animam, sed secundum divinam naturam. Per quem etiam modum potest dici quod Filius Hominis est Creator.

Commentaria Cardinalis Caietani

* Art. 7. Titulus clarus ex dictis in Prima Parte, qu. XII *, ubi de Dei comprehensione tractatum est. Comprehendere namque est cognoscere rem quantum cognoscibilis est, ita quod non possit plus cognosci quam cognoscitur.

In corpore est unica conclusio, responsiva quaesito negative: *Anima Christi non comprehendit divinam essentiam*. Probatur. Impossibile est quod aliqua creatura comprehendat divinam essentiam. Ergo impossibile est animam Christi comprehendere divinam essentiam. – Antecedens probatur. Quia infinitum non comprehenditur a finito. – Consequentia probatur. Quia unio naturarum in persona Christi facta est sic quod salva est utriusque naturae proprietas, etc.

II. In responsione ad secundum, dubium occurrit, quia divertere videtur Auctor a virtute deitatis in personando ad virtutem deitatis in operando. Respondendo siquidem Auctor dicit quod, licet tota deitas sit unita humanitati Christi, non tota tamen deitatis virtus est quasi circumscripta. Quod de virtute personativa directe et secundum planum litterae contextum intelligitur. Quasi dixerit quod tota quidem deitas est coniuncta in una persona Christi, non tamen comprehensa: quia potest in eadem persona coniungi aliis naturis, ut ex supra * dictis patet, et sic virtus * Qu. III, art. 7.
personativa illius non est comprehensa ab humanitate Christi. Allegando autem auctoritatem Augustini, ad virtutem operativam digreditur, ad quam spectat cura gubernandi mundum.

Ad hoc dicitur quod Auctor declarat a virtute operativa non contracta virtutem deitatis absolute, sive in personando, de qua directe erat dicendum, sive in operando, quae sub deitatis virtute comprehenditur, non esse comprehensam ab humanitate Christi. Unde nulla digressio commissa est: sed a notioribus doctrina tradita est.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM ANIMA CHRISTI IN VERBO COGNOSCAT OMNIA

III *Sent.*, dist. XIV, art. 2, qu^a 2; *De Verit.*, qu. VIII, art. 4; qu. XX, art. 4, 5; *Compend. Theol.*, cap. CCXVI.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod anima Christi in Verbo non cognoscat
* Vers. 32. omnia. Dicitur enim Marci XIII *: *De die autem illa nemo scit, neque angeli in caelo neque Filius, nisi Pater*. Non igitur omnia scit in Verbo.

2. Praeterea, quanto aliquis perfectius cognoscit aliquod principium, tanto plura in illo principio cognoscit. Sed Deus perfectius videt essentiam suam quam anima Christi. Ergo plura cognoscit in Verbo quam anima Christi. Non ergo anima Christi in Verbo cognoscit omnia.

3. Praeterea, quantitas scientiae attenditur secundum quantitatem scibilium. Si ergo anima Christi sciret in Verbo omnia quae scit Verbum, sequeretur quod scientia animae Christi aequaretur scientiae divinae, creatum videlicet increato. Quod est impossibile.

* Vers. 12. Sed contra est quod, super illud *Apoc.* V *, *Dignus est Agnus qui occisus est accipere divini-*
* Ord. *tatem et scientiam*, Glossa * dicit: *idest, omnium cognitionem*.

Respondeo dicendum quod, cum quaeritur an Christus cognoscat omnia in Verbo, dicendum est quod α ly *omnia* potest dupliciter accipi. Uno modo, proprie: ut distribuat pro omnibus quae quocumque modo sunt vel erunt vel fuerunt, vel facta vel dicta vel cogitata β a quocumque, secundum quodcumque tempus. Et sic dicendum est quod anima Christi in Verbo cognoscit omnia. Unusquisque enim intellectus creatus in Verbo cognoscit, non quidem omnia simpliciter, sed tanto plura quanto perfectius videt Verbum: nulli tamen intellectui beato deest quin cognoscat in Verbo omnia quae ad ipsum spectant. Ad Christum autem, et ad eius dignitatem, spectant quodammodo omnia: inquantum *ei subiecta sunt omnia* *. Ipse est etiam *omnium iudex constitutus* * I *ad Cor.*, cap. XV, vers. 27.
a Deo, quia Filius Hominis est, ut dicitur Ioan. V *. * Vers. 27. - Cf. *Act.* cap. X, vers. 42.
Et ideo anima Christi in Verbo cognoscit omnia existentia secundum quodcumque tempus, et etiam hominum cogitatus, quorum est iudex: ita quod de eo dicitur, Ioan. II *, *Ipse enim sciebat* * Vers. 25.
quid esset in homine; quod potest γ intelligi non solum quantum ad scientiam divinam, sed etiam quantum ad scientiam animae eius quam habet in Verbo.

Alio modo ly *omnia* potest accipi magis large: ut extendatur non solum ad omnia quae sunt actu secundum quodcumque tempus, sed etiam ad omnia quaecumque sunt in potentia nunquam reducta δ ad actum. Horum autem quaedam sunt solum in potentia divina. Et huiusmodi non omnia cognoscit in Verbo anima Christi. Hoc enim esset comprehendere omnia quae Deus potest facere: quod esset comprehendere divinam virtutem, et per consequens divinam essentiam; virtus enim quaelibet cognoscitur per cognitio-

α) *dicendum est quod.* – Om. tertia.
β) *facta vel dicta vel cogitata.* – PGH; *dicta vel facta vel cognita* ABCDF, *dicta vel facta vel cogitata* E, *dicta vel cognita vel facta* ed. *a, facta vel dicta vel cognita* Ibc.

γ) *ita quod... quod potest.* – *ita quod... potest* pG, *ita quod... posset* IpH et *bc, ita quod id quod... potest* (*possit* sH) sGH, *ita ut quod... potest* P.
δ) *reducta.* – *reducenda vel reducta* P.

nem eorum [ε] in quae potest. – Quaedam vero sunt non solum in potentia divina, sed etiam in potentia creaturae. Et huiusmodi omnia cognoscit anima Christi in Verbo. Comprehendit enim in Verbo omnis creaturae essentiam: et per consequens potentiam et virtutem, et omnia quae sunt in potentia creaturae.

Ad primum ergo dicendum quod illud verbum intellexerunt Arius et Eunomius, non quantum ad scientiam animae, quam in Christo non ponebant, ut supra * dictum est: sed quantum ad divinam cognitionem Filii, quem [ζ] ponebant esse minorem Patre quantum ad scientiam. – Sed istud stare non potest. Quia *per Verbum Dei facta sunt omnia,* ut dicitur Ioan. i *: et, inter alia, facta sunt etiam per ipsum omnia tempora. Nihil autem per ipsum factum est quod ab eo ignoretur.

* Qu. v, art. 3.

* Vers. 3.

Dicitur ergo nescire diem et horam iudicii, quia non facit scire: interrogatus enim ab Apostolis super hoc, *Act.* i *, hoc eis noluit revelare. Sicut e contrario legitur *Gen.* xxii *: *Nunc cognovi quod timeas Deum,* idest, *Nunc cognoscere feci* *. Dicitur autem Pater scire, eo quod huiusmodi cognitionem tradidit Filio. Unde in hoc ipso quod dicitur, *nisi Pater,* datur intelligi quod Filius cognoscat [η], non solum quantum ad divinam naturam, sed etiam quantum ad humanam. Quia, ut Chrysostomus argumentatur *, *si Christo homini datum est ut sciat qualiter oporteat iudicare, quod est maius; multo magis datum est ei scire quod est minus, scilicet tempus iudicii.*

* Vers. 6, 7.

* Vers. 12.

* Gloss. Interlin. ibid.; Aug. *de Trinit.* lib. I, cap. xii.

* Hom. LXXVII, al. LXXVIII, *in Matth.*

Origenes tamen hoc exponit * de Christo secundum *corpus eius, quod est Ecclesia* *, quae hoc ipsum [θ] tempus ignorat. – Quidam * autem dicunt hoc esse intelligendum de Filio Dei adoptivo, non de naturali.

* Tract. XXX *in Matth.*

* *Ad Coloss.* cap. i, vers. 24.

* Raban. *Comm. in Matth.* l. VIII, ad cap. xxiv, vers. 36; Gloss. Ord. ibid. - Cf. *Caten. Aur.*, ad Matth. xxiv, 36, *Basilius.*

Ad secundum dicendum quod Deus perfectius [ι] cognoscit suam essentiam quam anima Christi, quia eam comprehendit. Et ideo cognoscit omnia non solum quae sunt in actu secundum quodcumque tempus, quae dicitur cognoscere *scientia visionis;* sed etiam omnia quaecumque ipse potest facere, quae dicitur cognoscere per *simplicem intelligentiam,* ut in Primo * habitum est. Scit ergo anima Christi omnia quae Deus in seipso cognoscit per scientiam visionis: non tamen omnia quae Deus in seipso cognoscit per scientiam simplicis intelligentiae. Et ita plura scit Deus in seipso quam anima Christi.

* Qu. xiv, art. 9.

Ad tertium dicendum quod quantitas scientiae non solum attenditur secundum numerum scibilium, sed etiam secundum claritatem cognitionis. Quamvis igitur scientia animae Christi quam habet in Verbo, parificetur scientiae visionis quam Deus habet in seipso, quantum ad numerum scibilium; scientia tamen Dei excedit in infinitum, quantum ad claritatem cognitionis, scientiam animae Christi. Quia lumen increatum divini intellectus in infinitum excedit lumen creatum quodcumque receptum in anima Christi, non solum [κ] quantum ad modum cognoscendi, sed etiam quantum ad numerum scibilium, ut dictum est *.

* In corp. et ad 2.

ε) *eorum.* – *horum* GI, *omnium* editiones.
ζ) *quem.* – PGIc; *quam.*
η) *cognoscat.* – *cognoscat et* GI, *cognoscit et* H et editiones.
θ) *ipsum.* – Om. tertia. – *ignorat* Ea et tertia; *ignoraret.*
ι) *perfectius.* – *intantum perfectius* tertia; pro *quia eam, quod eam* tertia praeter I.
κ) *non solum.* – *Licet absolute loquendo scientia divina* (*de scientia divina* pH et *b*, *de scientia divina scientia divina* sH) *excedat scientiam animae Christi* (*Christi animae* F, *animae Christi ut dictum est* I) *non solum* F et tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus sumendus est ut sonat: in corpore namque articuli distinguetur.

In corpore sunt tres conclusiones, iuxta tria membra distinctionis qua distinguitur quot modis potest distribuere ly *omnia.* In littera igitur fit talis distinctio bimembris. Ly *omnia* potest sumi vel proprie, et sic distribuit pro omnibus quae quandoque actu secundum aliquod tempus sunt: vel large, et sic distribuit etiam pro his quae sunt in potentia nunquam reducta ad actum. Et hoc subdistinguitur in duo membra: quia vel in potentia divina sola; vel non in sola potentia divina, sed etiam in potentia creaturae. Ex quibus patet quod ex universa distinctione et subdistinctione tria tantum membra constituuntur: et sic, iuxta membrorum horum numerum, tribus conclusionibus respondetur quaesito *.

* Cf. num. ii, v, vi.

II. Prima est: *Anima Christi novit in Verbo omnia proprie: hoc est, quae quandoque in actu sunt, erunt aut fuerunt.* Probatur primo, absolute. Licet inter intellectus beatos sit differentia, nulli intellectui beato deest cognoscere in Verbo omnia quae ad ipsum spectant. Sed ad Christum et eius dignitatem spectant omnia. Ergo anima Christi cognoscit in Verbo omnia. – Probatur minor. Tum quia *omnia Christo subiecta sunt.* Tum quia est *omnium iudex constitutus a Deo.*

Probatur secundo, quoad cogitationes hominum: auctoritate Ioannis ii.

III. Circa hunc processum, dubium occurrit: quoniam propositio dicens cuilibet beato convenire quod videat in Verbo omnia spectantia ad se, difficultatem patitur. Sequeretur enim ex ipsa, coniuncta praecedenti propositioni in littera positae, scilicet, *Quilibet beatus tanto plura in Verbo cognoscit quanto perfectius videt Verbum,* quod aliquis sanctus minus beatus, puta sanctus Antonius, esset magis beatus altero beatiore se, puta sancto Petro: quod implicat contradictoria. Et patet sequela, posito quod plura singularia spectent ad sanctum Antonium quam ad sanctum Petrum, quia multo plures orationes emittuntur ad sanctum Antonium quam sint singularia spectantia ad sanctum Petrum, quem nemo interpellat.

Ad hoc dicitur quod propositio dicens quemlibet beatum videre in Verbo omnia spectantia ad se, potest dupliciter intelligi: scilicet vel formaliter, vel causaliter. Si formaliter, sensus est quod ipsa visio Verbi est etiam visio spectantium ad se. Et sic sumpta propositio intelligitur de spectantibus ad beatum tunc cum primo fit beatus: et non de spectantibus postea ad ipsum. Quoniam haec per revelationem habent: ut patet de angelis, qui spectantia ad ipsos de dispositione populorum sibi commissorum nesciebant, ut testatur eorum pugna viginti et uno diebus, Dan. x cap. * Et sic ad obiectionem dicitur quod impossibile est plura singularia spectare ad minus beatum tunc quando primo fit beatus. Quoniam ex hoc ipso quod ponitur minus beatus, ponitur quod visio sua in Verbo ad pauciora se extendat, ut in littera dicitur.

* Vers. 13; cf. vers. 20, 21.

Si vero intelligatur sive formaliter sive causaliter, sic est sensus quod quilibet beatus videt, vel formaliter vel

causaliter, in Verbo omnia ad se spectantia. Et est indubie verum. Quoniam vel ipsa visio Verbi est illorum visio, vel est causa visionis illorum. Quoniam ex hoc ipso quod aliquis videt Verbum, debetur sibi quod suo tempore innotescant sibi spectantia ad se: aliter visio illa non substantialiter constitueret beatum; beatitudo enim est *status omnium bonorum aggregatione perfectus* *. Et secundum hoc, patet obiectionem cessare.

* Boet. *de Consol. Philos.* lib. III, pros. II.

Quocumque autem modo intelligatur in proposito, infert intentum litterae. Tum quia omnia fuerunt subiecta Christo ab instanti conceptionis suae, in quo fuit beatus videndo Verbum. Et sic in primo sensu processus invenitur efficax. – Tum quia in Christo non habet locum nova notitia per revelationes novas, ut in aliis beatis: ac per hoc, quidquid aliis beatis convenit ex visione Verbi formaliter vel causaliter, Christo convenit secundum ipsam visionem Verbi formaliter. Et sic habetur intentum.

IV. In eodem processu, nota quod Auctor, distinguendo ly *omnia* in omnia quandoque in actu, vel in omnia sive in actu sive in potentia, appellavit primam distributionem *proprie,* et secundam *large,* ea ratione quia quae sunt in potentia, non sunt; et, sicut excluduntur a numero entium, ita excluduntur a numero omnium. Fecit autem hoc ob dignificandos sermones de Christo: ut scilicet, simpliciter loquendo, affirmandum doceret quod Christus, inquantum homo, novit omnia.

V. Secunda conclusio est: *Anima Christi non novit in Verbo omnia quae sunt in sola potentia Dei.* Probatur ducendo ad impossibile. Quia nosse omnia quae sunt in sola Dei potentia, est comprehendere omnia quae Deus potest facere. Ergo est comprehendere divinam virtutem. Ergo est comprehendere divinam essentiam. Quod est impossibile. – Prima consequentia probatur. Quia virtus quaelibet comprehenditur per cognitionem omnium in quae potest.

Ubi nota omnes has propositiones loqui de notitia seu comprehensione omnium, non in seipsis, sed in Verbo, seu causa. Ex comprehensione enim omnium effectuum in seipsis non infertur comprehensio causae altioris ordinis, et praesertim in infinitum excedentis omnia quae sunt in potentia sua: qualis est Deus, cum omnia sint entia limitata, ipse autem Deus sit infinitum esse. Sed ex comprehensione omnium possibilium in sua causa infertur comprehensio illius virtutis causativae, quae in proposito est omnipotentia divina, et consequenter comprehensio essentiae divinae. Nam in tali modo cognoscendi cognitio possibilium sequitur naturaliter cognitionem causae: ac per hoc, maior maiorem, et tandem maxima maximam. Maior autem possibilium cognitio haberi non potest in causa quam ut omnia comprehendantur in illa, ut patet in cognitione primorum principiorum: quanto enim aliquis perfectius illorum penetrat virtutem, tanto plura in illis et ex illis cognoscit; adeo ut, cum omnia ex et in illis cognoscibilia quis comprehendit, tam perfecte illa novit ut perfectius cognosci nequeant; adaequat siquidem tunc cognitio cognoscibilitatem illorum.

Et scito quod materia ista, an sit possibile creaturam cognoscere omnia in Verbo, et an visio omnium in Verbo sit comprehensio, in art. 8 qu. XII Primi Libri discussa est, ubi responsum est Scoto et aliis: nec repetenda duxi.

VI. Tertia conclusio est: *Anima Christi scit in Verbo omnia quae sunt in potentia creaturae.* Probatur. Anima Christi comprehendit in Verbo omnis creaturae essentiam. Ergo, virtutem et potentiam. Ergo, omnia in quae potest.

Omnia relinquuntur in littera pro constantibus. Et vere constant, praesupposito antecedente. Quod rationabiliter affirmatur de anima Christi: quia tribuendum ei est quidquid potest excellentiae tribui.

VII. In responsione ad secundum, nota primo, illud verbum: *Anima Christi scit in Verbo omnia quae Deus in seipso scit scientia visionis.* Habebit enim inferius * quaestionem non parvam.

* Art. 3, Comment. num. II.

Nota secundo, quod aliud est dicere animam Christi scire omnia nota Deo scientia visionis, et non scire omnia nota Deo simplici intelligentia: et aliud est dicere animam Christi scire tantum ea quae sunt nota Deo scientia visionis. Quoniam hoc secundo dictum aufert ab anima Christi quidquid notum est Deo simplici intelligentia. Quod constat esse falsum ex littera dicente * quod anima Christi novit multa in potentia nunquam in actu. Unde patet error Scoti, qui hoc videtur imponere Auctori, in qu. II XIV dist. III *Sent.*

* In corpore.

VIII. In responsione ad tertium, adverte quod, quia unum et idem est lumen claritatis divinae in scientia visionis et simplicis intelligentiae, ideo littera non subsumit quod scientia visionis in Deo est clarior: sed absolute quod *scientia Dei excedit in infinitum quantum ad claritatem cognitionis.* Quocirca excessus in infinitum conceditur simpliciter: parificatio autem non simpliciter, sed secundum quid; hoc est, quoad aliquid; hoc est, quoad numerum scitorum scientia visionis.

IX. In eadem responsione dubium occurrit ex Durando, in III *Sent.*, dist. XIV, qu. I, art. 2 *, tenente quod anima Christi videt in Verbo quidquid videt Verbum, quoad quaestionem *quid est:* et sic scientia animae Christi aequatur divinae scientiae simplicis intelligentiae quoad numerum scitorum, licet non quoad claritatem cognitionis. Probatque hoc sic. Videns Deum videt visione beata quidquid naturaliter repraesentatur in divina essentia. Ergo videt quidditates omnium possibilium. – Consequentia patet. Quia divina essentia naturaliter repraesentat omnem possibilem quidditatem. – Antecedens vero probatur. Quia nec ex parte repraesentantis aut repraesentationis est impedimentum: cum ex naturali necessitate sit huiusmodi repraesentatio. Nec ex parte cognoscentis: quia potest in longe, immo infinite maius, scilicet essentiam divinam; ergo et in omnia possibilia quidditative, quae in infinitum minus sunt cognoscibilia.

* Al. III *Sent.*, dist. XIV, qu. II.

Ad hoc dicitur quod antecedens est falsum. Et ad illius probationem dicitur quod impedimentum in promptu est, et apparet, ex parte cognoscentis, qui non est capax totius repraesentationis naturalis divinae essentiae, sicut nec comprehensionis illius. – Et ad probationem inductam, scilicet, *Potest in longe maius* etc., respondetur quod peccat secundum figuram dictionis, sub *posse in maius et minus* subsumendo *posse tali modo,* hoc est, posse videre quidditates possibiles in Verbo. Nam licet longe et infinite maius sit videre Deum quam videre omnia alia, longe tamen maius est videre sic Deum quod in ipso viso videantur omnes quidditates possibiles, quam videre Deum.

Et hoc iam docuerat Auctor *. Et tamen iste non erubuit concludere ex tali sophistica ratione.

* In corpore. – Cf. *De Verit.*, qu. XX, art. 5, ad 1.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM ANIMA CHRISTI POSSIT COGNOSCERE INFINITA IN VERBO

III *Sent.*, dist. XIV, art. 2, qu^a 2, ad 2; qu^a 4, ad 2; *De Verit.*, qu. XX, art. 4, ad 1 sqq.; *Quodl.* III, qu. II, art. 1.



AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod anima Christi non possit cognoscere infinita in Verbo. Quod enim infinitum cognoscatur, repugnat definitioni infiniti: prout dicitur in III *Physic.* * quod *infinitum est cuius quantitatem accipientibus semper est aliquid extra accipere.* Impossibile autem est definitionem a definito separari: quia hoc esset

* Cap. VI, n. 8. – S. Th. lect. XI.

contradictoria esse simul. Ergo impossibile est quod anima Christi sciat infinita.

2. Praeterea, infinitorum scientia est infinita. Sed scientia animae Christi non potest esse infinita: est enim capacitas eius finita, cum sit [α] creatura α. Non ergo anima Christi potest cognoscere infinita.

3. Praeterea, infinito non potest esse aliquid maius. Sed plura continentur in scientia divina, absolute loquendo, quam in scientia animae Christi, ut dictum est *. [* Art. praeced.] Ergo anima Christi non cognoscit infinita.

Sed contra, anima Christi cognoscit totam suam potentiam, et omnia in quae potest. Potest autem in emundationem infinitorum peccatorum: secundum illud I Ioan. II *: [* Vers. 2.] *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non autem pro nostris tantum, sed etiam totius mundi.* Ergo anima Christi cognoscit infinita.

Respondeo dicendum quod scientia non est nisi entis *: [* Cf. Aristotel. *Post. Anal.*, lib. I, cap. II, n. 7. - S. Th. lect. IV.] eo quod ens et verum convertuntur. Dupliciter autem dicitur aliquid ens: uno modo, simpliciter, quod scilicet est ens actu; alio modo, secundum quid, quod scilicet est ens in potentia. Et quia, ut dicitur in IX *Metaphys.* *, [* S. Th. lect. X. - Did. lib. VIII, cap. IX, n. 6.] unumquodque cognoscitur secundum quod est actu, non autem secundum quod est in potentia, scientia primo et principaliter respicit ens actu. Secundario autem respicit ens in potentia: quod quidem non secundum seipsum cognoscibile est, sed secundum quod cognoscitur illud in cuius potentia existit.

Quantum igitur ad primum modum scientiae, anima Christi non scit infinita. Quia non sunt infinita in actu, etiam si accipiantur omnia quaecumque sunt in actu secundum quodcumque tempus: eo quod status generationis et corruptionis non durat in infinitum; unde est certus numerus non solum eorum quae sunt absque generatione et corruptione, sed etiam generabilium et corruptibilium. – Quantum vero ad alium modum sciendi, anima Christi in Verbo scit infinita. Scit enim, ut dictum est *, [* Art. praeced.] omnia quae sunt in potentia creaturae. Unde, cum in potentia creaturae sint infinita, per hunc modum scit infinita, quasi quadam β [β] scientia simplicis intelligentiae, non autem scientia visionis *. [* D. 477, 1215.]

Ad primum ergo dicendum quod infinitum, sicut in Prima Parte * [* Qu. VII, art. I.] dictum est, dupliciter dicitur. Uno modo, secundum rationem formae. Et sic dicitur infinitum negative: scilicet id quod est forma vel actus non limitatus per materiam vel subiectum in quo recipiatur. Et huiusmodi infinitum, quantum est de se, est maxime cognoscibile, propter perfectionem actus, licet non sit comprehensibile γ [γ] a potentia finita creaturae *: [* D. 366.] sic enim dicitur Deus infinitus. Et tale infinitum anima Christi cognoscit, licet non comprehendat.

Alio modo dicitur infinitum secundum potentiam δ [δ] materiae. Quod quidem dicitur privative: ex hoc scilicet quod non habet formam quam natum est habere. Et per hunc modum dicitur infinitum in quantitate. Tale autem infinitum ex sui ratione est ignotum: quia scilicet est quasi materia cum privatione formae, ut dicitur in III *Physic.* *; [* Cap. VI, n. 10. - S. Th. lect. XI.] omnis autem cognitio est per formam vel actum. Sic igitur, si huiusmodi infinitum cognosci debeat secundum modum ipsius cogniti, impossibile est quod cognoscatur: est enim modus ipsius ut accipiatur pars eius post partem, ut dicitur in III *Physic.* * [* Cap. VI, n. 2, 3. - S. Th. lect. X.] Et hoc modo verum est quod *eius quantitatem accipientibus*, scilicet parte accepta post partem, *semper est aliquid extra accipere.* Sed sicut materialia possunt accipi ab intellectu immaterialiter, et multa unite, ita infinita possunt accipi ab intellectu non per modum infiniti, sed quasi finite, ut sic ea quae sunt in seipsis infinita, sint intellectui ε [ε] cognoscentis finita. Et hoc modo anima Christi scit infinita: inquantum scilicet scit ea, non discurrendo per singula, sed in aliquo uno; puta in aliqua creatura in cuius potentia praeexistunt ζ [ζ] infinita; et principaliter in ipso Verbo.

Ad secundum dicendum quod nihil prohibet aliquid esse infinitum uno modo quod est alio modo finitum: sicut si imaginemur in quantitatibus superficiem quae sit secundum longitudinem infinita, secundum latitudinem autem finita. Sic igitur, si essent infiniti homines numero, haberent quidem infinita esse η [η] secundum aliquid, scilicet secundum multitudinem: secundum tamen rationem essentiae non haberent infinitatem θ, [θ] eo quod omnis essentia esset limitata sub ratione unius speciei. Sed illud quod est simpliciter infinitum secundum essentiae rationem, est Deus, ut in Prima Parte * [* Qu. VII, art. 2.] dictum est. Proprium autem obiectum intellectus est *quod quid est* *, [* D. 752.] ut dicitur in III *de Anima* **: [** Cap. VI, n. 7. - S. Th. lect. XI.] ad quod pertinet ratio speciei.

Sic igitur anima Christi, propter hoc quod habet capacitatem finitam, id quod est simpliciter infinitum secundum essentiam, scilicet Deum, attingit quidem, sed non comprehendit, ut dictum est *. [* Art. I.] Id autem infinitum quod in creaturis est in potentia, potest comprehendi ab anima Christi: quia comparatur ad ipsam secundum essentiae rationem, ex qua parte infinitatem non habet. Nam etiam intellectus noster intelligit universale, puta naturam generis vel speciei, quod quodammodo habet infinitatem, inquantum potest de infinitis praedicari.

Ad tertium dicendum quod id quod est infinitum omnibus modis, non potest esse nisi unum: unde et Philosophus dicit, in I *de Caelo et Mundo* *, [* Cap. VII, n. 5. - S. Th. lect. XIII.] quod quia corpus est ad omnem partem dimensionatum, impossibile est plura esse corpora infinita. Si tamen aliquid esset infinitum uno modo

α) *creatura.* – *creata* PF.
β) *quadam.* – PGIab; *quaedam.*
γ) *comprehensibile.* – Ea et tertia; *apprehensibile.*
δ) *potentiam.* – *rationem* PI; *Alias potentiam* margo P.
ε) *intellectui.* – *in intellectu* editiones.
ζ) *praeexistunt.* – *existunt* tertia.
η) *infinita esse.* – *infinitatem* Pa.
θ) *non haberent infinitatem.* – *haberent finitatem* P. – Pro *omnis, omnium* tertia.

tantum, nihil prohiberet esse plura talia infinita: sicut si intelligeremus plures lineas infinitas secundum longitudinem protractas in aliqua superficie finita secundum latitudinem. Quia igitur infinitum non est substantia quaedam, sed accidit rebus quae dicuntur infinitae, ut dicitur in III *Physic.* *; sicut infinitum multiplicatur secundum diversa subiecta ι, ita necesse est quod proprietas infiniti multiplicetur, ita quod conveniat unicuique eorum secundum illud subiectum. Est autem quaedam proprietas infiniti quod infinito non sit aliquid maius. Sic igitur, si accipiamus unam lineam infinitam, in illa non est aliquid maius infinito. Et similiter, si accipiamus quamcumque aliarum linearum infinitarum, manifestum κ est quod uniuscuiusque earum partes sunt infinitae. Oportet igitur quod omnibus illis infinitis λ non sit aliquid maius in illa linea: tamen in alia linea et in tertia erunt plures partes, etiam infinitae, praeter istas. Et hoc etiam videmus in numeris accidere: nam species numerorum parium sunt infinitae, et similiter species numerorum imparium; et tamen numeri et μ pares et impares sunt plures quam pares.

* Cap. v, n. 3, 4. - S. Th. lect. vii.

Sic igitur dicendum quod infinito simpliciter quoad omnia, nihil ν est maius: infinito autem secundum aliquid determinatum, non est aliquid maius in illo ordine, potest tamen accipi aliquid maius extra illum ordinem. Per hunc igitur modum infinita sunt in potentia creaturae: et tamen plura sunt in potentia Dei quam in potentia creaturae. Et similiter anima Christi scit infinita scientia simplicis intelligentiae: plura tamen scit Deus secundum hunc intelligentiae ξ modum.

ι) *diversa subiecta.* – Tertia; *diversas substantias.*
κ) *manifestum.* – P: *manifestum tamen.* – *earum partes* F et tertia; *partes* pC, *partes earum* sC, *partes earum partes* ceteri.
λ) *infinitis.* – *partibus infinitis* PI.
μ) *et.* – Om. tertia praeter G.
ν) *nihil.* – *simpliciter nihil* tertia.
ξ) *intelligentiae.* – *scientiae* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore articuli tria fiunt: primo, ponitur distinctio bimembris de modo sciendi; secundo, respondetur quaesito iuxta primum modum sciendi, unica negativa conclusione; tertio, respondetur quaesito iuxta secundum modum sciendi, una conclusione affirmativa *.

* Cf. num. iii.

Quoad primum, distinctio est quod dupliciter aliquid est cognoscibile: vel secundum seipsum, ut ens in actu; vel non secundum se, sed secundum illud in cuius potentia existit, ut ens in potentia. Probatur distinctio. Ens dicitur dupliciter: scilicet simpliciter, ut ens in actu; et secundum quid, ut ens in potentia. Ergo et scibile dicitur dupliciter: illud secundum se; hoc secundum quod est in alio. – Antecedens patet. – Et consequentia, quoad primam partem, probatur: quia scientia non est nisi entium. Quod probatur: quia ens et verum convertuntur. – Quoad secundam vero: quia unumquodque cognoscitur secundum quod est actu, et non secundum quod est in potentia. Ex hoc enim sequitur quod scientia primo tendit ad ens in actu, et secundario ad ens in potentia. Hoc est: tendit ad ens in actu secundum se, et ad ens in potentia ut est in alio; hoc enim est secundario cognosci, et illud est primo cognosci.

Quoad secundum, conclusio negativa est: *Anima Christi non scit infinita in actu.* Probatur. Quia non sunt infinita in actu: sed est certus numerus non solum incorruptibilium, sed etiam generabilium et corruptibilium. – Probatur. Quia status generationis et corruptionis non durat in infinitum.

II. Occurrit hoc in loco dubium ad hominem, quo pacto stet doctrina haec cum ante dicta. Dictum quippe in praecedenti articulo est animam Christi scire quaecumque scit Deus scientia visionis: et in Prima Parte, qu. xiv, art. 12, Auctor determinat Deum scientia visionis cognoscere infinita, et reprehendit ac confutat rationem hic allatam de finito statu generationis et corruptionis. Unde videtur Auctor suae oblitus doctrinae: et ponere contraria, dum dicit animam Christi nescire infinita in actu, et negat infinita in actu secundum quodcumque tempus; et ex alia parte dicit animam Christi scire omnia quae scit Deus scientia visionis, et dicit illa esse infinita in actu, si sumantur omnia quae sunt, erunt et fuerunt in actu, quia cogitationes et affectiones creaturarum rationalium, quae perpetuae sunt, in infinitum multiplicabuntur.

Ad hoc dicitur quod utrumque dictum est verum diversimode intellectum. Nam dictum hoc in loco verificatur de simpliciter entibus in actu, quae sunt solae substantiae quae sunt actu quandoque: quae constat esse finita, secundum fidei sententiam decernentis mundum incoepisse et generationem desituram. In Prima autem Parte sermo de simpliciter vel secundum quid entibus in actu quandoque est: quae etiam patet esse infinita, quia in infinitum actus intellectus multiplicabuntur, etsi non in tempore hoc continuo, in tempore tamen discreto.

Et quod haec sit Auctoris mens, patet ex tribus. Primo, quia ab ente incipit corpus articuli, et ad ens simpliciter devenit, distinguendo illud contra ens secundum quid, quod dicitur et de ente in potentia et de accidentibus. Sed solum ens in potentia explicavit, quia solum ens in potentia erat ad distinctionem modi cognoscendi necessarium.

Secundo, quia ex statu generationis et corruptionis probat: qui non comprehendit accidentia universaliter, sed omnes substantias et quaedam tantum accidentia; ut patet de actibus novis futuris post iudicium.

Tertio, quia in articulo praecedenti expresse ad omnia existentia secundum quodcumque tempus adiungit etiam hominum cogitatus; insinuans per hoc quod per existentia secundum quodcumque tempus intelligit hic ea sola quae simpliciter existunt, quae sunt solae substantiae.

Est igitur doctrina Auctoris quod omnia cognita scientia visionis possunt dici et infinita et finita: finita quidem, si ly *omnia* distribuit pro entibus simpliciter; infinita vero, si ly *omnia* distribuit tam pro entibus quam accidentibus entium. Et propterea utrumque est verum: scilicet quod scientia visionis animae Christi est infinitorum; et quod non est infinitorum.

III. Quoad tertium *, secunda conclusio, responsiva affirmative, est: *Anima Christi scit in Verbo infinita in potentia.* Probatur primo. In potentia creaturae sunt infinita. Ergo scit infinita. – Probatur consequentia. Quia scit omnia quae sunt in potentia creaturae.

* Cf. num. i, init.

Declaratur, secundo, modus istius scientiae. Et dicitur quod est ad modum simplicis intelligentiae, et non per modum scientiae visionis. – Omnia ex supra dictis clara sunt.

IV. In responsione ad primum, vide, Novitie, quod infinitum quantitative, accipiendo partem post partem in actu, sicut est impertransibile tam realiter quam secundum designationem, ita est impertransibile secundum cognitionem. Et ideo dicitur quod, ut sic, est ignotum. Et implicat quod pertranseundo cognoscatur.

V. In responsione ad secundum, nota quod responsio

consistit in hac distinctione. Infiniti secundum essentiam scientia comprehensiva est infinita: infiniti autem aliter, finiti tamen secundum essentiam, scientia comprehensiva non est infinita. Quia scientia est finita vel infinita ex finitate vel infinitate proprii obiecti, et non ex alia finitate vel infinitate. Proprium autem obiectum intellectus est *quod quid est.* Et ideo, si *quod quid est,* hoc est essentia, est infinita, scientia comprehensiva est infinita: et si *quod quid est,* seu essentia, est finita, scientia est finita. Unde, cum infinita scita ab anima Christi sint finita secundum essentiam, licet infinita secundum multitudinem, non inferunt scientiam animae Christi esse infinitam.

VI. In hac responsione dubium occurrit ex Adam, in III *Sent.* *, probare conante quod intellectus creatus non potest simul videre infinita ita quod distincte cognoscat quodlibet eorum. Eo quod sequeretur quod visio illa esset infinitae perfectionis in genere cognitionis: quia aequipolleret infinitis cognitionibus, etiam specie distinctis, quae ad infinita illa terminari possent.

* Apud. Capreol. ibid. qu. II, art. 2, cont. 2am conclus.

Et quia non plus potest creatura simul videre quam Deus possit simul facere.

Et quia sequeretur quod esset odium infiniti demeriti, puta si quis vellet ex odio Dei occidere infinitos homines visos simul: vel caritas infiniti meriti, puta si quis ex caritate illos infinitos diligeret.

VII. Sed ex hac littera primum argumentum, quod extra propria materiae non vagatur, facile solvitur dicendo quod visio non est infinita nisi essentia comprehensa sit infinita essentialiter. Et quia arguens apponit ly *in genere cognitionis,* ideo, ne in aequivoco disputetur, distingue quod, si per hoc intendit quod sit cognitio infinita simpliciter, patet responsio ex littera hac: quod scilicet consequentia nihil valet. Nec ex eo quod una cognitio aequipollet infinitis in aliquo certo genere, sequitur quod sit infinita simpliciter: sed sat est quod sit altioris ordinis. Unum siquidem individuum superioris ordinis excedit infinita inferioris ordinis, et una species altioris ordinis excedit perfectionem infinitarum specierum inferioris ordinis: sol enim est perfectior omnibus generabilibus et corruptibilibus, etiam si mundus aeternus esset. Unde visio animae Christi qua videt Verbum et in illo infinita, non solum aequipollet, sed excedit infinitas cognitiones terminabiles ad infinita: et tamen non est infinita simpliciter. Nec illae cognitiones essent infinitae perfectionis simpliciter etiam ut cognitiones. Quia infinitas simpliciter cognitionis, ut in hac habes littera, nunquam habetur nisi essentia infinita essentialiter comprehendatur. Quod constat non inveniri in infinitis cognitionibus infinitorum specie distinctorum creatorum vel creabilium: quoniam et singula et omnia simul habent essentias finitas essentialiter; ut patet si fingas infinitas species animalis, omnes enim simul ad animalis genus essentias limitatas haberent. Simile est enim de tota latitudine possibilium: quoniam omnia simul non essent actus purus, sed infra latitudinem habentium potentiam admixtam. – Si autem intendit quod sit cognitio infinita secundum quid, cum infinitas secundum quid non repugnet creaturae, nihil omnino probatur.

Ad secundum autem, ex extraneis, scilicet ex potentia Dei, neganda est maior. Quia modus intelligendi e contrario se habet ad modum quo res in esse ponuntur. Nam in intellectu adunantur divisa: ad extra vero prodeuntia dividuntur, quae in causa erant non solum simul, sed unum. Et hinc fit quod videri simul non repugnat infinitis, produci autem simul repugnat eis.

Ad tertium, de merito et demerito, respondetur quod neutrum sequitur infinitum nisi secundum quid, et non simpliciter. Magnitudo siquidem simpliciter tam meriti quam demeriti non ex multitudine obiectorum, sed ex quantitate essentiali sui pensatur.

VIII. In responsione ad tertium eiusdem tertii articuli, perspice quod tota vis responsionis consistit in hoc, quod proprietates infiniti, in quocumque ponatur infinitas, arctantur ad subiectum infinitatis: puta, proprietates infiniti positi in linea, arctantur ad lineam; et positi in superficie, arctantur ad superficiem; et positi in numeris paribus, arctantur ad numerum parem; et positi in motibus Saturni, arctantur ad circulationes Saturni; et sic de aliis. Nec hoc dicitur voluntarie, sed cum sufficienti ratione. Quia scilicet infinitum non est substantia, sed accidens: constat autem accidens non excedere suum subiectum, sed arctari ad illud. Et si accidens arctatur ad subiectum, multo magis proprietates comitantes accidentis naturam arctantur ad idem subiectum: ut patet inductive.

Et hanc responsionem perspicaciter serva: quoniam ex illa elucescent solutiones multarum quaestionum, et quod non inconvenit unum infinitum esse maius alio.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM ANIMA CHRISTI PERFECTIUS VIDEAT VERBUM QUAM QUAELIBET ALIA CREATURA

Compend. Theol., cap. CCXVI.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod anima Christi non perfectius videat Verbum quam quaelibet alia creatura. Perfectio enim cognitionis est secundum medium cognoscendi: sicut perfectior est cognitio quae habetur per medium syllogismi demonstrativi, quam quae habetur per medium syllogismi dialectici. Sed omnes beati vident Verbum immediate per ipsam divinam essentiam, ut in Prima Parte * dictum est. Ergo anima Christi non perfectius videt Verbum quam quaelibet alia creatura.

* Qu. XII, art. 2.

2. PRAETEREA, perfectio visionis non excedit potentiam visivam. Sed potentia rationalis animae, qualis est anima Christi, est infra potentiam intellectivam angeli: ut patet per Dionysium, IV cap. *Cael Hier.* * Ergo anima Christi non perfectius videt Verbum quam angeli.

* Cf. *De Div. Nom.*, cap. IV, s. Th. lect. 1; cap. VII, s. Th. lect. II.

3. PRAETEREA, Deus in infinitum perfectius videt Verbum suum quam anima. Sunt ergo infiniti gradus medii [α] inter modum quo Deus videt Verbum suum, et inter modum quo anima Christi videt ipsum. Ergo non est asserendum quod anima Christi perfectius videat Verbum, vel essentiam divinam, quam quaelibet alia creatura.

SED CONTRA EST quod Apostolus dicit, *Ephes.* I *, quod *Deus constituit Christum* [β] *in caelestibus super omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro.* Sed in caelesti gloria tanto aliquis est superior quanto perfectius cognoscit Deum. Ergo anima

* Vers. 20, 21.

α) *medii.* – *possibiles* addit tertia.

β) *Christum.* – *ad dexteram suam* addunt PI.

Christi perfectius videt Deum quam quaevis alia creatura.

RESPONDEO DICENDUM quod divinae essentiae visio convenit omnibus beatis secundum participationem luminis derivati ad eos a fonte Verbi Dei *: secundum illud *Eccli.* 1 **: *Fons sapientiae Verbum Dei in excelsis.* Huic autem Verbo Dei propinquius coniungitur anima Christi, quae est unita Verbo in persona, quam quaevis alia creatura. Et ideo plenius recipit influentiam luminis in quo Deus videtur ab ipso Verbo, quam quaecumque alia creatura. Et ideo prae ceteris creaturis perfectius videt ipsam primam veritatem, quae est Dei essentia. Et ideo dicitur Ioan. 1 *: *Vidimus gloriam eius, quasi Unigeniti a Patre, plenum* non solum *gratiae,* sed etiam *veritatis.*

* D. 486. ** Vers. 5. * Vers. 14.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod perfectio cognitionis, quantum est ex parte cogniti, attenditur secundum medium: sed quantum est ex parte cognoscentis, attenditur secundum potentiam vel habitum. Et inde est quod etiam inter homines per unum medium unus perfectius cognoscit aliquam conclusionem quam alius. Et per hunc modum anima Christi, quae abundantiori impletur lumine, perfectius cognoscit divinam essentiam quam alii beati, licet omnes Dei essentiam videant per seipsam.

AD SECUNDUM DICENDUM quod visio divinae essentiae excedit naturalem potentiam cuiuslibet creaturae, ut in Prima Parte * dictum est. Et ideo gradus in ipso attenduntur magis secundum ordinem gratiae, in quo Christus est excellentissimus, quam secundum ordinem naturae, secundum quem natura angelica praefertur humanae.

* Qu. XII, art. 4.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut supra * dictum est de gratia quod non potest esse maior gratia quam gratia Christi per respectum ad unionem Verbi, idem etiam dicendum est de perfectione divinae visionis: licet, absolute considerando, possit aliquis gradus esse sublimior secundum infinitatem divinae potentiae.

* Qu. VII, art. 12.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus est. – In corpore articuli est una conclusio, responsiva quaesito affirmative: *Anima Christi prae ceteris creaturis perfectius videt divinam essentiam.* Probatur. Visio divinae essentiae convenit omnibus beatis secundum participationem divini luminis derivati in eos a fonte divini Verbi. Sed anima Christi coniungitur propinquius Verbo Dei, et plenius recipit influxum luminis in quo Deus videtur. Ergo.

Maior probatur *Eccli.* I. – Minor, quoad primam partem, quia coniungitur in persona: quoad secundam, quia, tanquam *Unigenitus,* est *plenus veritatis,* Ioan. I.

II. In responsione ad secundum, nota expositionem maioris propositionis assumptae in corpore articuli, in qua dictum est quod visio Dei attenditur secundum participationem divini luminis. Explanatur siquidem hic quod visio Dei attenditur et secundum virtutem naturae videntis et secundum lumen gloriae, sed magis secundum lumen gloriae, quod spectat ad ordinem gratiae: et ideo Christi anima perfectius videt quam angeli, praestantes virtute intellectus naturalis. Dicendo siquidem quod *magis attenduntur gradus visionis secundum ordinem gratiae quam secundum ordinem naturae,* sufficienter explicavit quod secundum utrumque ordinem attenditur.

Et hoc bene notabis. Quia hinc habes quod, pari existente lumine gloriae in homine et angelo, perfectius videt Deum angelus quam homo. Et merito: quia visus acutior melius videt quam visus minus acutus, ceteris paribus. Et ex hoc ulterius sequitur quod, si Verbum Dei assumpsisset in unitatem personalem angelicam aliquam naturam cum lumine gloriae aequali illi quod anima Christi de facto habet, angelus ille perfectius videret divinam essentiam quam modo videat anima Christi.

III. In responsione ad tertium, circa illa verba: *licet, absolute considerando, possit esse aliquis gradus sublimior, secundum infinitatem divinae potentiae,* dubium occurrit, quonam pacto stant cum supra * dictis, quod gratia animae Christi est in summo simpliciter, ita quod non est dabilis maior gratia habitualis illa, quia est in summo. Simile siquidem iudicium est de lumine gloriae, quod est ipsa gratia consummata, formaliter vel causaliter. Si enim lumen gloriae est in anima Christi in summo, impossibile est, secundum quamcumque potentiam, inveniri gradum sublimiorem: sicut non potest inveniri sublimior gradus caloris quam sit calor in summo; esset enim implicare contradictoria simul, ut patet.

* Qu. VII, art. 9 (cf. Comm. num. II); art. 10, Comm. num. II; art. 12.

IV. Ad hoc dicitur quod, cum in littera non dicatur quod posset esse sublimior gradus luminis gloriae, nec visionis divinae, sed, *sublimior gradus,* sine additione aliqua, nullam habet littera difficultatem: cum de facto multi sint gradus perfectiores gradu divinae visionis; scilicet gradus substantiae, cum quaelibet substantia sit sublimior simpliciter quolibet accidente.

Sed haec responsio dissonat a littera, quae gradum sublimiorem possibilem dicit *secundum infinitatem divinae potentiae.* Per hoc namque manifeste significavit quod de sublimiori de potentia, non ordinaria, sed de potentia absolute, loquitur. Et contextus ipse, plane intellectus, sonat quod loquitur de sublimiori gradu divinae visionis, de cuius altitudine tractatur.

V. Unde et propter sensum plani contextus, et propter attributum sublimiorem gradum infinitati divinae potentiae, aliter respondetur, fatendo quod littera loquitur de sublimiori gradu divinae visionis. Verum quia divina visio graduatur vel ex parte luminis gloriae, vel ex parte naturae intellectivae, diversimode assignatur sublimior gradus divinae visionis. Primo namque sublimatur divina visio ex lumine gloriae sublimioris speciei: ita quod lumen gloriae ponatur genus ad speciem unam luminis gloriae inventi de facto in Christo et in aliis beatis, et aliam vel alias species luminis gloriae possibiles fieri.

Sed haec positio divinat: nec habet unde formalem seu specificam differentiam inter lumina gloriae ostendat; cum sit unum obiectum formale absque medio; nec varietur specie ex receptivis, ut patet ex hoc quod eiusdem speciei est in angelis et hominibus.

Secundo itaque sublimatur divinae visionis gradus ex augmento in infinitum luminis gloriae. Ita quod a formis terminabilibus ad summum excipitur lumen gloriae, quod est tale quod, quocumque lumine gloriae posito, adhuc potest poni maius. Et in Christo est lumen gloriae in summo secundum Dei potentiam ordinatam: non secundum Dei potentiam absolute, secundum quam potest, quocumque posito, semper poni maius. Et est ratio exceptionis singularis quia solum lumen gloriae est qualitas propria caelestis patriae. Reliquae namque qualitates supernaturales aut sunt viae, ut fides: aut sunt communes viae et patriae, ut caritas.

Sed huic positioni obstat quia, secundum hoc, maiori lumini gloriae non responderet maior caritas in patria: ac per hoc, non quanto aliquis perfectius videret Deum, tanto maiorem caritatem haberet. Quia caritas ponitur in summo simpliciter in Christo: et sic lumen gloriae posset poni maius, et caritas non posset poni maior.

VI. Relinquitur igitur quod alio modo sublimior gradus

divinae visionis intelligatur possibilis: scilicet ex parte naturae intellectivae. Quia scilicet, si ad aequale lumen gloriae angelus assumeretur a Verbo Dei in unitatem personae, angelus ille perfectius videret Deum quam anima Christi: et esset sublimior visionis divinae gradus, non ex sublimiori lumine aut gradu luminis, sed ex sublimiore intellectu illuminato aequaliter. Et rursus, si Deus assumeret sublimiorem angelum in unitatem personae cum aequali lumine gloriae, perfectius iste videret Deum quam Christus et prior angelus. Et iterum, si alium sublimiorem, et sic deinceps, assumeret cum aequali lumine, semper sublimior perfectius videret. Et sic, secundum infinitatem divinae potentiae, infiniti gradus visionis divinae mediant inter perfectissimam visionem animae Christi, et visionem qua Deus seipsum videt. Et quia haec responsio ab ante * dictis non dissonat, et clara est absque ambiguitatibus, ideo amplectenda est.

* In locis. cit. num. III.



QUAESTIO UNDECIMA

DE SCIENTIA INDITA VEL INFUSA ANIMAE CHRISTI

IN SEX ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. x, Introd.

Deinde considerandum est de scientia indita vel infusa animae Christi *.

Et circa hoc quaeruntur sex.

Primo: utrum per hanc scientiam Christus sciat omnia.

Secundo: utrum hac scientia uti potuerit non convertendo se ad phantasmata.

Tertio: utrum haec scientia fuerit collativa.

Quarto: de comparatione huius scientiae ad scientiam angelicam.

Quinto: utrum fuerit scientia habitualis.

Sexto: utrum fuerit distincta per diversos habitus.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM SECUNDUM SCIENTIAM INDITAM VEL INFUSAM CHRISTUS COGNOVERIT OMNIA

Infra, qu. xii, art. 1; III *Sent.*, dist. xiv, art. 3, qu^a 1; *De Verit.*, qu. xx, art. 6; *Compend. Theol.*, cap. ccxvi.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod secundum hanc scientiam Christus non cognoverit omnia. Haec enim scientia indita est Christo ad perfectionem potentiae [α] intellectus eius. Sed intellectus possibilis animae humanae non videtur esse in potentia ad omnia simpliciter, sed ad illa sola in quae potest reduci in actum per intellectum agentem, qui est proprium activum ipsius: quae quidem sunt cognoscibilia secundum rationem naturalem. Ergo secundum hanc scientiam non cognovit [β] ea quae naturalem rationem excedunt.

2. Praeterea, phantasmata se habent ad intellectum humanum sicut colores ad visum, ut dicitur in III *de Anima* *. Sed non pertinet ad perfectionem virtutis visivae [γ] cognoscere ea quae sunt omnino absque colore. Ergo neque ad perfectionem intellectus humani pertinet cognoscere ea quorum non possunt esse phantasmata: sicut sunt substantiae separatae. Sic igitur, cum huiusmodi scientia fuerit in Christo ad perfectionem animae intellectivae ipsius, videtur quod per huiusmodi scientiam non cognoverit substantias separatas.

* Cap. vii, n. 3; s. Th. lect. xii. - Cf. cap. v, n. 1; s. Th. lect. x.

3. Praeterea, ad perfectionem intellectus non pertinet cognoscere singularia. Videtur igitur quod per huiusmodi scientiam anima Christi non cognoverit singularia.

Sed contra est quod dicitur Isaiae xi *, quod *replebit eum Spiritus sapientiae et intellectus, scientiae et consilii:* sub quibus comprehenduntur omnia cognoscibilia. Nam ad sapientiam pertinet cognitio divinorum omnium; ad intellectum autem pertinet cognitio omnium immaterialium; ad scientiam autem pertinet cognitio omnium conclusionum; ad consilium autem cognitio omnium agibilium. Ergo videtur quod Christus, secundum scientiam sibi inditam per Spiritum Sanctum, habuerit omnium cognitionem.

* Vers. 2, 3.

Respondeo dicendum quod, sicut prius * dictum est, conveniens fuit ut anima Christo per omnia [δ] esset perfecta, per hoc quod omnis eius potentialitas sit reducta ad actum. Est autem considerandum quod in anima humana, sicut in qualibet creatura, consideratur duplex potentia passiva: una quidem per comparationem ad agens naturale; alia vero per comparationem ad agens primum, qui [ε] potest quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiorem, in quem non [ζ] reducitur per agens naturale; et haec consuevit vocari *potentia obedientiae* in creatura. Utraque autem potentia animae Christi fuit reducta in actum secundum hanc scientiam divinitus inditam. Et ideo secundum eam anima Christi primo quidem cognovit quaecumque ab homine cognosci possunt per virtutem luminis intellectus agentis: sicut sunt quaecumque pertinent ad scientias humanas. Secundo vero per hanc scientiam cognovit Christus omnia illa quae per revelationem divinam hominibus innotescunt: sive pertineant ad donum sapientiae, sive ad donum prophetiae, sive ad quodcumque donum Spiritus Sancti. Omnia enim ista abundantius et plenius ceteris cognovit anima Christi. Ipsam tamen Dei essentiam per hanc scientiam non cognovit: sed solum per primam, de qua supra * dictum est.

* Qu. ix, art. 1.

* Qu. praeced.

Ad primum ergo dicendum quod illa ratio procedit de actione [η] naturali animae intellectivae, quae scilicet est per comparationem ad agens naturale, quod est intellectus agens.

α) *potentiae. – possibilis* P, om. *a.*
β) *cognovit. – cognoscit* (*cognovit* P) *Christus* tertia praeter I.
γ) *virtutis visivae. – visivae potentiae* tertia.
δ) *per omnia. – omnino* tertia.
ε) *qui. – quod* Ia, *quae* F.
ζ) *in quem non. – actu in quem* tertia.
η) *actione. – factione* pE, *cognitione* F, *potentia* tertia.

AD SECUNDUM DICENDUM quod anima humana in statu huius vitae, quando θ quodammodo est ad corpus obligata, ut sine phantasmate intelligere non possit *, non potest intelligere substantias separatas. Sed post statum huius vitae, anima separata poterit aliqualiter substantias separatas per seipsam ι cognoscere, ut in Prima Parte * dictum est. Et hoc praecipue manifestum est circa animas beatorum. Christus autem, ante passionem, non solum fuit viator, sed etiam comprehensor. Unde anima eius poterat cognoscere substantias separatas, per modum quo cognoscit anima separata.

* D. 190.

* Qu. LXXXIX, art. 2.

AD TERTIUM DICENDUM quod cognitio singularium non pertinet ad perfectionem animae intellectivae secundum cognitionem speculativam: pertinet tamen ad perfectionem eius secundum cognitionem practicam, quae non perficitur absque cognitione singularium, in quibus est operatio, ut dicitur in VI *Ethic.* * Unde ad prudentiam requiritur *memoria praeteritorum, cognitio praesentium,* et *providentia futurorum:* ut Tullius dicit, in sua *Rhetorica* *. Quia igitur Christus habuit plenitudinem prudentiae, secundum donum consilii, consequens est quod cognovit omnia singularia praeterita, praesentia et futura *.

* Cap. VII, n. 8. - S. Th. lect. VII.

* De Invent. Rhet. lib. II, cap. LIII.

* D. 1217.

θ) *vitae, quando.* – *vitae quia* F, *viae qua* GHIb, *vitae qua* c, *vitae quo* P.

ι) *seipsam.* – *seipsas* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS articuli clarus est: intelligitur quippe ut sonat.

I. In corpore est una conclusio: *Anima Christi per scientiam inditam novit omnia, excepta divina essentia.* Probatur. Conveniens fuit ut anima Christi esset omnino perfecta, ita ut eius omnis potentialitas fuerit reducta ad actum. Sed in illa est potentia naturalis ad cognoscendum per humanas scientias nota; et potentia obedientiae ad sciendum omnia quae revelantur a Deo hominibus. Ergo utraque eius potentia est reducta ad actum. Et consequenter omnia novit per scientiam inditam, excepta essentia divina. Hic est processus litterae.

II. In quo, primo, recolendum est ex supra dictis in art. 3 * qu. IX, quod non intendit littera dicere quod omnis potentia obedientiae in Christi anima sit reducta ad actum: cum potentia obedientiae in qualibet creatura inexplebilis sit; quia secundum ordinem ad id quod potest in creatura facere Deus, attenditur. Sed intendit quod omnis potentia obedientiae ad actum naturae animae proportionatum, est reducta ad actum. Constat autem quod cognoscere per revelationes est actus naturae animae, in statu tam viae quam patriae locatae, proportionatus, immo debitus: ut patet de revelationibus necessariis et factis Ecclesiae tam triumphanti quam militanti. Et si quis diceret potentiam hanc esse quidem respectu animae humanae absolute potentiam obedientiae; respectu vero eiusdem in utroque statu esse naturalem, utpote naturali concomitantia consequentem statum: non aberraret. Unde, cum Christus fuerit verus viator et comprehensor simul, optime de ipsius anima infertur quod utraque illius potentia reducta est ad actum.

* Comment. n. III.

Adverte secundo, quod ideo essentiae divinae cognitio excepta est, quia non cognoscitur naturaliter nec per revelationem. Et intellige revelationis nomine quemcumque influxum speciei cuiuscumque intelligibilis: et per cognitionem divinae essentiae, non quamcumque cognitionem, sed visionem illius. Novit siquidem anima Christi, per scientiam inditam, divinam naturam multo magis quam quicumque philosophus; immo quam anima separata; immo quam angeli naturali cognitione: quoniam clara revelatione novit Deum esse trinum in personis, et alia huiusmodi spectantia ad gratiae ordinem, quae angelorum naturalem cognitionem excedunt. Sed quia per eam non videbat divinam essentiam, quam per scientiam beatam videbat, ideo excepta est cognitio divinae essentiae a scientia indita. Sola autem essentia divina excepta est: quia reliqua omnia aut ad naturalem aut ad revelatam cognitionem spectant; cum etiam angeli ipsi per revelationem, hoc est per infusas species, ab anima nostra separata cognoscantur.

III. In responsione ad secundum eiusdem articuli, nota primo quod, cum dicitur animam separatam cognoscere substantias separatas per seipsas *, non est sensus quod intelligantur per proprias substantias ut species intelligibiles ab anima separata. Sed est sensus quod *per seipsas,* hoc est, per proprias species intelligibiles, et non per species rerum sensibilium, ut modo fit, intelligentur: sicut color dicitur videri per seipsum quando per propriam speciem videtur. Patet autem hunc esse sensum intentum, ex hoc quod ad Primam Partem se remittit, ubi, in art. 2 * qu. LXXXIX, determinatum est animam separatam cognoscere substantias separatas per species divinitus sibi influxas.

* Cf. not. ι.

* Ad 2.

Nota secundo quod, cum de anima Christi dicitur quod cognovit substantias separatas per modum quo cognoscit illas anima separata, communicatio haec in modo cognoscendi intelligitur solum quoad substantialitatem modi cognoscendi, et non quoad perfectionem. Hoc est, quod anima Christi communicat cum anima separata in hoc quod utraque cognoscit substantias separatas per species influxas a Deo: sed anima Christi, tali modo cognoscens, perfecte et distincte cognoscit substantias separatas, ut in quarto articulo infra patet; anima vero separata imperfecte novit substantias separatas, ut in Prima Parte * patet. Et propterea in littera hac dicitur quod anima separata *aliqualiter* novit substantias separatas: et non dicitur absolute quod novit illas.

* Qu. LXXXIX, art. 2.

IV. In responsione ad tertium, circa cognitionem singularium omnium, triplex dubium occurrit. *Primum* * ex Scoto, in III *Sent.,* dist. XIV, qu. III: ubi infert quod, si in Christo ponitur cognitio abstractiva omnium singularium, concedendum est cuiuslibet singularis esse propriam speciem in intellectu Christi; et consequenter duo alia; hoc est, et plures species eiusdem speciei simul in eodem; et infinitas species infinitorum singularium possibilium.

* Cf. num. VI.

Secundum dubium * est etiam ex Scoto, ibidem, probante quod in Christo non fuit cognitio intuitiva, per species infusas, omnium singularium quae sunt, fuerunt et erunt. Tum quia species infusa repraesentat obiectum ut abstrahit ab actuali existentia: quia eodem modo repraesentat obiectum sive existat sive non existat. Ac per hoc, non est ratio cognoscendi existens ut existens.

* Cf. num. VII.

Tum quia veritates cognoscibiles cognitione intuitiva sunt veritates contingentes, quae non possunt cognosci per quascumque species innatas. Quia ex cognitione terminorum contingentium non potest cognosci veritas complexorum contingentium de illis terminis: quia illarum complexionum veritas non includitur in illis terminis, quemadmodum veritas necessaria complexionis scibilis clauditur in extremis.

Tertium dubium * est, quia ex ratione litterae male videtur concludi in anima Christi per scientiam infusam notitia omnium singularium. Quia ex plenitudine prudentiae in anima Christi non habetur cognitio omnium singularium, sed agibilium tantum: cum prudentia sit *ratio agibilium.* Extra agibilia autem sunt et singularia factibilia,

* Cf. num. VIII.

quae spectant ad artem; et singularia nec agibilia nec factibilia, ut singularia speculabilium, ut sunt singularia arenae, seminum, animalium, et huiusmodi.

V. Ad evidentiam horum, sciendum est quod species intelligibiles infusae non per accidens sed ex suo genere *, non solum sunt alterius rationis a speciebus acquisitis quia habent aliud obiectum formale, ut contingit inter species innatas angelis et acquisitas a nobis: sed sunt longe alterius ac altioris ordinis. Quia sic sunt similitudines naturae, puta, leoninae quod repraesentant eam in quacumque dispositione accidentali subsit: ita quod per unam speciem potest intellectus cognoscere quidditative leonem et omnia eius individua secundum individuales conditiones, et intueri leones omnes actu existentes. Nec hoc est mirabile ita quod sit incredibile: sed ratione fultum. Quia scilicet huiusmodi species sunt exemplatae a divina essentia, quae, una existens, est similitudo ita cuiusque propria ut nihil in quocumque praetermittatur irrepraesentatum distinctissime. Si enim hoc de facto fatemur inveniri in divina essentia respectu omnium, cur non possibile fatemur in multis illius participationibus inveniri quod quaelibet earum repraesentat aliquam unam naturam cum suis quomodolibet accidentibus: ut quod unite praehabetur in essentia divina super omnes ordines, divisim participetur in aliquibus speciebus spectantibus ad supremum ordinem cognoscitivorum, quales sunt substantiae separatae et animae supernaturali lumine illustratae?

* Cf. qu. IX, art. 4, Comment. num. V.

VI. Unde *ad primum * dubium* respondetur negando illationem primam: et dicendo quod una species superioris ordinis, seu infusa ex suo genere, potest sufficere ad notitiam abstractivam, hoc est quidditativam, tam speciei quam singularis ut singulare est; nec oportet multiplicare species illas iuxta numerum singularium. – Reliquae autem consequentiae, quia istam primam supponunt, manifeste ruunt.

* Num. IV.

VII. *Ad secundum vero dubium* * dicitur quod, quia Christi animae attribuenda est scientia infusa absque diminutione, ideo asserendum est Christum notitia intuitiva infusa vidisse omnia individua, ut in hac littera dicitur.

* Ibid.

Et ad primam obiectionem respondetur quod falsum est speciem infusam ex suo genere abstrahere necessario ab actuali existentia. Nam talis species potest repraesentare naturam, puta, leoninam secundum omnia praedicata quidditativa, et secundum individuales conditiones et existentias quas habet, ac coniuncta in ea accidentia: utpote exemplata a divina essentia ut exemplari talis naturae sic et sic individuatae, ac existentis, et qualificatae, ac quantificatae. – Ad probationem vero, quia, sive existat sive non, eodem modo repraesentat: respondetur quod repraesentare eodem modo contingit dupliciter. Vel ex parte repraesentati. Et sic falsum est quod eodem modo repraesentet leonem sive existat sive non: quia, existente leone, repraesentatur existens; non existente autem, non repraesentatur existens. Vel ex parte repraesentantis. Et sic verum est quod eodem modo repraesentat. Non enim mutatio fit in specie illa per hoc quod repraesentat naturam leoninam in hoc nunc de novo existentem, sed eodem modo se habet ex parte sui: verum ipsa natura leonina in re mutationem patitur. Et, breviter, ita respondetur de istis speciebus in anima Christi, sicut de essentia divina ut repraesentat haec eadem: de qua constat quod repraesentat eodem modo ex parte repraesentantis, diversimode autem ex parte repraesentati.

Et per haec patet responsio ad secundam obiectionem. Quia supponit hoc falsum: scilicet quod species istae sint species adaequatae terminis incomplexis. Nos autem dicimus quod species istae quae in anima Christi sunt, sunt adeo altioris ordinis ut imitentur divinam essentiam ut repraesentantem veritatem contingentium: et non solum ut repraesentantem naturam quamlibet secundum se. Et propterea anima Christi intuitive perfecte per illas videt praeterita, praesentia et futura.

VIII. *Ad tertium dubium* *, notandum est quantum seipso doctior fuerit Auctor hic. Quoniam in III *Sent.*, dist. XIV, qu. 1, art. 3, qu[a] 1, et in Qu. *de Verit.*, qu. XX, art. 6, modificans infusam Christo scientiam, eximit ab ea non solum divinam essentiam, sed singularia, ut cogitationes cordium, quia non pertinent haec ad perfectionem humani intellectus, tam secundum naturae quam gratiae statum. Hic autem, perspicacius discernens intellectus practici perfectionem a perfectione intellectus speculativi humani, probat per hanc scientiam animam Christi nosse omnia singularia praeterita, praesentia et futura, quia pertinent ad perfectionem intellectus practici. Et vere sic est, non solum de cogitationibus hominum, sed de omnibus singularibus: quia *omnia subiecta sunt* providentiae Christi inquantum homo, ut patet ex auctoritate Apostoli, *ad Hebr.* II *, et ipsius Domini, Matth. ult. *: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.* Ex plenitudine igitur prudentiae, non solum monasticae, sed politicae, immo regalis, immo monarchicae totius universi, cuius prudentiae constat partem esse providentiam, recte concluditur ad perfectionem intellectus practici humani in Christo, etsi non in aliis hominibus, spectare cognitionem omnium singularium quae sunt subiecta providentiae suae. Constat autem ex I *ad Cor.* XV *, *quod omnia sunt Christo homini subiecta, praeter eum qui subiecit sibi omnia.* Ergo, sola essentiae divinae visione excepta, anima Christi per scientiam infusam scit quaecumque scit Deus scientia visionis. – Et per haec clare patet responsio ad obiecta.

* Ibid.
* Vers. 8.
* Vers. 18.
* Vers. 27.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM ANIMA CHRISTI POTUERIT INTELLIGERE SECUNDUM SCIENTIAM INDITAM VEL INFUSAM NON CONVERTENDO SE AD PHANTASMATA

Infra, art. 4; III *Sent.*, dist. XIV, art. 3, qu[a] 2; *De Verit.*, qu. XX, art. 3, ad 1.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod anima Christi non potuerit intelligere secundum hanc scientiam nisi convertendo se ad phantasmata. Phantasmata enim comparantur ad animam intellectivam sicut colores ad visum, ut dicitur in III *de Anima* [α] *. Sed potentia visiva Christi non potuit exire in actum nisi convertendo se ad colores. Ergo etiam neque anima eius intellectiva potuit aliquid intelligere nisi convertendo se ad phantasmata.

α
* Cap. VII, n. 3; S. Th. lect. XII. - Cf. cap. V, n. 1; S. Th. lect. X.

2. PRAETEREA, anima Christi est eiusdem naturae cum animabus nostris: alioquin ipse [β] non esset eiusdem speciei nobiscum; contra id quod Apostolus dicit, *Philipp.* II *, quod est *in similitudinem hominum factus.* Sed anima nostra non potest intelligere nisi convertendo se ad phantasmata. Ergo nec etiam anima Christi. β

* Vers. 7.

3. PRAETEREA, sensus dati sunt homini ut deserviant intellectui. Si igitur anima Christi intelligere potuit absque conversione ad phantasmata,

α) *Phantasmata enim... de Anima.* – *Quia, ut dicitur in III de Anima, phantasmata comparantur ad animam intellectivam humanam sicut colores ad visum* tertia.

β) *ipse.* – PI; *ipsa.*

quae per sensus accipiuntur, sequeretur quod sensus frustra fuissent in anima Christi: quod est inconveniens. Videtur igitur quod anima Christi non potuerit intelligere nisi convertendo se ad phantasmata.

Sed contra est quod anima Christi cognovit quaedam quae per phantasmata cognosci non possunt, scilicet substantias separatas *. Potuit igitur intelligere non convertendo se ad phantasmata.

* Art. praeced., ad 2.

Respondeo dicendum quod Christus in statu ante passionem fuit simul viator et comprehensor, ut infra * magis patebit. Et praecipue quidem conditiones viatoris habuit ex parte corporis, inquantum fuit passibile: conditiones vero comprehensoris maxime habuit ex parte animae intellectivae. Est autem haec conditio animae comprehensoris, ut nullo modo subdatur suo corpori aut ab eo dependeat, sed totaliter ei dominetur: unde et post resurrectionem ex anima gloria redundabit in corpus. Ex hoc autem anima hominis viatoris indiget ad phantasmata converti *, quod est corpori obligata, et quodammodo ei subiecta et ab eo dependens. Et ideo animae beatae, et ante resurrectionem et post, intelligere possunt absque conversione ad phantasmata *. Et hoc quidem γ oportet dicere de anima Christi, quae plene habuit facultatem comprehensoris.

* Qu. xv, art. 10.

* D. 190.

* D. 185.

Ad primum ergo dicendum quod similitudo illa quam Philosophus ponit, non attenditur quantum ad omnia. Manifestum est enim quod finis potentiae visivae est cognoscere colores: finis autem potentiae intellectivae non est cognoscere phantasmata *, sed cognoscere species intelligibiles, quas apprehendit a phantasmatibus et in phantasmatibus, secundum statum praesentis vitae. Est igitur similitudo quantum ad hoc ad quod aspicit utraque potentia: non autem quantum ad hoc in quod utriusque potentiae conditio δ terminatur. Nihil autem prohibet, secundum diversos status, ex diversis rem aliquam ad suum finem tendere: finis autem proprius alicuius rei semper est unus. Et ideo, licet visus nihil cognoscat absque colore, intellectus tamen, secundum aliquem statum, potest cognoscere absque phantasmate: sed non absque specie intelligibili.

* D. 752.

Ad secundum dicendum quod, licet anima Christi fuerit eiusdem naturae cum animabus nostris, habuit tamen aliquem statum quem animae nostrae non habent nunc in re, sed solum in spe, scilicet statum comprehensionis ε.

Ad tertium dicendum quod, licet anima Christi potuerit intelligere non convertendo se ad phantasmata, poterat tamen intelligere se ad phantasmata convertendo. Et ideo sensus non fuerunt frustra in ipso ζ: praesertim cum sensus non dentur homini solum ad scientiam intellectivam, sed etiam ad necessitatem vitae animalis.

γ) *quidem.* – *etiam* PGl, om. Hbc.
δ) *conditio.* – *cognitio* EsH.
ε) *statum comprehensionis.* – *statum* (om. sH et *bc*) *comprehensoris* HlsG et *bc*.
ζ) *ipso.* – *ipsa* P.

Commentaria Cardinalis Caiotani

Titulus clarus est. – In corpore unica est conclusio: *Anima Christi secundum scientiam infusam poterat intelligere absque conversione ad phantasmata.* Probatur. Conditio animae comprehensoris est ut nullo modo subdatur suo corpori aut ab eo dependeat. Ergo animae beatae, ante et post resurrectionem, intelligere possunt absque conversione ad phantasmata. Ergo anima Christi potuit intelligere absque conversione ad phantasmata.

Antecedens manifestatur. Quia, post resurrectionem, ex anima redundabit gloria ad corpus. – Et prima consequentia probatur. Quia indigere conversione ad phantasmata est ex hoc quod anima est corpori obligata, et quodammodo ei subiecta et ab eo dependens. – Secunda vero consequentia probatur. Quia Christus ante passionem fuit simul viator et comprehensor: comprehensor praecipue ex parte animae intellectivae; viator ex parte corporis.

II. Circa efficaciam istius processus dubium statim occurrit, quia, concesso toto, non infertur propositae quaestionis intenta conclusio. Nam conclusio inferenda est quod anima Christi potest absque conversione ad phantasmata intelligere secundum scientiam infusam. In littera autem infertur, non dicta conclusio, sed absolute quod absque conversione ad phantasmata anima Christi potuit intelligere.

Ad hoc dicitur quod Auctor sollicitus fuit, non circa verba, sed circa illud in quo consistit difficultas. Concurrentibus autem duobus simul ad propositam quaestionem, scilicet potentia intellectiva et habitu scientiae infusae; et cum ex parte scientiae ex suo genere infusae nulla habeatur ratio vinculi ad phantasmata, quin potius ex hac parte habetur elevatio supra phantasmata; restat ut tota difficultas ex parte intellectus, qui naturali necessitudine devinctus experitur phantasmatibus, se teneat: an scilicet naturale vinculum inter intellectum humanum et phantasmata efficiat ut non possit etiam infusa uti scientia nisi convertendo se ad phantasmata. Et ideo, difficultatis huius veritate aperta, monstrando quod intellectus comprehensorum, ac per hoc animae Christi, non obligatur ad phantasmata; pro constanti et claro dimissum est quid dicendum sit ad quaesitum: scilicet quod potuit, secundum infusam scientiam, Christi anima intelligere absque conversione ad phantasmata.

III. In eodem processu dubium occurrit ex Durando, in III *Sent.*, dist. xiv, qu. ii *, tenente oppositam conclusionem, hoc est, quod Christus indigebat conversione ad phantasmata in usu scientiae infusae. Et ratio eius est quia scientia infusa erat perfectio animae Christi secundum quod erat viator: naturalis autem conditio viatoris est indigentia phantasmatum ad usum scientiae.

* Al. qu. iii.

Sed haec ratio facile apparet infirma ac voluntaria. Quoniam scientia infusa est perfectio animae Christi aut absolute: aut secundum quod nata est communicare cum angelis in habendo scientiam infusam, quod constat convenire animae humanae non in via, sed in termino, in statu scilicet separationis. Utro autem modo sit, liquet quod non est perfectio Christi inquantum erat viator. Et quoniam erat simul viator et comprehensor, ex littera hac habes rationem quare magis usus huius scientiae sequitur conditiones comprehensoris quam viatoris: quia scilicet in Christo haec invenitur differentia, quod conditiones viatoris habuit ex parte corporis, conditiones vero comprehensoris habuit maxime ex parte animae intellectivae, ad quam constat spectare scientiam infusam. Falsum est ergo scien-

tiam infusam esse perfectionem animae Christi inquantum viator erat: cum ratio ducat ad oppositum.

IV. In responsione ad primum, circa illud verbum, *Finis potentiae intellectivae est cognoscere species intelligibiles,* cautus esto. Quoniam sumuntur hic species intelligibiles ut species intelligibiles, hoc est, ut repraesentativae sunt, hoc est, secundum repraesentata per illas: et non secundum quod sunt secundum se res quaedam; sic enim ad repraesentatorum ordinem spectant. Finis enim intellectivae potentiae est intelligere res intelligibiles, quae non nisi per species intelligibiles, aut earum vices seu locum tenentes, repraesentantur. Quocirca differentia in littera posita inter phantasmata et species intelligibiles in hoc quod non illa sed istas cognoscere est finis intellectus, intelligitur etiam sumendo utraque in repraesentando. Phantasmata enim sunt singularium: species autem quidditatum. Finis autem intellectus nostri est nosse *quod quid est,* utpote proprium obiectum: et non est nosse materialia singularia, quorum tantum sunt phantasmata, quae non nisi reflexione aut extensione attinguntur ab intellectu.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM ANIMA CHRISTI HABUERIT SCIENTIAM INDITAM SEU INFUSAM PER MODUM COLLATIONIS

III *Sent.*, dist. XIV, art. 3, qu^a 3; *De Verit.*, qu. XX, art. 3, ad 1.

D TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod anima Christi non habuit hanc scientiam per modum collationis. Dicit enim Damascenus, in III libro *: *In Christo non dicimus consilium neque electionem.* Non autem removentur haec a Christo nisi inquantum important collationem et discursum. Ergo videtur quod in Christo non fuerit scientia collativa vel discursiva.

* De Fide Orth. lib. III, cap. XIV. – Cf. lib. II, cap. XXII.

2. PRAETEREA, homo indiget collatione et discursu rationis ad inquirenda ea quae ignorat. Sed anima Christi cognovit omnia, ut supra * dictum est. Non igitur fuit in eo scientia discursiva vel collativa.

* Art. 1.

3. PRAETEREA, scientia animae Christi se habuit per modum comprehensorum, qui angelis conformantur, ut dicitur Matth. XXII *. Sed in angelis non est scientia discursiva seu collativa: ut patet per Dionysium, VII cap. *de Div. Nom.* *. Non ergo ^α in anima Christi fuit scientia discursiva seu collativa.

* Vers. 30. * S. Th. lect. II.

SED CONTRA, Christus habuit animam rationalem, ut supra * habitum est. Propria autem operatio animae rationalis est conferre et discurrere ab ^β uno in aliud. Ergo in Christo fuit scientia discursiva vel collativa.

* Qu. V, art. 4.

RESPONDEO DICENDUM quod aliqua scientia potest esse discursiva vel collativa dupliciter. Uno modo, quantum ad scientiae acquisitionem: sicut accidit in nobis, qui procedimus ad cognoscendum unum per aliud, sicut effectus per causas, et e converso. Et hoc modo scientia animae Christi non fuit discursiva vel collativa: quia haec scientia de qua nunc loquimur, fuit sibi divinitus indita, non per investigationem rationis acquisita.

Alio modo potest dici scientia discursiva vel collativa quantum ad usum: sicut scientes interdum ex causis concludunt effectus, non ut de novo addiscant, sed volentes uti scientia quam iam habent. Et hoc modo scientia animae Christi poterat esse collativa et discursiva: poterat enim ex uno aliud concludere, sicut sibi placebat. Sicut, Matth. XVII *, cum Dominus quaesivisset a Petro *a quibus reges terrae tributum acciperent, a filiis suis an ab alienis,* Petro respondente quod *ab alienis,* conclusit: *Ergo liberi sunt filii.*

* Vers. 24, 25.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod a Christo excluditur consilium quod est cum dubitatione: et per consequens electio, quae in sui ratione tale consilium includit. Non autem a Christo excluditur usus consiliandi.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ratio illa procedit de discursu et collatione prout ordinatur ^γ ad scientiam acquirendam.

AD TERTIUM DICENDUM quod beati conformantur angelis quantum ad dona gratiarum: manet tamen differentia quae est secundum naturam. Et ideo uti collatione et discursu est connaturale animabus beatorum *, non autem angelis **.

* D. 186. ** D. 142.

α) *Non ergo.* – *Ergo nec etiam* tertia.
β) *ab.* – *de* P.
γ) *ordinatur.* – *ordinantur* PGI.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS ut sonat sumendus est. – In corpore unica distinctio est bimembris, cum conclusionibus singulis iuxta singula membra.

Distinctio est. Scientia discursiva seu collativa dicitur dupliciter: vel quoad acquisitionem; vel quoad usum.

Prima conclusio est: *Scientia infusa animae Christi non est collativa secundum acquisitionem.* Probatur. Quia fuit non per investigationem acquisita, sed divinitus indita.

Secunda conclusio est: *Scientia huiusmodi potuit esse collativa quantum ad usum.* Probatur. Quia poterat, ut sibi placebat, uti illa. Et manifestatur de facto in Christi discursu Matth. XVII. – Omnia clara sunt in littera.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM IN CHRISTO SCIENTIA INDITA SEU INFUSA FUERIT MINOR QUAM IN ANGELIS

III *Sent.*, dist. XIV, art. 1, qu[a] 2, ad 1; art. 3, qu[a] 2, 4; *De Verit.*, qu. XX, art. 4; *Compend. Theol.*, cap. CCXVI.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in Christo huiusmodi scientia fuerit minor quam in angelis. Perfectio enim proportionatur perfectibili. Sed anima humana, secundum ordinem naturae, est infra naturam angelicam. Cum igitur scientia de qua nunc loquimur, sit indita animae Christi ad perfectionem ipsius, videtur quod huiusmodi scientia fuerit infra scientiam qua perficitur natura angelica.

2. PRAETEREA, scientia animae Christi fuit aliquo modo collativa et discursiva: quod [α] non potest dici de scientia angelorum. Ergo scientia animae Christi fuit inferior scientia angelorum.

3. PRAETEREA, quanto aliqua scientia est magis immaterialis, tanto est potior. Sed scientia angelorum est immaterialior quam scientia animae Christi: quia anima Christi est actus corporis et habet conversionem ad phantasmata, quod de angelis dici non potest. Ergo scientia angelorum est potior quam scientia animae Christi.

* Vers. 9. SED CONTRA EST quod Apostolus dicit, *Heb.* II *: *Eum qui modico* [β] *quam angeli minoratus est, videmus Iesum, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum.* Ex quo apparet quod propter solam passionem mortis dicatur Christus ab angelis minoratus. Non ergo propter scientiam.

RESPONDEO DICENDUM quod scientia indita animae Christi potest considerari dupliciter: uno modo, secundum id quod habuit a causa influente; alio modo, secundum id quod habuit ex subiecto recipiente. Quantum igitur ad primum, scientia indita animae Christi fuit excellentior [γ] quam scientia angelorum, et quantum ad multitudinem cognitorum, et quantum ad scientiae certitudinem: quia lumen spirituale [δ] quod est inditum animae Christi, est multo excellentius quam lumen quod pertinet ad naturam angelicam. Quantum autem ad secundum, scientia indita animae Christi est infra scientiam angelicam: scilicet quantum ad modum cognoscendi qui est naturalis animae humanae, qui scilicet est per conversionem ad phantasmata et per collationem et [ε] discursum.

Et per hoc patet responsio ad obiecta.

α) *quod.* – EsF et tertia; *quae.* – Pro *angelorum*, *angelica* P.
β) *modico.* – Tertia; *in modico*; pro *videmus*, *vidimus* omnes praeter P.
γ) *excellentior.* – *multo excellentior* tertia.
δ) *spirituale.* – *spiritualis gratiae* tertia.
ε) *et.* – F et tertia praeter I; *ad.*

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. – In corpore articuli est unica distinctio bimembris, cum singulis conclusionibus.

Distinctio est. Scientia indita animae Christi potest dupliciter considerari: primo, secundum id quod habuit ex causa influente; secundo, secundum id quod habuit ex subiecto recipiente.

Prima conclusio est: *Scientia indita animae Christi est multo excellentior scientia angelorum, quantum ad id quod se tenet ex parte Dei influentis, quoad duo: hoc est, multitudinem cognitorum, et certitudinem cognitionis.* Probatur. Quia lumen spiritualis gratiae inditum animae Christi est multo excellentius quam lumen naturaliter inditum naturae angelicae.

Secunda conclusio est: *Scientia indita animae Christi, quantum ad id quod se tenet ex parte subiecti recipientis, est infra scientiam angelicam.* Manifestatur. Quia modus cognoscendi naturalis animae humanae est inferior angelico: ut patet ex collatione et discursu et phantasmate.

II. Nota hic quod formalis differentia inter has duas conditiones scientiae infusae animae Christi, consistit in diversitate eius quod se tenet ex parte gratuiti influxus, et eius quod se tenet ex parte subiecti. Et primus quidem effectus gratuiti influxus videtur lumen gratiose inditum animae Christi, quod, extendens se et ad tot et ad tam excelsam certitudinem, parit duos hos effectus: hoc est, quod anima Christi per infusam scientiam multo plura cognoscit quam angeli, quia scit omnia creata quae quandoque sunt; et certius scit etiam illa quorum cognitio communis est sibi et angelis. Primum autem consequens subiectum recipiens est modus recipiendi scientiam: quia scilicet recipit illam divisim per species minus universales quam sint species angelicae; hoc enim ex parte subiecti se tenet, ut in articulo sexto huius quaestionis patet. Et hic effectus, ac defectus, est essentialis scientiae infusae. Alii autem effectus, scilicet conferre, discurrere, etc., sunt accidentales: quia possunt adesse et abesse huic scientiae et eius usui. Verum quia manifestiores sunt isti, et ille servabatur sexto articulo, ubi ex proposito tractandus erat, tanquam proprias habens difficultates; ideo Auctor horum in littera hac meminit: non tanquam in his consisteret essentialis differentia; sed tanquam in istis sat esset manifestare defectum scientiae infusae ex parte subiecti.

Et potes hos effectus collationis, discursus et phantasmatum elevare, et dicere: Licet actualiter discursu aut phantasmate uti sit accidentale scientiae infusae, attamen scientia infusa animae Christi, ex hoc ipso quod apta nata est compati in suo usu discursum ac phantasmata, manifestatur, a posteriori essentialiter consequente, inferior scientia angelica, quae nec discursum nec phantasma patitur suo admisceri usui. Et quod Auctor ab essentiali proprietate, in secundo articulo iam manifestata, declaravit intentum hic, a notioribus tradens doctrinam: reservans proprio loco essentialem differentiam, de particularitate specierum.

III. Circa doctrinam praedictam essent duo dubia ex Scoto, in III *Sent.*, dist. XIV, qu. IV. Alterum, de perfectione seu nobilitate specierum infusarum animae Christi. Sed quoniam Auctor ad sextum hoc differt articulum, ideo illic * tractandum reservetur. *Comment. n. III.

Alterum, de actualis ac intuitivae cognitionis perfectione quam anima Christi habuit in proprio genere. Quod hic tractandum est. Tenet siquidem quod anima Christi im-

perfectius quocumque angelo intuitive cognoverit in proprio genere quidquid intueri utrique datum est. Et ratio sua est, quia obiectum est idem respectu utriusque, et intellectus animae Christi est imperfectior quam intellectus angeli.

* Ps. LXXII, vers. 9.

Reprimenda vox, *ponens os in caelum* *: sed quia ex errore in principiis procedit, excusanda venit. Provenit enim hic error ex illo falso principio: *Notitia intuitiva in proprio genere non est per speciem;* et rursus: *Ad huiusmodi notitiam concurrit solus intellectus cum obiecto.* Primum enim iam ex dictis * patet esse falsum. Secundum vero ex requisito lumine infuso ad cognitionem supernaturalem rerum in proprio genere, arguitur falsitatis.

* Art. 1, Comment. num. VI.

Et potes tu ex hoc lapsu arguere principia haec esse falsa, utpote deducentia ad infandam de Christi anima sententiam. Est namque, secundum gratuita dona animae intellectivae, non minoratus ab angelis, sed super omnes angelos sublimatus: cum non nisi *paulo minus,* hoc est *secundum corporis passionem,* ut exponit Apostolus, *ad Heb.* II *, fuerit *minoratus ab angelis.* Cognoscit ergo anima Christi, tam abstractive quam intuitive, per infusas species in proprio genere res longe perfectius quam quicumque angeli: et hoc ex excellentiori lumine gratuito sibi collato quam sit lumen naturale angelorum, ut in littera dicitur.

* Vers. 7, 9.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM SCIENTIA INDITA SEU INFUSA IN CHRISTO FUERIT HABITUALIS SCIENTIA

III *Sent.*, dist. XIV, art. 1, qu^a 2, 3; *De Verit.*, qu. XX, art. 2.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod in Christo non fuerit habitualis scientia. Dictum est * enim quod animam Christi decuit maxima perfectio [α]. Sed maior est perfectio scientiae existentis in actu quam praeexistentis [β] in habitu. Ergo conveniens fuisse videtur quod omnia sciret in actu. Ergo non habuit habitualem scientiam.

* Art. 1; qu. IX, art. 1.

2. Praeterea, cum habitus ordinetur ad actum, frustra videtur esse habitualis scientia quae nunquam in actum reducitur. Cum autem Christus sciverit omnia, sicut iam * dictum est, non potuisset omnia illa actu [γ] considerare unum post aliud cognoscendo: quia infinita non est enumerando pertransire. Frustra ergo fuisset in eo scientia [δ] habitualis: quod est inconveniens. Habuit igitur actualem scientiam omnium quae scivit, et non habitualem.

* Art. 1.

3. Praeterea, scientia habitualis est quaedam perfectio scientis. Perfectio autem est nobilior perfectibili. Si igitur in anima Christi fuit aliquis habitus scientiae creatus, sequeretur quod aliquid creatum esset nobilius anima [ε] Christi. Non igitur in anima Christi fuit scientia habitualis.

Sed contra, scientia Christi de qua nunc loquimur, univoca fuit scientiae nostrae: sicut et anima eius fuit unius speciei cum anima nostra. Sed scientia nostra est in genere habitus. Ergo et scientia Christi fuit habitualis.

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, modus huius scientiae inditae animae Christi fuit conveniens ipsi subiecto recipienti: nam receptum est in recipiente per modum recipientis *. Est autem hic modus connaturalis animae humanae, ut quandoque sit intellectus [ζ] actu, quandoque in potentia. Medium autem inter puram potentiam et actum completum est habitus. Eiusdem autem generis est medium et extrema. Et sic patet quod modus connaturalis animae humanae est ut recipiat scientiam per modum habitus. Et ideo dicendum est quod scientia indita animae Christi fuit habitualis: poterat enim [η] ea uti quando volebat *.

* Art. praeced.

* Cf. *de Causis*, prop. XII. - S. Th. lect. XII.

* Cf. resp. ad 2.

Ad primum ergo dicendum quod in anima Christi fuit duplex cognitio: et utraque suo modo perfectissima. Una quidem excedens modum naturae humanae: qua scilicet vidit Dei essentiam et alia in ipsa. Et haec fuit perfectissima simpliciter. Et talis cognitio non fuit habitualis, sed actualis respectu omnium quae hoc modo cognovit. – Alia autem cognitio fuit in Christo secundum modum proportionatum humanae naturae, prout scilicet cognovit res per species sibi divinitus inditas: de qua cognitione nunc loquimur. Et haec cognitio non fuit simpliciter perfectissima: sed perfectissima in genere humanae cognitionis. Unde non oportuit quod semper esset in actu.

Ad secundum dicendum quod habitus reducitur in actum ad imperium voluntatis: nam habitus est *quo quis agit cum voluerit* *. Voluntas autem se habet ad infinita indeterminate. Et tamen hoc non est frustra, licet non in omnia actualiter tendat, dummodo tendat actualiter in id quod convenit loco et tempori. Et ideo etiam habitus non est frustra, licet non omnia reducantur in actum quae habitui subiacent, dummodo reducatur in actum id quod congruit ad debitum finem voluntatis secundum exigentiam negotiorum et temporis.

* Averr. *de Anima*, lib. III, Comment. XVIII.

Ad tertium dicendum quod bonum et ens dupliciter dicitur. Uno modo, simpliciter. Et sic bonum et ens dicitur substantia, quae in suo esse et in sua bonitate subsistit. Alio modo dicitur ens et bonum secundum quid. Et hoc modo dicitur ens accidens [θ]: non quia ipsum habeat esse et bonitatem, sed quia eo [ι] subiectum est ens et bonum. Sic igitur scientia habitualis non est simpliciter melior aut dignior quam anima Christi, sed secundum quid: nam tota bonitas habitualis scientiae cedit [κ] in bonitatem subiecti.

α) *perfectio.* – *scientiae* addit P. – *Sed maior est perfectio* om. *bc.*
β) *praeexistentis.* – *existentis* CD et tertia. – Pro *habitu, potentia vel habitu* H et editiones.
γ) *omnia illa actu.* – B*a*; *actu omnia illa* tertia, *omnia actu illa* ceteri. – Pro *cognoscendo, cogitando* P.
δ) *scientia.* – *quorundam scientia* tertia.
ε) *anima.* – *quam anima* tertia.
ζ) *intellectus.* – *intelligens* PEGHI*a.*
η) *poterat enim.* – *et poterat* tertia.
θ) *ens accidens.* – D et tertia praeter P; *ens actu* ABC*a*, *ens accidens actu* F, *accidens ens et bonum* E, *ens et bonum accidens* P.
ι) *eo.* – D et tertia praeter P; *ei* ABCE, *eius* PF*a.*
κ) *nam... cedit.* – *cum... cedat* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore articuli unica est conclusio: *Scientia indita animae Christi fuit habitualis.* Probatur. Modus scientiae inditae animae Christi fuit conveniens subiecto recipienti. Ergo scientia indita animae Christi fuit habitualis.

Antecedens probatur. Quia receptum est in recipiente per modum recipientis.

Consequentia vero probatur. Quia modus connaturalis animae humanae est ut recipiat scientiam per modum habitus. – Probatur hoc. Modus connaturalis animae humanae est ut quandoque sit intelligens in actu, et quandoque in potentia. Ergo modus connaturalis eiusdem est ut quandoque sit in habitu: quia medium inter puram potentiam et actum completum est habitus; et medium est eiusdem generis cum extremis; hoc est, si extrema sunt naturalia, medium est naturale, et si extrema sunt connaturalia, medium est connaturale. Hoc enim ad identitatem generis spectat: quia penes unitatem subiecti communis extremis et medio, attenditur genus; et sicut est naturalis via inter extrema per medium, ita oportet esse connaturalem viam per medium in illo cui utrumque extremum est vicissim connaturale. Alioquin, transitus de connaturali extremo ad aliud connaturale extremum non esset connaturalis; aut sine medio, extremis non habentibus medium. Quorum utrumque a naturae ordine exorbitat.

II. In responsione ad primum, adverte quod ideo cognitio animae Christi qua videt Verbum, dicitur perfectissima simpliciter, quia, tam negative quam positive, est perfectissima inter omnes creatas cognitiones. Est namque ita perfecta quod nulla est perfectior ipsa: et ipsa est omni alia perfectior, quia non habet parem. – Scientia autem ipsius infusa dicitur perfectissima, non simpliciter, quia neutro modo est perfectissima: sed in genere, hoc est, in genere cognitionis rerum in proprio genere. In hoc siquidem genere est perfectissima et negative, quia nulla scientia in proprio genere invenitur perfectior illa quae data est animae Christi: et positive, quia ipsa est perfectior qualibet alia scientia in proprio genere inventa tam in hominibus quam in angelis.

III. In responsione ad secundum, nota primo quod, cum multipliciter potuisset argumento secundo satisfieri: – puta ex parte ipsius habitus, dicendo quod, licet non possit tali modo, hoc est numerando unum post aliud, exire in actum cognitionis infinitorum quae habitualiter novit, potest tamen exire in actum cognitionis eorundem alio modo, scilicet simul cognoscendo actu quaecumque per unam speciem repraesentantur, ita quod cognitio sit successiva quoad numerum specierum intelligibilium, quae sunt finitae, et non quoad numerum per illas cognitorum, quae sunt infinita: nec exigit habitualis cognitio infinitorum ut possit exire in actum tali modo, scilicet numerando cognita unum post aliud, quoniam non sic est in potentia ad actum consummandum, sed ad actus inconsummabiles: – maluit tamen Auctor alia via solvere, hoc est, ex parte voluntatis, quae est reductiva habitus de otio in operationem; et docere quod, quia voluntas indeterminate se habet ad infinita, ad hoc deservit infinitas habitualiter cognitorum, ut voluntas ad quodcumque infinitorum maluerit habitu utatur; quod non esset in potestate sua si habitualis cognitio ad infinita se non extenderet. Quo fit ut non frustra sit infinitas cognitorum habitualiter, licet non omnia actualiter in usum cognitionis veniant: quia ad hoc est necessaria ut ad quodcumque maluerit applicari possit habitus, pro loco, tempore, negotio, fine, et huiusmodi.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM SCIENTIA INDITA ANIMAE CHRISTI FUERIT DISTINCTA SECUNDUM DIVERSOS HABITUS

III *Sent.*, dist. xiv, art. 3, qu^a^ 4.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod in anima Christi non fuerit nisi unus habitus scientiae. Quanto enim scientia est perfectior, tanto est magis unita: unde et angeli superiores per formas magis universales cognoscunt, ut in Prima Parte * dictum est. Sed scientia Christi fuit perfectissima. Ergo fuit maxime una. Non ergo fuit distincta per plures habitus.

* Qu. lv, art. 3.

2. Praeterea, fides nostra derivatur a scientia Christi: unde dicitur *Heb.* xii *: *Aspicientes in auctorem fidei et consummatorem, Iesum.* Sed unus est habitus fidei de omnibus credibilibus, ut in Secunda Parte * dictum est. Ergo multo magis in Christo non fuit nisi unus habitus scientiae.

* Vers. 2.

* IIª IIae, qu. iv, art. 6.

3. Praeterea, scientiae distinguuntur secundum diversas rationes scibilium. Sed anima Christi omnia scivit secundum unam rationem: scilicet secundum lumen divinitus infusum. Ergo in Christo fuit tantum unus habitus scientiae.

Sed contra est quod Zach. iii * dicitur quod *super lapidem unum* α, idest Christum, *sunt septem oculi.* Per oculum autem scientia intelligitur. Ergo videtur quod in Christo fuerunt plures habitus scientiae.

* Vers. 9.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est *, scientia indita animae Christi habuit modum connaturalem animae humanae. Est autem connaturale animae humanae ut recipiat species in minori universalitate quam angeli: ita scilicet quod diversas naturas specificas per diversas intelligibiles species cognoscat. Ex hoc autem contingit quod in nobis sunt diversi habitus scientiarum, quia sunt diversa scibilium genera: inquantum scilicet ea quae reducuntur in unum genus, eodem habitu scientiae cognoscuntur; sicut dicitur in I *Poster.* * quod *una scientia est quae est unius generis subiecti.* Et ideo scientia indita animae Christi fuit distincta secundum diversos habitus *.

* Art. 4, 5.

* Cap. xxviii, n. 1. - S. Th. lect. xli.

* D. 1216.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut supra * dictum est, scientia animae Christi est perfectissima, et excedens scientiam angelorum, quantum ad id quod consideratur in ea ex parte Dei influentis: est tamen infra scientiam angelicam quantum ad modum recipientis. Et ad huiusmodi

* Art. 4.

α) *unum.* – PEGIa; *vivum.*

modum pertinet quod scientia illa per multos habitus distinguatur, quasi per species magis particulares existens.

Ad secundum dicendum quod fides nostra innititur primae veritati. Et ideo Christus est auctor fidei nostrae secundum divinam scientiam, quae est simpliciter una.

Ad tertium dicendum quod lumen divinitus infusum est ratio intelligendi communis ea quae divinitus revelantur: sicut et lumen intellectus β eorum quae naturaliter cognoscuntur. Et ideo oportuit in anima Christi species singularum rerum ponere γ ad cognoscendum cognitione propria unumquodque. Et secundum hoc, oportuit esse diversos habitus scientiae in anima Christi, ut dictum est *.

* In corpore.

β) *intellectus.* – *agentis* addunt F et tertia.

γ) *oportuit... ponere.* – *oportuit esse in anima Christi proprias species singularum rerum* tertia; *proprias* etiam F.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. De scientia siquidem infusa quaeritur an sit infusa Christo in unica specie seu habitu, an in diversis. Et est ratio dubii excellentia magna talis scientiae infusae animae Christi.

In corpore unica est conclusio responsiva quaesito: *Scientia indita animae Christi fuit distincta secundum diversos habitus.* Probatur. Habitus scientiae diversificatur in nobis ex diversitate generis scibilis. Sed respectu scientiae inditae animae Christi invenitur diversitas generis scibilis. Ergo scientia indita animae Christi distinguitur in diversos habitus.

Maior probatur ex I *Posteriorum.* – Minor, quae non nisi implicite ex littera habetur, hoc est in sua probatione, probatur in littera sic. Connaturale est animae humanae ut recipiat species in minori universalitate quam angeli, ita scilicet quod diversas naturas specificas per diversas species intelligibiles cognoscat. Sed scientia indita animae Christi habuit modum connaturalem animae humanae. Ergo scientia indita animae Christi est distincta per species intelligibiles, secundum diversitatem naturarum specificarum. Hoc autem nihil aliud est quam scientiam talem respicere diversa genera scibilia: nam, si diversificatur secundum diversas naturas specificas, multo magis distinguitur secundum diversa genera scibilia; cum minor sit distinctio per genera scibilia quam per specificas naturas, quoniam sub uno genere scibili comprehenduntur multae naturae specificae, ut patet ex supra * dictis.

* Cf. Part. I, qu. I, art. 3; Iam IIae, qu. LIV, art. 2, ad 1.

II. Et scito quod, cum hic dicitur species intelligibiles oportere diversificari secundum diversas naturas specificas, intelligendum est de naturis proprie, hoc est, substantiis: nam per unam et eandem speciem infusam intelligit anima Christi substantiam, et proprietates accidentiaque eius.

Rursus, non ita intelligas species intelligibiles infusas dearticulari ad naturas specificas ut praecise repraesentent eas, et non principia individuantia: ut faciunt species intelligibiles abstractae a phantasmatibus; et quales fuerunt species infusae primo homini. Quoniam species infusae animae Christi sunt, non per accidens, sed ex suo genere infusae *, et ita ad naturas substantiarum specificas arctantur ut simul individua earum ostendant distincte. Alioquin, aut non novisset hac scientia omnia, aut infinitae species ponerentur: quorum utrumque esse falsum monstratum est *.

* Cf. qu. IX, art. 4, Comment. n. V.

* Art. 1; cf. Comment. num. V sqq.

III. Circa hanc doctrinam, iunctam responsioni ad primum, [occurrit] dubium superius * reservatum ex Scoto, in III *Sent.*, dist. XIV, qu. ult., volente quod species intelligibiles infusae animae Christi fuerunt perfectissimae, quia, sicut ponitur animae Christi collatam esse gratiam summam possibilem creaturae, ita probabile est infusas esse sibi species perfectissimas et nobilissimas, per quas perfectissime novit habitualiter res cognitione abstractiva.

* Art. 4, Comment. num. III.

Ad hoc dicitur quod proportionalis similitudo assumpta est falsa. Ad cuius evidentiam, sciendum est quod dono gratiae respondet directe donum gloriae: et consequenter, sicut animae Christi collata ponitur summa gratia, ita collata est summa gloria; ad quam spectat cognitio beata, et non cognitio infusa, de qua est quaestio. Unde, quia cognitio infusa non respondet gratiae, consequens est ut male assumpta sit similitudo proportionalis, ut, sicut ponitur summam habere gratiam, ita ponendum est habere summas species infusas.

Et si quaeratur cur gratia, gloria et visio beata non modificantur et articulantur iuxta modum naturalem animae humanae, scientiam autem infusam modificari ponitur in littera ad naturalem modum animae humanae, et ideo species eius intelligibiles esse minus universales, ac per hoc minus perfectas quam species angelorum: – respondendum est, ex responsione ad primum in articulo praecedenti, quod visio beata et huiusmodi sunt de ordine connaturalium soli divinae naturae, ac per hoc, superexcedentium modum cuiuscumque naturae creatae; et propterea non articulantur aut modificantur ex modo naturali animae vel angeli. Scientia autem infusa est de ordine connaturalium creaturis, scilicet angelis et animabus nostris in statu separationis: ac per hoc, est de ordine proportionatorum modo humanae naturae. Et propterea merito ponitur ipsam modificari et dearticulari iuxta connaturalem modum humanae naturae: ac per hoc, ut in littera dicitur, ponitur species ipsius esse minus universales et imperfectiores quam sint species angelicae.

Cum qua tamen imperfectione specierum stat quod scientia infusa animae Christi, quoad evidentiam, certitudinem, multitudinemque cognitorum, sit perfectior scientia angelica, propter excellentius lumen, ut praedictum est *.

* Art. 4.

IV. In responsione ad tertium eiusdem articuli sexti, nota quod, sicut Aristoteles posuit * ad intellectionem nostram concurrere tria, scilicet obiectum in sua specie intelligibili, et intellectum possibilem elicientem intellectionem, et lumen intellectus agentis, quo clarent immediate principia et illis mediantibus reliqua (concurrere enim intellectum agentem non solum ad generationem specierum intelligibilium, sed etiam ad faciendam evidentiam cognitorum, ex eo patet quod ipse, ut inquit Averroes, in prooemio *de Anima* *, est causa primarum propositionum, procul dubio quoad evidentiam, et consequenter reliquarum mediantibus illis primis): ita proportionabiliter Auctor, ponens scientiam altioris ordinis in anima humana, posuit species altioris ordinis, et lumen altioris ordinis, sub quo clare cognoscantur ea quae per species infusas repraesentantur. Et propterea, ut in littera dicitur, illud lumen commune est omnibus revelatis, sicut lumen intellectus agentis. Et est medium *sub quo*; species autem intelligibilis est medium *in quo* res repraesentatur.

* *De Anima* lib. III, cap. V, n. 1; cap. VII, n. 3; cap. VIII, n. 3. – S. Th. lect. X, XII, XIII.

* Comment. II.

QUAESTIO DUODECIMA

DE SCIENTIA ANIMAE CHRISTI ACQUISITA VEL EXPERIMENTALI

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. x, Introd.

Deinde considerandum est de scientia animae Christi acquisita vel experimentali *.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo: utrum secundum hanc scientiam Christus cognoverit omnia.

Secundo: utrum in hac scientia profecerit.

Tertio: utrum aliquid ab homine didicerit.

Quarto: utrum acceperit aliquid ab angelis.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM SECUNDUM SCIENTIAM ACQUISITAM VEL EXPERIMENTALEM CHRISTUS OMNIA COGNOVERIT

Ad primum sic proceditur. Videtur quod secundum hanc scientiam Christus non omnia cognovit. Huiusmodi enim scientia per experientiam acquiritur. Sed Christus non omnia expertus est. Non igitur omnia secundum hanc scientiam scivit.

2. Praeterea, scientiam acquirit homo per sensum. Sed non omnia sensibilia sensibus corporalibus Christi fuerunt subiecta. Non igitur secundum hanc scientiam omnia cognovit.

3. Praeterea, quantitas scientiae attenditur secundum scibilia. Si igitur secundum hanc scientiam Christus omnia scivisset, esset in eo scientia acquisita aequalis scientiae infusae et scientiae beatae: quod est inconveniens. Non ergo secundum hanc scientiam Christus omnia scivit.

Sed contra est quod nihil imperfectum fuit in Christo quantum ad animam. Fuisset autem imperfecta haec eius scientia, si secundum eam non scivisset omnia: quia imperfectum est cui potest fieri additio *. Ergo secundum hanc scientiam Christus omnia scivit.

* Cf. Aristot. *Physic.* lib. III, cap. vi, n. 8. - S. Th. lect. xi.

Respondeo dicendum quod scientia acquisita ponitur in anima Christi, ut supra * dictum est, propter convenientiam intellectus agentis, ne eius actio sit otiosa, qua ^α facit intelligibilia actu: sicut etiam scientia indita vel infusa ponitur in anima Christi ad perfectionem intellectus possibilis. Sicut autem intellectus possibilis est *quo est omnia fieri*, ita intellectus agens est *quo est omnia facere:* ut dicitur in III *de Anima* *. Et ideo, sicut per scientiam inditam scivit anima Christi omnia illa ad quae intellectus possibilis est quocumque modo in potentia, ita per scientiam acquisitam scivit omnia illa quae possunt sciri per actionem intellectus agentis.

* Qu. ix, art. 4.

α

* Cap. v, n. 1. - S. Th. lect. x.

Ad primum ergo dicendum quod scientia rerum acquiri potest non solum per experientiam ipsarum, sed etiam per experientiam quarundam aliarum rerum: cum ex virtute luminis intellectus agentis possit homo procedere ad intelligendum effectus per causas, et causas per effectus, et similia per similia, et contraria per contraria. Sic igitur, licet Christus non fuerit omnia expertus, ex his tamen quae expertus est, in omnium devenit ^β notitiam. β

Ad secundum dicendum quod, licet corporalibus sensibus Christi non fuerint subiecta omnia sensibilia, fuerunt tamen sensibus eius subiecta aliqua sensibilia ex quibus, propter excellentissimam vim rationis eius, potuit in aliorum notitiam devenire per modum praedictum *. Sicut, videndo corpora caelestia, potuit comprehendere eorum virtutes, et effectus quos habent in istis inferioribus, qui eius sensibus non subiacebant. Et, eadem ratione, ex quibuscumque aliis in aliorum notitiam devenire potuit.

* In resp. ad 1.

Ad tertium dicendum quod secundum istam scientiam anima Christi non simpliciter cognovit omnia: sed illa omnia quae per lumen intellectus agentis hominis ^γ sunt cognoscibilia. Unde per hanc scientiam non cognovit essentias substantiarum separatarum; nec etiam singularia praeterita ^δ vel futura. Quae tamen cognovit per scientiam inditam *, ut supra ** dictum est. γ δ

* D. 1217.
** Qu. praeced., art. 1, ad 2, 3.

α) *qua.* – *quae* PFHa.
β) *devenit.* – *tamen devenit* ABC.
γ) *hominis.* – *homini* F et tertia praeter l.
δ) *praeterita.* – *praesentia* addit tertia; pro *vel, et* tertia praeter l.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore articuli unica est conclusio responsiva quaesito: *Anima Christi per scientiam acquisitam scivit omnia illa quae possunt per actionem intellectus agentis sciri.* Probatur ex proportionali similitudine inter scientiam infusam respectu intellectus possibilis, et acquisitam respectu intellectus agentis. Nam sicut illa ponitur propter perfectionem potentiae intellectus possibilis, ita ista propter convenientiam potentiae activae intellectus agentis. Et ideo, sicut illa se extendit ad omnia ad quae se extendit possibilis intellectus po-

tentia, ita ista ad omnia quae potest intellectus agens facere.

II. In responsione ad primum et secundum simul, dubium ex Durando, in III *Sent.*, dist. XIV, qu. III *, occurrit, arguente directe contra utramque responsionem. Primo, contra secundam: dicens quod ex visione corporum caelestium nullus potest comprehendere virtutes eorum; sed potius experientia effectuum.

* Al. qu. IV.

Deinde contra primam: dicens quod experientia non parit scientiam nisi rerum expertarum et consimilium secundum speciem. Quoniam sic *ex multis sensibus fit memoria, et inde experimentum, et inde universale, quod est principium artis et scientiae,* ut dicitur in prooemio *Metaphysicae* *. Non ergo ex quibusdam expertis Christus venit in notitiam omnium, ut in littera dicitur.

* Did. lib. I, cap. I, n. 2 sqq. - S. Th. lect. I.

III. Ad primum horum dicitur quod Durandus voluit esse caecus. Nam in littera non dicitur quod ex sola visione corporali corporum caelestium Christus comprehenderit caelestia: sed expresse praemittitur in hac ipsa responsione ad secundum, ibi, *per modum praedictum,* scilicet per experientiam; et subditur statim exemplariter, *Sicut videndo* etc. Est ergo sermo litterae de visione experimentali: et non de visione absolute.

Ad secundum autem dicitur quod connexio specierum, causarum, effectuum, et huiusmodi, manifestat quod experientia in quibusdam, puta in calidis, generat non solum scientiam calidorum, sed, excellenti existente ingenio, ex scientia calidorum generatur scientia frigidorum; et ex his, mediorum; et ex his omnibus, elementorum et mixtorum; et ex his ad causas ascenditur superiores. Quocirca experientiam parere scientiam similium tantum, potest intelligi dupliciter: scilicet vel immediate, et sic est verum; vel quovis modo, et sic est falsum, ut in littera hac dicitur. *Scientia,* inquit Auctor, *rerum non solum acquiri potest ex experientia ipsarum, sed ex experientia quarundam aliarum.* Et ratio assignatur: *quia ex virtute luminis potest homo procedere* etc.

Et scito quod tota difficultas nostra consistit in comprehendendo substantiam unam inferiorem: quoniam, illa comprehensa, facile reliquae comprehenderentur. Et similiter in comprehendendo unum corpus caeleste: uno enim comprehenso, facile omnia comprehenderentur ab excellentissimo ingenio quale fuit illud animae Christi. Non est autem impossibile tali ingenio comprehendere unum corpus caeleste, et unum mixtum perfectum, puta hominem. Non est igitur impossibile quod omnia quae possunt virtute intellectus agentis cognosci, cognoverit per inventionem.

IV. At si quis dixerit sensibus Christi omnia singularia opportuna ad perfectam per inventionem scientiam omnium naturali ratione cognoscibilium, oblata esse angelorum ministerio supplente, non aberraret. Quoniam si, Evangelista testante, esurienti Christo angeli cibum corporalem ministraverunt, Matth. IV *; multo magis rationabile est ut indigenti Christo spirituali cibo scientiae acquisitae, ministraverint angeli singularia opportuna ex quibus ipse suo ingenio adinveniret scientiam. Hoc enim nullum inconveniens habet annexum. Nec est miraculum voluntarie fictum: sed super simili et minus necessario expresso in Evangelio fundatum. Et propterea ut rationabile amplectendum est.

* Vers. 11.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM SECUNDUM SCIENTIAM ACQUISITAM VEL EXPERIMENTALEM CHRISTUS PROFECERIT

Infra, qu. XV, art. 8; III *Sent.*, dist. XIV, art. 3, qu^a 5; *Compend. Theol.*, cap. CCXVI; *In Ioan.*, cap. IV, lect. I; *Ad Heb.*, cap. V, lect. II.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod secundum hanc scientiam Christus non profecerit. Sicut enim secundum scientiam beatitudinis vel secundum scientiam infusam Christus cognovit omnia, ita secundum hanc scientiam acquisitam: ut ex dictis * patet. Sed secundum illas scientias non profecit. Ergo nec secundum istam.

* Art. praeced.

2. PRAETEREA, proficere est imperfecti: quia perfectum additionem non recipit *. Sed in Christo non est ponere scientiam imperfectam. Ergo secundum hanc scientiam Christus non profecit.

* Cf. Aristot. *Physic.* lib. III, cap. VI, n. 8. - S. Th. lect. XI.

3. PRAETEREA, Damascenus dicit *: *Qui proficere dicunt Christum sapientia et gratia ut additamentum suscipientem* α, *non venerantur unionem.* Non venerari autem unionem est impium β. Ergo impium est dicere quod scientia eius additamentum acceperit.

* *De Fide Orth.*, lib. III, cap. XXII.

SED CONTRA EST quod habetur Luc. II *, quod *Iesus proficiebat sapientia et aetate et gratia, apud Deum et homines.* Et Ambrosius dicit * quod *proficiebat secundum sapientiam humanam.* Humana autem sapientia est quae humano modo acquiritur, scilicet per lumen intellectus agentis. Ergo Christus secundum hanc scientiam profecit.

* Vers. 52.
* *De Incarn. Domin. Sacrament.* cap. VII.

RESPONDEO DICENDUM quod duplex est profectus scientiae. Unus quidem secundum essentiam: prout scilicet ipse habitus scientiae augetur. Alius autem secundum effectum: puta si aliquis, secundum eundem et aequalem scientiae habitum, primo minora aliis demonstret, et postea maiora et subtiliora.

Hoc autem secundo modo, manifestum est quod Christus in scientia et gratia profecit, sicut et in aetate: quia scilicet, secundum augmentum aetatis, opera maiora faciebat, quae γ maiorem sapientiam et gratiam demonstrabant. Sed quantum ad ipsum habitum scientiae, manifestum est quod habitus scientiae infusae in eo non est augmentatus: cum a principio plenarie sibi fuerit omnis δ scientia infusa. Et multo minus scientia beata in eo augeri potuit. De scientia autem divina, quod non possit augeri, supra in Prima Parte * dictum est.

* Qu. XIV, art. 15, ad 2.

Si igitur, praeter habitum scientiae infusum, non sit in anima Christi habitus aliquis scientiae acquisitae, ut quibusdam videtur *, et mihi aliquando visum est *; nulla scientia in Christo augmentata fuit secundum suam essentiam, sed solum per experientiam, idest per conversionem

* B. Alb. Magn. III *Sent.*, dist. XIII, art. 10; Halens. *Sum. Theol.* p. III, qu. XIII, memb. 2, in respp. ad obiect.; S. Bonav. III *Sent.*, dist. XIV, art. 3, qu^a 2.
* III *Sent.*, dist. XIV, art. 3, qu^a 5, ad 3; dist. XVIII, art. 3, ad 5.

α) *suscipientem.* – Tertia praeter P; *sensus suscipientem.* – Post *unionem* F et tertia addunt *quae* (*quae est* PF) *secundum hypostasim.*
β) *Non... impium.* – Ed. *a*; *etc.* addit prima et E; tertia et F legunt: *Sed impium est unionem* (*illam unionem* tertia) *non venerari.*
γ) *quae.* – *scilicet* addit P. – Pro *sapientiam, scientiam* tertia.
δ) *omnis.* – *omnia* E, *omnium* tertia.

specierum intelligibilium inditarum ad phantasmata. Et secundum hoc, dicunt quod scientia Christi profecit secundum experientiam: convertendo scilicet species intelligibiles inditas ad ea quae de novo per sensum accepit.

Sed quia inconveniens videtur quod aliqua naturalis actio intelligibilis Christo deesset, cum extrahere species intelligibiles a phantasmatibus sit quaedam naturalis actio hominis secundum intellectum agentem, conveniens videtur hanc
* D. 1218. etiam actionem in Christo ponere *. Et ex hoc sequitur quod in anima Christi aliquis habitus scientiae fuit qui per huiusmodi abstractionem
* D. 1099. specierum potuerit augmentari *: ex hoc scilicet quod intellectus agens, post primas species intelligibiles abstractas a phantasmatibus, poterat
ε etiam alias [ε] abstrahere.

Ad primum ergo dicendum quod tam scientia infusa animae Christi, quam scientia beata, fuit effectus agentis infinitae virtutis, qui potest simul totum operari: et ita in neutra scientia Christus profecit, sed a principio habuit eam perfectam. Sed scientia acquisita est tantum [ζ] ab intellectu agente, qui non simul [η] totum operatur, sed successive. Et ideo secundum hanc scientiam Christus non a principio scivit omnia, sed paulatim et post aliquod tempus, scilicet in perfecta aetate. Quod patet ex hoc quod Evangelista simul dicit eum profecisse *scientia et aetate*.

Ad secundum dicendum quod haec etiam scientia in Christo [θ] fuit semper perfecta secundum tempus, licet non [ι] fuerit perfecta simpliciter et secundum naturam. Et ideo potuit habere augmentum.

Ad tertium dicendum quod verbum Damasceni intelligitur quantum ad illos qui dicunt simpliciter factam fuisse additionem scientiae Christi: scilicet [κ] secundum quamcumque eius scientiam; et praecipue secundum infusam, quae causatur in anima Christi ex unione ad Verbum. Non autem intelligitur de augmento scientiae quae ex naturali agente causatur.

ε) *alias.* – *alias et alias* P.
ζ) *est tantum.* – *causatur* sF et tertia.
η) *simul.* – EFa et tertia; *sibi simul.*
θ) *in Christo.* – Om. editiones.
ι) *non.* – *non semper* tertia.
κ) *scilicet.* – F et tertia; ante *scientiam.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore articuli tria fiunt. Primo, ponitur distinctio bimembris. Duplex est profectus scientiae: alter secundum ipsius essentiam; alter secundum effectum.

Secundo, respondetur quaesito iuxta secundum membrum: *Christus profecit secundum effectum in scientia et gratia, sicut et aetate.* Probatur. Quia iuxta aetatis augmentum maiora opera faciebat, quae maiorem scientiam et gratiam demonstrabant.

Tertio, respondetur quaesito iuxta primum membrum, quoad quadruplicem Christi scientiam, scilicet infusam, beatam, divinam, et acquisitam. Et de tribus primis quidem negative: scilicet quod Christus non profecit. De acquisita vero, recitatur prius aliorum, et sua olim opinio: quod non est augmentata secundum se, sed *secundum experientiam,* hoc est, conversionem seu applicationem illius ad phantasmata quae ex sensibus et experientiis ab extra veniebant. Deinde repetitur propria nunc opinio: quod acquisita secundum essentiam aucta fuit; quia inconveniens videtur deesse Christo aliquam intelligibilem actionem.

Ubi nota et modestiam Auctoris, quod opinantis personam induit, dum ait, *inconveniens videtur:* et explanationem supra * dictorum de operatione intellectus agentis, * Art. praeced.; qu. ix, art. 4.
quod scilicet de principali illius operatione, cuius privatione otiosus seu frustra poneretur, fuit sermo.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM CHRISTUS ALIQUID AB HOMINIBUS DIDICERIT

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod Christus aliquid ab hominibus didicerit. Dicitur enim Luc. II * quod *invenerunt eum in Templo in medio doctorum, interrogantem illos et respondentem.* Interrogare vero et respondere est addiscentis. Ergo Christus ab hominibus aliquid didicit. * Vers. 46, 47.

2. Praeterea, acquirere scientiam ab homine docente videtur esse nobilius quam acquirere a
α sensibus [α]: quia in anima hominis docentis sunt species intelligibiles in actu, in rebus autem sensibilibus sunt species intelligibiles solum in potentia. Sed Christus accipiebat scientiam expe-
* Art. praeced.; qu. ix, art. 4. rimentalem ex rebus sensibilibus, ut dictum est *. Ergo multo magis poterat accipere scientiam addiscendo ab hominibus.

3. Praeterea, Christus secundum scientiam experimentalem a principio non omnia scivit, sed in ea profecit, ut dictum est *. Sed quilibet audiens sermonem significativum alicuius, potest addiscere quod nescit. Ergo Christus potuit ab hominibus aliqua addiscere quae secundum hanc scientiam nesciebat. * Art. praeced.

Sed contra est quod dicitur Isaiae LV *: *Ecce, testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus.* Praeceptoris autem non est doceri, sed docere. Ergo Christus non accepit aliquam scientiam per doctrinam alicuius hominis. * Vers. 4.

Respondeo dicendum quod in quolibet genere id quod est primum movens non movetur secundum illam speciem motus [β]: sicut primum alterans non alteratur. Christus autem constitu-

α) *sensibus.* – *rebus* I, *rebus sensibilibus* cetera tertia.
β) *motus.* – Om. BCDE.

tus est [γ] caput Ecclesiae, quinimmo omnium hominum, ut supra * [* Qu. VIII, art. 3.] dictum est, ut non solum omnes homines per ipsum gratiam acciperent, sed etiam ut omnes ab eo doctrinam veritatis reciperent. Unde ipse dicit, Ioan. XVIII * [* Vers. 37.]: *In hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Et ideo non fuit conveniens eius dignitati ut a quocumque hominum [δ] doceretur.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Origenes dicit, *super Luc.* * [* Homil. XIX.], *Dominus interrogabat, non ut aliquid disceret* [ε], *sed ut interrogatus erudiret. Ex uno quippe doctrinae fonte manat et interrogare et respondere sapienter.* Unde et ibidem * [* Vers. 47.] in Evangelio sequitur quod *stupebant omnes qui eum audiebant, super prudentia et responsis eius.*

Ad secundum dicendum quod ille qui addiscit ab homine non accipit inmediate scientiam a speciebus intelligibilibus quae sunt in mente ipsius: sed mediantibus sensibilibus vocibus, tanquam signis intellectualium [ζ] conceptionum. Sicut autem voces ab homine formatae sunt signa intellectualis scientiae ipsius, ita creaturae a Deo conditae sunt signa sapientiae eius: unde *Eccli.* I * [* Vers. 10.] dicitur quod Deus *effudit sapientiam suam super omnia opera sua.* Sicut igitur dignius est doceri a Deo quam ab homine, ita dignius est accipere scientiam per sensibiles creaturas quam per hominis doctrinam.

Ad tertium dicendum quod Iesus proficiebat in scientia experimentali sicut etiam in aetate, ut dictum est * [* Art. praeced.]. Sicut autem aetas opportuna [η] requiritur ad hoc quod homo accipiat scientiam per inventionem, ita etiam ad hoc quod accipiat scientiam per disciplinam. Dominus autem nihil fecit quod non congrueret eius aetati. Et ideo audiendis doctrinae sermonibus non accommodavit auditum nisi illo tempore quo poterat etiam per viam experientiae talem scientiae gradum attigisse. Unde Gregorius dicit, *super Ezech.* * [* Lib. I, homil. II.]: *Duodecimo* [θ] *anno aetatis suae dignatus est homines interrogare in terra, quia, iuxta rationis usum, doctrinae sermo non suppetit nisi in aetate perfecta.*

γ) *est.* – *a Deo* addunt F et tertia.
δ) *hominum.* – *homine* tertia.
ε) *aliquid disceret.* – *addisceret* b, *addisceret* c, *aliquid addisceret* PF.
ζ) *intellectualium.* – *intelligibilium* tertia.
η) *opportuna.* – F et tertia praeter I; *operativa* I, *optima* ceteri.
θ) *Ezech.: Duodecimo.* – Tertia; *Ezech. homil. XII* (*in XII* F).

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore articuli una est conclusio, responsiva quaesito negative: *Christus nihil ab homine didicit.* Probatur. Primum movens in quolibet genere non movetur illa specie motus. Christus est primus Doctor hominum omnium. Ergo non docetur ab aliquo homine. – Maior manifestatur in primo alterante. – Minor, auctoritate Domini, Ioan. XVIII.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CHRISTUS AB ANGELIS SCIENTIAM ACCEPERIT

Infra, qu. XXX, art. 2, ad 1; III *Sent.*, dist. XIII, qu. II, art. 2, qu^a 1, ad 3; dist. XIV, art. 3, qu^a 6.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod Christus ab angelis scientiam acceperit. Dicitur enim Luc. XXII * [* Vers. 43.] quod *apparuit Christo angelus de caelo confortans eum.* Sed confortatio fit per verba exhortatoria [α] docentis: secundum illud *Iob* IV * [* Vers. 3, 4.]: *Ecce, docuisti plurimos, et manus lassas roborasti: vacillantes confirmaverunt sermones tui.* Ergo Christus ab angelis doctus [β] est.

2. Praeterea, Dionysius dicit, IV cap. *Cael. Hier.*: *Video enim quod et ipse Iesus, supercaelestium substantiarum supersubstantialis substantia, ad nostram intransmutabiliter veniens, obedienter subiicitur Patris et Dei per angelos formationibus.* Videtur igitur quod ipse Christus ordinationi legis divinae subiici voluerit, per quam homines, mediantibus angelis, erudiuntur.

3. Praeterea, sicut corpus humanum naturali ordine [γ] subiicitur corporibus caelestibus, ita etiam humana mens angelicis mentibus. Sed corpus Christi subiectum fuit impressionibus caelestium corporum: passus est enim calorem in aestate et frigus in hieme, sicut et alias humanas passiones. Ergo et eius mens humana subiacebat illuminationibus supercaelestium spirituum.

Sed contra est quod Dionysius dicit, VII cap. *Cael. Hier.*, quod supremi angeli *ad ipsum Iesum quaestionem faciunt, et ipsius divinae operationis pro nobis scientiam discunt: et eas* [δ] *ipse Iesus sine medio docet.* Non est autem eiusdem docere et doceri. Ergo Christus non accepit scientiam ab angelis.

Respondeo dicendum quod anima humana, sicut media inter substantias spirituales et res corporales existit [ε], ita duobus modis nata est perfici: uno quidem modo, per scientiam acceptam ex rebus sensibilibus; alio modo, per scientiam inditam sive impressam ex illuminatione spiritualium substantiarum. Utroque autem modo anima Christi fuit perfecta: ex sensibilibus quidem, se-

α) *exhortatoria.* – *confortatoria* H et editiones.
β) *doctus.* – *edoctus* tertia.
γ) *naturali ordine.* – *naturaliter* BCDEa.
δ) *et ipsius... eas.* – *divinique illius operis et pro nobis assumptae carnis scientiam discunt et eos* P; *eos* etiam EFsG.
ε) *existit.* – *est* post *media* tertia.

cundum scientiam experimentalem, ad quam quidem non requiritur lumen angelicum, sed sufficit lumen intellectus agentis; ex impressione vero superiori, secundum scientiam infusam, quam est immediate adeptus a Deo. Sicut enim supra communem modum creaturae anima illa unita est Verbo in unitate personae, ita, supra communem modum hominum, immediate ab ipso Dei Verbo repleta est scientia et gratia: non autem mediantibus angelis, qui etiam ex influentia Verbi rerum scientiam in sui [ζ] principio acceperunt, sicut in II libro *super Gen. ad litt.* * Augustinus dicit.

* Cap. VIII.

Ad primum ergo dicendum quod illa confortatio angeli non fuit per modum instructionis, sed ad demonstrandum proprietatem humanae naturae. Unde Beda dicit, *super Luc.* *: *In documento utriusque naturae, et angeli ei ministrasse, et eum confortasse dicuntur. Creator enim suae creaturae non eguit praesidio: sed, homo factus, sicut propter nos tristis est, ita propter nos confortatur;* ut scilicet in nobis fides incarnationis ipsius confirmetur.

* Lib. VI, ad cap. XXII, vers. 43.

Ad secundum dicendum quod Dionysius dicit Christum *angelicis formationibus* [η] *fuisse subiectum,* non ratione sui ipsius: sed ratione eorum quae circa eius incarnationem agebantur, et circa ministrationem [θ] in infantili aetate constituti. Unde ibidem subdit quod *per medios angelos nuntiatur Ioseph a Patre dispensata Iesu ad Aegyptum recessio, et rursum ad Iudaeam de Aegypto traductio.*

Ad tertium dicendum quod Filius Dei assumpsit corpus passibile, ut infra * dicetur: sed animam perfectam scientia et gratia *. Et ideo corpus eius fuit convenienter subiectum impressioni caelestium corporum [ι]: anima vero eius non fuit subiecta impressioni caelestium spirituum.

* Qu. XIV, art. 1.
* Qu. XIV, art. 1, ad 1; art. 4.

ζ) *sui.* – *suo* BCDEI, *ipso* ed. *a.*
η) *formationibus.* – E et tertia praeter G; *conformationibus.*
θ) *ministrationem.* – *eius* addunt E et tertia praeter I.
ι) *corporum.* – *spirituum* ACpB, om. D.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore articuli, primo ponitur distinctio de duplici modo quo anima nata est scientia perfici; secundo, respondetur quaesito.

Quoad primum, dicitur quod anima dupliciter nata est scientia perfici: vel ex sensibilibus; vel ex substantiis immaterialibus. Et manifestatur distinctio: quia est media inter substantias separatas et corporales.

Quoad secundum, respondetur duabus conclusionibus, iuxta dictos duos modos. Prima est: *Anima Christi perfecta est scientia experimentali ex sensibilibus absque angelico lumine.* Probatur. Quia sufficit ad hanc lumen intellectus agentis.

Secunda est: *Anima Christi perfecta est ex impressione superiori quoad scientiam infusam a Deo immediate.* Probatur. Sicut anima illa supra communem creaturae modum unita est Verbo in unitate personae, ita, supra communem hominum modum, immediate a Deo repleta est scientia.

Et scito quod haec ratio non solum est similitudinis proportionalis: sed etiam est redditiva verae causae quare anima Christi immediate repleta est scientia infusa a Deo. Indignum quippe fuisset ut assumpta anima in *fontem sapientiae* *, unde angeli sapiunt, non ex ipso fonte, sed ex mediis rivulis derivatis ad angelos perfunderetur. Consonat autem valde ut, sicut in unione creaturae limites sunt excessi, ita in perfectione, non creaturae, sed humanae naturae limes excedatur.

* Eccli. cap. I, vers. 5.

II. In responsione ad primum, nota quod confortationem Christi ab angelo fuisse testificationis naturae humanae, non aufert quin fuerit indigentiae: non ut egeret instrui ab angelo; sed quia egeret exteriori ac sensibili propositione obiecti servativi inferioris partis, ne plus cruciatus propassionis procederet.

Ad cuius evidentiam, oportet nunc supponere, ex Damasceno *, quod in Christo non fuit redundantia inferiorum virium in superiores aut e converso, sed *unicuique permissum est agere quod suum erat.* Propter quod cruciatus propassionis Christi fuit valde magnus: ut *sanguis decurrens in terram* * testatur. Et quia pars superior non redundabat in inferiorem, processisset suapte natura in tantum cruciatus ille ut motum et sensum abstulisset a corpore Christi, aut valde impedisset. Sed providentia divina suppletum est per exterius confortativum: ac si homo aliquis confortasset eum. Ita quod, sicut tentatus fuit a diabolo exterius proponendo obiecta invitantia ad malum *, ita confortatus est ab angelo exterius proponente obiecta consolatoria, quae naturaliter nata sunt, proposita, confortare vires ac corpus: ut sic quasi frenum ex sensibiliter propositis cruciatui propassionis appositum sit ab extra; ut sic inferior pars habuerit etiam in confortatione quod suum erat ab extra. Et hoc maxime monstrat veritatem ac proprietatem humanae naturae in Christo.

* De Fide Orth. lib. III, cap. XV, XIX.
* Luc. cap. XXII, vers. 44.
* Matth. cap. IV, vers. 3 sqq.



QUAESTIO DECIMATERTIA

DE POTENTIA ANIMAE CHRISTI

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. VII, Introd.

Deinde considerandum est de potentia animae Christi *.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo: utrum habuerit omnipotentiam simpliciter.

Secundo: utrum habuerit omnipotentiam respectu corporalium [α] creaturarum.

Tertio: utrum habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis.

Quarto: utrum habuerit omnipotentiam respectu executionis [β] propriae voluntatis.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM ANIMA CHRISTI HABUERIT OMNIPOTENTIAM

I *Sent.*, dist. XLIII, qu. I, art. 2, ad 2; III, dist. 1, qu. 1, art. 2, ad 2; dist. XIV, art. 4.

* Gloss. Ordin. sub nom. Bed. Ambros., ad cap. I, vers. 32. - Ex Bed. Homil. I, in festo Annunt.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod anima Christi habuit omnipotentiam. Dicit enim Ambrosius, *super Luc.* *: *Potentiam quam Dei Filius naturaliter habet, homo erat ex tempore accepturus.* Sed hoc praecipue videtur esse secundum animam, quae est potior pars hominis. Cum ergo Filius Dei ab aeterno omnipotentiam habuerit, videtur quod anima Christi ex tempore omnipotentiam acceperit.

* Qu. X, art. 2.

2. Praeterea, sicut potentia Dei est infinita, sic et eius scientia. Sed anima Christi habet omnium [γ] scientiam eorum quae scit Deus quodammodo, ut supra * dictum est. Ergo etiam habet omnem [δ] potentiam. Et ita est omnipotens.

3. Praeterea, anima Christi habet omnem scientiam. Sed scientiarum quaedam est practica, quaedam speculativa. Ergo habet eorum quae scit scientiam practicam: ut scilicet sciat facere ea quae scit. Et sic videtur quod omnia facere possit.

* Vers 2. * Vers. 3.

Sed contra est: quod proprium est Dei, non potest alicui creaturae convenire. Sed proprium est Dei esse omnipotentem: secundum illud *Exodi* XV *: *Iste Deus meus, et glorificabo eum;* et postea * subditur, *Omnipotens nomen eius.* Ergo anima Christi, cum sit creatura, non habet omnipotentiam.

* Qu. II, art. 1; qu. X, art. 1.

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, in mysterio incarnationis ita facta est unio in persona quod tamen remansit distinctio naturarum, utraque scilicet natura retinente id quod sibi est proprium. Potentia autem activa cuiuslibet rei sequitur formam ipsius, quae est principium agendi. Forma autem vel est ipsa natura rei, sicut in simplicibus: vel est constituens ipsam rei naturam, sicut in his quae sunt composita ex materia et forma. Unde manifestum est quod potentia activa cuiuslibet rei consequitur naturam ipsius. Et per hunc modum omnipotentia consequenter se habet ad divinam naturam *. Quia enim natura divina est ipsum esse Dei incircumscriptum *, ut patet per Dionysium, V cap. *de Div. Nom.* *, inde est quod habet potentiam activam respectu omnium quae possunt habere rationem entis, quod est habere omnipotentiam: sicut et quaelibet alia res habet potentiam activam respectu eorum ad quae se extendit perfectio suae naturae, sicut calidum ad calefaciendum. Cum igitur anima Christi sit pars humanae naturae, impossibile est quod habeat omnipotentiam.

* D. 944. * D. 461. * S. Th. lect. I.

Ad primum ergo dicendum quod homo accepit ex tempore omnipotentiam quam Filius Dei habuit ab aeterno, per ipsam unionem personae, ex qua factum est ut, sicut homo dicitur Deus, ita dicatur omnipotens: non quasi sit alia omnipotentia hominis quam Filii Dei, sicut nec alia deitas; sed eo quod est una persona Dei et hominis.

Ad secundum dicendum quod alia ratio est de scientia, et de potentia activa: sicut quidam dicunt. Nam potentia activa consequitur ipsam naturam rei: eo quod actio consideratur ut egrediens ab agente. Scientia autem non semper habetur per ipsam essentiam scientis: sed potest haberi per assimilationem scientis ad res scitas secundum similitudines susceptas.

Sed haec ratio non videtur sufficere. Quia sicut aliquis potest cognoscere per similitudinem susceptam ab alio, ita etiam potest agere per formam ab alio susceptam: sicut aqua vel fer-

α) *corporalium.* – *immutationis* P.
β) *executionis.* – *propositorum* tertia praeter P. – Pro *propriae*, *suae* tertia.
γ) *omnium.* – *omnem* BCF; *eorum* om. tertia.
δ) *omnem.* – *omnium* P.

rum calefacit per calorem susceptum ab igne. Non igitur per hoc prohibetur quin, sicut anima Christi per similitudines omnium rerum sibi a Deo inditas potest omnia cognoscere, ita per easdem similitudines possit ea facere.

Est ergo ulterius considerandum quod id quod a superiori natura in inferiori recipitur, habetur per inferiorem modum: non enim calor in eadem perfectione et virtute recipitur ab aqua qua est in igne. Quia igitur anima Christi inferioris naturae est quam divina natura, similitudines rerum non recipiuntur in ipsa anima Christi secundum eandem perfectionem et virtutem secundum quam sunt in natura divina. Et inde est quod scientia animae Christi est inferior scientia divina: quantum ad modum cognoscendi, quia Deus perfectius cognoscit [ε] quam anima Christi; et etiam quantum ad numerum scitorum, quia anima Christi non cognoscit omnes res quas [ζ] Deus potest facere, quae tamen Deus cognoscit scientia simplicis intelligentiae; licet cognoscat [η] omnia praesentia, praeterita et futura, quae Deus cognoscit scientia visionis. Et similiter similitudines rerum animae Christi inditae non adaequant virtutem divinam in agendo: ut scilicet possint omnia agere quae Deus potest; vel etiam eo modo agere sicut Deus agit, qui agit per virtutem infinitam, cuius creatura non est capax. Nulla autem res est ad cuius cognitionem aliqualiter habendam requiratur virtus infinita, licet aliquis modus cognoscendi sit virtutis infinitae: quaedam tamen sunt quae non possunt fieri nisi a virtute infinita, sicut creatio [θ] et alia huiusmodi, ut patet ex his quae in Prima Parte * dicta sunt. Et ideo anima Christi, cum sit creatura et [ι] virtutis finitae, potest quidem omnia cognoscere, sed non per omnem modum: non autem potest omnia facere, quod pertinet ad rationem omnipotentiae. Et inter cetera, manifestum est quod non potest creare seipsam.

* Qu. xlv, art. 5, ad 3; qu. lxv, art. 3, ad 3. - Cf. ibid., qu. xxv, art. 3, ad 4.

Ad tertium dicendum quod anima Christi habuit et scientiam practicam et speculativam: non tamen oportet quod omnium illorum habeat scientiam practicam quorum habuit scientiam speculativam. Ad scientiam enim speculativam habendam sufficit sola conformitas vel assimilatio scientis ad rem scitam: ad scientiam autem practicam requiritur quod formae rerum quae sunt in intellectu sint factivae. Plus autem est habere formam et imprimere formam habitam in alterum, quam solum habere formam: sicut plus est lucere et illuminare quam solum lucere. Et inde est quod anima Christi habet quidem speculativam scientiam creandi, scit enim qualiter Deus creat: sed non habet huius modi [κ] scientiam practicam, quia non habet scientiam creationis factivam.

ε) *cognoscit.* – *res* addit tertia.
ζ) *omnes res quas.* – *quae* G, *omnia quae* cetera tertia.
η) *cognoscat.* – sEHI et editiones; *non cognoscat.*
θ) *creatio.* – Tertia; *creare* DE, *creaturae* ceteri.
ι) *cum sit creatura et.* – EF; *cum sit creatura est* ACIa, *cum sit creatura* BD, *quae cum sit creatura est* cetera tertia. – Pro *finitae*, *infinitae* ABCD.
κ) *modi.* – *rei* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore unica est conclusio responsiva quaesito: *Impossibile est animae Christi convenire omnipotentiam.* Probatur. In mysterio incarnationis unio facta est in persona, remanente distinctione naturarum: hoc est, utraque natura retinente quod sibi proprium est. Ergo divina natura retinuit sibi omnipotentiam. Ergo impossibile est animae Christi convenire omnipotentiam.

Prima consequentia probatur. Quia omnipotentia est ut proprietas consequenter se habens ad naturam divinam. Quod probatur. Potentia activa cuiuslibet rei sequitur formam ipsius: ergo sequitur cuiusque naturam: ergo potentia activa respectu omnium quae possunt habere rationem entis, consequitur naturam divinam: ergo omnipotentia consequitur divinam naturam. – Antecedens huius prosyllogismi probatur: quia forma est principium agendi. Prima vero consequentia: quia natura aut est ipsa forma; aut constituitur per formam. Secunda autem et probatur a priori, quia natura divina est ipsum esse incircumscriptum: et a similibus, quia quaelibet alia res habet potentiam activam respectu eorum ad quae se extendit perfectio suae naturae, sicut calidum ad calefaciendum. Tertia deinde consequentia per se nota ex terminis est.

Secunda autem consequentia principalis probatur. Quia anima Christi est pars humanae naturae, non divinae.

II. Adverte hic quod qualiter omnipotentia sequatur esse ipsum in se subsistens, ac per hoc illimitatum et infinitum, supponimus ex doctrina Primi Libri * notum.

* Qu. xxv, art. 3, Comment. num. vi.

Illa autem propositio, *Quaelibet res habet potentiam activam respectu eorum ad quae se extendit suae naturae perfectio*, cum grano salis sumenda est: hoc est, ut intelligatur in genere rerum activarum. Quod dico propter formas quae non sunt ex suo genere activae, ut quantitas et relatio.

III. In responsione ad tertium, adverte quod Auctor hic corrigit loquendi modum de scientia animae Christi respectu omnium quae a Deo fiunt. In Tertio namque *Sententiarum,* dist. xiv, art. ult., ad 2, vocaverat *practicam scientiam:* quam hic probat non esse practicam, quia non est factiva. Et tu doctrinam hanc sequeris.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM ANIMA CHRISTI HABEAT OMNIPOTENTIAM RESPECTU IMMUTATIONIS CREATURARUM

III *Sent.*, dist. xiv, art. 4; dist. xvi, qu. 1, art. 3.



Ad secundum sic proceditur. Videtur quod anima Christi habeat omnipotentiam respectu immutationis creaturarum. Dicit enim ipse, Matth. ult. *: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.* Sed nomine *caeli et terrae* intelligitur omnis creatura: ut patet cum dicitur, *Gen.* 1 *, *In principio creavit Deus caelum et terram.* Ergo videtur quod anima Chri-

* Vers 18.
* Vers. 1.

sti habeat omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

2. Praeterea, anima Christi est perfectior qualibet creatura. Sed quaelibet creatura potest moveri ab aliqua alia creatura: dicit enim Augusti-
[* Cap. iv. α] nus, in III *de Trin.* *, quod *sicut corpora grossiora* [α] *et inferiora per subtiliora et potentiora quodam ordine reguntur, ita omnia corpora per spiritum vitae rationalem; et spiritus vitae rationalis desertor atque peccator per spiritum vitae rationalem, pium et iustum.* Anima autem Christi etiam ipsos supremos spiritus movet, illuminando eos: ut dicit Dionysius, vii cap. *Cael. Hier.* Ergo videtur quod anima Christi habeat omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

3. Praeterea, anima Christi habuit plenissime
[* I *ad Cor.*, cap. xii, vers. 10.] gratiam miraculorum seu *virtutum* *: sicut et ceteras gratias. Sed omnis immutatio creaturae potest ad gratiam miraculorum pertinere: cum etiam miraculose caelestia corpora a suo ordine immutata fuerint, sicut probat Dionysius, in Epistola *ad*
[* Epist. VII.] *Polycarpum* *. Ergo anima Christi habuit omnipo-
[β] tentiam respectu immutationis [β] creaturarum.

Sed contra est quod eiusdem est transmutare creaturas cuius est conservare eas. Sed hoc est
[* Vers. 3.] solius Dei: secundum illud *Heb.* I *: *Portans omnia verbo virtutis suae.* Ergo solius Dei est habere omnipotentiam respectu immutationis creaturarum. Non ergo hoc convenit animae Christi.

Respondeo dicendum quod hic duplici distinctione est opus. Quarum prima est ex parte transmutationis creaturarum: quae triplex est. Una quidem est naturalis: quae scilicet fit a proprio agente secundum ordinem naturae. Alia vero est miraculosa, quae fit ab agente supernaturali, supra consuetum ordinem et cursum naturae: sicut resuscitatio mortuorum. Tertia autem est secundum quod omnis creatura vertibilis est in nihil.

Secunda autem distinctio est accipienda ex parte animae Christi: quae dupliciter considerari potest. Uno modo, secundum propriam naturam
[γ] et virtutem, sive naturalem sive gratuitam [γ]. Alio modo, prout est instrumentum Verbi Dei sibi personaliter uniti.

Si ergo loquamur de anima Christi secundum propriam naturam et virtutem, sive naturalem sive gratuitam, potentiam habuit ad illos effectus faciendos qui sunt animae convenientes: puta ad gubernandum corpus, et ad disponendum actus humanos; et etiam ad illuminandum, per gratiae et scientiae plenitudinem, omnes creaturas ratio-
[* D. 152, 314, 680.] nales * ab eius perfectione deficientes, per modum quo hoc est conveniens creaturae rationali.

Si autem loquamur de anima Christi secundum quod est instrumentum Verbi sibi uniti, sic habuit instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas ordinabiles ad incarnationis finem, qui est *instaurare omnia,*
sive quae in caelis sive quae in terris sunt *. [* *Ad Ephes.*, cap. I, vers. 10.]

Immutationes vero creaturarum secundum quod sunt vertibiles in nihil, correspondent creationi rerum, prout scilicet producuntur ex nihilo. Et ideo, sicut solus Deus potest creare, ita solus
potest creaturas in nihilum redigere *: qui etiam [* D. 219, 896.]
solus eas in esse conservat, ne in nihilum decidant. Sic ergo dicendum est quod anima Christi non habet omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut dicit
Hieronymus *, *illi potestas data est qui paulo ante* [* *Comment. sup. Matth.*, lib. IV, ad loc. cit. in arg.; Hilar. *In Matth.* cap. xxxiii.]
crucifixus et sepultus in tumulo, qui postea resurrexit: idest, Christo secundum quod homo. Dicitur autem sibi omnis potestas data [δ] ratione [δ]
unionis, per quam factum est ut homo esset
omnipotens, ut supra * dictum est. Et quamvis [* Art. praeced., ad 1.]
hoc ante resurrectionem innotuerit angelis, post
resurrectionem [ε] innotuit omnibus hominibus, ut [ε]
Remigius dicit *. *Tunc* autem *dicuntur res fieri,* [* Cf. S. Th. *Caten. Aur. in Matth.*, loc. cit.]
quando innotescunt *. Et ideo post resurrectionem [* Hug. a S. Vict., *Qq. in Ep. ad Philipp.*, qu. ix.]
Dominus dicit sibi potestatem esse datam [ζ] *in caelo et in terra.* [ζ]

Ad secundum dicendum quod, licet omnis creatura sit mutabilis ab alia creatura, praeter supremum angelum, qui tamen potest illuminari
ab anima Christi *; non tamen omnis immuta- [* D. 152.]
tio quae potest fieri circa creaturam, potest fieri a creatura; sed quaedam immutationes possunt fieri a solo Deo. Quaecumque tamen immuta-
tiones creaturarum [η] possunt fieri per creaturas, [η]
possunt etiam fieri per animam Christi secundum quod est instrumentum Verbi. Non autem secundum propriam naturam et virtutem: quia quaedam huiusmodi immutationum non pertinent ad animam, neque quantum ad ordinem naturae neque quantum ad ordinem gratiae.

Ad tertium dicendum quod, sicut dictum est
in Secunda Parte *, gratia virtutum, seu mira- [* IIa IIae, qu. clxxviii, art. 1, ad 1.]
culorum, datur animae alicuius sancti, non ut
propria virtute eius [θ], sed ut per virtutem divi- [θ]
nam huiusmodi miracula fiant. Et haec quidem gratia excellentissime data est animae Christi: ut scilicet non solum ipse miracula faceret, sed etiam hanc gratiam in alios transfunderet. Unde
dicitur, Matth. x *, quod, *convocatis duodecim di-* [* Vers. 1.]
scipulis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut eiicerent eos; et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem.

α) *grossiora.* – *grassiora* FG, *graviora* H, *crassiora* P.
β) *immutationis.* – *mutationis* ABCE.
γ) *sive naturalem sive gratuitam.* – Om. tertia.
δ) *idest... data.* – Editiones; *idest Christus secundum quod homo dicitur* (*ergo* addit E) *sibi data potestas* prima et E; G ut editiones omisso *potestas*; HI ut editiones sed *Christus;* F: *in Christo secundum quod homo; dicitur autem sibi data esse potestas.*
ε) *resurrectionem.* – *tamen* addit tertia.
ζ) *potestatem esse datam.* – *potestatem datam* GI, *datam potestatem* Hbc, *datam omnem potestatem* P.
η) *creaturarum.* – Om. P.
θ) *eius.* – *ei conveniat miracula facere* PF.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus ut sonat, intelligendus est. – In corpore tria fiunt: primo, ponuntur duae distinctiones; secundo, ponuntur tres conclusiones; tertio, ex dictis conclusionibus respondetur quaesito negative.

Quoad primum, ponitur distinctio trimembris. Transmutationes sunt triplices: quaedam naturales; quaedam miraculosae; quaedam secundum vertibilitatem in nihil.

Altera distinctio est bimembris. Anima Christi sumitur dupliciter: vel secundum propriam virtutem, sive naturalem sive gratuitam; vel secundum quod est instrumentum Verbi Dei.

Quoad secundum, prima conclusio est: *Anima Christi, secundum propriam virtutem, habuit potentiam ad illos effectus faciendum qui sunt animae convenientes.* Haec conclusio non probatur, sed manifestatur quoad effectus tres: hoc est, gubernationem corporis; dispositionem humanorum actuum; et illuminationem omnium per gratiam et scientiam.

Secunda conclusio est: *Anima Christi, ut est instrumentum Verbi sibi personaliter uniti, habuit instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas ordinabiles ad incarnationis finem.* Et haec quoque conclusio non aliter probatur: sed manifestatur declarando incarnationis finem esse *instaurare omnia, sive quae in caelis sive quae in terris sunt;* quod consummabitur cum *nova fient omnia* *, et *Deus erit omnia in omnibus* **.

* *Apoc.* cap. xxi, vers. 5.
** I *ad Cor.*, cap. xv, vers. 28.

Tertia conclusio est: *Solus Deus potest creaturas in nihilum redigere.* Probatur. Quia solus potest creare et conservare: immutatio autem in nihil respondet creationi ex nihilo.

Principalis conclusio est: *Anima Christi non habet omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.* Et relinquitur clara, tanquam consequens ex antedictis conclusionibus.

II. Et scito quod primae duae conclusiones intelliguntur cum praecisione aliorum: puta quod, secundum propriam virtutem, habuit tantum potentiam ad gubernandum, etc.; et similiter, ut instrumentum Verbi, habuit potentiam ad illa tantum, et non ad annihilandum aut creandum. Nec hunc sensum oportet probare: quia distinctio ipsa in littera facta probat, et in littera huius quaestionis clare habetur, ut patet intuenti.

Sed si quaeritur quare Auctor non probavit primas conclusiones, respondeatur quod prima ex natura animae, et ex dictis de gratia Christi *, quod est caput hominum et angelorum, etc., per se nota relicta est. – Secunda autem sufficienter probata est ex fine monstrato. Quia instrumentum ductivum debet esse ad finem, commensuratumque illi: ut instrumentum tamen. Unde ex hoc ipso quod anima Christi est instrumentum proprium Verbi incarnati, et finis incarnationis est instauratio omnium, habetur statim quod anima Christi instrumentaliter potest ad omnia miracula opportuna ad instaurationem omnium.

* Qu. viii, art. 3, 4.

III. Nota diligentissime ut ex doctrina praesentis articuli discernas in speciali quid sub quoque membro contineatur, ut inde scias quid cadit sub instrumentali Christi potentia. Dico autem hoc specialiter, primo, propter infusionem gratiae gratum facientis, quam membra Ecclesiae habere a Christo capite effective instrumentaliter Auctor superius * dixit. Et hinc apparet non comprehendi sub mutationibus quae conveniunt creaturae secundum vertibilitatem in nihil. Quoniam, cum peccator perdit gratiam, constat gratiam non annihilari: cum Deus nunquam aliquid annihilet. Et consequenter patet quod gratiam poenitenti concedere non est creare, proprie loquendo. Et similiter Deum conservare gratiam in anima non est conservare continuans creationem, de quo dicitur * quod *omnia in nihilum redigerentur, nisi ea manus Omnipotentis conservaret.* Haec enim tria, scilicet creatio, conservatio et annihilatio, sibi invicem ita respondent ut creationi ac conservationi non opponatur nisi annihilatio, et e contra. Clauditur ergo infusio gratiae sub genere miraculosarum mutationum: quamvis non sit proprie miraculosa, quia est secundum ordinarium cursum ordinis supernaturalis ad patriam caelestem.

* Qu. viii, art. 1, ad 1. - Cf. ibid. Comment. num. iii.
* Greg. *Moral.* lib. XVI, cap. xxxvii, al. xvi; in vet. xviii.

Secundo dico hoc propter transubstantiationem panis in corpus Christi. Quoniam hoc quoque sub genere eodem continetur, scilicet immutationum miraculosarum: et non sub mutatione creationis. Quod ex eo patet quod creatio est ex nihilo, transubstantiatio autem est ex pane: creatio facit totum novum, transubstantiatio transfert quod erat in aliud praeexistens. Unde et sancti Patres, et specialiter Ambrosius arguit transubstantiationem possibilem ex creatione, tanquam magis difficili, dicens *: *Sermo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, multo magis facere potest ut sit quod erat in aliud transmutatum:* ut patet *de Consecr.*, dist. II, can. *Panis*, et can. *Revera*.

* *De Mysteriis*, cap. ix.

Et haec notata sint ut advertat lector haec posse fieri a Deo mediantibus instrumentis, et non solum immediate: sicut etiam fieri potest resurrectio mortuorum, et poni duo corpora in eodem loco, et quidquid eiusmodi est; quamvis requirat infinitam virtutem in agente principali.

IV. Circa doctrinam praesentis articuli dubium occurrit, pro quanto ponit in anima Christi virtutem instrumentalem ad omnia miracula. Est autem ratio dubii, quia vel Auctor intelligit de causa instrumentali proprie: vel large, pro causa *sine qua non*. Si proprie, obstat tunc et doctrina Auctoris, et Durandus. Nam Auctor superius in Prima Parte, qu. xlv, art. 5, docet instrumentum oportere, secundum id quod est sibi proprium, aliquid operari dispositive ad effectum principalis agentis. Constat autem quod anima Christi nihil operatur faciens ad effectum miraculi. Puta, cum dixit, *Lazare, veni foras* *, intellectio, volitio, imaginatio, vox cum clamore, nullum effectum ex propriis habuerunt circa cadaver aut animam Lazari: sed deitatis virtute anima reunita est corpori, concurrentibus illis actibus humanis Christi ut medio seu causa *sine qua non*. Et sic de aliis. – Et confirmatur. Quia in III *Sent.*, dist. xvi, qu. i, art. 3, Auctor dicit quod nec angelo nec animae Christi impressa est aliqua virtus spiritualis ad facienda miracula, nisi per modum orationis aut intercessionis.

* Ioan. cap. xi, vers. 43.

Durandus quoque, in III *Sent.*, dist. xiv, qu. ult., probare nititur quod humanitas Christi faciebat miracula nulla virtute supernaturali inhaerente animae aut corpori Christi, sed sola divina virtute assistente sibi: quia miracula faciebat Christus ad testificandam suam deitatem, sicut defectus subiit ad testificandam suam humanitatem; et propterea, sicut defectus omnes sunt humanitatis, ita miracula omnia sunt divinitatis.

Si vero large sumitur instrumentum, tunc obviat littera praesens, attribuendo animae Christi, ut instrumento Verbi, operationem omnium mutationum tam naturalium quam miraculosarum, et reservando soli Deo mutationes annihilationis et creationis. Nam, large de instrumento loquendo, potest oratione aut intercessione simili modo concurrere anima Christi ad creationem aut annihilationem sicut concurrit ad miracula.

Obviat quoque doctrina Auctoris in Qu. *de Potentia*, qu. vi, art. 4, dicentis angelos et homines, non solum oratione, sed ex potestate quandoque miracula facere, iuxta doctrinam Gregorii *. Et declarat potestatem illam esse per modum intentionis, seu motus, in ipsis angelis seu hominibus sanctis.

* *Dialog.* lib. II, cap. xxx, xxxi.

V. Ad evidentiam horum, sciendum est secundum Auctoris doctrinam indubitatum esse quod anima Christi instrumentaliter, non abusive, sed proprie loquendo de instrumento, concurrit ad miracula faciendum. Hoc autem quid sit, et qualiter fiat, accipi potest ex ipsa ratione agendi instrumenti. Instrumentum siquidem habet duplicem actionem, scilicet propriam, et instrumentalem: ut scindere est propria operatio serrae, facere vero sedem secando est ipsius operatio instrumentalis; et calefacere est propria

operatio caloris, augere vero animal est instrumentalis illius operatio. Et sicut instrumenti est operatio duplex, ita etiam est duplex quo operatur: alterum sibi proprium, ut dentatura ferrea et acuta serrae, qua scindit, et ipsa natura caloris, qua calidum calefacit; alterum a principali agente participatum, quo extenditur et facere dicitur principalem effectum. Et hoc est motus ipse quo instrumentum movetur a principali agente: ut testatur Auctor inferius, qu. LXII, art. 1, dicens: *Causa instrumentalis non agit per virtutem suae formae: sed solum per motum quo movetur a principali agente.* Qui quidem motus vocatur *virtus instrumentalis* quandoque; et quandoque *virtus intentionalis;* et *virtus spiritualis* quandoque. Eo quod est et motus rei quae assumitur in instrumentum: et ideo *motus.* Et constituit ipsum in esse factivo: et ideo *vis,* seu *virtus* (unde etiam, cum lapidem baculo moveo, baculus, ex hoc ipso quod utor eo, fit et est motor effective lapidis). Et quia diminuta quaedam mediatio est inter principale agens et effectum, deferens principale agens ad effectum, ideo *intentionalis.* Et quia insensibilis est, et ad spiritualem quandoque effectum, ideo *spiritualis.*

Et est sermo de illo instrumenti motu quo movetur ab agente principali ut sic. Quod ut clarius intelligas, considera in instrumentis artium duplicem potentiam: alteram ad motum localem; alteram ad cooperandum arti, exequendo operationem ipsius artis. Verbi gratia, instrumenta artis musicae sunt in potentia ut moveantur contactu digitorum: et sunt in potentia ut musicam sonent. Et constat quod de prima potentia reduci possunt ad actum a quocumque, sine arte, potente illa commovere: sed de secunda potentia non nisi ab arte reduci possunt ad actum. Cum autem movere nihil aliud sit quam educere de potentia ad actum, et moveri sit educi de potentia ad actum, clare constat quod instrumentum tunc movetur a principali agente cum educitur de secunda potentia ad actum, cum fit cooperans ipsi principali agenti, cum fit exequens operationem principalis agentis: quod fit per hoc quod principale agens, ut sic, utitur illo ad opus ipsius principalis agentis; puta cum ars musica utitur instrumento musico ad sonum musicum. Ipse enim usus est quidam ingressus artis in instrumenta: est quaedam actuatio instrumentorum. Et propterea oportet certae artis certa esse instrumenta: nunquam enim musica ingredietur instrumenta artis sutoris, aut e converso. Et propterea habet rationem vis et virtutis et intentionis artis, et ad genus eius reducitur.

VI. Ex quibus ad propositum ascendendo, dicimus quod Deus omnipotens, qui potest sine causis secundis cooperantibus effective miracula facere, dignatur quandoque illa efficere per causas secundas, non dando illis virtutes aliquas naturales aut gratuitas permanentes, sed utendo illis instrumentaliter ad opera miraculosa. Ita quod ex hoc ipso quod Deus utitur aliqua re ut instrumento ad opus miraculosum, elevatur res illa in ordinem causae instrumentalis; et ipse passivus usus quo Deus illa utitur ad hoc opus, est motus quo a principali agente instrumentum movetur; et ex hoc ipso est vis actuativa atque constitutiva ipsius in esse instrumenti, ac per hoc in esse causae effective instrumentaliter operis miraculosi. Reducitur enim res illa de potentia obedientiali ad actum, cum de non-instrumento fit instrumentum: quod fieri constat ex hoc solo quod Deus utitur illa instrumentaliter ad opus miraculosum. Quod non esse impossibile, constat: cum nulla sit ratio impossibilitatis. Et quandoque de facto sic fuisse,
* Loc. cit. Gregorii auctoritate patet, in II *Dialog.* *, ponentis sanctos ex potestate quandoque miracula facere. Et vere decet divinam liberalitatem elevare etiam in hoc quosdam amicos suos, ut etiam coeffectores miraculorum efficiat, et non solum benemeritos aut intercessores.

Et quia omnipotentia non est alligata certis instrumentis, locis aut propinquitatibus, ideo non refert quavis re utatur Deus instrumentaliter ad quodcumque miraculum. Nam, sicut potest sine instrumento opus illud perficere, ita potest non solum efficere per instrumentum, sed per quodcumque, et ubicumque existat, et quantumcumque distet. Neque enim minuitur aut arctatur omnipotentia divina ad limites instrumenti quod assumit: sed instrumentum elevatur ad omnipotentiae executionem in tali miraculo ad quod efficiendum ordinatur ab ipsa. Et propterea Auctor, in Secunda Secundae, qu. CLXXVIII, art. 1, ad 1, de his loquens, dicit quod *Deus utitur instrumentaliter interiori actu hominis, vel eius locutione, vel actu exteriori, vel contactu alicuius corporis, etiam mortui*: quamvis ego tunc minus perspicaciter textum illum exposuerim *; non enim illuxerat mihi quod modo trado. * Comment. num. II.

Et quoniam homo Christus Iesus plenitudinem omnium gratiarum habuit, consequens est ut anima sua, quatenus divini Verbi instrumentum non qualecumque, sed coniunctum, omnia possit miraculosa opera efficere. Nec opus est quaerere alium modum, aut quid et qualiter, nisi quod Verbum utatur instrumentaliter anima seu humanitate coniuncta sibi ad opera miraculosa. Applicando enim dicta ad Verbum et humanitatem Christi, perspicies quae dicimus, quae in hac littera ab Auctore traduntur.

VII. Dicendum est ergo ad quaestionem * quod de instrumento proprie loquitur Auctor: et hic, et in Secunda * Num. IV.
Secundae, loco allegato *, et in Prima Parte. Et ad obie- * Num. VI.
ctionem ex doctrina Primae Partis, respondetur quod ad instrumentum exigitur quod habeat propriam operationem, ultra illam quam participat a principali agente; et quod operatio propria sit praesupposita operationi participatae, ita quod prius intelligatur propria operatio terminari ad illud in quod tenditur, quam operatio participata, sicut praesuppositum prius intelligitur quam iunctum illi. Et huiusmodi praeviam operationem appellavit Auctor *operari dispositive*: non quod oporteat illam operationem proprie disponere. – Nec hanc ego fingo glossam: sed ex ipso Auctore inferius, in qu. LXII *, accepi, ubi, baptismum in- * Art. 1, ad 2.
strumentalem causam ponens, expresse docet sufficere ut aqua secundum propriam operationem corpus tangat diluendo, ad hoc ut participata operatione animam abluat.

Et hoc sufficit proposito, et intento in Prima Parte. Quia per hoc concluditur efficaciter quod nulla creatura potest instrumentaliter creare: quia nulla potest propriam operationem, praeviam creationi, circa creandum ponere, cum nihil sit, ut ibi dicitur. In proposito autem, cum Deus utitur creatura aliqua instrumentaliter ad opus miraculosum, opus proprium illius creaturae se habet ut praevium operi miraculoso: quia se habet ut praesentans seu deferens divinum imperium ad creaturam in qua fit opus miraculosum, ut Auctor docuit in loco allegato in Qu. *de Potentia.*

VIII. Et hoc esse verum ex eo coniicere potes, quia hinc utriusque difficultatis * solutio habetur: hoc est, quare * Num. IV, *Si vero.*
operari miracula per modum meriti seu intercessionis, et ex potestate seu instrumentaliter, distinguuntur, etiam si solus actus interior instrumentum ponatur; et quare opus creationis inter miraculosa non computatur. Prima siquidem quaestio solvitur ex hoc quod tam meritum quam oratio, ut sic, praecedit actionem divinam ad miraculum: actus vero quicumque, etiam interior, etiam ipsa oratio, non ut oratio sed ut instrumentum Dei, sequitur divinam actionem ut illius executio; ita quod, ex hoc ipso quod Deus elevat illum in suum instrumentum ad opus miraculosum, fit executorius divini imperii, tanquam deferens, ut dictum est *, illud creaturae in qua miraculum fit. * Num. VII.
Quando igitur sanctorum actus aut opera solum meritorie aut intercessorie se habent ad miracula, tunc dicuntur facere miracula impetrando, quae Deus per seipsum facit. Quando vero actus aliquis se habet ut exequens divinum imperium, cui omnia obediunt, tunc dicuntur operari miracula ex potestate: instrumentali tamen, ut Auctor declaravit *. * *De Pot.*, loc. cit.

Secundae autem quaestionis solutio ex hoc habetur, quia delatio imperii non potest fieri ad nihil. Oportet enim ens esse ad quod executive delatio imperii fit: ad nihil namque nihil potest deportari.

Ad id vero quod ex III *Sent.* affertur *, dici potest vel * Num. IV, in fin. primi parag.
quod Auctor, doctior seipso, correxit illud. – Vel quod sub modo intercessionis vel orationis comprehendit etiam

modum instrumentalem: quia conveniunt in hoc generali modo, quod non sunt de genere permanentium, sed consistentium in motu.

Et per haec patet intellectus infinitorum dictorum de instrumentali efficientia attributa humanitati Christi, vel passioni, vel sacramentis Ecclesiae, et aliis huiusmodi.

IX. In responsione ad secundum eiusdem secundi articuli decimaetertiae quaestionis, adverte quod hic Auctor assertive dicit animam Christi, ut instrumentum Verbi, posse in omnes mutationes quas quaecumque creaturae possunt facere. Quod in III *Sent.* * non nisi credendo dixit. [* Dist. xiv, art. 4.]

X. In responsione ad tertium, memento gratiam Christi esse non solum singularem, sed capitalem, ita quod homini illi ut universali capiti convenit. Ac per hoc, gratia miraculorum ut universali instrumento confertur duplici universalitate: hoc est, universalitate miraculorum, quia poterat omnia miracula instrumentaliter efficere; et universalitate generationis sibi similium, participative tamen, quia poterat instrumentaliter efficere alios homines cooperatores miraculorum ex potestate instrumentali quoque participata, ut Evangelico testimonio in littera allato probatur. Nam, sicut Verbum potest uti humanitate sibi iuncta ad faciendum miracula, ita, et eadem ratione, potest illa uti ad communicandum aliis potestatem faciendi miracula. Est siquidem huiusmodi communicatio miraculum quoddam comprehensum sub universalitate miraculorum.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM ANIMA CHRISTI HABUERIT OMNIPOTENTIAM RESPECTU PROPRII CORPORIS

III *Sent.*, dist. XVI, qu. 1, art. 3.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod anima Christi habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis. Dicit enim Damascenus, in III libro * [* De Fide Orth., lib. III, cap. xx.], quod *omnia naturalia fuerunt Christo voluntaria: volens enim esurivit, volens sitivit, volens timuit, volens mortuus est* ^α^. Sed ex hoc Deus dicitur omnipotens quia *omnia* ^β^ *quaecumque voluit, fecit* * [* Ps. cxiii, vers. 11; al. Ps. cxiii, b, vers. 3.]. Ergo videtur quod anima Christi habuit omnipotentiam respectu naturalium operationum proprii corporis.

2. PRAETEREA, in Christo fuit perfectius humana natura quam in Adam: in quo, secundum originalem iustitiam quam habuit in statu innocentiae, corpus habebat omnino subiectum animae, ut nihil in corpore posset accidere contra animae voluntatem. Ergo multo magis anima Christi habuit omnipotentiam respectu sui corporis.

3. PRAETEREA, ad imaginationem animae naturaliter corpus immutatur; et tanto magis, quanto anima fuerit fortioris ^γ^ imaginationis; ut in Prima Parte * [* Qu. cxvii, art. 3, ad 2, 3.] habitum est. Sed anima Christi habuit virtutem perfectissimam, et quantum ad imaginationem, et quantum ad alias vires. Ergo anima Christi fuit omnipotens in respectu ad corpus proprium.

SED CONTRA EST quod dicitur *Heb.* II * [* Vers. 17.], quod *debuit per omnia fratribus assimilari:* et praecipue in his quae pertinent ad conditionem humanae naturae. Sed ad conditionem humanae naturae pertinet quod valetudo corporis, et eius nutritio et augmentum, imperio rationis, seu voluntati ^δ^, non subdantur: quia naturalia soli Deo, qui est auctor naturae, subduntur. Ergo nec in Christo subdebantur. Non igitur anima Christi fuit omnipotens respectu proprii corporis.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est * [* Art. praeced.], anima Christi potest dupliciter considerari. Uno modo, secundum propriam virtutem et naturam. Et hoc modo, sicut non poterat immutare exteriora corpora a ^ε^ cursu et ordine naturae, ita etiam non poterat immutare proprium corpus a naturali dispositione: quia anima ^ζ^, secundum propriam naturam, habet determinatam proportionem ad suum corpus.

Alio modo potest considerari anima ^η^ Christi secundum quod est instrumentum unitum Verbo Dei in persona. Et sic subdebatur eius potestati totaliter omnis dispositio proprii corporis. Quia tamen virtus actionis non proprie attribuitur instrumento, sed principali agenti, talis omnipotentia attribuitur magis ipsi Verbo Dei quam animae Christi.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod verbum Damasceni est intelligendum quantum ad voluntatem divinam Christi. Quia, sicut ipse in praecedenti capitulo * [* Cap. xix. - Cf. cap. xiv, xv.] dicit, *beneplacito divinae voluntatis permittebatur carni pati et operari quae propria.*

AD SECUNDUM DICENDUM quod non pertinebat hoc ad originalem iustitiam quam Adam habuit in statu innocentiae, quod anima hominis haberet virtutem transmutandi corpus proprium in quamcumque formam: sed quod posset ipsum conservare absque nocumento ^θ^. Et hanc etiam virtutem Christus assumere potuisset, si voluisset. Sed, cum sint tres status hominum, scilicet innocentiae, culpae et gloriae; sicut de statu gloriae assumpsit comprehensionem, et de statu innocentiae immunitatem a peccato, ita et de statu culpae assumpsit necessitatem subiacendi poenalitatibus huius vitae, ut infra * dicetur. [* Qu. xiv, art. 2.]

AD TERTIUM DICENDUM quod imaginationi, si fortis fuerit, naturaliter obedit corpus quantum ad aliqua. Puta quantum ad casum de trabe in alto posita; quia imaginatio nata est esse principium motus localis, ut dicitur in III *de Anima* *. [* Cap. ix, n. 5; cap. x, n. 1. - S. Th. lect. ix, x.] Similiter etiam quantum ad alterationem quae est secundum calorem et frigus, et alia consequen-

---

α) *est.* – *etc.* addit tertia.
β) *ex hoc... omnia.* – Tertia; *ex hoc dicitur omnipotens quia anima* (*quia omnia* ed. *a*) *illa.*
γ) *anima fuerit fortioris.* – *magis anima fuerit fortis* tertia.
δ) *seu voluntati.* – *voluntatis* G, om. I, *seu voluntatis* F et cetera tertia; pro *subdantur, subdatur* tertia praeter P.
ε) *a.* – F et tertia; *contra* cum ablativo sE, om. ceteri.
ζ) *anima.* – Tertia; *anima Christi.*
η) *anima.* – Tertia; *scilicet anima.*
θ) *nocumento.* – *omni nocumento* tertia.

tia: eo quod ex imaginatione consequenter natae sunt consequi passiones animae, secundum quas movetur cor, et sic per commotionem spirituum totum corpus alteratur. Aliae vero dispositiones corporales, quae non habent naturalem ordinem ad imaginationem, non transmutantur ab imaginatione, quantumcumque sit fortis: puta figura manus vel pedis, vel aliquid simile.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore unica distinctio bimembris repetitur; et duabus conclusionibus, iuxta duo distinctionis membra, respondetur.

Distinctio est de anima Christi: secundum propriam virtutem; vel secundum quod est instrumentum Verbi.

Prima conclusio est: *Anima Christi, secundum propriam virtutem, non habuit omnipotentiam respectu proprii corporis.* Probatur ex similitudine proportionali: quia, sicut non poterat exteriora corpora immutare propria virtute, ita nec proprium. – Et probatur ratione: quia anima Christi habebat determinatam proportionem ad suum corpus; ac per hoc, non omnia, sed aliquid determinatum poterat respectu sui corporis.

Secunda conclusio est: *Anima Christi, ut instrumentum Verbi, habuit omnipotentiam respectu proprii corporis.* Haec conclusio non aliter probatur, sed ex praecedenti articulo ut clara relinquitur. Et hoc intellige sobrie: hoc est, de omnipotentia respectu et naturalium et miraculosarum transmutationum; non respectu conservationis ex nihilo aut annihilationis, ut in praecedenti articulo determinatum est.

Subdit tamen Auctor unde possis Doctorum dicta intelligere absque dictae conclusionis praeiudicio: quod scilicet haec omnipotentia attributa invenitur magis Verbo Dei quam animae Christi; in tantum ut invenias forte negatam ab anima Christi, et attributam Verbo. Quia virtus actionis factiva principali agenti attribuitur simpliciter: instrumento autem, ignoto praesertim, aut non attribuitur, aut etiam aufertur.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM ANIMA CHRISTI HABUERIT OMNIPOTENTIAM RESPECTU EXECUTIONIS PROPRIAE VOLUNTATIS

Infra, qu. XXI, art. 1, ad 1.



AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod anima Christi non habuerit omnipotentiam respectu executionis propriae voluntatis. Dicitur enim Marc. VII * quod, *ingressus domum, neminem voluit scire: sed* [α] *non potuit latere.* Non ergo potuit exequi in omnibus propositum suae voluntatis. (* Vers. 24.)

2. PRAETEREA, praeceptum est signum voluntatis, ut in Prima Parte * dictum est. Sed Dominus quaedam facienda praecepit quorum contraria acciderunt: dicitur enim Matth. IX * quod caecis illuminatis *comminatus est Iesus, dicens, Videte ne aliquis sciat: illi autem egressi* [β] *diffamaverunt illum per totam terram illam.* Non ergo in omnibus potuit exequi propositum suae voluntatis. (* Qu. XIX, art. 12. — * Vers. 30, 31.)

3. PRAETEREA, id quod aliquis potest facere, non petit ab alio. Sed Dominus petivit a Patre, orando, illud quod fieri volebat: dicitur enim Luc. VI * quod *exivit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.* Ergo non potuit exequi in omnibus propositum suae voluntatis. (* Vers. 12.)

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in libro *de Quaest. Nov. et Vet. Test.* *: *Impossibile est ut Salvatoris voluntas non impleatur: nec potest velle quod scit fieri non debere.* (* Qu. LXXVII. - Inter. Opp. Aug.)

RESPONDEO DICENDUM quod anima Christi dupliciter aliquid voluit. Uno modo, quasi per se implendum. Et sic, dicendum est quod quidquid voluit, potuit. Non enim conveniret sapientiae eius ut aliquid vellet per se facere quod suae voluntati [γ] non subiaceret. Alio modo voluit aliquid ut implendum virtute divina: sicut resuscitationem [δ] proprii corporis, et alia huiusmodi miraculosa opera. Quae quidem non poterat propria virtute: sed secundum quod erat instrumentum divinitatis, ut dictum est *. (* Art. 2.)

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, in libro *de Quaest. Nov. et Vet. Test.* *, *quod factum est, hoc voluisse dicendus est Christus. Advertendum est enim quod illud in finibus gestum est gentilium, quibus adhuc tempus praedicandi non erat. Ultro* [ε] *tamen venientes ad fidem non suscipere invidiae erat. A suis ergo noluit praedicari: requiri autem se voluit. Et ita factum est.* (* Loc. cit.)

Vel potest dici quod haec voluntas Christi non fuit de eo quod per eum fiendum erat, sed de eo quod erat fiendum per alios: quod non subiacebat humanae voluntati ipsius. Unde in Epistola Agathonis Papae *, quae est recepta in Sexta Synodo *, legitur: *Ergone ille omnium Conditor ac Redemptor, in terris latere volens, non potuit: nisi hoc ad humanam eius voluntatem, quam temporaliter dignatus est assumere, redigatur?* (* *Ad Imperatores.* — * Concil. Constantinopol. III, act. IV.)

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut dicit Gregorius, XIX *Moral.* *, per hoc quod Dominus praecepit taceri virtutes suas, *servis suis se sequentibus exemplum dedit, ut ipsi quidem virtutes suas occultari desiderent, et tamen, ut alii eorum exemplo proficiant, prodantur inviti.* Sic ergo praeceptum illud designabat voluntatem ipsius qua [ζ] humanam gloriam refugiebat, secundum illud (* Cap. XXIII, al. XIV; in vet. XVIII.)

α) *sed.* – *et* tertia praeter I qui om. *sed... latere.*
β) *egressi.* – *exeuntes* tertia.
γ) *voluntati.* – *virtuti* F et tertia.
δ) *resuscitationem.* – *resuscitationis* P.
ε) *Ultro.* – PGH*a*; *Ultimo* FI*bc*, *Ultra* ceteri.
ζ) *qua.* – *qui* F, *quia* P.

* Vers. 50. Ioan. VIII *: *Ego gloriam meam non quaero.* Volebat tamen absolute, praesertim secundum divinam voluntatem, ut publicaretur miraculum factum, propter aliorum utilitatem.

Ad tertium dicendum quod Christus orabat etiam pro his quae virtute divina fienda erant: et pro his etiam quae humana voluntate erat facturus. Quia virtus et operatio animae Christi dependebat a Deo, *qui operatur in omnibus* η *velle et perficere,* ut dicitur *Philipp.* II *. η * Vers. 13.

η) *omnibus.* – *nobis* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est intelligentibus terminos. Ille enim dicitur omnipotens respectu executionis propriae voluntatis qui potest exequi quidquid vult exequi, ita quod potentia executiva aequiparatur in illo voluntati executionis.

In corpore est una distinctio bimembris, cum duabus conclusionibus responsivis quaesito, iuxta membra distinctionis. Distinctio est. Voluntas Christi dupliciter aliquid voluit: vel per seipsum exequendum; vel per virtutem divinam. – Ubi nota quod ly *per seipsum* significat per propriam virtutem, naturalem vel gratuitam, immanentem scilicet in ipso: ita quod distinguitur hoc membrum contra illa quae poterat Christus per virtutem instrumentalem, ut patet in littera. Sumitur siquidem hic *per seipsum* sicut in secundo articulo sumptum est *per propriam virtutem:* utrobique enim contra virtutem instrumentalem distinctio fit, ut patet in littera.

Prima ergo conclusio est: *Anima Christi quidquid voluit per seipsum exequendum, potuit.* Probatur. Quia dedeceret sapientiam suam ut aliquid vellet per seipsum efficere quod non subiaceret virtuti suae *. * Cf. not. γ.

Secunda conclusio est: *Anima Christi quidquid voluit efficiendum divina virtute, potuit instrumentaliter, et non propria virtute:* ut patet de operibus miraculosis.

II. In responsione ad primum, perspice, ex secunda responsione, quod distinctio in corpore articuli posita non fuit comprehensiva omnium quae Christi humana voluntas voluit fieri. Quoniam sub neutro membro comprehenduntur quae Christus voluit per alios homines fieri, quae non subiacebant potestati eius naturali aut gratuitae, cuius executio ad humanam spectabat voluntatem. Sed comprehendit omnes modos quibus anima Christi potest dici omnipotens respectu executionis propriae voluntatis: scilicet respectu exequendorum per ipsum; et exequendorum instrumentaliter tantum per ipsum, Deo principaliter operante. Respectu siquidem reliquorum non ponitur omnipotens: iuxta hanc secundam responsionem, auctoritate Agathonis firmatam.

III. Sed dubio non caret haec secunda responsio: quomodo verificetur quod Christus voluerit humana voluntate aliquid fieri per alios homines, et non potuerit facere quod sic fieret; cum minus pie sonare hoc videatur.

Posset dici quod verificatur de voluntate antecedente: non consequente. – Sed haec responsio non consonat Agathoni. Quia hoc commune est voluntati tam divinae quam humanae, ut contra voluntatem antecedentem agatur. Sententia autem Agathonis secundum differentiam inter divinam et humanam voluntatem, in hoc quod divina *quaecumque voluit fecit* *, humana autem aliquid vult et non potest, procedit: ut patet in littera. * Ps. CXIII, vers. 11; al. Ps. CXIII, *b*, vers. 3.

IV. Dicendum est ergo quod non inconvenit Christum humana voluntate vere voluisse aliquid per aliquos operandum vel non operandum, cuius oppositum factum est. Puta, potuit velle quod aliquis non peccaret, desiderando quod ille non offenderet Deum, et tamen ille peccabat, Christo non permittente secundum humanam voluntatem: quia non erat in potestate virtutis eius cohibere peccatum contra peccantis voluntatem. Et est sermo de Christo homine secundum propriam virtutem. Et hoc modo Agathon dicit quod voluit latere et non potuit, scilicet secundum propriam virtutem. Potuisset tamen secundum instrumentalem virtutem. – Nec haec minus pie sonant, apud discernentes inter subiacentia et non subiacentia Christo homini secundum propriam virtutem, quam quod decuerint humanam Christi voluntatem recta desideria etiam sine opere.

V. In responsione ad secundum, optime uteris distinctione inter voluntatem antecedenter, vel absolute: attribuendo praecepta taciturnitatis voluntati etiam humanae Christi antecedenter. Volebat siquidem, quantum ex se erat, gloriam fugere: et hanc voluntatem praecepto taciturnitatis significabat. Nolebat tamen absolute, hoc est, omnibus consideratis, taceri. Et ideo non peccabant publicantes illa miracula.

VI. In responsione ad tertium, considera quanta sit necessitas orandi: cum etiam ad ipsa opera quae Christus sciebat se facturum, orationis medium adhiberet; ea ratione, quia orationes causae mediae sunt ad operanda et consequenda; sine causis autem mediis velle effectus stulti est, sicut velle colligere frumenta sine seminatione.



QUAESTIO DECIMAQUARTA

DE DEFECTIBUS CORPORIS QUOS CHRISTUS IN HUMANA NATURA ASSUMPSIT

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. VII, Introd. DEINDE considerandum est de defectibus quos Christus in humana natura assumpsit *. Et primo, de defectibus corporis; secundo, de defectibus animae *. * Qu. XV.

Circa primum quaeruntur quatuor.

Primo: utrum Filius Dei assumere debuerit in humana natura corporis defectus.

Secundo: utrum assumpserit necessitatem his defectibus subiacendi.

Tertio: utrum hos defectus contraxerit.

Quarto: utrum omnes huiusmodi defectus assumpserit.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM FILIUS DEI DEBUERIT ASSUMERE NATURAM HUMANAM CUM CORPORIS DEFECTIBUS

III *Sent.*, dist. XV, qu. I, art. 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LIII, LV; *Compend. Theol.*, cap. CCXXVI.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Filius Dei non debuit assumere naturam humanam cum corporis defectibus. Sicut enim anima unita est Verbo Dei personaliter, ita et corpus. Sed anima Christi habuit omnimodam perfectionem, et quantum ad gratiam et quantum ad scientiam, ut supra * dictum est. Ergo etiam corpus eius [α] debuit esse omnibus modis perfectum, nullum in se habens defectum. * Qu. VII, art. 9; qu. IX sqq.

2. PRAETEREA, anima Christi videbat Verbum Dei ea visione qua beati vident, ut supra * dictum est: et sic anima Christi erat beata. Sed ex beatitudine animae glorificatur corpus: dicit enim Augustinus, in Epistola *ad Dioscorum* *: *Tam potenti natura Deus fecit animam ut ex eius plenissima beatitudine redundet etiam in inferiorem naturam, quae est corpus, non beatitudo, quae fruentis et intelligentis est propria, sed plenitudo sanitatis, idest incorruptionis vigor.* Corpus igitur Christi fuit incorruptibile, et absque omni defectu. * Qu. IX, art. 2. * Ep. CXVIII, al. LVI, cap. III.

3. PRAETEREA, poena consequitur culpam. Sed in Christo non fuit aliqua culpa: secundum illud I Pet. II *: *Qui peccatum non fecit.* Ergo nec defectus corporales, qui sunt poenales, in eo esse debuerunt. * Vers. 22.

4. PRAETEREA, nullus sapiens assumit id quod impedit illum a proprio fine. Sed per huiusmodi defectus corporales multipliciter videtur impediri finis incarnationis. Primo quidem, quia propter huiusmodi infirmitates homines ab eius cognitione impediebantur: secundum illud Isaiae LIII *: *Desideravimus eum; despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem, et quasi absconditus est* [β] *vultus eius et despectus; unde nec reputavimus eum.* Secundo, quia sanctorum Patrum desiderium non videtur impleri, ex quorum persona dicitur Isaiae LI *: *Consurge, consurge, induere fortitudinem, Brachium Domini.* Tertio, quia congruentius per fortitudinem quam per infirmitatem videbatur potestas diaboli posse superari, et humana infirmitas posse sanari. Non ergo videtur conveniens fuisse quod Filius Dei humanam naturam assumpserit cum corporalibus infirmitatibus sive defectibus. * Vers. 2, 3. * Vers. 9.

SED CONTRA EST quod dicitur *Heb.* II *: *In eo in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis qui tentantur auxiliari.* Sed ad hoc venit ut nos adiuvaret: unde et David dicebat *: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Ergo conveniens fuit quod Filius Dei carnem assumpserit [γ] humanis infirmitatibus subiacentem, ut in ea posset pati et tentari, et sic auxilium nobis ferre. * Vers. 18. * Ps. CXX, vers. 1.

RESPONDEO DICENDUM conveniens fuisse corpus assumptum a Filio Dei humanis infirmitatibus et defectibus subiacere: et praecipue propter tria. Primo quidem, quia ad hoc Filius Dei, carne assumpta, venit in mundum, ut pro peccato humani generis satisfaceret. Unus autem pro peccato alterius satisfacit dum poenam peccato alterius debitam in seipsum suscipit. Huiusmodi autem defectus corporales, scilicet mors, fames et sitis, et huiusmodi, sunt poena peccati, quod est in mundum per Adam introductum: secundum illud *Rom.* V *: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors.* Unde conveniens fuit, quantum ad finem incarnationis, quod huiusmodi poenalitates in nostra * Vers. 12.

α) *corpus eius.* – FsC et tertia; *et corpus eius* E, *ipsum corpus* ante *omnibus* ed. *a*, om. ceteri.

β) *est.* – Om. P.

γ) *assumpserit.* – *assumeret* D, *assumpserat* E.

carne [δ] susciperet, vice nostra: secundum illud Isaiae LIII *: *Vere languores nostros ipse tulit.* * Vers. 4.

Secundo, propter fidem incarnationis adstruendam. Cum enim natura humana non aliter esset nota hominibus nisi prout huiusmodi corporalibus defectibus subiacet [ε], si sine his defectibus Filius Dei naturam humanam assumpsisset, videretur non fuisse verus homo, nec veram carnem habuisse, sed phantasticam: ut Manichaei dixerunt. Et ideo, ut dicitur *Philipp.* II *, *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo.* Unde et Thomas [ζ] per aspectum vulnerum ad fidem est revocatus, ut dicitur Ioan. XX *. * Vers. 7. * Vers. 26 sqq.

Tertio, propter exemplum patientiae, quod nobis exhibet passiones et defectus humanos fortiter tolerando. Unde dicitur *Heb.* XII *: *Sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut non fatigemini, animis vestris deficientes.* * Vers. 3.

Ad primum ergo dicendum quod satisfactio pro peccato alterius habet quidem quasi materiam poenas quas aliquis pro peccato alterius sustinet: sed pro principio habet habitum animae ex quo inclinatur ad volendum satisfacere pro alio, et ex quo satisfactio efficaciam habet; non enim esset satisfactio efficax nisi ex caritate procederet, ut infra * dicetur. Et ideo oportuit animam Christi perfectam esse quantum ad habitus scientiarum et virtutum, ut haberet facultatem satisfaciendi: et quod corpus eius subiectum esset infirmitatibus, ut ei satisfactionis materia non deesset. * Cf. *Supplem. Tert. Part.*, qu. XIV, art. 2.

Ad secundum dicendum quod, secundum naturalem habitudinem quae est inter animam et corpus, ex gloria animae redundat gloria ad corpus: sed haec naturalis habitudo in Christo subiacebat voluntati divinitatis ipsius, ex qua factum est ut beatitudo remaneret in anima et non derivaretur ad corpus, sed caro pateretur quae conveniunt naturae passibili; secundum illud quod dicit Damascenus *, quod *beneplacito divinae voluntatis permittebatur carni pati et operari quae propria.* * *De Fide Orth.*, lib. III, cap. XIX. – Cf. cap. XIV, XV.

Ad tertium dicendum quod poena semper sequitur culpam, actualem vel originalem, quandoque quidem eius qui punitur; quandoque autem alterius, pro quo ille qui patitur poenas satisfacit. Et sic accidit in Christo: secundum illud Isaiae LIII *: *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra.* * Vers. 5.

Ad quartum dicendum quod infirmitas assumpta a Christo non impedivit finem incarnationis, sed maxime promovit, ut dictum est *. Et quamvis per huiusmodi infirmitates absconderetur eius divinitas, manifestabatur tamen humanitas, quae est via ad divinitatem perveniendi, secundum illud *Rom.* V *: *Accessum habemus ad Deum per Iesum Christum.* – Desiderabant autem antiqui Patres in Christo, non quidem fortitudinem corporalem, sed spiritualem, per quam et diabolum vicit et humanam infirmitatem sanavit. * In corpore. * Vers. 1, 2.

δ) *carne.* – *natura* F et tertia.
ε) *subiacet.* – *subiaceret* BDFpG et *a.*
ζ) *Thomas.* – *beatus Thomas* H et editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus articuli clarus est. – In corpore unica est conclusio: *Conveniens fuit corpus assumptum a Filio Dei defectibus subiacere.* Probatur tripliciter: primo, ex fine incarnationis; secundo, ex fidei susceptione; tertio, ex exemplaritate patientiae. Et omnia clara sunt in littera.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CHRISTUS EX NECESSITATE DEFECTIBUS CORPORIS SUBIACUERIT

Supra, qu. XIII, art. 3, ad 2; infra, qu. XV, art. 5, ad 1; III *Sent.*, dist. XVI, qu. I, art. 2.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Christus non ex necessitate his defectibus subiacuerit. Dicitur enim Isaiae LIII *: *Oblatus est quia ipse voluit:* et loquitur de oblatione ad passionem. Sed voluntas opponitur necessitati. Ergo Christus non ex necessitate subiacuit corporis [α] defectibus. * Vers. 7.

2. Praeterea, Damascenus dicit, in III libro *: *Nihil coactum in Christo consideratur* [β], *sed omnia voluntaria.* Sed quod est voluntarium, non est necessarium. Ergo huiusmodi defectus non fuerunt ex necessitate in Christo. * *De Fide Orth.*, lib. III, cap. XX.

3. Praeterea, necessitas infertur ab aliquo potentiori. Sed nulla creatura est potentior quam anima Christi, ad quam pertinebat proprium corpus conservare. Ergo huiusmodi defectus seu infirmitates non fuerunt in Christo ex necessitate.

Sed contra est quod Apostolus dicit, *Rom.* VIII *: *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati.* Sed conditio carnis peccati est quod habeat necessitatem moriendi, et sustinendi alias huiusmodi passiones. Ergo talis necessitas sustinendi hos defectus fuit in carne Christi. * Vers. 3.

Respondeo dicendum quod duplex est necessitas. Una quidem coactionis, quae fit ab agente extrinseco. Et haec quidem necessitas contrariatur et naturae et voluntati, quorum utrumque est principium intrinsecum. – Alia autem est ne-

α) *corporis.* – *corporalibus* tertia.
β) *consideratur.* – Tertia; *consideretur.*

cessitas naturalis, quae consequitur principia naturalia: puta formam, sicut necessarium est ignem calefacere; vel materiam, sicut necessarium est corpus ex contrariis compositum dissolvi.

Secundum igitur hanc necessitatem quae consequitur materiam, corpus Christi subiectum fuit necessitati mortis *, et aliorum huiusmodi defectuum. Quia, sicut dictum est *, *beneplacito divinae voluntatis Christi carni permittebatur agere et pati quae propria:* haec autem necessitas causatur ex principiis humanae carnis, ut dictum est.

* D. 904.
* Art. praeced., ad 2, ex Damasc.

Si autem loquamur de necessitate coactionis secundum quod repugnat naturae corporali, sic iterum corpus Christi, secundum conditionem propriae naturae, necessitati subiacuit et clavi perforantis et flagelli percutientis. – Secundum vero quod necessitas talis repugnat voluntati, manifestum est quod in Christo non fuit necessitas horum defectuum, nec per respectum ad voluntatem divinam; nec per respectum ad voluntatem humanam Christi absolute, prout sequitur rationem deliberativam γ; sed solum secundum naturalem motum voluntatis, prout scilicet naturaliter refugit mortem et corporis nocumenta. γ

Ad primum ergo dicendum quod Christus dicitur *oblatus quia voluit,* et voluntate divina, et voluntate humana deliberata *: licet mors esset contra naturalem motum voluntatis humanae, ut dicit Damascenus *.

* D. 905.
* *De Fide Orth.*, lib. III, cap. xxiii, xxiv.

Ad secundum patet responsio ex dictis *.

* In corpore.

Ad tertium dicendum quod nihil fuit potentius quam anima Christi absolute: nihil tamen prohibet aliquid fuisse potentius quantum ad hunc effectum; sicut clavus ad perforandum. Et hoc dico secundum quod anima Christi consideratur secundum propriam naturam et virtutem.

γ) *deliberativam.* – *deliberantem* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus intelligendus est ut iacet. – In corpore duo fiunt: primo, ponitur una distinctio bimembris, cum conditionibus membrorum, et multiplicitate utriusque; secundo, respondetur quaesito tribus conclusionibus.

Distinctio est. Necessitas est duplex: coactionis, vel naturalis. Conditio necessitatis coactionis est quod est ab extrinseco. Multiplicitas eius est quod contrariatur quandoque naturae, quandoque voluntati: quia tam natura quam voluntas est principium intrinsecum, illa autem est ab extrinseco. – Conditio necessitatis naturalis est quod consequitur principium naturale. Multiplicitas eius est quia vel consequitur formam, vel materiam,

Prima conclusio est: *Corpus Christi, secundum necessitatem naturalem consequentem materiam, subiectum fuit necessitati mortis, et aliorum huiusmodi defectuum.* Probatur. Carni Christi permittebatur agere et pati quae erant propria. Sed necessitas horum defectuum causatur ex propriis carnis. Ergo.

Secunda conclusio est: *Corpus Christi, secundum conditionem propriae naturae, subiacuit necessitati coactionis repugnantis naturae corporali:* ut patet de clavo perforante et flagello percutiente.

Tertia conclusio est: *In Christo non fuit necessitas coactionis repugnantis voluntati divinae aut humanae absolute, sed solum secundum naturalem motum voluntatis.* Haec conclusio non aliter probatur, sed ex declaratione terminorum relinquitur evidens apud theologos. Declaratur siquidem voluntas *absolute,* hoc est, consequens rationem deliberantem: et *naturalis,* prout naturaliter refugit mortem corporisque nocumenta.

II. Ubi nota primo quod, apud Auctorem hic, deliberatio est actus rationis. Et voluntas dicitur deliberata denominative a ratione deliberante: et causaliter, quia consequitur rationem deliberantem. Quae scilicet ratio, omnibus consideratis, concludit aliquid esse malum vel bonum, fugiendum vel prosequendum: et sequitur motus voluntatis conformis tali rationi, appetens vel fugiens, qui vocatur voluntas deliberata.

Naturalis autem voluntas vocatur motus ille voluntatis qui consequitur rationem apprehendentem bonum vel malum, non consideratis omnibus circumstantiis, sed ipsum nudum obiectum bonum, puta vitam, sanitatem, vel malum, puta mortem, infirmitatem, flagellari, et huiusmodi. Ad huiusmodi enim apprehensionem sequitur naturaliter motus voluntatis volens bonum vel nolens malum.

Et tamen, ut dictum est, superaddita rationi consideratione circumstantiarum, puta mori propter bonum virtutis, sequitur in voluntate motus volitionis respectu mali, puta mortis propter iustitiam, et nolitionis respectu boni, puta vitae cum detrimento virtutis. Renuit siquidem vivere cum defectu, etiam negativo, talis actus virtutis, puta redemptionis humanae.

III. In responsione ad tertium, vide quod Auctor necessitatem coactionis contrariae corpori, quam in corpore articuli respectu corporis Christi posuit, hic extendit etiam ad animam Christi secundum propriam naturam et virtutem. Quia superius * dictum est quod anima Christi, secundum propriam naturam et virtutem, non poterat mutare naturalem cursum rerum: secundum quem constat clavum esse potentiorem ad perforandum carnem humanam quam anima sit potens servare corpus illaesum a perforatione; quoniam hoc non sine miraculo fieret. Et hoc est quod littera docet.

* Qu. xiii, art. 3.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM CHRISTUS DEFECTUS CORPORALES CONTRAXERIT

III *Sent.*, dist. xv, qu. i, art. 3; dist. xxi, qu. i, art. 2; *Compend. Theol.*, cap. ccxxvi.



AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus defectus corporales contraxit. Illud enim contrahere dicimur quod simul cum natura ex origine trahimus [α]. Sed Christus simul cum natura humana defectus et infirmitates corporales per suam originem traxit a matre, cuius caro huiusmodi defectibus subiacebat. Ergo videtur quod hos defectus contraxit.

2. PRAETEREA, illud quod ex principiis naturae causatur, simul cum natura trahitur: et ita contrahitur. Sed huiusmodi poenalitates causantur ex principiis naturae humanae. Ergo eas Christus contraxit.

3. PRAETEREA, secundum huiusmodi defectus Christus aliis hominibus similatur, ut dicitur *Heb.* ii *. Sed alii homines huiusmodi defectus contraxerunt [β]. Ergo videtur quod etiam Christus huiusmodi defectus contraxit.

* Vers. 17.

SED CONTRA EST quod huiusmodi defectus contrahuntur ex peccato: secundum illud *Rom.* v *: *Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, et per peccatum mors.* Sed in Christo non habuit locum peccatum. Ergo huiusmodi defectus Christus non contraxit.

* Vers. 12.

RESPONDEO DICENDUM quod in verbo *con-trahendi* intelligitur ordo effectus ad causam: ut scilicet illud dicatur contrahi quod simul cum sua causa ex necessitate trahitur. Causa autem mortis et horum defectuum in humana natura est peccatum: quia *per peccatum mors intravit in mundum,* ut dicitur *Rom.* v *. Et ideo illi proprie dicuntur hos defectus contrahere qui ex debito peccati hos defectus incurrunt. Christus autem hos defectus non habuit ex debito peccati: quia, ut Augustinus * dicit, exponens illud Ioan. iii **, « Qui de sursum venit, super omnes est », *de sursum venit Christus, idest de altitudine humanae naturae, quam habuit ante peccatum primi hominis.* Accepit enim naturam humanam absque peccato in illa puritate in qua erat in statu innocentiae. Et simili modo potuisset assumere humanam naturam absque defectibus. Sic igitur patet quod Christus non contraxit hos defectus, quasi ex debito peccati eos suscipiens: sed ex propria voluntate.

* Vid. arg. *Sed contra.*
* Gloss. Ord. sub nom, Alcuini.
** Vers. 31.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod caro Virginis concepta fuit in originali peccato *: et ideo hos defectus contraxit. Sed caro Christi [γ] ex Virgine assumpsit naturam absque culpa. Et similiter potuisset naturam assumere absque poena: sed voluit suscipere poenam propter opus nostrae redemptionis implendum, sicut dictum est *. Et ideo habuit [δ] huiusmodi defectus, non contrahendo, sed voluntarie assumendo.

* D. 370.
* Art. 1.

AD SECUNDUM DICENDUM quod causa mortis et aliorum corporalium defectuum in humana natura est duplex. Una quidem remota: quae accipitur ex parte principiorum materialium humani corporis, inquantum est ex contrariis compositum. Sed haec causa impediebatur per originalem iustitiam. Et ideo proxima causa mortis et aliorum defectuum est peccatum, per quod est subtracta originalis iustitia. Et propter hoc, quia Christus fuit sine peccato, dicitur non contraxisse huiusmodi defectus, sed voluntarie assumpsisse.

AD TERTIUM DICENDUM quod Christus in huiusmodi defectibus assimilatus est aliis hominibus quantum ad qualitatem defectuum, non autem quantum ad causam. Et ideo non [ε] contraxit huiusmodi defectus, sicut et alii.

α) *ex origine trahimus.* – Tertia; *et origine trahimus* EF, *et* (*et ex* AC) *origine contrahimus* prima.
β) *contraxerunt.* – *contrahunt* H et editiones.
γ) *caro Christi.* – *Christus* P; ut nos margo P per *Alias.*
δ) *habuit.* – Tertia; *habet.*
ε) *non.* – *Christus non* P, om. EG. – Pro *et alii, alii* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS totus consistit in verbo *contractionis.* Nihil enim aliud vertitur in dubium hic nisi, an defectus corporales qui in Christo fuerunt, fuerint *contracti:* an, non fuerint contracti, sed aliter habiti.

In corpore articuli unica est conclusio responsiva quaesito: *Christus non contraxit defectus corporales, sed voluntarie suscepit.* Probatur quoad primam principalemque partem. Contractio importat ordinem effectus ad causam. Ergo illi proprie dicuntur contrahere defectus mortis, etc., qui ex debito peccati hos defectus incurrunt. Ergo Christus hos defectus non contraxit. – Antecedens probatur. Quia *con-trahere* est *simul trahere,* effectum scilicet cum causa sua. – Prima consequentia probatur. Quia causa mortis et horum defectuum in humana natura est peccatum. Probatur ex auctoritate, *ad Rom.* v: *Per peccatum mors,* etc. – Secunda vero consequentia probatur. Quia Christus non habuit hos defectus ex debito peccati. Probatur auctoritate Augustini.

Ultima pars conclusionis probatur. Quia potuisset, si voluisset, Christus assumere naturam absque poena: sicut assumpsit absque culpa.

II. In responsione ad secundum, nota Auctorem in theologia theologice loqui, cum dicit causam proximam mortis esse peccatum, remotam autem compositionem ex contrariis. Formaliter siquidem loquitur, ubi omnino theologica est materia, qualis est ista *.

* Cf. qu. xv, art 5, Comment. num. iii.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CHRISTUS OMNES DEFECTUS CORPORALES HOMINUM ASSUMERE DEBUERIT

III *Sent.*, dist. xv, qu. I, art. 2; dist. xxII, qu. II, art. 1, qu^a 1; *Compend. Theol.*, cap. ccxxvi, ccxxxi.



AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuit. Dicit enim Damascenus *: *Quod est inassumptibile, est incurabile.* Sed Christus venerat omnes defectus nostros curare. Ergo omnes defectus nostros assumere debuit.

* De Fide Orth., lib. III, cap. VI, XVIII.

2. PRAETEREA, dictum est * quod ad hoc quod Christus pro nobis satisfaceret, debuit habere habitus perfectivos in anima et defectus in corpore. Sed ipse α ex parte animae assumpsit plenitudinem omnis gratiae. Ergo ex parte corporis debuit assumere omnes defectus.

* Art. I, ad I.

3. PRAETEREA, inter omnes defectus corporales praecipuum locum tenet mors. Sed Christus mortem assumpsit. Ergo multo magis omnes defectus alios assumere debuit.

SED CONTRA EST quod contraria non possunt simul fieri in eodem *. Sed quaedam infirmitates sunt sibi ipsis contrariae, utpote ex contrariis principiis causatae. Ergo non potuit esse quod Christus omnes infirmitates humanas assumeret.

* Cf. Aristot. *Categ.* cap. VIII, n. 25; *Topic.* lib. II, cap. VII, n. 2.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est *, Christus humanos defectus assumpsit ad satisfaciendum pro peccato humanae naturae: ad quod requirebatur quod perfectionem scientiae et gratiae haberet in anima. Illos igitur defectus Christus assumere debuit qui consequuntur ex peccato communi totius naturae, nec tamen repugnant perfectioni scientiae et gratiae.

* Art. I.

Sic igitur non fuit conveniens ut omnes defectus seu infirmitates humanas assumeret. Sunt enim quidam defectus qui repugnant perfectioni scientiae et gratiae: sicut ignorantia, pronitas ad malum, et difficultas ad bonum.

Quidam autem defectus sunt qui non consequuntur communiter totam humanam naturam propter peccatum primi parentis, sed causantur in aliquibus hominibus ex quibusdam particularibus causis: sicut lepra et morbus caducus, et alia huiusmodi. Qui quidem defectus quandoque causantur ex culpa hominis, puta ex inordinatione victus β: quandoque autem ex defectu virtutis formativae. Quorum neutrum convenit Christo: quia caro eius de Spiritu Sancto concepta est, qui est infinitae sapientiae et virtutis, errare et deficere non valens γ; et ipse nihil inordinatum in regimine suae vitae exercuit.

Sunt autem tertii δ defectus qui in omnibus hominibus communiter inveniuntur ex peccato primi parentis: sicut mors, fames, sitis, et alia huiusmodi. Et hos defectus omnes Christus suscepit. Quos Damascenus * vocat *naturales et indetractibiles* ε *passiones:* naturales quidem, quia consequuntur communiter totam humanam naturam; indetractibiles quidem ζ, quia defectum scientiae et gratiae non important.

* De Fide Orth., lib. I, cap. XI; lib. III, cap. XX.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod omnes particulares defectus hominum causantur ex corruptibilitate et passibilitate corporis, superadditis quibusdam particularibus causis. Et ideo, dum Christus curavit η passibilitatem et corruptibilitatem corporis nostri per hoc quod eam assumpsit, ex consequenti omnes alios defectus curavit.

AD SECUNDUM DICENDUM quod plenitudo omnis gratiae et scientiae animae Christi secundum se debebatur, ex hoc ipso quod erat a Verbo Dei assumpta. Et ideo absolute omnem plenitudinem sapientiae et gratiae Christus assumpsit. Sed defectus nostros dispensative assumpsit, ut pro peccato nostro satisfaceret: non quia ei secundum se competerent. Et ideo non oportuit quod omnes assumeret: sed solum illos qui sufficiebant ad satisfaciendum pro peccato totius humanae naturae.

AD TERTIUM DICENDUM quod mors in omnes homines devenit ex peccato primi parentis: non autem quidam alii defectus, licet sint morte minores. Unde non est similis ratio.

α) *ipse.* – Om. BDEF, *Christus* I et editiones.
β) *inordinatione victus.* – *inordinato victu* tertia.
γ) *valens.* – *potens* tertia.
δ) *tertii.* – *certi b.*
ε) *indetractibiles.* – *indetractabiles* hic et statim ed. *a* et *c*. Cf. qu. XLVI art. 4 β.
ζ) *quidem.* – *autem* F et tertia (excepta pG?), om. *a*.
η) *dum Christus curavit.* – *cum Christus curavit* (*curaverit* P) H et editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS consistit in universalitate defectuum humanorum corporalium: an scilicet omnes assumi a Christo fuerit conveniens.

In corpore unica est conclusio responsiva quaesito: *Non fuit conveniens ut Christus assumeret omnes defectus seu infirmitates humanas.* Probatur. Christus assumpsit defectus humanos ad satisfaciendum pro peccato humanae naturae. Ergo illos tantum defectus assumere debuit qui consequuntur ex peccato communi totius humanae naturae, nec tamen repugnant perfectioni scientiae et gratiae. Ergo non fuit conveniens ut omnes defectus seu infirmitates humanas assumeret. – Antecedens patet. – Et prima consequentia, quoad primam partem, relinquitur clara. Quoad secundam vero, probatur: quia ad satisfaciendum pro peccato humanae naturae, requiritur satisfactor perfectus in anima scientia et gratia. – Secunda autem, quia defectus sunt trifariam: quidam repugnantes perfectioni scientiae, ut ignorantia, vel gratiae, ut pronitas ad malum et difficultas ad bonum; quidam particulares, ut varii morbi; quidam communes toti humanae naturae, ut fames, sitis, fatigatio, mors, etc.

II. Ubi nota tria. Primo quod, quia rationis ordo poscit

ut satisfactio, quae poenalis est, respondeat culpae; ut culpae communi respondeat poena communis: ideo in littera, ex eo quod Christus defectus poenales assumpsit ad satisfaciendum pro peccato naturae humanae, optime ut clarum intulit consequens quod solos communes humanae naturae defectus poenales assumere debuit.

Secundo quod, quia negatio particularium defectuum in Christo illata non erat probata, quamvis fuerit probata affirmatio universalium defectuum in eodem, ex proportione poenae ad culpam; ideo littera subiunxit rationem eximentem corpus Christi a specialibus defectibus, ex negatione causarum eorundem ad negationem eorum procedentem: ex eo quod defectus speciales aut sunt ex defectu principii vel principiorum, aut ex defectu progressus vitae, quorum neutrum in Christo locum habere potuit. – Et si quis obiecerit quod possit esse aliquis horum defectuum ex tertia causa, puta ex caelo vel concursu elementi alicuius: sciat omnes huiusmodi concursus causativos morbi specialis nihil aliud esse quam defectum principii; concurrens enim causa impedit principia a naturali perfectione actionis vel passionis suae. Et ideo reducitur huiusmodi causa ad defectum virtutis formativae, causam positam in littera.

Tertio, quod Auctor, doctrinam suam conformem Damasceno ostendens, confirmat simul et exponit illum.

III. Sed restat hic dubium, quo pacto licuerit, ubi de defectibus corporis agitur, ignorantiam inter defectus communes computare: cum constet ignorantiam esse defectum animae.

Ad hoc dicitur quod Auctor, licet tractet de defectibus corporis, inserit tamen universalem doctrinam de defectibus humanis qui non debuerunt assumi a Christo, ut ex universali regula habeatur discretio inter defectus etiam corporis qui debuerunt vel non debuerunt assumi. Et hoc propter pronitatem ad malum et difficultatem boni: quoniam *alia est lex in membris humanis, repugnans legi mentis* *, secundum quam *proni sunt sensus hominis ad malum* *, et *non quod volumus bonum, hoc agimus* **. Id autem quod de ignorantia admiscetur, exempli gratia positum est.

* *Ad Rom.*, cap. VII, vers. 23. * *Gen.* cap. VIII, vers. 21. ** *Ad Rom.*, cap. VII, vers. 19.

Sed quia haec responsio dicta secundum eundem contextum separat, dum ignorantiam ut exemplum, pronitatem vero ad malum et difficultatem ad bonum vere interpretatur: aliter dicitur quod per ignorantiam hic intelligitur complexio corporalis causativa ignorantiae. Nascuntur siquidem aliqui inepti ad scientiam: sicut alii inclinati ad iram, et huiusmodi.

Sed hoc minus consonat litterae dividenti contra defectus repugnantes perfectioni scientiae vel gratiae, defectus corporis speciales. Constat autem has complexiones exorbitantes a temperantia humanae medietatis, inter speciales computari defectus.

Unde dicendum est quod ignorantia dupliciter sumi potest. Vel secundum se: et sic est defectus, non corporis, sed animae, sicut scientia; *contraria* enim *circa idem nata sunt fieri* *. Vel secundum suam causam occasionalem communem toti naturae humanae. Et sic est defectus tenens se ex parte corporis: quoniam ex hoc ipso quod anima fit in corpore, non recipit influxum scientiae a superioribus, et manet ignorans. In cuius signum, statim quod a corpore separatur anima, perficitur scientia infusa a superioribus. Christus autem, licet susceperit animam in corpore, non suscepit tamen defectum scientiae concomitantem animam ex hoc quod fit in corpore: quoniam ab initio eius anima repleta est et beata et infusa scientia, ut patet ex ante * dictis. Et ideo inter defectus corporis, hoc est se tenentes ex parte corporis, computata est hoc in loco ignorantia.

* Aristot. *Categ.* cap. VIII, n. 26.

* Qu. XII, art. 2.

IV. In responsione ad secundum, perspicaciter vide quod animae Christi secundum se debebatur plenitudo omnis gratiae et scientiae, ex hoc ipso quod erat assumpta a Verbo: est enim hoc sumptum ex Ioan. I *, *Vidimus eum plenum gratiae et veritatis, quasi Unigenitum a Patre.* Et docemur ex hoc non solum differentiam intentam in littera inter scientiam ac gratiam, et defectus, quod illae debebantur animae Christi secundum se, hoc est ob propriam perfectionem, isti vero solum propter aliud, hoc est satisfactionem et exemplaritatem, etc.: sed etiam quod non sunt duo miracula gratia unionis et gratia virtutum in anima Christi; sed, sicut in naturalibus generans dat una generatione formam et consequentia ad formam, ita in mysterio incarnationis assumens dat gratiae et scientiae plenitudinem ut consequentia assumptionem. Et propterea, sicut debentur genito concomitantia formam debito naturali, ita debetur assumptae animae plenitudo gratiae et scientiae debito quasi naturali, seu connaturalis ordinis: connaturalis quippe est assumptae animae plenitudo gratiae et scientiae.

* Vers. 14.



QUAESTIO DECIMAQUINTA

DE DEFECTIBUS PERTINENTIBUS AD ANIMAM QUOS CHRISTUS IN HUMANA NATURA ASSUMPSIT

IN DECEM ARTICULOS DIVISA

DEINDE considerandum est de defectibus pertinentibus ad animam *. [* Cf. qu. xiv, Introd.]

Et circa hoc quaeruntur decem.

Primo: utrum in Christo fuerit peccatum.
Secundo: utrum in eo fuerit fomes peccati.
Tertio: utrum in eo fuerit ignorantia.
Quarto: utrum anima eius fuerit passibilis.
Quinto: utrum in eo fuerit dolor sensibilis.
Sexto: utrum in eo fuerit tristitia.
Septimo: utrum in eo fuerit timor.
Octavo: utrum in eo fuerit admiratio.
Nono: utrum in eo fuerit ira.
Decimo: utrum simul fuerit viator et comprehensor.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM IN CHRISTO FUERIT PECCATUM

Supra, qu. IV, art. 6, ad 2; qu. XIV, art. 3; infra, qu. XXXI, art. 7; III *Sent.*, dist. XII, qu. II, art. 1, ad 1; dist. XIII, qu. I, art. 1, ad 5; art. 2, qu[a] 1.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in Christo fuerit peccatum. Dicitur enim in Psalmo * [* Ps. XXI, vers. 2; al. vers. 1.]: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti* [α]? *Longe a salute mea verba delictorum meorum.* Haec autem verba dicuntur ex persona ipsius Christi: ut patet ex hoc quod ipse ea in cruce protulit * [* Matth. cap. XXVII, vers. 46.]. Ergo videtur quod in Christo fuerint delicta.

2. PRAETEREA, *Rom.* V * [* Vers. 12.] dicit Apostolus quod *in Adam omnes peccaverunt:* scilicet quia in eo originaliter fuerunt [β]. Sed etiam Christus originaliter fuit in Adam. Ergo in eo peccavit.

3. PRAETEREA, Apostolus dicit, *Heb.* II * [* Vers. 18.], quod *in eo in quo Christus passus est et tentatus, potens est et his qui tentantur auxiliari.* Sed maxime indigebamus auxilio eius contra peccatum. Ergo videtur quod in eo fuerit peccatum.

4. PRAETEREA, II *Cor.* V * [* Vers. 21.] dicitur quod Deus *eum qui non noverat peccatum,* scilicet Christum, *pro nobis fecit peccatum.* Sed illud vere est quod [γ] a Deo factum est. Ergo in Christo vere fuit peccatum.

5. PRAETEREA, sicut Augustinus dicit, in libro *de Agone Christiano* * [* Cap. XI.], *in* [δ] *homine Christo se nobis ad exemplum praebuit Filius Dei.* Sed homo indiget exemplo non solum ad recte vivendum, sed etiam ad hoc quod poeniteat de peccatis. Ergo videtur quod in Christo debuit esse peccatum, ut, de peccatis poenitendo, poenitentiae nobis daret exemplum.

SED CONTRA EST quod ipse dicit, Ioan. VIII * [* Vers. 46.]: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * [* Qu. XIV, art. 1.] dictum est, Christus suscepit defectus nostros ut pro nobis satisfaceret; et veritatem humanae naturae comprobaret; et ut nobis exemplum virtutis fieret. Secundum quae tria manifestum est quod defectum peccati assumere non debuit. Primo enim [ε], peccatum nihil operatur ad satisfactionem: quinimmo virtutem satisfactionis impedit; quia, ut dicitur *Eccli.* XXXIV * [* Vers. 23.], *dona iniquorum non probat Altissimus.* Similiter etiam ex peccato non demonstratur veritas humanae naturae: quia peccatum non pertinet ad humanam naturam, cuius Deus est causa; sed magis est contra naturam *per seminationem diaboli* introductum, ut Damascenus dicit * [* De Fide Orth., lib. III, cap. XX.]. Tertio, peccando exempla virtutum [ζ] praebere non potuit: cum peccatum contrarietur virtuti. Et ideo Christus nullo modo assumpsit defectum peccati, nec originalis nec actualis: secundum illud quod dicitur I Pet. II * [* Vers. 22.]: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius* [η].

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut Damascenus dicit, in III libro * [* De Fide Orth., lib. III, cap. XXV.], dicitur [θ] aliquid de Christo, uno modo, secundum proprietatem naturalem et hypostaticam, sicut dicitur quod factus [ι] est homo, et quod pro nobis passus est; alio modo, secundum proprietatem personalem et habitudinalem, prout scilicet aliqua dicuntur de ipso in persona nostra quae sibi secundum se nullo modo conveniunt. Unde et inter septem regulas Tichonii, quas ponit Augustinus in III *de Doct. Christ.* * [* Cap. XXXI.], prima ponitur *de Domino et eius*

α) *ut quid dereliquisti.* – *me* addunt EF*a*, *quare me dereliquisti* GHI, *respice in me quare me dereliquisti* editiones.
β) *fuerunt.* – *omnes fuerunt* BF.
γ) *quod.* – sE *a* et tertia; *quia.*
δ) *in.* – P; *quod in.* – Pro *exemplum, vitae exemplum* F, *exemplum vitae* tertia praeter G.
ε) *enim.* – *quidem quia* P.
ζ) *exempla virtutum.* – *exempla virtutis* ed. *a*, *exemplum virtutis* tertia.
η) *nec... eius.* – Om. tertia.
θ) *dicitur.* – *dupliciter dicitur* DF et tertia.
ι) *factus.* – *Christus factus* G, *Deus factus* F et cetera tertia.

corpore, cum scilicet *Christi et Ecclesiae una persona aestimatur.* Et secundum hoc, Christus ex persona membrorum suorum loquens dicit, *verba delictorum meorum:* non quod in ipso capite delicta fuerint.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, X *super Gen. ad litt.* *, non omni modo Christus fuit in Adam, et in aliis Patribus, quo nos ibi fuimus. Nos enim fuimus in Adam secundum rationem seminalem, et secundum corpulentam substantiam: quia scilicet, ut ipse ibidem dicit, *cum sit in semine et visibilis* [κ] *corpulentia et invisibilis ratio, utrumque cucurrit ex Adam. Sed Christus visibilem carnis substantiam de carne Virginis sumpsit: ratio vero conceptionis eius non a semine virili, sed longe aliter, ac desuper venit.* Unde non fuit in Adam secundum seminalem rationem, sed solum secundum corpulentam substantiam. Et ideo Christus non accepit active ab Adam naturam humanam, sed solum materialiter, active vero a Spiritu Sancto: sicut et ipse Adam materialiter sumpsit corpus ex limo terrae, active autem a Deo *. Et propter hoc Christus non peccavit in Adam, in quo fuit solum secundum materiam.

* Cap. xx.
* *Gen.* cap. II, vers. 7.

AD TERTIUM DICENDUM quod Christus sua tentatione et passione nobis auxilium tulit [λ] pro nobis satisfaciendo. Sed peccatum non cooperatur ad satisfactionem [μ], sed magis ipsam impedit, ut dictum est *. Et ideo non oportuit ut peccatum in se haberet, sed quod omnino esset purus a peccato: alioquin, poena quam sustinuit fuisset sibi debita pro peccato proprio.

* In corpore.

AD QUARTUM DICENDUM quod Deus *fecit Christum peccatum,* non quidem ut in se peccatum [ν] haberet, sed quia fecit eum hostiam pro peccato: sicut Osee IV * dicitur, *Peccata populi mei comedent,* scilicet sacerdotes, qui secundum legem comedebant hostias pro peccato oblatas *. Et secundum hunc modum dicitur Isaiae LIII *, quod *Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum:* quia scilicet eum tradidit ut esset hostia pro peccatis omnium hominum.

* Vers. 8.
* *Levit.* cap. VI, vers. 26.
* Vers. 6.

Vel, *fecit eum peccatum,* idest, *habentem similitudinem carnis peccati,* ut dicitur *Rom.* VIII *. Et hoc propter corpus passibile et mortale quod assumpsit.

* Vers. 3.

AD QUINTUM DICENDUM quod poenitens laudabile exemplum dare potest, non ex eo quod peccavit, sed in hoc quod voluntarie poenam sustinet [ξ] pro peccato. Unde Christus dedit maximum exemplum poenitentibus, dum non pro peccato proprio, sed pro peccatis aliorum voluit poenam subire.

κ) *et visibilis.* – Tertia; *visibilis* D, *invisibilis* ceteri. Pro *cucurrit, currit* omnes; cf. qu. LXXXIV art. 10 π.
λ) *auxilium tulit.* – *auxiliatus est* editiones.
μ) *satisfactionem.* – Tertia; *satisfaciendum.* Pro *ipsam, ipsam satisfactionem* ed. *a.*
ν) *peccatum.* – F et tertia; *aliquod* D, *aliquid peccati* sC, *aliquid* ceteri.
ξ) *poenitens... voluntarie poenam sustinet.* – P; ita, sed *voluntarius,* cetera tertia; *poenitentibus... poenas sustinuit voluntarius* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus est. – In corpore est una conclusio responsiva quaesito: *Christus nullo modo assumpsit defectum peccati.* Probatur. Defectus assumpti a Christo sunt assumpti ad tria: hoc est, ad satisfaciendum pro natura humana; ad comprobandam suam humanitatem; et ad exemplum virtutis. Sed defectus peccati ad nihil horum valet. Ergo.

Maior patet ex primo articulo praecedentis quaestionis. – Minor singillatim quoad singulas partes clare probatur in littera: ita ut non sit opus exponere.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM IN CHRISTO FUERIT FOMES PECCATI

Infra, qu. XXVII, art. 3, ad 1; *Compend. Theol.,* cap. CCXXIV.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in Christo fuerit fomes peccati. Ab eodem enim principio derivatur fomes peccati, et passibilitas corporis sive mortalitas: scilicet ex subtractione originalis iustitiae, per quam simul inferiores vires animae subdebantur rationi, et corpus animae. Sed in Christo fuit passibilitas corporis et mortalitas. Ergo etiam in eo fuit fomes peccati.

2. PRAETEREA, sicut Damascenus dicit, in III libro *, *beneplacito divinae voluntatis permittebatur caro Christi pati et operari quae propria.* Sed proprium est carni ut concupiscat delectabilia sibi. Cum ergo nihil aliud sit fomes quam concupiscentia, ut dicitur in Glossa *, *Rom.* VII **, videtur quod in Christo fuerit fomes peccati.

* *De Fide Orth.,* lib. III, cap. XIX. – Cf. cap. XIV, XV.
* Lombardi.
** Vers. 8.

3. PRAETEREA, ratione fomitis [α] *caro concupiscit adversus spiritum,* ut dicitur *Galat.* V *. Sed tanto spiritus ostenditur esse fortior et magis dignus corona, quanto magis super [β] hostem, scilicet concupiscentiam carnis, dominatur: secundum illud II *Tim.* II *: *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit.* Christus autem habuit fortissimum et victoriosissimum spiritum, et maxime dignum corona: secundum illud *Apoc.* VI *: *Data est ei corona, et exivit vincens, ut vinceret.* Videtur ergo

* Vers. 17.
* Vers. 5.
* Vers. 2.

α) *fomitis.* – *peccati* addit tertia praeter G.
β) *super.* – *superat* (*superat super* pG) tertia, et om. mox *dominatur.*

quod in Christo debuerit esse maxime fomes peccati.

* Vers. 20.

Sed contra est quod dicitur Matth. I *: *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Sed Spiritus Sanctus excludit peccatum, et inclinationem peccati, quae importatur nomine fomitis. Ergo in Christo non fuit fomes peccati.

* Qu. VII, art. 2, 9.

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, Christus perfectissime habuit gratiam et omnes virtutes. Virtus autem moralis quae est in irrationali γ parte animae, eam facit rationi esse subiectam, et tanto magis quanto perfectior fuerit virtus: sicut temperantia concupiscibilem, et fortitudo et mansuetudo irascibilem, ut in Secunda Parte * dictum est. Ad rationem autem fomitis pertinet inclinatio sensualis appetitus in id quod est contra rationem. Sic igitur patet quod, quanto virtus fuerit magis in aliquo perfecta, tanto magis debilitatur in eo vis fomitis. Cum igitur in Christo fuerit virtus secundum perfectissimum gradum, consequens est quod in eo fomes peccati non fuerit: cum etiam iste defectus non sit ordinabilis ad satisfaciendum, sed potius inclinat δ ad contrarium satisfactioni.

* Ia IIae, qu. LVI, art. 4.

Ad primum ergo dicendum quod inferiores vires pertinentes ad sensibilem appetitum, naturaliter sunt obedibiles rationi: non autem vires corporales, vel humorum corporalium, vel etiam ipsius animae vegetabilis, ut patet in I *Ethic.* * Et ideo perfectio virtutis, quae est secundum rationem rectam, non excludit passibilitatem corporis: excludit autem fomitem peccati, cuius ratio consistit in resistentia sensibilis ε appetitus ad rationem.

* Cap. XIII, n. 15 sqq. - S. Th. lect. XX.

Ad secundum dicendum quod caro naturaliter concupiscit id quod est sibi delectabile, concupiscentia appetitus sensitivi: sed caro hominis, qui est animal rationale, hoc concupiscit secundum modum et ordinem rationis. Et hoc modo caro Christi, concupiscentia appetitus sensitivi, naturaliter appetebat escam et potum et somnum, et alia huiusmodi quae secundum rationem rectam appetuntur: ut patet per Damascenum, in III libro *. Ex hoc autem non sequitur quod in Christo fuerit fomes peccati, qui importat concupiscentiam delectabilium praeter ordinem rationis.

* *De Fide Orth.*, lib. III, cap. XIV.

Ad tertium dicendum quod fortitudo spiritus aliqualis ostenditur ex hoc quod resistit concupiscentiae carnis sibi contrariantis: sed maior fortitudo spiritus ostenditur si per eius virtutem totaliter comprimatur ζ, ne contra spiritum concupiscere possit. Et ideo hoc competebat Christo, cuius spiritus summum gradum fortitudinis attigerat. Et licet non sustinuerit impugnationem interiorem ex parte fomitis, sustinuit tamen exteriorem impugnationem ex parte mundi et diaboli, quos superando victoriae coronam promeruit.

γ) *irrationali.* – Ea et per *Alias* margo P; *rationali.*
δ) *inclinat.* – *inclinet* P.
ε) *sensibilis.* – *sensualis* F et tertia.
ζ) *comprimatur.* – *caro comprimatur* PI. – Pro *concupiscere, concupiscentiae* DE, *concupiscentiam* G, *concupiscentia* HI.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo, *fomes peccati* importat inclinationem appetitus sensitivi in id quod contrariatur rectae rationi: puta in superfluam delectationem, in excessivam cupiditatem, et similia.

In corpore unica est conclusio responsiva quaesito: *In Christo non fuit fomes peccati.* Probatur dupliciter. Primo, sic. Virtus moralis facit irrationalem partem animae, in qua est, rationi esse subiectam: et tanto magis quanto perfectior fuerit. Ergo, quanto virtus in aliquo fuerit magis perfecta, tanto magis in eo debilitatur vis fomitis. Ergo in Christo non fuit fomes peccati. – Antecedens declaratur in temperantia et mansuetudine. – Prima consequentia probatur. Quia ad rationem fomitis pertinet inclinatio appetitus sensualis in id quod est contra rationem. – Secunda vero: quia in Christo fuit virtus secundum perfectissimum gradum. Quod probatur: quia Christus perfectissime habuit gratiam et omnes virtutes morales.

Secundo probatur conclusio principalis, quia iste defectus non est ordinabilis ad satisfaciendum, sed potius inclinat ad contrarium satisfactioni. Ergo non debuit assumi a Christo. Et patet sequela ex praecedentibus *.

* Art. praeced.; qu. XIV, art. 1, 4.

II. Occurrit hic dubium, quia, secundum primam rationem in littera allatam, sequitur quod non solum in Christo, sed etiam in puris hominibus, puta Ioanne Baptista, non fuerit fomes peccati. Quia in ipso a principio fuerunt virtutes perfecte, non solum in habitu, ut sunt in pueris baptizatis, sed in exercitio: cum fuerit tantae perfectionis ut *Iustitia* appellatus sit, ut dicit Glossa *, in verbo *Iustitia,* ubi scriptum est *: *Iustitia ante eum ambulabit.*

* Lyrani.
* Ps. LXXXIV, vers. 14.

Ad hoc dicitur quod differentia inter animam Christi et aliorum est quod anima Christi est secundum quod erant animae in statu innocentiae, quantum ad elongationem a peccato: animae vero reliquorum, quantumcumque sanctificatorum in utero, in hac vita sunt sicut anima *hominis qui incidit in latrones* *, et non solum *spoliatus est gratuitis, sed vulneratus in naturalibus* *. Et ideo in anima Christi, secundum se, sola naturalis inclinatio partis sensitivae in bonum sibi consonum erat per virtutem subiicienda perfecte rationi, ut nulla fomitis ratio maneret in eo. In aliis autem non solum est naturalis inclinatio partis sensitivae in bonum sibi consonum, sed talis inclinatio est vulnerata. Et propterea non sufficit in aliis ad tollendum fomitem perfectio virtutis: sed speciali est opus gratia sic sanante ut extinctus sit fomes peccati. Quod soli Beatae Virgini in hac vita concessum credimus. Non sequitur igitur ex processu litterae quod perfectio virtutis regulariter tollat fomitem: sed quod perfectio virtutis in Christo infert in ipso non fuisse fomitem.

* Luc. cap. X, vers. 30.
* Mag., II *Sent.*, dist. XXV.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM IN CHRISTO FUERIT IGNORANTIA

III *Sent.*, dist. xv, qu. I, art. 2; Expos. litt.; *De Verit.*, qu. xx, art. 4, ad 11, 12; *Compend. Theol.*, cap. CCXXVI.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in Christo fuerit ignorantia. Illud enim vere fuit in Christo quod sibi competit secundum humanam naturam, licet non competat secundum divinam: sicut passio et mors. Sed ignorantia convenit Christo secundum humanam naturam: dicit enim Damascenus, in III libro *, quod *ignorantem et servilem assumpsit naturam.* Ergo ignorantia vere fuit in Christo.

* *De Fide Orth.*, lib. III, cap. XXI.

2. PRAETEREA, aliquis dicitur ignorans per notitiae defectum. Sed aliqua notitia defuit Christo: dicit enim Apostolus, II *Cor.* v *: *Eum qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Ergo in Christo fuit ignorantia.

* Vers. 21.

3. PRAETEREA, Isaiae VIII * dicitur: *Antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci.* Puer autem ille est Christus. Ergo in Christo fuit aliquarum rerum ignorantia.

* Vers. 4.

SED CONTRA, ignorantia per ignorantiam non tollitur. Christus autem ad hoc venit ut ignorantias nostras auferret: venit enim *ut illuminaret his qui in tenebris et in umbra mortis* [α] *sedent* *. Ergo in Christo ignorantia non fuit.

* Luc. cap. I, vers. 79.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut in Christo fuit plenitudo gratiae et virtutis, ita in ipso fuit plenitudo omnis scientiae, ut ex praemissis * patet. Sicut autem in Christo plenitudo gratiae et virtutis excludit peccati fomitem, ita plenitudo scientiae excludit ignorantiam, quae scientiae opponitur. Unde, sicut in Christo non fuit fomes peccati, ita non fuit in eo ignorantia.

* Qu. VII, art. 2, 9; qu. IX sqq.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod natura a Christo assumpta potest dupliciter considerari. Uno modo, secundum rationem suae speciei. Et secundum hoc dicit Damascenus eam esse *ignorantem et servilem.* Unde subdit: *Nam serva est quidem hominis natura eius qui fecit ipsam, Dei* [β], *et non habet futurorum cognitionem.* – Alio modo potest considerari secundum illud quod habet ex unione ad hypostasim divinam, ex qua [γ] habet plenitudinem scientiae et gratiae: secundum illud Ioan. I *: *Vidimus eum, quasi Unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis.* Et hoc modo natura humana in Christo ignorantiam non habuit.

* Vers. 14.

AD SECUNDUM DICENDUM quod Christus dicitur non novisse peccatum, quia nescivit per experientiam. Scivit autem per simplicem notitiam.

AD TERTIUM DICENDUM quod Propheta ibi loquitur de humana Christi scientia. Dicit ergo [δ]: *Antequam sciat puer,* scilicet secundum humanitatem, *vocare patrem suum,* Ioseph, qui pater fuit putative [ε], *et matrem suam,* scilicet Mariam, *auferetur fortitudo Damasci.* Quod non est sic intelligendum quasi aliquando fuerit homo et hoc nesciverit: sed, *antequam sciat,* idest, antequam fiat homo scientiam habens humanam, *auferetur* vel, ad litteram, *fortitudo Damasci et spolia Samariae, per regem Assyriorum;* vel, spiritualiter, quia, *nondum natus, populum suum sola invocatione salvabit,* ut Glossa * Hieronymi exponit.

* Interlin.

Augustinus tamen, in Sermone *de Epiph.* *, dicit hoc esse completum in adoratione Magorum. Ait enim: *Antequam per humanam carnem humana verba proferret, accepit virtutem Damasci, scilicet divitias, in quibus Damascus praesumebat: in divitiis autem principatus auro defertur. Spolia vero Samariae iidem ipsi erant. Samaria namque pro idololatria ponitur: illic enim populus ad idola colenda conversus est. Haec ergo prima spolia puer idololatriae detraxit.* Et secundum hoc intelligitur: *antequam sciat puer,* idest, *antequam ostendat se scire.*

* Serm CCII, al. *de Temp.* XXXII, cap. II.

α) *et in umbra mortis.* – F et tertia; *mortis et umbra.*
β) *Dei.* – *Dei scilicet* P.
γ) *qua.* – *a* et tertia praeter G; *quo.*
δ) *ergo.* – *enim* P.
ε) *Ioseph... putative.* – *scilicet Ioseph qui pater eius fuit putativus* P; *scilicet* etiam cetera tertia; *scilicet* ante *Mariam* om. *bc.*

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus est. – In corpore una est conclusio: *In Christo non fuit ignorantia.* Probatur. Sicut in Christo fuit plenitudo gratiae et virtutis, ita fuit plenitudo omnis scientiae. Ergo, sicut prima plenitudo excludit fomitem peccati, ita secunda excludit ignorantiam. Ergo in Christo non fuit ignorantia.

Prima consequentia probatur. Quia ignorantia opponitur plenitudini scientiae. – Secunda: quia non fuit fomes peccati in Christo.

II. In responsione ad tertium, adverte, Novitie, quod trium expositionum verborum Isaiae quae in littera ponuntur, duae primae conveniunt in hoc quod ly *antequam puer sciat* exponunt: *Antequam Deus fiat puer sciens,* hoc est, *Antequam incarnetur habens matrem et patrem putativum.* In hoc enim sensu verificatur tam litteralis expositio, quod rex Assyriorum auferret spolia ante incarnationem Filii Dei; quam spiritualis, quod Filius Dei, ante incarnationem invocatus, salvaret populum suum.

Tertia autem post incarnationem exponit: quod ly *ante* dicat ordinem temporis secundum aetatem infantilem Iesu Christi.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM ANIMA CHRISTI FUERIT PASSIBILIS

III *Sent.*, dist. XIII, qu. I, art. 2, qu^a 1, ad 2; dist. XV, qu. II, art. 1, qu^a 3; dist. XXXIII, Expos. litt.; *De Verit.*, qu. XXVI, art. 8; *Compend. Theol.*, cap. CCXXXII; *In Ioan.*, cap. XII, lect. V; cap. XIII, lect. IV.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod anima Christi non fuerit passibilis. Nihil enim patitur nisi a fortiori: quia *agens est praestantius patiente*, ut patet per Augustinum, XII *super Gen. ad litt.* * [* Cap. XVI.]; et per Philosophum, in III *de Anima* * [* Cap. V, n. 2. - S. Th. lect. X.]. Sed nulla creatura fuit praestantior quam anima Christi. Ergo anima Christi non potuit ab aliqua creatura pati. Et ita non fuit passibilis: frustra enim fuisset in eo potentia patiendi, si a nullo pati potuisset.

2. PRAETEREA, Tullius, in libro *de Tusculan. Quaest.* * [* Lib. III, cap. X (Ed. Teubner).], dicit quod passiones animae sunt *quaedam aegritudines*. Sed in anima Christi non fuit aliqua aegritudo: nam aegritudo animae sequitur peccatum, ut patet per illud Psalmi * [* Ps. XL, vers. 5.]: *Sana animam meam: quia peccavi tibi*. Ergo in Christo non fuerunt animae passiones.

3. PRAETEREA, passiones animae videntur idem esse cum fomite peccati: unde Apostolus, *Rom.* VII * [* Vers. 5.], vocat eas *passiones peccatorum*. Sed in Christo non fuit fomes peccati, ut supra * [* Art. 2.] dictum est. Ergo videtur quod non fuerint in eo animae passiones. Et ita anima Christi non fuit passibilis.

SED CONTRA EST quod in Psalmo * [* Ps. LXXXVII, vers. 4.] dicitur ex persona Christi: *Repleta est malis anima mea*: non quidem peccatis, sed humanis malis, *idest doloribus*, ut Glossa * [* Interlin. Aug.] ibidem exponit. Sic igitur anima Christi fuit passibilis.

RESPONDEO DICENDUM quod animam in corpore constitutam contingit pati dupliciter * [* D. 195.]: uno modo, passione corporali; alio modo, passione animali. Passione quidem corporali patitur per corporis laesionem. Cum enim anima sit forma corporis, consequens est quod unum sit esse animae et corporis: et ideo, corpore perturbato per aliquam corpoream passionem, necesse est quod anima per accidens perturbetur, scilicet quantum ad esse quod habet in corpore. Quia igitur corpus Christi fuit passibile et mortale, ut supra * [* Qu. XIV, art. 1, 2.] habitum est, necesse fuit ut etiam anima eius hoc modo passibilis esset.

Passione autem animali [α] pati dicitur anima secundum operationem quae vel est propria animae, vel est principalius animae quam corporis. Et quamvis etiam secundum intelligere et sentire dicatur hoc modo anima aliquid pati, tamen, sicut in Secunda Parte * [* I^a II^ae, qu. XXII, art. 3; qu. XLI, art. 1.] dictum est, propriissime dicuntur passiones animae affectiones appetitus sensitivi: quae in Christo fuerunt, sicut et cetera quae ad naturam hominis pertinent. Unde Augustinus dicit, XIV *de Civ. Dei* * [* Cap. IX.]: *Ipse Dominus, in forma servi agere vitam dignatus, humanitus adhibuit eas, ubi adhibendas esse iudicavit. Neque enim in quo verum erat hominis corpus et verus hominis animus, falsus erat humanus affectus.*

Sciendum tamen [β] quod huiusmodi passiones aliter fuerunt in Christo quam in nobis, quantum ad tria. Primo quidem, quantum ad obiectum. Quia in nobis plerumque huiusmodi passiones feruntur ad illicita: quod [γ] in Christo non fuit. – Secundo, quantum ad principium. Quia huiusmodi passiones frequenter in nobis praeveniunt iudicium rationis: sed in Christo omnes motus sensitivi appetitus oriebantur secundum dispositionem rationis. Unde Augustinus dicit, XIV *de Civ. Dei* * [* Loc. cit.], quod *hos motus, certissimae dispensationis gratia, ita cum voluit Christus suscepit animo humano, sicut cum voluit factus est homo*. – Tertio, quantum ad effectum. Quia in nobis quandoque huiusmodi motus non sistunt in appetitu sensitivo, sed trahunt rationem. Quod in Christo non fuit: quia motus naturaliter humanae carni convenientes sic ex eius dispositione in appetitu sensitivo manebant quod ratio ex his nullo modo impediebatur facere quae conveniebant. Unde Hieronymus dicit, *super Matth.* * [* Comment. lib. IV, ad cap. XXVI, vers. 37.], quod *Dominus noster, ut veritatem assumpti probaret hominis, vere quidem contristatus est: sed, ne passio in animo illius dominaretur, per propassionem dicitur quod « coepit contristari »*: ut passio perfecta intelligatur quando animo, idest rationi, dominatur; *propassio* autem, quando est inchoata in appetitu sensitivo, sed ulterius non se extendit.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod anima Christi poterat quidem resistere passionibus, ut non ei supervenirent: praesertim virtute divina. Sed propria voluntate se passionibus subiiciebat, tam corporalibus quam animalibus.

AD SECUMDUM DICENDUM quod Tullius ibi loquitur secundum opinionem Stoicorum, qui non vocabant passiones quoscumque motus appetitus sensitivi, sed solum inordinatos. Tales autem passiones manifestum est in Christo non fuisse.

AD TERTIUM DICENDUM quod *passiones peccatorum* sunt motus appetitus sensitivi in illicita tendentes. Quod non fuit in Christo: sicut nec fomes peccati.

α) *animali.* – EF*a* et tertia; *naturali.*
β) *tamen.* – HI; *tamen est* editiones, *autem* ed. *a*, *enim* ceteri.
γ) *quod.* – F et tertia; *quae*; pro *fuit*, *fuerunt* sD et *a*.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo *passibilitas* ut sonat sumenda est. – In corpore articuli duo fiunt: primo, respondetur quaesito; secundo, declaratur responsio *. (* Cf. num. II.)

Quoad primum, primo, distinguitur de passione animae coniunctae corpori: vel corporali, vel animali.

Secundo, declaratur terminus primus: quid scilicet est animam pati passione corporali.

Tertio, respondetur secundum talem passionem quaesito una conclusione: *Anima Christi fuit passibilis passione corporali.* Probatur. Corpus Christi fuit passibile et mortale. Ergo necesse fuit animam esse passibilem. – Patet consequentia ex terminis declaratis.

Quarto, declaratur alter terminus: quid scilicet est animam pati passione animali. Et hic distinguitur: vel proprie; vel propriissime.

Quinto, respondetur iuxta talem passionem quaesito unica conclusione: *Anima Christi fuit passibilis passione animali.* Probatur. Affectiones appetitus sensitivi fuerunt in Christo. Ergo. – Antecedens probatur dupliciter. Primo, quia pertinent ad naturam hominis. Secundo, auctoritate Augustini.

II. Quoad secundum, declaratur secunda conclusio responsiva: qualiter et quales fuerint passiones animales in Christo. Et ponitur triplex differentia, secundum triplicem modum quo deordinantur passiones: vel ex parte obiecti; vel principii; vel effectus. Ita quod summa differentiae consistit inter passiones esse ordinatas, vel inordinatas. Et illae quidem in hoc proposito vocantur *passiones:* istae autem *propassiones.* Et ideo, cum de Domino Iesu Christo sermo est, ne cuiusquam aures offendamus, *animales passiones* negamus, *propassiones* autem asserimus in Christo fuisse, Hieronymum imitantes dicentem * de Christi tristitia: *Non passio, sed propassio est.* (* Loc. cit. in corpore.)

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM IN CHRISTO FUERIT VERUS DOLOR SENSIBILIS

III *Sent.*, dist. XV, qu. II, art. 3, qu^{a} 1; Expos. litt.; *De Verit.*, qu. XXVI, art. 8, ad 7, 8; *Compend. Theol.*, cap. CCXXXII.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod in Christo non fuerit verus dolor sensibilis. Dicit enim Hilarius, in X *de Trin.* *: *Cum pro Christo mori vita sit, quid ipse in mortis sacramento doluisse aestimandus est, qui pro se morientibus vitam rependit?* Et infra [α] * dicit: *Unigenitus Deus hominem verum, non deficiens a se Deo, sumpsit: in quo, quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret, afferrent quidem haec impetum passionis, non tamen dolorem* [β] *inferrent.* Non igitur in Christo fuit verus dolor. (* Num. 10. — * Num. 23.)

2. Praeterea, hoc proprium videtur esse carni in peccato conceptae, quod necessitati doloris subiaceat. Sed caro Christi non est cum peccato concepta, sed ex Spiritu Sancto in utero virginali. Non ergo subiacuit necessitati patiendi dolorem.

3. Praeterea, delectatio contemplationis divinorum diminuit sensum doloris: unde et martyres in passionibus suis tolerabilius dolorem [γ] sustinuerunt ex consideratione divini amoris. Sed anima Christi summe delectabatur in contemplatione Dei, quem per essentiam videbat, ut supra * dictum est. Non ergo poterat sentire aliquem dolorem. (* Qu. IX, art. 2.)

Sed contra est quod Isaiae LIII * dicitur: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit* [δ]. (* Vers. 4.)

Respondeo dicendum quod, sicut patet ex his quae in Secunda Parte * dicta sunt, ad veritatem doloris sensibilis requiritur laesio corporis et sensus laesionis. Corpus autem Christi laedi poterat: quia erat passibile et mortale, ut supra * habitum est. Nec defuit ei sensus laesionis: cum anima Christi perfecte haberet omnes potentias naturales. Unde nulli dubium debet esse quin in Christo fuerit verus dolor. (* I^{a} II^{ae}, qu. XXXV, art. 7. — * Qu. XIV, art. 1, 2.)

Ad primum ergo dicendum quod in omnibus illis verbis, et similibus, Hilarius a carne Christi non veritatem doloris, sed necessitatem excludere intendit. Unde post praemissa verba subdit *: *Neque enim, cum sitivit aut esurivit aut flevit, bibisse Dominus aut manducasse aut doluisse monstratus est: sed ad demonstrandam corporis veritatem corporis consuetudo suscepta est, ita ut, naturae nostrae consuetudine, consuetudini sit corporis satisfactum. Vel, cum potum aut cibum accepit, non se necessitati corporis, sed consuetudini tribuit.* Et accepit *necessitatem* per comparationem ad causam primam horum defectuum, quae est peccatum, ut supra * dictum est: ut scilicet ea ratione dicatur caro Christi non subiacuisse necessitati horum defectuum, quia non fuit in ea [ε] peccatum. Unde subdit *: *Habuit enim,* scilicet Christus, *corpus, sed* [ζ] *originis suae proprium: neque ex vitiis humanae conceptionis existens, sed in formam corporis nostri, virtutis suae potestate, subsistens.* Quantum tamen ad causam propinquam horum defectuum, quae est compositio contrariorum, caro Christi subiacuit necessitati horum defectuum, ut supra * habitum est. (* Num. 24. — * Qu. XIV, art. 1, 3. — * Num. 25. — * Qu. XIV, art. 2.)

Ad secundum dicendum quod caro in peccato concepta subiacet dolori non solum ex necessi-

α) *infra.* – PF; *ita* l, *ideo* ceteri. – *verum* F et tertia; *naturam.* – *Deo* tertia; *Deus.*
β) *dolorem.* – *passionis* addit tertia.
γ) *dolorem.* – *passionem* ed. *a*, *dolores* ante *tolerabilius* BCD, om. EGH et editiones.
δ) *Vere... portavit.* – *Vere dolores nostros ipse portavit* F; ita et tertia sed *tulit.*
ε) *ea.* – Tertia; *eo.*
ζ) *scilicet Christus, corpus, sed.* – Tertia praeter G; *scilicet corpus Christus* (*Christus corpus* sG) *secundum* G, *corpus Christi secundum* ceteri. – *proprium* F et tertia; *propositum.* – *in formam* tertia praeter P; *in forma.* – *potestate* F et tertia; *puritate.*

tate naturalium principiorum, sed etiam ex necessitate reatus peccati. Quae quidem necessitas in Christo non fuit: sed solum necessitas naturalium principiorum.

* Qu. xiv, art. 1, ad 2.

Ad tertium dicendum quod, sicut supra * dictum est, virtute divinitatis Christi dispensative sic beatitudo in anima continebatur quod non derivabatur ad corpus, ut eius passibilitas et mortalitas tolleretur. Et, eadem ratione, delectatio contemplationis sic continebatur in mente quod non derivabatur ad vires sensibiles, ut per hoc dolor sensibilis excluderetur.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore unica conclusio: *In Christo fuit verus dolor.* Probatur. In quo est laesio corporis et sensus laesionis, est dolor sensibilis. Sed in Christo fuit utrumque. Ergo.

Probatur minor quoad primum. Quia corpus Christi erat passibile et mortale. – Quoad secundum vero: quia anima Christi perfecte habuit omnes potentias naturales.

II. Nota, Novitie, quod illa duo in littera posita requisita ad dolorem, non sunt doloris partes, sed causae sufficientes. Dolor namque nec est laesio, nec perceptio laesionis: sed est passio appetitus sensitivi consurgens ex corporis laesione percepta sensu. Nam, quantumcumque corpus laederetur flagello, clavo vel gladio, si non perciperetur, non consurgeret dolor: ut patet cum laeduntur hi qui patiuntur extasim. Et rursus, quantumcumque corpus laedatur et laesio percipiatur intellectu vel imaginatione, si non sentitur, non sequitur dolor: ut patet in iis qui, calidis adhuc plagis, superlaeduntur. Hi enim, magnam laesionem patientes, vix dolent, quia fere illam non sentiunt, perturbato organo tactus: quam tamen cognoscunt esse magnam corporis laesionem. Ex hoc enim quod quantitas doloris iuxta quantitatem sensationis consequitur, habetur quod dolor absolute sensationem absolute laesionis corporis consequitur: ita quod, si nullus esset laesionis sensus, nullus esset dolor.

III. In responsione ad primum, dubium occurrit ad hominem. Quia Auctor superius, in qu. xiv, art. 3, ad 2, dixit compositionem ex contrariis esse causam remotam, peccatum vero causam proximam mortis et aliorum defectuum naturae humanae. Nunc vero dicit peccatum esse causam primam, et compositionem ex contrariis esse causam propinquam horum defectuum. Quomodo stant haec simul?

Ad hoc dicitur quod prius dicta verificantur referendo causas defectuum ad naturam humanam: hic autem dicta verificantur referendo easdem ad singulares filios Adae. Nam si ad naturam spectes humanam, invenies compositionem ex contrariis causam esse mortis et defectuum remotam: quia impediebatur a superveniente originali iustitia, ut in suum non posset effectum; ac per hoc, peccatum, tollens originalem iustitiam prohibentem defectus, fit mortis et defectuum proxima causa, non positive, ut compositio ex contrariis, sed removendo prohibens. Et hoc superius Auctor docuit. – Si vero ad singulos filios Adae spectes, invenies peccatum esse causam primam, utpote universalem causam in suo, ut dictum est, ordine, sed ut removentem prohibens: compositionem autem ex contrariis in hoc homine esse propinquam causam mortis et defectuum; quia haec sola sufficit ad causandum mortem et defectus corporales.

Sed quoniam tam compositio ex contrariis quam peccatum est causa universalis absolute, et particularis in hoc, ideo aliter dicitur quod prius dictum verum est quoad ipsas causas: nunc vero dictum verum est quoad executiones ipsarum causarum. Nam si ad compositionem ex contrariis et peccatum spectemus, invenitur compositio prior, et peccatum tollens supervenientem iustitiam invenitur posterior causa. Et hoc superius docuit Auctor, dicens compositionem remotam, peccatum vero proximam causam. Si autem spectemus ad executiones causalitatum utriusque, invenimus peccatum esse priorem causam: quia prius peccatum sustulit iustitiam prohibentem mortem et defectus; et deinde compositio ex contrariis intulit defectus et mortem. Et ideo Auctor hic dicit peccatum esse primam causam mortis et defectuum, quia ab ipso incoepit mors et defectus omnis: compositio autem dicitur causa propinqua, quia compositio ex contrariis, post peccatum, executa est operationem suam, qua mortem defectusque intulit. Et haec est vera expositio horum dictorum *.

* Cf. qu. xiv, art. 3, Comment. num. II.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM IN CHRISTO FUERIT TRISTITIA

III *Sent.*, dist. xv, qu. II, art. 2, qu^a 1; Expos. litt.; *De Verit.*, qu. xxvi, art. 8; *Compend. Theol.*, cap. ccxxxii; *In Matth.*, cap. xxvi.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod in Christo non fuerit tristitia. Dicitur enim de Christo, Isaiae xlii *: *Non erit tristis neque turbulentus.*

* Vers. 4.

2. Praeterea, *Proverb.* xii * dicitur: *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit.* Et huius rationem Stoici assignabant *, quia nullus tristatur nisi de amissione bonorum suorum: iustus autem non reputat bona sua nisi iustitiam et virtutem α, quas non potest amittere. Alioquin, subiaceret β iustus fortunae, si pro amissione bonorum fortunae tristaretur. Sed Christus fuit maxime iustus: secundum illud Ierem. xxiii *. *Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus Iustus noster.* Ergo in eo non fuit tristitia.

* Vers. 21.
* Cf. Tull., *Tuscul. Dispp.* lib. V, cap. vi sqq. (Ed. Teubner).
* Vers. 6.

3. Praeterea, Philosophus dicit, in VII *Ethic.* *, quod omnis tristitia est *malum et fugiendum.* Sed nullum malum vel fugiendum γ fuit in Christo. Ergo in Christo non fuit tristitia.

* Cap. xiii, n. 1. – S. Th. lect. xiii.

4. Praeterea, sicut Augustinus dicit, XIV *de Civ. Dei* *, *tristitia est de his quae nobis nolentibus accidunt.* Sed nihil passus est Christus contra suam voluntatem: dicitur enim Isaiae liii *: *Oblatus est quia ipse voluit.* Ergo in Christo non fuit tristitia.

* Cap. vi, xv.
* Vers. 7.

Sed contra est quod dicit Dominus, Matth. xxvi *: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* – Et Ambrosius dicit, II *de Trin.* *: *Ut homo, tristitiam habuit: suscepit enim tristitiam meam. Confidenter tristitiam nomino, qui crucem praedico.*

* Vers. 38.
* Al. *de Fide ad Gratiam.*, lib. II, cap. vii.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est *,

* Art. praeced., ad 3.

α) *virtutem.* – Tertia; *veritatem.*
β) *subiaceret.* – *subiiceret* I, *subiiceretur* cetera tertia.
γ) *malum vel fugiendum.* – *malum et fugiendum* I, *malum fugiendum* FGH, *fugiendum* bc, *malum* P.

delectatio divinae contemplationis ita per dispensationem divinae virtutis retinebatur in mente Christi quod non derivabatur [δ] ad vires sensitivas, ut per hoc dolor sensibilis excluderetur. Sicut autem dolor sensibilis est in appetitu sensitivo, ita et tristitia: sed est differentia secundum motivum, sive obiectum. Nam obiectum et motivum doloris est laesio sensu tactus percepta: sicut cum aliquis vulneratur. Obiectum autem et motivum tristitiae est nocivum seu malum interius apprehensum, sive per rationem sive per imaginationem, sicut in Secunda Parte * habitum est: sicut cum aliquis tristatur de amissione gratiae vel pecuniae.

* Iª IIªᵉ, qu. xxxv, art. 2, 7.

Potuit autem anima Christi interius apprehendere aliquid ut nocivum, et quantum ad se, sicut passio et mors eius fuit: et quantum ad alios, sicut peccatum discipulorum, vel etiam Iudaeorum occidentium ipsum. Et ideo, sicut in Christo potuit esse verus dolor, ita in eo potuit esse vera tristitia: alio tamen modo quam in nobis est, secundum illa tria quae sunt assignata supra *, cum communiter de Christi passione [ε] loqueremur.

* Art. 4.

Ad primum ergo dicendum quod tristitia removetur a Christo secundum passionem perfectam: fuit tamen in eo initiata, secundum propassionem. Unde dicitur Matth. xxvi *: *Coepit contristari et moestus esse.* « Aliud enim est contristari, aliud incipere contristari, » ut Hieronymus ibidem * dicit.

* Vers. 37.
* *Comment. in Matth.* lib. IV.

Ad secundum dicendum quod, sicut Augustinus dicit, XIV *de Civ. Dei* *, *pro tribus perturbationibus,* scilicet cupiditate, laetitia et timore, *Stoici tres eupathias,* idest bonas passiones, *in anima sapientis posuerunt:* scilicet *pro cupiditate voluntatem, pro laetitia gaudium, pro metu cautionem* [ζ]. *Sed pro tristitia negaverunt aliquid posse esse in animo sapientis: quia tristitia est de malo quod iam accidit; nullum autem malum aestimant posse accidere sapienti.* Et hoc ideo est quia non credebant aliquid esse bonum nisi honestum, quod homines bonos facit; nec aliquid esse malum nisi inhonestum, per quod homines mali fiunt.

* Cap. viii.

Quamvis autem honestum sit principale hominis bonum, et inhonestum principale hominis malum, quia haec pertinent ad ipsam rationem, quae est principalis in homine; sunt tamen quaedam secundaria hominis bona, quae pertinent ad ipsum corpus, vel ad exteriores res corpori deservientes. Et secundum hoc, potest in animo sapientis esse tristitia, quantum ad appetitum sensitivum, secundum apprehensionem huiusmodi malorum: non tamen ita quod ista tristitia perturbet rationem. Et secundum hoc etiam intelligitur quod *non contristabit iustum quidquid ei acciderit:* quia scilicet ex nullo accidente eius ratio perturbatur. Et secundum hoc tristitia fuit in Christo, secundum propassionem, non secundum passionem.

Ad tertium dicendum quod omnis tristitia est malum poenae: non tamen semper est malum culpae, sed solum quando ex inordinato affectu procedit. Unde Augustinus dicit, XIV *de Civ. Dei* *: *Cum rectam rationem sequantur istae affectiones, et quando et ubi oportet adhibentur, quis eas tunc morbidas aut vitiosas passiones audeat dicere?*

* Cap. ix.

Ad quartum dicendum quod nihil prohibet aliquid esse contrarium voluntati secundum se quod tamen est volitum ratione finis ad quem ordinatur: sicut medicina amara non est secundum se volita, sed solum secundum quod ordinatur ad sanitatem. Et hoc modo mors Christi et eius passio fuit, secundum se considerata, involuntaria et tristitiam causans: licet fuerit voluntaria in ordine ad finem, qui est redemptio humani generis.

δ) *derivabatur.* – PEFsD et *a*; *derivabantur* ABCpD, *derivaretur* cetera tertia.

ε) *Christi passione.* – *passionibus Christi animae* F, *passionibus animae Christi* tertia.

ζ) *cautionem.* – EF et tertia; *timorem.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore unica est conclusio responsiva quaesito: *Sicut in Christo potuit esse verus dolor, ita potuit in eo esse vera tristitia.* Probatur. Anima Christi potuit aliquid apprehendere interius ut nocivum. Ergo potuit in eo esse vera tristitia, sicut et verus dolor.

Antecedens manifestatur. Quia et quantum ad se, et quantum ad alios, potuit apprehendere aliquid ut nocivum: ut patet in exemplis. – Consequentia vero probatur ex *quod quid est* tristitiae et doloris, et ex una communi utriusque causa in Christo. Assignatur siquidem utriusque quidditas ex essentiali convenientia et differentia utriusque. Ex hoc namque quod conveniunt in hoc quod sunt una passio appetitus sensitivi, consistens in refutatione mali praesentis; et differunt penes obiectum, quia doloris obiectum est malum corporis praesens sensu tactus perceptum, tristitiae autem malum praesens interius perceptum; iuncto his quod causa doloris possibilis in Christo fuit dispensatio divinae virtutis retinens in parte superiori quae sunt gloriae, ut pars sensitiva propria dolendo exequi posset: clare sequitur quod, sicut in Christo potuit esse verus dolor, ita et vera tristitia. Et ly *sicut* monstrat non solum similitudinem seu convenientiam in causa propria Christo, sed et in proportionali ratione definitiva utriusque, et in modo communi omnibus in Christo passionibus, scilicet, per modum *propassionis.* De quo modo subditur in littera remittente se ad dicta in articulo quarto huiusmet quaestionis.

II. In responsione ad secundum, memento, Novitie, numeri principalium passionum, scilicet spei seu cupiditatis, delectationis, timoris et tristitiae *: et intelliges quare ad has quatuor spectabant Stoici.

* Cf. Iªᵐ IIªᵉ, qu. xxv, art. 4.

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM IN CHRISTO FUERIT TIMOR

III *Sent.*, dist. xv, qu. II, art. 2, qu^a^ 3; Expos. litt.; *De Verit.*, qu. xxvi, art. 8; *Compend. Theol.*, cap. ccxxxii.

AD SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in Christo non fuerit timor. Dicitur enim
* Vers. 1. *Proverb.* xxviii *: *Iustus, quasi leo confidens, absque terrore erit.* Sed Christus fuit maxime iustus. Ergo in Christo non fuit aliquis timor.

* Num. 10. 2. PRAETEREA, Hilarius dicit, X *de Trin.* *: *Interrogo eos qui hoc existimant, an ratione subsistat ut mori timuerit qui, omnem ab Apostolis mortis timorem expellens, ad gloriam eos sit martyrii exhortatus.* Non ergo in Christo rationabile est fuisse timorem.

α 3. PRAETEREA, timor non videtur esse ^α^ nisi de malo quod non potest homo vitare. Sed Christus poterat vitare et malum poenae, quod passus est; et malum culpae, quod aliis accidit. Ergo in Christo non fuit aliquis timor.

* Vers. 33. SED CONTRA EST quod dicitur Marc. xiv *: *Coepit Iesus taedere et pavere.*

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut tristitia causatur ex apprehensione mali praesentis, ita etiam ^β^ timor causatur ex apprehensione mali futuri. Apprehensio autem mali futuri, si omnimodam certitudinem habeat, non inducit timorem. Unde
* Cap. v, n. 13. Philosophus dicit, in II *Rhet.* *, quod timor non est nisi ubi est aliqua spes evadendi: nam quando nulla spes est evadendi, apprehenditur malum ut praesens; et sic magis causat tristitiam quam timorem.

Sic igitur timor potest considerari quantum ad duo. Uno modo, quantum ad hoc quod appetitus sensitivus naturaliter refugit corporis laesionem, et per tristitiam, si sit praesens; et per timorem, si sit futura. Et hoc modo timor fuit in Christo, sicut et tristitia. – Alio modo potest considerari secundum incertitudinem futuri adventus ^γ^: sicut quando nocte timemus ex aliquo sonitu, quasi ignorantes quid hoc sit. Et quantum ad hoc, timor non fuit in Christo: ut Damascenus dicit, in III libro *. * *De Fide Orth.*, lib. III, cap. xxiii.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod iustus dicitur esse *absque terrore*, secundum quod terror importat perfectam passionem, avertentem hominem a bono ^δ^ quod est rationis. Et sic timor non fuit in Christo: sed solum secundum propassionem. Et ideo dicitur quod *coepit Iesus pavere et taedere* ^ε^ *, quasi *secundum propassionem*, ut Hieronymus exponit *. * Cf. arg. *Sed contra.* * *Comment. in Matth.*, lib. IV, ad cap. xxvi, vers. 37.

AD SECUNDUM DICENDUM quod Hilarius eo modo excludit a Christo timorem quo excludit tristitiam: scilicet quoad necessitatem timendi *. Sed tamen, ad ^ζ^ comprobandam veritatem humanae naturae, voluntarie timorem assumpsit, sicut et tristitiam. * Cf. art. 5, ad 1.

AD TERTIUM DICENDUM quod, licet Christus potuerit vitare mala futura secundum virtutem divinitatis, erant tamen inevitabilia, vel non de facili vitabilia, secundum infirmitatem carnis.

α) *esse.* – D et tertia; om.
β) *etiam.* – Om. PG.
γ) *adventus.* – *eventus* Pa.
δ) *a bono.* – *ab eo* F et tertia.
ε) *et taedere.* – Om. tertia.
ζ) *ad.* – Tertia praeter G; *quoad.* – Pro *comprobandam*, *probandam* FG.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. – In corpore duo fiunt: primo, declarantur conditiones requisitae ad causandum timorem; secundo, respondetur quaesito cum distinctione bimembri
* Cf. num. II. et conclusionibus duabus *.

Quoad primum, conditiones sunt quatuor: apprehensio mali futuri incerti, seu possibilis evitari. Et in duabus primis convenit cum tristitia: quia uterque est ex apprehensione mali. In tertia differunt: quia illa est praesentis, iste futuri. Sed haec differentia non sufficit, quia non est usquequaque differentia: quoniam futurum potest habere rationem praesentis, et tunc non timor, sed tristitia causatur. Apprehenditur autem malum futurum sub ratione praesentis quando ut certum apprehenditur. Et ideo incertum, seu possibile vitari esse debet malum futurum quod timorem ingerit. Et haec omnia in littera, ex convenientia et differentia inter tristitiam et timorem, clare dicuntur.

Sed bene nota verba litterae, *si omnimodam certitudinem habeat.* Quoniam, etsi est certum quoad substantiam et incertum quoad tempus, ut contingit communiter de morte; aut quoad genus mortis, ut contingit damnatis ad mortem, et huiusmodi: quantum admiscetur de incertitudine, tantum potest immisceri spei evadendi, et consequenter timoris.

Nec putes propterea enumeratas esse omnes timoris causas. Quoniam sat fuit proposito eas conditiones afferre secundum quas discernendum est qualiter fuit et qualiter non fuit in Christo timor. De timore enim diffuse in Prima Secundae * tractatum est. * Qu. xli sqq.

II. Quoad secundum, distinctio est. Timor potest considerari quantum ad duo: primo, quantum ad motum appetitus sensitivi ex apprehenso malo futuro; secundo, quantum ad motum eiusdem ex apprehenso malo futuro incerto.

Prima conclusio est: *In Christo fuit timor quoad primum.* – Secunda conclusio est: *In Christo non fuit timor quoad secundum.* Probatur auctoritate Damasceni. – Et patet utraque conclusio ex dictis *. * Num. praeced.

III. Sed dubium occurrit circa primam conclusionem *. * Cf. num. v.
Quia motus appetitus ex malo futuro apprehenso non est timor nisi sit cum spe evasionis, ut in littera dicitur ex Aristotele. Ergo talis motus non est timor nisi aequivoce. Non salvatur igitur per hoc sufficienter in Christo timor.

Dubium quoque alterum occurrit circa secundam conclusionem *. Quoniam ex hoc quod Christus omnia futura * Cf. ibid.
certo cognovit, non sufficienter excluditur timor quoad incertitudinem eventus. Quoniam scientia animae Christi,

* Qu. xi, art. 5. ut patet ex supra * dictis, erat habitualis: nec oportebat esse actualem, quoniam habitus est *quo quis operatur cum vult* *. Et propterea poterat Christus, non utendo scientia eventus quam habebat, apprehendere malum futurum quasi incertum, et sic habere in suo appetitu timoris motum quoad omnia, sicut et tristitiam, non quoad aliquid tantum.

* Averr. III *de Anima*, Comm. xviii.

Et augetur dubium. Quia ex eo quod in Christo non erat redundantia superiorum ad inferiores partes aut e contra, sed unaquaeque pars sibi propria exercebat, consentaneum est ut aestimativa, seu cogitativa Christi, cum ratione non utente scientia infusa de certitudine eventus mortis, quamvis utente scientia futurae mortis, apprehenderit malum futurum ut incertum ipsi cogitativae quoad eventum; et ex tali apprehensione fuerit timor quoad omnia, cum imaginativa, seu cogitativa, sit movens immediatum appetitus sensitivi.

IV. Ad horum evidentiam, sciendum est quod sermo litterae est de Christo homine simpliciter et absolute: et non est de Christo secundum quid. Ita quod utraque conclusio verificatur de Christo secundum id quod convenit Christo simpliciter. Constat autem de Christo non dici simpliciter quod incertus erat de eventu mali futuri, sed oppositum: scilicet quod certus erat de eventu mortis et reliquorum malorum futurorum, non solum inquantum Deus, sed etiam inquantum homo; nec solum ut comprehensor, sed etiam ut viator; quamvis secundum quid, hoc est secundum aliquam eius partem, possit eventus incertitudo, non privative sed negative intellecta, illi attribui. Sed non propterea potest ratione partis attribui ipsi Christo absolute: quia oppositum, ut dictum est, convenit illi simpliciter. Sicut Aethiops potest quidem dici *albus dentes,* non tamen propterea potest dici *albus:* quia, simpliciter loquendo, est niger. Timor igitur, quoad incertitudinem eventus, vere negatur in Christo simpliciter et absolute: quia Christus erat certissimus de eventu malorum. Et hoc est quod docemur ex secunda conclusione litterae.

Cum quo tamen stat quod in Christo, secundum aliquam portionem, potuit esse timor etiam quoad incertitudinem eventus, quod est in Christo secundum quid fuisse timorem quoad incertitudinem eventus: pro quanto potuit ratio inferior apprehendere malum futurum nihil proponendo de certitudine vel incertitudine eventus, ac per hoc apprehendebatur malum futurum ut incertum negative. Remanebat siquidem malum futurum non certum ex hoc ipso quod non proponebatur certe eventurum. Et sic potuit esse in Christo timor etiam quoad incertitudinem eventus.

V. Ad primum igitur dubium * dicitur quod motus appetitus sensitivi causatus ex apprehensione mali futuri abstrahendo a certo vel incerto, est vere timor: non tristitia, requirens quod malum futurum apprehendatur quasi praesens quia certum. Et quoniam in littera nihil aliud dicitur, ponendo primam conclusionem, nisi quod timor fuit in Christo quatenus causatur ex apprehensione mali futuri, ideo sibi non obstant prius dicta ex Aristotele. Nec obstat secunda conclusio: quae non negat huiusmodi timorem a Christo; sed negat timorem quoad incertitudinem contrarie a Christo simpliciter. * Num. iii.

Et hinc patet solutio secundi dubii *. Quoniam, ut dictum est, conclusio secunda asserit in Christo absolute non fuisse incertitudinem eventus mali, quae est ambiguitas quaedam de malo futuro (haec est enim incertitudo contrarie); ac per hoc, non esse timorem quoad huiusmodi incertitudinem. Obiectiones autem loquuntur et de incertitudine negative; et de Christo secundum quid. Quia, ut dictum est *, verificatur de Christo simpliciter quod erat certissimus de eventu cuiusque mali futuri. * Ibid. * Num. praeced.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM IN CHRISTO FUERIT ADMIRATIO

IV *Cont. Gent.*, cap. xxxiii; *In Matth.*, cap. viii.

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod in Christo non fuerit admiratio. Dicit enim Philosophus, in I *Metaphys.* *, quod admiratio causatur ex hoc quod aliquis videt effectum et ignorat causam: et sic admirari non est nisi ignorantis. Sed in Christo non fuit ignorantia, ut dictum est *. Ergo in Christo non fuit admiratio.

* Cap. ii, n. 8, 11. - S. Th. lect. iii.
* Art. 3.

2. Praeterea, Damascenus dicit, in II libro *, quod *admiratio est timor ex magna imaginatione:* et ideo Philosophus dicit, in IV *Ethic.* *, quod *magnanimus non est admirativus.* Sed Christus fuit maxime magnanimus. Ergo in Christo non fuit admiratio.

* *De Fide Orth.*, lib. II, cap. xv.
* Cap. iii, n. 30. - S. Th. lect. x.

3. Praeterea, nullus admiratur de eo quod ipse facere potest. Sed Christus facere potuit quidquid magnum erat in rebus. Ergo videtur quod de nullo admirabatur.

Sed contra est quod dicitur Matth. viii *: *Audiens Iesus,* scilicet verba centurionis, *miratus est.* * Vers. 10.

Respondeo dicendum quod admiratio proprie est de novo aliquo insolito [α]. In Christo autem non poterat esse aliquid novum et insolitum quantum ad scientiam divinam; neque etiam quantum ad scientiam humanam qua cognoscebat res in Verbo; vel qua cognoscebat res per species inditas. Potuit tamen esse aliquid sibi novum et insolitum secundum scientiam experimentalem *, secundum quam sibi poterant quotidie aliqua nova occurrere. Et ideo, si loquimur de Christo quantum ad scientiam divinam et scientiam beatam, vel etiam infusam, non fuit in Christo admiratio. Si autem loquamur de eo quantum ad scientiam experimentalem, sic admiratio in eo esse potuit. Et assumpsit hunc affectum [β] ad nostram instructionem: ut scilicet doceat esse mirandum quod etiam ipse mirabatur. Unde Augustinus dicit, in I *super Gen. contra Manich.* *: *Quod miratur Dominus, nobis mirandum esse significat, quibus adhuc opus est sic moveri. Omnes ergo tales motus eius non perturbati animi signa sunt, sed docentis magisterium.* * D. 1218. * Cap. viii.

Ad primum ergo dicendum quod, licet Christus nihil ignoret [γ], poterat tamen de novo aliquid occurrere experimentali eius scientiae, ex quo admiratio causaretur.

α) *novo aliquo insolito.* – *aliquo novo et insolito* tertia.
β) *affectum.* – *defectum* PDGsH, *effectum* pH; *Alias affectum* margo P.
γ) *ignoret.* – *ignoraret* PG, *ignoraverit* H.

AD SECUNDUM DICENDUM quod Christus admirabatur de fide centurionis non ea ratione quod esset magna quantum ad ipsum: sed quia erat magna quantum ad alios.

AD TERTIUM DICENDUM quod ipse poterat facere omnia secundum virtutem divinam, secundum quam in eo admiratio non erat: sed solum secundum humanam scientiam experimentalem, ut dictum est *. * In corpore.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus est. – In corpore unica est conclusio: *In Christo solum quantum ad scientiam experimentalem potuit esse admiratio.* Haec conclusio primo probatur; deinde redditur ratio quare ista potentia posita est in actu.

Probatio est. Admiratio est de novo et insolito. Sed Christo nec secundum scientiam divinam, nec humanam in Verbo, nec inditam, sed tantum experimentalem, potuit occurrere aliquid novum et insolitum. Ergo.

Ratio actus est instructio nostra. Confirmatur auctoritate Augustini.

ARTICULUS NONUS

UTRUM IN CHRISTO FUERIT IRA

III *Sent.*, dist. XV, qu. II, art. 2, qu^a 2; *Compend. Theol.*, cap. CCXXXII.

AD NONUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in Christo non fuerit ira. Dicitur enim Iac. I *: *Ira enim viri iustitiam Dei non operatur.* Sed quidquid fuit in Christo ad iustitiam Dei pertinuit: ipse enim *factus est nobis iustitia a Deo,* ut dicitur I *Cor.* I *. Ergo videtur quod in Christo non fuerit ira.

* Vers. 20. * Vers. 30.

2. PRAETEREA, ira mansuetudini opponitur: ut patet in IV *Ethic.* * Sed Christus fuit maxime [α] mansuetus. Ergo in Christo non fuit ira.

* Cap. V, n. 1, 2, 3. - S. Th. lect. XIII.

3. PRAETEREA, Gregorius dicit, in V *Moral.* *, quod *ira per vitium excaecat oculum mentis; ira vero per zelum ipsum turbat.* Sed in Christo mentis oculus non fuit neque excaecatus neque turbatus. Ergo in Christo non fuit ira per vitium, nec ira per zelum.

* Cap. XLV, al. XXX; in vet. XXXIII.

SED CONTRA EST quod Ioan. II * dicitur de eo esse impletum quod in Psalmo * legitur: *Zelus domus tuae comedit me.*

* Vers. 17. * Ps. LXVIII, vers. 10.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut in Secunda Parte * dictum est, ira est effectus tristitiae. Ex tristitia enim alicui illata consequitur in eo, circa sensitivam partem, appetitus repellendi illatam iniuriam vel sibi vel aliis. Et sic ira est passio composita ex tristitia et appetitu vindictae. Dictum est * autem quod in Christo tristitia esse potuit. Appetitus etiam vindictae quandoque est cum peccato: quando scilicet aliquis vindictam quaerit sibi absque ordine rationis. Et sic ira in Christo esse non potuit: hoc enim dicitur *ira per vitium* *. – Quandoque vero talis appetitus est sine peccato, immo est laudabilis: puta cum aliquis appetit vindictam secundum ordinem iustitiae. Et hoc vocatur *ira per zelum* *: dicit enim Augustinus, *super Ioan.* *, quod *zelo domus Dei comeditur qui omnia perversa quae videt cupit emendare; et, si emendare non possit, tolerat et gemit.* Et talis ira fuit in Christo.

* I^a II^ae, qu. XLVI, art. 3, ad 3; II^a II^ae, qu. CLVIII, art. 2, ad 3. * Art. 6. * Cf. arg. 3. * Cf. ibid. * Tract. X, ad cap. II, vers. 17.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut dicit Gregorius, in V *Moral.* *, ira dupliciter se habet in homine. Quandoque enim praevenit rationem, et trahit eam secum ad operandum. Et tunc proprie ira dicitur *operari:* nam operatio attribuitur principali agenti. Et secundum hoc intelligitur quod *ira viri iustitiam Dei non operatur.* – Quandoque vero ira sequitur rationem, et est quasi instrumentum ipsius. Et tunc operatio, quae est iustitiae, non attribuitur irae, sed rationi.

* Loc. cit. in arg. 3.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ira quae transgreditur ordinem rationis, mansuetudini opponitur: non autem ira quae est moderata, ad [β] medium reducta per rationem. Nam mansuetudo medium tenet in ira.

AD TERTIUM DICENDUM quod in nobis, secundum naturalem ordinem, potentiae animae mutuo se impediunt: ita scilicet quod, cum unius potentiae operatio fuerit intensa, alterius operatio debilitetur. Et ex hoc procedit quod motus irae, etiam si sit secundum rationem moderatus, utcumque impedit oculum animae contemplantis. Sed in Christo, per moderationem divinae virtutis, *unicuique potentiae permittebatur agere quod erat ei proprium* *, ita quod una potentia ex alia non impediebatur. Et ideo, sicut delectatio mentis contemplantis non impediebat tristitiam vel dolorem inferioris partis, ita etiam [γ] e converso passiones inferioris partis in nullo impediebant actum rationis.

* Damascen. *de Fide Orth.*, lib. III, cap. XIX. - Cf. cap. XIV, XV.

α) *maxime.* – *etiam maxime* F, om. tertia praeter I.
β) *ad.* – *et ad* F et tertia.
γ) *etiam.* – PGI; *scilicet.*

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus est. – In corpore articuli sunt duae conclusiones responsivae quaesito. Prima est: *Ira per vitium non potuit esse in Christo.* – Secunda est: *Ira per zelum fuit in Christo.*

Probatur conclusio utraque simul: monstrando, primo, ex quibus constat ira, scilicet ex tristitia et appetitu vindictae; et distinguendo duplicem appetitum vindictae, vel non secundum ordinem rationis, vel secundum ordinem rationis. Ille *iram per vitium,* iste *iram per zelum* constituit, ut Augustinus dicit. Et sic relinquuntur ambae con-

clusiones ut per se notae: prima, quia in Christo constat non fuisse peccatum; secunda vero, quia Evangelium expresse dicit de Christo, *Zelus domus tuae* etc. * (* Cf arg. *Sed contra.*)

Nec putes, Novitie, proprie compositam esse iram ex tristitia et appetitu vindictae: cum illa sit in concupiscibili, hic in irascibili. Et rursus uterque est qualitas simplex. Sed composita dicitur tanquam ex necessario concurrentibus ad constitutionem ipsius: quae formaliter est appetitus vindictae; causaliter autem est tristitia, quia ex tristitia iniuriae causatur.

Et potes, si vis conclusiones deducere, syllogizare facile: – In Christo fuit tristitia et appetitus vindictae, non praeter, sed secundum rationis ordinem. Ergo in ipso ira, non per vitium, sed per zelum fuit.

ARTICULUS DECIMUS

UTRUM CHRISTUS FUERIT SIMUL VIATOR ET COMPREHENSOR

III *Sent.*, dist. XV, qu. II, art. 1, qu[a] 3, ad 3; dist. XVIII, art. 2; *De Verit.*, qu. X, art. 11, ad 3; qu. XXVI, art. 10, ad 14, 15; qu. XXIX, art. 6; *Compend. Theol.*, cap. CCXXXI.

AD DECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus non fuerit simul viator et comprehensor. Viatori enim competit moveri ad finem beatitudinis: comprehensori autem competit in fine quiescere. Sed non potest simul eidem convenire quod moveatur ad finem [α], et quod quiescat in fine. Ergo non potuit simul esse quod Christus esset viator et comprehensor.

2. PRAETEREA, moveri ad beatitudinem, aut eam obtinere, non competit homini secundum corpus, sed secundum animam. Unde Augustinus dicit, in Epistola *ad Dioscorum* * (* Ep. CXVIII, al. LVI, cap. III.), quod *ad inferiorem naturam, quae est corpus, redundat ab anima non* [β] *beatitudo, quae propria est fruentis et intelligentis.* Sed Christus, licet haberet corpus passibile, tamen secundum mentem plene Deo fruebatur. Non ergo Christus fuit viator, sed purus comprehensor.

3. PRAETEREA, sancti, quorum animae sunt in caelo et corpora in sepulcris, fruuntur quidem beatitudine secundum animam, quamvis eorum corpora morti subiaceant: et tamen non dicuntur viatores, sed solum comprehensores. Ergo, pari ratione, licet corpus Christi fuerit mortale, quia tamen mens eius Deo fruebatur, videtur quod fuerit purus comprehensor, et nullo modo viator.

SED CONTRA EST quod dicitur Ierem. XIV * (* Vers. 8.): *Quasi* [γ] *colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum.*

RESPONDEO DICENDUM quod aliquis dicitur viator ex eo quod tendit in beatitudinem, comprehensor autem dicitur ex hoc quod iam beatitudinem obtinet: secundum illud I *Cor.* IX * (* Vers. 24.): *Sic currite ut comprehendatis;* et *Philipp.* III * (* Vers. 12.): *Sequor autem, si quo modo comprehendam.* Hominis autem beatitudo perfecta consistit in anima et corpore, ut in Secunda Parte * (* I[a] II[ae], qu. IV, art. 6.) habitum est: in anima quidem, quantum ad id quod est ei proprium, secundum quod [δ] mens videt et fruitur Deo; in corpore vero, secundum quod corpus *resurget* [ε] *spirituale, et in virtute et in gloria et in incorruptione,* ut dicitur I *Cor.* XV * (* Vers. 42 sqq.). Christus autem, ante passionem, secundum mentem plene videbat Deum * (* Cf. qu. IX, art. 2.): et sic habebat beatitudinem quantum ad id quod est proprium animae. Sed quantum ad alia deerat ei beatitudo: quia et anima eius erat passibilis, et corpus passibile et mortale, ut ex supra * (* Art. 4; qu. XIV, art. 1, 2.) dictis patet. Et ideo simul erat comprehensor, inquantum habebat beatitudinem animae propriam: et simul viator, inquantum tendebat in beatitudinem secundum id quod ei de beatitudine deerat.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod impossibile est moveri ad finem et quiescere in fine secundum idem. Sed secundum diversa nihil prohibet hoc: sicut aliquis homo simul est sciens quantum ad ea quae iam novit, et addiscens quantum ad ea quae nondum novit.

AD SECUNDUM DICENDUM quod beatitudo principaliter et proprie consistit in anima secundum [ζ] mentem: secundario tamen, et quasi instrumentaliter, requiruntur ad beatitudinem corporis bona; sicut Philosophus dicit, in I *Ethic.* * (* Cap. VIII, n. 15, 16. – S. Th. lect. XIII.), quod exteriora bona *organice* deserviunt beatitudini.

AD TERTIUM DICENDUM quod non est eadem ratio de animabus sanctorum defunctorum [η] et de Christo, propter duo. Primo quidem, quia animae sanctorum non sunt passibiles, sicut fuit anima Christi. Secundo, quia corpora non agunt aliquid per quod in beatitudinem tendant: sicut Christus, secundum corporis passiones, in beatitudinem tendebat quantum ad gloriam corporis.

α) *ad finem.* – F et tertia; om. E, *a fine* ceteri.
β) *non.* – Tertia; om. – Post *intelligentis* PsH addunt *sed plenitudo sanitatis idest incorruptionis vigor.*
γ) *Quasi.* – *Quare* PGHI; altero loco om. GI.
δ) *secundum quod.* – Tertia; *quod quidem.*
ε) *resurget.* – *resurgit* tertia.
ζ) *secundum.* – *et secundum* PGHI.
η) *defunctorum.* – Om. Pc.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS in principio corporis clarificatur, dum termini declarantur, scilicet *comprehensor* et *viator*: hoc est, *habens beatitudinem,* et *tendens in beatitudinem.*

In corpore una est conclusio: *Christus fuit simul comprehensor et viator.* Probatur. Christus, ante passionem, secundum mentem plene videbat Deum: et cum hoc, anima eius erat passibilis, et corpus passibile et mortale. Ergo habebat beatitudinem quantum ad id quod est proprium animae, et deerat ei beatitudo quantum ad alia. Ergo erat simul comprehensor et viator.

Antecedens patet ex ante dictis. – Prima consequentia probatur. Quia beatitudo hominis perfecta consistit in anima et corpore, etc. – Secunda autem: quia viator est qui tendit in beatitudinem; comprehensor qui obtinet. Probatur auctoritate duplici Apostoli.

QUAESTIO DECIMASEXTA

DE HIS QUAE CONVENIUNT CHRISTO SECUNDUM ESSE ET FIERI

IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA

Deinde considerandum est de his quae consequuntur unionem *. Et primo, quantum ad ea quae conveniunt Christo secundum se; secundo, de his quae conveniunt Christo per comparationem ad Deum Patrem *; tertio, de his quae conveniunt Christo quantum [α] ad nos *.

(* Cf. qu. I, Introd. — * Qu. xx. — * Qu. xxv.)

Circa primum duplex consideratio occurrit: primo quidem, de his quae conveniunt Christo secundum esse et fieri; secundo, de his quae conveniunt Christo secundum rationem unitatis *.

(* Qu. xvii.)

Circa primum quaeruntur duodecim.

Primo: utrum haec sit vera: *Deus est homo.*

Secundo: utrum haec sit vera: *Homo est Deus.*

Tertio: utrum Christus possit dici *Homo Dominicus.*

Quarto: utrum ea quae conveniunt Filio Hominis, possint praedicari de Filio Dei, et e converso.

Quinto: utrum ea quae conveniunt Filio Hominis, possint praedicari de divina natura; et de humana ea quae conveniunt Filio Dei.

Sexto: utrum haec sit vera: *Filius Dei factus est homo.*

Septimo: utrum haec sit vera: *Homo factus est Deus.*

Octavo: utrum haec sit vera: *Christus est creatura.*

Nono: utrum haec sit vera: *Iste homo*, demonstrato Christo, *incoepit esse*, vel, *fuerit semper.*

Decimo: utrum haec sit vera: *Christus, secundum quod homo, est creatura.*

Undecimo: utrum haec sit vera: *Christus, secundum quod homo, est Deus.*

Duodecimo: utrum haec sit vera: *Christus, secundum quod homo, est hypostasis vel persona.*

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM HAEC SIT VERA: *DEUS EST HOMO*

III *Sent.*, dist. VII, qu. 1, art. 1; *Cont. Graec., Armen.* etc., cap. VI.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod haec sit falsa: *Deus est homo.* Omnis enim propositio affirmativa in materia aliqua [β] remota est falsa. Sed haec propositio, *Deus est homo*, est in materia remota: quia formae significatae per subiectum et praedicatum sunt maxime distantes. Cum ergo praedicta propositio sit affirmativa, videtur quod sit falsa.

2. Praeterea, magis conveniunt tres Personae [γ] ad invicem quam humana natura et divina. Sed in mysterio Trinitatis una persona non praedicatur de alia: non enim dicimus quod Pater est Filius, vel e converso. Ergo videtur quod nec humana natura possit praedicari de Deo, ut dicatur quod Deus est homo.

3. Praeterea, Athanasius dicit * quod, *sicut anima et caro* [δ] *unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.* Sed haec est falsa: *Anima est corpus.* Ergo et haec est falsa: *Deus est homo.*

(* In Symbolo.)

4. Praeterea, sicut in Prima Parte * habitum est, quod praedicatur de Deo non relative sed absolute, convenit toti Trinitati et singulis personis. Sed hoc nomen *homo* non est relativum, sed absolutum. Si ergo vere praedicatur de Deo, sequitur quod tota Trinitas et quaelibet persona sit homo. Quod patet esse falsum.

(* Qu. xxxix, art. 4.)

Sed contra est quod dicitur *Philipp.* II *: *Qui, cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo.* Et sic ille qui est in forma Dei, est homo. Sed ille qui est in forma Dei, est Deus. Ergo Deus est homo.

(* Vers. 6, 7.)

Respondeo dicendum quod ista propositio, *Deus est homo,* ab omnibus Christianis conceditur: non tamen ab omnibus secundum eandem rationem. Quidam enim hanc propositionem concedunt non secundum propriam acceptionem horum terminorum. Nam Manichaei Verbum Dei dicunt esse hominem, non quidem verum, sed similitudinarium, inquantum dicunt Filium Dei corpus phantasticum assumpsisse: ut sic dicatur Deus esse homo sicut cuprum figuratum dicitur homo, quia habet similitudinem hominis [ε]. – Similiter etiam illi qui posuerunt quod in Christo anima et corpus non fuerunt unita, non posuerunt [ζ]

α) *quantum.* – *per comparationem* tertia. Mox *prima* et *secunda* P.
β) *aliqua.* – B; om. Fa et tertia, *alia* ceteri.
γ) *Personae* – *divinae* addit tertia.
δ) *caro.* – *corpus* tertia.
ε) *dicitur homo... hominis.* – Tertia; *dicitur aurum... auri.* An pro *figuratum* legendum *levigatum?*
ζ) *posuerunt.* – *potuerunt dicere* F, *possunt dicere* tertia.

quod Deus sit verus homo: sed quod dicatur homo figurative, ratione partium. – Sed utraque harum opinionum supra * improbata est.

* Qu. II, art. 5; qu. V, art. 1.

Alii vero e converso ponunt veritatem ex parte hominis, sed negant veritatem ex parte Dei. Dicunt enim Christum, qui est Deus homo, esse Deum, non naturaliter, sed participative, scilicet per gratiam, sicut et omnes η sancti viri dicuntur dii *: excellentius tamen Christus prae aliis, propter gratiam abundantiorem. Et secundum hoc, cum dicitur, *Deus est homo,* ly *Deus* non supponit verum et naturalem Deum. Et haec est haeresis Photini, quae supra * improbata est.

η

* Psalm. LXXXI, vers. 6; Ioan. cap. X, vers. 34, 35.

* Qu. II, art. 10, 11.

Alii vero concedunt hanc propositionem cum veritate utriusque termini, ponentes Christum et verum Deum esse et verum hominem: sed tamen veritatem praedicationis non salvant. Dicunt enim quod homo praedicatur de Deo per quandam coniunctionem, vel dignitatis, vel auctoritatis, vel etiam affectionis aut inhabitationis. Et sic posuit Nestorius Deum esse hominem: ut per hoc nihil aliud significetur quam quod Deus est homini coniunctus tali coniunctione quod homo inhabitetur a Deo, et uniatur ei secundum affectum, et secundum participationem auctoritatis et honoris divini. – Et in similem errorem incidunt qui ponunt duas hypostases vel duo supposita in Christo. Quia non est possibile intelligi quod duorum quae sunt secundum suppositum vel hypostasim distincta, unum proprie praedicetur de alio: sed solum secundum quandam figurativam locutionem, inquantum in aliquo coniunguntur; puta si dicamus Petrum esse Ioannem, quia habent aliquam coniunctionem ad invicem. – Et hae etiam opiniones supra * reprobatae sunt.

* Ibid., art. 3, 6.

Unde, supponendo, secundum veritatem Catholicae fidei, quod vera natura divina unita est cum vera natura humana, non solum in persona, sed etiam in supposito vel hypostasi, dicimus θ esse veram ι hanc propositionem et propriam, *Deus est homo:* non solum propter veritatem terminorum, quia scilicet Christus est verus Deus et verus homo; sed etiam propter veritatem praedicationis. Nomen enim significans naturam communem in concreto potest supponere pro quolibet contentorum in κ natura communi: sicut hoc nomen *homo* potest supponere pro quolibet homine singulari. Et ita hoc nomen *Deus,* ex λ ipso modo suae significationis, potest supponere pro persona Filii Dei *: ut in Prima Parte ** habitum est. De quolibet autem supposito alicuius naturae potest vere et proprie praedicari nomen significans illam naturam in concreto: sicut de Socrate et Platone proprie et vere praedicatur *homo.* Quia ergo persona Filii Dei, pro qua supponit hoc nomen *Deus,* est suppositum naturae humanae, vere et proprie hoc nomen *homo* potest praedicari de hoc nomine *Deus,* secundum quod supponit pro persona Filii Dei.

θ ι κ λ

* D. 928. ** Qu. XXXIX, art. 4.

Ad primum ergo dicendum quod, quando formae diversae non possunt convenire in unum suppositum, tunc oportet quod propositio sit in materia remota cuius subiectum significat unam illarum formarum, et praedicatum aliam. Sed quando duae formae possunt convenire in unum suppositum, non est materia remota, sed naturalis vel contingens, sicut cum dico, *Album est musicum.* Natura autem divina et humana, quamvis sint maxime distantes, tamen conveniunt per incarnationis mysterium in uno supposito, cui neutra illarum inest per accidens, sed secundum se. Et ideo haec propositio, *Deus est homo,* non est neque in materia remota neque in materia contingenti, sed in materia naturali. Et praedicatur *homo* de Deo, non per accidens, sed per se, sicut μ de sua hypostasi: non quidem ratione formae significatae per hoc nomen *Deus;* sed ratione suppositi, quod est hypostasis humanae naturae.

μ

Ad secundum dicendum quod tres personae divinae conveniunt in natura, distinguuntur tamen in supposito: et ideo non praedicantur de invicem. In mysterio autem incarnationis naturae quidem, quia distinctae sunt, de invicem non praedicantur secundum quod significantur in abstracto, non enim natura divina est humana: sed quia conveniunt in supposito, praedicantur de invicem in concreto.

Ad tertium dicendum quod *anima* et *caro* significantur ut in abstracto, sicut *divinitas* et *humanitas.* In concreto vero dicuntur *animatum* et *carneum,* sive *corporeum:* sicut ex alia parte *Deus* et *homo.* Unde utrobique abstractum non praedicatur de abstracto, sed solum concretum de concreto.

Ad quartum dicendum quod hoc nomen *homo* praedicatur de Deo ratione unionis in persona: quae quidem unio relationem importat. Et ideo non sequitur regulam ν eorum nominum quae absolute praedicantur de Deo ab aeterno.

ν

η) *et omnes.* – Tertia; *etiam* (*enim* EF) *dicimus quod.*
θ) *Unde supponendo... dicimus.* – Tertia; *Unde supponendum est... Dicimus enim.*
ι) *esse veram.* – Ante *et propriam* ponit tertia.
κ) *in.* – *sub* tertia.
λ) *ex.* – AEa et tertia; om.
μ) *sicut.* – *sicut species* tertia.
ν) *regulam.* – *regula* CGIpH et *b*, *relationem* E.

Commentaria Cardinalis Caietani

Hic incipit secunda pars primi tractatus, de Christo *, in qua, expeditis his quae de unionis mysterio erant dicenda, tractantur illa quae ad unionem consequuntur, ut patet in littera *: in qua tota ista pars, durans usque ad quaestionem vigesimamsextam, distinguitur satis clare.

* Cf. Comment. Caiet. in Prologum.

* Introd.

Titulus clarus est. – In corpore articuli tria fiunt. Primo, in communi recitatur in quo conveniunt et differunt Christiani circa propositum. Et dicitur quod conveniunt omnes in affirmatione istius propositionis: differunt autem in ratione affirmandi.

Secundo, referuntur tria genera erroris circa rationem affirmandi illam. Primum est circa veritatem praedicati, scilicet ly *homo:* et dividitur in duos errores. Secundum est circa veritatem subiecti, scilicet ly *Deus:* et continet unum errorem. Tertium est circa veritatem propositionis:

hoc est, circa esse significatum per ly *est,* copulam verbalem dictae propositionis. Et dividitur in duos errores: computando illos quatuor modos, scilicet dignitatis, auctoritatis, affectionis vel inhabitationis, pro unico; et reliquum, duarum hypostasum, pro altero. Ita quod universi errores hi sunt quinque: qui satis clare patent in littera ex prius dictis.

Tertio, respondetur quaesito unica conclusione: *Haec propositio, scilicet, « Deus est homo », est vera et propria, supposito incarnationis mysterio cum fide Catholica.* Probatur. Hoc nomen *Deus,* ex modo suae significationis, potest supponere pro persona Filii Dei. Ergo potest supponere pro supposito humanae naturae. Ergo de Deo potest praedicari *homo.* – Antecedens probatur. Quia nomen significans naturam communem in concreto, potest supponere pro quolibet contentorum sub natura communi: ut patet inductive in homine, etc. – Consequentia autem prima probatur. Quia persona Filii Dei est vere et proprie suppositum humanae naturae. – Secunda autem probatur. Quia de quolibet supposito alicuius naturae potest vere et proprie praedicari nomen significans illam naturam in concreto.

II. Ubi nota diligentissime quod in ista propositione, *Deus est homo, Deus* supponit pro persona humana: quia supponit pro persona Filii Dei quatenus est persona humana. Hinc enim littera infert quod *homo* vere et proprie praedicatur de Deo, quia nomen naturae humanae in concreto vere et proprie praedicatur de quolibet suo supposito. Oportet enim subsumere: *Sed Deus (pro persona Verbi) est vere et proprie suppositum naturae humanae. Ergo.*

Et scito quod ista propositio, *Deus est homo,* est quasi una indefinita. Et ideo ad veritatem eius sufficit quod una persona divina sit homo. Et ad proprietatem ipsius sufficit praedicatum esse aequale aut maius subiecto, ut Porphyrius dixit *, et se habere ad subiectum quasi per modum informantis: ut evitentur implicita subiecta, quae oportet subintelligi in propositionibus indirectis, puta, *Risibile est homo,* hoc est, *Ille qui est risibilis, est homo.* Unde, sicut ista est vera et propria, *Homo est crispus,* quia Socrates est crispus; ita ista est vera et propria, *Deus est homo,* quia una persona divina est homo. Habet enim se homo ad Verbum ut est persona humana, tanquam formale: ut Auctor docuit in IV *Contra Gentes,* cap. XLIX, in solutione sextae obiectionis.

* *Praedicabil.,* cap. *de specie,* part. 8. - Cf. Comment. Caiet. ibid.

III. In responsione ad primum, collige copias doctrinae ibi contentae. Duo siquidem ad metaphysicam, et tria ad logicam spectantia, ibi docemur.

Primum metaphysicum, mixtum logicae, est quod non formarum diversitas, sed incompossibilitas coeundi est quae fundat materiam remotam.

Alterum, mixtum fidei, est quod supposito divino neutra natura, divina scilicet et humana, inest per accidens, sed per se.

Primum logicum, supposito incarnationis mysterio, est: *Haec propositio, « Deus est homo », non est in materia remota, neque in contingenti, sed naturali.*

Secundum est: *« Homo » praedicatur de Deo, non per accidens, sed per se.*

Tertium est quod *« Homo » praedicatur de Deo sicut species de sua hypostasi* *. Et declaratur qua ratione, subiungendo: *Non ratione formae significatae per hoc nomen « Deus », quod est subiectum propositionis, sed ratione suppositi, quod est hypostasis humanae naturae.*

* Cf. not. μ.

Et prima quidem duo ab omnibus acceptari videntur, quoniam sine his incarnationis mysterium salvari nequit: et de his superius * multa dicta sunt. Sed tria ultima non carent quaestione, et singula discutienda sunt.

* Cf. qu. II, art. 6, Comment.

IV. Circa primum igitur horum, scilicet, *Haec propositio, « Deus est homo », est in materia naturali,* dubium occurrit *, quia omnis propositio in materia naturali est necessaria: alioquin, non distingueretur contra propositionem in materia contingenti. Sed ista non est necessaria: non enim Deus necessario est homo. Ergo non est in materia naturali.

* Cf. num. VI.

Circa secundum, scilicet quod *dicta propositio est per se,* ex Scoto et Durando, in VII dist. III *Sent.,* dubium occurrit *. Scotus quidem ** probat tripliciter hanc propositionem esse veram, non per se, sed per accidens, logice loquendo. Tum quia praedicatum non est de intellectu subiecti. – Tum quia, si sic, praedicaretur de quolibet contento sub subiecto. Et sic Spiritus Sanctus et Pater esset homo. – Tum quia in praedicationibus per se subiectum supponit determinate: quia, si indeterminate tantum supponeret, haec esset per se, *Animal est homo,* quia potest verificari pro Petro vel Paulo. Sed hoc subiectum *Deus* non includit determinate plus Filium quam Patrem.

* Cf. num. VII.
** Loc. cit., qu. I.

Durandus vero inquit *: Puto quod magis proprie potest dici vera per accidens quam per se. Quia omnis propositio vera per se est vera cum reduplicatione termini supra se: homo enim, secundum quod homo, est animal et est risibilis. In proposito autem, *Deus, secundum quod Deus, est homo,* est falsa: quia non forma significata per subiectum est ratio inhaerentiae praedicati ad subiectum, sed sola unitas suppositi. Quae etiam in propositionibus per accidens est tota causa verificationis earum. Et ideo haec propositio magis est dicenda per accidens quam per se.

* Loc. cit., qu. I, in resp. ad arg. 2 cont. art. 2.

Circa tertium, scilicet, *Homo praedicatur de Deo sicut species de sua hypostasi,* Scotus, ubi supra, occurrit * dicens quod, quia ista unio non habet similem, nullum est praedicatum sicut in proposito: sed haec praedicatio ex parte praedicati est species; ex parte vero modi se habendi praedicati respectu subiecti, est sicut accidens quintum praedicabile, quia non est de ratione subiecti, et advenit temporaliter subiecto existenti in actu completo aeternaliter, et per hoc advenit ita ut possit abesse.

* Cf. num. VIII.

V. Ad horum evidentiam, oportet tria praenotare. Primum est quod ly *Deus* potest, quantum ad propositum spectat, dupliciter considerari: primo, absolute; secundo, ut contractum vel determinatum per praedicatum, scilicet *esse hominem.* Potest enim supponere ly *Deus,* secundum suam naturalem suppositionem, pro habente deitatem absque determinatione huius vel illius habentis deitatem: sicut *homo* pro habente humanitatem. Et sic consideratur absolute: sicut cum dicitur, *Deus caritas est.* * Potest quoque supponere pro certo supposito divinae naturae: quoniam talia sunt quoad suppositionem subiecta, qualia permittunt praedicata; sicut, cum in Symbolo * dicitur, *Deum de Deo,* ly *Deum* supponit pro Filio, et ly *Deo* pro Patre. Et si in hac propositione, *Deus est homo,* accipiatur ly *Deus* absolute, constat propositionem istam esse veram per accidens: sicut constat hanc esse per accidens, *Animal est homo.* Accidit enim, logice loquendo, ut nunc loquimur, animali esse hominem, ratione alicuius animalis quod est homo: et similiter accidit Deo esse hominem, ratione alicuius hypostasis divinae quae est homo. Si autem accipiatur ly *Deus* ut substat determinationi praedicati, sic supponit pro persona Filii, quae sola est homo: sicut, cum dicitur quod *homo peccando spoliavit genus humanum stola innocentiae,* supponit pro uno singulari, scilicet Adam. Et sic sumi in hac propositione clare Auctor affirmat in littera, in calce corporis articuli.

* I Ioan. cap. IV, vers. 8.
* Nicaeno-Constant.

Sed quia hoc non sufficit, sciendum est secundo, quod ly *Deus,* supponendo pro persona Filii, dupliciter potest considerari: vel quoad formam significatam, quae est deitas; vel quoad ipsam personam suppositam. Et quia extrema insinuant medium, hic subintelligas: *vel quoad utrumque.* Et si quidem in hac propositione sumeretur *Deus* supponens pro Filio quoad formam significatam, similiter clare constat quod propositio esset per accidens: accidit enim deitati ratione hypostasis Verbi esse hominem. Et idem est iudicium si sumeretur quoad utrumque. Et propterea in proposito sumitur ly *Deus* ut supponit pro persona Filii quoad hypostasim. Et hoc habes etiam clare in littera, in calce responsionis ad primum.

Verum, quia persona Filii Dei habet hoc singularissimum, quod est persona subsistens in duabus naturis, divina scilicet et humana; ideo, tertio, recolendum est quod hypostasis pro qua supponit in hac propositione ly *Deus,* habet conditiones aeternas, et habet conditiones ex tem-

pore: est enim persona divina ab aeterno, est et persona humana ex tempore. Et si supponeret pro persona Filii ut est hypostasis divina praecise, tunc etiam propositio esset per accidens: quoniam Filius Dei, non inquantum hypostasis divinae naturae, sed inquantum hypostasis humanae naturae, hominis praedicationem recipit. Sed, ponendo quod supponat pro persona Filii quoad hypostasim secundum quod de facto est postquam *Verbum caro factum est* *, vere habebimus quod *homo* praedicatur de sua hypostasi cum dicitur, *Deus est homo*.

* Ioan. cap. I, vers. 14.

Et hoc esse intentum ab Auctore evidenter patet ex eo quod tractatus iste intitulatur: *De his quae consequuntur unionem*. Supposito ergo incarnationis mysterio de persona Filii est sermo praesentis litterae, cum dicitur quod *Deus* hic supponit pro persona Filii. – Immo et clare in littera dicitur quod in dicta propositione *homo praedicatur de Deo ut species de sua hypostasi* *. Supponit ergo *Deus* pro hypostasi humana, si *homo* praedicatur de *Deo* ut species de sua hypostasi: speciei siquidem humanae nulla hypostasis est sua nisi humana, quae in Christo est ab aeterno divina. – Clarissime autem hoc supponi explicatur in principio corporis sequentis articuli, cum dicitur: *Supposita veritate utriusque naturae, divinae et humanae, et unione in persona et hypostasi, haec est vera et propria, Homo est Deus, sicut et ista, Deus est homo.* Hic enim explicatur quod utraque propositio supponit conditionem de facto inventam in persona Verbi.

* Cf. not. μ.

His praelibatis, ad singula dicendum est.

VI. Ad primum igitur dubium * dicitur quod haec propositio est necessaria. Et quamvis Deus absolute non sit necessario homo, Deus tamen *pro persona Verbi incarnati* est necessario homo. Constat enim evidenter quod persona humana quaelibet est necessario homo. *Deus* autem in hac propositione determinatur ad supponendum pro persona humana. Et propterea ista propositio, etsi non quoad significatum, tamen quoad suppositum per nomen subiecti, est necessaria.

* Num. IV.

VII. Ad secundum vero dubium *, respondendo ad primum Scoti, dicitur quod ista propositio est per se respectu suppositi. Et quod praedicatum est de intellectu subiecti quoad suppositum per illud, quamvis non sit de intellectu eius quoad formam significatam per idem. Est enim *homo* de intellectu hypostasis humanae, ita quod oppositum nequit intelligi.

* Ibid., *Circa secundum.*

Ad secundum, negatur sequela, loquendo de Deo quoad suppositum. Illud enim quod per se praedicatur de Deo ratione formae significatae per ly *Deus*, praedicatur de quolibet contento sub *Deo:* sed illud quod per se praedicatur de Deo ratione suppositi talis, pro quo supponit, exigente praedicato huiusmodi suppositionem, non praedicatur de quolibet contento sub hoc nomine *Deus*.

Ad tertium dicitur, per eandem distinctionem, quod in praedicationibus per se ratione formae significatae per subiectum, subiectum ipsum supponit indeterminate quoad suppositum et determinate quoad naturam. Sed in praedicatione per se ratione certi suppositi, pro quo praedicatum facit supponere subiectum, secus oportet esse: quia necesse est subiectum supponere pro determinato supposito. Et sic est in proposito, ut patet ex dictis *.

* Num. V.

Ad Durandum * autem ex eadem distinctione respondetur, dicendo quod illa maior, *Omnis propositio per se vera est vera cum reduplicatione termini subiecti supra se,* licet admittatur in propositionibus per se veris de subiecto ratione formae significatae, negatur tamen in propositione per se vera de subiecto ratione certi suppositi tantum. Et ratio diversitatis est quia reduplicatio transfert terminum subiectum in naturam praedicati: quod constat teneri formaliter. Cum enim dico, *Homo, inquantum homo, est animal, vel risibilis,* perinde est ac si dicerem *Homo, inquantum est homo, est animal, vel* etc. Ubi patet quod ly *homo* repetitur ut praedicatum: et propterea denotat humanitatem esse rationem coniunctionis praedicati cum subiecto. Et ideo ista est falsa, *Deus, inquantum Deus, est homo:* significat enim deitatem esse rationem necessariam coniunctionis praedicati cum subiecto. Nec solum ipsa est falsa, sed etiam ista, *Verbum, inquantum Verbum, est homo*: quia ly *inquantum,* reduplicative sumptum, denotat formam significatam, hoc est, proprietatem hypostaticam Verbi constitutivam, esse rationem necessariam connexionis praedicati cum subiecto. – Secus autem dicendum esset si ly *inquantum* teneretur specificative: quoniam sic ista est vera, *Verbum, inquantum Verbum, est homo:* quoniam esse hominem convenit Verbo secundum propriam personalitatem.

* Num. IV, *Durandus vero.*

Sed quia hoc non spectat ad perseitatem logicam, de qua est sermo, ideo, revertentes ad subiuncta per Durandum dicentem quod, quando sola unitas suppositi est ratio coniunctionis extremorum, propositio est vera per accidens: respondemus quod sola unitas suppositi extrinseci ab altero saltem extremorum verificans propositionem, constituit illam veram per accidens; sed unitas suppositi intrinseci utrique extremo constituit propositionem directam et formalem, veram per se de altero extremo, non respectu formae significatae, sed respectu suppositi. Sic autem est in proposito: nam in utroque termino, scilicet *Deus* et *homo,* clauditur intrinsece, quamvis indeterminate, hypostasis Verbi incarnati, utpote verissime et propriissime persona divina et humana. Non sic autem est in propositionibus per accidens, puta, *Homo est albus:* quoniam in istis suppositum per hominem copulatur tantum et extrinsece importatur per album, quod puram qualitatem significat. Et haec iam docuerat Auctor in III *Sent.*, dist. VII, qu. I, art. I *.

* Ad 5.

VIII. Ad tertium dubium * dicitur quod Scotus videtur accepisse pro subiecto Deum, seu hypostasim Verbi, absolute: et ideo non invenit quale sit hoc praedicatum cum sua praedicatione. Sed Auctor, intuens talia esse subiecta quoad suppositionem qualia exigunt praedicata, supponendo incarnationis mysterium, supponit, cum fide Catholica, Deum esse quandam hypostasim humanam, et pro illa in hac propositione supponere ly *Deus.* Et propterea statim invenit, non solum quod praedicatum est species, sed etiam quod praedicatur ut species de propria hypostasi. Nec hoc aliquam habet difficultatem, nisi illam quam ex fide supponimus, scilicet personam Filii esse vere et proprie personam humanam. Hac namque suppositione facta, clare liquet quod, sicut species praedicatur de sua hypostasi cum dicitur, *A est homo,* si ly *A* supponit pro certa persona humana; ita in proposito, ex quo ly *Deus* supponit pro quadam certa persona humana. Et hinc patet quod ista propositio, *Deus est homo,* dum ly *Deus* supponit pro illa persona humana quae est Verbum incarnatum, est per se in primo modo dicendi per se *, respectu suppositi (ut toties dictum est), et non respectu formae significatae per ly *Deus;* et est praedicatio essentialis; et univoca, ut patet ex definitione univocorum *, et Auctor in allegatis locis * explanat.

* Num. IV, *Circa tertium.*

* Cf. Aristot. *Anal. Post.*, lib. I, cap. IV, n. 4. – S. Th. lect. X.

* Cf. Aristot. *Categ.*, cap. I, n. 2.
* III *Sent.*, dist. VII, qu. I, art. I, ad 5; IV *Cont. Gent.*, cap. XLIX, ad II.

Et tu potes ex notioribus monstrare explicatam doctrinam esse veram, mutando nomen subiectum, ita quod loco ly *Deus* ponatur nomen proprium illius personae quatenus est persona humana, et dicendo, *Iesus est homo.* Constat enim quod ly *Iesus* supponit pro persona Filii Dei ut est hypostasis humana: pro qua dictum est etiam supponere ly *Deus* in hac propositione, *Deus est homo.* Nec est differentia inter has propositiones, *Deus est homo,* et, *Iesus est homo,* quoad suppositum: sed quoad significatum per nomina subiecta. Quocirca, sicut ista, *Iesus est homo*, est per se in primo modo, et essentialis, et praedicat speciem de propria persona; ita ista, *Deus est homo*, restringendo ly *Deus* ad Iesum, ut unico verbo dicatur. Et sicut non vertitur in opiniones an ista sit per se et essentialis, univoca, etc., *Iesus est homo;* ita non debet in diversas trahi opiniones ista, *Deus est homo,* intellecta quoad suppositum, ex quo supponit pro Iesu.

Et hinc patere potest quod etiam ista propositio, *Christus est homo*, respectu suppositi, est per se in primo modo. Nec obstat quod Scotus, ubi supra *, obiicit, dicens quod, quia *Christus,* Damasceno teste *, significat hypostasim duarum naturarum, nihil per se unum praedicatur de illo per se, utpote de non per se uno in se.

* Num. IV.

* *De Fide Orth.*, lib. III, cap. IV.

* Lib. V; s. Th. lect. xxii. - Did. lib. IV, cap. xxix, n. 3.

Sicut enim, apud Aristotelem, I *Metaphys.* *, *ratio in se falsa de nullo est vera,* ita ratio per se non una nihil per se unum de se verificat. Et simile est de ista, *Christus est homo,* et ista, *Homo albus est coloratus.* – Haec, inquam, non obstant. Quia, quoad rem, *Christus* significat unam per se et in se hypostasim: *homo albus* autem significat hypostasim unam per accidens, accidit enim subiecto albedinis esse hominem et e contra. Quoad propositionem quoque, iam dictum est quod istae propositiones dicuntur per se respectu suppositi, et non respectu formae deitatis significatae. Suppositum autem est in se per se unum: quia non est nisi hypostasis aeterna Filii Dei, quae ex tempore est ipsamet, immutata omnino, hypostasis humana. Et ideo optime per se de illo praedicatur tam *Deus* quam *homo:* nihil minus quam si esset unius illarum naturarum tantum hypostasis. Extensio siquidem, seu communitas ipsius ad duas naturas, nihil tollit de proprietate eiusdem respectu singularium.

IX. In responsione ad quartum, dubium occurrit, quoniam responsio ista videtur contradicere doctrinae iam habitae et enervare illam. Nam si *homo* praedicatur de Deo ratione relationis, ut in hac responsione dicitur, sequitur quod non praedicatur essentialiter sicut species de sua hypostasi, ut in responsione ad primum dictum est *. Praedicatio namque speciei humanae de sua hypostasi est et essentialis et substantialis, non relativa, ut patet.

* Cf. not. μ.

Ad hoc dicitur quod Auctor non dixit quod unio, ratione cuius est ista praedicatio, est relatio aut relativa: sed dixit quod *relationem importat,* hoc est, *connotat;* importatur enim non solum res significata, sed connotata. Et propterea, licet unio naturae humanae ad Deum sit substantialis, quia tamen connotat relationem, ideo nomen praedicatum secundum illam non sequitur regulam absolutorum ab aeterno.

Altius posset exponi haec responsio dicendo quod *homo* praedicatur de Deo ratione unionis in persona, quam unionem constat ex supra * dictis fundamentaliter esse substantialem, formaliter relativam. Sed praedicatio est ratione unionis fundamentalis, quae significatur per unionem formaliter, ut differentia per proprietatem consuevit significari. Et quia illa fundamentalis unio, quae fundat praedicationem istam, habet modum relativum quoad hoc, quod, de novo posita in persona divina, nullam in illa mutationem ponit nisi relativam relatione non reali sed rationis, ideo dictum est quod *relationem importat.* Et ideo non sequitur regulam absolutorum ab aeterno: quae, si de novo apponerentur aut tollerentur a Deo, mutationem in ipso ponerent.

* Qu. ii, art. 7, Comment. num. iii.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM HAEC SIT VERA: *HOMO EST DEUS*

III *Sent.*, dist. vii, qu. i, art. i.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod haec sit falsa: *Homo est Deus. Deus* enim est nomen incommunicabile. Sed *Sap.* xiv * reprehenduntur idololatrae de hoc quod *istud nomen Deus, quod est incommunicabile, lignis et lapidibus imposuerunt.* Ergo, pari ratione, videtur esse inconveniens quod hoc nomen *Deus* praedicetur de homine.

* Vers. 21.

2. Praeterea, quidquid praedicatur de praedicato, praedicatur de subiecto *. Sed haec est vera: *Deus est Pater,* vel, *Deus est Trinitas.* Si ergo haec sit vera, *Homo est Deus;* videtur etiam quod haec sit vera, *Homo est Pater,* vel, *Homo est Trinitas.* Quas quidem patet esse falsas. Ergo et primam.

* Aristot. *Categ.*, cap. iii, n. 15.

3. Praeterea, in Psalmo * dicitur: *Non erit in te deus recens.* Sed homo est quiddam recens: non enim Christus semper fuit homo. Ergo haec est falsa: *Homo est Deus.*

* Ps. lxxx, vers. 10.

Sed contra est quod dicitur *Rom.* ix *: *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.* Sed Christus secundum carnem est homo. Ergo haec est vera: *Homo est Deus.*

* Vers. 5.

Respondeo dicendum quod, supposita veritate utriusque naturae, divinae scilicet et humanae, et unione in persona et hypostasi, haec est vera et propria, *Homo est Deus,* sicut et ista, *Deus est homo.* Hoc enim nomen *homo* potest supponere pro qualibet hypostasi humanae naturae: et ita potest supponere pro persona Filii, quam dicimus esse hypostasim humanae naturae. Manifestum est autem quod de persona Filii Dei vere et proprie praedicatur hoc nomen *Deus:* ut in Prima Parte * habitum est. Unde relinquitur quod haec sit vera et propria: *Homo est Deus.*

* Qu. xxxix, art. 4.

Ad primum ergo dicendum quod idololatrae attribuebant nomen deitatis lapidibus et lignis secundum quod in sua natura considerantur: quia putabant in illis aliquid numinis esse. Nos autem non attribuimus nomen deitatis homini secundum humanam naturam: sed secundum suppositum aeternum, quod est etiam per unionem suppositum humanae naturae, ut dictum est *.

* In corpore.

Ad secundum dicendum quod hoc nomen *Pater* praedicatur de hoc nomine *Deus* secundum quod hoc nomen *Deus* supponit pro persona Patris. Sic autem non praedicatur de persona Filii: quia persona Filii non est persona Patris. Et per consequens non oportet quod hoc nomen *Pater* praedicetur de hoc nomine *homo,* de quo praedicatur hoc nomen *Deus,* inquantum scilicet [α] *homo* supponit pro persona Filii.

Ad tertium dicendum quod, licet humana natura in Christo sit quiddam recens, tamen suppositum humanae naturae non est recens, sed aeternum. Et quia hoc nomen *Deus* non praedicatur de homine ratione humanae naturae, sed ratione suppositi, non sequitur quod ponamus Deum recentem. – Sequeretur autem si poneremus quod *homo* supponit suppositum creatum: secundum quod oportet dicere eos qui in Christo ponunt duo supposita *.

* Cf. qu. ii, art. 3, 6.

α) *scilicet.* – *ly* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore articuli unica est conclusio responsiva quaesito: *Haec est vera et propria, « Homo est Deus », supposito incarnationis mysterio.* Probatur. *Deus* praedicatur vere et proprie de persona Filii Dei. Ergo praedicatur vere et proprie de homine.

Probatur consequentia. Quia *homo* potest supponere pro persona Filii Dei. – Probatur hoc. *Homo* potest supponere pro qualibet hypostasi humanae naturae. Sed quaedam hypostasis humanae naturae est persona Filii Dei. Ergo *homo* potest supponere pro persona Filii Dei.

In hac materia recolenda sunt dicta in priore articulo. Quoniam ista propositio de qua est sermo, est etiam per se in primo modo, respectu suppositi per subiectum, non respectu naturae significatae, et subiectum trahitur ad supponendum pro tali supposito ex praedicato: sicut de sua convertente et conversa dictum est in praecedenti articulo *.

* Comment. n. v, viii.

Et per hoc patet tam corpus articuli, quam responsio ad primum.

II. In responsione ad secundum, dubium occurrit circa illud dictum: *In ista propositione, « Deus est Pater », ly Deus supponit pro persona Patris.* Nam ly *Deus,* quantum est ex naturali sua suppositione, supponit pro habente deitatem indistincte: sicut *homo* pro habente humanitatem. Ex parte autem praedicati non restringitur ad supponendum pro persona Patris: quoniam, stando in sua naturali suppositione, vera est propositio, *Deus est Pater;* quoniam habens deitatem est Pater, ut patet. Minus ergo bene dictum videtur quod supponit pro Patre hoc nomen *Deus,* cum nomen Patris de illo praedicatur.

Ad hoc dicitur quod, quia argumentum de praedicatione per se procedit, fundatum super illa regula, *Quidquid praedicatur de praedicato,* etc., ideo Auctoris verba de praedicatione per se intelligenda sunt. Ista siquidem propositio, *Deus est Pater,* potest esse per se, et per accidens, logice loquendo. Nam praedicatio per se exigit praedicari aequa de aequis, aut maiora de minoribus. Minus autem de maiori non nisi per accidens praedicatur: ut patet dicendo, *Animal est homo.* Hoc autem nomen *Deus,* si secundum suam naturalem sumatur suppositionem, maius, hoc est, communius est quam nomen Patris aut Trinitatis: quoniam extendit se etiam ad Filium et Spiritum Sanctum, quorum neuter est Pater aut Trinitas. Et propterea, sic sumptum, reddit praedicationem per accidens, dicendo, *Deus est Pater,* aut *Trinitas.* Quo fit ut, si constituenda sit propositio per se praedicans Patrem de Deo, oportet *Deum* restringi ad supponendum pro persona Patris, ut sic aequale de aequali praedicetur per se: sicut, si Trinitas praedicari per se intelligitur de Deo, oportet *Deum* restringi ad supponendum quasi simpliciter, ut sic aequale de aequali praedicetur. Et sic patet sensus litterae.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM CHRISTUS POSSIT DICI *HOMO DOMINICUS*

III *Sent.*, dist. vii, qu. i, art. 2.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod Christus possit dici *homo dominicus.* Dicit enim Augustinus, in libro *Octogintatrium Quaest.* *: *Monendum est ut illa bona expectentur quae fuerunt in illo homine dominico.* Loquitur autem de Christo. Ergo videtur quod Christus sit homo dominicus.

* Qu. xxxvi.

2. Praeterea, sicut dominium convenit Christo ratione divinae naturae, ita etiam humanitas pertinet ad humanam naturam. Sed Deus dicitur *humanatus:* ut patet per Damascenum, in III libro*, ubi dicit quod *humanatio eam quae ad hominem copulationem demonstrat.* Ergo, pari ratione, potest demonstrative [α] dici quod homo ille sit dominicus.

* De Fide Orth., lib. III, cap. xi.

3. Praeterea, sicut *dominicus* denominative dicitur a Domino, ita *divinus* dicitur denominative a Deo. Sed Dionysius * Christum nominat *divinissimum Iesum.* Ergo, pari ratione, potest dici quod Christus sit homo dominicus.

* Eccles. Hier. cap. iv, part. iii.

Sed contra est quod Augustinus dicit, in libro *Retract.* *: *Non video utrum recte dicatur homo dominicus Iesus Christus: cum sit utique Dominus.*

* Lib. I, cap. xix.

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, cum dicitur *homo Christus Iesus,* designatur suppositum aeternum, quod est persona Filii Dei, propter hoc quod unum suppositum est utriusque naturae. De persona autem Filii Dei praedicatur Deus et Dominus essentialiter. Et ideo non debet praedicari denominative: quia hoc derogat veritati unionis. Unde, cum *dominicus* dicatur denominative a Domino, non potest vere et proprie dici quod homo ille sit *dominicus,* sed magis quod sit *Dominus.*

* Art. praeced.

Si autem per hoc quod dicitur *homo Christus Iesus,* designaretur suppositum aliquod creatum, secundum illos qui ponunt in Christo duo supposita: posset dici homo ille dominicus, inquantum sumitur ad participationem honoris divini; sicut Nestoriani posuerunt.

Et hoc etiam modo humana natura non dicitur essentialiter *dea* [β], sed *deificata:* non quidem per conversionem ipsius in divinam naturam, sed per coniunctionem ad divinam naturam in una hypostasi; ut patet per Damascenum, in III libro *.

* De Fide Orth., lib. III, cap. xi, xvii.

Ad primum ergo dicendum quod Augustinus illa verba, et similia, retractat [γ] in libro *Retractationum.* Unde post praedicta verba libri *Retractationum* * subdit: *Hoc ubicumque dixi,* scilicet quod Christus Iesus sit homo dominicus, *dixisse me nollem. Postea quippe vidi non esse dicendum: quamvis nonnulla ratione posset defendi:* quia scilicet posset aliquis dicere quod dicitur homo dominicus ratione humanae naturae, quam significat hoc nomen *homo,* non autem ratione suppositi.

* Cf. arg. *Sed cont.*

Ad secundum dicendum quod illud [δ] unum sup-

α) *demonstrative dici.* – *dici denominative* tertia, *denominative dici* ed. *a.*

β) *dea.* – F et tertia praeter pG; *de ea.*

γ) *retractat.* – F et tertia; *recitat.* – Pro *praedicta verba, praemissa verba* DEF*a*, *verba praemissa* tertia praeter I. Pro *libri, in libro* PI.

δ) *illud.* – DF*a* et tertia; om.

positum quod est divinae et humanae naturae, primo quidem fuit divinae naturae, scilicet ab aeterno: postea autem ex tempore per incarnationem factum est suppositum humanae naturae. Et hac ratione dicitur *humanatum:* non quia assumpserit hominem; sed quia assumpsit humanam naturam. Non autem sic est e converso quod suppositum humanae naturae assumpserit divinam naturam. Unde non potest dici homo *deificatus,* vel *dominicus.*

Ad tertium dicendum quod hoc nomen *divinum* consuevit praedicari etiam de his de quibus praedicatur essentialiter hoc nomen *Deus:* dicimus enim quod *divina essentia est Deus,* ratione identitatis; et quod *essentia est Dei* sive *divina,* propter diversum modum significandi; et *Verbum divinum,* cum tamen Verbum sit Deus. Et similiter dicimus *personam divinam,* sicut et *personam Platonis:* propter diversum modum significandi. Sed *dominicus* non dicitur de his de quibus *dominus* praedicatur: non enim consuevit dici quod aliquis homo qui est dominus, sit [ε] *dominicus.* Sed illud quod qualitercumque est domini, *dominicum* dicitur: sicut *dominica voluntas,* vel *dominica manus,* vel *dominica possessio* [ζ]. Et ideo ipse homo Christus, qui est Dominus, non potest dici *dominicus:* sed potest caro eius dici *dominica caro,* et passio eius potest dici *dominica passio.*

ε) *sit.* – Tertia; *dicatur.*

ζ) *possessio.* – EFGIsH; *passio.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est, originem habens ab Augustini varia diversis temporibus sententia, et Magistri Sententiarum distinctione septima * Tertii Libri. (* Cap. *Secundum istos.*)

In corpore articuli unica est conclusio responsiva quaesito: *Non potest vere et proprie dici quod homo ille sit « dominicus », sed quod est Dominus.* Probatur primo directe. Homo ille, scilicet Christus Iesus, designat personam Filii Dei. Ergo de illo praedicatur Dominus essentialiter. Ergo non debet de illo praedicari Dominus denominative.

Antecedens probatur. Quia unum est suppositum divinae et humanae naturae in Christo. – Prima consequentia est clara. – Secunda vero probatur. Quia derogaret veritati unionis si praedicaretur denominative.

II. Firmatur deinde conclusio ac ratio allata ex opposito: quia scilicet haec praedicatio propria est Nestorianis; et quia similis praedicatio propria est naturae assumptae. Nestoriani siquidem, ponendo duo in Christo supposita, proprie dicunt Christum hominem dominicum: quia vere esset ibi suppositum participative dominicum.

Nos quoque proprie dicimus naturam assumptam esse *deificatam,* non *deam.* Quia enim diversa est assumpta natura a deitate, non *deam* dicimus. Et quia iuncta est deitati in unitate personae, ideo *deificata.* Suppositum autem, quia unicum est Filii Dei, ideo Deum et Dominum, non *dominicum* aut *deificatum* dicimus.

III. Circa rationem conclusionis dubium occurrit, quia videtur falsa. Tum quia ex affirmatione praedicationis essentialis infert negationem denominativae. Constat enim illationem hanc non tenere ex forma: ut manifestat instantia de *Deo* et *divino* *. Neque ex materia: quia *dominicus* nomen est commune supposito et naturae; potest enim dici natura assumpta natura dominica, sicut et caro eius dicitur caro dominica. (* Arg. 3.)

Tum quia haec praedicatio non derogat veritati unionis. Quoniam affirmare Christum hominem dominicum non est negare Christum esse verum Dominum: sicut affirmare Verbum esse divinum non est negare ipsum esse verum Deum.

IV. Ad hoc dicitur quod ratio veritati innititur, et est efficax. Nam quaestio ista de nominibus est. *Nominibus autem utendum est ut plures utuntur:* secundum Philosophum *. Communis autem usus illud *dominicum* vocat quod est domini, non quod dominus est: ut in responsione ad tertium littera explicat. Et propterea ex affirmatione praedicationis essentialis istius termini *Dominus,* bene illata est negatio denominativi. (* *Topic.* lib. II, cap. II, n. 5.)

Et similiter, dicendo *homo dominicus,* secundum communem usum intelligitur *homo Domini:* ac per hoc, *aliquis homo Domini.* Et sic intelliguntur ibi duo supposita: unum in ly *aliquis homo,* et unum in ly *Domini.* Ac per hoc, ruit veritas unionis divinae et humanae naturae in uno eodemque supposito. Et propterea Auctor hanc locutionem Nestorianam dixit.

Non est autem simile de *Deo* et *divino,* ut in littera * dicitur: quia *divinam* identice consuevit sumi frequenti usu; non sic autem *dominicum.* (* Ad 3.)

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM EA QUAE SUNT HUMANAE NATURAE DE DEO DICI POSSINT

Supra, qu. x, art. 1, ad 3; III *Sent.,* dist. v, qu. I, art. 2, ad 4; dist. XI, art. 4; *Cont. Graec. Armen.* etc., cap. VI; I *ad Cor.,* cap. II, lect. II.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod ea quae sunt humanae naturae, de Deo dici non possint. Impossibile est enim opposita de eodem praedicari. Sed ea quae sunt humanae naturae, sunt contraria his quae sunt propria Dei: Deus enim est increatus, immutabilis et aeternus; ad humanam autem naturam pertinet ut sit creata, temporalis et mutabilis. Non ergo ea quae sunt naturae humanae, possunt dici de Deo.

2. Praeterea, attribuere Deo ea quae ad defectum pertinent, videtur derogare divino honori, et ad blasphemiam pertinere. Sed ea quae sunt humanae naturae, defectum quendam continent: sicut mori, pati, et alia huiusmodi. Ergo videtur quod nullo modo ea quae sunt humanae naturae, possint dici de Deo.

3. Praeterea, assumi convenit humanae naturae. Non autem hoc convenit Deo. Non ergo ea quae sunt humanae naturae, de Deo dici possunt.

Sed contra est quod Damascenus dicit, in III

libro *, quod Deus *suscepit ea quae sunt carnis idiomata,* idest proprietates, *dum Deus passibilis nominatur, et Deus gloriae crucifixus est.*

* De Fide Orth., lib. III, cap. IV.

Respondeo dicendum quod de hac quaestione [α] diversitas fuit inter Nestorianos et Catholicos. Nestoriani enim voces quae dicuntur de Christo dividere volebant hoc modo, ut ea quae pertinent ad humanam naturam, non dicerentur de Deo; nec ea quae pertinent ad divinam naturam, dicerentur de homine. Unde Nestorius dixit *: *Si quis Dei Verbo passiones tentat tribuere, anathema sit.* Si qua vero nomina sunt quae pertinere possunt ad utramque naturam, de talibus praedicabant ea quae sunt utriusque naturae: sicut hoc nomen *Christus,* vel *Dominus.* Unde concedebant Christum esse natum de Virgine, et fuisse ab aeterno: non tamen concedebant [β] vel Deum natum de Virgine, vel hominem ab aeterno fuisse.

* Anath. XII. - Cf. Act. Concil. Ephes., part. I, cap. XXIX.

Catholici vero posuerunt huiusmodi quae dicuntur de Christo, sive secundum divinam naturam sive secundum humanam, dici posse tam de Deo quam de homine. Unde Cyrillus dixit *: *Si quis duabus personis seu substantiis,* idest hypostasibus, *eas quae in Evangelicis et Apostolicis sunt conscriptionibus dividit voces, vel ea quae de Christo a Sanctis dicuntur, vel ab ipso Christo de semetipso; et aliquas quidem ex his homini applicandas crediderit, aliquas soli Verbo deputaverit: anathema sit.* Et huius ratio est quia, cum sit eadem hypostasis utriusque naturae, eadem hypostasis [γ] supponitur nomine utriusque naturae. Sive ergo dicatur *homo,* sive *Deus,* supponitur hypostasis divinae et humanae naturae. Et ideo de homine dici possunt ea quae sunt divinae naturae [δ]: et de Deo possunt dici ea quae sunt humanae naturae.

* Epist. Cyrill. et Synod. ad Nestor., anath. IV. - Cf. Act. Concil. Ephes., part. I, cap. XXVI.

Sciendum tamen quod in propositione in qua aliquid de aliquo praedicatur, non solum attenditur quid sit illud de quo praedicatur praedicatum, sed etiam secundum quid de illo praedicetur. Quamvis igitur non distinguantur ea quae praedicantur de Christo, distinguuntur tamen quantum ad [ε] id secundum quod utrumque praedicatur. Nam ea quae sunt divinae naturae, praedicantur de Christo secundum divinam naturam: ea autem quae sunt humanae naturae, praedicantur de eo secundum humanam naturam. Unde Augustinus dicit, in I *de Trin.* *: *Distinguamus quod in Scripturis sonat secundum formam Dei, et quod* [ζ] *secundum formam servi.* Et infra *: *Quid propter quid, et quid secundum quid dicatur, prudens et diligens et pius lector intelligit* [η].

* Cap. XI.
* Cap. XIII.

Ad primum ergo dicendum quod opposita praedicari de eodem secundum idem est impossibile: sed secundum diversa, nihil prohibet. Et hoc modo opposita praedicantur de Christo: non secundum idem, sed secundum diversas naturas.

Ad secundum dicendum quod, si ea quae ad defectum pertinent Deo attribuantur [θ] secundum divinam naturam, esset blasphemia, quasi pertinens ad diminutionem honoris ipsius: non autem pertinet ad Dei iniuriam si attribuantur ei secundum naturam assumptam. Unde in quodam sermone Ephesini Concilii * dicitur: *Nihil putat Deus iniuriam quod est occasio salutis hominibus: nihil enim abiectorum quae elegit propter nos, iniuriam facit illi naturae quae non potest esse subiecta iniuriis, propria vero facit inferiora ut salvet naturam nostram. Quando ergo quae* [ι] *abiecta et vilia sunt Dei naturam non iniuriantur, sed salutem hominibus operantur, quomodo dicis ea quae causa nostrae salutis sunt, iniuriae occasionem Deo fuisse?*

* Act. part. III, cap. X, Serm. II Theodoti Ancyr.

Ad tertium dicendum quod assumi convenit humanae naturae non ratione suppositi, sed ratione sui ipsius. Et ideo non convenit Deo.

α) *de hac quaestione.* – *circa hanc quaestionem* tertia. – *Catholicos* Fa et tertia; *Catharos.*
β) *concedebant.* – *confitebantur* F, *dicebant* editiones; *et fuisse... de Virgine* om. HI. – Pro *fuisse, non fuisse* I.
γ) *utriusque naturae, eadem hypostasis.* – Om. DEGI.
δ) *divinae naturae.* – *tanquam de hypostasi divinae naturae* addunt EF et tertia; eodem modo mox post *humanae naturae* addunt *tanquam de hypostasi humanae naturae* F et tertia.
ε) *quantum ad.* – *secundum* Pc.
ζ) *quod in Scripturis sonat... et quod.* – *quid in Scripturis sonet* (*sonat* F)... *et quid* F et tertia.
η) *intelligit.* – *intelliget* P.
θ) *attribuantur.* – *attribuentur* I, *attribuerentur* cetera tertia.
ι) *ergo quae.* – sH; *ergo* tertia, *vero* ceteri. – In fine *occasionem Deo* F et tertia; *occasionem Dei.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus ut iacet intelligendus est, de convenientibus humanae naturae existenti in Christo: puta passibilitate, morte, et aliis huiusmodi quae de Christo ratione illius naturae humanae dicuntur, dum dicimus Christum crucifixum, mortuum, sepultum, etc.

In corpore articuli tria fiunt: primo, refertur differentia inter Nestorium et Catholicos in hac quaestione; secundo, redditur ratio Catholicae doctrinae *; tertio, subiungitur opportunum documentum circa hanc Catholicam doctrinam *.

* Cf. num. III.
* Cf. num. IV.

II. Quoad primum, Nestoriani duabus distinctionibus utebantur in proposito. Altera, bimembri, ex parte praedicatorum. Quaedam enim sunt praedicata propria divinae naturae, ut esse omnipotentem, aeternum, et similia: quaedam sunt praedicata propria humanae naturae, ut esse mortalem, corporeum, filium hominis, et huiusmodi. – Altera ex parte subiectorum, trimembri. Potest enim dictis praedicatis subiici in enuntiatione vel nomen proprium Dei, ut *Deus;* vel nomen proprium hominis, ut *homo;* vel nomen commune utrique naturae, divinae scilicet et humanae, ut *Christus.*

Et subiungebant duas conclusiones. Primam, de subiectis propriis: dicendo quod nec de nomine proprio Dei dicuntur praedicata propria homini; nec de nomine proprio hominis dicuntur praedicata propria Dei. Et propterea negabant Deum esse natum ex Virgine, aut mortuum, aut aliquid passum: et similiter hominem esse Creatorem caeli et terrae, et huiusmodi. – Secunda, de subiecto communi: dicendo de nomine communi Deo et homini praedicari vere tam ea quae sunt propria Deo, quam ea quae sunt

propria homini. Et propterea Christus vere dicitur omnipotens, aeternus, Creator; et natus ex Virgine, crucifixus, mortuus et sepultus. – Hoc fuit dogma Nestorii.

Catholici autem affirmant univoce utraque praedicata vere enuntiari de quocumque nomine subiecto, sive proprio sive communi: ut patet ex Cyrilli auctoritate.

* Cf. num. I. III. Quoad secundum *, ratio Catholicae assertionis est identitas hypostasis utriusque naturae in Christo. Hinc enim fit ut una eademque hypostasis supponatur utrisque nominibus: et quod propria Deo inveniantur praedicari de hypostasi divina; et propria homini de hypostasi humana.

Nec oportet hic immorari: quia ex supra * dictis patet nomina communia concreta posse pro qualibet sua hypostasi supponere. * Art. 1.

IV. Quoad tertium *, documentum Catholicum est quod, licet non distinguendum sit, cum Nestorio, subiectum de quo divina et humana praedicantur; distinguenda tamen est ratio subiecti qua divina de ipso dicuntur, a ratione qua humana de eodem enuntiantur. Nam una eademque est hypostasis in diversis naturis subsistens: et propterea discernendum caute est, non id de quo dicuntur, sed id secundum quod dicuntur. Et hoc confirmatur auctoritate Augustini. * Cf. num. I.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM EA QUAE SUNT HUMANAE NATURAE POSSINT DICI DE NATURA DIVINA

III *Sent.*, dist. v, qu. I, art. 2, ad 4; qu. II, art. 2, ad 4; I *ad Cor.*, cap. II, lect. II.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod ea quae sunt humanae naturae, possint dici de natura divina. Ea enim quae sunt humanae naturae, praedicantur [α] de Filio Dei, et de Deo. Sed Deus est sua natura. Ergo ea quae sunt naturae humanae, possunt praedicari de divina natura.

2. Praeterea, caro pertinet ad naturam humanam. Sed, sicut dicit Damascenus, in III libro *, *dicimus naturam Verbi incarnatam esse, secundum beatos Athanasium et Cyrillum.* Ergo videtur quod, pari ratione, ea quae sunt humanae naturae, possint dici de divina natura. * *De Fide Orth.*, lib. III, cap. VI.

3. Praeterea, ea quae sunt divinae naturae, conveniunt humanae naturae in Christo: sicut cognoscere futura, et habere salutiferam virtutem. Ergo videtur quod, pari ratione, ea quae sunt humanae naturae, possint dici de divina natura.

Sed contra est quod Damascenus dicit, in III libro *: *Deitatem quidem dicentes, non nominamus de ea quae humanitatis idiomata,* idest proprietates: *non enim dicimus deitatem passibilem vel creabilem.* Deitas autem est divina natura. Ergo ea quae sunt humanae naturae, non possunt dici de divina natura. * Ibid., cap. IV.

Respondeo dicendum quod ea quae sunt proprie [β] unius, non possunt vere de aliquo praedicari nisi de eo quod est idem illi: sicut *risibile* non convenit nisi ei quod est homo. In mysterio autem incarnationis non est eadem divina natura et humana: sed est eadem hypostasis utriusque naturae. Et ideo ea quae sunt unius naturae, non possunt de alia praedicari, secundum quod in abstracto significantur [γ]. Nomina vero concreta supponunt hypostasim naturae. Et ideo indifferenter praedicari possunt ea quae ad utramque naturam pertinent, de nominibus concretis: sive illud nomen de quo dicuntur det intelligere utramque naturam, sicut hoc nomen *Christus*, in quo intelligitur *et divinitas ungens et humanitas uncta* [δ] *; sive solum divinam naturam, sicut hoc nomen *Deus*, vel *Filius Dei;* sive solum naturam humanam, sicut hoc nomen *homo*, vel *Iesus*. Unde Leo Papa dicit, in Epistola *ad Palaestinos* *: *Non interest ex qua Christus substantia nominetur: cum, inseparabiliter manente unitate personae, idem sit et totus hominis Filius propter carnem, et totus Dei Filius propter unam cum Patre divinitatem.* * Ibid., lib. IV, cap. XIV. * Epist. CXXIV, al. XCVII, cap. VII.

Ad primum ergo dicendum quod in divinis realiter est idem persona cum natura *: et ratione huius identitatis, divina natura praedicatur de Filio Dei. Non tamen est idem modus significandi. Et ideo quaedam dicuntur de Filio Dei quae non dicuntur de divina natura: sicut dicimus quod Filius Dei est genitus, non tamen dicimus quod divina natura sit genita, ut in Prima Parte * habitum est. Et similiter in mysterio incarnationis dicimus quod Filius Dei est passus, non autem dicimus quod natura divina sit passa. * D. 1147. * Qu. XXXIX, art. 5.

Ad secundum dicendum quod incarnatio magis importat unionem ad carnem quam carnis proprietatem. Utraque autem natura est in Christo unita alteri in persona: ratione cuius unionis et natura divina dicitur *incarnata*, et humana natura *deificata*, ut supra * dictum est. * Qu. II, art. 1, ad 3. - Cf. Damascen. *de Fide Orth.*, lib. III, cap. VI, XI, XVII.

Ad tertium dicendum quod ea quae sunt divinae naturae, dicuntur de humana natura, non secundum quod essentialiter competunt divinae naturae, sed secundum quod participative derivantur ad humanam naturam. Unde ea quae participari non possunt a natura humana, sicut esse increatum aut omnipotentem, nullo modo de humana natura dicuntur. Divina autem natura nihil participative recipit ab humana natura. Et ideo ea quae sunt humanae naturae, nullo modo possunt dici de divina.

α) *praedicantur.* – *possunt praedicari* ABC.
β) *proprie.* – *propria* F et tertia praeter G. Pro *de aliquo, de alio* H et editiones.
γ) *significantur.* – *significant* F, *significatur* H et editiones.
δ) *ungens... uncta.* – *uniens... unita* H.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo, vide diversitatem huius a praecedenti titulo. Nam hic quaestio refertur ad divinam naturam: ibi vero ad Deum. Nam hic quaeritur an humana praedicentur *de natura divina:* ibi, an humana praedicentur *de Deo.* Unde, cum inter Deum et divinam naturam sola sit differentia secundum modum significandi, omnis ista quaestio ad rem divinam spectat non ut res est absolute, sed ut res est significata nomine abstracto, puta *deitas* aut *divinitas,* vel aequivalente, puta *natura divina, essentia divina,* et huiusmodi.

II. In corpore articuli duae sunt couclusiones simul probatae. Altera est: *In Christo ea quae sunt unius naturae, non possunt praedicari de alia in abstracto significata.* – Altera est: *In Christo ea quae sunt utriusque naturae, possunt indifferenter de nominibus concretis utriusque naturae praedicari.*

Probantur simul. Ea quae sunt propria unius non possunt vere praedicari de alio, nisi de eo quod est idem illi. Ergo ea quae sunt unius naturae, etc. – Antecedens manifestatur. Quia *risibile* non convenit nisi ei quod est homo. – Consequentia vero probatur, primo: quia nomina concreta supponunt hypostasim naturae. – Et confirmatur deinde secunda conclusio auctoritate Leonis.

III. Adverte hic quod abstracta et concreta nomina, quamvis conveniant in significato formali, quoniam tam *deitas* quam *Deus* deitatem significat, et similiter tam *humanitas* quam *homo* humanam significat naturam; ex differenti tamen significandi modo invento in illis, alia oritur differentia quoad supposita per illa. Nam abstractum nomen et significat naturam, et supponit pro natura: *deitas* enim pro deitate supponit. Concretum vero significat quidem naturam, sed supponit pro habente naturam, ac per hoc pro hypostasi naturae, hypostasis enim est habens naturam: *Deus* enim supponit pro habente deitatem, pro hypostasi divinae naturae; et similiter *homo* pro habente humanam naturam, pro hypostasi humanae naturae. Et similiter *risibilitas* et significat et supponit ipsam risibilitatem: sed *risibile* supponit pro habente risibilitatem. Et ideo *risibilitas* non praedicatur de *humanitate:* sed *risibile* vere praedicatur de *homine,* quoniam idem est habens humanitatem et risibilitatem.

Ex his igitur patet in primis assumptum in littera antecedens, cum sua manifestatione exemplari de *risibili.* Verissime siquidem dicitur propria unius non verificari de alio, nisi illud aliud sit idem huic cui sunt propria. Quemadmodum propria *risibilitatis* non verificantur de *humanitate,* quia nihil est idem utrique: sed verificantur de *homine,* quia homo est id humanae naturae quod est idem habenti risibilitatem; idem enim subiecto est hypostasis humana et subiectum risibilitatis.

Patet deinde vis consequentiae. Quoniam, dum explicatur in littera proprietas concretorum in supponendo, insinuatur differentia quam explicavimus inter suppositionem concretorum et abstractorum: ex qua fit ut abstractum nomen unius naturae pateat importare omnino aliud ab his quae sunt alterius naturae, scilicet ipsam solam naturam secundum se; ac per hoc, optime inferri quod non praedicantur de abstracto ea quae sunt alterius naturae; – et similiter pateat concretum cuiusque in Christo naturae importare id quod idem est, quod commune est, omnibus ad quamcumque naturam spectantibus, scilicet unam eandemque hypostasim; et ideo optime inferri quod indifferenter ea quae sunt utriusque naturae de concretis utriusque naturae praedicantur.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM HAEC SIT VERA: *DEUS FACTUS EST HOMO*

Infra, qu. xxxiii, art. 3; III *Sent.*, dist. vii, qu. ii, art. 1; *Cont. Error. Graec.*, cap. xxi; *Ad Rom.*, cap. i, lect. ii.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod haec sit falsa: *Deus factus est homo.* Cum enim *homo* significet substantiam, fieri hominem est fieri simpliciter. Sed haec est falsa: *Deus factus est simpliciter.* Ergo haec est falsa: *Deus factus est homo.*

2. Praeterea, fieri hominem est mutari. Sed Deus non potest esse subiectum mutationis: secundum illud Malach. iii *: *Ego Dominus, et non mutor.* Ergo videtur quod haec sit falsa: *Deus factus est homo.* [* Vers. 6.]

3. Praeterea, *homo,* secundum quod de Christo dicitur, supponit personam Filii Dei. Sed haec est falsa: *Deus factus est persona Filii Dei.* Ergo haec est falsa: *Deus factus est homo.*

Sed contra est quod dicitur Ioan. i *: *Verbum caro factum est.* Et sicut Athanasius dicit, in Epistola *ad Epictetum* *, *quod dixit, « Verbum caro factum est », simile est ac si diceretur, « homo factus est ».* [* Vers. 14.] [* Ad Epictet., cont. Haeret., num. 8.]

Respondeo dicendum quod unumquodque dicitur esse factum illud quod de novo incipit praedicari de ipso. Esse autem hominem vere praedicatur de Deo, sicut dictum est *: ita tamen quod non convenit Deo esse hominem ab aeterno, sed ex tempore per assumptionem humanae naturae. Et ideo haec est vera: *Deus factus est homo.* Diversimode tamen intelligitur a diversis: sicut et haec, *Deus est homo,* ut supra * dictum est. [* Art. 1.] [* Ibid.]

Ad primum ergo dicendum quod fieri hominem est fieri simpliciter in omnibus his in quibus humana natura incipit esse in supposito de novo creato. Deus autem dicitur factus homo ex eo quod humana natura incoepit esse in supposito divinae naturae ab aeterno praeexistente. Et ideo Deum fieri hominem non est Deum fieri simpliciter.

Ad secundum dicendum quod, sicut dictum est *, *fieri* importat quod aliquid praedicetur de novo de altero. Unde quandocumque aliquid de novo praedicatur de altero cum mutatione eius de quo dicitur, tunc fieri est mutari. Et hoc convenit omnibus [α] quae absolute dicuntur: non enim potest albedo aut magnitudo de novo advenire alicui nisi per hoc quod de novo mutatur ad [* In corpore.]

α) *omnibus.* – *in omnibus* tertia praeter H. Pro *quae, qui* BCDEpF.

albedinem vel magnitudinem. Ea vero quae relative dicuntur, possunt de novo praedicari de aliquo absque eius mutatione: sicut homo de novo fit dexter absque sua mutatione, per motum illius qui fit ei sinister. Unde in talibus non oportet omne quod dicitur fieri, esse mutatum: quia hoc potest accidere per mutationem alterius. Et per hunc modum Deo dicimus: *Domine, refugium factus es nobis* *. – Esse autem hominem convenit Deo ratione unionis, quae est relatio quaedam. Et ideo esse hominem praedicatur de novo de Deo absque eius mutatione, per mutationem humanae naturae, quae assumitur in divinam personam. Et ideo, cum dicitur, *Deus factus est homo,* non intelligitur aliqua mutatio ex parte Dei, sed solum ex parte humanae naturae.

* Ps. LXXXIX, vers. 1.

Ad tertium dicendum quod *homo* supponit personam Filii Dei, non nudam, sed prout subsistit in humana natura. Et [β] quamvis haec sit falsa, *Deus factus est persona Filii,* est tamen haec vera, *Deus factus est homo,* ex eo quod unitus est [γ] humanae naturae.

β) *Et.* – *Et ideo* P.

γ) *unitus est.* – *factus est unitus* FGI, *Deus factus est unitus* H, *facta est unitas* b, *est unitus* Pc.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore articuli primo respondetur quaesito unica conclusione: ***Haec est vera:** « **Deus factus est homo** »*. Probaturque syllogismo satis clare posito et ordinato in littera: ita ut non sit opus formare illum.

Deinde aperitur quod haec propositio a diversis diversimode intelligitur, iuxta dicta in primo huius quaestionis articulo de ista propositione, *Deus est homo.*

II. In responsione ad secundum, si dubitas, vide scripta in articulo primo, in responsione ad ultimum *. Et si tibi illa non sufficiunt, nec quiescis ex relativa declaratione tam profundae factionis, dicito quod, licet fieri hominem absolute importet mutationem in subiecto acquirente humanam naturam, puta in materia, attamen *personam aliquam fieri hominem* non importat mutationem in persona acquirente naturam humanam. Et ratio diversitatis est quia subiectum quod fit homo, per transmutationem sui acquirit esse humanum: sed persona quae fit homo, sola nova personatione humanae naturae fit homo. Personare autem naturam humanam non est mutari: sed subsistere nunc primo in illa. Et ideo Filius Dei prius non erat homo, quia non personabat naturam humanam; et in tempore factus est homo, quia incoepit quandoque personare naturam unam humanam, et per hoc acquisivit primo esse substantiale humanae naturae, et non tantum esse relativum; factus est homo, factus est substantia animata sensibilis rationalis, et non ***ad aliquid,*** non ***ad humanam naturam.*** Et est non solum subiectum propositionis ly *Deus,* cum dicitur *Deus factus est homo:* sed ut subiectum factionis, hoc est, personationis nunc primo; hoc enim fieri nihil aliud est quam personare nunc primo. Et sic habes substantialem factionem, et terminum, et subiectum, absque mutatione subiecti. Et si tibi apparet mirabile, memento quia nihil est mirabilius quam *Verbum caro factum est* *, post Trinitatis arcanum.

* Comment. num. IX.

* Ioan. cap. I, vers. 14.

III. In responsione ad tertium, si formalem responsionem novitius optat, dicito quod est quia ista est vera: ***Deus factus est subsistens in humana natura:*** hoc enim formaliter supponit ly ***homo.*** Et si ad materialiter substratum instet descendi, dicito quod haec etiam est vera: ***Deus factus est persona Filii Dei subsistens in humana natura.*** Sicut etiam, cum paries fit albus, vere dicitur quod ***paries factus est paries albus:*** ut patet in VII *Metaphys.* *; et, ad propositum, in III *Sent.*, dist. VII.

* S. Th. lect. VII. – Did. lib. VI, cap. VIII, n. 3.

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM HAEC SIT VERA: *HOMO FACTUS EST DEUS*

Infra, qu. XXXIII, art. 3; III *Sent.*, dist. VII, qu. II, art. 2; *Cont. Error. Graec.*, cap. XXI; *Ad Rom.*, cap. I, lect. II.

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod haec sit vera: *Homo factus est Deus.* Dicitur enim *Rom.* I *: *Quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Sed Christus secundum quod homo est ex semine David secundum carnem. Ergo homo factus est Filius Dei.

* Vers. 2, 3.

2. Praeterea, Augustinus dicit, in I *de Trin.* *: *Talis erat illa susceptio quae Deum hominem faceret, et hominem Deum.* Sed ratione illius susceptionis haec est vera: *Deus factus est homo.* Ergo similiter haec est vera: *Homo factus est Deus.*

* Cap. XIII.

3. Praeterea, Gregorius Nazianzenus dicit, in Epistola *ad Chelidonium* *: *Deus quidem humanatus est: homo autem deificatus* [α], *vel quomodolibet aliter* [β] *nominaverit.* Sed Deus ea ratione dicitur humanatus, quia [γ] est homo factus. Ergo homo ea ratione dicitur deificatus [δ], quia est factus Deus. Et ita haec est vera: *Homo factus est Deus.*

* Epist. CI, al. Orat. L.

4. Praeterea, cum dicitur, *Deus factus est homo,* subiectum factionis vel unitionis [ε] non est Deus, sed humana natura, quam significat hoc nomen *homo.* Sed illud videtur esse subiectum factionis cui factio attribuitur. Ergo haec magis est vera, *Homo factus est Deus,* quam ista, *Deus factus est homo.*

Sed contra est quod Damascenus dicit, in III libro *: *Non hominem deificatum dicimus, sed Deum humanatum.* Idem autem est fieri Deum

* De Fide Orth., lib. III, cap. II.

α) *deificatus.* – *divinitatus* E, *deitatus* bc, *divinatus* I. Cf. δ μ.
β) *aliter.* – Om. E; an *aliquis* legendum?
γ) *quia.* – *qua* PF; item altero loco.

δ) *deificatus.* – *divinitatus* E, *deitatus* Hbc, *divinatus* I.
ε) *unitionis.* – *unionis* DEF, *mutationis* tertia praeter I.

quod deificari. Ergo haec est falsa: *Homo factus est Deus.*

Respondeo dicendum quod propositio ista, *Homo factus est Deus,* tripliciter potest intelligi. Uno modo, ita quod hoc participium *factus* determinet absolute vel subiectum, vel praedicatum. Et in hoc sensu est falsa: quia neque homo ille de quo praedicatur [ζ] est factus, neque Deus est factus, ut infra * dicetur. [* Art. 8, 9.] Et sub eodem sensu haec est falsa: *Deus factus est homo.* Sed sub hoc sensu non quaeritur hic de istis propositionibus.

Alio modo potest intelligi ut ly *factus* determinet compositionem: ut sit sensus, *Homo factus est Deus,* idest: *factum est ut homo sit Deus.* Et sub hoc sensu utraque est vera, et, *Homo factus est Deus,* et, *Deus factus est homo.* Sed hic non est proprius sensus harum locutionum: — nisi forte intelligatur quod ly *homo* non habeat [η] personalem suppositionem, sed simplicem. Licet enim hic homo non sit factus Deus, quia hoc suppositum, persona Filii Dei, ab aeterno fuit Deus: tamen homo, communiter loquendo, non semper fuit Deus.

Tertio modo, proprie intelligitur: secundum quod hoc participium *factus* ponit fieri circa hominem in respectu ad Deum sicut ad terminum factionis. Et in hoc sensu, supposito quod in Christo sit eadem persona et hypostasis et suppositum Dei et hominis, ut supra * ostensum est, [* Qu. II, art. 2, 3.] ista propositio falsa est. Quia cum dicitur, *Homo factus est Deus,* ly *homo* habet personalem suppositionem: non enim esse Deum verificatur de homine ratione humanae naturae, sed ratione sui suppositi. Suppositum autem illud humanae naturae de quo verificatur esse Deum, est idem quod hypostasis seu persona Filii Dei, quae semper fuit Deus. Unde non potest dici quod iste homo *incoepit esse Deus,* vel quod *fiat Deus,* aut quod *factus sit Deus.*

Si vero esset alia persona vel hypostasis Dei et hominis, ita quod esse Deum praedicaretur de homine, et e converso, per quandam coniunctionem suppositorum, vel dignitatis personalis, vel affectionis, vel inhabitationis, ut Nestoriani dixerunt: tunc pari ratione posset dici quod *homo factus est Deus,* idest *coniunctus Deo,* sicut et quod *Deus factus est homo,* idest *coniunctus homini.*

Ad primum ergo dicendum quod in verbis illis Apostoli hoc relativum *qui,* quod refert pro persona [θ] Filii, non debet intelligi ex parte praedicati, quasi aliquis existens ex semine David secundum carnem sit factus Filius Dei, in quo sensu obiectio procedebat: sed debet intelligi ex parte subiecti, ut sit sensus quod [ι] *Filius Dei factus est ei,* (« *scilicet ad honorem Patris* », ut Glossa * exponit) [* Lomb.] *existens ex semine David secundum carnem;* ac si diceret: *Filius Dei habens* [κ] *carnem ex semine David ad honorem Dei.*

Ad secundum dicendum quod verbum [λ] Augustini est intelligendum in illo sensu, secundum quod ex illa susceptione incarnationis factum est ut homo esset Deus et Deus esset homo. In quo sensu ambae locutiones sunt verae, ut dictum est *. [* In corpore.]

Et similiter dicendum est ad tertium: nam *deificari* [μ] idem est quod *fieri Deum.*

Ad quartum dicendum quod terminus in subiecto positus tenetur materialiter, idest pro supposito: positus vero in [ν] praedicato, tenetur formaliter, idest pro natura significata *. [* D. 1052.] Et ideo cum dicitur, *Homo factus est Deus,* ipsum fieri non attribuitur humanae naturae, sed supposito humanae naturae: quod est ab aeterno Deus, et ideo non convenit ei fieri Deum. Cum autem dicitur [ξ], *Deus factus est homo,* factio intelligitur terminari ad ipsam humanam naturam. Et ideo, proprie loquendo, haec est vera, *Deus factus est homo:* sed haec est falsa, *Homo factus est Deus.* Sicut, si Socrates, cum prius fuerit homo, postea factus est albus: demonstrato Socrate, haec est vera, *Hic homo hodie factus est albus;* haec tamen est falsa, *Hoc album hodie factum est homo.*

Si tamen ex parte subiecti poneretur aliquod nomen significans naturam humanam in abstracto, posset hoc modo significari ut subiectum factionis: puta si dicatur quod *natura humana facta est Filii Dei.*

ζ) *praedicatur.* — *pater praedicatur* pF, *Deus praedicatur* PIsH.
η) *quod... habeat.* — *secundum quod... habet* F et tertia.
θ) *pro persona.* — *persona* Gb, *personam* cetera tertia.
ι) *quod.* — An *qui* legendum? — *est ei scilicet* HIsB et *bc*; *scilicet* ed. *a*, *ei scilicet* ACDEpB, *est ei scilicet homo* F, *est scilicet homo* P; *ei scilicet... habens* om. G.
κ) *habens.* — *factus est habens* F et tertia (pro G cf. ι).
λ) *verbum.* — *illud verbum* H et editiones.
μ) *deificari.* — *deitari* GH*bc*, *d'it'ari (deiterari)* I.
ν) *in.* — Tertia; *pro.*
ξ) *dicitur.* — E et tertia praeter I; om. — *intelligitur* tertia; *dicitur.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. — In corpore duo fiunt: primo, ponitur duplex propositionis sensus improprius, et iuxta utrumque respondetur; secundo, ponitur tertius sensus, qui solus est proprius, et respondetur quaesito *. [* Cf. num. VII.]

Quoad primum, vide, Novitie, quod in primo sensu copula verbalis est ly *est:* et ly *factus* ponitur vel adiectivum subiecti, puta *homo factus,* sicut si diceretur, *homo creatus;* vel adiectivum praedicati, puta *Deus factus.* Ita quod sensus esset, vel quod *factus homo est Deus;* vel quod *homo est Deus factus.* Et utroque modo iudicatur falsa. Et de secunda quidem non est dubium. Prima autem falsa iudicatur, quia ly *homo* in subiecto stat pro hypostasi; ac per hoc, dicendo *homo factus,* enuntiatur de persona humana facta quod est Deus; constat autem nullam esse personam, sive humanam sive divinam, *factam,* quae sit Deus; nam persona humana quae est Deus, est, non facta, sed genita ab aeterno, *Deus de Deo.*

II. In secundo autem, quamvis improprio sensu, dicuntur quinque. *Primo,* ponitur modus quo sumitur ly *factus.* Et dicitur sumi ut modus determinans compositionem: sicut in propositionibus modalibus ly *possibile* aut *necessarium* determinare dicitur compositionem. Ita quod propositio ista, *Homo factus est Deus,* sonat istam: *Hominem esse Deum factum est.*

Et propterea *secundo* in littera explicatur dictus sensus eiusdem, scilicet: *Factum est ut homo sit Deus.* Et similiter, *Deus factus est homo: factum est ut Deus sit homo.*

Tertio, dicitur quod propositio utraque est vera in hoc sensu.

Quarto, quod hic sensus non est proprius harum propositionum. Et ratio quidem logica est quia ly *factus* non est modus determinativus compositionis, sicut ly *possibile* aut *necessarium.*

Ratio vero realis, ad sensum respiciens (quae in littera redditur cum, quinto, subiungitur quomodo sensus iste potest proprietatem forte habere), est quia hic homo de quo enuntiatur factum esse Deum, non est factus Deus: ita quod neque ab aeterno, neque ex tempore factum est ut homo, hoc est *hic homo,* esset Deus. Constat enim quod ly *homo* supponit in hac enuntiatione pro hoc homine, quia supponit personaliter et determinate: et quod hic homo est Deus ab aeterno *genitus, non factus,* est hypostasis Filii Dei. Non est igitur proprius sensus harum locutionum dicere: *Factum est ut homo esset Deus.*

Posset tamen, ut *quinto* dicitur in littera, salvari ut proprius sensus, sustinendo quod *homo* habeat suppositionem simplicem, hoc est, supponat pro natura humana in concreto communiter. Nam factum est quod *homo* sit Deus: quamvis non sit factum quod *aliquis singularis homo* sit Deus, quia ille singularis homo qui est Deus, est naturaliter et ab aeterno Deus.

III. Occurrit hic autem circa duo quaestio. Primo, circa suppositionem simplicem, et proprietatem propositionis sic sumptae. – Secundo, circa personalem: an *iste homo sit factus Deus* *.

* Cf. num. vi.

* Cf. num. v.

Est autem dubitandi ratio circa primum *, quia, dicendo, *Homo est factus Deus,* ly *homo* supponit pro habente naturam humanam indeterminate. Aliud enim est dicere, *Hic homo est factus Deus;* et aliud est dicere, *Homo est factus Deus:* quoniam *homo* supponit confuse pro habente naturam humanam; *hic homo* autem determinate. Et hinc fit *primo* ut ratio litterae nihil valeat, reprobando illam, *Homo factus est Deus,* quia ista est falsa, *Iste homo factus est Deus.*

Fit *secundo* ut non logice dicatur in littera quod supponat simpliciter ly *homo,* stando pro homine communiter. Quoniam supponit personaliter, confuse tamen. Immo naturalis suppositio termini communis concreti est supponere pro habente naturam indeterminate.

Fit *tertio* ut, quia ista propositio, *Homo factus est Deus,* in personali suppositione propriissime sumpta est vera, quia in veritate homo est Deus et non semper fuit Deus, sed per unionis gratiam est Deus, male in littera arguatur falsitatis.

Fit *quarto* ut Scotus, in III *Sent.,* dist. vii, qu. ii, rectius dixerit quod ista propositio, *Homo factus est Deus,* est simpliciter vera et propria. Tum quia homo per actionem agentis est Deus, et non semper fuit Deus. – Tum quia est convertens illam, *Deus factus est homo.*

IV. Ad evidentiam horum, scito quod inter personalem et simplicem suppositionem haec est differentia, quod, si ly *homo* supponit personaliter, oportet praedicatum convenire alicui personae humanae: quod enim de nulla persona humana, nec de omnibus simul verificatur, de homine personaliter sumpto non verificatur; ut patet discurrenti tam in propositionibus per se, quam per accidens. Si vero supponit simpliciter, praedicatum convenit homini abstrahenti a suis suppositis: ita quod verificatur de homine communiter, et de nullo homine, nec de omnibus simul verificatur.

Ad propositum autem descendendo, considerandum est quod in illa propositione, *Homo factus est Deus,* ly *homo* supponit personaliter, proprie loquendo: quia ly *factus est* non permittit hominem supponere nisi personaliter, sicut cum dicitur, *Homo factus est albus;* quoniam fieri reale non est hominis communiter, sed hominis singularis. Et propterea ad veritatem istius, *Homo factus est Deus,* oportet veram esse istam, *Aliquis homo factus est Deus:* sicut ad veritatem istius, *Homo factus est albus,* oportet quod aliquis homo sit factus albus. – Sed si ly *homo* supponat simpliciter, veritas eius non exigit quod aliquis homo sit factus Deus: sed sufficit quod per actionem alicuius agentis factum sit ut de homine absolute verificetur de novo esse Deum. Et quia potest dici quod iste sensus est proprius sensus istius propositionis a doctoribus positae *, ita quod de homine absolute dixerunt quod *factus est Deus;* nec haec proprietas est usquequaque clara: ideo Auctor dixit, *Nisi forte,* etc.

* Cf. Magist. III *Sent.,* dist. vii, cap. *In hac igitur.*

V. Ad obiecta * igitur respondendo, dicitur concedendo quod *homo,* proprie loquendo, supponit pro habente naturam humanam indeterminate: et quod alia est propositio, *Homo factus est Deus,* et alia, *Hic homo factus est Deus.* Sed cum infertur primo, *Ergo ratio litterae nihil valet:* respondetur quod efficax est. Quia, licet sint diversae propositiones, negatio tamen illius singularis, scilicet, *Hic homo est factus Deus,* infert negationem illius indefinitae, *Homo factus est Deus.* Quoniam, gratia materiae, unum singulare in proposito aequivalet omnibus singularibus: constat enim unum tantum hominem esse Deum. Et propterea, sicut a negatione omnium singularium infertur negatio indefinitae, ita in proposito a negatione unius singularis destruitur indefinita.

* Num. iii.

Ad secundum dicitur quod, quia talia sunt subiecta qualia permittuntur a praedicatis; et praedicatum integrum, scilicet *factum esse Deum,* verificandum est; et non potest verificari de homine personaliter, sive confuse sive determinate: ideo ad suppositionem simplicem recursum est. Logicum quippe est ut *homo* supponat simpliciter pro habente naturam abstrahendo a singularibus, non solum quoad significationem, sed quoad id quod praedicato supponat. Et haec non est eius naturalis suppositio: sed cum personaliter supponit pro habente naturam indeterminate.

Ad tertium dicitur quod iam * patet falsum esse quod, personaliter sumpta, illa propositio, *Homo factus est Deus,* sit vera. Nec est verum de homine personaliter sumpto quod per gratiam unionis est Deus.

* Cf. num. ii.

Unde ad quartum, ex Scoto, dicitur quod, si Scotus utitur suppositione simplici, verum dicit: et affirmat proprietatem sensus, quam Auctor in littera sub dubio relinquit. Sed in veritate ly *factus est* transit in impersonale: hoc est, *Factum est ut homo esset Deus.* Quod non videtur de intentione Scoti, volentis istam, *Homo factus est Deus,* sequi per conversionem ad illam, *Deus factus est homo:* oportet enim personaliter supponere *hominem,* si per conversionem sequitur ad illam. Et propterea si, ut apparet, utitur suppositione personali, directe dicit contra Auctorem. Sed falsum dicit: quoniam, personaliter sumpta, propositio illa, *Homo factus est Deus,* est falsa. – Et cum probatur quia istae sunt verae, *Homo per actionem agentis est Deus,* et, *Homo non prius erat Deus:* respondetur quod prima est falsa, quia veritas eius exigit veritatem alicuius suae singularis, scilicet quod aliquis homo per actionem agentis est Deus qui prius non fuit Deus; constat autem quod nullus homo per actionem cuiuscumque agentis est de novo Deus; quia ille homo, scilicet Iesus Nazarenus, qui solus inter homines est Deus, non est de novo Deus, sed ab aeterno; nec per actionem alicuius agentis, sed aeterna nativitate a Patre est Deus. – Nec est verum quod istius, *Deus factus est homo,* convertens sit, *Homo factus est Deus:* sed illa, *Qui factus est homo, est Deus.* Sicut ista, *Paries factus est albus,* non convertitur in istam, *Album factum est paries:* sed in istam, *Quod factum est album, est paries.*

VI. Secundum dubium occurrens * est, quia videtur quod etiam *factum sit quod iste homo sit Deus.* Nam ly *iste homo* stat pro supposito aeterno, non quatenus est aeternum seu hypostasis divinae naturae, sed quatenus est ex tempore hypostasis humanae naturae. Constat autem quod factum est per gratiam divinam ut hypostasis divinae naturae esset hypostasis humanae naturae, et quod hypostasis humanae naturae esset ipsa Verbi hypostasis. Et sic propositio esset vera: et sensum proprium habet secundum personalem suppositionem.

* Cf. num. iii, init.

Ad hoc dicitur quod in hac ultima particula litterae non est sermo de veritate, sed de proprietate sensus. Et propterea, licet assignatus sensus obiiciendo sit verus, non tamen est proprius dictae propositionis. Quia ly *homo,* ex parte subiecti, personaliter ac determinate supponens, debet sumi pro illa hypostasi absolute, et non pro illa ut abstrahit a seipsa, ut obiectio sumit: quia subiecta tenentur materialiter. Constat autem quod, absolute sumpta hypostasi illa, falsum est quod factum sit illam esse Deum. – Ubi tamen huiusmodi dicta inveniuntur, pie interpretanda sunt, non extendenda.

* Cf. num. I.

VII. Quoad secundum *, tertius sensus ponit quod hoc totum, *factus est,* ponitur pro copula verbali: sic enim ly *factus est* ponit circa hominem ut subiectum fieri, non absolute, sed in ordine ad Deum ut terminum factionis. Ita quod sensus proprius est quod *homo effectus est Deus.* Et in hoc sensu proprie respondetur quaesito quod *propositio est falsa*: et manifestatur, et probatur.

Manifestatur quidem et ex supposita sententia fidei falsificante dictam propositionem: et ex contraria haeresi Nestorianorum verificante eandem. Ponendo enim unam tantum in Christo hypostasim, cum illa sit genita Deus ab aeterno, et supponatur per ly *homo,* non potest dici quod *factus est Deus.* Ponendo autem, cum haereticis, duas in Christo hypostases, optime verificatur quod homo factus est Deus, quia ille homo coniunctus est Deo: sicut e contra *Deus factus est homo,* idest, *coniunctus est illi homini,* secundum hos haereticos.

Probatur autem sic. Esse Deum verificatur de homine, non ratione naturae, sed suppositi. Ergo fieri Deum de supposito quoque verificari debet, si propositio est vera. Sed de supposito non potest verificari fieri Deum. Probatur: quia ab aeterno est Deus, nec unquam coepit esse Deus, aut fieri Deus, aut quod factus sit Deus. Ergo. – Antecedens patet. – Consequentia vero probatur. Quia eiusdem est fieri et esse, si fit: cum fieri terminetur ad esse.

VIII. Adverte circa haec quod, cum in omni factione, qua unum fit aliud, non solum concurrat terminus, sed subiectum seu quasi-subiectum; et in hac factione, ut in littera dicitur, Deus significetur ut terminus: per hanc propositionem, *Homo factus est Deus,* restat ut homo significetur ut subiectum. Et ideo, ut in littera dicitur, est falsa propositio ista: *Homo factus est Deus.* Et tamen, si relative iudicetur ista factio, verissimum est quod Deus est terminus, et homo formaliter est subiectum: quia, secundum rem, mutatio ponitur in homine formaliter, et in Deo non nisi ut in termino. Quo fit ut, ad rem spectando, deberet ista propositio, *Homo factus est Deus,* dici vera, et magis vera quam illa, *Deus factus est homo:* quia in illa subiectum factionis ponitur subiectum, et terminus ponitur terminus; in ista autem e contra. Et tamen totum oppositum affirmatur: quia ista, *Deus factus est homo,* affirmatur et in Evangelio, *Verbum caro factum est* *, et in Symbolo *, *Et homo factus est;* illa autem, *Homo factus est Deus,* communiter dicitur falsa.

* Ioan. cap. I, vers. 14.
* Nicaen.-Constant.

Quorsum haec? Propter duo. Primum est, ut non sistas in factione relativa, sed intelligas in hoc mysterio fieri illud quo dicitur, *Verbum caro factum est,* et, *homo factus est,* esse, non fieri relativum, – quia non caro, non homo factus esset Dei Filius, sed *ad carnem, ad hominem;* et militarent multum argumenta allata: – sed fieri substantiale; non quale est fieri quo materia transmutatur in carnem aut humanam naturam; sed quale est fieri quo fingeretur Socratem fieri hominem. Nam sicut alio modo se habet esse inter Socratem et humanam naturam ex una parte, et inter materiam et humanam naturam ex altera parte, ita dissimiliter se habet fieri inter haec et illa. Cum enim dicimus, *Socrates est homo,* non denotatur aliud esse praedicati et aliud subiecti: sed cum dicitur, *Materia est humana,* aliud esse essentiale denotatur materiae, et aliud humanitatis. Et ideo fieri medians inter materiam et esse humanum, fieri substantiale quidem, sed mutationis est ipsius materiae: inter Socratem autem et humanam naturam non mediat fieri mutationis, sed aut nullum, aut sine mutatione. Et ad hoc fieri spectat fieri illud quo *Verbum caro factum est:* sicut ad hunc essendi modum spectat esse illud quo *Verbum est homo,* in primo modo dicendi per se, ut patet ex supra * dictis.

* Art. I, Comment. num. VIII.

Secundum est, quod cum his stat quod intervenit in hoc mysterio mutatio relativa, secundario tamen. Ita quod, cum de hoc mysterio loquendum est, dicito quod interveniunt hic duo: scilicet factio, et mutatio. Et quod factio quidem est substantialis, qua *Verbum caro factum est.* Et locum subiecti tenet in hac factione substantiali Verbum: quia, secundum rei veritatem et proprietatem, concurrit in hoc fieri Verbum ut hypostasis, quae naturae subiicitur, naturam substantificans, in natura subsistens. Et natura ipsa humana de qua est sermo, tenet locum termini: quamvis non tantum, ut dicetur *. – Mutatio autem est relativa. Et respectu huius natura humana tenet locum subiecti, Verbum autem locum termini: quia Verbum non refertur nisi quia natura refertur ad Verbum.

* Cf. num. seq., *In responsione ad quartum.*

Et quoniam non de mutatione, sed de factione est sermo in istis propositionibus, ideo illa est simpliciter vera, *Deus factus est homo:* in ea siquidem de eo quod est ut subiectum factionis, dicitur quod *factum est homo;* quod constat esse verissimum, et propriissime dictum. Ista vero, *Homo factus est Deus,* est simpliciter falsa: quoniam in ea enuntiatur ut terminus factionis Deus, qui nec ratione naturae, nec ratione suppositi, potest terminare factionem circa suppositum hominis ex significatione propositionis positam cum dicitur, *Homo factus est Deus.*

IX. In responsione ad primum, adverte, Novitie, quod tota vis argumenti consistit in illo pronomine *ei:* quasi dixerit Apostolus: *de Filio suo, qui factus est ei,* hoc est Deo, *Filius* etc. Et propterea responsio consistit in hoc, quod ly *ei* idem significat quod *ad honorem eius.* Et construitur sic: *Qui factus est ad Dei honorem ex semine David secundum carnem.*

In responsione ad secundum et tertium, habes piam interpretationem Graecorum, in Gregorio; et Latinorum, in Augustino.

In responsione ad quartum, vide, in calce responsionis, quod natura humana dicitur subiectum factionis, non solum ea ratione quia est subiectum mutationis relativae, sed quia substantiale fieri in mysterio incarnationis inventum convenit humanae naturae passive: quoniam hoc fieri non est nisi Verbo uniri naturam humanam in unitatem hypostaticam, ubi constat Verbum personare naturam, et naturam personari in Verbo. Et licet Verbum personare naturam non sit agere, cum non sit commune toti Trinitati, cui omnis actio ad extra communis est, sed soli Verbo conveniat; et consequenter naturam a Verbo personari non sit pati: quia tamen hoc fieri, physice loquendo, non est nisi personatio humanae naturae in Verbo ut nunc primo dependens a tota Trinitate ut causa efficiente; et Verbum in ipsa personatione concurrat ut hypostasis, et natura humana ut patiens ipsam factionem suae personalitatis in Verbo; tam Verbum quam natura humana potest significari ut subiectum factionis in hoc mysterio. Et propterea in littera dicitur quod dici potest, *Humanitas facta est Dei:* non autem quod *homo factus est Deus.*

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM HAEC SIT VERA: *CHRISTUS EST CREATURA*

III *Sent.*, dist. IV, qu. II, art. 2, ad 4; dist. XI, art. 2; dist. XXI, qu. I, art. 3, ad 2; IV *Cont. Gent.*, cap. XLVIII; *De Verit.*, qu. XXIX, art. 1, ad 1; *Compend. Theol.*, cap. CCXVI; I *ad Cor.*, cap. XV, lect. II.

AD OCTAVUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod haec sit vera: *Christus est creatura*. Dicit enim Leo Papa *: *Nova et inaudita conventio: Deus qui est et erat, fit creatura*. Sed illud potest praedicari de Christo quod Filius Dei factus est per incarnationem. Ergo haec est vera: *Christus est creatura*.

* Append. Opp. Aug., Serm. XII *de Nativ.*, al. de *Temp.* XIII, cap. II.

2. PRAETEREA, proprietates utriusque naturae possunt praedicari de hypostasi communi utriusque naturae, quocumque nomine significetur, ut supra * dictum est. Sed proprietas humanae naturae est esse creaturam: sicut proprietas divinae naturae est esse Creatorem. Ergo utrumque potest dici de Christo: scilicet quod sit creatura; et quod sit increatus et Creator [α].

* Art. 5.

3. PRAETEREA, principalior pars hominis est anima quam corpus. Sed Christus ratione corporis, quod de Virgine traxit, dicitur simpliciter esse natus de Virgine. Ergo ratione animae, quae creata est a Deo, debet simpliciter dici quod Christus sit creatura.

SED CONTRA EST quod Ambrosius dicit, in libro *de Trin.* *: *Nunquid dicto factus est Christus? Nunquid mandato creatus est Christus?* quasi dicat: *Non*. Unde subdit: *Quomodo autem creatura in Deo esse potest? Etenim Deus naturae simplicis est, non coniunctae*. Ergo haec non est concedenda: *Christus est creatura*.

* Al. *de Fide ad Grat.* lib. I, cap. XVI.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut Hieronymus * dicit, *ex verbis inordinate prolatis incurritur haeresis*. Unde cum haereticis nec nomina debemus habere communia: ne eorum errori favere videamur. Ariani autem haeretici Christum dixerunt esse creaturam, et minorem Patre, non solum ratione humanae naturae, sed etiam ratione divinae personae. Et ideo non est absolute dicendum quod Christus sit *creatura*, vel *minor Patre*: sed cum determinatione, scilicet, *secundum humanam naturam* *. Ea vero de quibus suspicari non potest quod divinae personae conveniant secundum seipsam, possunt simpliciter dici de Christo ratione humanae naturae: sicut simpliciter dicimus Christum esse *passum, mortuum* et *sepultum*. Sicut etiam in rebus corporalibus et humanis, ea quae in dubitationem venire possunt [β] an conveniant toti vel parti, si insunt alicui parti, non attribuimus toti simpliciter, idest sine determinatione: non enim dicimus quod *aethiops est albus*, sed quod *est albus secundum dentem* [γ]. Dicimus autem absque determinatione quod est *crispus*: quia hoc non potest ei convenire nisi secundum capillos.

* Gloss. Ord. in Osee, cap. II, vers. 16.

* D. 617, 1213.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod aliquando sancti Doctores, causa brevitatis determinatione omissa, nomine *creaturae* utuntur circa Christum. Est tamen in eorum dictis subintelligenda [δ].

AD SECUNDUM DICENDUM quod omnes proprietates humanae naturae, sicut et divinae, possunt aliqualiter dici de Christo. Unde et Damascenus dicit, in III libro *, quod *Christus, qui Deus et homo dicitur, creabilis est et increabilis, et partibilis et impartibilis* [ε]. Sed tamen illa quae dubitationem habent circa alterutram naturam, non sunt dicenda absque determinatione. Unde et ipse postea alibi * subdit: *Ipsa una hypostasis*, scilicet Christi, *et increata est deitate, et creata est humanitate*. Sicut et e converso non esset dicendum sine determinatione quod *Christus est incorporeus*, vel *impassibilis*, ad evitandum errorem Manichaei, qui posuit Christum verum corpus non habuisse, nec vere passum esse: sed dicendum est cum determinatione quod *Christus secundum deitatem est incorporeus et impassibilis*.

* *De Fide Orth.*, lib. III, cap. IV.

* Op. cit., lib. IV, cap. V.

AD TERTIUM DICENDUM quod de nativitate ex Virgine nulla dubitatio potest esse quod conveniat personae Filii Dei: sicut potest esse de creatione. Et ideo non est similis ratio utrobique.

α) *increatus et Creator*. – Tertia; *creatus et quod Creator* F, *increatus et quod sit Creator* ceteri.
β) *possunt*. – Tertia; *non possunt*.
γ) *secundum dentem*. – *dentem* GHI*b*, *secundum dentes* P.
δ) *subintelligenda*. – *natura humana* addit I, *determinatio inquantum homo* addit P.
ε) *partibilis et impartibilis*. – An *passibilis et impassibilis?*

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS de propositione est: an enuntiatio ista, *Christus est creatura*, sit vera.

In corpore duae sunt conclusiones *. Prima est directe responsiva quaesito: *Non est absolute dicendum, « Christus est creatura »: sed cum determinatione, scilicet, « secundum humanam naturam »*. Probatur. Cum haereticis nec nomina debemus habere communia. Ergo cum Arianis non debemus convenire in dicendo Christum creaturam.

* Cf. num. IV.

Antecedens probatur et ex Hieronymo: quia *ex verbis inordinate prolatis incurritur haeresis*. Et ne haereticorum errori favere videamur. – Consequentia probatur. Quia Ariani dicebant Christum creaturam simpliciter, quia secundum utramque naturam erat creatura: quod est damnata haeresis.

II. Nota hic, Novitie, quod *ex verbis inordinate prolatis incurritur haeresis*, non formaliter, quae exigit pertinaciam in voluntate: sed vel materialiter, in significato verborum inordinatorum errorem contrarium fidei importantium; vel apparenter, dum inordinata verba speciem haeresis prae se ferunt, sicut etiam in aliis vitiis incurritur ex aliqua inordinatione *species mali*, a qua universaliter abstinendum esse iubet Apostolus *.

* I *ad Thess.*, cap. V, vers. 22.

Nota secundo quod, quia quaestio ista est de nomini-

bus, quae diversimode a diversis intelligi possunt, ideo sufficiens ratio abstinendi ab aliqua locutione est fuga apparentiae, ne videamur favere haereticis, etiam si in veritate non faveremus.

Nota tertio, quod communicare cum haereticis in vocabulis prohibitum est quoad propria, non autem quoad communia. Nam in his quae bene cum Ecclesia dicunt, nos non communicamus cum illis, sed ipsi communicant nobiscum. Sed in iis vocibus quas contra Ecclesiam levant, utpote ipsis propriis, communicare non debemus. Talis autem est vox ista, *Christus est creatura.* Usurparunt siquidem Ariani vocem hanc de Christo secundum id totum quod est, et non secundum partem: cum, secundum veritatem, non nisi ratione partis, hoc est humanae naturae, creatus sit. Et propterea in hac enuntiatione, *Christus est creatura,* utpote haereticis propria contra Ecclesiae et vocem et veritatem, non est communicandum cum Arianis. Et ideo est simpliciter neganda.

III. Occurrit hic dubium: quia vox ista non Ariana, sed Evangelica est; ac per hoc, non propria haereticis, sed communis, et frequentanda. Probatur assumptum, Ioan. XIV *, ex verbis Domini dicentis, sine determinatione aliqua: *Pater maior me est.* Si enim Christus absolute et simpliciter dixit, *Pater maior me est,* quod est dicere, *Ego sum minor Patre;* et idem est iudicium de ista et de illa, *Christus est creatura,* ut in littera dicitur: consequens est ut dicere haec non sit communicare in vocabulis cum haereticis, sed sectari Evangelica verba, destruendo tamen sensum haereticorum. Non enim prohibemur loqui et frequentare locutiones sacrae Scripturae male expositas ab haereticis. Alioquin, oporteret novum semper modum loquendi invenire: quod est fatuum.

* Vers. 28.

Ad hoc dicitur quod Salvator non dixit sine determinatione, *Pater maior me est.* Quoniam apposuit hanc locutionem ut rationem praecedentis, de seipso secundum assumptam naturam loquentis. Ait enim: *Gauderetis utique quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est.* Constat enim liquido quod secundum humanam naturam vadit ad Patrem quia Pater maior est ipso: procul dubio secundum illam naturam secundum quam vadit ad Patrem; alioquin maioritas non esset ratio eundi ad Patrem. Ex contextu igitur litterae, quo maioritas Patris ratio eundi ad Patrem ponitur, determinatur maioritas ipsa Patris ad Filium secundum humanam naturam, secundum quam vadit ad Patrem. Non est ergo Evangelica, sed Ariana vox, *Christus est minor Patre, Christus est creatura.*

IV. Secunda conclusio *, seu potius regula universalis est: ***Ea quae non possunt suspicari convenire personae Christi secundum se, absolute affirmantur de Christo, quamvis solum ratione naturae humanae illi conveniant.*** Ubi nota, Novitie, Auctorem in hac littera distinguere ea quae conveniunt Christo ratione humanae naturae, in duo genera. Nam quaedam sunt quae in dubitationem venire possunt an conveniant personae secundum se: quaedam vero quae clare convenire intelliguntur solum ratione naturae. Et de secundo genere habetur regula quod simpliciter et absolute affirmantur de Christo: ut *esse crucifixum, mortuum,* etc. De primo autem genere traditam esse regulam contrariam, scilicet quod non simpliciter, sed cum determinatione affirmanda sunt de Christo, testatur contextus litterae, cum, ponendo secundi generis regulam, dicit: *Ea vero de quibus.* Per hanc siquidem adversative continuationem textus insinuavit quod in illis duobus, scilicet *minor Patre* et *creatura,* omnia similis generis intellexit; ac per hoc, universalem regulam.

* Cf. num. I.

Probatur autem in littera utraque regula ex communi usu loquendi in corporalibus humanis: ex eo quod in illis differentia huiusmodi servatur. Distinguuntur siquidem et in illis communia toti et parti, a propriis parti. Et communia, si secundum partem tantum insunt, non simpliciter enuntiantur de toto: non enim dicimus quod *aethiops est albus,* sed quod est *albus dentes.* Sed bene dicimus quod est *crispus:* quamvis solos capillos habeat crispos.

V. Et scito hic neutram obiectionem Durandi, in III *Sent.*, dist. XI *, militare contra praesentem doctrinam: quia ad rem ipsam spectant ambae. Auctor autem ad dubitationem et errorem vitandum tendit, et super hoc fundat doctrinam hanc: ut patet in littera.

* Qu. I.

Et propterea nec obstat quod Christus dicitur absolute *genitus ex Maria Virgine.* – Nec obstat quod humana et divina natura, aut suppositum, non se habent ut partes, sicut capilli et dentes: nec praedicantur de Christo, sicut crispum aut album esse. Argumentum enim a simili optime servit ad modum loquendi comprobandum, quidquid sit de rerum disparitate.

VI. In responsione ad primum, adverte responsionem non voluntariam, sed sumptam ex textu Magistri Sententiarum, in Tertio, dist. XI, ubi haec tractatur materia.

ARTICULUS NONUS

UTRUM *ILLE HOMO,* DEMONSTRATO CHRISTO, *INCOEPERIT ESSE*

III *Sent.*, dist. XII, qu. 1; *Ad Rom.*, cap. 1, lect. III.

AD NONUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod *ille homo,* demonstrato Christo, *incoeperit esse.* Dicit enim Augustinus, *super Ioan.* *: *Priusquam mundus esset, nec nos eramus, nec ipse mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus.* Sed illud quod non semper fuit, incoepit esse. Ergo ille homo, demonstrato Christo, incoepit esse.

* Tract. CV, ad cap. XVII, vers. 5.

2. PRAETEREA, Christus incoepit esse homo. Sed esse hominem est esse simpliciter. Ergo ille homo incoepit esse simpliciter.

3. PRAETEREA, *homo* importat suppositum humanae naturae. Sed Christus non fuit semper suppositum humanae naturae. Ergo homo ille incoepit esse.

SED CONTRA EST quod dicitur *Heb.* ult. *: *Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula.*

* Vers. 8.

RESPONDEO DICENDUM quod non est dicendum quod *ille homo,* demonstrato Christo, *incoeperit esse,* si nihil addatur. Et hoc duplici ratione. Primo quidem, quia locutio est simpliciter falsa, secundum sententiam Catholicae fidei *, qua ponimus in Christo unum suppositum et unam hypostasim, sicut et unam personam. Secundum hoc enim oportet quod in hoc quod dicitur, *ille homo,* demonstrato Christo, designetur suppositum aeternum: cuius aeternitati repugnat incipere esse. Unde haec est falsa: *Hic homo incoepit esse.* – Nec obstat quod incipere esse convenit humanae naturae, quae significatur per hoc nomen *homo:* quia terminus in subiecto positus non tenetur formaliter pro natura, sed magis materialiter pro supposito *, ut supra ** dictum est.

* Cf. Concil. Gen. Constant. II, collat. VIII, can. V.

* D. 1052. ** Art. 7, ad 4.

Secundo quia, etiam si esset vera, non tamen esset ea utendum absque determinatione, ad evi-

tandum haeresim Arii, qui, sicut personae Filii Dei attribuit quod esset creatura et quod esset minor Patre, ita attribuit ei quod esse incoeperat, dicens quod *erat quando non erat* *.

* Cf. Conc. Gen. Chalced., act. II, Expos. Concil. Nic.; S. Athanas. *de Decr. Nicaen. Synod.*, n. 18 (Ed. Migne).

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod auctoritas illa est intelligenda cum determinatione: ut si [α] dicamus quod homo Christus Iesus non fuit antequam mundus esset, *secundum humanitatem*.

AD SECUNDUM DICENDUM quod cum hoc verbo *incoepit* non sequitur argumentum ab inferiori ad superius: non enim sequitur [β]: *Hoc incoepit esse album, Ergo incoepit esse coloratum.* Et hoc ideo quia *incipere* importat nunc esse et non prius: non autem sequitur: *Hoc non erat prius album, Ergo non erat prius coloratum.* Esse autem simpliciter est superius ad esse hominem. Unde non sequitur: *Christus incoepit esse homo, Ergo incoepit esse.*

AD TERTIUM DICENDUM quod hoc nomen *homo*, secundum quod accipitur pro Christo, licet significet humanam naturam, quae incoepit esse, tamen supponit suppositum aeternum, quod esse non incoepit. Et ideo, quia, secundum quod ponitur in subiecto, tenetur pro supposito, secundum autem quod ponitur in praedicato, refertur ad naturam *: et ideo [γ] haec est falsa, *Homo Christus incoepit esse;* sed haec est vera, *Christus incoepit esse homo.*

* D. 1052.

α) *si.* – *scilicet* F et tertia.
β) *sequitur.* – PF1; *sequitur quod.*
γ) *et ideo.* – *ideo* E et tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS ut iacet sumendus est de hac propositione: *Iste homo incoepit esse.*

In corpore unica est conclusio responsiva quaesito: *Iste homo non incoepit esse.* Probatur dupliciter *. Primo. Quia propositio est simpliciter falsa: quia demonstrat suppositum aeternum.

* Cf. num. VII.

Nec obstat quod ly *homo* significat naturam. Quia terminus in subiecto positus tenetur, non formaliter pro natura, sed materialiter pro subiecto.

II. Circa hunc processum occurrit primo Durandus *, in XII dist. III *Sent.*, qu. I, reprehendens concludentem ex eo quod subiectum stat materialiter pro supposito, istam esse falsam, *Iste homo,* idest Christus, *incoepit esse.* Ex hoc enim, inquit, quod subiectum tenetur materialiter, licet habeatur quod aliquid potest sibi vere attribui quod non attribuitur illi ratione formae, sicut cum dicimus, *Album currit;* non tamen habetur quin etiam attribui sibi vere possit quod convenit illi ratione formae; ut patet dicendo, *Hoc album disgregat.* Ac per hoc, cum incipere esse conveniat Christo ratione humanae naturae, sicut illa est vera, *Hic homo,* demonstrato Christo, *est risibilis,* ita ista, *Hic homo incoepit esse:* si nihil aliud obstat nisi quod subiectum tenetur materialiter. Utrobique enim supposito attribuitur quod ratione formae convenit.

* Cf. num. IV.

Occurrit deinde Scotus *, in III *Sent.*, dist. XI, qu. III, obiiciens quod stare pro supposito contingit dupliciter: scilicet, secundum se; vel ut habet aliquid aliud, sicut *Socrates albus* stat pro supposito generis substantiae, non secundum se, sed ut habet albedinem. Et similiter *hic homo,* idest Christus, stat pro supposito divino, non secundum se, sed ut est suppositum humanae naturae. Deficit ergo processus litterae, non distinguendo modos quibus potest pro supposito accipi *hic homo*, seu *Christus.*

* Cf. num. V.

Circa eundem processum, pro quanto fundat se super hoc, quod ista propositio, *Christus incoepit esse,* significat in supposito aeterno aliquid repugnans illius aeternitati, scilicet incipere esse, Durandus * quoque, ibidem, occurrit, arguens quod nec istud videtur valere. Quia, licet ponendo in Christo unum esse tantum valeret, non tamen ponendo in ipso plura esse: sicut oportet aliquo modo ponere. Quoniam non sequitur quod non semper fuerit nullum esse habendo: sed quod non semper fuerit secundum esse illud secundum quod incoepit esse. Cum quo stat quod semper fuerit secundum aliud esse.

* Cf. num. VI.

III. Circa conclusionem, Scotus primo, ubi supra, occurrit *, volens quod ista possit concedi: *Christus,* seu, *Iste homo incoepit esse.* Et ratio eius est quia ly *esse* importat esse simpliciter, hoc est, de genere substantiae. Constat autem Christum incoepisse esse hominem, quod est esse de genere substantiae. Tueturque hanc suam positionem ex praeallegato * dicto, scilicet quod *iste homo*, seu *Christus,* stat pro Verbo ut est suppositum humanae naturae. – Fovetque se, tum quia quod generatur, incipit esse, V *Physic.* * – Tum quia Verbum incoepit esse homo: ergo Christus incoepit esse. Probatur consequentia. Quando de aliquo dicitur *incipere* determinatum per aliquod praedicatum, de illo toto dicitur *incipere:* sicut, si Socrates incipit esse albus, *Socrates albus incipit esse.* Ergo similiter est in proposito.

* Cf. num. VI.
* Num. praeced.
* Cap. I, n. 7. – S. Th. lect. II.

Occurrit deinde Durandus * concludens distinguendum esse, et non simpliciter respondendum an Christus incoeperit esse *. Quoniam utraque pars contradictionis est vera, ad diversa referendo, naturam scilicet vel suppositum.

* Loc. cit. supra.
* Cf. num. VI, *Ad Durandum.*

IV. Ad primo obiecta ex Durando * dicitur quod non militant contra praesentem litteram. Concedimus siquidem omnia quae obiiciendo dicuntur in communi de subiecto stante materialiter, scientes quod aliud est convenire supposito ratione suppositi, et aliud convenire supposito quacumque illud ratione conveniat. Unde nec somniavit Auctor quod, quia subiectum tenetur materialiter, ideo oporteat quidquid illi attribuitur vere, convenire illi ratione suppositi. Sed docuit quod oportet illud *non repugnare supposito.* Ita quod fundatur processus litterae super hoc, quod, quia subiectum tenetur materialiter pro supposito, ideo oportet attributum supposito non repugnare supposito, nec sufficit non repugnare naturae seu formae. Per hoc enim excludit Auctor obiectionem dicentium quod, quia, dicendo, *Iste homo incoepit esse,* incipere esse non repugnat naturae humanae Christi significatae per ly *homo,* consequens est quod sit vera. Excluditur siquidem, quia oportet quod incipere esse non repugnet supposito importato per ly *iste homo.* Quia ly *homo* ex parte subiecti stat pro habente naturam hypostatice; significat enim istum habentem naturam humanam; constat enim quod iste habens humanitatem est suppositum. Et quia in Christo non est aliud suppositum nisi aeternum, cui repugnat incipere esse, ideo propositio concluditur falsa.

* Num. II.

V. Ad obiecta deinde contra eundem processum ex Scoto *, dicitur quod processus non peccat ex praetermissa distinctione inter suppositum divinum secundum se, et ut suppositum humanae naturae. Quoniam illa distinctio superflua est in proposito: quoniam quaestio non est de propositione aliqua in qua subiectum est suppositum divinum secundum se. Non enim vertitur hic in dubium, an Verbum, seu Filius Dei, incoepit esse: praesupponimus enim suppositum divinum aeternum esse. Sed quaestio est de propositione in qua subiicitur suppositum aeternum habens humanam naturam: ut est ista, *Iste homo,* demonstrato Christo, *incoepit esse;* et similiter ista, *Christus incoepit esse.* Et propterea non oportuit distinguere, sed infra terminos quaesiti stando procedere. Et sic factum est in littera procedente ex eo quod, si de hoc homine negatur

* Ibid., *Occurrit.*

fuisse, negatur fuisse de supposito aeterno: quia negatio totum destruit significatum per *hunc hominem*, et non solam rationem qua est homo. Ista siquidem propositio, *Iste homo*, demonstrato Christo, *incoepit esse*, claudit in se duas propositiones: alteram affirmativam, *Iste homo quandoque fuit;* alteram negativam, *et iste homo, immediate ante illud, non fuit.* Haec autem negativa est de secundo adiacente, et negat, pro tempore praecedente, ab isto homine esse. Negans autem hunc hominem esse, non negat directe hunc esse hominem, ut Scotus et adversarii exponunt: ut patet. Ergo negat totum, scilicet hunc hominem esse. Et cum *hic homo* ex parte subiecti principaliter importet ly *hunc*, quia subiecta materialiter tenentur; consequens est quod principaliter negatur esse de supposito demonstrato per ly *hic*. Ac per hoc, propositio est simpliciter falsa.

VI. Ad obiecta secundo loco Durandi * et Scoti **, scito quod *esse*, quando est secundum adiacens, dicitur importare esse simpliciter, non ut esse simpliciter vocatur esse substantiae, ut patet ex eo quod de accidentibus formatur propositio de secundo adiacente, ut, *albedo est* (et hinc ruit fabrica Scotica): sed ut esse simpliciter significat esse sine additione seu determinatione aliqua, iuxta illud II *Topicorum* *: *Simpliciter dico quod nullo addito dico.* Et hinc fit ut, sive in Christo sit unum sive plura esse, nihil referat ad quaestionem hanc de propositione, non de re. Et similiter, sive esse hominem ponat esse substantiae in Christo sive non, nihil ad propositum, de propositionis veritate quaerens. Dicendo igitur, *Iste homo incoepit esse*, quia claudit in se istam negativam de secundo adiacente, *Iste homo non fuit;* et ly *non fuit* tollit esse absque determinatione quacumque: consequens evidenter est quod significat subiectum non fuisse; et non significat non fuisse substantiam aut hominem, aut secundum primarium aut secundarium esse. Et ruit tam obiectio Durandi super duo esse fundata; quam positio Scoti super esse simpliciter, hoc est substantiae, fundata. Uterque enim oportet quod determinet ly *non fuit* ad aliquod esse, saltem substantiae: propositio autem ipsa negat *fuisse* absque determinatione ad esse substantiae vel accidentis, primi vel secundi, simpliciter vel secundum quid. Et ideo, ex virtute sermonis, propositio est simpliciter falsa: ut Auctor optime in littera intulit.

* Num. II, *Circa eundem.*
** Num. III.
* Cap. XI, n. 4.

Ad rationem ergo Scoti dicitur quod, licet esse substantiae sit esse simpliciter ut distinguitur contra esse accidentale, non tamen est esse simpliciter ut distinguitur contra esse determinatum. Esse autem secundum adiacens est esse simpliciter ut distinguitur contra esse determinatum. Cum enim dicimus, *A est vel non est,* non dico esse substantiale aut accidentale: sed esse, absque determinatione substantialitatis aut accidentalitatis, etc.

Ad primum fomentum, quia quod generatur incipit esse: dicitur quod hoc est verum communiter. Sed non est verum quando quod generatur suppositaliter praeest: ut accidit in proposito.

Ad secundum, negatur consequentia. Et ad probationem dicitur quod maior est vera de toto ut totum est categorematice; et similiter de composito seu coniuncto; et similiter de nomine per se primo significante totum seu compositum aut coniunctum categorematice, et supponente per se primo pro illo: ut, si aes incoepit esse sphaericum, sequitur, *Ergo sphaera aenea incoepit esse;* quia et significat et supponit per se primo pro toto, idest sphaera aenea. Secus autem est de termino importante quidem totum, sed principaliter alteram partem, et supponente pro illa connotando tantum reliquam. Tunc enim, quamvis praecedens pars incipiat esse altera, non infertur tamen quod nomen supponens pro prima parte et connotando tantum in suppositione alteram, incipiat esse: quia denotaretur per hoc quod ipsa prima pars, pro qua supponit, inciperet esse. Sic autem est in proposito. Quoniam tam ly *Christus* quam *iste homo,* licet importet totum, scilicet suppositum et naturam humanam, supponit tamen pro supposito, et in supponendo ex parte subiecti connotat tantum naturam humanam: quia subiecta tenentur materialiter. Et propterea, quamvis iste incipiat esse homo, non tamen sequitur, *Ergo iste homo incipit esse:* quia denotaretur quod persona illa incoeperit esse.

Ad Durandum ultimo distinguendum censentem *, dicitur quod, si cautelae opera datur distinguendo, tutior cum Magistro Sententiarum, in III, dist. XII, eligitur pars, ut ibi patet. Sed si accusatur falsitatis negans istam propositionem, *Iste homo*, seu, *Christus incoepit esse,* utinam non studeatur calumniae. Quoniam, ut iam ex dictis * persuaderi potest, locutio ista simpliciter et absolute est falsa. Unde damnata nuper est Parisiis *: et, cum appellatum esset ad Apostolicam Sedem, reprobata dicitur sub Alexandro VI.

VII. Secundo in littera probatur conclusio proposita, scilicet, *Non est dicendum quod iste homo incoepit esse* *: quia, dato quod esset vera, non esset ea utendum; ad evitandam haeresim Arii attribuentis Christo non solum quod est creatura et minor Patre, sed etiam quod incoepit esse, dicendo quod *erat quando non erat,* ut patet in Nicaena Synodo *. Et est sensus: *Erat duratio in qua non erat Christus, quia non est ab aeterno:* contra Apostolum dicentem *, *Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula;* et Ioannem dicentem *, *In principio erat Verbum.*

VIII. In responsione ad secundum, habes quod diximus * de esse simpliciter ut distinguitur contra esse substantiae, puta hominis, et similiter accidentis: cum ponitur superius ad esse hominem; et, pari ratione, ad esse substantiam et esse accidens.

* Num. III, *Occurrit.*
* Num. IV sqq.
* Cf. D'Argentré, *Collect. Iudicior. de Nov. Error.*, tom. I, part. II, pag. 331, ad ann. 1493.
* Cf. num. I.
* Cf. Expos. Nic. Synod. habita in act. II Concil. Chalced.
* *Ad Heb.*, cap. XIII, vers. 8.
* Cap. I, vers. 1.
* Num. VI.

ARTICULUS DECIMUS

UTRUM HAEC SIT VERA: *CHRISTUS, SECUNDUM QUOD HOMO, EST CREATURA;* VEL, *INCOEPIT ESSE*

III *Sent.*, dist. IV, qu. 1, art. 2, qu^a 2, ad 1; dist. XI, art. 3.



AD DECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod haec sit falsa: *Christus, secundum quod homo, est creatura;* vel, *incoepit esse.* Nihil enim in Christo est creatum nisi humana natura. Sed haec est falsa: *Christus, secundum quod homo, est humana natura.* Ergo etiam haec est falsa: *Christus, secundum quod homo, est creatura.*

2. PRAETEREA, praedicatum magis praedicatur de termino in reduplicatione posito quam de ipso subiecto propositionis: sicut, si dicatur, *Corpus, secundum quod coloratum, est visibile,* sequitur quod coloratum sit visibile. Sed haec non est absolute, sicut dictum est [α] *, concedenda: *Homo Christus est creatura.* Ergo etiam neque haec: *Christus, secundum quod homo, est creatura.*

* Art. 8.

α) *sicut dictum est.* – Post *creatura* ponit H.

3. Praeterea, quidquid praedicatur de quocumque homine secundum quod homo, praedicatur de eo per se et simpliciter: idem enim est *per se*, et *secundum quod ipsum*, ut dicitur in V *Metaphys.* * Sed haec est falsa: *Christus est per se et simpliciter creatura.* Ergo etiam haec est falsa: *Christus, secundum quod homo, est creatura.*

* S. Th. lect. xix. - Did. lib. IV, cap. xviii, n. 1, 5.

Sed contra, omne quod est, vel est Creator vel creatura. Sed haec est falsa: *Christus, secundum quod homo, est Creator.* Ergo haec est vera: *Christus, secundum quod homo, est creatura.*

Respondeo dicendum quod, cum dicitur, *Christus secundum quod homo,* hoc nomen *homo* potest resumi in reduplicatione vel ratione suppositi, vel ratione naturae. Si quidem resumatur ratione suppositi, cum suppositum humanae naturae in Christo sit aeternum et increatum, haec erit falsa: *Christus, secundum quod homo, est creatura.* Si vero resumatur ratione humanae naturae, sic est vera: quia ratione humanae naturae [β], sive secundum humanam naturam, convenit sibi esse creaturam, ut supra * dictum est.

* Art. 8.

Sciendum tamen quod nomen sic resumptum in reduplicatione magis proprie tenetur pro natura quam pro supposito: resumitur enim in vi praedicati, quod tenetur formaliter *; idem enim est dictu, *Christus secundum quod homo*, ac si diceretur, *Christus secundum quod est homo* [γ]. Et ideo haec est magis concedenda quam neganda: *Christus, secundum quod homo, est creatura.* — Si tamen adderetur aliquid per quod pertraheretur [δ] ad suppositum, esset propositio magis neganda quam concedenda: puta si diceretur: *Christus, secundum quod hic homo, est creatura.*

* D. 1052.

Ad primum ergo dicendum quod, licet Christus non sit humana natura, est tamen habens humanam naturam. Nomen autem *creaturae* natum est praedicari non solum de abstractis, sed etiam de concretis: dicimus enim quod *humanitas est creatura,* et quod *homo est creatura.*

Ad secundum dicendum quod ly *homo,* secundum quod ponitur in subiecto, magis respicit suppositum: secundum autem quod ponitur in reduplicatione, magis respicit naturam *, ut dictum est *. Et quia natura est creata, suppositum vero increatum, ideo, licet non concedatur ista simpliciter, *Iste homo* [ε] *est creatura*, conceditur tamen ista: *Christus, secundum quod homo, est creatura.*

* D. 1052.
* In corpore.

Ad tertium dicendum quod cuilibet homini qui est suppositum solius naturae humanae, competit quod non habeat esse nisi secundum naturam humanam. Et ideo de quolibet tali supposito sequitur, si secundum quod est homo est creatura, quod sit creatura simpliciter. Sed Christus non solum est suppositum humanae naturae, sed etiam divinae, secundum quam habet esse increatum. Et ideo non sequitur, si secundum quod homo est creatura, quod simpliciter sit creatura.

β) *sic... naturae.* — DF*a* et tertia; om.
γ) *homo.* — EF et tertia (sed I om. *ac... homo*); om.
δ) *pertraheretur.* — *traheretur* tertia.
ε) *Iste homo.* — *Homo* HpG et *bc*, *Homo Christus* P; *simpliciter... ista* om. I.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus ut sonat. — In corpore articuli duo fiunt. Primo, dicitur quid potest dici distinguendo: hoc est, quod utraque pars sustineri potest cum distinctione, quia ly *homo* potest stare vel pro natura, vel pro supposito. Secundo, in quam partem sit potius declinandum. Et duo dicuntur. Primum, circa propositam propositionem, scilicet: *Christus, secundum quod homo, est creatura,* vel, *incoepit esse.* Et dicitur quod in partem affirmativam declinandum est: quia ly *homo* tenetur formaliter, quia habet vim praedicati. — Secundum, circa alteram propositionem, scilicet: *Christus, secundum quod hic homo, est creatura,* aut, *incoepit esse.* Et dicitur quod in partem negativam declinandum est: quia ly *hic* trahit *hominem* ad suppositum.

II. Hoc in loco adverte quod, quia ista propositio, *Christus est creatura,* non est reprobata quia omnino falsa, sed quia Arianos sonans *, ideo, cum de ista modo est quaestio, *Christus, secundum quod homo, est creatura,* minor quaestio est: et nulla de falsitate, sed de usu. Et ista quidem uti licet, illa non: quia in illa cum Ario communicaremus, in ista non. Verum adverte quod, cum de Christo sermo sacer loquitur et distinguit ea quae conveniunt illi ratione naturae assumptae, semper utitur ly *inquantum,* aut ly *secundum quod,* sumptum specificative: dicimus enim quod Christus, *secundum quod homo,* est crucifixus, sepultus, descendit ad inferos, praedicavit, ascendit in Templum, circumcisus est, etc. Constat namque quod in his et similibus ly *inquantum* non tenetur reduplicative, quoniam natura humana non est per se ratio talium, sed multa per accidens insunt, ut patet: sed tenetur specificative, quoniam specificat eam partem seu conditionem qua insunt haec; sicut cum dicitur, *Aethiops, secundum quod habet dentes, est albus.* Unde et in proposito, licet possit teneri reduplicative, quia esse hominem est per se ratio quod sit creatura, a Sanctis tamen assumptum videtur principaliter ut tenetur specificative: ut denotetur quod *esse creaturam* non convenit Christo secundum suppositum, sed secundum naturam assumptam; et similiter *incipere esse.* Verum inter has duas ex praedictis patet differentia: quod illa reprobata est ut male sonans *; ista ut falsa **. Ita quod dicimus istam esse falsam, *Christus incoepit esse:* istam autem veram, *Christus, inquantum homo, incoepit esse.*

* Cf. art. 8.
* Art. 8.
** Art. praeced.

III. Occurrit autem statim hic Scotus, in qu. II dist. XI III *Sent.*, obiiciens quod propositio affirmativa falsa ex repugnantia terminorum, non fit vera per additam reduplicationem vel determinationem non tollentem illam repugnantiam. Sed reduplicatio proprie sumpta non diminuit alterum extremum: quia est determinatio extremi ad extremum. Ergo ipsa non verificat aliquam propositionem quae sine reduplicatione fuit falsa. Si igitur ista est falsa, *Christus incoepit esse,* ista non est vera, *Christus, inquantum homo, incoepit esse.* Et hoc, loquendo de reduplicativa propria.

Et addit quod, loquendo de ipsa specificative, quamvis sit vera, est tamen impropria: quoniam deberet specificatio se tenere ex parte praedicati, puta, *Christus incoepit esse secundum hominem.* Sicut non est propria illa, *Aethiops, secundum quod habet dentes, est albus:* sed ista, *Aethiops est albus secundum dentes.*

Et haec sint allata quoad illam propositionem, *Christus, inquantum homo, incoepit esse,* quia, apud nos, ista est

vera, et sua praeiacens falsa: quamvis Scotus subsumat de illa, *Christus, inquantum homo, est creatura,* quia ipse tenet illius praeiacentem esse falsam.

IV. Ad haec dicitur sustinendo etiam hanc esse veram et proprie reduplicativam, *Christus, secundum quod homo, incoepit esse:* ita tamen quod non fiat difficultas circa incoeptionem essendi, an per se conveniat homini, an solum de facto, quia non est ab aeterno; quoniam ad propositum non refert. Et propterea, supposito quod per se conveniat naturae humanae incipere esse, sicut per se convenit ei esse creaturam, dicitur quod maior Scoti est vera: sed minor tacita, scilicet, *Sed nulla reduplicatio tollit illam repugnantiam,* est falsa. Et ad illius probationem expressam, quia scilicet reduplicatio non minuit extremum: – si proprie loquimur de conditione diminuente, conceditur totum quod assumitur, sed negatur sequela: quoniam conditio diminuens tollit terminum quem diminuit, sicut *homo in potentia* non est *homo,* et *homo mortuus* non est *homo.* Constat enim quod reduplicatio extremi non tollit illud. – Sed si latiori vocabulo sumitur *minuere,* prout utens aliquo unius et non utens aliquo eiusdem minuit illud, pro quanto non totaliter seu secundum totum, sed secundum aliquid eius illo utitur: sic concedimus quod reduplicatio minuit quandoque, quia reduplicat terminum ratione naturae seu formae, et non ratione suppositi. Et propterea tollit repugnantiam inventam in praeiacente propositione inter extrema sine reduplicatione propter suppositum. Sic enim est in proposito. Nam ista, *Christus incoepit esse,* est falsa ex repugnantia extremorum, quia incipere esse repugnat supposito per ly *Christus* in subiecto, ut praedictum fuit *. Sed cum aliquid tantum Christi reduplicatur, scilicet natura humana, ut contingit in ista, *Christus, inquantum homo, incoepit esse,* repugnantia tollitur: hoc est, incipere esse non significatur convenire supposito absolute, sed ratione naturae humanae; ratione cuius in veritate convenit illi supposito incipere esse. Et propterea ista reduplicativa dicitur vera: et illa falsa. – Nec ex hoc quod reduplicatio est determinatio extremi ad extremum, sequitur quod non minuat praedicto modo. Quoniam constat quod potest esse determinatio unius extremi secundum suum formale ad alterum, et non secundum suum materiale: ut contingit in proposito.

* Art. 9, Comment. num. IV.

Ad id vero quod subditur, quod, specificative sumendo ly *inquantum,* propositio est vera, sed impropria: dicitur et quod est vera, et propria. Quoniam specificatio non denotat specificatum terminum esse rationem inhaerentiae praedicati ad subiectum: et propterea specificativa potest esse vera in materia contingenti, ut est ista, *Socrates, inquantum capillatus, est crispus,* et, *Ens, inquantum ens, est subiectum Metaphysicae.* Sed denotat illud secundum quod, seu mediante quo, praedicatum inest subiecto: sive per se sive per accidens praedicatum insit, sive subiecto sive conditioni specificatae. – Signum autem quod huiusmodi enuntiationes sunt non solum verae, sed propriae, defert frequens usus earum cum de his quae conveniunt Christo discrete ac caute loquimur, dicentes, Christum, *secundum quod erat homo,* passum, natum, sepultum, resurrexisse.

Cum his tamen omnibus, quia in littera comparative dicitur, *magis concedendum quam negandum,* vel e converso, disce declinare quidem in alteram partem, sed non pertinaciter contendere.

V. In responsione ad tertium, vide, Novitie, quod, sustinendo propositionem reduplicatam proprie esse, respondet Auctor ad maiorem distinguendo illam: quod verum est praedicari de quocumque homine qui solummodo est suppositum humanae naturae; secus autem est de illo homine qui est suppositum divinae prius, et post humanae naturae.

ARTICULUS UNDECIMUS

UTRUM *CHRISTUS, SECUNDUM QUOD HOMO, SIT DEUS*

III *Sent.,* dist. X, qu. I, art. I, qu[a] I; *Ad Rom.,* cap. I, lect. III.

AD UNDECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod *Christus, secundum quod homo, sit Deus.* Christus enim est Deus per gratiam unionis. Sed Christus, secundum quod homo, habet gratiam unionis. Ergo Christus, secundum quod homo, est Deus.

2. PRAETEREA, dimittere peccata est proprium Dei: secundum illud Isaiae XLIII *: *Ego ipse sum qui deleo iniquitates tuas propter me.* Sed Christus, secundum quod homo, dimittit peccata: secundum illud Matth. IX *: *Ut autem sciatis quod Filius Hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata,* etc. Ergo Christus, secundum quod homo, est Deus.

* Vers. 25.

* Vers. 6. - Cf. Marc. cap. II, vers. 10; Luc. cap. V, vers. 24.

3. PRAETEREA, Christus non est homo communis, sed est iste homo particularis. Sed Christus, secundum quod est iste homo, est Deus: quia in *isto homine* designatur suppositum aeternum, quod naturaliter est Deus. Ergo Christus, secundum quod homo, est Deus.

SED CONTRA, illud quod convenit Christo secundum quod homo, convenit cuilibet homini. Si ergo Christus, secundum quod homo, est Deus, sequitur quod omnis homo sit Deus. Quod patet esse falsum.

RESPONDEO DICENDUM quod iste terminus *homo,* in reduplicatione positus, potest dupliciter accipi. Uno modo, quantum ad naturam. Et sic non est verum quod [α], *secundum quod homo, sit Deus:* quia humana natura est distincta a divina secundum differentiam naturae. – Alio modo potest accipi ratione suppositi. Et sic, cum suppositum naturae humanae in Christo sit persona Filii Dei, cui per se convenit esse Deum, verum est quod *Christus, secundum quod homo, sit Deus.*

Quia tamen terminus in reduplicatione positus magis proprie tenetur pro natura quam pro supposito, ut supra * dictum est: ideo magis est ista neganda: *Christus, secundum quod homo, est Deus,* quam sit affirmanda.

* Art. praeced.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod non secundum idem convenit alicui moveri ad aliquid, et esse illud: nam moveri convenit alicui ratione materiae vel subiecti, esse autem in actu ratione formae. Et similiter non secundum idem convenit Christo ordinari ad hoc quod sit Deus per

---

α) *quod.* – *quod Christus* PFHsD.

gratiam unionis, et esse Deum: sed convenit primum [β] sibi secundum humanam naturam; secundum vero secundum divinam. Et ideo haec est vera, *Christus, secundum quod homo, habet gratiam unionis:* non tamen ista, *Christus, secundum quod homo, est Deus.*

Ad secundum dicendum quod *Filius Hominis habet in terra potestatem dimittendi peccata,* non virtute humanae naturae, sed divinae: in qua quidem divina natura consistit potestas dimittendi peccata per auctoritatem; in humana autem natura consistit instrumentaliter et per ministerium. Unde Chrysostomus, *super Matth.* *, hoc exponens, dicit: *Signanter dixit, « in terra dimittendi peccata », ut ostenderet quod humanae naturae potestatem divinitatis univit indivisibili unione. Quia, etsi factus est homo, tamen Dei Verbum permansit.*

* Cf. *Caten. Aur.*, in Marc. cap. II, vers. 10.

Ad tertium dicendum quod, cum dicitur *iste homo,* pronomen demonstrativum trahit hoc nomen *homo* ad suppositum. Et ideo magis est haec vera, *Christus, secundum quod iste homo, est Deus,* quam ista, *Christus, secundum quod homo, est Deus.*

β) *convenit primum.* – *primum convenit* tertia praeter G.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus, ut sonat, clarus. – In corpore duo. Primo, distinguendo, utramque partem dicit posse teneri: quia terminus reduplicatus potest vel ratione naturae, vel suppositi, reduplicari. – Secundo, docet quod in partem negativam declinandum est: quia magis tenetur formaliter terminus reduplicatus. – Et omnia clara sunt ex praecedentibus *.

* Art. praeced.

II. In responsione ad tertium, percipe responsionem consistere in hoc, quod, licet secundum rem Christus non sit homo communis, sed *iste;* in propositione tamen illa, *Christus, secundum quod homo, est* etc., ly *homo* non trahitur ex reduplicationis nota ad suppositum, ad quod trahitur ex pronomine. Et ideo ista conceditur, *Christus, secundum quod iste homo, est Deus:* et non illa, *Christus, secundum quod homo, est Deus.*

ARTICULUS DUODECIMUS

UTRUM *CHRISTUS, SECUNDUM QUOD HOMO, SIT HYPOSTASIS VEL PERSONA*

III *Sent.*, dist. x, qu. I, art. 2, qu[a] 1; *Ad Rom.*, cap. I, lect. III.

Ad duodecimum sic proceditur. Videtur quod *Christus, secundum quod homo, sit hypostasis vel* [α] *persona.* Illud enim quod convenit cuilibet homini, convenit Christo secundum quod est homo: est enim aliis hominibus similis, secundum illud *Philipp.* II *: *In similitudinem hominum factus.* Sed omnis homo est persona. Ergo Christus, secundum quod homo, est persona.

* Vers. 7.

2. Praeterea, Christus, secundum quod homo, est substantia rationalis naturae. Non autem substantia universalis. Ergo substantia individua. Sed nihil aliud est persona quam *rationalis naturae individua substantia:* ut dicit Boetius, in libro *de Duabus Naturis* *. Ergo Christus, secundum quod homo, est persona.

* Cap. IV. - Ed. Teubner.

3. Praeterea, Christus, secundum quod homo, est res humanae naturae, et suppositum et hypostasis eiusdem naturae. Sed omnis hypostasis et suppositum et res naturae humanae est persona. Ergo Christus, secundum quod homo, est persona.

Sed contra, Christus, secundum quod homo, non est persona aeterna. Si ergo, secundum quod homo, sit persona, sequetur quod in Christo sint personae duae [β], una temporalis et alia aeterna. Quod est erroneum, ut supra * dictum est.

* Qu. II, art. 6; qu. IV, art. 2.

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, iste terminus *homo,* in reduplicatione positus, potest accipi vel ratione suppositi, vel ratione naturae. Cum ergo dicitur, *Christus, secundum quod homo, est persona,* si accipiatur ratione suppositi, manifestum est quod Christus, secundum quod homo, est persona: quia suppositum humanae naturae nihil est aliud quam persona Filii Dei.

* Art. 10, 11.

Si autem accipiatur ratione naturae, sic potest intelligi dupliciter. Uno modo, quod intelligatur quod naturae humanae competat esse in aliqua persona. Et hoc etiam modo verum est *: omne enim quod subsistit in humana natura, est persona. – Alio modo potest intelligi ut naturae humanae in Christo propria personalitas debeatur, causata ex principiis humanae naturae. Et sic Christus, secundum quod homo, non est persona: quia humana natura non est per se seorsum existens [γ] a divina natura, quod requirit ratio personae.

* D. 1214.

Ad primum ergo dicendum quod omni homini convenit esse personam secundum quod omne subsistens in humana natura est persona. Sed hoc est proprium homini Christo, quod persona subsistens in humana natura eius non sit causata ex principiis humanae naturae, sed sit aeterna. Et ideo uno modo est persona secundum quod homo, alio modo non, ut dictum est *.

* In corpore.

α) *hypostasis vel.* – Om. tertia. – *Illud enim quod convenit* F et tertia praeter I; *Illud* ABCpD, *Illud quod convenit* EsD, *Illud vero convenit* I, *Illud quod (cuilibet homini) convenit* ed. *a.*

β) *personae duae.* – *duae personae* F et tertia (H deest usque ad qu. XXVII art. 6 β inclus.).

γ) *existens.* – *subsistens* PI.

AD SECUNDUM DICENDUM quod *substantia individua* quae ponitur in definitione personae, importat substantiam completam per se subsistentem separatim ab aliis. Alioquin, manus hominis posset dici persona, cum sit substantia quaedam individua *: quia tamen est substantia individua sicut in alio existens, non potest dici persona. Et eadem ratione nec natura humana in Christo: quae tamen potest dici individuum vel singulare quoddam *.

* D. 728.

* D. 729.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut *persona* significat quid completum et per se subsistens in natura rationali, ita *hypostasis, suppositum* et *res naturae* in genere substantiae significant quiddam per se subsistens. Unde, sicut humana natura non est per se seorsum [δ] a persona Filii, ita etiam non est per se hypostasis vel suppositum vel res naturae. Et ideo in sensu in quo negatur ista, *Christus, secundum quod homo, est persona,* oportet etiam negari omnes alias *.

* D. 1212.

δ) *seorsum. – persona seorsum* F et tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus ut sonat. – In corpore articuli cum distinctione respondetur triplici conclusione. Distinctio est quod ly *homo* reduplicari potest ratione suppositi, vel naturae. Et hoc dupliciter: vel quod natura exigat personam; vel quod natura exigat personam propriam.

Conclusio prima, iuxta primum membrum, est: *Christus, secundum quod homo, est persona.* Tum quia suppositum Christi est persona. – Tum quia suppositum humanae naturae in Christo est persona Filii Dei.

Conclusio secunda, iuxta secundum membrum, est: *Christus, secundum quod homo, est persona.* Quia humana natura exigit personari. Est enim substantia rationalis perfecta: omnis autem substantia huiusmodi subsistentiam exigit, qua persona est.

Conclusio tertia, iuxta tertium membrum, est: *Christus, secundum quod homo, non est persona.* Quia humana natura in Christo caret propria subsistentia seu personalitate, utpote non per se seorsum, sed in persona divina existens.



QUAESTIO DECIMASEPTIMA

DE UNITATE CHRISTI QUANTUM AD ESSE

IN DUOS ARTICULOS DIVISA

DEINDE considerandum est de his quae pertinent ad unitatem in Christo in communi * [Cf. qu. xvi, Introd.]. Nam de his quae pertinent ad unitatem vel pluralitatem in speciali, suis locis determinandum est: sicut supra * [Qu. ix.] determinatum est quod in Christo non una est tantum scientia; et infra * [Qu. xxxv, art. 2.] determinabitur quod in Christo non [α] una est tantum nativitas.

Considerandum est ergo primo, de unitate Christi quantum ad esse; secundo, quantum ad velle * [Qu. xviii.]; tertio, quantum ad operari ** [Qu. xix.].

Circa primum quaeruntur duo.

Primo: utrum Christus sit unum vel duo.

Secundo: utrum in Christo sit tantum unum esse.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM CHRISTUS SIT UNUM VEL DUO

III *Sent.*, dist. vi, qu. ii, art. 1; IV *Cont. Gent.*, cap. xxxviii; *De Unione Verb.*, art. 2, ad 2, 7; art. 3; *Cont. Graec., Armen. etc.*, cap. vi.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus non sit unum, sed duo. Dicit enim Augustinus, in I *de Trin.* * [Cap. vii.]: *Quia forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus, propter accipientem Deum: utrumque homo, propter acceptum* [β] *hominem.* Sed *utrumque* dici non potest ubi non [γ] sunt duo. Ergo Christus est duo.

2. PRAETEREA, ubicumque est *aliud et aliud,* ibi sunt duo. Sed Christus est aliud et aliud: dicit enim Augustinus, in *Enchirid.* * [Cap. xxxv.]: *Cum in forma Dei esset, formam servi accepit: utrumque unus, sed aliud propter Verbum, aliud propter hominem.* Ergo Christus est duo.

3. PRAETEREA, Christus non est tantum homo: quia, si purus homo esset, non esset Deus [δ]. Ergo est aliquid aliud quam homo. Et ita in Christo est *aliud et aliud.* Ergo Christus est duo.

4. PRAETEREA, Christus est aliquid quod est Pater: et est aliquid quod non est Pater. Ergo Christus est *aliquid et aliquid.* Ergo Christus est duo.

5. PRAETEREA, sicut in mysterio Trinitatis sunt tres personae in una natura, ita in mysterio incarnationis sunt duae naturae in una persona. Sed propter unitatem naturae, non obstante distinctione personae, Pater et Filius sunt unum: secundum illud Ioan. x * [Vers. 30.]: *Ego et Pater unum sumus.* Ergo, non obstante unitate personae, propter dualitatem naturarum Christus est duo.

6. PRAETEREA, Philosophus dicit, in III *Physic.* * [Cap. iii, n. 1. - S. Th. lect. iv.], quod *unum* et *duo* denominative dicuntur. Sed Christus habet dualitatem naturarum. Ergo Christus est duo.

7. PRAETEREA, sicut forma accidentalis facit *alterum,* ita forma substantialis *aliud,* ut Porphyrius dicit * [*Praedicabil.*, cap. *de Different.*]. Sed in Christo sunt duae naturae substantiales, humana scilicet et divina. Ergo Christus est *aliud et aliud.* Ergo Christus est duo.

SED CONTRA EST quod Boetius dicit, in libro *de Duabus Naturis* * [*De Unit. et Uno.* - Cf. *de Duab. Nat.*, cap. iv (Ed. Teubner).]: *Omne quod est, inquantum est, unum est.* Sed Christum esse confitemur. Ergo Christus est unum.

RESPONDEO DICENDUM quod natura, secundum se considerata, prout in abstracto significatur, non vere potest praedicari de supposito seu persona nisi in Deo * [D. 114, 466.], in quo non differt *quod est* et *quo est* * [D. 1081.], ut in Prima Parte ** [Qu. xxix, art. 4, ad 1; qu. xl, art. 1, *Sed cont.*; qu. l, art. 2, ad 3; qu. lxxv, art. 5, ad 4.] habitum est. In Christo autem cum sint duae naturae, divina scilicet et humana, altera earum, scilicet divina, potest de eo praedicari et in abstracto et in concreto: dicimus enim quod *Filius Dei,* qui supponitur in hoc nomine *Christus, est divina natura, et est Deus.* Sed humana natura non potest praedicari de Christo secundum se in abstracto: sed solum in concreto, prout scilicet significatur in supposito. Non enim vere potest dici quod *Christus sit humana natura,* quia natura humana non est nata praedicari de suo supposito: dicitur autem quod *Christus est homo,* sicut et quod *Christus est Deus. Deus* autem [ε] significat *habentem deitatem,* et *homo* significat *habentem humanitatem.* Aliter tamen habens humanitatem significatur per hoc nomen *homo:* et aliter per hoc nomen *Iesus,* vel *Petrus.* Nam hoc nomen *homo* importat habentem humanitatem indistincte: sicut et hoc nomen *Deus* indistincte importat habentem deitatem. Hoc tamen [ζ] nomen *Petrus,*

α) *non.* – Tertia; om.
β) *acceptum.* – P; *accipientem.* – Ita et in solutione; cf. qu. xxiv art. 2 ad 3.
γ) *ubi non.* – *nisi ubi* P.
δ) *si... Deus.* – *sic esse purus homo* I, *sic purus homo esset* cetera tertia.
ε) *Deus autem.* – *Sed Deus* F, *Deus* I.
ζ) *tamen.* – *autem* P.

vel *Iesus,* importat distincte habentem humanitatem, scilicet sub determinatis individualibus proprietatibus: sicut et hoc nomen *Filius Dei* importat habentem deitatem sub determinata proprietate personali.

Numerus autem dualitatis in Christo ponitur circa ipsas naturas. Et ideo, si ambae naturae in abstracto praedicarentur de Christo, sequeretur quod Christus esset duo. Sed quia duae naturae non praedicantur de Christo nisi prout significantur in supposito, oportet secundum rationem suppositi praedicari de Christo *unum* vel
* Cf. qu. II, art. 6. *duo.* Quidam autem * posuerunt in Christo duo supposita, sed unam personam: quae quidem videtur se habere, secundum eorum opinionem, tanquam suppositum completum ultima completione. Et ideo, quia ponebant in Christo duo supposita, dicebant Christum esse *duo* neutraliter; sed quia ponebant unam personam, dicebant Christum esse *unum* masculine [η]: nam neutrum genus designat quiddam informe et imperfectum; genus autem masculinum designat quiddam formatum et perfectum. – Nestoriani autem, ponentes in Christo duas personas, dicebant Christum non solum esse *duo* neutraliter, sed etiam *duos* masculine. – Quia vero nos ponimus in Christo unam personam et unum sup-
* Qu. II, art. 2, 3. positum, ut ex praedictis * patet, sequitur quod dicamus quod non solum *Christus est unus* ma-
* D. 598. sculine, sed etiam *est unum* neutraliter *.

Ad primum ergo dicendum quod verbum illud Augustini non est sic intelligendum quod ly *utrumque* teneatur ex parte praedicati, quasi dicat quod *Christus sit utrumque:* sed tenetur ex parte subiecti. Et tunc ly *utrumque* ponitur, non quasi pro duobus suppositis, sed pro duobus nominibus significantibus duas naturas in concreto. Possum enim dicere quod *utrumque,* scilicet Deus et homo, *est Deus, propter accipientem Deum:* et *utrumque,* scilicet Deus et homo, *est homo, propter acceptum hominem.*

Ad secundum dicendum quod, cum dicitur, *Christus est aliud et aliud,* locutio est exponenda ut sit sensus: *habens aliam et aliam naturam.* Et hoc modo exponit Augustinus in libro *contra*
* Cap. XI. - Inter. Opp. Aug. *Felicianum* *: ubi, cum dixisset, *In mediatore Dei et hominum aliud Dei Filius, aliud hominis Filius,* subdit: « *Aliud* », *inquam, pro discretione substantiae: non « alius », pro unitate* [θ] *personae.* – Et Gregorius Nazianzenus, in Epistola *ad Che-*
* Epist. CI, *ad Chelid.* I, al. Orat. L. *lidonium* *: *Si* [ι] *oportet compendiose dicere, aliud quidem et aliud ea ex quibus Salvator est: siquidem non idem est invisibile visibili, et quod absque tempore ei quod sub tempore. Non autem alius et alius: absit. Haec enim ambo unum.*

Ad tertium dicendum quod haec est falsa, *Christus est tantum homo,* quia non excludit aliud suppositum, sed aliam naturam: eo quod termini in praedicato positi tenentur formaliter *. Si vero * D. 1052.
adderetur aliquid per quod traheretur [κ] ad suppositum, esset vera locutio: puta, *Christus est tantum id quod est homo.* Non tamen sequeretur [λ] quod sit *aliquid aliud quam homo:* quia ly *aliud,* cum sit relativum diversitatis substantiae, proprie refertur ad suppositum, sicut et omnia relativa facientia personalem relationem. Sequitur autem, *Ergo habet aliam naturam.*

Ad quartum dicendum quod, cum dicitur, *Christus est aliquid quod est Pater,* ly *aliquid* tenetur pro natura divina, quae etiam in abstracto praedicatur de Patre et Filio. Sed cum dicitur, *Christus est aliquid quod non est Pater,* ly *aliquid* tenetur non pro ipsa natura humana secundum quod significatur in abstracto, sed secundum quod significatur in concreto; non quidem secundum suppositum distinctum, sed secundum suppositum indistinctum; prout scilicet substat naturae, non autem proprietatibus individuantibus. Et ideo non sequitur quod Christus sit *aliud et aliud,* vel quod sit *duo:* quia suppositum humanae naturae in Christo, quod est persona Filii Dei, non ponit in numerum cum natura divina, quae praedicatur de Patre et Filio.

Ad quintum dicendum quod in mysterio divinae Trinitatis natura divina praedicatur in abstracto [μ] de tribus personis: et ideo simpliciter potest dici quod *tres personae sint unum.* Sed in mysterio incarnationis non praedicantur ambae naturae in abstracto de Christo: et ideo non potest simpliciter dici quod *Christus sit duo.*

Ad sextum dicendum quod *duo* dicitur quasi habens dualitatem, non quidem in aliquo alio, sed in ipso de quo duo praedicantur. Fit autem praedicatio de supposito: quod importatur per hoc nomen *Christus.* Quamvis igitur Christus habeat dualitatem naturarum, quia tamen non habet dualitatem suppositorum, non potest dici esse duo.

Ad septimum dicendum quod *alterum* importat diversitatem accidentis: et ideo diversitas accidentis sufficit ad hoc quod aliquid simpliciter dicatur *alterum.* Sed *aliud* importat diversitatem substantiae. Substantia autem dicitur non solum natura, sed etiam suppositum: ut dicitur in V *Metaphys.* * Et ideo diversitas naturae non sufficit ad hoc quod aliquid simpliciter dicatur aliud, * S. Th. lect. X. - Did. lib. IV, cap. VIII, n. 5.
nisi adsit diversitas secundum suppositum. Sed diversitas naturae facit aliud secundum quid, scilicet secundum naturam, si non adsit diversitas suppositi.

η) *masculine.* – A et tertia; *in masculino.*
θ) *alius, pro unitate.* – F et tertia; *autem pro unitate* E, *autem per unitatem* ceteri.
ι) *Et Gregorius... Si.* – *Et* (*Unde* P) *Gregorius... dicit Si* tertia.
κ) *traheretur.* – *pertraheretur* BD.
λ) *sequeretur.* – *sequitur* tertia.
μ) *in abstracto.* – *etiam in abstracto* PGI, *in abstracto etiam* bc.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo, fige oculos mentis in neutrum genus, cum legis, *An Christus sit unum vel duo:* ita quod ly *duo* in neutro etiam genere sumitur; et merito, ut directe opponatur ad ly *unum.* Nec addendus est aliquis alius terminus, puta *ens,* an scilicet sit *unum ens,* vel *duo entia:* sed absolute, ut sonat, discutienda est quaestio an Christus sit unum vel duo. Sic enim promissus * rectusque ordo de consequentibus incarnationis mysterium servatur, dum, discussis his quae ad veritatem esse vel fieri spectant in praecedenti quaestione, in hac veritas indaganda est eorum quae spectant ad unitatem: inter quae constat primum locum tenere unitatem aut dualitatem simpliciter et absolute, et deinde unitatem vel dualitatem talem. Est igitur quaestio in hoc articulo, an Christus sit unum vel duo simpliciter et absolute, sine determinatione aliqua.

* Qu. xvi, Introd.

II. In corpore duo fiunt: primo, respondetur secundum quid attendatur esse unum vel duo in Christo; secundo, respondetur determinate quaesito unica conclusione *.

* Cf. num. v.

Quoad primum, conclusio est illa: *Christus est unum vel duo, non secundum dualitatem naturarum, sed secundum unitatem vel dualitatem suppositi seu personae.* Probatur conclusio haec quoad primam partem. Quia de Christo non praedicantur ambae naturae in abstracto, sed altera tantum, scilicet divina. Quod probatur ex differentia inter Deum et alia in hoc, quod in solo Deo natura secundum se praedicatur de supposito. Hinc enim sequitur quod humana natura non praedicatur de Christo. — Quoad secundam vero partem: quia ambae naturae ut in supposito praedicantur de Christo, sive significentur in supposito indeterminate sive determinate.

III. Ubi nota quod, licet diversimode possit formari haec prima pars corporis articuli; puta, praemittendo differentem habitudinem Christi ad naturas secundum se, vel ut in supposito significatas, et subdendo conditionalem processum, *Si ambae naturae* etc.: vis tamen rationis consistit in hoc. Ad esse duo exigitur quod Christus sit aliqua praedicata ponentia in numerum. Deitas autem et humanitas ponunt in numerum: sunt enim duae naturae. Et ideo, si Christus esset sua humanitas, sicut est sua deitas, Christus vere esset duo. Et hoc est quod in littera dicitur, quod, quia *numerus dualitatis in Christo ponitur circa ipsas naturas, ideo, si ambae naturae* etc. Sed praedicata quae vere affirmantur de Christo, non ponunt in numerum. Deus enim et homo in Christo non ponunt in numerum: non enim sunt duo habentia deitatem et humanitatem, sed unum et idem numero est habens humanitatem et habens divinitatem. Et similiter Filius Dei et *hic homo,* seu Iesus, non ponunt in numerum: ut patet.

In hoc consistit tota vis huius articuli. Et in hac quidem prima parte corporis devenitur usque ad hoc, quod, si natura utraque praedicaretur de Christo, esset duo Christus: quia naturae ponunt in numerum. Sed quia non praedicatur, non constituit Christum duo. Et quia praedicatur ut in supposito, ideo secundum rationem suppositi numerati vel non numerati, dicendus est Christus unum vel duo.

IV. Ubi occurrit duplex dubium. Primum est circa illud: *In solo Deo natura praedicatur de supposito.* Habet enim instantiam, quia in angelis suppositum non differt a natura.

Alterum est circa processum litterae conditionalem. Quoniam procedit a destructione antecedentis: quod non licet. Ait enim: *Si ambae naturae in abstracto praedicarentur de Christo, sequeretur quod Christus esset duo. Sed quia duae naturae non praedicantur,* etc.

Ad primum facile patet responsio: quod, quia aliquo modo differt suppositum a natura in angelis, quamvis in illis non differat individuum a natura, ideo solida stat littera.

Ad secundum dicitur quod, quia in propriis argumentum a destructione antecedentis non est prohibitum, ideo, cum ex propriis hic procedatur, ut patet ex declaratis, absque vitio processum est.

V. Quoad secundam partem corporis *, conclusio est: *Christus est et unus et unum.* Deducitur conclusio ex praemissis, subiunctis tribus modis dicendi de supposito seu persona Christi. Primus est dicentium in Christo duo supposita et unam personam; secundus est dicentium in Christo duo supposita et duas personas; tertius est dicentium in Christo unum suppositum et unam personam. Iuxta primum, Christus est *duo* in neutro genere, et *unus.* — Iuxta secundum, Christus est *duo,* tam neutraliter quam masculine. — Iuxta tertium, Christus est *unum* et *unus.* Et quia tertius modus solus est sententia fidei, ideo concluditur quod *Christus est unum et unus.*

* Cf. num. ii.

VI. In responsione ad tertium, adverte, Novitie, quod, cum in medio responsionis dicitur, *Non tamen sequitur quod sit aliquid aliud quam homo,* etc., ista adversativa non respicit ad propositionem immediate positam in littera: sed ad propositionem negativam in arguendo assumptam, scilicet, *Christus non est tantum homo.* Auctor siquidem in hac responsione primo monstrat hanc assumptam propositionem esse veram, monstrando suam contradictoriam affirmativam esse falsam, scilicet, *Christus est tantum homo,* quia praedicata tenentur formaliter. Et interponit, ad bonitatem doctrinae, qualiter posset fieri affirmativa vera: scilicet, *Christus est tantum id quod est homo.* Deinde redit ad respondendum argumento. Et quia concessit antecedens assumptum, scilicet, *Christus non est tantum homo,* respondet ad consequentiam, *Ergo est aliquid aliud quam homo,* dicens: *Non tamen sequitur quod sit aliquid aliud quam homo,* etc.: quasi dixerit: *Licet antecedens sit verum, sequela tamen non valet.*

VII. In responsione ad quartum, vide, Novitie, quod, cum in littera conceditur quod *Christus est aliquid quod non est Pater,* etc., sensus est quod *Christus est homo,* hoc est, suppositum humanae naturae, quod est esse aliquid quod non est Pater, quia est esse substantiam, ut substantia dicitur hypostasis, quae substantia secundum rem in Christo est hypostasis Filii, quae non est Pater: quamvis non significetur nomine *hominis* ipsa hypostasis Filii distincte, sed indistincte. Quia igitur ex his duobus dictis, « *Christus est aliquid quod est Pater* », « *Christus est aliquid quod non est Pater* », nihil aliud habetur nisi quod Christus est deitas et suppositum humanae naturae; et haec duo, scilicet deitas et suppositum humanae naturae, in Christo non ponunt in numerum, quia suppositum humanae naturae in Christo est Filius Dei, qui non ponit in numerum cum deitate: ideo non sequitur quod Christus sit duo.

VIII. Attende, Vir docte, ex hoc articulo, collato cum articulo tertio in Quaestionibus Disputatis *de Unione Verbi Incarnati,* quantum seipso doctior fuerit hic Auctor, quantum distent fundamenta doctrinae huius ab illis: ut scias omnem auctoritatem huic operi deferre.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM IN CHRISTO SIT TANTUM UNUM ESSE

III *Sent.*, dist. IV, qu. I, art. 2, qª 1; dist. VI, qu. II, art. 2; dist. XIV, art. 1, qª 1; dist. XVIII, art. 1, ad 3; *De Unione Verb.*, art. 1, ad 10; art. 4; *Quodl.* IX, qu. II, art. 2; *Compend. Theol.*, cap. CCXII.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in Christo non sit tantum unum esse, sed duo. Dicit enim Damascenus, in III libro *, quod ea quae consequuntur naturam in Christo duplicantur. Sed esse consequitur naturam: esse enim est a forma. Ergo in Christo sunt duo esse.

* *De Fide Orth.*, lib. III, cap. XIII.

2. PRAETEREA, esse Filii Dei est ipsa divina natura, et est aeternum. Esse autem hominis Christi non est divina natura, sed est esse temporale. Ergo in Christo non est tantum unum esse.

3. PRAETEREA, in Trinitate, quamvis sint tres personae, est tamen unum esse, propter unitatem naturae. Sed in Christo sunt duae naturae, quamvis sit una persona. Ergo in Christo non est unum esse tantum, sed duo.

4. PRAETEREA, in Christo anima dat aliquod esse corpori: cum sit forma eius. Sed non dat sibi esse divinum: cum sit increatum. Ergo in Christo est aliud esse praeter esse divinum. Et sic in Christo non est tantum unum esse.

SED CONTRA, unumquodque, secundum quod dicitur ens [α], dicitur unum: quia unum et ens convertuntur. Si ergo in Christo duo essent esse, et non tantum unum, Christus esset duo, et non unum.

RESPONDEO DICENDUM quod, quia in Christo sunt duae naturae et una hypostasis, necesse est quod ea quae ad naturam pertinent in Christo sint duo, quae autem pertinent ad hypostasim in Christo sint unum tantum. Esse autem pertinet ad hypostasim et ad naturam: ad hypostasim quidem sicut ad id quod habet esse; ad naturam autem sicut ad id quo aliquid habet esse; natura enim significatur per modum formae, quae dicitur ens ex eo quod ea aliquid est, sicut albedine est aliquid album, et humanitate est aliquis homo. Est autem considerandum quod, si aliqua forma vel natura est quae non pertineat ad esse personale hypostasis subsistentis, illud esse non dicitur esse illius personae simpliciter, sed secundum quid: sicut esse album est esse Socratis, non inquantum est Socrates, sed inquantum est albus. Et huiusmodi esse nihil prohibet multiplicari in una hypostasi vel persona: aliud enim est esse quo Socrates est albus, et quo Socrates est musicus. Sed illud esse quod pertinet ad ipsam hypostasim vel personam secundum se, impossibile est in una hypostasi vel persona multiplicari: quia impossibile est quod unius rei non sit unum esse.

Si igitur humana natura adveniret Filio Dei, non hypostatice vel personaliter, sed accidentaliter, sicut quidam posuerunt *, oporteret ponere in Christo duo esse: unum quidem secundum quod est Deus; aliud autem secundum quod est homo. Sicut in Socrate ponitur aliud esse secundum quod est albus, aliud secundum quod est homo: quia esse album non pertinet ad ipsum esse personale Socratis. Esse autem capitatum, et esse corporeum, et esse animatum, totum pertinet ad unam personam Socratis: et ideo ex omnibus his non fit nisi unum [β] esse in Socrate *. Et si contingeret quod, post constitutionem personae Socratis, advenirent Socrati manus vel pedes vel oculi, sicut accidit in caeco nato, ex his non accresceret Socrati aliud esse, sed solum relatio quaedam ad huiusmodi: quia scilicet diceretur esse non solum secundum ea quae prius habebat, sed etiam secundum ea quae postmodum sibi adveniunt.

* Cf. qu. II, art. 6.

* D. 560.

Sic igitur, cum humana natura coniungatur Filio Dei hypostatice vel personaliter, ut supra * dictum est, et non accidentaliter, consequens est quod secundum humanam naturam non adveniat sibi novum esse personale, sed solum nova habitudo esse personalis praeexistentis ad naturam humanam: ut scilicet persona illa iam dicatur subsistere, non solum secundum naturam divinam, sed etiam humanam.

* Qu. II, art. 6.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod esse consequitur naturam, non sicut habentem esse, sed sicut qua aliquid est: personam autem, sive hypostasim, consequitur sicut habentem esse. Et ideo magis retinet unitatem secundum unitatem hypostasis, quam habeat dualitatem secundum dualitatem naturae.

AD SECUNDUM DICENDUM quod illud esse aeternum Filii Dei quod est divina natura, fit esse hominis, inquantum humana natura assumitur a Filio Dei in unitate personae.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut in Prima Parte * dictum est, quia persona divina est idem cum natura, in personis divinis non est aliud esse personae [γ] praeter esse naturae: et ideo tres personae non habent nisi unum esse. Haberent autem triplex esse, si in eis esset aliud esse personae, et aliud esse naturae.

* Qu. L, art. 2, ad 3; qu. LXXV, art. 5, ad 4.

AD QUARTUM DICENDUM quod anima in Christo dat esse corpori inquantum facit ipsum actu animatum: quod est dare ei complementum naturae et speciei. Sed si intelligatur corpus perfectum per animam absque hypostasi habente utrum-

---

α) *secundum quod dicitur ens.* – *secundum hoc dicitur ens secundum quod* F et tertia.

β) *unum.* – sD *a* et tertia; om.

γ) *personae.* – F et tertia; om.

que, hoc totum compositum ex anima et corpore, prout significatur nomine *humanitatis,* non significatur ut quod est, sed ut quo aliquid est. Et ideo ipsum esse est personae subsistentis, secundum quod habet habitudinem ad talem naturam: cuius habitudinis causa est anima, inquantum perficit humanam naturam informando corpus.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS ut sonat sumendus est, de esse simpliciter et absolute. Vertitur enim in quaestionem an, sicut dicimus in Christo simpliciter et absolute duas naturas, ita dicere possumus in Christo duo esse simpliciter et absolute: an vero, sicut in Christo non est nisi unum suppositum, una persona, ita non est nisi unum esse. Et notandum est quod non quaeritur de propositione, sed de re: non enim quaeritur an illa propositio sit vera, *Christus habet duo esse*, sed, an in Christo sint duo esse. Et licet ista quaestio videatur prima facie locanda inter quaestiones substantiales de incarnatione, et non inter consequentes, ut ab Auctore locata est *, si quis tamen profundius consideret, suo loco posita est. Quoniam unum sequitur ens; tota autem latitudo tractatorum ante illam quaestionem spectat ad esse vel fieri incarnationis in se, vel enuntiatum; unde merito modo de uno vel multis tractatur. Nec propterea a substantialibus receditur: quia *unum vel multa* non addit naturam aliquam supra ens, hoc est, illud quod unum vel multa dicitur, secundum veram metaphysicam. Una enim albedinis natura nullam entitatem addit supra albedinis naturam: et sic de aliis.

* Cf. qu. XVI, Introd.

II. In corpore duo principaliter fiunt: primo, praemittuntur tria manuducentia ad veritatem; secundo, proceditur ex duabus conditionalibus, et infertur conclusio responsiva quaesito, quod *in Christo est unum esse tantum* *.

* Cf. num. III.

Quoad primum, praemittuntur tria: unum ex parte subiecti, quod est Christus; et duo ex parte praedicati, quod est habere esse unum vel plura. Ex parte siquidem subiecti, praemittitur generalis regula quod *quae sunt naturae, multiplicantur in Christo; quae sunt hypostasis, non multiplicantur.* Et ratio redditur: quia in Christo sunt duae naturae et una persona.

Ex parte vero praedicati, praemittitur prius quod esse est de numero spectantium et ad naturam et ad personam: diversimode tamen, quia personae ut habentis, seu *quod est;* naturae autem ut principii, seu *quo aliquid est.* Et hoc probatur a signo: quia natura significatur per modum formae, qua aliquid est ens vel tale, ut patet de albedine et humanitate.

Deinde praemittitur aliud ex parte praedicati, scilicet quod esse est duplex: quoddam a forma vel natura pertinente ad esse personale; quoddam a forma vel natura non pertinente ad esse personale. Exemplum primi in homine est esse quod homo habet ab anima; exemplum secundi est esse quod habet ab albedine, et universaliter ab accidentali forma: nam anima spectat ad personalitatem Socratis, albedo non.

Ponitur autem in littera duplex inter haec duo esse differentia. Prima est penes *simpliciter,* vel *secundum quid:* quia primum esse est esse Socratis simpliciter et absolute; secundum autem est esse Socratis, non simpliciter, sed ut est talis, puta inquantum albus. – Secunda est penes unitatem vel pluralitatem: quia secundum potest in una et eadem persona multiplicari, ut patet; primum autem impossibile est in una et eadem persona multiplicari, quia impossibile est quod unius rei non sit unum esse.

III. Quoad secundum *, prima conditionalis est: Si natura humana advenisset Filio Dei non hypostatice, sed accidentaliter, oporteret in Christo ponere duo esse, unum secundum quod est Deus, et aliud secundum quod est homo. Haec conditionalis non aliter probatur in littera nisi quod deducitur ex praemissis, exemplum afferendo in Socrate de esse ipsius secundum quod est homo et secundum quod est albus, et rationem applicando, quia esse album non spectat ad esse personale Socratis.

* Cf. num. praeced.

Secunda conditionalis est: Si natura humana coniungitur Filio Dei personaliter, secundum naturam humanam non advenit sibi novum esse personale, sed solum nova habitudo praeexistentis esse personalis ad naturam humanam. Circa quam conditionalem quatuor apponit. Nam primo, narrat quod, quotcumque sint integrantia personam, non nisi unum esse constituunt. Et hoc declarat in partibus integralibus, per ly *esse autem capitatum;* et in partibus essentialibus materialibus, per ly *et esse corporeum;* et in partibus essentialibus formalibus, per ly *esse animatum.*

Secundo, declarat quod, si pars aliqua personalis adveniret praeexistenti personae, idem esset iudicium quoad unitatem ipsius esse: ita quod ex adveniente nova parte non adveniret novum esse. Ita quod manifestavit quod spectantia quaecumque ad personalitatem, sive simul cum persona coaeva sint, ut cum Socrates integer nascitur, sive aliquid eorum de novo adveniat praeexistenti personae, unum tantum esse semper est. Et ratio est in promptu: quia non melioris sunt conditionis personalia ex hoc quod adveniunt post, quam si essent congenita seu coaeva personae; sed, si essent congenita seu coaeva, non nisi unum esse constitueretur; ergo, si adveniunt, non deferunt novum esse.

Tertio, declaratur quid novi personae adveniat ex superadventu personalium. Et dicitur quod est relatio ad novam partem personalem. Et huius quoque in promptu causa est. Quia, sicut personalia congenita non dant personae singula propria esse, sed persona unum esse habet relatum ad omnia personalia: Socrates enim non habet unum esse partiale a manu, et unum a capite, et unum ab hepate, et unum ab oculis, etc., quasi ex his confletur unum esse totale; sed Socrates habet suum proprium esse, quod est primo esse ipsius Socratis, et illo refertur ad omnia personalia, cum illo dicitur esse et ipse, et dicitur esse secundum caput, manus, pedes, etc.: – ita, si sunt adventitia, sola relatio praeexistenti esse acquiritur ad illa.

Demum, posita ipsa conditionali, declaratur sensus huiusmodi relationis in Christo: ut scilicet persona illa dicatur subsistere non solum secundum divinam, sed etiam secundum humanam naturam.

IV. Haec sunt in corpore articuli. In quibus multae sunt quaestiones. Prima domestica est, de intentione et sensu Auctoris: an scilicet Auctor intendat docere quod in Christo nullum est esse actualis existentiae de genere substantiae creatum, sed sola existentia increata. – Secunda quaestio: an ita sit in veritate, quod in Christo nulla existentia substantialis sit nisi divina *. * Cf. num. VIII.

Quaestionis primae ratio est varietas verborum ipsius Auctoris *. Nam in Quaestionibus Disputatis, *de Unione Verbi Incarnati* *, Auctor clare dicit in Christo inveniri duo esse: unum aeternum, quod est esse principale suppositi; et unum temporale, inquantum Verbum est factum homo, et hoc esse est esse secundarium illius suppositi. * Cf. num. VI. * Art. 4.

In hac etiam littera non concludit Auctor quod Christo secundum humanam naturam non adveniat novum esse, sed apposuit ly *personale,* ut patet cum infertur conclusio, circa calcem corporis articuli: quasi praeservaverit se Auctor ab existentia actuali ut est naturae humanae, non ut est personae.

In responsione quoque ad primum, non negatur totaliter dualitas esse: sed cum comparativo *magis* dicitur quod *esse magis retinet unitatem secundum unitatem hypostasis, quam habeat dualitatem secundum dualitatem naturae.* In quibus verbis dualitas esse minus quidem affirmatur, non autem negatur totaliter: quasi, tanquam quid secundarium, non nisi secundum quid affirmandum.

In responsione quoque ad tertium *, duplex esse insi- * Cf. num. VII.

nuatur, dum solvitur argumentum ex identitate naturae et personae in divinis, et affirmatur conditionalis quod, *si ibi esset aliud esse naturae et aliud esse personae, esset triplex esse.* Haec enim solutio insinuat quod, quia in humanis et in Christo persona non est idem cum natura assumpta, aliud est esse personae et aliud naturae: ac per hoc, duo sunt in Christo esse.

In oppositum autem est processus articuli secundum planum illius sensum.

V. Ad hoc dicitur quod procul dubio sensus litterae huius, et doctrina Auctoris est in Christo non inveniri aliquod esse actualis existentiae substantiale nisi esse existentiae divinum. Clare siquidem patet ex processu huius articuli tolli a Christo omne esse quod a quacumque re personali in Christo est nisi a deitate. Fundatur enim vis rationis litterae super hoc quod, sive forma sive materia sive pars sive natura quaecumque sit spectans ad personalitatem alicuius, non affert suum esse. Et propterea oportet alterum duorum dicere: aut quod natura humana non spectet ad personalitatem Christi; aut quod non attulerit Christo esse quod dedisset personae humanae quam constituisset si non fuisset assumpta. Ad hoc namque fundavit se Auctor super pertinentia vel impertinentia formae ad personalitatem alicuius, ut pertinentia ad personalitatem alicuius privata fore singulis propriis esse, ex hoc ipso quod ad alterius personalitatem spectant, monstraret. Quoniam in hoc differunt personales a non personalibus formis, quod non personales habent singulae singula propria esse, ut patet de albedine, dulcedine, quantitate, etc.; personalia autem carent singulis esse. Et propterea si, pro *quia,* humanitas in Christo personalis res est, oportet quod careat suo proprio esse, quod constat vocari esse actualis existentiae, natum principiari ab humanitate, seu natum esse humanitatis ut principii quo. Unde perinde esset dicere humanitatem in Christo habere propriam existentiam, sed illam non esse simpliciter aut principalem existentiam Christi, sed secundariam aut secundum quid, puta inquantum est homo; et collocare humanitatem Christi in ordine formarum seu naturarum non pertinentium ad personalitatem, quibus convenit afferre secum sua singula esse, et propterea multiplicare illa in una et eadem persona: cum tamen evidenter in littera clarum sit humanitatem Christi locatam esse inter spectantia ad personalitatem, et ideo non afferre proprium esse; quia, si afferret illud, multiplicaretur in una et eadem persona esse personale, quoniam esse proprium naturae humanae est esse personale, est enim esse Socratis aut Platonis, etc.

* Num. IV.

VI. Ad obiecta autem in oppositum * respondendo, ad primum dicitur quod opinio illa, posita in Quaestione illa *de Unione Verbi,* ut retractata censenda est: nisi quis adeo desipiat ut putet doctrinam in hoc ultimo libro traditam, et in authenticis libris etiam prius probatam, scilicet in III *Sent.,* dist. VI, qu. II *, et in Quolib. IX, qu. II **, reducendam esse ad quaestiunculam vix cognitam inter opera Auctoris, et longe ante factam. Quae rationabilius creditur colligendo condita inter schedulas disputationum inventa, quam unquam edita a divo Thoma. Constat enim quaestionem illam de tanta re, hoc est de unione Verbi incarnati, imperfectissime materiam unionis tractare, et per hoc dissonare ab aliis Quaestionibus Disputatis eiusdem; et rationibus multum debilibus uti, ut patet conferenti illos articulos similibus in hoc opere; et quinque tantum articulis rem tantam absolvere. Prae se ferunt siquidem haec quod diximus.

* Art. 2.
** Art. 2.

Ad secundum, sumptum ex corpore huius articuli, dicitur quod nihil obstat. Quoniam esse personale, et esse substantiale personalium, apud Auctorem idem est. Et iam declaratum erat in haecmet littera hoc, quando illatum est in Christo non advenire novum esse personale. Unde ly *personale* sumitur ibi ut distinguitur contra *accidentale.* Quia enim haec duo tantum essendi genera in persona declaraverat; et Filio Dei ex humanitate assumpta non advenit novum esse accidentale; sub quo substantiale esse existentiae claudi oportet, quoniam humana natura non nisi substantiale esse existentiae secum affert, quod accidentale esset Filio Dei: ideo, ad differentiam huiusmodi accidentalis esse, addidit ly *personale.* Alioquin, conclusio novum terminum apposuisset, et non sequeretur ex praemissis.

Ad tertium, sumptum ex responsione ad primum, dicitur quod comparatio cadit supra causas, et non supra effectus. Unitas enim personae et dualitas naturae sunt causae: unitas vel dualitas esse est effectus. Docet ergo littera quod, quia esse ad naturam se habet ut ad principium quo, ad personam vero se habet ut ad proprium subiectum quod, ideo magis urget unitas personae ad unitatem esse quam dualitas naturae ad duo esse: ac per hoc, quia causa efficacior effectum habere debet, ponenda est unitas, et non dualitas esse in Christo. Hic est verus et intentus sensus litterae; et responsio satisfacit argumento, ut patet; et consonat corpori articuli; nec ullam habet dissonantiam. Et si vis etiam grammatice litteram construere, dispone construendo ly *magis* supra ly *secundum unitatem hypostasis,* et similiter ly *quam* supra ly *secundum dualitatem naturae,* et exponito, *Et ideo magis secundum unitatem hypostasis retinet unitatem, quam secundum dualitatem naturae habeat dualitatem:* et videbis quod comparatio fit ad causas, et non ad effectus.

VII. Ad quartum, sumptum ex responsione ad tertium, dicitur quod responsio ista supponit unum singularissimum verum, in Prima Parte * habitum, scilicet quod in solo Deo esse est naturae proprium, ita quod ipsius est et ut *quo* et ut *quod est.* In ceteris namque esse est naturae ut *quo,* personae autem, quae est aliud quid a natura, est ut *quod.* Hinc enim sequitur responsio litterae: scilicet quod, *quia persona in divinis est idem quod natura, non est aliud esse personae praeter esse naturae.* * Loc. cit. in resp. ad 3.

Et bene nota ly *praeter.* Quia ex hoc verbo insinuat quod supponitur quod esse sit naturae Et cum dixit, *non est aliud,* intendit de illa alietate qua persona est aliud a natura. In iis enim in quibus persona et natura secundum rem differunt, sicut persona est aliud a natura, ita esse personae debitum est aliud ab esse naturae. Aliud autem, non per positionem duorum esse quorum unum sit aliud ab alio, sed per alietatem, ut ita dixerim, *naturalem:* quia alterius naturae est esse quod non debetur naturae nisi per personam, cui primo convenit; et alterius naturae esset esse quod convenit naturae absque expectatione a persona, quod in solo Deo invenitur. Quia igitur in divinis persona est idem cum natura vindicante sibi esse ut proprium, ideo non est aliud esse conveniens personae quam esse proprium naturae. Et ideo tres personae non habent nisi unum esse. Et haberent triplex esse, sicut est ibi triplex persona, si personae esse distingueretur ab esse naturae: hoc est, si personae deberetur proprium esse alterius rationis ab eo quod debetur naturae quando esse est proprium naturae.

Et hunc esse intentum sensum, videre potes, tum ex eo quod nec in creaturis, apud Auctorem, esse duplex ponitur, unum naturae et aliud personae. – Tum ex eo quod non triplex, sed quadruplex esse haberent divinae personae, si esse personae esset aliud ab esse naturae per positionem plurium esse in persona et in natura: quia inveniretur, praeter esse naturae, in quo communicarent personae, triplex esse personae triplicis. In littera autem non nisi triplex infertur esse si aliud esset esse naturae ab esse personae. – Tum quia hinc satisfit argumento, quod non est eadem ratio de unitate vel pluralitate ipsius esse penes naturam vel personam in Trinitate, et in mysterio incarnati Verbi. Quia in Trinitate esse est naturae proprium, et ideo eius unitatem sequitur, et non pluralitatem personarum, existente persona idem cum natura. In assumpta autem natura a Verbo, esse est proprium personae, quia persona aliud est a natura, sicut in ceteris hominibus esse, quamvis sit a natura, non est tamen naturae, sed personae proprium: et propterea ad unitatem personae sequitur unitas esse, et ad pluritatem naturae non sequitur pluralitas ipsius esse. – Nec satisfieret argumento si exponeretur littera quod, ubi persona est aliud a natura, ibi sunt duo esse, unum naturae et aliud personae: sed

potius argumenti vis firmaretur, et concluderentur in Christo duo esse, unum naturae et personae simul divinae, et aliud naturae humanae; quoniam persona Christi aliud est a natura humana assumpta.

Est igitur indubie tenendum, secundum Auctoris doctrinam, in Christo nullum esse actualis existentiae substantialis inveniri nisi esse actualis existentiae Filii Dei, quod est aeternum, et ipse Deus.

* Cf. num. iv.

VIII. Circa secundam autem quaestionem * multiplex dubium occurrit. Nam primo, dubitatur de praemissis; deinde de modo quo ponitur Christus existentiam humanam habere *; tertio, de ipsa conclusione **; quarto, de sua contradictoria *.

* Cf. num. ix. ** Cf. num. x. * Cf. num. xii.

Scotus in primis, in III *Sent.*, dist. vi, qu. i, arguit processum istum quoad fundamentum, scilicet quod unum et idem est esse personae et pertinentium ad personam, tum quoad personam respectu naturae, tum quoad personam respectu partium *. Ex primo enim arguit non sequi intentum, sic. Esse naturae et personae est idem quando est in proprio supposito: quia suppositum non addit rem supra naturam, sed negationem. Ergo, si a natura tollatur ratio suppositi tollendo illas negationes, non propterea tollitur esse naturae, sed remanet cum suo esse. Ac per hoc, in alia persona posita, haberet et suum esse, et esse illius personae. Non est ergo idem iudicium de natura in proprio vel alieno supposito, quoad unum vel plura esse. – Et confirmatur. Quia sicut persona assumens non supplet identitatem personae humanae cum natura humana, ita esse personae assumentis non supplet identitatem ipsius esse personae humanae et naturae humanae.

* Cf. num. xv.

Contra secundum vero, de partibus personae, arguit. « Pars adveniens toti non dat esse toti, sed recipit, quia perficitur a forma totius. Quod probatur: quia, si remaneret distincta sicut prius, non reciperet esse totius, sed vel haberet proprium esse, vel nullum. Sed natura humana unita Verbo non habet rationem partis, nec istam rationem partis: quia non informatur a Verbo, sed remanet simpliciter distincta. Igitur vel nullum esse habet, vel aliquod esse proprium. »

IX. Contra modum quo ponitur Christus habere esse secundum naturam humanam *, scilicet quod Verbum novo modo relative se habet secundum illam, arguit *. « Si Verbum tantum habeat respectum novum ad naturam illam, et ille est respectus rationis tantum; cum per respectum rationis non dicatur subiectum formaliter esse aliquid, ergo Verbum, inquantum homo, non erit formaliter aliquid. Consequens est contra illud, Extra, *de Haeret., Cum Christus*. Ergo », etc.

* Cf. num. praeced., init. * Cf. num. xvi.

X. Contra conclusionem ipsam *, scilicet, *In Christo nullum est esse existentiae substantiale creatum*, arguit septem vel octo mediis *. *Primo*. Terminus per se generationis habet esse acquisitum per generationem. Filius Dei homo est per se terminus generationis ex matre. Ergo.

* Cf. num. viii, init. * Cf. num. xvii.

Si dicatur, inquit Durandus *, quod generatio terminatur ad esse divinum, non secundum se, sed relatum ad humanam naturam, contra: – Illud est per generationem acceptum quod est per corruptionem mortis perditum. Sed per mortem Christi non est amissa relatio Verbi ad naturam assumptam, sed esse vitale secundum naturam humanam. Ergo illud non est per generationem acquisitum, sed hoc.

* III *Sent.*, dist. vi, qu. 2. - Cf. num. xvii, *Unde*.

Secundo. In Christo fuit duplex vivere: ut patet ex hoc quod unum per mortem perdidit. Ergo in ipso fuit duplex esse. – Et tenet sequela ex II *de Anima* *: *Vivere viventibus est esse.*

* Cap. iv, n. 4. - S. Th. lect. vii.

Tertio. Anima Christi creabatur. Ergo habuit creatam existentiam. – Probatur sequela. Quia creatio terminatur ad existentiam.

Quarto. Humanitas Christi est effecta et conservata a tota Trinitate. Ergo secundum existere creatum. – Probatur consequentia. Quia non secundum existere increatum. Probatur: quia nihil efficit se.

Quinto. « Si natura assumpta a Verbo dimitteretur, non oporteret acquiri sibi novum esse per generationem, nec per creationem. Et tamen ipsa, ex hoc quod dimissa, non esset annihilata: nec esset ens in potentia, ut anima Antichristi ante creationem. Ergo haberet aliquod esse in actu. Et non novum: quia per nullam mutationem positivam. Ergo idem quod modo habet. Igitur », etc.

Et si dicatur, inquit Durandus *, quod habet esse novum: Ergo est corrupta. – Probatur dupliciter sequela. Tum quia perdidit esse simpliciter et acquisivit aliud esse simpliciter. – Tum quia, nisi hoc sufficiat ad corruptionem simpliciter naturae, sed requiritur quod nullum aliud esse recipiat, sequeretur quod nunquam poterit esse corruptio sine annihilatione.

* Loc. cit. - Cf. num. xvii, *Ad obiectionem*.

Sexto. « Natura angeli posset assumi a Verbo. Et illa non potest manere eadem nisi maneat sua existentia eadem, secundum istos. Ergo nec natura humana modo posset manere eadem in Christo, nisi maneret sua existentia. – Consequentia est manifesta: quia ita est intrinseca sua existentia uni sicut alteri. »

Septimo. « Fundamentum relationis naturaliter praecedit relationem: et secundum esse actuale praecedit rationem relationis actualis. Unio ista fuit relatio actualis. Ergo eius fundamentum praecessit naturaliter secundum esse actuale. Fundamentum illud erat ipsa natura totalis. Igitur, etc.

Confirmatur. Prius naturaliter anima perficit corpus quam tota natura esset nata assumi In illo priori forma fuit actus materiae: et per consequens dabatur esse sibi. Quod non corrumpebatur per assumptionem. »

Octavo, arguitur ex doctrina Auctoris in Prima Parte, qu. l, art. 5, ex proposito probantis esse non posse separari a forma, sicut nec rotunditas potest separari a circulo: quia esse convenit formae secundum se, sicut rotunditas circulo. Ex hoc enim arguitur sic. Esse non potest separari a forma. Ergo nec ab anima Christi. Igitur anima Christi habet proprium esse.

XI. A Durando quoque, in III *Sent.*, dist. vi, qu. ii, ultra praeallata *, arguitur **, quia agere est etiam suppositi, sicut et esse: et praesupponit esse. Et multiplicatur in Christo. Ergo.

* Num. praeced. ** Cf. num. xviii.

Aureolus etiam, et Ioannes de Neapoli, apud Capreolum, in vi dist. * III *Sent.*, arguunt **: ille quidem, quia esse existentiae est actus quo formaliter essentia est. Esse divinum non actuat essentiam humanam. Ergo humanitas Christi vel est actuata suo esse, vel adhuc perseverat potentialis ad esse: nam esse divinum non supplet vicem causae formalis inhaerentis.

* Art. 2. ** Cf. num. xviii.

Iste autem: tum quia, secundum Damascenum *, *quod est inassumptibile, est incurabile*. – Tum quia Christus homo perfectus est, *nihil minus habens, tam in divinitate quam in humanitate;* et qui oppositum dixerit, *plenus diaboli spiritu, seipsum gehennae filium demonstrabit;* ut Damasus dixit, in Epistola * recitata in lib. IX, tit. xv, *Historiae Tripartitae* *.

* *De Fide Orth.*, lib. III, cap. vi. * *De Damnat. Apollin., ad Timoth.* * Cassiod.

XII. Demum pro contradictoria conclusionis * arguit Scotus *, tenens illam. Tum quia humanitas Christi est extra causam suam. Ergo habet necessario propriam existentiam actualem, sicut habet proprium esse quidditativum: licet non habeat propriam subsistentiam, quae nihil positivi addit.

* Cf. num. viii, init. * Loc. cit. - Cf. num. xix.

Tum * quia Verbum subsistit in natura humana sicut suppositum in natura: propter quod proprie dicitur homo. Et ideo est existens existentia huius naturae. Sicut, per oppositum, quia ego non sum pes meus, nec subsisto respectu pedis sicut respectu naturae, ideo existentia pedis mei non est existentia mei, quamvis sit in me, sed e converso magis pes existit per existentiam mei. – Nec est, inquit Scotus, existentia humanitatis Christi existentia secundum quid, sed simpliciter: tam in se, quia est existentia de genere substantiae, quae est ens simpliciter; quam respectu Christi. Quia, qualis est existentia in se, tale existere dat cuicumque existenti per ipsam; sed Verbum existit existentia ista, scilicet naturae humanae; ergo existit simpliciter per existentiam naturae humanae. Et sic sunt duae existentiae simpliciter, non solum in Christo, sed Christi.

* Cf. num. xx.

* Cf. num. XXI.
* Cf. *de Fide Orth.*, lib. III, cap. XIV, XVIII.

Tum * quia in Christo sunt duae voluntates et duo velle, secundum Damascenum, cap. LXII *. Sed esse intimius seu immediatius se habet ad essentiam quam velle ad voluntatem. Ergo magis necesse est plurificari esse secundum pluralitatem naturarum. – Vel formetur sic. Natura, ut distinguitur contra suppositum, est principium operandi. Ergo est etiam principium essendi in actu: quia esse immediatius se habet, etc.

XIII. Ad evidentiam horum, non sunt alia fundamenta iacienda, sed supra positum in littera fundamentum solide fabricandum. Quamvis enim, dum non curamus de distinctione inter personam et naturam, dicamus esse actualis existentiae, de quo est sermo, esse actualitatem naturae cuiusque creatae: cum tamen exacte discernitur persona a natura, dicimus, ut in hac littera habetur, quod esse est actus naturae ut principii quo, personae autem ut subiecti, seu quod habet ipsum esse. Ita quod natura est principium quo immediatum ipsius esse: sed non est receptivum immediatum ipsius esse, sed mediante persona. Ita quod oportet naturam personari ad hoc ut ab ea principietur actualiter ipsum esse: non ex defectu naturae principiantis ut quo; sed quia deficeret susceptivum primum ipsius esse, si non esset personata; persona enim est cui primo convenit esse ut subiecto, seu quod habet esse, seu quod est.

Et si his adiunxeris quod natura nunquam est quod est, sed semper est quo est: invenitur siquidem natura existens non ut quae existit, sed ut qua aliquis existit: – perspicies duo. Primum, quod ad hoc quod natura existat, non exigitur quod ipsa actuetur per existentiam ut subiectum actuatur per formam in eo; sed sufficit quod ipsa sit qua aliquis existit. Nec mirum est scientibus quod non omnia uno eodemque modo sunt, sed sat est unicuique entium esse modo sibi convenienti. Sunt enim multi essendi modi. Et naturis quidem ac formis consonus essendi modus est, non ut sint tanquam quod est, sed ut sint tanquam quo est: nec plus eis debetur. Sicut, apud Peripateticos, principium est indubitatum quod *formae sunt et non sunt absque sui generatione et corruptione* *.

* Aristot. *Metaphys.* lib. VI, cap. XV, n. 1. - S. Th. lect. XV.

Aliud est quod, quia prius natura personatur quam existentiam propriam constituat, intimior est persona naturae quam existentia. Ac per hoc, si potest praeveniri ne constituat propriam personam, multo magis potest praeveniri ne constituat existentiam: ordine siquidem quodam personalitas prius, et existentia deinde a natura constituitur, propter ante dictam rationem.

Et ex his sequitur tertium: quod natura carens propria personalitate quia praevenitur ab aliena, oportet consequenter quod careat propria existentia. Si enim existentia propria non provenit ab ipsa actualiter nisi in propria persona, ex hoc ipso quod ad alienam trahitur personam, sequitur quod ad alienam trahitur existentiam, illius scilicet personae praevenientis ipsam. Et rursus, si existentia non debetur naturae ut quod est, sed ut quo est, personae autem ut quod; ex hoc ipso quod natura trahitur ad alienam personam ut sit quo est, sequitur quod sufficienter consecuta est existentiam: quia consecuta est existentiam illius personae modo convenienti ipsi naturae, scilicet ut quo. Hoc enim ipsum quod est naturam aliquam esse naturam alicuius personae actu existentis, est naturam illam existere: sive persona illa sit constituta per illam naturam, sive non.

* Qu. XXXV, art. 5.

XIV. Sicut igitur in Christo, ut inferius * patebit, unam tantum filiationem relationem realem ponimus ex defectu subiecti, ita in Christo, ex defectu subiecti primi, unum tantum esse ponimus. Primum enim substantialis existentiae subiectum est persona. Repugnat autem divinae personae existentia creata, duplici ratione. Prima est ex divinitate: quia divina persona non potest recipere in se creatum aliquid. Secunda est ex communi ratione personae: quia personae unius non est nisi unum esse substantiale. Et haec ratio in littera ponitur. Quocirca, quia humanitas Christi praeventa est in mysterio incarnationis ut propriam non sortiretur personalitatem, sed ad personalitatem Verbi assumpta est; ideo quasi impedita est a proprio esse, et est sortita esse personae divinae, ex hoc ipso quod est divinae personae natura, dicta de illa *in quid*. Habet enim ex hoc suum essendi modum, scilicet esse ut quo. Natura enim personae est ut quo: nec plus sibi debetur.

XV. Ad primo ergo obiecta contra fundamentum processus, quia idem est esse naturae et personae *, respondetur: praemittendo tamen quod fundamentum Auctoris est quidem identitas ipsius esse respectu naturae et personae, sed non sola identitas; sed, adiuncta modi diversitate respectu utriusque, quia scilicet illud idem esse est naturae ut quo, personae ut quod. Ex identitate enim esse, cum hac modi diversitate, procedit littera, ut patet. Sed Scotus, contra, solam identitatem affert pro causa. Et hoc est primum in quo argumentum deficit. – Veruntamen, quia identitas quoque causa est, respondetur quod falsa ratio redditur quare esse est unum utriusque, quia scilicet non differunt re aliqua. Quoniam, ut patet ex superius * discussis, persona addit rem aliquam supra naturam: addit enim terminationem ipsius. Unde argumentum Scoti assumit et non-causam pro causa, et falsum. – Vera autem causa est quia esse unicuique rei sufficit suo modo. Propterea enim personae et personalibus omnibus sufficit unum esse, quia eodem esse persona est ut quod, personalia ut quo, vel secundum quod, vel alio simili modo.

* Num. VIII.
* Qu. IV, art. 2, Comment.

Et per idem patet responsio ad confirmationem. Non oportet enim personam supplere identitatem cum natura: sed sufficit quod suppleat personalitatem illius naturae. Ex hoc enim quod Verbum supplet humanitatis personam, supplet etiam illius esse: quia fit ipsum quod est humanitatis, ac per hoc humanitas existit ut quo est personae, quae est humanitatis quod est.

Ad obiecta vero eiusdem contra unum esse partis et personae *, respondetur quod, si vis fiat in verbis, assumitur non-causa ut causa. Non enim ideo pars est contenta ipso esse totius quia perficitur per formam totius: sed quia spectat ad integritatem totius. Ex hoc enim fit ut sit contenta modo essendi congruo ac debito integrantibus personam: scilicet, ut existant per existere totius, ex hoc ipso quod totius integrativa sunt. Et proportionaliter in proposito dicitur quod, quia humanitas Christi pertinet ad personalitatem Christi quia est assumpta quasi ad integritatem personae Christi; non quasi suppleat defectum aliquem in persona Christi, sed ut sit persona Christi persona illius humanitatis: ideo humanitas Christi non dat novum esse Christo, sed contenta est consono sibi essendi modo, ut scilicet existat ex hoc ipso quod est natura Christi. – Ad probationem autem, quia, si pars maneret distincta a toto ut prius, etc.: dicitur quod ista conditionalis non probat probandum; quoniam cum ipsius veritate stat falsitas causalis assumptae, quae negata est.

* Num. VIII, *Contra secundum*.

Veruntamen, ad rem dicendo, non faciendo vim in verbis, respondetur quod, si pars remaneret distincta et omnino diversa a toto, dum tamen esset toti unita pars personaliter, non afferret novum esse, sed existeret per esse sui totius. Et in proposito humanitas Christi non sic advenit personae divinae ut sit distincta ab illa sicut prius, sed est indivisa a persona secundum esse personale: ita quod non est sicut pars separata, sed est sicut pars coniuncta secundum esse substantiale; est enim assumpta ad personalitatem positivam Verbi Dei. Et ex hac personalitate communicata humanitati Christi, perfecta est humanitas illa multo plus quam quaecumque pars perficiatur per hoc quod advenit suo toti: acquisivit enim perfectionem infinitam, acquirendo personalitatem infinitam. Quo fit ut, quia humanitas Christi non remanet distincta, sed indistincta secundum esse substantiale a Verbo, consequens sit ut non det Verbo novum esse, sed ipsa sit per esse infinitum ipsius Verbi.

XVI. Ad obiecta deinde eiusdem Scoti contra modum *, respondetur quod ex malo intellectu litterae procedit. Interpretatur siquidem arguens Auctorem dicere inter Verbum et naturam humanam non esse coniunctionem nisi relativam relatione rationis ex parte Verbi: et ideo arguit, *Si tantum habet relationem*, etc. Hic autem sensus longe est a nobis plus quam terra a caelo. Quoniam secundum

* Num. IX.

*Cf. qu. II, art. 7, Comment. num. III; art. 8, Comment. num. XI. doctrinam Auctoris, saepe repetitam *, inter Verbum et humanitatem assumptam est coniunctio substantialis, quam comitatur unio relativa. Sed quia coniunctio ista substantialis non est secundum novum esse ipsius humanitatis, sed secundum aeternum esse ipsius Verbi, ideo Auctor, ad excludendam acquisitionem novi esse, dicit quod solum advenit sibi nova relatio: et non dixit hoc ad excludendam coniunctionem substantialem secundum personalitatem et illius esse, ut clare patet in littera. Quin potius, cum dictio exclusiva non excludat a concomitantibus, nec fundamentum a relatione, ponendo solum novam relationem acquiri, intelligitur praeacquiri fundamentum illius, quod est personalis coniunctio, super qua fundatur relatio nova personae ad naturam. Unde patet argumentum totaliter ruere.

* Num. X. XVII. Ad obiecta contra conclusionem * respondendo, *ad primum* Scoti dicitur negando maiorem ad sensum arguentis. Generationis enim terminus habet esse noviter acquisitum, *vel antiquum novo modo se habens.*

Unde ad obiectionem Durandi contra hanc responsionem, dicitur quod, si maior intelligatur cum praecisione, falsa est: nam, licet illud per generationem sit acceptum quod est per corruptionem mortis amissum, non tamen illud praecise. Sed si ad terminum formalem generationis propositio restringatur, concedatur. Sed terminus formalis est natura, vel anima in corpore: et per mortem humanitas ipsa corrupta est per separationem animae a corpore. – Quamvis etiam dici possit falsam esse minorem. Quia, desinente per mortem humanitate Christi, quae est ipsa natura humana resultans ex partibus unitis, oportuit quoque desinere unionem Verbi ad illam secundum se: quamvis remanserit ad illam secundum utramque sui partem, animam scilicet et corpus.

Ad secundum Scoti dicitur quod verbum Philosophi verum est de vivere essentiali et de esse essentiali: vivere enim est esse essentiale. Et hoc in Christo duplex fuit. Et unum eorum, quod in coniunctione animae et corporis consistit, corruptum est per mortem. Et non intelligitur de esse actualis existentiae.

Ad tertium dicitur negando sequelam. Et ad probationem: quod creatio terminatur ad rem quae creatur sub existentia nova simpliciter, *vel illi rei quae creatur.* Et sic, anima Christi creata est ut existat existentia nova sibi: non nova simpliciter.

Ad quartum dicitur quod humanitas Christi effective conservatur et facta est a tota Trinitate, secundum esse existentiae increatum communicatum sibi. Nec sequitur quod Deus efficiat ideo se, aut suum esse: sed quod effecerit et conservet se et suum esse communicatum humanae naturae personaliter.

Ad quintum dicitur quod, si humanitas Christi dimitteretur a Verbo, sortiretur novam personalitatem et novam existentiam, non per aliquam novam actionem, sed per antiquam actionem qua a principio effecta fuit. Illa enim actio, tanquam impedita a completione proprii effectus ob praevenientem personalitatem Verbi, non est hactenus consecuta effectum propriae personalitatis et propriae existentiae. Modo autem dimissio ipsa esset tanquam remotio prohibentis: et sic sortiretur effectum novae personalitatis et novi esse. – Et probatur sic esse dicendum. Quia perinde se haberet humanitas dimissa ac si non fuisset assumpta. Sed constat quod, si non fuisset assumpta, ex sua generatione propriam personalitatem et propriam existentiam habuisset. Igitur, si dimitteretur, acquireret propriam personalitatem et propriam existentiam, a generante per se loquendo, et a dimittente per accidens tanquam a removente prohibens. – Et per haec patet ad formam argumenti: quod haberet esse novum per novam mutationem, licet per accidens, tanquam remotionem prohibentis; et per antiquam per se, soluto impedimento; sicut grave impeditum movetur a generante per se, a removente prohibens per accidens. Habet enim a generante humanitas plus ad personalitatem propriam et propriam existentiam, quam grave ad motum deorsum: cum illa seipsa ad hoc tendat intime; hoc autem per gravitatem et extrinsece. In cuius signum, illa per solam omnipotentiam divinam potest impediri: hoc autem a naturalibus et voluntariis impeditur passim.

Ad obiectionem autem Durandi dicitur quod talis dimissio esset nonnulla corruptio. Quoniam corrumperetur humanitas, non in se, sed secundum esse coniunctum Verbo; et perderet duo, scilicet personalitatem divinam sibi, et existentiam divinam sibi; et acquireret personalitatem propriam non solum sibi sed simpliciter, et similiter existentiam propriam et sibi et simpliciter. Sic esset secundum rem. – Ad rationes autem terminorum spectando, dicitur quod corruptio simpliciter naturae compositae, qualis est humanitas Christi, non attenditur penes esse actualis existentiae, sed penes esse essentiae. Quod ex eo clare patet quod humanitas Christi per mortem corrupta est, ex hoc quod anima separata est a corpore (et in hoc omnes convenimus): quamvis, secundum Auctorem et multos, nullum esse actualis existentiae fuerit per Christi mortem corruptum. Cum igitur ex perditione esse corruptio simpliciter infertur, nisi sit sermo de esse essentiae aut de esse ut includit esse essentiae, negetur sequela. – Et per hoc patet quod subiuncta probatio nihil valet, dicendo: *Si non sufficit perdere unum esse existentiae et acquirere aliud, sed oportet etiam nullum aliud acquirere, ergo annihilatio.* Stat enim quod perdat unum et nullum aliud acquirat, et non annihiletur, sed corrumpatur per exspoliationem materiae ab illa forma. Si enim in ipsa dimissione humanitatis a Christo anima illa separaretur a corpore, tunc humanitas Christi perderet unum esse et nullum aliud acquireret, quia non esset: et tamen non annihilata esset, quia remaneret et materia cum forma cadaveris, et anima intellectiva cum nova existentia, modo praeexposito.

Ad sextum Scoti, negatur quod, apud nos, natura Angeli non esset eadem nisi sit eadem existentia.

Ad septimum, conceditur quod fundamentum est prius secundum actualem existentiam relatione, et in proposito. Dicimus enim quod humanitas Christi fuit prius existens quam relata ad Verbum. Sed negatur sequela, *Ista fuit existens, Ergo propria existentia.* Stat enim quod fuerit existens existentia Verbi. – Et haec responsio satisfacit omnibus argumentis quae fiunt de agere, quod supponit existere; et de accidentibus, quod supponunt subiectum existere; et similibus. Conceditur enim semper quod haec omnia in Christo supponunt humanitatem existere: sed ab existentia ad existentiam propriam non valere constat argumentum; stat enim quod praeexistat existentia communicata sibi ex personalitate Verbi sibi communicata.

Ad confirmationem dicitur quod anima Christi informabat corpus et dabat ei esse animatum: esse dico essentiae, essentialiter siquidem constituebat animatum corpus; non autem esse existentiae propriae, sed, antequam daret hoc, praeventa fuit ex assumptione ad personam Verbi.

Ad octavum, ex doctrina Auctoris, dicitur quod doctrina Auctoris intelligitur de separabilitate naturali: quod scilicet impossibile est naturaliter formam separari a suo esse. Et ex hoc concludit efficaciter formas subsistentes per se absque materia esse incorruptibiles. Anima autem Christi absque proprio esse est divinae omnipotentiae praeventione. – Nec obstat exemplum de circulo et rotunditate: quia exempla et similia non currunt in omnibus.

Et si exigat pars exactam responsionem ad singula: dicito quod haec propositio, *Formae convenit per se proprium esse,* potest intelligi dupliciter. Primo, quod per se conveniat formae ut principio. Et sic est vera. Sed quia perseitas principii est impedibilis per superiorem causam, ideo cum huius propositionis veritate stat quod in Christo anima praevenitur a proprio esse, cuius per se esset principium. – Alio modo intelligitur quod per se conveniat formae ut principio et subiecto, sicut propria passio convenit subiecto proprio. Et sic haec propositio non est vera nisi de forma propria personalitate seu substantia terminata: qualis non est anima Christi, quae non nisi per Verbum subsistit. Unde Auctor ibi ex prima propositione, *Forma inquantum forma,* subsumpta secunda *de forma per se*

subsistente, concludit Angelos incorruptibiles. Et vere sic est: quia implicat formam per se subsistere absque proprio esse; non minus quam circulum absque rotunditate inveniri.

* Num. xi.

XVIII. Ad Durandum * dicitur quod, licet esse et agere conveniant in hoc quod utrumque est suppositi, quia tamen diversimode sunt suppositi, ideo non est similis de illis ratio quoad unitatem vel pluralitatem. Esse enim est suppositi immediate ut subiecti: agere autem non suscipitur in supposito nisi mediante natura et potentia eius. Et idcirco agere multiplicatur cum pluralitate naturae: esse vero unum est cum persona una.

* Ibid.

Ad Aureolum * dicitur quod esse existentiae non actuat essentiam nisi terminatam, hoc est personatam, seu per se subsistentem. Et quia humanitas Christi non est terminata propria personalitate, sed personalitate Verbi, ideo non convenit sibi actuari per existentiam. – Et haec intellige, loquendo de actuare et actuari per modum inhaesionis. Nam si de actuare et actuari infra totam latitudinem suorum modorum sermo sit, non est remotum a philosophia divina Deum posse actuare rem creatam. In cuius signum, divinam essentiam esse actum cuiusque intellectus videntis ipsam, et theologi et philosophi fatentur *. Cum ergo naturam humanam in Christo ex divina personalitate et esse divino perfici fateamur, non est absonum fateri etiam quod actuatur aliquo etiam modo per personalitatem et esse divinum. Quocirca, cum dicitur, *Aut est actuata proprio esse, aut perseverat potentialis ad proprium esse,* dicitur quod, proprie loquendo, utraque pars disiunctivae est falsa: quoniam ex assumptione ad divinum esse perfecta est potentialitas ad existentiam longe excellentius quam fuisset perfecta per propriam existentiam; sicut posse personari in propria persona longe excellentius perfectum est per personam Verbi quam fuisset perfectum per propriam personalitatem. Et quia potentiae perfectio *actuatio* vocatur, ideo dicere potes quod potentia ad propriam existentiam est actuata non per proprium, sed per divinum esse, longe excellentius et perfectius quam fuisset actuata per proprium esse. Et ideo non remanet humanitas Christi potentialis, hoc est, in statu potentiali ad propriam existentiam: ad quem statum rediret si dimitteretur a Verbo, cessante tam excellenti actuatione prohibente naturam ab imperfectioribus sibi propriis et connaturalibus, personalitate scilicet et existentia propria.

* Cf. Part. I, qu. xii, art. 2, ad 3.

* Num. xi, *Iste autem.*

Ad Ioannem de Neapoli * dicitur quod utraque auctoritas, cum sibi similibus, loquitur de naturalibus ut distinguuntur contra personalia: ita quod Christus habuit omnia homini naturalia non personalia. Et quod de naturalibus est inassumptibile, est incurabile: secus est de personalibus. Probatur haec glossa ex fidei Catholicae sententia dicentis in Christo non esse personam nisi divinam. Non est ergo in Christo personalitas humana: quam tamen constat in reliquis hominibus inveniri. Idem est autem iudicium de personalitate, et propriis personae ut distinguitur contra naturam. Aut igitur dicant isti personas nostras esse incurabiles, quia persona est inassumptibilis; et similiter Christum non perfectum hominem, quia caret personalitate humana; quorum utrumque alienum esse a veritate constat: aut universaliter sic fateantur, quod non de personalibus hominis, sed de naturalibus est sermo, cum Christus *perfectus homo* dicitur, et *assumpsisse omnia humana,* et similia; attestante hoc Symbolo Athanasii, explicante naturalia sufficere ad hoc quod Christus sit perfectus homo, dum dicit de Christo: *Perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens.*

* Num. xii.

XIX. Ad obiecta demum Scoti pro contraria positione * respondendo, dicitur ad primum quod consequentia nihil valet. Quia esse actualis existentiae realiter distinguitur ab esse essentiae, seu quidditativo. Et divina praeventione factum est ut humanitas Christi extra causam suam actu sit per existentiam Verbi, et non per propriam.

Ubi adverte, pro clariori intellectu, quod non est imaginandum, ut isti putant, quod additio partis ad personam sit velut additio quanti ad quantum: sive per modum continuationis, puta cum aqua aquae continuatur, ubi ex duabus quantitatibus partialibus fit una totalis quantitas partialiter inhaerens partibus totius aquae; sive per modum aggenerationis, puta cum alimentum auget hominem qui alitur ex illo, ubi non remanet quantitas cibi potusque alentis, sed sic adiungitur alito ut subinduat quantitatem ipsius qui alitur, extendente illam anima, ut in II *de Anima* * dicitur. Nam, si oculus adveniret de novo Socrati, neque existentiam propriam partialem adiungeret existentiae Socratis: cum existentia Socratis sit indivisibilis, non extensa per se aut per accidens, quia de genere est immateriali, utpote propria animae intellectivae, quae inextensa est omnino in corpore; – nec adveniens oculus subindueret existentiam Socratis tanquam formam ad se extensam per inhaesionem sibi, ita quod existentia Socratis inciperet inhaerere oculo novo: quoniam huiusmodi inhaesio non debetur parti, sed sufficienter provisum est parti de existentia in hoc ipso quod est pars personae existentis. Nec videtur etiam intelligibile quod secus possit esse. Quomodo namque existentia indivisibilis propria alicui intelligetur actuare quantum aliquod, seu etiam non-quantum, adiunctum, nisi mediante illo cui est propria? Et quia idem est iudicium de oculo adveniente de novo et oculo congenito, et de hac et reliquis partibus, ideo humanitas Christi, quae quasi pars quaedam est personae Verbi, quia ad personalitatem propriam Verbi assumpta est, invenitur sufficienter posita extra causam suam existens absque propria existentia, et absque hoc quod actuetur per informationem inhaesivam ab existentia Verbi: sibi enim non debetur existentia nisi per personam cuius est.

* *De Gen. et Corr.*, lib. I, cap. v, n. 17, 18. – Cf. *de Anima*, lib. II, cap. iv, n. 6, 7; s. Th. lect. vii, viii.

* Num. xii, *Tum quia Verbum.*

XX. Ad secundum * dicitur quod ex hoc quod Verbum subsistit in natura humana sicut suppositum in natura, non sequitur quod existat per existentiam illius naturae: sed bene sequitur e contra quod natura illa subsistat per existentiam Verbi. – Ad probationem autem ex opposito, de pedis existentia, dicitur quod peccat secundum non-causam ut causam. Neque enim quia Christus est homo, causa est quod existat humana existentia; neque quia non est pes, causa est quod non existat existentia pedis: sed ratio propria est quia personae soli debetur esse ut subiecto quod est.

Ad id vero quod subditur de qualitate existentiae humanae in Christo, scilicet quod est existentia simpliciter et in se et Christo: non oportet aliter respondere. Quoniam, negata in Christo existentia humana, vana est disputatio de qualitate existentiae humanae in ipso.

* Ibid., *Tum quia in Christo.*

XXI. Ad tertium * dicitur negando sequelam: *Esse est intimius seu immediatius. Ergo magis multiplicatur.*

Melius tamen dicitur quod *intimius seu immediatius alicui* dupliciter: vel ut principio, vel ut subiecto. Et subditur quod esse est intimius naturae ut principio quam velle voluntati, sed velle est immediatius voluntati ut subiecto quam esse naturae ut subiecto: quia esse non naturae, sed personae est ut subiecti proprii; velle autem est voluntatis ut proprii subiecti. Et propterea non sequitur quod, si velle plurificatur ad pluralitatem voluntatum, quod esse plurificetur ad pluralitatem naturarum.

Ad ultimam formationem argumenti, concedi potest totum: et dici quod non ex defectu naturae immediate principiantis esse, sed ex defectu susceptivi, scilicet personae propriae, fit ut natura non principiet actualiter actum essendi; et principiat actualiter actum operandi, quia non deest proximum susceptivum operationis. Concede ergo quod natura, ut distinguitur contra suppositum, est principium et operandi et existendi: sed negetur sequela implicita, *Ergo actualiter principiat existere in Christo, sicut actualiter principiat operari.* Quia natura, ut distinguitur contra suppositum, est non solum principium, sed etiam susceptivum proximum operandi: sed existentiae est solum principium, et non est susceptivum proprium. Natura enim humana est principium existendi personae propriae ut proprio subiecto: quae in Christo non est. Et ideo non principiat existentiam in Christo. Sed operandi est principium sibi ipsi ut proprio subiecto, distinguendo naturam contra suppositum, ut dictum est. Et ideo in Christo principiat proprium operari. Et propterea operari multiplicatur secundum naturas: esse autem non.

XXII. Attende diligenter et caute, Novitie, quod ista decisio pendet ex duabus quaestionibus communibus. Altera est: An existentia et essentia distinguantur realiter. Altera: An existentia substantialis sit personae ut proprii susceptivi, an communiter sit personae vel naturae. Praesupponit enim doctrina ista et esse aliam rem esse ab essentia: et esse deberi personae ut proprio subiecto. Et quoniam variae sunt opiniones circa haec, cum de Christi existentia humana quaestio est, noli haec intelligere quasi sint fidei; noli pertinax esse in conclusione, nisi evidentiam prius habeas de communibus quaestionibus; sed ut rationabilia ac consona haec amplectere.

XXIII. In eodem articulo secundo quaestionis decimae septimae, in responsione ad secundum, intellige perspicacius quod, quia unio divinorum humanorumque in Christo est in persona et non in natura; convenerunt namque divina et humana in unam personam, non in unam naturam: – ideo, cum audis quod *esse divinum factum est esse hominis quia natura humana assumpta est in unitatem personae,* distinctionem de ipso esse in communi penetra, quatenus ipsum esse est vel personae, vel naturae. Quamvis enim unum idemque sit esse naturae ac personae, alia tamen ratione est naturae, et alia personae: nam naturae est ut principii, personae ut susceptivi, ut dictum est *. Quocirca convenire in esse quatenus est naturae, est convenire ad integritatem principii ipsius esse: hoc est, fieri partes naturae, quae est principium essendi. Et sic materia et forma conveniunt in uno esse ut esse est naturae. Convenire autem in uno esse quatenus est personae, est convenire seu spectare ad integritatem personalium. Et sic caput et pedes et reliquae partes, et natura ipsa cum suis partibus, conveniunt in esse ut est personae. Unde patet quod esse divinum non quatenus est naturae, communicatum est humanitati Christi: quoniam constat humanitatem Christi non concurrere cum deitate ad integrandum quasi principium ipsius esse. Sed est communicatum ut est personae: quoniam humanitas Christi assumpta est ad personalitatem Verbi. Ita quod est de numero spectantium ad personalitatem Filii Dei, modo nostram intelligentiam excedente. Et propterea nec sequitur quod unio sit facta in natura: nec quod unio sit facta cum Patre et Filio. Communicatum siquidem est humanae naturae esse divinum, non ut est naturae, nec ut est cuiuscumque personae divinae, sed ut est personae Filii: quia assumpta est ad personalitatem Filii tantum.

* Num. XIII.

XXIV. In responsione ad quartum eiusdem articuli, habes clare responsionem de effectu formali intrinseco quem formam oportet ponere in sua materia, quod est esse essentiae. Ita quod forma substantialis dat materiae substantiale esse essentiae, constituendo substantiae naturam seu essentiam completam. Et similiter anima dat esse animatum, quod alio nomine dicitur esse vivum, constituendo essentiam vivam seu animatam. Et sic de aliis. In hoc enim consistit effectus formalis, a quo non potest separari etiam per intellectum forma in materia. Et si non intelligis formae ulteriorem progressum, non habes adhuc, ut in littera dicitur, illud *quod est:* sed solummodo naturam, *qua* aliquid est, quae scilicet est essendi principium, non subiectum. Et ideo ex hoc quod forma seu anima necessario dat esse corpori, non habetur quod esse sit naturae ut subiecti *quod:* sed, quia constituit naturam, quae est *quo,* relinquit subsecuturum illud quod est *quod.* Et ideo esse est personae in ordine ad naturam, etc., ut praedeclaratum fuit *.

Superius * quoque, cum tractatum fuit an corpus mediante anima assumptum fuerit, declaratum est quod in calce huius responsionis subditur: scilicet quod anima, informando corpus, sicque in esse perfecto constituendo naturam humanam, est causa habitudinis unionis humanae naturae ad Verbum.

* Num. XIII.
* Qu. VI, art. 1.



QUAESTIO DECIMAOCTAVA

DE UNITATE CHRISTI QUANTUM AD VOLUNTATEM

IN SEX ARTICULOS DIVISA

DEINDE considerandum est de unitate [α] quantum ad voluntatem *.

[* Cf. qu. XVII, Introd.]

Et circa hoc quaeruntur sex.

Primo: utrum in Christo sit alia voluntas divina, et alia humana.

Secundo: utrum in humana natura Christi sit alia voluntas sensualitatis, et alia rationis.

Tertio: utrum in Christo fuerint ex parte rationis plures voluntates.

Quarto: utrum in Christo fuerit liberum arbitrium.

Quinto: utrum humana voluntas Christi fuerit omnino conformis divinae voluntati in volito.

Sexto: utrum in Christo fuerit aliqua contrarietas voluntatum.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM IN CHRISTO SINT DUAE VOLUNTATES, UNA DIVINA ET ALIA HUMANA

III *Sent.*, dist. XVII, art. 1, qu[a] 1; IV *Cont. Gent.*, cap. XXXVI; *Compend. Theol.*, cap. CCXII; *In Matth.*, cap. XXVI; *In Ioan.*, cap. VI, lect. IV.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in Christo non sint duae voluntates, una divina et alia humana. Voluntas enim est primum movens et imperans in unoquoque volente. Sed in Christo primum movens et imperans fuit voluntas divina: quia omnia humana in Christo movebantur secundum voluntatem divinam. Ergo videtur quod in Christo non fuerit nisi una voluntas, scilicet divina.

2. PRAETEREA, instrumentum non movetur propria voluntate, sed voluntate moventis. Sed natura humana in Christo fuit *instrumentum* [β] *divinitatis eius* *. Ergo natura humana in Christo non movebatur propria voluntate, sed divina.

[* Damascen., *de Fide Orth.*, lib. III, cap. XV.]

3. PRAETEREA, illud solum multiplicatur in Christo quod pertinet ad naturam. Voluntas autem non videtur ad naturam pertinere: quia ea quae sunt naturalia, sunt ex necessitate; quod autem est voluntarium, non est necessarium. Ergo voluntas est una tantum in Christo.

4. PRAETEREA, Damascenus dicit, in III libro *, quod *aliqualiter velle non est naturae, sed nostrae intelligentiae*, scilicet personalis. Sed omnis voluntas est aliqualis voluntas: quia *non* [γ] *est in genere quod non est in aliqua eius specie* *. Ergo omnis voluntas ad personam pertinet. Sed in Christo fuit tantum et est una [δ] persona. Ergo in Christo est tantum una voluntas.

[* Ibid., cap. XIV.] [* Aristot., *Topic.*, lib. IV, cap. 1, n. 8.]

SED CONTRA EST quod Dominus dicit, Luc. XXII *: *Pater, si vis, transfer calicem istum a me. Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Quod inducens Ambrosius, in libro *ad Gratianum Imperatorem* *, dicit: *Sicut susceperat voluntatem meam, suscepit tristitiam meam.* Et, *super Lucam* *, dicit: *Voluntatem suam ad hominem retulit: Patris, ad divinitatem. Voluntas enim hominis est temporalis: voluntas divinitatis aeterna.*

[* Vers. 42.] [* *De Fide, ad Grat.*, lib. II, cap. VII, al. III, n. 53.] [* Comment. lib. X, ad loc. cit.]

RESPONDEO DICENDUM quod quidam posuerunt in Christo esse unam solam voluntatem: sed ad hoc ponendum diversimode moti esse videntur. Apollinaris enim non posuit animam [ε] intellectualem in Christo: sed quod Verbum esset loco animae, vel etiam loco intellectus. Unde, cum *voluntas sit in ratione,* ut Philosophus dicit, in III *de Anima* *, sequebatur quod in Christo non esset voluntas humana: et ita in eo non esset nisi una voluntas. – Et similiter Eutyches, et omnes qui posuerunt unam naturam compositam in Christo, cogebantur ponere unam voluntatem in eo. – Nestorius etiam, qui posuit unionem Dei et hominis esse factam solum secundum affectum et voluntatem, posuit unam voluntatem in Christo.

[* Cap. IX, n. 3. – S. Th. lect. XIV.]

Postmodum vero Macarius Antiochenus Patriarcha, et Cyrus [ζ] Alexandrinus, et Sergius Constantinopolitanus, et quidam eorum sequaces, posuerunt in Christo unam voluntatem, quamvis ponerent duas naturas in Christo secundum hypostasim unitas: quia opinabantur quod humana natura in Christo nunquam movebatur proprio motu, sed solum secundum quod erat mota a divinitate, ut patet in Epistola Synodica Agathonis Papae *. – Et ideo in Sexta Synodo, apud Constantinopolim celebrata *, determinatum est oportere dici quod in Christo sint duae voluntates: ubi sic legitur: *Iuxta quod olim prophetae de Christo, et ipse nos erudivit, et sanctorum Patrum nobis tradidit Symbolum, duas voluntates*

[* Concil. Constantinopol. III, act. IV.] [* Ibid., act. XVIII.]

α) *unitate.* – *Christi* addit B.
β) *instrumentum.* – *sicut instrumentum* tertia.
γ) *non.* – *nihil* P; pro *est* altero loco, *sit* tertia.
δ) *tantum et est una.* – *et est una tantum* F et tertia.
ε) *animam.* – EF et tertia; *naturam.*
ζ) *Cyrus.* – *Cirus* IsG, *Cipus* pG et *c*, *apiis* *b*, *ciprianus* ed. *a*, *Ciprus* ceteri; *Alias Cipus, seu Tipus* margo P.

naturales in eo, et duas naturales operationes praedicamus.

Et hoc necessarium fuit dici. Manifestum est enim quod Filius Dei assumpsit humanam naturam perfectam: ut supra * ostensum est. Ad perfectionem autem humanae naturae pertinet voluntas, quae est naturalis eius potentia, sicut et intellectus: ut patet ex his quae in Prima Parte * dicta sunt. Unde necesse est dicere quod Filius Dei humanam voluntatem assumpserit in natura humana. Per assumptionem autem humanae naturae nullam diminutionem passus est Filius Dei in his quae pertinent ad divinam naturam, cui competit voluntatem habere, ut in Prima Parte * habitum est. Unde necesse est dicere quod in Christo sint duae voluntates, una scilicet divina et alia humana.

* Qu. iv, art. 2, arg. 2; qu. v; qu. ix, art. 1.
* Qu. lxxix, art. 1, ad 2; qu. lxxx, art. 2.
* Qu. xix, art. 1.

Ad primum ergo dicendum quod quidquid fuit in humana natura Christi [η], movebatur nutu divinae voluntatis: non tamen sequitur quod in Christo non fuerit motus voluntatis proprius naturae humanae. Quia etiam aliorum sanctorum piae voluntates moventur secundum voluntatem Dei, *quae operatur in eis et velle* [θ] *et perficere,* ut dicitur *Philipp.* ii *. Licet enim voluntas non possit interius moveri ab aliqua creatura, interius tamen movetur a Deo: ut in Prima Parte * dictum est. Et sic etiam Christus secundum voluntatem humanam sequebatur voluntatem divinam: secundum illud Psalmi *: *Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui.* Unde Augustinus dicit, *contra Maximinum* *: *Ubi dixit Filius Patri, « Non quod ego volo, sed quod tu vis », quid te adiuvat quod tua verba subiungis, et dicis, « Ostendit vere suam voluntatem subiectam suo Genitori »: quasi nos negemus hominis voluntatem voluntati Dei debere esse subiectam?*

* Vers. 13.
* Qu. cv, art. 4; qu. cvi, art. 2; qu. cxi, art. 2.
* Ps. xxxix, vers. 9.
* Lib. II, cap. xx.

Ad secundum dicendum quod proprium est instrumenti quod moveatur a principali agente: diversimode tamen, secundum proprietatem naturae ipsius. Nam instrumentum inanimatum, sicut securis aut serra, movetur ab artifice per motum solum [ι] corporalem. Instrumentum vero animatum anima sensibili movetur per appetitum sensitivum, sicut equus a sessore. Instrumentum vero animatum anima rationali movetur per voluntatem eius, sicut per imperium domini movetur servus ad aliquid agendum: qui quidem servus est sicut *instrumentum animatum,* ut Philosophus dicit, in I *Politic.* * Sic ergo natura humana in Christo fuit instrumentum divinitatis ut moveretur per propriam voluntatem.

* Cap. ii, n. 4; s. Th. lect. ii. – Cf. VIII *Ethic.*, cap. xi, n. 6; s. Th. lect. xi.

Ad tertium dicendum quod ipsa potentia voluntatis est naturalis, et consequitur naturam ex necessitate. Sed motus vel actus potentiae [κ], qui etiam voluntas dicitur, quandoque quidem est naturalis et necessarius, puta respectu [λ] felicitatis; quandoque autem ex libero arbitrio rationis proveniens, et non necessarius neque naturalis; sicut patet ex his quae in Secunda Parte * dicta sunt. Et tamen etiam ipsa ratio, quae est principium huius motus, est naturalis. Et ideo, praeter voluntatem divinam, oportet in Christo ponere voluntatem humanam, non solum prout est potentia naturalis, aut prout est motus naturalis, sed etiam prout est motus rationalis.

* Iª IIae, qu. x, art. 1, 2. – Cf. Part. I, qu. lxxxii, art. 2.

Ad quartum dicendum quod per hoc quod dicitur *aliqualiter velle,* designatur determinatus modus [μ] volendi. Determinatus autem modus ponitur circa ipsam rem cuius est modus. Unde, cum voluntas pertineat ad naturam, ipsum etiam quod est aliqualiter velle, pertinet ad naturam: non secundum quod est absolute considerata, sed secundum quod est in tali hypostasi. Unde etiam voluntas humana Christi habuit quendam determinatum modum [ν] ex eo quod fuit in hypostasi divina: ut scilicet moveretur semper secundum nutum divinae voluntatis.

η) *Christi.* – Om. BDFIpC et *a.*
θ) *quae... et velle.* – *qui... velle* tertia.
ι) *motum solum.* – *solum motum* tertia.
κ) *potentiae.* – *huius potentiae* F et tertia. – Pro *qui, quia* ABE, *quae* F.
λ) *respectu.* – Tertia; *in respectu.*
μ) *modus.* – Hic PE, secundo loco PI, tertio PEGI; *motus.*
ν) *modum.* – *motum* FIa. – *fuit* EF et tertia; *sit.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore duo fiunt: primo, recitatur erronea positio tenentium partem negativam; secundo, respondetur secundum veritatem *.

* Num. ii.

Quoad primum, refertur quod in hanc communem conclusionem multi errantes convenerunt, scilicet: *In Christo non sunt duae voluntates.* Quadrifariam autem hi divisi sunt. Apollinaris enim, ex negatione animae intellectivae in Christo, negat voluntatem humanam. – Eutyches, ex unitate naturae compositae, unam quoque voluntatem ponit. – Nestorius, solam creatam naturam in Christo ponens, unitam Deo secundum conformitatem affectus, negat divinam voluntatem in Christo. – Macarius autem, ex negatione proprii motus in humanitate Christi, voluntatem humanam in Christo negavit.

Ubi vides quod omnes conveniunt in negatione duarum in Christo voluntatum, dum aliqui divinam, aliqui humanam a Christo tollunt, aut utramque tollere coguntur et ponere unam tertiam naturae compositae. Sed de Macarii positione non satis liquet de voluntate quae est naturalis potentia: sed de voluntate, hoc est, actu volendi. Quoniam non negat potentiam, sed motum proprium humanae naturae in Christo. Verum, quia frustra fuisset voluntas sine ullo velle semper, ideo dicitur quod negavit humanam in Christo voluntatem.

II. Quoad secundum, respondetur affirmative: *In Christo sunt duae voluntates, divina et humana.* Probatur dupliciter. Primo, auctoritate Synodi, quae, propter huiusmodi errores extirpandos, hoc determinavit.

Secundo, ratione tali. Filius Dei assumpsit naturam humanam perfectam: et nihil illi propterea defuit de perfectione naturae divinae. Ergo habet duas voluntates, divinam scilicet et humanam. – Probatur consequentia, pro prima quidem parte, quia ad perfectionem humanae naturae pertinet voluntas, quia est naturalis illius potentia,

sicut et intellectus; pro secunda vero parte, quia ad divinam naturam spectat voluntatem habere; ut ex dictis in Prima Parte haec ambo patent.

III. Responsiones argumentorum non expositione, sed annotatione egent.

Et secunda specialiter responsio applicanda est ad diversas et valde multas quaestiones, in quibus est sermo de instrumentis: et specialiter cum voluntas hominis Dei instrumentum dicitur ad aliquid operandum, sive miraculum sive non.

Ex tertia autem responsione habes collectam quadruplicem voluntatem in Christo poni: duplicem quasi potentiam, divinam scilicet et humanam; et duo genera actuum in humana, scilicet voluntatem naturalem et voluntatem rationalem. De quibus superius * discussae sunt difficultates; et inferius in hac quaestione * clarior erit sermo in littera. * Qu. xiii, art. 4; qu. xiv, art. 2. * Art. 3, 4, 6.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM IN CHRISTO FUERIT ALIQUA VOLUNTAS SENSUALITATIS, PRAETER RATIONIS VOLUNTATEM

III *Sent.*, dist. xvii, art. 1, qu[a] 2.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in Christo non fuerit aliqua voluntas sensualitatis, praeter rationis voluntatem. Dicit enim Philosophus, in III *de Anima* *, quod *voluntas in ratione est: in sensitivo autem appetitu est irascibilis et concupiscibilis.* Sed *sensualitas* significat appetitum sensitivum. Ergo non fuit in Christo voluntas sensualitatis. * Cap. ix, n. 3. - S. Th. lect. xiv.

2. PRAETEREA, secundum Augustinum, XII *de Trin.* *, sensualitas significatur per serpentem. Sed nihil serpentinum fuit in Christo: habuit enim similitudinem animalis venenosi sine veneno, ut dicit Augustinus *, super illud Ioan. iii **, *Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto.* Ergo in Christo non fuit voluntas sensualitatis. * Cap. xii, xiii. * *De Peccat. Merit. et Remiss.*, lib. I, cap. xxxii. ** Vers. 14. - Cf. Bed. *Homil.* lib. II, Hom. xii, in Octav. Pentecost.

3. PRAETEREA, voluntas sequitur naturam, ut dictum est *. Sed in Christo non fuit nisi una natura praeter divinam. Ergo in Christo non fuit nisi una voluntas humana. * Art. praeced., ad 3.

SED CONTRA EST quod Ambrosius dicit, in II *ad Gratianum Imperatorem* [α] *: *Mea est voluntas quam suam dixit: quia, ut homo, suscepit tristitiam meam:* ex quo datur intelligi quod tristitia pertineat ad humanam voluntatem in Christo. Sed tristitia pertinet ad sensualitatem: ut in Secunda Parte * habitum est. Ergo videtur quod in Christo sit voluntas sensualitatis, praeter voluntatem rationis. * *De Fide, ad Grat.*, lib. II, cap. vii, al. iii, n. 53. * I[a] II[ae], qu. xxiii, art. 1; qu. xxv, art. 1.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, Filius Dei humanam naturam assumpsit cum omnibus quae pertinent ad perfectionem ipsius naturae. In humana autem natura includitur etiam natura animalis, sicut in specie includitur genus. Unde oportet quod Filius Dei cum humana natura assumpserit etiam ea quae pertinent ad perfectionem naturae animalis. Inter quae est appetitus sensitivus, qui sensualitas dicitur *. Et ideo oportet dicere quod in Christo fuit sensualis appetitus, sive [β] sensualitas. * Qu. iv, art. 2, arg. 2; qu. v, art. 9; qu. ix, art. 1. * D. 1219.

Sciendum est autem quod sensualitas, sive sensualis appetitus, inquantum est natus obedire rationi, dicitur *rationale per participationem* *: ut patet per Philosophum, in I *Ethic.* * Et quia *voluntas est in ratione*, ut dictum est *, pari ratione potest dici quod sensualitas sit *voluntas per participationem.* * D. 231. * Cap. xiii, n. 15 sqq. - S. Th. lect. xx. * In arg. 1.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ratio illa procedit de voluntate essentialiter dicta, quae non est nisi in parte intellectiva. Sed voluntas participative dicta potest esse in parte sensitiva, inquantum obedit rationi.

AD SECUNDUM [γ] DICENDUM quod sensualitas significatur per serpentem, non quantum ad naturam sensualitatis, quam Christus assumpsit: sed quantum ad corruptionem fomitis, quae in Christo non fuit.

AD TERTIUM DICENDUM quod, *ubi est unum propter alterum, ibi tantum unum esse videtur* *: sicut superficies, quae est visibilis per colorem, est unum visibile cum colore. Et similiter, quia sensualitas non dicitur voluntas [δ] nisi quia participat voluntatem rationis, sicut est una natura humana in Christo, ita etiam ponitur una voluntas humana in Christo *. * Aristot. *Topic* lib. III, cap. II n. 2. * D. 1219.

α) *Imperatorem.* – Om. tertia.
β) *sensualis appetitus, sive.* – Om. tertia.
γ) *Ad secundum.* – PEsB; ordinem solutionum secundi et tertii argumenti mutant.
δ) *Et similiter... voluntas.* – I et editiones; *Et quia similiter sensualitas non voluntas dicitur* ABCD, *Et quia simpliciter* cet. ut nos ed. a, *Et quia similiter* cet. ut nos E, *Et similiter etiam quia* cet. ut nos F; *dicitur non voluntas* cet. ut nos G.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS singularis est. Non quaerit de appetitu sensitivo ut sic: sed de appetitu sensitivo ut habet rationem voluntatis; non simpliciter et absolute, sed talis, hoc est, sensualis. Puto autem rationem tituli huius fuisse Evangelica verba quibus motus appetitus sensitivi *velle* vocatur, cum dicitur *: *Veruntamen non sicut ego volo.* * Matth. cap. xxvi, vers. 39.

II. In corpore articuli unica est conclusio: *In Christo fuit voluntas sensualitatis, seu sensualitas, dicta voluntas participative.* Probatur primo, quod in Christo fuit sensualis appetitus; secundo, quod iste sit voluntas per participationem. Primum probatur. Filius Dei assumpsit naturam humanam cum omnibus pertinentibus ad ipsius naturae perfectionem. Ergo assumpsit cum ea omnia quae pertinent ad perfectionem naturae animalis. Ergo assumpsit sensualitatem. – Prima consequentia probatur. Quia in natura humana includitur natura animalis, sicut in specie includitur genus. – Secunda autem probatur. Quia appetitus sensitivus, qui sensualitas dicitur, est unum de pertinentibus ad perfectionem naturae animalis.

Secundum probatur. Appetitus sensitivus, seu sensualitas, ut natus obedire rationi, vocatur et est *rationalis participative,* II *Ethic.* Ergo, pari ratione, vocari potest

et est *voluntas participative*. Probatur: quia voluntas in ratione est. Nam sicut a ratione praecipiente rationalis appetitus, ita a voluntate quoque praecipiente voluntarius appetitus, qui voluntas vocatur, dici potest. Immo, ex hoc ipso quod *rationalis appetitus* appetitus dicitur, *voluntas* dicitur: quia *rationalis appetitus* nomen est proprium voluntatis, et participative solum communicatum sensualitati.

III. Adverte hic quod, quia omnis motus appetitus sensitivi in Christo fuit voluntarius; quoniam etiam motus proprii sensualitatis in propria obiecta voluntarii erant, nam voluntarie esurivit, et unamquamque virium propria exercere disposuit: ideo in Christo appetitus sensitivus semper rationalis, et semper participative voluntas, in quolibet suo actu fuit.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM IN CHRISTO FUERINT DUAE VOLUNTATES QUANTUM AD RATIONEM

III *Sent.*, dist. XVII, art. 1, qu^a 3.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod in Christo fuerunt duae voluntates quantum ad rationem. Dicit enim Damascenus, in II libro *, quod duplex est hominis voluntas: naturalis, quae vocatur *thelesis;* et rationalis, quae vocatur *bulesis*. Sed Christus in humana natura habuit quidquid ad perfectionem humanae naturae pertinet. Ergo utraque praedictarum voluntatum fuit in Christo.

* De Fide Orth., lib. II, cap. XXII.

2. Praeterea, vis appetitiva diversificatur in homine secundum diversitatem virtutis apprehensivae: et ideo, secundum differentiam sensus et intellectus, diversificatur in homine appetitus sensitivus et intellectivus. Sed similiter quantum ad apprehensionem hominis ponitur differentia rationis et intellectus: quorum utrumque fuit in Christo. Ergo fuit in eo duplex voluntas, una intellectualis, et alia rationalis.

3. Praeterea, a quibusdam * ponitur in Christo *voluntas pietatis*. Quae non potest poni nisi ex parte rationis. Ergo in Christo ex parte rationis sunt plures voluntates.

* Hug. de S. Vict., de Quatuor Volunt. in Christo.

Sed contra est quod in quolibet ordine est unum primum movens *. Sed voluntas est primum movens in genere humanorum actuum. Ergo in uno homine non est nisi una voluntas proprie dicta, quae est voluntas rationis. Christus autem est unus homo. Ergo in Christo est tantum una voluntas humana.

* Cf. Aristot. Physic. lib. VIII, cap. v, n. 2. - S. Th. lect. IX.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est *, voluntas quandoque accipitur pro potentia, et quandoque pro actu. Si ergo voluntas accipiatur pro actu, sic oportet in Christo ex parte rationis ponere duas voluntates, idest, duas species actuum voluntatis. Voluntas enim, ut in Secunda Parte * dictum est, et est finis, et est eorum quae sunt ad finem: et alio modo fertur in utrumque. Nam in finem fertur simpliciter et absolute, sicut in id quod est secundum se bonum: in id autem quod est ad finem, fertur cum quadam comparatione, secundum quod habet bonitatem ex ordine ad aliud. Et ideo alterius rationis est actus voluntatis secundum quod fertur in aliquid ^α^ secundum se volitum, ut sanitas, quod ^β^ a Damasceno vocatur *thelesis,* idest *simplex voluntas,* et a Magistris vocatur *voluntas ut natura:* et alterius rationis est actus voluntatis ^γ^ secundum quod fertur in aliquid quod est volitum solum ex ordine ad alterum, sicut est sumptio medicinae, quem quidem voluntatis actum Damascenus vocat *bulesim* *, idest *consiliativam voluntatem,* a Magistris autem vocatur *voluntas ut ratio.* Haec autem diversitas actus non diversificat potentiam: quia uterque actus attenditur ^δ^ ad unam rationem communem obiecti, quod est bonum. Et ideo dicendum est quod, si loquamur de potentia voluntatis, in Christo est una sola voluntas humana * essentialiter et non participative dicta. Si vero loquamur de voluntate quae est actus, sic distinguitur in Christo voluntas quae est ut natura, quae dicitur *thelesis;* et voluntas ^ε^ ut ratio, quae dicitur *bulesis.*

* Art. 1, ad 3.

* I^a II^ae, qu. VIII, art. 2, 3.

α β γ

* Cf. arg. 1.

δ

* D. 1219.

ε

Ad primum ergo dicendum quod illae voluntates ^ζ^ non diversificantur secundum potentiam, sed solum secundum differentiam actus, ut dictum est *.

ζ

* In corpore.

Ad secundum dicendum quod etiam intellectus et ratio non sunt diversae potentiae *, ut in Prima Parte * dictum est.

* D. 1084.

* Qu. LXXIX, art. 8.

Ad tertium dicendum quod *voluntas pietatis* non videtur esse aliud quam voluntas quae consideratur ut natura: inquantum scilicet refugit alienum malum absolute consideratum.

α) *aliquid. – quod est* addit tertia.
β) *sanitas, quod.* – Tertia; *voluntas quae.*
γ) *vocatur voluntas... voluntatis.* – EF et tertia; *vocatur ut natura et est alterius rationis et est actus voluntatis.*
δ) *attenditur. – attendit* E et tertia.
ε) *voluntas. – quae est* addit tertia.
ζ) *voluntates. – duae voluntates* Pl.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est: ortumque habuit ex distinctione voluntatis tam a Damasceno quam aliis facta.

In corpore articuli respondetur cum distinctione ad quaesitum. Distinctio est. *Voluntas* accipi potest vel pro potentia, vel pro actu.

Prima conclusio, iuxta primum membrum: *In Christo est una tantum voluntas humana essentialiter et non participative dicta* *.

* Cf. num. III.

Secunda conclusio, iuxta secundum membrum, est: *In Christo sunt duae voluntates: scilicet voluntas ut natura, et voluntas ut ratio.*

II. Probatur primo secunda conclusio. Voluntas est fi-

nis, et eorum quae sunt ad finem, alio et alio modo. Ergo alterius rationis est actus voluntatis in finem, et alterius rationis actus voluntatis in id quod est ad finem. Ergo in Christo sunt duae voluntates, idest, duae species actuum voluntatis.

Antecedens, pro prima parte, ex superioribus supponitur. – Pro secunda, probatur. Quia in finem fertur simpliciter et absolute, quia fertur ut in id quod est secundum se bonum, ut in sanitatem: in id vero quod est ad finem, fertur cum quadam comparatione, quia fertur in id secundum quod habet bonitatem ex ordine ad aliud, scilicet finem, ut patet de sumptione medicinae propter sanitatem. – Consequentia relinquitur pro evidenti, gratia materiae: nam talis modorum diversitas, qualis scilicet consurgit ex propriis rationibus finis et eius quod est ad finem, diversam habet rationem in appetitibus propriis.

III. Probatur deinde prima conclusio *. Quia talis diversitas actuum non diversificat potentiam. Probatur. Stat cum una communi ratione boni, quae est obiectum voluntatis. Stante enim unitate obiecti proprii voluntatis, quod est bonum in communi, non diversificatur potentia voluntatis: quamvis diversificentur genera actuum eius ex diversa ratione generali actuum eius, cuiusmodi sunt motus ad bonum in se, et motus ad bonum propter aliud. * Cf. num. I.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM IN CHRISTO FUERIT LIBERUM ARBITRIUM

III *Sent.*, dist. xvii, art. 1, qu[a] 3, ad 5; dist. xviii, art. 2, ad 5; IV *Cont. Gent.*, cap. xxxvi.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod in Christo non fuerit liberum arbitrium. Dicit enim Damascenus, in III libro *: *Gnomen autem* (idest *sententiam*, vel *mentem*, vel *cogitationem* [α]) *et proaeresin* (idest *electionem*) *in Domino dicere impossibile est, si proprie loqui volumus.* Maxime autem in his quae sunt fidei est proprie loquendum. Ergo in Christo non fuit electio. Et per consequens nec liberum arbitrium, cuius actus est electio.

* De Fide Orth., lib. III, cap. xiv.

2. Praeterea, Philosophus dicit, in III *Ethic.* *, quod electio est *appetitus praeconsiliati.* Sed consilium non videtur fuisse in Christo: quia non consiliamur de quibus certi sumus *; Christus autem certitudinem habuit de omnibus. Ergo in Christo non fuit electio. Et sic, nec liberum arbitrium.

* Cap. ii, n. 17. - S. Th. lect. vi.
* Cf. ibid., cap. iii, n. 8. - S. Th. lect. vii.

3. Praeterea, liberum arbitrium se habet *ad utrumque.* Sed voluntas Christi fuit determinata ad bonum: quia non potuit peccare, sicut supra * dictum est. Ergo in Christo non fuit liberum arbitrium.

* Qu. xv, art. 1, 2.

Sed contra est quod dicitur Isaiae vii *: *Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum:* quod est actus liberi arbitrii. Ergo in Christo fuit liberum arbitrium.

* Vers. 15.

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, in Christo fuit duplex actus voluntatis: unus quidem quo eius voluntas ferebatur in aliquid sicut secundum se volitum, quod pertinet ad rationem finis; alius autem secundum quem eius voluntas ferebatur in aliquid per ordinem ad aliud, quod pertinet ad rationem eius quod est ad finem. Differt autem, ut Philosophus dicit, in III *Ethic.* *, electio a voluntate in hoc, quod voluntas, per se loquendo, est ipsius finis; electio autem eorum quae sunt ad finem. Et sic simplex voluntas est idem quod voluntas ut natura: electio autem est idem quod voluntas ut ratio, et est proprius actus liberi arbitrii, ut in Prima Parte * dictum est. Et ideo, cum in Christo ponatur voluntas ut ratio, necesse est ibi [β] ponere electionem: et per consequens liberum arbitrium, cuius actus est electio, ut in Prima Parte * habitum est.

* Art. praeced.
* Cap. ii, n. 9. - S. Th. lect. v.
* Qu. lxxxiii, art. 3. - Cf. I[am] II[ae], qu. xiii, art. 1.
* Loc. cit.

Ad primum ergo dicendum quod Damascenus excludit a Christo electionem secundum quod intelligit in nomine electionis importari dubitationem. Sed [γ] tamen dubitatio non est de necessitate electionis: quia etiam Deo competit eligere, secundum illud *Ephes.* 1 *, *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem* [δ]; cum tamen in Deo nulla sit dubitatio. Accidit autem [ε] dubitatio electioni, inquantum est in natura ignorante. Et idem dicendum est de aliis de quibus fit mentio in auctoritate praedicta.

* Vers. 4.

Ad secundum dicendum quod electio praesupponit consilium: non tamen sequitur ex consilio nisi iam determinato per iudicium; illud enim quod iudicamus agendum post inquisitionem consilii, eligimus, ut dicitur in III *Ethic.* * Et ideo, si aliquid iudicetur ut agendum absque dubitatione et inquisitione praecedente, hoc sufficit ad electionem. Et sic patet quod dubitatio, sive inquisitio, non per se pertinet ad electionem, sed solum secundum quod est in natura ignorante.

* Cap. iii, n. 19. - S. Th. lect. vi.

Ad tertium dicendum quod voluntas Christi, licet sit determinata ad bonum, non tamen est determinata ad hoc vel illud bonum. Et ideo pertinebat [ζ] ad Christum eligere per liberum arbitrium confirmatum in bono, sicut ad beatos.

α) *cogitationem.* – *excogitationem* tertia.
β) *ibi.* – *etiam in eo* G, *etiam* editiones.
γ) *Sed.* – *Haec* Pc.
δ) *Elegit... constitutionem.* – *Elegit nos etc.* G, *Elegit nos in ipso etc.* cetera tertia. – *cum tamen* E et tertia; *cum.*
ε) *autem.* – *tamen* tertia.
ζ) *pertinebat.* – *pertinet* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus, ut sonat, clarus est. – In corpore articuli unica est conclusio responsiva: *In Christo fuit liberum arbitrium.* Probatur. In Christo voluntas ponitur ut ratio. Ergo electio. Ergo liberum arbitrium.

Antecedens probatur. Quia in Christo ponitur duplex voluntatis actus: scilicet respectu finis; et respectu eius quod est ad finem, etc., ut supra dictum est. – Prima consequentia probatur. Quia electio est idem quod voluntas ut ratio. Quod probatur ex differentia inter voluntatem et electionem ex III *Ethic.*: quia illa finis, haec eius quod ad finem; et propterea illa voluntas ut natura, haec voluntas ut ratio. – Secunda vero consequentia probatur. Quia electio est proprius actus liberi arbitrii, hoc est, voluntatis ut est liberum arbitrium, ut in Prima Parte dictum est.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM VOLUNTAS HUMANA IN CHRISTO VOLUERIT ALIUD QUAM QUOD DEUS VULT

Infra, qu. xxi, art. 4; III *Sent.*, dist. xvii, art. 2, quª 1; IV *Cont. Gent.*, cap. xxxvi.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod voluntas humana in Christo non voluerit aliud quam quod Deus vult. Dicitur enim in Psalmo *, ex persona Christi: *Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui.* Sed ille qui vult voluntatem alicuius facere, vult quod ille vult. Ergo videtur quod voluntas humana Christi nihil aliud voluerit quam voluntas ipsius divina.

* Ps. xxxix, vers. 9.

2. Praeterea, anima Christi habuit perfectissimam caritatem, quae etiam comprehensionem nostrae scientiae excedit, secundum illud *Ephes.* iii *: *supereminentem scientiae caritatem Christi.* Sed caritatis est facere quod homo idem velit quod Deus: unde et Philosophus, in IX *Ethic.* *, dicit quod unum de amicabilibus est *eadem velle et eligere.* Ergo voluntas humana in Christo nihil aliud voluit quam divina.

* Vers. 19.

* Cap. iv, n. 1. - S. Th. lect. iv.

3. Praeterea, Christus fuit verus comprehensor. Sed sancti qui sunt comprehensores in patria, nihil aliud volunt quam quod Deus vult. Alioquin, non essent beati, quia non haberent quidquid vellent: *beatus* enim *est qui habet quidquid vult et nihil mali vult,* ut dicit Augustinus, in libro *de Trin.* * Ergo Christus nihil aliud voluit secundum voluntatem humanam quam quod voluit voluntas divina.

* Lib. XIII, cap. v.

Sed contra est quod Augustinus dicit, *contra Maximinum* *: *In hoc quod Christus ait, « Non quod ego volo, sed quod tu », aliud se ostendit voluisse quam Pater. Quod nisi humano corde non posset: cum infirmitatem nostram in suum, non divinum, sed humanum transfiguraret affectum.*

* Lib. II, cap. xx.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est *, in Christo secundum humanam naturam ponitur multiplex [α] voluntas: scilicet voluntas sensualitatis, quae participative voluntas dicitur; et voluntas rationalis *, sive consideretur per modum naturae, sive per modum rationis. Dictum est autem supra * quod, ex quadam dispensatione, Filius Dei, ante suam passionem, *permittebat carni agere et pati quae sunt ei propria.* Et similiter permittebat omnibus viribus animae agere [β] quae propria. Manifestum est autem quod voluntas sensualitatis refugit naturaliter dolores sensibiles et corporis laesionem. Similiter etiam voluntas ut natura repudiat ea quae naturae sunt contraria, et quae sunt secundum se mala, puta mortem et alia huiusmodi. Haec tamen quandoque voluntas per modum rationis eligere potest ex ordine ad finem: sicut etiam in aliquo puro homine sensualitas eius, et etiam voluntas absolute considerata, refugit ustionem, quam [γ] voluntas secundum rationem elegit propter finem sanitatis. Voluntas autem Dei erat ut Christus dolores et passiones et mortem pateretur: non quod ista essent a Deo volita secundum se, sed ex ordine ad finem humanae salutis. Unde patet quod Christus, secundum voluntatem sensualitatis, et secundum voluntatem rationis quae consideratur per modum naturae, aliud poterat velle quam Deus. Sed secundum voluntatem quae est per modum rationis, semper idem volebat quod Deus. Quod patet ex hoc ipso quod dicit *: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Volebat enim, secundum rationis voluntatem, divinam voluntatem [δ] impleri: quamvis aliud dicat se velle secundum aliam [ε] eius voluntatem.

* Art. 2, 3.

* D. 1219.

* Qu. xiii, art. 3, ad 1; qu. xiv, art. 1, ad 2. - Ex Damasc.

* Matth. cap. xxvi, vers. 39.

Ad primum ergo dicendum quod Christus volebat ut voluntas Patris [ζ] impleretur: non autem secundum voluntatem sensualitatis, cuius motus non se extendit usque ad voluntatem Dei; neque per voluntatem quae consideratur per modum naturae, quae fertur in aliqua obiecta absolute considerata, et non in ordine ad divinam voluntatem.

Ad secundum dicendum quod conformitas voluntatis humanae ad voluntatem divinam attenditur secundum voluntatem rationis: secundum quam etiam voluntates amicorum concordant,

---

α) *multiplex.* – AsC et tertia; *duplex.* – *scilicet voluntas* F et tertia; om.

β) *agere.* – *agere et pati* PF, *agere et pati et* I.

γ) *quam.* – *quam tamen* F et tertia. – Pro *elegit, eligit* FGa et editiones.

δ) *rationis voluntatem, divinam voluntatem.* – *rationem voluntatem divinam* tertia.

ε) *aliam.* – *quandam aliam* F et tertia.

ζ) *volebat ut voluntas Patris.* – *per voluntatem rationalem voluit ut divina voluntas* tertia; *per voluntatem rationalem* etiam E.

inquantum scilicet ratio considerat aliquod volitum in ordine ad voluntatem amici.

Ad tertium dicendum quod Christus simul fuit comprehensor et viator: inquantum scilicet per mentem fruebatur Deo, et habebat carnem passibilem. Et ideo ex parte carnis passibilis poterat in eo aliquid accidere quod repugnaret naturali voluntati ipsius, et etiam appetitui sensitivo.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est, de conformitate voluntatis Christi humanae ad divinam in volito. Nam de conformitate in modo volendi nulla est quaestio: cum impossibile sit voluntatem creatam velle eo modo quo vult Deus. Sed an circa rem volitam fuerit conformitas, ita quod nihil voluerit secundum appetitum humanum quod alienum sit a volito secundum divinam voluntatem, in dubium vertitur: propterea quod legimus * Christum, secundum hominem, noluisse mortem propriam, quam tamen constat eundem voluisse voluntate divina.

* Cf. arg. *Sed cont.*; Ambros. *Comment. super Luc.*, lib. X, ad cap. XXII, vers. 42.

II. In corpore articuli respondetur cum distinctione quaesito, duabus conclusionibus. Distinctio est de triplici in Christo humana voluntate: hoc est, voluntate sensualitatis; voluntate rationali ut est natura; et voluntate rationali ut est ratio.

Prima conclusio est: *Christus, secundum voluntatem sensualitatis, et secundum voluntatem rationalem per modum naturae, poterat aliud velle quam Deus.* – Secunda conclusio est: *Christus, secundum voluntatem per modum rationis, semper idem voluit quod Deus.*

Probantur simul dupliciter: primo, ratione; secundo, auctoritate *. Ratio est ista. Voluntas sensualitatis naturaliter refugit et laesionem corporis et dolores sensibiles; et voluntas ut natura repudiat et contraria naturae, et secundum se mala; et voluntas per modum rationis eligit quandoque haec eadem ex ordine ad finem; et voluntas Dei erat ut Christus mortem et mala pateretur, non quod ista vellet secundum se, sed in ordine ad finem. Ergo Christus, secundum voluntatem sensualitatis et secundum voluntatem per modum naturae, poterat aliud velle quam Deus: et secundum voluntatem per modum rationis, semper voluit idem quod Deus.

* Cf. num. seq.

Antecedens, habens quatuor partes, quoad primas tres partes probatur ex hoc quod videmus sensualitatem et voluntatem ut naturam refugere adustionem, quam tamen voluntas per modum rationis quandoque eligit propter sanitatem acquirendam. – Consequentia autem probatur. Filius Dei, ex quadam dispensatione, ante passionem suam, permittebat omnibus viribus animae agere quae propria sunt eis. Ergo permittebat in Christo voluntatem sensualitatis refutare laesionem absolute, etc.; et voluntatem ut naturam repudiare mortem absolute; et voluntatem ut rationem acceptare eandem in ordine ad finem humanae salutis. Ubi patet primas duas voluntates aliud velle quam Deus, et tertiam velle idem quod Deus. – Assumptum ad probandam consequentiam, probatur. Quia supra dictum est quod Filius Dei, ex quadam dispensatione, *permittebat carni agere et pati quae sunt ei propria.* Ex hoc enim sequitur, per viam ac rationem similis, quod similiter permisit viribus animae agere quae eis sunt propria.

III. Deinde probantur ambae conclusiones auctoritate * unica Christi orantis ad Patrem: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* In his enim verbis triplex voluntas patet: scilicet divina, in ly *tu;* humana conformis divinae, in ly *sicut tu,* quae est voluntas per modum rationis; et humana aliud volens quam divina, in ly *non sicut ego volo;* et haec est voluntas rationalis per modum naturae, repudians mortem absolute, et voluntas sensualitatis, refutans dolores sensibiles, etc. Patet ergo ex hac auctoritate utraque conclusio.

* Cf. num. praeced., *Probantur.*

IV. Nota, Novitie, quod, ut in responsione ad primum clarius explanatur, tam actus voluntatis per modum naturae, quam actus sensualitatis, ex propria natura habet obiectum abstrahens ab ordine ad divinam voluntatem. Et propterea, quantum est ex parte obiecti, non spectat ad hos motus conformitas ad divinam voluntatem. Dico autem, *quantum est ex parte obiecti:* quia ex parte subiecti etiam actus isti conformes sunt divinae voluntati in beatis. Ita quod inter Christum ante mortem, et beatos, differentia horum motuum in volito ex parte subiecti oritur: quia scilicet Christus animam et carnem passibilem habebat, beati autem non. Hinc enim fit ut Christi voluntati naturali et sensuali occurrerent aliqua ut contraria et laesiva, quae beatis, exemptis ab omnis possibilitate mali, occurrere nequeunt. Et propterea beati, etiam secundum naturalem voluntatis motum et secundum appetitum sensitivum, conformantur divinae voluntati in volito: Christus autem non.

Et scito quod isti voluntatis motus qui in aliud tendebant in Christo, nihil aliud sunt quam *velleitates* *. Universaliter siquidem loquendo, actus voluntatis per modum naturae, distinctus contra actum voluntatis per modum rationis contrarium eligentis, nihil aliud est quam velleitas: de qua dicitur in III *Ethic.* * quod est etiam *impossibilium.* Ita quod in beatis nec electio nec velleitas est ad aliud volitum quam quod Deus vult: in Christo autem electio omnis conformis Deo fuit in volito, sed non omnis velleitas eius fuit conformis Deo in volito; habuit enim Christus velleitatem non patiendi crucem, quam tamen elegit quia Deus sic volebat. Et simile est in nobis cum dolemus de morte iuste patientium, et plagis iuste a Deo nobis inflictis, et aliis huiusmodi. Vellemus enim haec non esse: veruntamen, *Fiat voluntas Dei,* dicimus et volumus, si non exorbitamus.

* Cf. qu. XXI, art. 4.

* Cap. II, n. 7. - S. Th. lect. V.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM IN CHRISTO FUERIT CONTRARIETAS VOLUNTATUM

III *Sent.*, dist. XVII, art. 2, qu^a 2, 3; *Compend. Theol.*, cap. CCXXXII.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod in Christo fuerit contrarietas voluntatum. Contrarietas enim voluntatum attenditur secundum contrarietatem obiectorum: sicut et contrarietas motuum attenditur secundum contrarietatem terminorum, ut patet per Philosophum, in V *Physic.* * Sed Christus secundum diversas voluntates contraria volebat: nam secundum voluntatem divinam volebat mortem, quam refugiebat secundum voluntatem humanam. Unde Athanasius dicit, in libro *adversus Apollinarium* *: *Quando Christus dixit, « Pater, si possibile est, transeat a me calix iste, et tamen non mea, sed tua voluntas fiat », et iterum, « Spiritus promptus est, caro autem infirma », duas voluntates hic ostendit: humanam, quae propter infirmitatem carnis refugiebat passionem; et divinam eius, promptam ad passionem.* Ergo in Christo fuit contrarietas voluntatum.

* Cap. V, n. 3 sqq. - S. Th. lect. VIII.

* De Incarnat. et Cont. Arianos, n. 21.

2. Praeterea, *Galat.* V * dicitur quod *caro*

* Vers. 17.

concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Est igitur contrarietas voluntatum quando spiritus concupiscit unum, et caro aliud. Sed hoc fuit in Christo: nam per voluntatem caritatis, quam Spiritus Sanctus in eius mente faciebat, volebat passionem, secundum illud Isaiae LIII *, *Oblatus est quia ipse voluit;* secundum autem carnem, passionem refugiebat. Ergo erat in eo contrarietas voluntatum.

* Vers. 7.

3. PRAETEREA, Luc. XXII * dicitur quod, *factus in agonia, prolixius orabat.* Sed agonia videtur importare quandam impugnationem [α] animi in contraria tendentis. Ergo videtur quod in Christo fuerit contrarietas voluntatis [β].

* Vers. 43.

SED CONTRA EST quod in determinatione Sextae Synodi * dicitur: *Praedicamus duas naturales voluntates: non contrarias, iuxta quod impii asserunt haeretici; sed sequentem humanam eius voluntatem, et non resistentem vel reluctantem, sed potius subiectam divinae eius atque omnipotenti voluntati.*

* Constantin. III, act. XVIII.

RESPONDEO DICENDUM quod contrarietas non potest esse nisi oppositio attendatur in eodem et secundum idem. Si autem secundum diversa, et in diversis existat diversitas, non sufficit hoc ad rationem contrarietatis, sicut nec ad rationem contradictionis: puta quod homo sit pulcher aut sanus secundum manum, et non secundum pedem.

Ad hoc igitur quod sit contrarietas voluntatum in aliquo, requiritur, primo quidem, quod secundum idem attendatur diversitas voluntatum. Si enim unius voluntas sit de aliquo fiendo secundum quandam rationem universalem, et alterius voluntas sit de eodem non fiendo secundum quandam rationem particularem, non est omnino contrarietas voluntatum. Puta, si rex vult suspendi latronem in bonum reipublicae [γ], et aliquis eius consanguineus velit eum non suspendi propter amorem privatum, non erit contrarietas voluntatis: nisi forte se in tantum extendat voluntas boni [δ] privati ut bonum publicum velit impedire ut conservetur bonum privatum; tunc enim secundum idem attenderetur [ε] repugnantia voluntatum.

Secundo autem requiritur ad contrarietatem voluntatis, quod sit circa eandem voluntatem. Si enim homo vult unum secundum appetitum intellectus, et [ζ] aliud secundum appetitum sensitivum, non est hic aliqua contrarietas: nisi forte appetitus sensitivus in tantum praevaleat quod vel immutet vel saltem [η] retardet appetitum rationis; sic enim iam ad ipsam voluntatem rationis perveniet [θ] aliquid de motu contrario appetitus sensitivi.

Sic igitur dicendum est quod, licet voluntas naturalis et voluntas sensualitatis in Christo [ι] aliquid aliud voluerit quam divina voluntas et voluntas rationis ipsius, non tamen fuit ibi [κ] aliqua contrarietas voluntatum. Primo quidem, quia neque voluntas eius naturalis, neque voluntas sensualitatis, repudiabat illam rationem secundum quam [λ] divina voluntas, et voluntas rationis humanae in Christo, passionem volebant. Volebat enim [μ] voluntas absoluta in Christo salutem humani generis: sed eius non erat velle hoc in ordine ad aliud. Motus autem sensualitatis ad hoc se extendere non valebat.

Secundo, quia neque voluntas divina, neque voluntas rationis in Christo, impediebatur aut retardabatur per voluntatem naturalem, aut per appetitum sensualitatis. Similiter autem nec e converso voluntas divina, vel voluntas rationis in Christo, refugiebat aut retardabat motum voluntatis naturalis humanae, et motum sensualitatis in Christo. Placebat enim Christo secundum voluntatem divinam, et secundum voluntatem rationis, ut voluntas naturalis in ipso et voluntas sensualitatis secundum ordinem suae naturae moverentur.

Unde patet quod in Christo nulla fuerit repugnantia vel contrarietas voluntatum.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod hoc ipsum quod aliqua voluntas humana in Christo aliud volebat quam eius voluntas divina, procedebat ex ipsa voluntate divina, cuius beneplacito natura humana propriis motibus movebatur in Christo, ut Damascenus dicit *.

* De Fide Orth., lib. III, cap. XV, XVIII, XIX.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in nobis per concupiscentiam carnis impeditur aut retardatur concupiscentia spiritus: quod in Christo non fuit. Et ideo in Christo non fuit contrarietas carnis ad spiritum, sicut in nobis.

AD TERTIUM DICENDUM quod agonia non fuit in Christo quantum ad partem animae rationalem, secundum quod importat concertationem voluntatum ex diversitate rationum procedentem: puta cum aliquis, secundum quod ratio considerat unum, vult hoc, et secundum quod considerat aliud, vult contrarium. Hoc enim contingit propter debilitatem rationis, quae non potest diiudicare quid sit simpliciter melius. Quod in Christo non fuit: quia per suam rationem iudicabat simpliciter esse melius quod per eius passionem impleretur voluntas divina circa salutem generis humani. Fuit tamen in Christo agonia quantum ad partem sensitivam, secundum quod importat timorem [ν] infortunii imminentis, ut dicit Damascenus, in III libro *.

* Ibid., lib. II, cap. XV; lib. III, cap. XVIII, XXIII.

α) *impugnationem.* – *compugnationem* PFGI.
β) *voluntatis.* – *voluntatum* PFI.
γ) *in bonum reipublicae.* – *propter bonum* pG, *propter bonum publicum* cetera tertia. – Pro *velit eum non, nolit eum* P.
δ) *boni.* – *hominis* tertia.
ε) *secundum idem attenderetur.* – *secundum idem attendetur* G, *secundum idem attenditur* I, *circa idem attenditur* editiones.
ζ) *intellectus, et.* – *rationis et vult* editiones.
η) *saltem.* – Om. editiones.
θ) *perveniet.* – *perveniret* PDF, *pervenit* c.
ι) *in Christo.* – E et tertia; om.
κ) *ibi.* – Om. editiones.
λ) *secundum quam.* – *scilicet quam* I, *scilicet qua* cetera tertia.
μ) *enim.* – *etiam* prima et E, *enim etiam* F et tertia.
ν) *timorem.* – *terrorem* Gbc.

Commentaria Cardinalis Caietani

* P addit: *et secundum quae attendatur, nempe secundum contrarietatem obiectorum, ut volentis, nolentis, et similium.*
* Cf. num. III.

TITULUS clarus quoad *quid nominis:* in corpore autem manifestatur quid sit contrarietas voluntatum *.

In corpore articuli duo fiunt: primo, monstratur in communi in quo consistit contrarietas voluntatum; secundo, respondetur quaesito *. Quoad primum, conclusio est: *Ad contrarietatem voluntatum in aliquo requiritur quod oppositio voluntatum sit et circa idem, et in eadem voluntate.* Probatur, primo, conclusio haec ex communi ratione contrarietatis, quam addit supra diversitatem. Contrarietas enim species est diversitatis: sed inter contrarietatem et diversitatem hoc interest, quod contrarietas addit supra diversitatem oppositionem secundum idem et in eodem. Procedit ergo littera sic. Contrarietas exigit oppositionem in eodem secundum idem. Ergo contrarietas voluntatum in aliquo exigit oppositionem voluntatum secundum idem, et in eadem voluntate. – Antecedens probatur. Quia, si diversitas sit in diversis aut secundum diversa, non est contrarietas. Probatur: quia non est contradictio; contrarietas namque contradictionem in se claudit.

Deinde declaratur eadem conclusio quoad illam particulam, *secundum idem,* ex diversis rationibus volendi et nolendi unum et idem, puta mortem Socratis propter commune vel privatum bonum, dupliciter se habentibus: vel ut diversis tantum; vel non solum ut diversis, sed oppositis; ut patet in exemplo litterae de voluntate principis circa mortem Socratis latronis propter bonum publicum, et voluntate parentis ut non moriatur propter bonum proprium. Quando enim hic sistunt ambae voluntates, diversae quidem sunt, sed non contrariantur: quia, licet contraria velint, scilicet mori illum et non mori illum, diversa tamen est ratio volendi mortem et volendi non mortem, ac per hoc, non est oppositio secundum eandem rationem volendi. Sed si non sistitur hic, sed voluntas parentis circa non mori propter bonum proprium, opponit bonum proprium bono communi, iam non sola est diversitas rationum volendi, scilicet communis et proprii, sed est oppositio earundem: quia commune bonum tollitur per proprium in ratione volendi; vincit enim amor proprius amorem communis boni, et expellit illud a ratione volendi, et vult filium non mori, etiam contra commune bonum, ob nimium amorem proprii boni.

Demum declaratur eadem conclusio quoad illam particulam, *in eadem voluntate,* ex diversis appetitibus, dupliciter etiam dispositis: vel cum sola diversitate; vel cum diversitate habentibus etiam oppositionem. Verbi gratia, appetitus rationalis vult bonum rationis: appetitus sensualis vult bonum delectabile secundum sensum. Si hic sistitur, diversitas appetituum est sola. Sed si ultra progreditur ex parte subiecti appetitus boni delectabilis, ut immutet appetentem vel ad tardandum vel mutandum appetitum boni rationis, iam non sola diversitas est appetituum, sed oppositio: quia opponit se appetitus delectabilis contra appetitum rationis et vincit illum, dum immutat illum vel annullando vel debilitando illum ex parte appetentis, ut scilicet vel non velit bonum rationis tunc, vel debiliter velit illud. – Hoc autem quod dicimus de oppositione appetitus sensitivi ad rationalem, intelligendum quoque est locum habere inter actum voluntatis per modum naturae, et actum electionis. Nam, cum in diversa tendunt, si voluntas naturalis in tantum protenditur ut opponat se electioni et vincat illam, contrarietas voluntatum est: ut si quis electurus dispendium honoris, famae ac vitae ob bonum virtutis, a naturali voluntate vitae, honoris gloriaeque vincatur.

II. Circa hanc conclusionem, nota quod in conclusione non dicitur ad contrarietatem voluntatum requiri haec duo: sed dicitur haec duo requiri ad contrarietatem voluntatum *in aliquo.* Apposuit siquidem Auctor ly *in aliquo* ad monstrandum quod de contrarietate voluntatum in uno et eodem homine loquitur. Et dixit hoc, quia sciebat, immo etiam in hac littera docet, quod ad contrarietatem voluntatum simpliciter et absolute non requiruntur haec duo, sed alterum tantum sufficit: ut patet in exemplo litterae de voluntate principis et voluntate parentis nimis vitam filii amantis. Sunt enim vere tunc contrariae voluntates, quamvis sint diversorum hominum. Et hoc modo voluntas peccatorum est contraria voluntati divinae; et contra Dei voluntatem agere dicuntur. Est siquidem haec contrarietas voluntatum obiective, non subiective. Sed Auctor in littera loquitur de voluntatum contrarietate et obiectiva et subiectiva. Et ideo adiunxit ly *in aliquo:* et dixit ad contrarietatem voluntatum in aliquo, hoc est, obiective et subiective, exigi duo, scilicet oppositionem secundum idem, et oppositionem in eadem voluntate.

III. Quoad secundum *, conclusio responsiva quaesito est: *In Christo nulla fuit contrarietas voluntatum.* Probatur primo, ex parte primae conditionis requisitae ad contrarietatem voluntatum, hoc est, oppositionis secundum idem, seu eandem rationem. Probatur autem sic. In Christo nec voluntas naturalis, nec voluntas sensualitatis, repudiabat rationem volitam a divina et humana electione. Ergo in Christo non habuit locum repugnantia voluntatum secundum idem. – Antecedens probatur quoad voluntatem naturalem. Quia etiam voluntate absoluta Christus volebat salutem humani generis: quamvis non vellet hoc in ordine ad aliud, hoc est, quamvis non vellet eam ut rationem volendi mortem propriam; quia ad voluntatem ut naturam non spectat velle aliquid in ordine ad aliud, sed solum velle vel nolle aliquid absolute. – Deinde probatur antecedens quoad voluntatem sensualitatis. Quia eius motus nec ad acceptandum nec ad repudiandum tam excelsum bonum, quod est bonum commune aeternae salutis generis humani, se extendit.

* Cf. num. I.

Secundo probatur conclusio ex parte secundae conditionis requisitae ad contrarietatem voluntatum in aliquo, hoc est, oppositionis in eadem voluntate. Probatur autem sic. Neutra voluntatum coniugatio ex altera impediebatur aut retardabatur. Ergo in Christo non habuit locum repugnantia voluntatum in eadem voluntate. – Antecedens manifestatur et quoad voluntatem divinam humanamque electivam, quia nec impediebatur, nec retardabatur ex voluntate naturali aut sensualitatis: et e converso quia nec voluntas naturalis nec sensualitatis impediebatur a divina aut humana electiva. Placebat siquidem Christo, secundum divinam voluntatem et rationalem voluntatem, ut et voluntas sua humana per modum naturae moveretur, hoc est, haberet suas naturales velleitates respectu vitae, respectu integritatis corporis, respectu honoris, respectu famae, respectu gloriae, etc.; et appetitus sensitivus timeret futurum, tristareturque de praesenti malo corporis, etc.

QUAESTIO DECIMANONA

DE UNITATE OPERATIONIS CHRISTI

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. XVII, Introd.

Deinde considerandum est de unitate operationis Christi *.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo: utrum in Christo sit una operatio divinitatis et humanitatis, vel plures.

Secundo: utrum in Christo sint plures operationes secundum humanam naturam.

Tertio: utrum Christus secundum humanam operationem aliquid sibi meruerit.

Quarto: utrum per eam aliquid meruerit nobis.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM IN CHRISTO SIT TANTUM UNA OPERATIO DIVINITATIS ET HUMANITATIS

III *Sent.*, dist. XVIII, art. 1; IV *Cont. Gent.*, cap. XXXVI; *De Verit.*, qu. XX, art. 1, ad 2; *De Unione Verb. Incarn.*, qu. I, art. 1, ad 16; art. 5; *Compend. Theol.*, cap. CCXII.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod in Christo sit tantum una operatio divinitatis et humanitatis α. Dicit enim Dionysius, II cap. *de Div. Nom.* *: *Discreta autem est benignissima circa nos Dei operatio per hoc quod, secundum nos, ex nobis, integre vereque humanatum* β *est Verbum quod est supra substantiam, et operari et pati quaecumque humanae eius divinaeque operationi congruunt:* ubi unam operationem nominat humanam et divinam, quae in Graeco dicitur *theandrica,* idest *Dei-virilis* *. Videtur igitur esse una operatio composita in Christo.

(* S. Th. lect. III. — * Cf. Epist. IV, *ad Caium.*)

2. Praeterea, principalis agentis et instrumenti est una sola operatio. Sed humana natura in Christo fuit instrumentum divinae: ut supra * dictum est. Ergo eadem operatio est divinae et humanae naturae γ in Christo.

(* Qu. II, art. 6, arg. 4; qu. VII, art. 1, ad 3; qu. VIII, art. 1, ad 1; qu. XVIII, art. 1, ad 2.)

3. Praeterea, cum in Christo duae naturae in una hypostasi vel persona sint, necesse est unum et idem esse quod pertinet ad hypostasim vel personam. Sed operatio pertinet ad hypostasim vel personam: nihil enim operatur nisi suppositum subsistens; unde et, secundum Philosophum *, *actus sunt singularium.* Ergo in Christo est una et eadem operatio divinitatis et humanitatis.

(* *Metaphys.*, lib. I, cap. 1, n. 6; s. Th. lect. 1. - Cf. lib. IV, cap. II, n. 12; s. Th. lib. V, lect. III.)

4. Praeterea, sicuti esse est hypostasis subsistentis, ita etiam et operari. Sed propter unitatem hypostasis est in Christo unum esse, ut supra * dictum est. Ergo et propter eandem unitatem est in Christo una operatio.

(* Qu. XVII, art. 2.)

5. Praeterea, ubi est unum operatum, ibi est una operatio. Sed idem operatum erat divinitatis et humanitatis: sicut sanatio leprosi *, vel suscitatio mortui *. Ergo videtur quod in Christo sit una tantum operatio divinitatis et humanitatis.

(* Matth. cap. VIII, vers. 3. — * Matth. cap. IX, vers. 25; Luc. cap. VII, vers. 14, 15; Ioan. cap. XI, vers. 43, 44.)

Sed contra est quod Ambrosius, in II libro *ad Gratianum Imperatorem* *, dicit: *Quem ad modum eadem operatio diversae est potestatis? Numquid sic potest minor quemadmodum maior operari? Aut una operatio potest esse ubi diversa est substantia?*

(* *De Fide, ad Grat.*, lib. II, cap. VIII, al. cap. IV.)

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est δ, haeretici qui posuerunt in Christo unam voluntatem, posuerunt etiam in ipso unam operationem. Et ut eorum opinio erronea melius intelligatur, considerandum est quod, ubicumque sunt plura agentia ordinata, inferius movetur a superiori: sicut in homine corpus movetur ab anima, et inferiores vires a ratione. Sic igitur actiones et motus inferioris principii sunt magis operata quaedam quam operationes: id autem quod pertinet ad supremum principium, est proprie operatio. Puta si dicamus in homine quod ε ambulare, quod est pedum, et palpare, quod est manuum, sunt quaedam hominis operata, quorum unum operatur anima per pedes, aliud per manus: et quia est eadem anima operans per utrumque, ex parte ipsius operantis, quod est primum principium movens, est una et indifferens operatio; ex parte autem ipsorum operatorum differentia invenitur. Sicut autem in homine puro corpus movetur ab anima, et appetitus sensitivus a rationali, ita in Domino Iesu Christo humana natura movebatur et regebatur a divina. Et ideo dicebant quod eadem est operatio et indifferens ex parte ipsius divinitatis operantis sunt tamen diversa operata, inquantum scilicet divinitas Christi aliud agebat per seipsam, sicut quod *portabat omnia verbo virtutis suae* *; aliud autem per naturam humanam, sicut quod corporaliter ambulabat. Unde in Sexta Synodo * inducuntur verba Severi haeretici sic dicentis:

(* Qu. praeced., art. 1. — * *Ad Heb.*, cap. I, vers. 3. — * Constantinop. III, act. X.)

α) *et humanitatis.* – Om. ABCI.
β) *humanatum.* – P; *humanatus.*
γ) *naturae.* – F et tertia praeter G; om.
δ) *sicut supra dictum est.* – E; *supra dicti* P, *sicut supra dicti* ceteri.
ε) *quod.* – Tertia; om.

Ea quae agebantur et operabantur ab uno Christo, multum differunt. Quaedam enim sunt Deo decibilia: quaedam humana. Veluti, corporaliter vadere super terram profecto humanum est: cruribus vero vexatis, et ambulare super terram penitus non valentibus, sanum gressum donare Deo decibile est. Sed unum, scilicet incarnatum Verbum, hoc et illud operatum [ζ] *est: et nequaquam hoc quidem huius, hoc vero huius est naturae. Neque, eo quod diversa sunt operamenta, ideo duas operatrices naturas atque formas iuste definiemus.*

Sed in hoc decipiebantur. Quia actio eius quod [η] movetur ab altero, est duplex: una quidem quam habet secundum propriam formam; alia autem quam habet secundum quod movetur ab alio. Sicut securis operatio secundum propriam formam est incisio: secundum autem quod movetur ab artifice, operatio eius est facere scamnum. Operatio igitur quae est alicuius rei secundum suam formam, est propria eius; nec pertinet ad moventem, nisi secundum quod utitur huiusmodi re ad suam operationem: sicut calefacere est propria operatio ignis; non autem fabri, nisi quatenus utitur igne ad calefaciendum ferrum. Sed illa operatio quae est rei solum secundum quod movetur ab alio, non est alia praeter operationem moventis ipsum: sicut facere scamnum non est seorsum operatio securis ab operatione artificis [θ]. Et ideo, ubicumque movens et motum habent diversas formas seu virtutes operativas, ibi oportet quod sit alia propria operatio moventis, et alia propria operatio moti: licet motum participet operationem moventis, et movens utatur operatione moti, et sic utrumque agit [ι] cum communione alterius.

Sic igitur in Christo humana natura habet propriam formam et virtutem per quam operatur, et similiter divina. Unde et humana natura habet propriam operationem distinctam ab operatione divina [κ], et e converso. Et tamen divina natura utitur operatione naturae humanae sicut operatione sui instrumenti: et similiter humana natura participat operationem divinae naturae, sicut instrumentum participat operationem principalis agentis. Et hoc est quod dicit Leo Papa, in Epistola *ad Flavianum* *: *Agit utraque forma,* scilicet tam natura divina quam humana in Christo, *cum alterius communione, quod proprium est: Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est.*

* Epist. XXVIII, al. X, cap. iv.

Si vero esset una tantum operatio divinitatis et humanitatis in Christo, oporteret dicere vel quod humana natura non haberet propriam formam et virtutem (de divina enim hoc dici est impossibile), ex quo sequeretur quod in Christo esset tantum divina operatio: vel oporteret dicere quod ex virtute divina et humana esset conflata in Christo una virtus. Quorum utrumque est impossibile: nam per primum horum ponitur natura humana in Christo esse imperfecta; per secundum vero ponitur confusio naturarum.

Et ideo rationabiliter in Sexta Synodo haec opinio est condemnata: in cuius determinatione dicitur *: *Duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inconfuse* [λ], *inseparabiliter, in eodem Domino Iesu Christo, vero Deo nostro, glorificamus,* hoc est, divinam operationem et humanam.

* Act. xviii.

Ad primum ergo dicendum quod Dionysius ponit in Christo operationem *theandricam,* idest *divinam-virilem,* vel *divinam-humanam,* non per aliquam confusionem operationum seu virtutum utriusque naturae, sed per hoc quod divina operatio eius utitur humana eius operatione [μ], et humana operatio participat virtutem divinae operationis. Unde, sicut ipse dicit in quadam Epistola [ν] *, *super hominem operabatur ea quae sunt hominis: quod monstrat Virgo supernaturaliter concipiens, et aqua terrenorum pedum sustinens gravitatem.* Manifestum est enim quod concipi est humanae naturae, similiter et ambulare: sed utrumque fuit in Christo supernaturaliter. Et similiter divina operabatur humanitus: sicut cum sanavit leprosum tangendo *. Unde in eadem Epistola subdit: *Sed* [ξ]*, Deo homine facto, nova quadam Dei et hominis operatione.*

* Epist. IV, *ad Caium.*

* Matth. cap. viii, vers. 3.

Quod autem intelligat [ο] duas esse operationes in Christo, unam divinae naturae, aliam autem humanae, patet ex his quae dicit in ii cap. *de Div. Nom.* *, ubi dicit quod *his,* quae pertinent ad humanam eius operationem, *Pater et Spiritus Sanctus nulla ratione communicant: nisi quis dixerit secundum benignissimam et misericordem voluntatem,* inquantum scilicet Pater et Spiritus Sanctus ex sua misericordia voluerunt Christum agere et pati humana. Addit autem: *et omnem* [π] *sublimissimam et ineffabilem Dei operationem quam operatus est secundum nos factus incommutabilis eo quod Deus et Dei Verbum.* Sic igitur patet quod alia est eius operatio humana, in qua Pater et Spiritus Sanctus non communicant nisi secundum acceptationem misericordiae [ρ] suae: et alia est eius operatio inquantum est Dei Verbum, in qua communicant Pater et Spiritus Sanctus.

* S. Th. lect. iii.

ζ) *unum... operatum.* – *unus... operatum* F, *unus... operatus* tertia. Porro *definiemus* FI; *deferimus* PG*b*, *deferemus* ceteri.

η) *quod.* – PFG*a*; *a quo (movebatur)* I, *quo* ceteri.

θ) *artificis.* – *sed securis participat instrumentaliter operationem artificis* addunt EF et tertia praeter I.

ι) *agit.* – *agat* P.

κ) *divina.* – *divinae* P.

λ) *inconfuse.* – PI; *et confuse bc, et inconfuse* ceteri. – Post *humanam* tertia addit *operationem.*

μ) *eius operatione.* – Om. tertia. – Pro *operatio, operatio eius* I, *eius operatio* cetera tertia.

ν) *Epistola.* – *ad Gaium* addit F, *ad Caium* addit P. – Post *et aqua* P addit *instabilis.*

ξ) *Sed.* – *Non* (*Nunc* E) *secundum Deum divina faciens* (*patiens* E) *non* (*nunc* E) *humana secundum hominem, sed* E et tertia. – Porro *quadam* PI; *quaedam.*

ο) *intelligat.* – *intellexit* FI*bc*, *intellexerit* PG.

π) *omnem.* – P; *per omnem* I, om. FsC, *operationem* ceteri. – Pro *secundum nos, servos* AC, *servus* B*b*, *super nos* E; P legit: *operationem quam homo pro nobis factus adimplevit immutabilis profecto Deus et Dei Verbum.*

ρ) *misericordiae.* – Tertia; *veritatis* F, *mentis* ceteri.

Ad secundum dicendum quod instrumentum dicitur aliquid ex eo [σ] quod movetur a principali agente: quod tamen, praeter hoc, potest habere propriam operationem secundum suam formam, ut de igne dictum est *. Sic igitur actio instrumenti inquantum est instrumentum, non est alia ab actione principalis agentis: potest tamen habere aliam operationem prout est res quaedam. Sic igitur operatio quae est humanae naturae in Christo, inquantum est instrumentum divinitatis, non est alia ab operatione divinitatis: non enim est alia salvatio qua salvat humanitas Christi, et divinitas eius. Habet tamen humana natura in Christo, inquantum est natura quaedam, quandam propriam operationem praeter divinam, ut dictum est *.

* In corpore.
* Ibid.

Ad tertium dicendum quod operari est hypostasis subsistentis, sed secundum formam et naturam, a qua operatio speciem recipit *. Et ideo a diversitate formarum seu naturarum est diversa species operationum: sed ab unitate hypostasis est unitas secundum numerum quantum ad operationem speciei. Sicut ignis habet duas operationes specie differentes, scilicet illuminare et calefacere, secundum differentiam lucis et caloris: et tamen est una numero illuminatio ignis semel illuminantis. Et similiter in Christo oportet quod sint duae operationes specie differentes, secundum eius duas naturas: quaelibet tamen operationum est una numero in Christo, semel facta, sicut una ambulatio et una sanatio.

* D. 946.

Ad quartum dicendum quod esse et operari est personae a natura [τ], aliter tamen et aliter. Nam esse pertinet ad ipsam constitutionem personae: et sic quantum ad hoc se habet in ratione termini. Et ideo unitas personae requirit unitatem ipsius esse completi et personalis. Sed operatio est quidam effectus personae secundum aliquam formam vel naturam. Unde pluralitas operationum non praeiudicat unitati personali.

Ad quintum dicendum quod aliud est proprium operatum operationis divinae, et operationis humanae in Christo: sicut operatum proprium divinae operationis est sanatio leprosi, operatum autem proprium humanae naturae est eius contactus. Concurrunt tamen ambae operationes ad unum operatum secundum quod una natura agit cum communione alterius, ut dictum est *.

* In corpore.

σ) *ex eo.* – *agere ex eo* P.

τ) *a natura.* – *et naturae* G.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus articuli praesentis et sequentis accurata eget annotatione sui sensus. Nam, cum *unum* multipliciter dicatur, consequens est ut *operatio una* multipliciter dicatur. In proposito autem, ut Auctor ipse in hoc articulo insinuat et in sequenti aperte testatur, sermo est de operationis unitate secundum principium activum, non quodcumque, sed proprium, hoc est, virtute propria agens. Ita quod operatio una appellatur quae est ab uno tantum activo principio virtute propria. Et si a pluribus activis principiis secundum suas proprias virtutes est, non est operatio una. Perinde ergo est quaerere an divinitatis et humanitatis in Christo sit una tantum operatio, ac si quaereretur an in Christo sit unum tantum principium operandi virtute propria: sive illud sit sola divinitas; sive compositum quid ex humanitate et divinitate; sive sola humanitas, quod tamen nullus unquam opinatus est credens incarnati Verbi mysterium.

Est autem movendi hunc articulum ratio et haeresis ponentium in Christo unam naturam compositam ex deitate et humanitate, quoniam consequenter poneretur una tantum confusa operatio in Christo, quia poneretur in eo unum tantum principium virtute propria activum, scilicet natura illa tertia confusa: et, multo magis, haeresis ponentium in Christo solam deitatem esse activam virtute propria, humanitatem vero esse purum instrumentum sine propria virtute, quales fuerunt subtrahentes Christo voluntatem humanam, vel eius actum; quoniam, secundum hoc, in Christo consequenter poneretur deitatis et humanitatis una tantum operatio, iuxta unitatem activi principii proprii. At si in Christo deitas agit virtute propria, et humanitas agit etiam virtute propria, quamvis co-agat simul deitati, non est deitatis et humanitatis in Christo operatio una tantum, sed est una et multae. Verbi gratia, dum Christus sanavit infirmum tangendo *, si fuit in illo opere aliquis actus causatus ab humanitate virtute propria, et aliquis causatus a divinitate virtute propria, operatio illa non est una tantum, sed est una et multae: una quidem, puta sanatio, quia virtute propria deitatis, et ab humanitate instrumentaliter est; duae vero, quia adiungitur dictae operationi operatio quae est ab humanitate virtute propria, dum sanationi coniungitur voluntaria contactio. Sanatio enim una operatio est a deitate per humanitatem: contactus autem voluntarius poneretur humana operatio, a propria humanitatis virtute. Si autem sola deitas propria virtute operari ponatur, et humanitas solum ut pure exequens principalis agentis virtutem poneretur, una tantum operatio inveniretur in huiusmodi curatione. – Haec de titulo.

* Cf. resp. ad 1 et ad 5.

II. In corpore articuli, primo recitatur simul et declaratur haereticorum positio, cum fundamento; secundo, ostenditur radix erroris eorum; tertio, respondetur quaesito, ibi, *Et ideo ubicumque movens et motum.*

Quoad primum, erronea conclusio est: *In Christo est una tantum operatio, licet sint multa operata.* Probatur, quia unum tantum est in Christo principium activum, scilicet deitas: humanitas autem instrumentaliter se habet. Declaratur haec et in anima respectu organorum corporeorum; et respectu virium sensitivarum.

Quoad secundum, radix errandi ponitur, quia non distinxerunt operationem instrumenti per propriam formam, vel per participationem agentis. Declarantur haec in artificialibus, artifice et serra; et in naturalibus, scilicet igne respectu artis. Quod potes declarare tu respectu animae vegetativae, cuius instrumentum ponitur ignis in augmento: ut patet in II *de Anima* *, contra Empedoclem. Indistinctio igitur operationum, et communio agentium, quia principale utitur propria operatione instrumenti et instrumentum participat operationem propriam principalis, errandi occasio fuit.

* Cap. IV, n. 8. – S. Th. lect. VIII.

Quoad tertium, conclusio est: *In Christo sunt duae operationes.* Probatur primo, ratione ostensiva. Secundo, auctoritate Leonis. Tertio, ducendo ad impossibile. Quarto, definitione Synodi. Omnia clara sunt in littera.

III. In responsione ad quartum, adverte et perspice sensum litterae ponentis differentiam inter esse et operari respectu naturae et personae. Ponitur siquidem primo utriusque convenientia, in hoc quod utrumque, hoc est tam esse quam operari, est personae a natura: ita quod utrumque habet naturam pro principio, et personam pro subiecto quod est, quod operatur. Deinde subditur diffe-

rentia inter utrumque. Quia in constitutione personae a natura, esse se habet ut terminus: quia spectat ad ipsam personae constitutionem ut propria actualitas eius; persona enim nihil aliud est quam natura deducta ad hoc quod sit proprie id quod est. Et hinc provenit ut unitas personae exigat unitatem esse: oportet namque constitutionem unius personae ad unum tantummodo terminum compleri. Operatio vero non sic se habet. Non enim natura, constituendo personam, dat operari, sicut dat esse: sed persona iam existens profert, mediante natura, operationem. Et ideo unitas personae non exigit unitatem operationis. Ubi vides quod esse immediate in persona a natura est: operari vero iam constituta persona habet a natura, ipsa mediante natura. Habet enim operatio naturam et ut principium, et ut susceptivum proximum, saltem mediante potentia: personam autem ut primum operans ut quod. Esse vero naturam habet ut principium quo tantum: et personam ut immediatum subiectum quod est.

* Qu. xvii, art. 2.- Cf. Comment. num. xiii.

Eadem ergo est doctrina hic et superius * tradita. Non enim docemur hic quod esse sit de intrinseco intellectu personae: sed quod *pertinet ad constitutionem personae.* Et vere sic est. Quoniam constitutio personae est constitutio ipsius esse. Tum quia non alia constitutione fit persona, et alia fit esse: sed una et eadem. Tum quia ad hoc constituitur persona ut sit: quod est dictu constitutionem personae terminari ad esse, tanquam ad ipsi personae propriam, immediatam, ultimamque actualitatem, infra latitudinem sui generis, scilicet substantiae.

IV. In responsione ad quintum, vide, Novitie, quod cum propriis operatis singularium operationum, divinae scilicet et humanae, stare dicitur unitatem operati respectu utriusque: non per viam proprietatis, quia hoc repugnat his quae nunc immediate dicta sunt; sed per viam *concursus* seu *communionis.* Nunquam enim operatum proprium unius operationis est operatum proprium alterius, ut in principio responsionis docemur: sed operatum proprium unius potest esse operatum commune sibi et alteri operationi; ut sanatio leprosi est proprium operatum divinae operationis, et cum hoc est commune operatum dictae divinae operationi et humano contactui participanti divinam operationem; ut in calce responsionis docemur.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM IN CHRISTO SINT PLURES HUMANAE OPERATIONES

* Vid Comment. super art. praec., num. i.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod in Christo sint plures humanae operationes *. Christus enim, inquantum homo, communicat cum plantis in natura nutritiva, cum animalibus autem in natura sensitiva, cum angelis vero in natura intellectiva, sicut et ceteri homines. Sed alia est operatio plantae inquantum est planta, et alia animalis inquantum est animal. Ergo Christus, inquantum est homo, habet plures operationes.

2. PRAETEREA, potentiae et habitus distinguuntur secundum actus. Sed in anima Christi fuerunt diversae potentiae et diversi habitus. Ergo diversae operationes.

3. PRAETEREA, instrumenta debent esse proportionata operationibus. Corpus autem humanum habet diversa membra differentia secundum formam. Ergo diversis operationibus accommodata [α]. Sunt igitur in Christo diversae operationes secundum humanam naturam.

* De Fide Orth., lib. III, cap. xv, xvi. - Cf. lib. II, cap. xxiii.

SED CONTRA EST quod Damascenus dicit, in III libro *: *Operatio sequitur naturam.* Sed in Christo est tantum una humana natura. Ergo in Christo fuit tantum una operatio humana [β].

* Cf. Aristot. Ethic. lib. X, cap. vii, n. 9. - S.Th. lect. xi.

RESPONDEO DICENDUM quod, quia homo est id quod est secundum rationem *, illa operatio dicitur esse simpliciter humana quae a ratione procedit per voluntatem, quae est rationis appetitus. Si qua autem operatio est in homine quae non procedit a ratione et voluntate, non est simpliciter operatio humana, sed convenit homini secundum aliquam partem humanae naturae: quandoque quidem secundum ipsam naturam elementi corporalis, sicut ferri deorsum; quandoque vero secundum virtutem animae vegetabilis, sicut nutriri et augeri; quandoque vero secundum partem sensitivam, sicut videre et audire, imaginari et memorari, concupiscere et irasci. Inter quas operationes est differentia. Nam operationes animae sensitivae sunt aliqualiter obedientes rationi: et ideo sunt aliqualiter rationales et humanae, inquantum scilicet obediunt rationi, ut patet per Philosophum, in I *Ethic.* * Operationes vero quae sequuntur animam vegetabilem, vel etiam naturam elementalis [γ] corporis, non subiiciuntur rationi: unde nullo modo sunt rationales, nec humanae simpliciter, sed solum secundum partem humanae naturae.

* Cap. xiii, n. 15 sqq. - S. Th. lect. xx.

* Art. praeced.

Dictum est autem supra * quod quando agens inferius agit per propriam formam, tunc est alia operatio inferioris agentis et superioris: quando vero agens inferius non agit nisi secundum quod est motum a superiori agente, tunc est eadem operatio superioris agentis et inferioris. Sic igitur in quocumque homine puro alia est operatio elementalis [δ] et animae vegetabilis ab operatione voluntatis, quae est proprie humana. Similiter etiam operatio animae sensitivae quantum ad id quod non movetur a ratione: sed quantum ad id quod movetur a ratione, est eadem operatio partis sensitivae et rationalis. Ipsius autem animae rationalis est una operatio, si attendamus ad ipsum principium operationis, quod est ratio vel voluntas: diversificatur autem secundum respectum ad diversa obiecta; quam quidem diversitatem aliqui appellaverunt diversitatem *operatorum,* magis quam operationum, iudicantes de unitate operationis solum ex parte operativi principii; sic enim nunc quaeritur de unitate vel pluralitate operationum in Christo.

Sic igitur in quolibet puro homine est tantum una operatio quae proprie humana dicitur: prae-

α) *accommodata. — debent esse accommodata* F et tertia.
β) *humana.* — Pc; om.
γ) *elementalis. — elementaris* PEIsF et *ab.*
δ) *elementalis. — elementaris* EGIb, *elementalis corporis* F, *elementaris corporis* P.

ter quam tamen sunt in homine puro quaedam aliae operationes, quae non sunt proprie humanae, sicut dictum est. Sed in homine Iesu Christo nullus erat motus sensitivae partis qui non esset ordinatus a ratione. Ipsae etiam operationes naturales et corporales aliqualiter ad eius voluntatem pertinebant, inquantum voluntatis eius erat *ut caro eius ageret et pateretur quae sunt sibi propria*, ut dictum est supra *. Et ideo multo magis est una operatio in Christo quam in quocumque alio homine.

* Qu. XVIII, art. 5. - Ex Damasceno.

Ad primum ergo dicendum quod operatio partis sensitivae et nutritivae non est proprie humana, sicut dictum est *. Et tamen in Christo huiusmodi operationes fuerunt magis humanae quam in aliis.

* In corpore.

Ad secundum dicendum quod potentiae et habitus diversificantur per comparationem ad obiecta: et ideo diversitas operationum hoc modo respondet diversis potentiis et habitibus sicut etiam respondet diversis obiectis. Talem autem diversitatem operationum non intendimus excludere ab humanitate Christi, sicut nec eam quae est secundum aliud tempus [ε]: sed solum illam quae est secundum primum principium activum, ut dictum est [ζ] *.

* Ibid.

ε) *tempus.* – *et aliud tempus* Ec, *et aliud instrumentum* P; cf. ζ.
ζ) *est.* – *Unde patet responsio ad tertium* addit P; in G sequitur spatium vacuum sex linearum; margo, a scriptore ut videtur: *hic deficit solutio tertii argumenti quam nus*(-*quam* recisum) *reperi in aliquo exemplari*; margo E a manu antiqui correctoris: *deficit responsio ad 3 in exemplari.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus ex praecedenti clarus est. – In corpore tria fiunt. Primo, declaratur in communi quid et quae sit operatio humana vel non humana: et similiter una vel multae. – Secundo *, declarantur haec eadem in puro homine, applicando ad purum hominem communiter praedicta. – Tertio *, applicando ad Christum, respondetur quaesito unica conclusione: *In Christo est una humana operatio, multo magis quam in quocumque homine.*

* Cf. num. IV.
* Cf. num. V.

II. Quoad primum, quia titulus duos terminos claudit, scilicet *operationem humanam,* et *unitatem vel pluralitatem,* ideo Auctor primo operationem elucidat humanam; et deinde illius unitatem vel multitudinem in communi. Dicit ergo tria.

Primum. Operatio humana simpliciter est quae a ratione procedit secundum voluntatem: quia homo est homo per rationem. Et, per oppositum, reliquae operationes attributae homini non humanae nisi secundum partem sunt. Et sunt triplicis ordinis: scilicet ex natura elementi, ex anima vegetativa, ex anima sensitiva.

Secundum. Differentia inter operationes hominis secundum partem naturae humanae est quod quaedam sunt participative quandoque humanae, ut quae sunt partis sensitivae: et quaedam non, ut quae sunt partis vegetabilis et elementaris.

Tertium. Subordinatorum agentium propriis virtutibus operationes sunt multae: agentium vero una virtute una est operatio.

III. Nota hic duo. Primo quod, quia ratio, ut dicitur IX *Metaphys.* *, est ad opposita, et ab electione, quae est actus voluntatis, determinatur, ideo ratio et voluntas pro unico principio operationis humanae computatur: et idem est operationem esse a ratione, et a voluntate, quae est appetitus rationis determinativus.

* S. Th. lect. II, IV. - Did. lib. VIII, cap. II, n. 2; cap. V, n. 3.

Secundo quod, cum in littera dicitur operationem hominis non procedentem a voluntate convenire homini secundum aliquam partem humanae naturae, et subdistinguitur pars humanae naturae in elementarem, vegetabilem et sensibilem, dubium surgit de primo actu intellectus, qui est hominis, et non a voluntate nec ab aliqua harum partium. Unde dupliciter potest intelligi littera praesens. Primo, ut sit sermo de *genere* operationis: ita quod sensus est: *Si quod genus operationis est conveniens homini,* etc. Et tunc caret scrupulo littera. Quia, licet inveniatur in homine aliqua operatio non a voluntate nec secundum illas partes numeratas in littera, ut primus actus intellectus, quem oportet esse naturalem, utpote ante omnem actum voluntatis: non tamen invenitur aliquod genus operationis in homine quod non sit a voluntate aut ab aliqua nominatarum partium. Intelligere enim hominis, secundum suum genus, est a voluntate: quamvis prima intellectio sit excepta.

Alio modo potest intelligi ut littera intelligatur ut sonat: scilicet quod operatio hominis non a voluntate, non est simpliciter humana, sed convenit homini secundum aliquam partem humanae naturae, et hic terminetur sententia; ita quod sequens distinctio non apponatur ut evacuativa partis humanae naturae, sed ut narrativa partium humanae naturae opportunarum ad propositum. Dico autem hoc, quia inter partes humanae naturae est computanda intellectiva pars ut natura: sicut sensitiva, vegetativa et elementaris. Et sic multo magis, sine ulla glossa, littera caret scrupulo. Quia primus actus intellectus non est proprie humanus: et convenit homini secundum partem intellectivam humanae naturae. Sequitur enim actus ille ad partem intellectivam ut natura quaedam est, sicut ad grave sequitur moveri deorsum: uterque enim motus est a generante, deductis impedimentis. Et pars intellectiva, ut natura sumpta, optime distinguitur contra rationem appetitu determinatam ad operandum, sicut agens naturale contra agens a proposito, ut patet.

IV. Quoad secundum *, conclusio est: *In quolibet puro homine est tantum una operatio humana, multae autem non humanae.* Declaratur discurrendo singillatim per quatuor enumeratas partes humanae naturae: scilicet elementarem, vegetabilem, sensitivam et rationalem. Nam ex elementari et vegetabili patet secunda pars conclusionis: quia alia et alia est operatio harum partium, et voluntatis. Ex sensitiva vero, distinguendo proprium a participato, patet quod secundum propria habet etiam aliam operationem: participative autem unamet est ipsius et voluntatis operatio. Ex rationali autem, distinguendo, seu replicando, de quali unitate operationis est sermo, scilicet penes unitatem principii propria virtute, habetur quod una tantum est operatio humana in uno homine (quae est prima pars conclusionis), quia unum tantum est humanum principium, scilicet voluntas: quamvis diversitas sit operationum humanarum penes obiecta, quae vocatur *penes operata* a quibusdam. Ex quibus omnibus patet quod sequitur conclusio quoad utramque sui partem. Nam ex hoc quod nulla pars humanae naturae multiplicat operationem humanam in uno puro homine, habetur quod una tantum est operatio humana in uno homine: et ex eo quod in eodem secundum diversas humanae naturae partes multiplicantur operationes non humanae, habetur quod, praeter humanam operationem, sunt in uno puro homine multae operationes non humanae.

* Cf. num. I.

Notato hic quod hinc apparet non esse hic sermonem de unitate numerali, aut pure specifica operationis: cum clare constet in uno eodemque homine esse, diversis temporibus, humanas operationes multas secundum numerum ab eodem principio activo humano. Sed quia omnis humana operatio in uno homine ab eodem est humano prin-

cipio, una dicitur unitate formali sui activi principii: et unitate nihilominus numerali in omni subordinato principio sibi obsequente; una enim numero est moderatio humani motus a voluntate, concupiscentia ac lingua seu manu, et simile est de aliis. Distinctio autem specifica, vel etiam generica, operationum humanarum penes obiecta, de qua in praecedentibus Libris tractatum et discussum est in processu materiae moralis, extra praesens propositum est, ut patet in littera.

* Cf. num. 1.

V. Quoad tertium *, conclusio est: *Multo magis est una operatio in Christo quam in quocumque alio homine.* Probatur. Quia et operationes elementares et vegetativae aliqualiter voluntariae erant, et sensitivae nullus erat motus non ordinatus a ratione: quorum opposita in homine puro multiplicant operationes.

Adverte hic, primo, quod omnis motus partis sensitivae in Christo dicitur ordinatus a ratione, pro quanto voluntas rationalis in Christo volebat motus naturales partis sensitivae in se esse usque ad tales terminos, et non amplius.

Adverte secundo, quod motus naturales partis vegetativae et elementaris dicuntur in Christo voluntarii voluntate humana et approbative, ut patet; et causaliter, seu imperative, pro quanto subditi erant voluntati humanae Christi ut voluntas eius erat instrumentum divinitatis. His enim duobus modis verificatur de voluntate humana Christi quod esuriit, sitivit, etc., voluntarie.

Adverte tertio, quod Auctor non concludit in Christo esse unam tantum operationem humanae naturae: sed, cum monstrasset in quolibet puro homine inveniri operationem quidem humanam unam tantum, operationes autem naturae humanae secundum diversas partes multas, intulit in Christo non solum esse operationem humanam unam sicut in ceteris hominibus, sed reliquas partium naturae humanae operationes in Christo ad illud unum principium operationis humanae reduxit, ostendendo eas esse voluntarias. Ac per hoc, ad unitatem reduxit, non simpliciter, quia ex propriis activis principiis emanant vegetativae et elementares, sed quodam modo, quatenus scilicet sunt voluntariae. Et ideo comparativam conclusit: *Multo magis est una operatio in Christo quam in quocumque alio homine.*

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM ACTIO HUMANA CHRISTI POTUERIT EI ESSE MERITORIA

III *Sent.*, dist. XVIII, art. 2 sqq.; *De Verit.*, qu. XXIX, art. 6; *Compend. Theol.*, cap. CCXXXI.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod actio humana Christi non potuit ei esse meritoria. Christus enim ante mortem fuit comprehensor, sicut et modo est. Sed comprehensoris non est mereri: caritas enim comprehensoris pertinet ad praemium beatitudinis, cum secundum eam attendatur fruitio; unde non videtur esse principium merendi, cum non sit idem meritum et praemium. Ergo Christus ante passionem non merebatur: sicut nec modo meretur.

2. PRAETEREA, nullus meretur id quod est sibi debitum. Sed ex hoc quod Christus est Filius Dei per naturam, debetur sibi hereditas aeterna, quam alii homines per bona opera merentur. Non ergo Christus aliquid sibi mereri potuit, qui a principio fuit Filius Dei.

3. PRAETEREA, quicumque habet id quod est principale, non proprie meretur id quod ex illo habito sequitur. Sed Christus habuit gloriam animae, ex qua secundum communem ordinem sequitur gloria corporis, ut Augustinus dicit, in
* Ep. CXVIII, al. LVI, cap. III.
Epistola *ad Dioscorum* *: in Christo tamen dispensative factum est quod gloria animae non derivaretur ad corpus. Non ergo Christus meruit gloriam corporis.

4. PRAETEREA, manifestatio excellentiae Christi non est bonum ipsius Christi, sed eorum qui eum cognoscunt: unde et pro praemio promittitur dilectoribus Christi ut eis manifestetur, se-
* Vers. 21.
cundum illud Ioan. XIV *: *Si quis diligit me, diligetur a Patre meo: et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Ergo Christus non meruit manifestationem suae altitudinis.

SED CONTRA EST quod Apostolus dicit, *Philipp.*
* Vers. 8, 9.
II *: *Factus est obediens usque ad mortem: propter quod et Deus exaltavit illum.* Meruit ergo obediendo suam exaltationem: et ita aliquid sibi meruit.

RESPONDEO DICENDUM quod habere aliquod bonum per se est nobilius quam habere illud per aliud: *semper* enim *causa quae est per se, potior est ea quae est per aliud,* ut dicitur in VIII *Physic.* * * Cap. v, n. 7. – S. Th. lect. IX.
Hoc autem dicitur aliquis habere per seipsum, cuius est sibi aliquo modo causa. Prima autem causa omnium bonorum nostrorum per auctoritatem est Deus: et per hunc modum nulla creatura habet aliquid boni per seipsam, secundum illud I *Cor.* IV *: *Quid habes quod non accepisti?* * Vers. 7.
Potest tamen secundario aliquis esse causa sibi alicuius boni habendi: inquantum scilicet in hoc ipso [α] Deo cooperatur. Et sic ille qui habet aliquid per meritum proprium, habet quodammodo illud per seipsum. Unde nobilius habetur id quod habetur per meritum quam id quod habetur sine merito.

Quia autem omnis perfectio et nobilitas Christo est attribuenda, consequens est quod ipse per meritum habuit illud quod alii per meritum habent, nisi sit tale quid cuius carentia magis dignitati Christi et perfectioni praeiudicet quam per meritum accrescat. Unde nec gratiam, nec scientiam, nec beatitudinem animae, nec divinitatem meruit: quia, cum meritum non sit nisi eius quod nondum habetur *, oportet quod Chri- * D. 887.
stus aliquando istis caruisset; quibus carere magis diminuit dignitatem Christi quam augeat meritum. Sed gloria corporis, vel si quid aliud huiusmodi est, minus est quam dignitas merendi, quae pertinet ad virtutem caritatis. Et ideo dicendum est quod Christus gloriam corporis, et ea quae pertinent ad exteriorem eius excellentiam, sicut est ascensio, veneratio, et alia huius-

---

α) *ipso.* – *ipse* GI, *ipsi* sF.

modi, habuit per meritum. Et sic patet quod aliquid sibi mereri potuit.

Ad primum ergo dicendum quod fruitio, quae est actus caritatis, pertinet ad gloriam animae, quam Christus non meruit. Et ideo, si per caritatem aliquid meruit, non sequitur quod idem sit meritum et praemium. Nec tamen per caritatem meruit inquantum erat caritas comprehensoris, sed inquantum erat viatoris: nam ipse fuit simul viator et comprehensor, ut supra * habitum est. Et ideo, quia nunc non est viator, non est in statu merendi *.

* Qu. xv, art. 10.
* D. 889.

Ad secundum dicendum quod Christo, secundum quod est Deus et Dei Filius per naturam, debetur gloria divina et dominium omnium sicut primo et supremo Domino. Nihilominus tamen debetur ei gloria sicut homini beato: quam quantum ad aliquid debuit habere sine merito, et quantum ad aliquid cum merito, ut ex supra * dictis patet.

* In corpore.

Ad tertium dicendum quod redundantia gloriae ex anima ad corpus est ex divina ordinatione secundum congruentiam humanorum meritorum [β]: ut scilicet, sicut homo meretur per actum animae quem exercet in corpore, ita etiam remuneretur per gloriam animae redundantem ad corpus. Et propter hoc non solum gloria animae, sed etiam gloria corporis cadit sub merito: secundum illud *Rom.* VIII *: *Vivificabit mortalia corpora nostra, propter inhabitantem Spiritum eius in nobis.* Et ita potuit cadere sub merito Christi.

* Vers. 11.

Ad quartum dicendum quod manifestatio excellentiae Christi pertinet ad bonum eius secundum esse quod habet in notitia aliorum: quamvis principalius pertineat ad bonum eorum qui eum cognoscunt secundum esse quod habent in seipsis. Sed hoc ipsum refertur ad Christum, inquantum sunt eius membra.

β) *meritorum.* – *alias actuum* margo P.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore duae sunt conclusiones. Prima est: *Christus habuit per meritum quidquid alii habent per meritum, nisi sit tale cuius meritum deroget dignitati Christi.* – Secunda est directe responsiva quaesito: *Christus potuit aliquid sibi mereri.*

Prima conclusio habet duas partes. Et quoad primam, probatur. Habere aliquod bonum per se est nobilius quam habere illud per alium. Sed habere per proprium meritum est habere illud per se. Ergo habere per meritum est nobilius quam sine merito. Ergo Christus habuit per meritum quidquid alii habent per meritum. – Maior probatur. Quia causa per se potior est ea quae est per aliud. – Minor probatur, sane tamen exposita, quod intelligitur per se tanquam causam, non primam (quia illa est Deus, ut patet ex Apostolo), sed secundariam: quia est esse Dei cooperatorem. – Consequentia autem ultima probatur. Quia omnis perfectio et nobilitas est Christo attribuenda.

Quoad secundam vero partem, probatur conclusio distinguendo bona in duo genera: quaedam quorum quandoque absentia maiorem adimit perfectionem quam dignitas merendi ponat, ut gloria animae, scientia, gratia, unio personalis Verbi; quaedam quorum coaeva praesentia melior est dignitas merendi, ut gloria corporis, ascensio, veneratio. Stante siquidem distinctione, patet quod probata restat conclusionis secunda pars ex illa radice: *Omnis perfectio et nobilitas attribuenda est Christo.* Hinc siquidem sequitur et quod dignitas meriti attribuenda est sibi respectu bonorum tunc minorum dignitate merendi: et quod, respectu maiorum bonorum tunc dignitate merendi, non habuerit meritum. Specificantur autem in littera utraque bona: et probatur quod quaedam Chistus meruit, quia minora sunt quam dignitas merendi, quae pertinet ad virtutem caritatis.

Secunda autem conclusio, responsiva directe quaesito, non aliter probatur; sed ex prima, probata et explanata in specialibus bonis quae Christus meruit, relinquitur evidens.

II. Adverte hic quod, licet Auctor potuisset unico verbo expedire hanc quaestionem, dicendo quod, supposita absentia quorundum bonorum, quae de facto fuit in Christo, ut patet, ad dignitatem ipsius spectat quod habuerit illa per meritum, quia quod est per se, nobilius est quam quod per aliud: altius tamen Auctor orsus, monstrare voluit quare quaedam potuit mereri Christus, et quaedam non. Et ad hoc monstrandum, accepit hinc modum habendi, scilicet per meritum vel sine merito; et inde bonum quod haberi debet; et appendit utrumque in statera cum opposito alterius. Posuit enim in una parte modum habendi per meritum, cum absentia quandoque boni: et in altera parte, coaevam praesentiam boni, cum non-merito. Et, librando cuncta, quia invenit modum habendi per meritum cum absentia exteriorum bonorum, meliorem esse quam praesentiam eorundem sine merito, conclusit in Christo fuisse meritum respectu exteriorum bonorum. Et quia invenit praesentiam interiorum bonorum cum non-merito eorum, meliorem fore quam meritum eorundem, quod eorundem oportet habere absentiam, conclusit in Christo interiora bona fuisse sine merito. Hic processus est litterae, ut patet.

III. Sed remanet hic dubium circa rationem in littera redditam quare Christus meruit exteriora bona: quia scilicet dignitas merendi spectat ad caritatem, ac per hoc praestat exteriorum bonorum praesentiae coaevae. Nam secundum hanc rationem, Christus etiam meruit scientiam: quia scientia inferior est caritate, ad quam spectat dignitas meriti. In littera autem computatur scientia inter bona non sub merito Christi, quia derogaret dignitati Christi plus nescientia quandoque quam non-meritum scientiae.

Ad hoc dicitur quod scientia, tam beata quam infusa, quae in Christo excluditur a merito, clauditur infra latitudinem gratiae. Et de beata patet. De infusa autem persuadetur, ex eo quod comprehendit in se dona Spiritus Sancti, intellectum, sapientiam, scientiam, et consimilia, ut patet ex superiori tractatu de scientia infusa Christi *. Gratiae autem plenitudinis defectus in Christo maiorem tolleret a Christo perfectionem quam poneret modus habendi ex merito. Et propterea ratio litterae stat solida respectu exteriorum bonorum, nec habet locum respectu scientiae infusae.

* Qu. XI, art. 1.

IV. In responsione ad tertium eiusdem articuli, adverte responsionem consistere in distinctione maioris argumenti assumpti, scilicet, *Habito principali, accessorium non proprie cadit sub merito.* Distinguitur enim accessorium dupliciter: vel absolute; vel secundum congruentiam humanorum meritorum. De primo, transeat maior: sed de secundo, negatur. Gloria autem corporis est ad gloriam animae accessoria secundum congruentiam humanorum meritorum, ex divina ordinatione. Et ideo sub merito cadere potest.

V. In responsione ad quartum, collige debitum nostrum erga Christum. Nam si parentibus et benefactoribus debemus, secundum esse quod habent in nobis, et opinionem

bonam, et affectum benevolum, et actus reverentes, et verba honorabilia; quanto magis Creatori ac Redemptori nostro debemus ut in nobis esse habeat, tam in intellectu quam in affectu, quam in verbis et actibus, consone ad excellentiam suam, ad recepta beneficia, etc. Hoc enim est id solum quod retribuere illi possumus: quoniam secundum esse quod habet in seipso, nihil possumus ei dare aut tollere. In hoc namque esse quod in nobis habet, omnis cultus divinus consistit, et ad hoc ordinatur: in quo tota Dei gloria extra seipsum consistit.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CHRISTUS ALIIS MERERI POTUERIT

Part. I, qu. CXIV, art. 6; infra, qu. XLVIII, art. 1; II *Sent.*, dist. XX, qu. II, art. 3, ad 3; III, dist. XVIII, art. 6, qu[a] 1; *De Verit.*, qu. XXIX, art. 7; *Compend. Theol.*, cap. CCXXXI.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus aliis mereri non potuit. Dicitur enim Ezech. XVIII *: *Anima quae peccaverit ipsa morietur*. Ergo, pari ratione, anima quae meretur ipsa remunerabitur. Non est ergo possibile quod Christus aliis meruerit.

• Vers. 20.

2. PRAETEREA, *de plenitudine gratiae Christi omnes accipiunt,* ut dicitur Ioan. I *. Sed alii homines, habentes gratiam Christi, non possunt aliis mereri: dicitur enim Ezech. XIV * quod, *si fuerint in civitate Noe, Daniel et Iob, filium et filiam non liberabunt, sed ipsi iustitia sua liberabunt animas suas.* Ergo nec Christus potuit aliquid nobis mereri.

• Vers. 16. • Vers. 20.

3. PRAETEREA, *merces* quam quis meretur, *debetur secundum iustitiam, et non secundum gratiam:* ut patet *Rom.* IV *. Si ergo Christus meruit salutem nostram, sequitur quod salus nostra non sit ex gratia Dei, sed ex iustitia: et quod iniuste agat cum eis quos non salvat, cum meritum Christi ad omnes se extendat.

• Vers. 4.

SED CONTRA EST quod dicitur *Rom.* V *: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae.* Sed demeritum Adae derivatur ad condemnationem aliorum. Ergo multo magis meritum Christi ad alios derivatur.

• Vers. 18.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, in Christo non solum fuit gratia sicut in quodam homine singulari, sed sicut in capite totius Ecclesiae, cui omnes uniuntur sicut capiti membra, ex quibus constituitur mystice una persona. Et exinde est quod meritum Christi se extendit ad alios, inquantum sunt membra eius: sicut etiam in uno homine actio capitis aliqualiter pertinet ad omnia membra eius, quia non solum sibi sentit, sed omnibus membris.

• Qu. VIII, art. 1, 5.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod peccatum singularis personae non nocet nisi sibi ipsi. Sed peccatum Adae, qui constitutus est a Deo principium totius naturae, ad alios per carnis propagationem [α] derivatur. Et similiter meritum Christi, qui est a Deo constitutus caput omnium hominum quantum ad gratiam, se extendit ad omnia eius membra.

AD SECUNDUM DICENDUM quod alii de plenitudine Christi accipiunt, non quidem fontem gratiae, sed quandam particularem gratiam. Et ideo non oportet quod alii homines possint aliis mereri, sicut Christus.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut peccatum Adae non derivatur ad alios nisi per carnalem generationem, ita meritum Christi non derivatur ad alios nisi per regenerationem spiritualem, quae fit in baptismo, per quam Christo incorporamur [β], secundum illud *Galat.* III *: *Omnes quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Et hoc ipsum est gratiae, quod homini conceditur regenerari in Christo. Et sic salus hominis est ex gratia.

• Vers. 27.

α) *propagationem.* – *propaginem* tertia.

β) *Christo incorporamur.* – *Christo incorporantur* Gb, *homines Christo* (*in Christo* I) *incorporantur* PIc.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS de merito condigni intelligitur: et clarus est ex terminis superius * declaratis.

• I[a] II[ae], qu. CXIV, art. 1, Comm. n. 1; art. 3, Comm. n. 1.

In corpore est unica conclusio responsiva: *Meritum Christi extendit se ad alios ut membra ipsius.* Probatur et declaratur. Primo, probatur. In Christo fuit gratia non solum ut in homine singulari, sed ut in capite totius Ecclesiae. Ergo meritum ipsius. – Antecedens patet ex supra dictis. – Consequentia patet: quia ex omnibus membris constituitur una persona mystica, cuius caput, hoc est principale, est Christus.

Declaratur ex similitudine in homine: quia caput sentit sibi et omnibus membris.

II. Adverte hic quod privilegium Christi est mereri aliis ex condigno: ita quod, sicut solus est caput Ecclesiae, ita solus potest mereri ex condigno pro aliis. Sanctorum autem merita aliis prodesse possunt de congruo. Auctor vero in responsione ad secundum dixit quod sufficiebat ad solutionem argumenti: quod scilicet non oportet sanctos mereri pro aliis. Cum quo verum quoque est quod non potest sanctorum meritum esse pro alio ex condigno.

QUAESTIO VIGESIMA

DE SUBIECTIONE CHRISTI AD PATREM

IN DUOS ARTICULOS DIVISA

DEINDE considerandum est de his quae conveniunt Christo per comparationem ad Patrem *. Quorum quaedam dicuntur de ipso secundum habitudinem ipsius ad Patrem: puta quod est ei subiectus; quod ipsum oravit; quod ei in sacerdotio ministravit. Quaedam vero dicuntur, vel dici possunt α, secundum habitudinem Patris ad ipsum: puta, si Pater eum adoptasset; et quod eum praedestinavit. Primo igitur considerandum est de subiectione Christi ad Patrem; secundo, de eius oratione *; tertio, de ipsius sacerdotio *; quarto, de adoptione, an ei conveniat *; quinto, de eius praedestinatione **. Circa primum quaeruntur duo.

* Cf. qu. XVI, Introd.

* Qu. XXI. * Qu. XXII. * Qu. XXIII. ** Qu. XXIV.

Primo: utrum Christus sit subiectus Patri.
Secundo: utrum sit subiectus sibi ipsi.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM SIT DICENDUM CHRISTUM ESSE SUBIECTUM PATRI

Part. I, qu. XLII, art. 4, ad 1; III *Sent.*, dist. XI, art. 1, ad 2; I *ad Cor.*, cap. XV, lect. III.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non sit dicendum Christum esse subiectum Patri. Omne enim quod subiicitur Deo Patri, est creatura: quia, ut dicitur in libro *de Ecclesiast. Dogmat.* *, *in Trinitate nihil est serviens neque subiectum.* Sed non est simpliciter dicendum quod Christus sit creatura: ut supra * dictum est. Ergo etiam non est simpliciter dicendum quod Christus sit Deo Patri subiectus.

* Cap. IV. - Inter Opp. Aug.

* Qu. XVI, art. 8.

2. Praeterea, ex hoc dicitur aliquid Deo subiectum, quod est eius dominio serviens. Sed humanae naturae in Christo non potest attribui servitus: dicit enim Damascenus, in III libro *: *Sciendum quod neque servam* β *ipsam,* humanam scilicet naturam Christi, *dicere possumus. Servitutis enim et dominationis nomen non naturae sunt cognitiones, sed eorum quae ad aliquid, quemadmodum paternitatis et filiationis.* Ergo Christus secundum humanam naturam non est subiectus Deo Patri.

* *De Fide Orth.*, lib. III, cap. XXI.

3. PRAETEREA, I *Cor.* XV * dicitur: *Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc ipse Filius subiectus erit illi qui sibi subiecit omnia.* Sed, sicut dicitur *Heb.* II *, *nunc necdum videmus ei subiecta omnia.* Ergo nondum ipse est subiectus Patri, qui ei subiecit omnia.

* Vers. 28.

* Vers. 8.

SED CONTRA EST quod dicitur γ Ioan. XIV *: *Pater maior me est.* Et Augustinus dicit, in I *de Trin.* *: *Non immerito Scriptura utrumque dicit: aequalem Patri Filium; et Patrem maiorem Filio. Illud enim propter formam Dei, hoc autem propter formam servi, sine ulla confusione intelligitur.* Sed minor est subiectus maiori. Ergo Christus, secundum formam servi, est Patri subiectus.

* Vers. 28.

* Cap. VII.

RESPONDEO DICENDUM quod cuilibet habenti aliquam naturam conveniunt ea quae sunt propria illius naturae. Natura autem humana ex sui conditione habet triplicem subiectionem ad Deum. Unam quidem secundum gradum bonitatis: prout scilicet natura divina est ipsa essentia bonitatis, ut patet per Dionysium, I cap. *de Div. Nom.* *; natura autem creata habet quandam participationem divinae bonitatis, quasi radiis illius bonitatis subiecta. – Secundo, humana natura subiicitur Deo quantum ad Dei potestatem: prout scilicet humana natura, sicut et quaelibet creatura, subiacet operationi divinae dispositionis. – Tertio modo, specialiter humana natura Deo subiicitur per δ proprium suum actum: inquantum scilicet propria voluntate obedit mandatis eius.

* S. Th. lect. III. - Cf. cap. IV, lect. I.

Et hanc triplicem subiectionem ad Patrem Christus de seipso confitetur. Primam quidem, Matth. XIX *: *Quid me interrogas de bono? Unus est bonus Deus.* Ubi Hieronymus dicit * quod, *quia eum magistrum vocaverat bonum, et non Deum vel Dei Filium confessus erat, dixit quamvis sanctum hominem in comparatione Dei non esse bonum.* Per quod ε dedit intelligere quod ipse, secundum humanam naturam, non pertingebat ad gradum bonitatis divinae. Et quia *in his quae non mole magna sunt, idem est esse maius quod melius,* ut Augustinus dicit, in VI *de Trin.* *; ex hac ratione Pater dicitur *maior Christo* secundum humanam naturam.

* Vers. 17.

* Comment. lib. III.

* Cap. VIII.

α) *possunt.* – *possent* tertia praeter I.

β) *servam.* – Tertia praeter I; *secundum (ipsam unam scilicet humanam naturam)* I, *secundum naturam* ceteri. – Pro *cognitiones*, *conditiones* FI, *cogitationes* Dc; P legit: *Servitutis enim et dominationis nomina non naturae sunt nomina cognitionisque signa sed... filiationis nomina.*

γ) *dicitur.* – *Dominus dicit* tertia.

δ) *per.* – *quantum ad* P.

ε) *esse bonum. Per quod.* – PEFI; *est bonum per hoc quod* ABC, *est bonum per quod* D, *esse bonum. Per hoc* Gabc.

Secunda autem subiectio Christo attribuitur, inquantum omnia quae circa humanitatem Christi acta sunt, divina dispositione gesta creduntur [ζ]. Unde dicit Dionysius, IV cap. *Cael. Hier.*, quod Christus *subiicitur Dei Patris ordinationibus*. Et haec est subiectio servitutis, secundum quod *omnis creatura Deo servit* *, eius ordinationi subiecta: secundum illud *Sap.* XVI *: *Creatura tibi Factori deserviens*. Et secundum hoc etiam Filius Dei, *Philipp.* II *, dicitur *formam servi accipiens* [η].

Tertiam etiam subiectionem attribuit sibi ipsi, Ioan. VIII *, dicens: *Quae placita sunt ei, facio semper*. Et haec est subiectio obedientiae [θ]. Unde dicitur *Philipp.* II * quod *factus est obediens Patri usque ad mortem*.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut non est simpliciter intelligendum quod Christus sit creatura, sed solum secundum humanam naturam *, sive apponatur ei determinatio sive non, ut supra * dictum est; ita etiam non est simpliciter intelligendum quod Christus sit subiectus Patri, sed solum secundum humanam naturam *, etiam si haec determinatio non apponatur. Quam tamen convenientius est apponere, ad evitandum errorem Arii, qui posuit Filium minorem Patre.

Ad secundum dicendum quod relatio servitutis et dominii fundatur super actione et passione: inquantum scilicet servi est moveri a domino secundum imperium. Agere autem non attribuitur naturae sicut agenti, sed personae: *actus enim suppositorum sunt et singularium*, secundum Philosophum *. Attribuitur tamen actio naturae sicut ei secundum quam persona vel hypostasis agit. Et ideo, quamvis non proprie dicatur quod natura sit domina vel serva, potest tamen proprie dici quod aliqua [ι] hypostasis vel persona sit domina vel serva secundum hanc vel illam naturam. Et secundum hoc, nihil prohibet Christum dicere Patri subiectum, vel servum, secundum humanam naturam.

Ad tertium dicendum quod, sicut Augustinus dicit, in I *de Trin.* *, *tunc Christus tradet regnum Deo et Patri, quando iustos, in quibus nunc regnat per fidem, perducturus est ad speciem*, ut scilicet videant ipsam essentiam communem Patri et Filio. Et tunc totaliter erit Patri subiectus non solum in se, sed etiam in membris suis, per plenam participationem divinae bonitatis. Tunc etiam omnia erunt plene ei subiecta per finalem impletionem suae voluntatis de eis. Licet etiam modo sint omnia ei subiecta quantum ad potestatem: secundum illud Matth. ult. *: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra*, etc.

* *Iudith* cap. XVI, vers. 17. — * Vers. 24. — * Vers. 7. — * Vers. 29. — * Vers. 8. — * D. 1213. — * Qu. XVI, art. 8. — * D. 617. — * *Metaphys.* lib. I, cap. I, n. 6; s. Th. lect. VI; lib. IV, cap. II, n. 12; s. Th. lib. V, lect. III. — * Cap. VIII. — * Vers. 18.

ζ) *creduntur*. – Tertia; *credantur*.
η) *accipiens*. – *accepisse* F et tertia.
θ) *obedientiae*. – Tertia; *obedientiae Patris usque ad mortem*.
ι) *aliqua*. – *qualibet* editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una est conclusio responsiva quaesito: *Christus est subiectus Patri tripliciter: scilicet secundum bonitatem, servitutem, et obedientiam.* Probatur, primo. Natura humana ex sui conditione habet triplicem hanc subiectionem ad Deum. Ergo Christus est tripliciter subiectus Patri. – Antecedens manifestatur in singulis tribus subiectionibus. – Consequentia probatur. Quia cuilibet habenti naturam conveniunt quae propria sunt illi naturae.

Declaratur, secundo, conclusio auctoritatibus: singulas subiectiones attributas esse Christo.

II. In responsione ad primum et secundum, habes rationem huius articuli: propter Arii scilicet errorem motus videtur. Et cum quanta cautela loquendum est. Et, si sermoni cautela deest, non desit intellectui sanus sensus.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CHRISTUS SIT SIBI IPSI SUBIECTUS

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Christus non sit sibi ipsi subiectus. Dicit enim Cyrillus, in Epistola Synodica, quam scilicet Synodus Ephesina * recepit: *Neque*, inquit, *ipse Christus sibi servus est neque Dominus. Fatuum enim est, magis autem et impium, ita dicere vel sapere.* Et hoc etiam asseruit Damascenus, in III libro *, dicens: *Unum enim ens Christus non potest servus esse sui ipsius et Dominus.* Sed intantum dicitur servus Patris Christus, inquantum est ei subiectus. Ergo Christus non est subiectus sibi ipsi.

2. Praeterea, servus refertur ad dominum. Sed relatio non est alicuius ad seipsum: unde et Hilarius dicit, in libro *de Trin.* *, quod *nihil est sibi simile aut aequale*. Ergo Christus non potest dici servus sui ipsius. Et per consequens, nec sibi esse subiectus.

3. Praeterea, *sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus*: ut Athanasius dicit *. Sed homo non dicitur subiectus sibi ipsi, vel servus sui ipsius, aut maior seipso, propter hoc quod corpus eius subiectum est animae. Ergo neque Christus dicitur subiectus sibi ipsi propter hoc quod eius humanitas subiecta est divinitati ipsius.

Sed contra est quod Augustinus dicit, in I *de Trin.* *: *Veritas ostendit, secundum istum modum*, quo scilicet Pater maior est Christo secundum humanam naturam, *etiam seipso minorem Filium*.

2. Praeterea, sicut ipse argumentatur ibidem, sic accepta est a Filio Dei forma servi ut non amitteretur forma Dei. Sed secundum formam Dei, quae est communis Patri et Filio, Pater est Filio maior secundum humanam naturam. Ergo

* Part. I, cap. XXVI. — * *De Fide Orth.*, lib. III, cap. XXI. — * Lib. VII, n. 15. – Cf. lib. III, n. 23. — * In Symbolo. — * Cap. VII.

etiam Filius maior est seipso secundum humanam naturam.

3. Praeterea, Christus, secundum humanam naturam, est servus Dei Patris: secundum illud Ioan. xx *: *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* Sed quicumque est servus Patris, est servus Filii: alioquin non omnia quae sunt Patris essent Filii. Ergo Christus est servus sui ipsius, et sibi subditus.

* Vers. 17.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est *, esse dominum et servum attribuitur personae vel hypostasi secundum aliquam naturam. Cum ergo Christus dicitur esse *Dominus vel servus sui ipsius*, vel quod *Verbum Dei est Dominus hominis Christi*, hoc potest intelligi dupliciter. Uno modo, ut intelligatur hoc esse dictum ratione alterius hypostasis vel personae, quasi alia sit persona Verbi Dei dominantis, et alia hominis servientis: quod pertinet ad haeresim Nestorii. Unde in condemnatione Nestorii dicitur in Synodo Ephesina *: *Si quis dicit Deum vel Dominum esse Christi ex Deo Patre Verbum, et non eundem magis confitetur simul Deum et hominem, utpote Verbo carne facto, secundum Scripturas, anathema sit.* Et hoc modo negatur a Cyrillo et Damasceno *. Et sub eodem sensu negandum est Christum esse *minorem seipso*, vel esse *sibi ipsi subiectum.*

* Art. praeced., ad 2.

* Part. III, cap. I, anath. VI.

* Cf. arg. I.

Alio modo potest intelligi secundum diversitatem naturarum in una persona vel hypostasi. Et sic dicere possumus, secundum unam earum, in qua cum Patre convenit, simul eum cum Patre praeesse et dominari: secundum vero alteram naturam, in qua nobiscum convenit, ipsum subesse et servire. Et secundum hunc modum dicit Augustinus * Filium esse *seipso minorem.*

* Cf. arg. I Sed contra.

Sciendum tamen quod, cum hoc nomen *Christus* sit nomen personae, sicut [α] et hoc nomen *Filius*, illa per se et absolute possunt dici de Christo quae conveniunt ei ratione suae personae, quae est aeterna: et maxime huiusmodi relationes, quae magis proprie videntur ad personam vel hypostasim pertinere. Sed ea quae conveniunt sibi secundum humanam naturam, sunt ei potius attribuenda cum determinatione. Ut videlicet dicamus Christum simpliciter esse Maximum, et Dominum, et Praesidentem: quod autem sit subiectus, vel servus, vel minor, est ei attribuendum cum determinatione, scilicet, *secundum humanam naturam.*

Ad primum ergo dicendum quod Cyrillus et Damascenus negant Christum esse Dominum sui ipsius, secundum quod per hoc importatur pluralitas suppositorum, quae requiritur ad hoc quod aliquis simpliciter sit dominus alicuius.

Ad secundum dicendum quod simpliciter quidem oportet esse alium dominum et alium servum: potest tamen aliqua ratio dominii et servitutis servari prout idem est dominus sui ipsius [β] secundum aliud et aliud.

Ad tertium dicendum quod, propter diversas partes hominis, quarum una est superior et alia inferior, dicit etiam Philosophus, in V *Ethic.* *, quod *iustitia hominis est ad seipsum,* inquantum irascibilis et concupiscibilis obediunt rationi. Secundum etiam hunc modum [γ] unus homo potest dici sibi subiectus et serviens, secundum diversas sui partes.

* Cap. XI, n. 9. – S. Th. lect. XVII.

Ad alia autem argumenta * patet responsio ex dictis. Nam Augustinus asserit Filium seipso minorem, vel sibi subiectum, secundum humanam naturam: non secundum diversitatem suppositorum.

* Argg. 1, 2, 3, Sed contra.

α) *sicut.* – Tertia; om.
β) *sui ipsius.* – *et servus et* pF, *et servus sibi ipsi et* sF, *et servus sui ipsius* P.
γ) *Secundum etiam hunc modum.* – *Secundum quem modum etiam* Gbc, *Unde per hunc modum etiam* PI.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est in se. Sed sua causa ex articulo colligitur: quod est diversus loquendi modus Graecorum et Latinorum. Cyrillus enim et Damascenus, cum Ephesina Synodo, negant Christum subiectum sibi: Augustinus vero Christum sibi subiectum secundum humanitatem affirmat. Et quia utraque sententia est vera, et, ad diversos sensus relata, rationabiliter dicta ab utrisque, ideo mota est quaestio haec.

II. In corpore duo fiunt: primo, respondetur quaesito secundum veritatem; secundo, docemur convenientem loquendi modum in hac materia.

Quoad primum, cum distinctione duplicis sensus huiusmodi locutionum respondetur: quod scilicet possunt servitus et dominium referri vel ad diversitatem suppositorum; vel ad solam diversitatem naturarum in una persona. Probatur haec distinctio. Quia esse dominum vel servum attribuitur personae secundum aliquam naturam. Potest igitur referri diversitas requisita inter dominum et servum, vel ad personarum et naturarum simul diversitatem; vel ad diversitatem naturarum tantum, stante unitate personae.

Et prima conclusio, iuxta primum sensum, est: *Christus non est subiectus sibi, aut Dominus sui.* Manifestatur. Quia sic est haeresis Nestorii, damnata in Synodo, negata a Cyrillo et Damasceno.

Secunda vero conclusio, iuxta secundum sensum, est: *Christus est sibi subiectus, et sui Dominus.* Haec probatur ex diversitate naturarum, et auctoritate Augustini.

Quoad secundum, modus loquendi congruus est ut de Christo ea quae sunt excellentiae absolute dicantur: ea vero quae sunt subiectionis cum determinatione apposita dicantur, scilicet, *secundum humanam naturam.* Et ratio est quia *Christus* est nomen personae, quae in Christo est aeterna et Deus verus.

III. Nota hic quod ea quae sunt excellentiae dupliciter significantur: vel sine determinatione seu limitatione, ut esse Dominum, Praesidentem, Maximum, etc.; vel cum limitato termino *sui ipsius,* puta quod est *Dominus sui, praesidet sibi,* etc. Auctor in littera loquitur de relationibus excellentiae simpliciter et absolute, cum dicit quod de Christo sunt absolute enuntianda, et per oppositum ea quae sunt minorationis non sunt simpliciter et absolute enuntianda, puta quod est creatura, quod est servus, quod subiectus: et non loquitur de relationibus excellentiae respectu sui. Nam tam relationes excellentiae, quam

relationes subiectionis, respectu sui cum determinatione dicendae sunt. Sicut enim dicendum est Christum sibi subiectum secundum humanam naturam, ita dicendum est *Christum secundum deitatem Dominum sui secundum humanitatem.*

Et haec manifeste probantur ex responsionibus ad primum et secundum in littera, ubi habetur quod ista relativa non simpliciter et absolute dicuntur respectu sui, quoniam exigunt diversitatem suppositorum, simpliciter loquendo: sed cum determinatione aliqua possunt respectu sui verificari; ut etiam ex Aristotelis auctoritate in responsione ad tertium confirmatur.



QUAESTIO VIGESIMAPRIMA

DE ORATIONE CHRISTI

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. xx, Introd.

Deinde considerandum est de oratione Christi *. Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo: utrum Christo conveniat orare.

Secundo: utrum conveniat sibi secundum suam sensualitatem.

Tertio: utrum conveniat sibi orare pro seipso, an tantum pro aliis.

Quarto: utrum omnis oratio eius sit exaudita.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM CHRISTO COMPETAT ORARE

Supra, qu. xiii, art. 4, ad 3; infra, qu. xliii, art. 2, ad 2; III *Sent.*, dist. xvii, art. 3, qu^a^ 1; IV, dist. xv, qu. iv, art. 6, qu^a^ 1, ad 2; qu^a^ 2, ad 1; *In Ioan.*, cap. xi, lect. vi; *In Boet. de Trin.*, qu. iii, art. 4.

* De Fide Orth., lib. III, cap. xxiv.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod Christo non competat orare. Nam, sicut dicit Damascenus *, *oratio est petitio decentium a Deo.* Sed, cum Christus omnia facere posset, non videtur ei convenire quod aliquid ab aliquo peteret. Ergo videtur quod Christo non conveniat orare.

2. Praeterea, non oportet orando petere illud quod aliquis scit pro certo esse futurum: sicut non oramus quod sol oriatur cras. Neque etiam est conveniens quod aliquis orando petat quod scit nullo modo esse futurum. Sed Christus sciebat circa omnia quid esset futurum. Ergo non conveniebat ei aliquid orando petere.

* Ibid.

3. Praeterea, Damascenus dicit, in III libro *, quod *oratio est ascensus intellectus in Deum.* Sed intellectus Christi non indigebat ascensione in Deum: quia semper intellectus eius erat Deo coniunctus, non solum secundum unionem hypostasis, sed etiam secundum fruitionem beatitudinis. Ergo Christo non conveniebat orare.

* Vers. 12.

Sed contra est quod dicitur Luc. vi *: *Factum est in illis diebus, exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.*

* II^a^ II^ae^, quaest. lxxxiii, art. 1, 2.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est in Secunda Parte *, oratio est quaedam explicatio propriae voluntatis apud Deum, ut eam impleat. Si igitur in Christo esset una tantum voluntas, scilicet divina, nullo modo sibi competeret orare: quia voluntas divina per seipsam est effectiva eorum quae vult, secundum illud Psalmi *: *Omnia quaecumque voluit Dominus fecit.* Sed quia in Christo est alia voluntas divina et alia humana; et voluntas humana non est per seipsam efficax ad implendum ea quae vult, nisi per virtutem divinam: inde est quod Christo, secundum quod est homo et humanam voluntatem habens, competit orare.

* Ps. cxxxiv, vers. 6.

Ad primum ergo dicendum quod Christus poterat perficere omnia quae volebat secundum quod Deus, non autem secundum quod homo: quia, secundum quod homo, non habuit omnipotentiam, ut supra * habitum est. Nihilominus tamen, idem ipse Deus existens et homo, voluit ad Patrem orationem porrigere, non quasi ipse esset impotens [α], sed propter nostram instructionem. Primo quidem, ut ostenderet se esse a Patre. Unde ipse dicit, Ioan. xi *: *Propter populum qui circumstat dixi*, scilicet verba orationis, *ut credant quia tu me misisti.* Unde Hilarius, in X *de Trin.* *, dicit: *Non prece eguit: nobis* [β] *oravit, ne Filius ignoraretur.* – Secundo, ut nobis exemplum [γ] daret. Unde Ambrosius dicit, *super Luc.* *: *Noli insidiatrices aperire aures, ut putes Filium Dei quasi infirmum rogare, ut impetret quod implere non possit. Potestatis enim auctor, obedientiae* [δ] *magister, ad praecepta virtutis suo nos informat exemplo.* Unde et Augustinus dicit, *super Ioan.* *: *Poterat Dominus in forma servi, si hoc opus esset, orare silentio. Sed ita se Patri voluit exhibere* [ε] *precatorem, ut meminisset nostrum se esse doctorem.*

* Qu. xiii, art. 1.

* Vers. 42.

* Num. 71.

* Expos. lib. V, ad cap. vi, vers. 12.

* Tract. CIV.

Ad secundum dicendum quod, inter alia quae Christus scivit futura, scivit quaedam esse fienda propter suam orationem. Et huiusmodi non inconvenienter a Deo petiit.

Ad tertium dicendum quod ascensio nihil est aliud quam motus in id quod est sursum. Motus autem, ut dicitur in III *de Anima* *, dupliciter dicitur. Uno modo, proprie, secundum quod importat exitum de potentia in actum, prout est *actus imperfecti.* Et sic ascendere competit ei

* Cap. vii, n. 1. – S. Th. lect. xii.

α) *quasi ipse esset impotens.* – F et tertia; *quasi* (*quin* sA) *ipse esset* (*non esset* sD) *omnipotens.*
β) *nobis.* – *pro nobis* PF. – *ignoraretur* EF et tertia; *ignoretur.*
γ) *exemplum.* – *orandi* addunt F et tertia.
δ) *auctor, obedientiae.* – P; *auctor obedientia* Gbc, *auctor obedire* I, *est auctor obedientiae* FsA, *est auctor obedientia* ceteri.
ε) *voluit exhibere.* – F; *voluit existere* ABa, *voluit esse* CDE, *existere voluit* Gbc, *exhibere voluit* PI. – Pro *precatorem*, *petitorem* E, *peccatorem* Fbc.

quod est potentia sursum et non actu. Et hoc modo, ut Damascenus dicit, in III libro *, *intellectus humanus Christi non eget ascensione in Deum: cum sit semper Deo unitus et secundum esse personale, et secundum beatam contemplationem.* – Alio modo dicitur motus *actus* [ζ] *perfecti,* idest existentis in actu: sicut intelligere et sentire dicuntur quidam motus. Et hoc modo intellectus Christi semper ascendit in Deum: quia semper contemplatur ipsum ut supra se existentem.

* Loc. cit. supra.

ζ) *actus.* – *qui est actus* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore unica conclusio: *Christo, secundum quod est homo, convenit orare.* Probatur. Oratio est explicatio propriae voluntatis apud Deum, ut eam impleat. Ergo, si in Christo esset tantum voluntas divina, non competeret ei orare. Ergo Christo, secundum quod habet voluntatem humanam, convenit orare.

Antecedens patet ex ante dictis. – Consequentia prima probatur. Quia divina voluntas est per seipsam efficax: iuxta Psalmum. – Secunda vero probatur. Quia in Christo, praeter divinam, est humana voluntas, quae non per seipsam est efficax, sed ope divinae virtutis eget.

II. In responsione ad primum, vide, Novitie, quod Auctor primo loquitur de Christo ratione humanae naturae assumptae. Et dicit necessitatem orandi non-omnipotentiam naturae suae humanae. – Deinde loquitur de toto Christo. Et assignat plures rationes orandi: scilicet fidei suae deitatis, et exempli nostri.

III. In responsione ad secundum, vide, Curiose, quod responsio stat in hoc: quod Christus nescivit Lazarum resuscitandum absolute; sed scivit Lazarum resuscitandum medio suo clamore *, etc. Et simile est de aliis. Et ideo vana est quaestio: Ad quid oportet tot media apponere? Eadem enim est praevisio termini et mediorum. Et eadem est quaestio et solutio omnium.

* Ioan. cap. xi, vers. 43, 44.

IV. In responsione ad tertium, vide, Novitie, quod *ascensus* est nomen motus proprie dicti. Translatum autem ad mentem, potest dupliciter convenire menti, secundum proprium mentis actum, qui vere et proprie est actus perfecti, puta intelligere. Nam potest menti convenire ascensus vel per modum motus qui actus est imperfecti: et sic convenit nobis, qui non sumus mente coniuncti supernis, sed tendimus mentis actibus ad illa, sicut vapores ascendunt sursum, qui de terra elevantur et tendunt sursum; et sic Christi menti non convenit ascensus, quia semper est cum Deo: – vel per modum motus qui est actus perfecti. Et sic convenit Christo et beatis ascensus mentis in Deum: quia, iuncti Deo, contemplantur ipsum ut super se, perfecti contemplatione illius. Sicut nos, cum contemplamur aliquid, dicimur *moveri* secundum intellectum in illud.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CHRISTO CONVENIAT ORARE SECUNDUM SUAM SENSUALITATEM

III *Sent.*, dist. xvii, art. 3, qu[a] 3; *Compend. Theol.*, cap. ccxxxiii.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Christo conveniat orare secundum suam sensualitatem. Dicitur enim in Psalmo *, ex persona Christi: *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Sed sensualitas dicitur appetitus carnis. Ergo Christi sensualitas potuit ascendere in Deum vivum exultando: et pari ratione, orando.

* Ps. lxxxiii, vers. 3.

2. Praeterea, eius videtur esse orare cuius est desiderare illud quod petitur. Sed Christus petivit aliquid quod desideravit sensualitas, cum dixit, *Transeat a me calix iste,* ut habetur Matth. xxvi *. Ergo sensualitas Christi oravit.

* Vers. 39.

3. Praeterea, magis est uniri Deo in persona quam ascendere in Deum per orationem. Sed sensualitas fuit assumpta a Deo in unitate personae: sicut et quaelibet pars humanae naturae. Ergo multo magis potuit ascendere in Deum orando.

Sed contra est quod *Philipp.* ii * dicitur quod Filius Dei, secundum naturam quam assumpsit, est *in similitudinem hominum factus.* Sed alii homines non orant secundum sensualitatem. Ergo nec Christus oravit secundum sensualitatem.

* Vers. 7.

Respondeo dicendum quod orare secundum sensualitatem potest dupliciter intelligi. Uno modo, sic quod oratio sit actus sensualitatis. Et hoc modo Christus secundum sensualitatem non oravit. Quia eius sensualitas eiusdem naturae et speciei fuit in Christo et in nobis. In nobis autem non potest orare [α], duplici ratione. Primo quidem, quia motus sensualitatis non potest sensualia [β] transcendere: et ideo non potest in Deum ascendere, quod requiritur ad orationem [γ]. – Secundo, quia oratio importat quandam ordinationem, prout aliquis desiderat aliquid quasi a Deo implendum: et hoc est solius rationis. Unde oratio est actus rationis: ut in Secunda Parte * habitum est.

* IIa IIae, qu. lxxxiii, art. 1.

Alio modo potest dici aliquis orare secundum sensualitatem, quia scilicet eius ratio [δ] orando Deo proposuit quod erat in appetitu sensualitatis ipsius. Et secundum hoc, Christus oravit secundum sensualitatem: inquantum scilicet eius oratio [ε] exprimebat sensualitatis affectum, tanquam sensualitatis advocata. Et hoc, ut nos de tribus instrueret. Primo, ut ostenderet se veram humanam naturam assumpsisse, cum omnibus naturalibus affectibus. Secundo, ut ostenderet quod homini licet, secundum naturalem affectum, ali-

α) *orare.* – *orare sensualitas* I, *sensualitas orare* editiones.
β) *sensualia.* – *sensitiva* F, *sensibilia* tertia praeter I.
γ) *orationem.* – FsE *a* et tertia; *rationem.*
δ) *ratio.* – Tertia; *oratio.* – Pro *proposuit quod erat, proponit quod est* PsG.
ε) *oratio.* – *ratio* tertia praeter P.

* D. 1220.

quid velle quod Deus non vult *. Tertio, ut ostendat quod proprium affectum debet homo divinae voluntati subiicere. Unde Augustinus dicit, in *Enchirid.* *: *Sic Christus, hominem gerens, ostendit privatam quandam hominis voluntatem, cum dicit, « Transeat a me calix iste ». Haec enim erat humana voluntas, proprium aliquid, et tanquam privatum, volens. Sed quia rectum vult esse hominem, et ad Deum dirigi, subdit, « Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu »: ac si dicat, « Vide te in me: quia potes* [ζ] *aliquid proprium velle, etsi Deus aliud velit ».*

* Serm. I in Ps. xxxii, ad vers. 1. – Cf. Lomb. gloss. ibid.

Ad primum ergo dicendum quod caro exultat in Deum vivum, non per actum carnis ascendentem in Deum: sed per redundantiam a corde in carnem, inquantum appetitus sensitivus sequitur motum appetitus rationalis.

Ad secundum dicendum quod, licet sensualitas hoc voluerit quod ratio petebat, hoc tamen orando petere non erat sensualitatis, sed rationis, ut dictum est *.

* In corpore.

Ad tertium dicendum quod unio in persona est secundum esse personale, quod pertinet ad quamlibet partem humanae naturae. Sed ascensio orationis est per actum qui non convenit nisi rationi, ut dictum est *. Unde non est similis ratio.

* Ibid.

ζ) *Vide... potes.* – P et G?; *Videte in me quia potes* G? et cetera tertia, *Videte in me quia sum potens* F, *Vide in* (*in* om. E) *me quia potens sum* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus ut sonat, sumatur: quoniam in articulo distinguitur.

In corpore unica est distinctio bimembris, cum duabus conclusionibus, responsivis singulis ad singula membra. Distinctio. Orare secundum sensualitatem dupliciter contingit: primo, elicitive; secundo, materialiter. – Iuxta primum membrum conclusio est: *Christus non oravit secundum sensualitatem.* – Iuxta secundum conclusio est: *Christus oravit secundum sensualitatem.*

Probantur ambae conclusiones in littera satis clare, ut patet. Et tota materia est clara. Quoniam et constat quod oratio non potest esse sensualitatis actus: et quod sensualitatis affectus potest esse materia quam oratio Deo offert.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM CHRISTO CONVENIENS FUERIT PRO SE ORARE

III *Sent.*, dist. xvii, art. 3, qu[a] 2.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod Christo non fuerit conveniens pro se orare. Dicit enim Hilarius, in X *de Trin.* *: *Cum sibi non proficeret deprecationis sermo, ad profectum tamen fidei nostrae loquebatur.* Sic ergo videtur quod Christus non sibi, sed nobis oraverit.

* Num. 71.

2. Praeterea, nullus orat nisi pro eo quod vult: quia, sicut dictum est *, oratio est quaedam explicatio voluntatis per Deum implendae. Sed Christus volebat pati ea quae patiebatur: dicit enim Augustinus, XXVI *contra Faustum* *: *Homo plerumque, etsi nolit, contristatur; etsi nolit, dormit; etsi nolit, esurit aut sitit. Ille autem,* scilicet Christus, *omnia ista habuit quia voluit.* Ergo ei non competebat pro seipso orare.

* Art. 1.
* Cap. viii.

3. Praeterea, Cyprianus dicit, in libro *de Oratione Dominica*: *Pacis et unitatis Magister noluit sigillatim et privatim precem* [α] *fieri, ut quis, dum precatur, pro se tantum precetur.* Sed Christus illud implevit quod docuit: secundum illud *Act.* 1 *: *Coepit Iesus facere et docere.* Ergo Christus nunquam pro se solo oravit.

* Vers. 1.

Sed contra est quod ipse Dominus orando dicit, Ioan. xvii *: *Clarifica Filium tuum.*

* Vers. 1.

Respondeo dicendum quod Christus pro se oravit dupliciter. Uno modo, exprimendo affectum sensualitatis *, ut supra ** dictum est; vel etiam voluntatis simplicis, quae consideratur ut natura; sicut cum oravit a se calicem passionis transferri *. Alio modo, exprimendo affectum voluntatis deliberatae, quae consideratur ut ratio: sicut cum petiit gloriam resurrectionis *. Et hoc rationabiliter. Sicut enim dictum est *, Christus ad hoc uti voluit oratione ad Patrem, ut nobis daret exemplum orandi; et ut ostenderet Patrem suum esse auctorem a quo et aeternaliter processit secundum divinam naturam, et secundum humanam naturam ab eo habet quidquid boni habet. Sicut autem in humana natura quaedam bona habebat a Patre iam percepta, ita etiam expectabat ab eo quaedam bona nondum habita, sed percipienda. Et ideo, sicut pro bonis iam perceptis in humana natura gratias agebat Patri, recognoscendo eum auctorem, ut patet Matth. xxvi * et Ioan. xi **: ita etiam, ut Patrem auctorem recognosceret, ab eo orando petebat quae sibi deerant secundum humanam naturam, puta gloriam corporis et alia huiusmodi. Et in hoc etiam nobis dedit exemplum ut de perceptis muneribus gratias agamus, et nondum habita orando postulemus.

* D. 1220.
** Art. praeced.
* Matth. cap. xxvi, vers. 39.
* Ioan. cap. xvii, vers. 1 sqq.
* Art. 1, ad 1.
* Vers. 27.
** Vers. 41.

Ad primum ergo dicendum quod Hilarius loquitur quantum ad orationem vocalem: quae non erat ei necessaria propter ipsum, sed solum propter nos. Unde signanter dicit quod *sibi non proficiebat deprecationis* [β] *sermo.* Si enim *desiderium pauperum exaudit Dominus*, ut in Psalmo * di-

* Psalm. ix, part. ii (al. Psalm. x), vers. 17.

α) *precem.* – *preces* P.

β) *deprecationis.* – P; *deprecantis.*

citur, multo magis sola voluntas Christi habet vim orationis apud Patrem. Unde ipse dicebat, Ioan. XI *: *Ego sciebam quia semper me audis: sed propter populum qui circumstat dixi, ut credant quia tu me misisti.* [* Vers. 42.]

Ad secundum dicendum quod Christus volebat quidem pati illa quae patiebatur, pro tempore illo: sed nihilominus volebat ut, post passionem, gloriam corporis consequeretur, quam nondum habebat. Quam quidem gloriam expectabat a Patre sicut ab auctore. Et ideo convenienter ab eo ipsam petebat.

Ad tertium dicendum quod ipsa gloria quam Christus orando sibi [γ] petebat, pertinebat ad salutem aliorum: secundum illud *Rom.* IV *: *Resurrexit propter iustificationem nostram.* [* Vers. 25.] Et ideo illa etiam oratio quam pro se faciebat, erat quodammodo pro aliis. Sicut [δ] et quicumque homo aliquod bonum a Deo postulat ut utatur illo ad utilitatem aliorum, non sibi soli, sed etiam aliis orat.

γ) *sibi.* – Om. P, ante *orando* ponit cetera tertia.

δ) *Sicut.* – F et tertia praeter I; *Sic.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore duae conclusiones. Prima est: *Christus oravit pro se, sensualitatis et simplicis voluntatis affectum explicando.* – Secunda est: *Christus oravit pro se, explicando petendoque affectum voluntatis deliberatae.*

Prima conclusio relinquitur ex dictis clara; et auctoritate Evangelii, *Transeat a me calix iste.*

Secunda autem probatur ratione simul et similitudine. Christus oravit pro exemplo; et pro fide quod ipse est a Patre secundum deitatem et humanitatem. Sed ipse erat a Patre secundum aliqua bona percepta in natura humana, et secundum aliqua percipienda. Ergo, sicut consonum fuit gratias agere pro perceptis, ita petere percipienda. Et tenet sequela: quia sic utrorumque auctor recognoscitur Pater. Et haec quoad fidem. – Quoad exemplum vero, infertur: Ergo consonum fuit exemplum dare et gratias agendi et petendi.

Memento, Novitie, quod orationis multae sunt partes: quarum duae sunt gratiarum actio et petitio *, de quibus hic est sermo. [* Cf. II^am II^ae qu. LXXXIII, a. 17.] Et ideo petitionem probat littera Christo convenire a simili: sicut et gratiarum actionem.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CHRISTI ORATIO FUERIT SEMPER EXAUDITA

III *Sent.*, dist. XVII, art. 3, qu^a 4; *Compend. Theol.*, cap. CCXXXIII; *In Ps. XXI; In Ioan.*, cap. XI, lect. VI; cap. XII, lect. V; *Ad Heb.*, cap. V, lect. I.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod Christi oratio non fuerit semper exaudita. Petiit enim a se removeri calicem passionis, ut patet Matth. XXVI *: qui tamen ab eo non fuit translatus. [* Vers. 39.] Ergo videtur quod non omnis eius oratio fuerit exaudita.

2. Praeterea, ipse oravit ut peccatum suis crucifixoribus ignosceretur [α], ut patet Luc. XXIII *. [* Vers. 34.] Non tamen omnibus fuit illud peccatum dimissum: nam Iudaei fuerunt pro illo peccato puniti. Ergo videtur quod non omnis eius oratio fuerit exaudita.

3. Praeterea, Dominus oravit *pro his qui erant credituri per verbum Apostolorum in ipsum, ut omnes in eo unum essent,* et ut pervenirent ad hoc quod essent cum ipso *. [* Ioan. cap. XVII, vers. 20, 21, 24.] Sed non omnes ad hoc perveniunt. Ergo non omnis eius oratio est exaudita.

4. Praeterea, in Psalmo * dicitur, in persona Christi: *Clamabo per diem, et non* [β] *exaudies.* [* Ps. XXI, vers. 3.] Non igitur omnis eius oratio est exaudita.

Sed contra est quod Apostolus dicit, *Heb.* V *: *Cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* [* Vers. 7.]

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est * [* Art. 1.], oratio est quodammodo interpretativa voluntatis humanae. Tunc ergo alicuius orantis exauditur oratio, quando eius voluntas adimpletur. Voluntas autem simpliciter hominis est voluntas rationis: hoc enim absolute volumus quod secundum deliberatam rationem volumus. Illud autem quod volumus secundum motum sensualitatis, vel etiam secundum motum voluntatis simplicis, quae consideratur ut natura, non simpliciter volumus, sed secundum quid: scilicet, si aliud non obsistat quod per deliberationem rationis invenitur. Unde talis voluntas magis est dicenda *velleitas* quam absoluta voluntas: quia scilicet homo hoc vellet si aliud non obsisteret.

Secundum autem voluntatem rationis, Christus nihil aliud voluit nisi quod scivit Deum velle *. [* D. 1220.] Et ideo omnis absoluta voluntas Christi, etiam humana, fuit impleta, quia fuit Deo conformis: et per consequens, omnis eius oratio fuit exaudita. Nam et secundum hoc aliorum orationes adimplentur, quod sunt eorum voluntates Deo conformes: secundum illud *Rom.* VIII *: *Qui autem scrutatur corda, scit,* idest, approbat, *quid desideret Spiritus,* idest, quid faciat sanctos desiderare *: [* Vers. 27.] [* Cf. Gloss. interlin.] *quoniam secundum Deum,* idest, secundum conformitatem divinae voluntatis, *postulat pro sanctis.*

Ad primum ergo dicendum quod illa petitio de translatione calicis diversimode a Sanctis expo-

α) *peccatum... ignosceretur.* – F et tertia praeter I; *Pater... ignosceret* E, *peccatum... ignosceret* ceteri.

β) *et non.* – Tertia; *et noctem et non.*

Cap. XXXI, n. 7. nitur. Hilarius enim, *super Matth.* *, dicit: *Quod autem ut a se transeat rogat, non ut ipse praetereatur orat: sed ut in alterum id quod a se transit excedat* γ. *Atque ideo pro his orat qui passuri post se erant: ut sit sensus: Quomodo a me bibitur calix passionis, ita ab aliis bibatur, sine spei diffidentia, sine sensu doloris, sine metu mortis.*

Comment. in Matth. lib. IV, ad cap. XXVI, vers. 39. Vel, secundum Hieronymum *: *Signanter dicit, « Calix iste »: hoc est, populi Iudaeorum, qui excusationem ignorantiae habere non potest, si me occiderit, habens legem* δ *et Prophetas, qui me vaticinantur.*

De Martyrio, ad Origen., cap. II. Vel, secundum Dionysium Alexandrinum *: *Quod* ε *dicit, « Transfer calicem istum a me », non hoc est, « Non adveniat mihi »: nisi enim advenerit, transferri non poterit. Sed, sicut quod praeterit nec intactum est nec permanens, sic Salvator leviter invadentem tentationem flagitat pelli.*

Exposit. in Luc., lib. X, ad cap. XXII, vers. 42. * *Tract.* XXXV in *Matth.* *Hom.* LXXXIV, al. LXXXV, *in Matth.* Ambrosius * autem et Origenes ** et Chrysostomus * dicunt quod petiit *quasi homo* naturali voluntate *mortem recusans.*

Sic igitur, si intelligatur quod petierit per hoc alios martyres suae passionis imitatores fieri, secundum Hilarium; vel si petiit quod timor bibendi calicis eum non perturbaret; vel quod mors eum non detineret: omnino impletum est quod petivit. Si vero intelligitur petiisse quod non biberet calicem passionis et mortis; vel quod non biberet ipsum a Iudaeis: non quidem est factum quod petiit, quia ratio, quae petitionem proposuit, non volebat ut hoc impleretur; sed, ad instructionem nostram, volebat declarare ζ nobis suam voluntatem naturalem, et sensualitatis motum, quam η, sicut homo, habebat.

Ad secundum dicendum quod Dominus non oravit pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus qui erant credituri in eum: sed pro his solum qui erant praedestinati ut per ipsum vitam consequerentur aeternam.

Unde patet etiam responsio ad tertium.

Ad quartum dicendum quod, cum dicit, *Clamabo et non exaudies*, intelligendum est quantum ad affectum sensualitatis, quae mortem refugiebat. Exauditur tamen quantum ad affectum rationis, ut dictum est *. * In corpore.

γ) *excedat.* – Tertia praeter P; *excedat eadem* (fortasse pro *excedat. Et infra*) ABCDE, *excedat etc.* ed. *a*, *extendat* F, *accedat* P. – *post se* ed. *a* et tertia; *pro se.* Pro *ab aliis, ab his* tertia.

δ) *non potest... legem.* – *non possunt si me occiderint habentes leges* P, *(hoc est propter Iudaeos...) non possunt habentes leges* ed. *a*; *occiderint* legunt etiam ceteri praeter F*bc*; *leges* omnes.

ε) *Quod.* – Tertia praeter I; *Qui.* – *praeterit* PG*b*; *praeteriit.* – *permanens* tertia; *permanens est.*

ζ) *declarare.* – *demonstrare* tertia.

η) *quam.* – *quem* PFIc. – Pro *sicut homo, tunc* F.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore articuli est una conclusio responsiva quaesito: *Omnis oratio Christi fuit exaudita.* Probatur. Omnis voluntas simpliciter Christi fuit adimpleta. Ergo omnis oratio eius fuit exaudita.

Antecedens et declaratur et probatur. Declaratur quidem, distinguendo de voluntate simpliciter, vel secundum quid: illa rationis deliberata; ista naturae, et velleitas. Probatur vero: quia omnis voluntas simpliciter Christi fuit Deo conformis; quia nihil sic voluit nisi quod scivit Deum velle. – Consequentia vero probatur dupliciter. Primo. Tunc alicuius oratio exauditur, quando eius voluntas impletur: quia oratio est interpretativa voluntatis. Secundo: quia conformitas voluntatis ad divinam voluntatem est ratio exauditionis aliorum orantium, ut probatur ex auctoritate Apostoli, *ad Rom.* VIII.

II. Adverte hic, Novitie, quod oratio est explicativa voluntatis et illius procuratrix, non solum autem voluntatis deliberatae, sed velleitatis et affectus, ut patet ex supra * dictis et ex oratione Christi, *Transeat a me calix iste* *. Verum, sicut voluntas distinguitur in simpliciter vel secundum quid, ita oratio, prout est petitio, distinguitur in simpliciter vel secundum quid. Et, ut petit seu procurat pro voluntate deliberata, est oratio simpliciter: ut autem pro velleitate et affectu humano, est oratio secundum quid. Et propterea, simpliciter de oratione loquendo, verum est quod omnis Christi oratio fuit exaudita. Oratio namque quam pro velleitate et affectu sensus obtulit, non simpliciter petebat, sed sub conditione: subdidit enim *: *Fiat voluntas tua.* Et ita exaudita est etiam haec oratio quoad ultimum petitum, quod deliberate volebat et desiderabat. * Vers. 42.

Art. 2. Matth. cap. XXVI, v. 39.

III. In responsione ad primum, vide, Novitie, quod Dionysii Alexandrini expositio habetur in *Catena Aurea*, Luc. XXII *. Et est illa quae secundo loco ponitur in littera *: scilicet *quod timor mortis eum non perturbaret, aut quod mors eum non detineret.* Loquitur enim Dionysius hic ad similitudinem alicuius nocivi applicati nobis per modum transeuntis, puta ignis vel aquae, et huiusmodi. Tale enim, quia applicatur mihi, non est intactum, sed aliqualiter contingens me: quia vero petransit, non permanet in me. Et sic volebat Christus vel mortis timore tangi, non comprimi; vel morte ipsa tangi, non detineri, sed resurgere. Modus igitur mali est qui sub petitione cadit cum dicitur, *Transeat calix, Transfer calicem,* etc., secundum istam expositionem. Reliqua clara sunt.

* Vers. 42. * In hac resp., *Sic igitur.*

QUAESTIO VIGESIMASECUNDA

DE SACERDOTIO CHRISTI

IN SEX ARTICULOS DIVISA

DEINDE considerandum est de sacerdotio Christi *. [* Cf. qu. xx, Introd.]

Et circa hoc quaeruntur sex.

Primo: utrum conveniat Christo esse sacerdotem.

Secundo: de hostia huius sacerdotis ᵅ.

Tertio: de effectu huius sacerdotii.

Quarto: utrum effectus sacerdotii eius pertineat ad ipsum, vel solum ad alios.

Quinto: de aeternitate sacerdotii eius.

Sexto: Utrum debeat dici *sacerdos secundum ordinem Melchisedech.*

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM CHRISTO CONVENIAT ESSE SACERDOTEM

Ad Heb., cap. v, lect. 1.



D PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christo non conveniat esse sacerdotem. Sacerdos enim est minor angelo: unde dicitur Zach. III * [* Vers. 1.]: *Ostendit mihi Deus sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini.* Sed Christus est maior angelis: secundum illud *Heb.* I * [* Vers. 4.]: *Tanto melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen hereditavit.* Ergo Christo non convenit esse sacerdotem.

2. PRAETEREA, ea quae fuerunt in veteri Testamento, fuerunt figurae Christi: secundum illud *Coloss.* II * [* Vers. 17.]: *Quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi* ᵝ. Sed Christus non traxit carnis originem ex sacerdotibus veteris legis: dicit enim Apostolus, *Heb.* VII * [* Vers. 14.]: *Manifestum est quod ex Iuda ortus sit Dominus noster: in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est.* Ergo Christo non convenit esse sacerdotem.

3. PRAETEREA, in veteri lege, quae est figura Christi, non est idem legislator et sacerdos: unde dicit Dominus ad Moysen, legislatorem, *Exod.* XXVIII * [* Vers. 1.]: *Applica Aaron, fratrem tuum, ut sacerdotio fungatur mihi.* Christus autem est lator novae legis: secundum illud Ierem. XXXI * [* Vers. 33.]: *Dabo leges meas in cordibus eorum.* Ergo Christo non convenit esse sacerdotem.

SED CONTRA EST quod dicitur *Heb.* IV * [* Vers. 14.]: *Habemus pontificem qui penetravit caelum* ᵞ, *Iesum, Filium Dei.*

RESPONDEO DICENDUM quod proprium ᵟ officium sacerdotis est esse mediatorem inter Deum et populum: inquantum scilicet divina populo tradit, unde *sacerdos* dicitur quasi *sacra dans* * [* Isidor. *Etymol.* lib. VII, cap. XII.], secundum illud Malach. II * [* Vers. 7.], *Legem requirent ex ore eius,* scilicet sacerdotis; et iterum inquantum preces populi Deo offert, et pro eorum peccatis Deo aliqualiter satisfacit; unde Apostolus dicit, *Heb.* V * [* Vers. 1.]: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Hoc autem maxime convenit Christo. Nam per ipsum dona ᵋ hominibus sunt collata: secundum illud II Pet. I * [* Vers. 4.]: *Per quem,* scilicet Christum, *maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae.* Ipse etiam humanum genus Deo reconciliavit: secundum illud *Coloss.* I * [* Vers. 19, 2...]: *In ipso,* scilicet Christo, *complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia.* Unde Christo maxime convenit esse sacerdotem.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod potestas hierarchica convenit quidem angelis, inquantum et ipsi sunt medii inter Deum et hominem, ut patet per Dionysium, in libro *Cael. Hier.* * [* Cap. IX.]: ita quod ipse sacerdos, inquantum est medius inter Deum et populum, angeli nomen habet, secundum illud Malach. II * [* Vers. 7.]: *Angelus Domini exercituum est.* Christus autem maior angelis fuit, non solum secundum divinitatem, sed etiam secundum humanitatem: inquantum habuit plenitudinem gratiae et gloriae. Unde etiam excellentiori modo hierarchicam seu sacerdotalem potestatem prae angelis habuit: ita etiam quod ipsi angeli fuerunt ministri sacerdotii eius, secundum illud Matth. IV * [* Vers. 11.]: *Accesserunt angeli et ministrabant ei.* Secundum tamen passibilitatem ᶻ, *modico ab angelis minoratus est:* ut Apostolus dicit, *Heb.* II * [* Vers. 9.]. Et secundum hoc conformis fuit hominibus viatoribus in sacerdotio constitutis.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut dicit Damascenus, in III libro * [* *De Fide O...* lib. III, cap. ...], *quod in omnibus est simile, idem utique erit, et non exemplum* ᶯ. Quia igitur

α) *sacerdotis.* – *sacerdotii* FsG.
β) *corpus autem Christi.* – Om. editiones.
γ) *caelum.* – *caelos* F et tertia.
δ) *proprium.* – *proprie* tertia. – *officium* om. E.
ε) *dona.* – *divina dona* E et tertia.
ζ) *passibilitatem.* – *carnis* addunt F et tertia.
η) *exemplum.* – *extraneum* Pc.

sacerdotium veteris legis erat figura sacerdotii Christi, noluit Christus nasci de stirpe figuralium sacerdotum, ut ostenderetur non esse omnino idem sacerdotium, sed differre sicut verum a figurali *.

* D. 1094.

Ad tertium dicendum quod, sicut supra * dictum est, alii homines particulatim habent quasdam gratias: sed Christus, tanquam omnium caput, habet perfectionem omnium gratiarum. Et ideo, quantum ad alios pertinet, alius est legislator, et alius sacerdos, et alius rex: sed haec omnia concurrunt in Christo, tanquam in fonte omnium gratiarum. Unde dicitur Isaiae xxxiii *: *Dominus iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster: ipse veniet et salvabit nos.*

* Qu. vii, art. 7, ad 1; art. 10.

* Vers. 22.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore articuli est unica conclusio responsiva quaesito: *Christo maxime convenit esse sacerdotem.* Probatur. Proprie officium sacerdotis est esse mediatorem inter Deum et populum utrinque. Sed hoc maxime convenit Christo. Ergo. – Maior declaratur quoad utramque partem officii. Minor similiter. Et omnia clara sunt.

II. In responsione ad primum, considera, Novitie, quod tota vita Christi in terra fuit oblatio pro humano genere. Et propterea angeli Christo post ieiunium et tentationem ministrantes in his quae ad refectionem corporis spectabant, ministri sacerdotii Christi dicuntur.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM IPSE CHRISTUS FUERIT SIMUL SACERDOS ET HOSTIA

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod ipse Christus non fuit simul sacerdos et hostia. Sacerdotis enim est hostiam occidere. Sed Christus non seipsum occidit. Ergo ipse non fuit simul sacerdos et hostia.

2. Praeterea, sacerdotium Christi magis est simile sacerdotio Iudaeorum, quod erat a Deo institutum, quam sacerdotio gentilium, quo daemones colebantur. In veteri autem lege nunquam homo in sacrificium offerebatur: quod maxime reprehenditur in sacrificiis gentilium, secundum illud Psalmi *: *Effuderunt sanguinem innocentem filiorum suorum et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.* Ergo in sacerdotio Christi non debuit esse ipse homo Christus hostia.

* Ps. cv, vers. 38.

3. Praeterea, omnis hostia, ex hoc quod Deo offertur, Deo sanctificatur. Sed ipsa Christi humanitas a principio fuit sanctificata et Deo coniuncta. Ergo non convenienter potest dici quod Christus, secundum quod homo, fuerit hostia.

Sed contra est quod Apostolus dicit, *Ephes.* v *: *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.*

* Vers. 2.

Respondeo dicendum quod, sicut dicit Augustinus, in X *de Civ. Dei* [α] *, *omne sacrificium visibile invisibilis sacrificii est sacramentum, idest sacrum signum.* Est autem invisibile sacrificium quo [β] homo spiritum suum offert Deo: secundum illud Psalmi *: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Et ideo omne illud quod Deo exhibetur ad hoc quod spiritus hominis feratur in Deum, potest dici sacrificium.

* Cap. v.

* Ps. l, vers. 19.

Indiget igitur homo sacrificio propter tria. Uno quidem modo, ad remissionem peccati, per quod a Deo avertitur. Et ideo dicit Apostolus, *Heb.* v *, quod ad sacerdotem pertinet *ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* – Secundo, ut homo in statu gratiae conservetur, semper Deo inhaerens, in quo eius pax et salus consistit. Unde et in veteri lege immolabatur hostia pacifica pro offerentium salute, ut habetur *Levit.* iii. – Tertio, ad hoc quod spiritus hominis perfecte Deo uniatur: quod maxime erit in gloria. Unde et in veteri lege offerebatur holocaustum, quasi *totum incensum,* ut dicitur *Levit.* i.

* Vers. 1.

Haec autem per humanitatem Christi nobis provenerunt [γ]. Nam primo quidem, nostra peccata deleta sunt: secundum illud *Rom.* iv *: *Traditus est propter delicta nostra.* Secundo, gratiam nos salvantem per ipsum accepimus: secundum illud *Heb.* v *: *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae.* Tertio, per ipsum perfectionem gloriae adepti sumus: secundum illud *Heb.* x *: *Habemus fiduciam per sanguinem eius in introitum sanctorum,* scilicet in gloriam caelestem. Et ideo ipse Christus, inquantum homo, non solum fuit sacerdos, sed etiam hostia perfecta, simul existens hostia pro peccato, et hostia pacificorum, et holocaustum.

* Vers. 25.

* Vers. 9.

* Vers. 19.

Ad primum ergo dicendum quod Christus non se occidit, sed seipsum voluntarie morti exposuit: secundum illud Isaiae liii *: *Oblatus est quia ipse voluit.* Et ideo dicitur seipsum obtulisse.

* Vers. 7.

Ad secundum dicendum quod Christi hominis occisio potest ad duplicem voluntatem comparari. Uno modo, ad voluntatem occidentium. Et sic non habuit rationem hostiae: non enim dicuntur occisores Christi hostiam Deo obtulisse, sed graviter deliquisse. Et huius peccati similitudinem gerebant impia gentilium sacrificia, quibus homines idolis immolabant. – Alio modo potest considerari occisio Christi per comparatio-

α) *de Civ. Dei.* – E et tertia; *de Trin.*
β) *quo.* – F et tertia; *in quo* A, *ex quo* ceteri.
γ) *provenerunt.* – EF et tertia; om.

nem ad voluntatem patientis, qui voluntarie se obtulit passioni. Et ex hac parte habet rationem hostiae. In quo non convenit cum sacrificiis gentilium [δ]. δ

δ) *gentilium. – Et per haec patet responsio ad tertium* addit *a, Ad tertium dicendum quod sanctitas humanitatis Christi a principio non impedit quin ipsamet humana natura, cum in passione oblata est Deo, sanctificata novo modo fuerit, scilicet ut hostia actualiter tunc exhibita. Acquisivit enim actualem hostiae sanctificationem tunc ex antiqua caritate et gratia unionis sanctificante eandem absolute* addit P, margine notans: *Responsio suppleta.* Margo C: *deficit solutio tertii argumenti secundae quaestionis;* margo E: *deficit tertium;* margo G: *Nota quod hic deficit solutio tertii argumenti quam nusquam potui reperire.* Codices Brixiensis et Ambrosianus, de quibus in Praefatione diximus, animadvertunt: *Nota quod qu. XXII art. 2 deficit solutio tertii argumenti in originali istius Tertiae Partis fratris Thomae, et in omnibus aliis, quia ab illa originem sumpserunt.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore unica est conclusio responsiva: *Christus non solum sacerdos, sed simul fuit hostia perfecta: scilicet pro peccato, pacifica et holocaustum.*

Haec conclusio, quoad primam partem, supponitur ex praecedente articulo.

Quoad secundam vero, quod fuerit simul hostia, probatur. Omne quod Deo exhibetur ad hoc ut spiritus hominis feratur in Deum, est hostia seu sacrificium. Sed humanitas Christi est Deo exhibita ad hoc ut spiritus hominum ferantur in Deum. Ergo. – Maior propositio probatur. *Sacrificium visibile est sacramentum invisibilis.* Invisibile autem est oblatio spiritus. Ergo. – Adverte quod vis probationis consistit in hoc: Omne sacrificium aut est visibile, aut invisibile. Sed visibile ordinatur ad invisibile, ut sacrum eius signum ad sanctum signatum, ac per hoc, finem: signatum enim finis est signi. Omne igitur sacrificium exterius est sacrificium ex ordine ad interius, hoc est, oblationem spiritus. Et e contra omne quod ad oblationem spiritus Deo offertur, sacrificium denominative dicitur.

Tertia vero pars conclusionis, hoc est: *perfecta, pro peccato, pacifica et holocaustum,* probatur ex littera. Homo indiget sacrificio propter tria: scilicet remissionem peccati, gratiae conservationem, et consummationem. Sed haec tria per humanitatem Christi habuimus. Ergo. – Maior in littera et infertur ex priori syllogismo, quo probata est altera pars conclusionis: nam, si sacrificium exterius dicitur ex relatione ad oblationem spiritus, et ad oblationem spiritus nostri concurrunt ista tria, scilicet remissio peccati, conservatio vitae gratiae, et consummatio illius, consequens est ut ad haec tria homo indigeat sacrificio: – et declaratur quoad singula, singulis auctoritatibus Scripturae. – Minor vero probatur auctoritatibus sacrae Scripturae, etiam singulis ad singula.

II. Recolito hic, ex Prima Secundae, qu. CII, art. 3, ad 8, triplex fuisse sacrificii genus in veteri Testamento: holocaustum, hostiam pro peccato, et hostiam pacificam. Et holocaustum quidem perfectionis statui consonare: quia totum comburebatur in honorem Dei. Hostiam vero pacificam ad profectus statum pertinere, qui ex Deo per ministros, nobis cooperantibus, est: in tres enim partes dividebatur, unam Deo incensam, aliam in usum sacerdotum, tertiam in usum offerentium; sive pro beneficiis receptis, sive recipiendis, esset. Hostia vero pro peccato statum poenitentium monstrat: et in duas secabatur partes, unam Deo incensam, alteram in usum sacerdotum, quia remissio peccatorum non a potestate nostra, sed a Deo per ministros est; nisi pro propriis sacerdotis vel populi peccatis offerretur, quia tunc nulla erat pars sacerdotum. Unde, quia humanitas Christi pro omnibus istis oblata fuit ab ipsomet, ideo dicitur in littera quod fuit *hostia perfecta,* utpote existens simul et hostia pro peccato, et hostia pacifica, et holocaustum.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM EFFECTUS SACERDOTII CHRISTI SIT EXPIATIO PECCATORUM

Ad Heb., cap. IX, lect. III.

α Ad tertium sic proceditur. Videtur quod effectus sacerdotii [α] Christi non sit expiatio peccatorum. Solius enim Dei est peccata delere: secundum illud Isaiae XLIII *: *Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me.* Sed Christus non est sacerdos secundum quod Deus, sed secundum quod homo. Ergo sacerdotium Christi non est expiativum peccatorum.

* Vers. 25.

2. Praeterea, Apostolus dicit, *Heb.* X *, quod hostiae veteris Testamenti *non potuerunt perfectos facere: alioquin cessassent offerri, eo quod nullam haberent conscientiam peccati cultores sufficienter semel mundati; sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit.* Sed similiter sub sacerdotio Christi fit commemoratio peccatorum, cum dicitur, *Dimitte nobis debita nostra,* Matth. VI *. Offertur etiam continue sacrificium in Ecclesia: unde ibidem * dicitur, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Ergo per sacerdotium Christi non expiantur peccata.

* Vers. 1, 2, 3. * Vers. 12. * Vers. 11; Luc. cap. XI, vers. 3.

3. Praeterea, pro peccato [β] in veteri lege maxime immolabatur hircus pro peccato principis, vel capra pro peccato alicuius de populo, vel vitulus pro peccato sacerdotis: ut patet *Levit.* IV *. Sed Christus nulli horum comparatur, sed agno: secundum illud Ierem. XI *: *Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam.* Ergo videtur quod eius sacerdotium non sit expiativum peccatorum. β

* Vers. 3, 23, 28. * Vers. 19.

Sed contra est quod dicit Apostolus, *Heb.* IX *: *Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum seipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi.* Opera autem mortua dicuntur peccata. Ergo sacerdotium Christi habet virtutem emundandi peccata.

* Vers. 14.

Respondeo dicendum quod ad perfectam pec-

α) *sacerdotii.* – sDG et editiones; *sacrificii.*

β) *pro peccato.* – Om. PD.

catorum emundationem duo requiruntur: secundum quod duo sunt in peccato, scilicet macula culpae, et reatus poenae. Macula quidem culpae deletur per gratiam, qua cor peccatoris in Deum convertitur: reatus autem poenae totaliter tollitur per hoc quod homo Deo satisfacit. Utrumque autem horum efficit sacerdotium Christi. Nam virtute ipsius gratia nobis datur, qua corda nostra convertuntur ad Deum: secundum illud *Rom.* III *: *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* Ipse etiam pro nobis plenarie satisfecit: inquantum *ipse languores nostros tulit, et dolores nostros ipse portavit* *. Unde patet quod Christi sacerdotium habet vim plenam expiandi peccata.

* Vers. 24, 25.

* Isaiae cap. LIII, vers. 4; Matth. cap. VIII, vers. 17.

Ad primum ergo dicendum quod, licet Christus non fuerit sacerdos secundum quod Deus, sed secundum quod homo, unus tamen et idem fuit sacerdos et Deus. Unde in Synodo Ephesina * legitur: *Si quis Pontificem nostrum et Apostolum fieri dicit* [γ] *non ipsum ex Deo Verbum, sed quasi alterum praeter ipsum specialiter hominem ex muliere, anathema sit.* Et ideo, inquantum eius humanitas operabatur in virtute divinitatis, illud sacrificium erat efficacissimum ad delenda peccata. Propter quod Augustinus dicit, in IV *de Trin.* *: *Ut, quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio, cui offeratur, a quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur; idem ipse unus verusque mediator, per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret* [δ] *cui offerebat, unum in se faceret pro quibus offerebat, unus ipse esset qui offerebat, et quod offerebat.*

* Part. III, cap. I, anath. X.

γ

* Cap. XIV.

δ

Ad secundum dicendum quod peccata non commemorantur in nova lege propter inefficaciam sacerdotii Christi, quasi per ipsum non sufficienter expientur peccata: sed commemorantur quantum ad illos scilicet [ε] qui vel eius sacrificii nolunt esse participes, sicut sunt infideles, pro quorum peccatis oramus, ut convertantur; vel etiam quantum ad illos qui, post participationem huius sacrificii, ab eo deviant qualitercumque peccando.

ε

Sacrificium autem quod quotidie in Ecclesia offertur, non est aliud a sacrificio quod ipse Christus obtulit, sed eius commemoratio. Unde Augustinus dicit, in X *de Civ. Dei* *: *Sacerdos ipse Christus offerens, ipse et oblatio: cuius rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiae sacrificium.*

* Cap. XX.

Ad tertium dicendum quod, sicut Origenes dicit, *super Ioan.* *, licet diversa animalia in lege [ζ] offerrentur, quotidianum tamen sacrificium, quod offerebatur mane et vespere, erat agnus, ut habetur *Num.* XXVIII *. Unde significabatur quod oblatio agni [η], idest Christi, esset sacrificium consummativum omnium aliorum. Et ideo Ioan. I * dicitur: *Ecce Agnus Dei, ecce* [θ] *qui tollit peccata mundi.*

* Tom. IX, ad cap. I, vers. 29.

ζ

* Vers. 3, 4.

η

* Vers. 29.

θ

γ) *dicit.* – E; om. ABCD*a*, ante *fieri* ponit I, ante *Pontificem* F; G et editiones legunt: *Si quis Pontificem dicit* (*dicit* om. *b*) *et Apostolum nostrum fieri* (*nostrum dicit esse factum* G*b*) *non ipsum ex Deo Verbum, quando factum est caro et secundum nos homo, sed tanquam alterum praeter eum seorsum hominem.*

δ) *Ut, quoniam... maneret.* – P; *Quoniam... manens.* Cf. qu. XLVIII, art. 3 corp.

ε) *illos scilicet.* – *alios illos scilicet b, illos* cetera tertia et *a.*

ζ) *lege.* – *veteri lege* tertia.

η) *agni.* – *veri* addit tertia. – *consummativum* F et tertia; *consumptivum.*

θ) *ecce.* – Om. tertia praeter I.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo, attende primo, quod non quaeritur an sola expiatio peccati sit effectus sacerdotii Christi. Nec quaeritur an expiatio peccatorum sit a solo sacerdotio Christi. Sed, an sacerdotium Christi habeat hunc effectum qui est expiare peccata,

Attende secundo, quod non est hic quaestio de modo habendi hunc effectum, an scilicet effective an meritorie, an alio modo: sed in confuso, illo scilicet modo quo sacerdotii actibus, sacrificando, offerendo, etc., effectus attribuuntur; et illo rursus modo quo sacrificio Christi natum est convenire quod sit efficax.

Tertio, quod *expiatio,* secundum nominis proprietatem, emundationem seu purgationem culparum significare videtur. Et sic sumitur in proposito.

II. In corpore unica est conclusio: *Christi sacerdotium habet plenam vim expiandi peccata.* Probatur. Ad perfectam emundationem peccati duo requiruntur: dare gratiam, et satisfacere. Sed Christi sacerdotium habet utrumque. Ergo.

Maior probatur ex duobus inventis in peccato, macula et reatu, quorum primum gratia, secundum satisfactione tollitur. – Minor vero, auctoritate Ioannis et Isaiae.

III. In responsione ad primum, cum dicitur quod, inquantum Christi humanitas operabatur virtute divinitatis, sacrificium Christi erat efficacissimum ad delenda peccata per gratiam *; non intelligas humanitatem Christi concurrere instrumentaliter ad creandam gratiam in anima: sed intelligito, quantum ad creationem spectat, concurrere instrumentaliter dispositive et meritorie. Nata est enim gratia secundum illam viam creari in patiente disposito, sicut anima rationalis. Et propterea, licet creatio absolute refutet instrumentum, creatio tamen rei in patiente disposito non refutat instrumentum: et sacrificium Christi invenitur efficacissimum ad causandam gratiam iustificantem; sicut semen humanum bene dispositum invenitur efficax ad causandum animam rationalem producendi hominis.

* Cf. corpus art.

Verius tamen dicitur, secundum Auctoris doctrinam, humanitatem Christi operari virtute divinitatis instrumentaliter deletionem peccatorum per gratiam, non creatione, sed infusione productam: ut superius * monstratum est auctoritate eius et ratione.

* Qu. VIII, art. I, Comment. num. III.

IV. In responsione ad tertium, vide, Novitie, quod Christus, ex hoc ipso quod assimilatus est agno, continuae hostiae, figuratus dicitur per cetera sacrificia ut sacrificium omnium consummativum. Ita quod non negatur Christum comparari aliis: sed distinguitur quod per assimilationem comparatur agno, per consummationem comparatur aliis, et ex hoc ipso quod agno assimilatur, refertur ad omnia ut consummatio. Rationi siquidem consonat ut momentanea ad continuum reducantur; et quod continui est consummatio, omnium sit consummativum. Reliqua enim sacrificia pro peccatis, hircus, capra, vitulus, nunc vel tunc offerebantur: agnus autem continue. Et propterea verus Agnus ad omnia comparatur sacrificia ut omnium consummativum.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM EFFECTUS SACERDOTII CHRISTI NON SOLUM PERTINUERIT AD ALIOS, SED ETIAM AD IPSUM

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod effectus sacerdotii Christi non solum pertinuerit ad alios, sed etiam ad ipsum. Ad officium enim sacerdotis pertinet [* Vers. 23.] pro populo orare: secundum illud II *Machab.* I *: *Orationem faciebant sacerdotes dum consummaretur sacrificium.* Sed Christus non solum pro aliis oravit, sed etiam pro seipso, secundum quod [* Qu. xxi, art. 3.] supra * dictum est: et sicut expresse dicitur, [* Vers. 7.] *Heb.* V *, quod *in diebus carnis suae preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrimis obtulit.* Ergo sacerdotium Christi habuit non solum in aliis, sed etiam in seipso effectum.

2. Praeterea, Christus obtulit seipsum sacrificium in sua passione. Sed per passionem suam non solum aliis meruit, sed etiam sibi: ut su- [* Qu. xix, art. 3, 4.] pra * habitum est. Ergo sacerdotium Christi non solum habuit effectum in aliis, sed etiam in seipso.

3. Praeterea, sacerdotium veteris legis fuit figura sacerdotii Christi. Sed sacerdos veteris legis [α] non solum pro aliis, sed etiam pro seipso [* Vers. 17.] sacrificium offerebat: dicitur enim *Levit.* XVI *, quod *pontifex ingreditur sanctuarium ut roget pro se, et pro domo sua, et pro universo coetu filiorum Israel.* Ergo etiam sacerdotium Christi non solum in aliis, sed in seipso effectum habuit.

[* Part. III, cap. I, anath. x.] Sed contra est quod in Ephesina Synodo * legitur: *Si quis dicit Christum pro se obtulisse oblationem, et non magis pro nobis solum (nec enim indiguit sacrificio qui peccatum nescit), anathema sit.* Sed in sacrificio offerendo potissime sacerdotis consistit officium. Ergo sacerdotium Christi non habuit effectum in ipso Christo.

[* Art. 1.] Respondeo dicendum quod, sicut dictum est *, sacerdos constituitur medius inter Deum et populum. Ille autem indiget medio ad Deum qui per seipsum accedere ad Deum non potest: et talis sacerdotio subiicitur, effectum sacerdotii participans. Hoc autem Christo non competit: dicit [* Vers. 25.] enim Apostolus, *Heb.* VII *: *Accedens per seipsum ad Deum, semper vivens, ad interpellandum pro nobis.* Et ideo Christo non competit effectum sacerdotii in se suscipere: sed potius ipsum aliis communicare. Primum enim agens in quolibet genere ita est influens quod non est recipiens in genere illo: sicut sol illuminat sed non illuminatur, et ignis calefacit sed non calefit. Christus autem est fons [β] totius sacerdotii: nam sacerdos legalis erat figura ipsius; sacerdos autem novae legis in persona ipsius operatur, secundum illud II *Cor.* II *: *Nam et ego, quod donavi, si quid donavi, propter vos, in persona Christi.* [* Vers. 10.] Et ideo non competit Christo effectum sacerdotii suscipere.

Ad primum ergo dicendum quod oratio, etsi conveniat sacerdotibus, non tamen est eorum officio propria: cuilibet enim convenit et pro se et pro aliis orare, secundum illud Iac. ult. *: *Orate pro invicem, ut salvemini.* [* Vers. 16.] Et sic posset dici quod oratio qua Christus pro se oravit, non erat actus sacerdotii eius.

Sed haec responsio videtur excludi per hoc quod Apostolus, *Heb.* V, cum dixisset *, *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech,* [* Vers. 6.] subdit *, *Qui in diebus carnis suae preces* etc., ut supra *: [* Vers. 7.] [* In arg.] et ita videtur quod oratio qua Christus oravit, ad eius sacerdotium pertineat. Et ideo oportet dicere quod alii sacerdotes effectum sacerdotii sui participant, non inquantum sacerdotes, sed inquantum peccatores, ut infra * dicetur. [* Cf. resp. ad 3.] Christus autem, simpliciter loquendo, peccatum non habuit: habuit tamen *similitudinem peccati in carne,* ut dicitur *Rom.* VIII *. [* Vers. 3.] Et ideo non simpliciter dicendum est quod ipse effectum sacerdotii participaverit: sed secundum quid, scilicet secundum passibilitatem carnis. Unde signanter dicit: *qui possit illum salvum facere a morte.*

Ad secundum dicendum quod in oblatione sacrificii cuiuscumque sacerdotis duo possunt considerari: scilicet ipsum sacrificium oblatum, et devotio offerentis. Proprius autem effectus sacerdotii est id quod sequitur ex ipso sacrificio. Christus autem consecutus est per suam passionem [γ], non quasi ex vi sacrificii, quod offertur per modum satisfactionis: sed ex ipsa devotione qua, secundum caritatem, passionem humiliter sustinuit.

Ad tertium dicendum quod figura non potest adaequare veritatem. Unde sacerdos figuralis veteris legis non poterat ad hanc perfectionem attingere [δ] ut sacrificio satisfactorio non indigeret. Sed Christus non indiguit. Unde non est similis ratio de utroque. Et hoc est quod Apostolus dicit *: *Lex homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem iurisiurandi, qui post legem est, Filium in aeternum perfectum.* [* Ad Heb., cap. VII, vers. 28.]

α) *fuit figura... veteris legis.* – EF et tertia (pro *figura, filia,* et pro *sacerdos, sacerdotes* E); om. – Pro *offerebat, offerebatur* ABDpC.

β) *fons.* – sC et tertia; *finis* E, *fcās* A, *factor* ceteri.

γ) *passionem.* – *gloriam resurrectionis* addunt PE.

δ) *attingere.* – *pertingere* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est, occasionem sumens ex diversis auctoritatibus, Apostoli scilicet et Synodi, ut patet in articulo.

In corpore articuli unica est conclusio: *Non convenit Christo effectum sacerdotii sui recipere.* Probatur dupliciter: primo, ex conditione recipientis sacerdotii effectum; secundo, ex excellentia sacerdotii Christi.

Prima ergo ratio est. Suscipiens sacerdotii effectum non potest per seipsum accedere ad Deum. Sed Christus per seipsum accedit ad Deum. Ergo. – Maior probatur. Quia sacerdos est medius: ac per hoc, suscipere effectum sacerdotii est suscipere effectum medii. Hoc autem est solius impotentis per seipsum accedere ad Deum: qui enim potest per seipsum, non eget medio. – Minor probatur auctoritate Apostoli.

Secunda ratio est. Primum agens in quolibet genere est ita influens quod non est recipiens in illo genere. Probatur inductive in primo illuminante, in primo calefaciente: et posset afferri in primo alterante, scilicet caelo, et in primo movente localiter, scilicet Deo, seu intelligentia. Sed Christus est fons totius sacerdotii. Probatur inductive et respectu sacerdotii legis veteris, et novae.

II. Occurrit autem statim dubium: quare omissum fuerit in hac inductione sacerdotium ante utramque legem, scilicet Melchisedech et Patrum.

Ad hoc dicitur quod, quia erat eadem ratio de sacerdote legali, et ante legem, quoad propositum, quia uterque erat figura Christi; ideo, exprimendo legalem cum eius ratione, scilicet quia figura erat sacerdotii Christi, etiam praedecessores comprehendit.

III. In responsionibus argumentorum *, vide quod Auctor non totaliter excludit Christum ab effectu sui sacerdotii. Sed docet loqui caute: quod secundum quid, inquantum scilicet erat passibilis, participavit sacerdotii sui effectum; simpliciter autem, non. Tum quia non habuit peccatum. Tum quia non indiguit: ut prima ratio in corpore articuli allata probat. Tum quia non congruebat sibi: ut secunda ratio ibi allata probat.

* Resp. ad 1, 2.

IV. In responsione ad secundum, perspice quod dicitur sacrificium offerri per modum satisfactionis: et effectum ipsius proprium esse quod ex vi ipsius quatenus satisfactorium est, fit. Ratio siquidem huius est quia sacrificium, ex sua essentiali et primaria institutione, nihil aliud est quam quaedam recognitio reverentialis ipsius Dei: quae, quia debita est Deo quia Deus est, quia Creator, Conservator, Largitorque est omnium, satisfactionis cuiusdam rationem habet. Offertur ergo sacrificium per modum satisfactionis, non tantum poenae debitae peccato, aut offensae contra Deum, sed etiam beneficiorum, et, quod primum est, debiti Deo cultus quia Deus est.

Unde habes quod effectus consequens ex vi sacrificii ut satisfactorii, est absolutio a poena, aut reconciliatio ad Deum. Nam libertas a gratiarum actione aut debito cultu non est effectus aliquis consequens sacrificium, proprie loquendo: sed communis est negatio omnem actum debitum, quando solutus est, comitans. Ipsum enim sacrificium est gratiarum actus et cultus Dei: et non est exsolutio poenae, sed solutionis causa (nisi sit poenale) poenae propria; nec est reconciliatio, sed gratiae reconciliantis provocatio.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM SACERDOTIUM CHRISTI PERMANEAT IN AETERNUM

III *Sent.*, dist. xxii, qu. i, art. i, ad 4; *Ad Heb.*, cap. vii, lect. iv.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod sacerdotium Christi non permaneat in aeternum. Quia, ut dictum est *, illi soli effectu sacerdotii indigent qui habent infirmitatem peccati quae per sacerdotis sacrificium expiari potest. Sed hoc non erit in aeternum. Quia in sanctis nulla erit infirmitas, secundum illud Isaiae lx *, *Populus tuus omnes iusti:* peccatorum autem infirmitas inexpiabilis erit, quia *in inferno nulla est redemptio* *. Ergo sacerdotium Christi non est α in aeternum.

* Art. praeced., ad 1, 3.
* Vers. 21.
* Cf. Off. Defunct. resp. viii.
α

2. Praeterea, sacerdotium Christi maxime β manifestatum est in eius passione et morte, quando *per proprium sanguinem introivit in sancta,* ut dicitur *Heb.* ix *. Sed passio et mors Christi non erit in aeternum: ut dicitur γ *Rom.* vi *: *Christus resurgens a mortuis iam non moritur.* Ergo sacerdotium Christi non est in aeternum.

β
* Vers. 12.
γ
* Vers. 9.

3. Praeterea, Christus est sacerdos non secundum quod Deus, sed secundum quod homo. Sed Christus quandoque non fuit homo: scilicet in triduo mortis. Ergo sacerdotium δ Christi non est in aeternum.

δ

Sed contra est quod dicitur in Psalmo *: *Tu es sacerdos in aeternum.*

* Ps. cix, vers. 4.

Respondeo dicendum quod in officio sacerdotis duo possunt considerari: primo quidem, ipsa oblatio sacrificii; secundo, ipsa sacrificii consummatio, quae quidem consistit in hoc quod illi pro quibus sacrificium offertur, finem sacrificii consequuntur. Finis autem sacrificii quod Christus obtulit, non fuerunt bona temporalia, sed aeterna, quae per eius mortem adipiscimur, unde dicitur, *Heb.* ix *, quod *Christus est assistens pontifex futurorum bonorum:* ratione cuius Christi sacerdotium dicitur esse aeternum. Et haec quidem consummatio sacrificii Christi praefigurabatur in hoc ipso quod pontifex legalis semel in anno cum sanguine hirci et vituli intrabat in sancta sanctorum, ut dicitur *Levit.* xvi *, cum tamen hircum et vitulum non immolaret in sancta sanctorum ε, sed extra. Similiter Christus in *sanctā sanctorum,* idest in ipsum caelum intravit, et nobis viam paravit intrandi per virtutem sanguinis sui, quem pro nobis in terra effudit.

* Vers. 11.
* Vers. 11 sqq.
ε

Ad primum ergo dicendum quod sancti qui erunt in patria, non indigebunt ulterius expiari per sacerdotium Christi, sed, expiati iam, indigebunt consummari per ipsum Christum, a quo gloria eorum dependet: ut dicitur, *Apoc.* xxi *, quod

* Vers. 23.

α) *non est.* – *frustra remaneret* G et editiones; *non est... Christi* om. I.
β) *maxime.* – *praecipuum* I, *praecipue* cetera tertia.
γ) *ut dicitur.* – *secundum illud* tertia.
δ) *sacerdotium.* – BIsG et vetus Escur.; *sacrificium.*
ε) *sancta sanctorum.* – *sanctis sanctorum* tertia praeter I.

ζ *claritas Dei illuminat illam,* scilicet[ζ] civitatem sanctorum, *et lucerna eius est Agnus.*

Ad secundum dicendum quod, licet passio et mors Christi de cetero non sit iteranda, tamen η virtus illius hostiae[η] permanet in aeternum: quia, * Vers. 14. ut dicitur *Heb.* x *, *una oblatione consummavit in aeternum sanctificatos.* – Per quod etiam patet θ responsio ad tertium[θ].

Unitas autem huius oblationis figurabatur in lege per hoc quod semel in anno legalis pontifex cum solemni oblatione sanguinis intrabat in sancta, ut dicitur *Levit.* xvi *. Sed deficiebat figura a veritate in hoc, quod illa hostia non habebat sempiternam virtutem, et ideo annuatim illae hostiae reiterabantur[ι]. * Cf. corpus art. ι

ζ) *illam, scilicet.* – P; *illam* cetera tertia, *scilicet illam* ceteri.
η) *hostiae.* – *semel oblatae* addunt E et tertia.
θ) *Per quod... tertium.* – Om. GI (cf. ι), supra ante *quia ut dicitur* ponunt editiones.
ι) *reiterabantur.* – *Ad tertium dicendum quod* addit I et duas lineas albas relinquit.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore unica est conclusio: *Sacerdotium Christi est aeternum quoad consummationem.* Declarantur primo termini, distinguendo in sacerdotis officio duo: scilicet oblationem, et consummationem.

Probatur deinde. Quia consummatio sacerdotii Christi consistit in bonis aeternis. – Probatur auctoritate Apostoli: *Christus pontifex futurorum bonorum.*

Manifestaturque demum ipsa conclusio ex figura legalis sacerdotis. Ita quod introitus pontificis legalis, semel in anno, in sancta sanctorum, cum sanguine immolatorum extra, est figura consummationis sacerdotii Christi: quia *pontifex in sancta sanctorum* significat Christum totum, hoc est in se et membris, intrantem in caelum secretum aeternorum bonorum; quia *cum sanguine immolatorum extra* significat modum quo Christus totus caelos intravit, scilicet per sanguinem suum, quem effudit extra caelos, immolando seipsum in terra; quia *semel in anno,* hoc est integro cursu solis, significat unitatem sacrificii Christi in perfecto cursu *Solis Iustitiae* *, hoc est in aeternum, ut in responsione ad tertium dicitur *. * Malach. cap. [...] vers. 2. * Cf. not. θ.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM SACERDOTIUM CHRISTI FUERIT SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDECH

Infra, qu. lxi, art. 3, ad 3; IV *Sent.*, dist. viii, qu. i, art. 2, qu[a] 3; *Ad Heb.*, cap. vii, lect. i.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod sacerdotium Christi non fuerit secundum ordinem Melchisedech. Christus enim est fons totius sacerdotii, tanquam principalis sacerdos. Sed illud quod est principale, non sequitur ordinem aliorum[α], sed alia sequuntur ordinem ipsius. Ergo Christus non debet dici sacerdos secundum ordinem Melchisedech.

2. Praeterea, sacerdotium veteris legis propinquius fuit sacerdotio Christi quam sacerdotium quod fuit ante legem. Sed sacramenta tanto expressius significabant Christum, quanto propinquiora fuerunt Christo: ut patet ex his quae in Secunda Parte * dicta sunt. Ergo sacerdotium Christi magis debet denominari secundum sacerdotium legale quam secundum sacerdotium Melchisedech, quod fuit ante legem. * II[a] II[ae], qu. i, art. 7, arg. *Sed Cont.;* qu. ii, art. 7.

3. Praeterea, *Heb.* vii * dicitur: *Quod est rex pacis; sine patre, sine matre, sine genealogia; neque initium dierum neque finem vitae habens:* quae quidem conveniunt soli Filio Dei. Ergo non debet dici Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedech, tanquam cuiusdam alterius: sed secundum ordinem sui ipsius. * Vers. 2, 3.

Sed contra est quod dicitur in Psalmo *: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* * Ps. cix, vers. 4.

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, legale sacerdotium fuit figura sacerdotii Christi, non quidem quasi adaequans veritatem, sed multum ab ea deficiens: tum quia sacerdotium legale non mundabat peccata; tum etiam quia non erat aeternum, sicut sacerdotium Christi. Ipsa autem excellentia sacerdotii Christi ad sacerdotium Leviticum fuit figurata in sacerdotio Melchisedech, qui ab Abraham decimas sumpsit *, in cuius lumbis decimatus est quodammodo ipse sacerdos legalis *. Et ideo sacerdotium Christi dicitur esse *secundum ordinem Melchisedech,* propter excellentiam veri sacerdotii ad figurale sacerdotium legis. * Art. 4, ad 3. * Gen. cap. xiv, vers. 20. * Cf. ad Heb. cap. vii.

Ad primum ergo dicendum quod Christus non dicitur esse secundum ordinem Melchisedech quasi principalioris sacerdotis: sed quasi praefigurantis excellentiam sacerdotii Christi ad sacerdotium Leviticum.

Ad secundum dicendum quod in sacerdotio Christi duo possunt considerari: scilicet ipsa oblatio Christi, et participatio eius. Quantum autem ad ipsam oblationem, expressius figurabat sacerdotium Christi sacerdotium legale per sanguinis effusionem, quam sacerdotium Melchisedech, in quo sanguis non effundebatur. Sed quantum ad participationem huius sacrificii et eius effectum, in quo praecipue attenditur excellentia sacerdotii Christi ad sacerdotium legale, expressius praefigurabatur per sacerdotium Melchisedech, qui offerebat panem et vinum *, significantia, ut dicit Augustinus *, ecclesiasticam unitatem, quam con- * Gen. cap. [...] vers. 18. * In Ioan. Ev. tract. XXVI, [...] can. *Quia pa[...]* de Consecr., [...] II.

α) *aliorum.* – *alterius* editiones.

stituit participatio sacrificii Christi. Unde etiam in nova lege verum Christi sacrificium communicatur fidelibus sub specie panis et vini.

AD TERTIUM DICENDUM quod Melchisedech dictus est *sine patre et sine matre et sine genealogia*, et quod *non habet initium dierum neque finem*, non quia ista non habuit, sed quia in Scriptura sacra ista de eo non leguntur. Et per hoc ipsum, ut Apostolus ibidem dicit, *assimilatus est Filio Dei,* qui [β] in terris est sine patre, et in caelis sine matre et sine genealogia, secundum illud Isaiae LIII *, *Generationem eius quis enarrabit?* et secundum divinitatem neque principium neque finem habet dierum.

β

* Vers. 8.

β) *qui.* – Tertia; *quia.*

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus est. – In corpore articuli unica est conclusio: *Sacerdotium Christi est secundum ordinem Melchisedech.* Probatur. Sacerdotium Christi fuit praefiguratum per legale sacerdotium, et per sacerdotium Melchisedech: sed per illud, defective; per hoc, quantum ad excellentiam ipsius supra legale. Ergo est secundum ordinem Melchisedech.

Antecedens habet tres partes. Prima supponitur: quod sacerdotium Christi praefiguratum fuerit in utroque. – Secunda, quod defective in legali, probatur. Tum quia non mundabat peccatum. Tum quia non aeternum. – Tertia, quod excellentia figurata esset per Melchisedech, probatur. Quia excellentia istius per excellentiam illius repraesentata fuit. Quod autem illud fuerit excellentius legali, probatur: quia sacerdos legalis decimatus fuit in lumbis Abrahae decimas solventis Melchisedech; constat enim excellere illum cui decimae dantur. Hanc materiam diffuse tractat Apostolus, *ad Heb.* VII, unde sumpta est haec ratio.

II. Adverte hic quod sacrificium Christi sumitur dupliciter. Primo, secundum seipsum, ut ab ipso Christo oblatum est in ara crucis. Et sic consideratur dupliciter. Vel formaliter, secundum id quod in se est. Et hoc modo Christus cum dicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedech, intelligitur secundum ordinem dignitatis et excellentiae respectu sacerdotii legalis. – Vel causaliter, secundum suum effectum, unitatem scilicet membrorum Christi in caritate et pace. Et hoc modo, cum Christus dicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedech, intelligitur secundum ordinem proportionalis similitudinis inter res oblatas a Melchisedech, panem scilicet et vinum, et unitatem Ecclesiae. Quoniam, sicut tam panis quam vinum fit ex multis concurrentibus in unum, ut Augustinus dicit, et in littera * habetur; ita ex multis unum Christi corpus mysticum conficitur, *quod est Ecclesia* *, etc.

* In resp. ad 2.

* *Ad Coloss.* cap. I, vers. 24.

Secundo modo sumitur sacrificium Christi secundum suum memoriale sacrificium, quod scilicet Christus instituit in sua Ecclesia in suae passionis mortisque memoriam offerendum: ut quotidie fit in Eucharistiae sacrificio. Et sic, cum Christus dicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedech, intelligitur de ordine assimilationis in materia sacrificii. Nam panem et vinum assumi instituit in suo memoriali sacrificio pro materia Eucharistiae, sicut Melchisedech panem et vinum obtulerat in sacrificium.



QUAESTIO VIGESIMATERTIA

DE ADOPTIONE, AN CHRISTO CONVENIAT

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. xx, Introd.

DEINDE considerandum est an adoptio Christo conveniat *.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo: utrum Deo conveniat filios adoptare.

Secundo: utrum hoc conveniat soli Deo Patri.

Tertio: utrum sit proprium hominum adoptari in filios Dei.

Quarto: utrum Christus possit dici filius adoptivus.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM DEO CONVENIAT FILIOS ADOPTARE

Part. I, qu. xxxiii, art. 3; III *Sent.*, dist. x, qu. ii, art. 1, qª 1; IV *Cont. Gent.*, cap. xvii, in fine.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Deo non conveniat filios adoptare. Nullus enim adoptat nisi extraneam personam in filium: secundum quod iuristae dicunt *. Sed nulla persona est extranea Deo [α], qui est omnium Creator. Ergo videtur quod Deo non conveniat adoptare.

* Cf. Aul. Gell. *Noct. Attic.* lib. V, cap. xix, init.

2. PRAETEREA, adoptatio videtur esse introducta in defectu [β] filiationis naturalis. Sed in Deo invenitur naturalis filiatio: ut in Prima Parte * habitum est. Ergo non convenit Deo filios adoptare.

* Qu. xxvii, art. 2.

3. PRAETEREA, ad hoc aliquis adoptatur ut in hereditate adoptantis succedat. Sed in hereditate Dei non videtur aliquis posse succedere: quia ipse nunquam decedit. Ergo Deo non competit adoptare.

SED CONTRA EST quod dicitur *Ephes.* i *: *Praedestinavit nos in adoptionem filiorum Dei.* Sed praedestinatio Dei non est irrita. Ergo Deus aliquos sibi adoptat in filios.

* Vers. 5.

RESPONDEO DICENDUM quod aliquis homo adoptat alium sibi in filium inquantum ex sua bonitate admittit eum ad participationem suae hereditatis. Deus autem est infinitae bonitatis: ex qua contingit quod ad participationem bonorum [γ] suas creaturas admittit; et praecipue rationales creaturas, quae, inquantum sunt ad imaginem Dei factae, sunt capaces beatitudinis divinae. Quae quidem consistit in fruitione Dei: per quam etiam ipse Deus beatus est et per seipsum dives, inquantum scilicet seipso fruitur. Hoc autem dicitur hereditas alicuius ex quo ipse est dives. Et ideo, inquantum Deus ex sua bonitate admittit homines ad beatitudinis hereditatem, dicitur eos adoptare. – Hoc autem plus habet adoptatio divina quam humana, quod Deus hominem quem adoptat idoneum facit, per gratiae munus, ad hereditatem caelestem percipiendam: homo autem non facit idoneum eum quem adoptat, sed potius eum iam idoneum eligit adoptando.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod homo, in sua natura consideratus, non est extraneus a Deo quantum ad bona naturalia quae recipit: est tamen extraneus quantum ad bona gratiae et gloriae. Et secundum hoc adoptatur.

AD SECUNDUM DICENDUM quod hominis est operari ad supplendam suam indigentiam: non autem Dei, cui convenit operari ad communicandam suae perfectionis abundantiam. Et ideo, sicut per actum creationis communicatur bonitas divina omnibus creaturis secundum quandam similitudinem, ita per actum adoptionis communicatur similitudo naturalis filiationis hominibus: secundum illud *Rom.* viii *: *Quos praescivit conformes fieri imaginis Filii sui.*

* Vers. 29.

AD TERTIUM DICENDUM quod bona spiritualia possunt simul a pluribus possideri, non autem bona corporalia. Et ideo hereditatem corporalem nullus potest percipere nisi succedens decedenti: hereditatem autem spiritualem simul omnes ex integro percipiunt, sine detrimento Patris semper viventis.

Quamvis posset dici quod Deus decedit secundum quod est in nobis per fidem, ut incipiat [δ] in nobis esse per speciem: sicut Glossa * dicit, *Rom.* viii, super illud *, *Si filii, et heredes.*

* Ord.
* Vers. 17.

α) *Deo.* – *a Deo* P.
β) *in defectu.* – I; *ex defectu* ed. *a*, *in defectum* ceteri.
γ) *bonorum.* – *suorum* addunt F et tertia.
δ) *ut incipiat.* – *et incipiet* PG.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. *Adoptare* enim significat facere sibi filium adoptivum.

In corpore unica est conclusio: *Deo convenit adoptare.* Probatur et declaratur. Probatur quidem sic. Deus ex sua bonitate admittit homines ad divinae beatitudinis hereditatem. Ergo Deo convenit adoptare. – Antecedens continet tria: primo, causam, scilicet quod ex bonitate; secundo, terminum, scilicet divinam beatitudinem; tertio, modum seu formam, scilicet hereditatem. Et quoad singula in littera probatur. Quoad causam: quia Deus ex sua bonitate admittit omnes creaturas ad suae bonitatis participationem, et praecipue rationales. Quoad terminum: quia creaturae rationales sunt capaces divinae beatitudinis, quia sunt ad imaginem Dei factae. Quoad formam hereditatis: quia divina beatitudo est qua Deus est beatus; ac per hoc, per seipsum dives; ac per hoc, hereditas. Prima sequela in littera non probatur: secunda autem probatur, quia illud est alicuius hereditas quo est dives. – Consequentia vero principalis probatur. Humana adoptio, ad cuius similitudinem divina dicitur, est qua aliquis ex sua bonitate constituit alium in successione suae hereditatis.

Declaratur autem ex differentia inter humanam et divinam adoptionem. Quia divina dignificat, idoneum faciendo hereditate: humana autem idoneum praesupponit quem heredem facit.

Et nota hic responsiones ad singula argumenta: quia necessariae valde sunt ad intellectum materiae huius.

II. Unum tamen restat hic dubium circa illud, *Beatitudo est qua Deus est dives.* Quoniam beatitudo spectat ad mentem, divitiae vero ad potentiam: constituunt enim divitiae potentem uti affluenter rebus ad possessionem pertinentibus.

Sed hoc facile solvitur dicendo, vel quod beatitudo facit causaliter divitem. Unde beato promissum est *: *Super omnia bona sua constituet eum.* – Vel quod beatitudo sumitur collective seu integraliter, ut ex suis omnibus partibus constat. Ad felicitatem enim requiritur potentia plena: alioquin non esset quis simpliciter felix. * Matth. cap. xxiv, vers. 47.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM ADOPTARE CONVENIAT TOTI TRINITATI

Supra, qu. III, art. 4, ad 3; III *Sent.*, dist. x, qu. II, art. 1, qu^a 2, 3.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod adoptare non conveniat toti Trinitati. Adoptatio enim dicitur in divinis ad similitudinem rerum humanarum. Sed in rebus humanis soli illi convenit adoptare qui potest filios generare: quod in divinis convenit soli Patri. Ergo in divinis solus Pater potest adoptare.

2. Praeterea, homines per adoptionem efficiuntur fratres Christi: secundum illud *Rom.* VIII *: *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Fratres autem dicuntur qui sunt filii unius patris: unde et Dominus dicit, Ioan. xx *: *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum.* Ergo solus Pater Christi habet filios adoptivos.

* Vers. 29.
* Vers. 17.

3. Praeterea, *Galat.* IV * dicitur: *Misit Deus Filium suum, ut adoptionem filiorum Dei reciperemus. Quoniam autem estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem, « Abba, Pater ».* Ergo eius est adoptare cuius est Filium et Spiritum Sanctum habere. Sed hoc est solius personae Patris. Ergo adoptare convenit soli personae Patris.

* Vers. 4 sqq.

Sed contra, eius est adoptare nos in filios quem nos Patrem possumus nominare: unde dicitur *Rom.* VIII *: *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, « Abba, Pater ».* Sed cum Deo dicimus, *Pater noster,* hoc pertinet ad totam Trinitatem: sicut et cetera nomina quae dicuntur de Deo relative ad creaturam, ut in Prima Parte * habitum est. Ergo adoptare convenit toti Trinitati.

* Vers. 15.
* Qu. xxxiii, art. 3, arg. 1. - Cf. ibid., qu. xlv, art. 6, arg. *Sed cont.*

Respondeo dicendum quod haec est differentia inter filium Dei adoptivum et Filium Dei [α] naturalem, quod Filius Dei naturalis est *genitus non factus:* filius autem adoptivus est factus, secundum illud Ioan. I *: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Dicitur tamen quandoque filius adoptivus esse genitus, propter spiritualem regenerationem, quae est gratuita, non naturalis: unde dicitur Iac. I *: *Voluntarie genuit nos verbo veritatis.* Quamvis autem generare in divinis sit proprium personae Patris, tamen facere quemcumque effectum in creaturis est commune toti Trinitati, propter unitatem naturae: quia, ubi est una natura, oportet quod ibi sit una virtus et una operatio; unde Dominus dicit, Ioan. v *: *Quaecumque facit Pater, haec et Filius similiter facit.* Et ideo homines adoptare in filios Dei convenit toti Trinitati.

* Vers. 12.
* Vers. 18.
* Vers. 19.

Ad primum ergo dicendum quod omnes personae humanae non sunt unius naturae secundum numerum, ut oporteat unam esse omnium operationem et unum effectum, sicut accidit in divinis. Et ideo quantum ad hoc non est possibile [β] attendi similitudinem utrobique.

Ad secundum dicendum quod nos per adoptionem efficimur fratres Christi quasi eundem Patrem habentes cum ipso: qui tamen alio modo est Pater Christi, et alio modo est Pater noster. Unde signanter Dominus, Ioan. xx, seorsum dixit, *Patrem meum:* et seorsum dixit, *Patrem vestrum.* Est enim Pater Christi naturaliter generando, quod est proprium sibi: est autem noster [γ] voluntarie aliquid faciendo, quod est commune sibi et Filio et Spiritui Sancto. Et ideo Christus non est filius totius Trinitatis, sicut nos.

Ad tertium dicendum quod, sicut dictum est *,

* Art. praeced., ad 2.

α) *Filium Dei.* – Om. tertia praeter I.
β) *est possibile.* – *potuit* tertia; pro *similitudinem, similitudo* omnes.
γ) *noster.* – *Pater noster* PFc; I bis habet alteram solutionis partem *et seorsum dixit* etc., et primo loco legit *noster,* altero *Pater noster.*

filiatio adoptiva est quaedam similitudo filiationis aeternae: sicut omnia quae in tempore facta sunt, similitudines quaedam sunt eorum quae ab aeterno fuerunt. Assimilatur autem homo splendori aeterni Filii per gratiae claritatem, quae attribuitur Spiritui Sancto. Et ideo adoptatio [δ], licet sit communis toti Trinitati, appropriatur tamen Patri ut auctori, Filio ut exemplari, Spiritui Sancto ut imprimenti in nobis huius similitudinem exemplaris.

δ) *adoptatio.* – *adoptio* AFI*ab*.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore unica est conclusio: *Adoptare homines in filios Dei convenit toti Trinitati.* Probatur. Facere quemcumque effectum in creaturis commune est toti Trinitati. Sed filius adoptivus est factus, non genitus naturali generatione a Deo. Ergo adoptare est commune toti Trinitati.

Maior tripliciter probatur. Primo, ex opposito: quia generare naturaliter in divinis proprium est Patri. – Secundo, quia una est substantia Trinitatis. Ubi autem est una substantia, est unica virtus et operatio. – Tertio, auctoritate: *Quaecumque facit Pater.*

Minor declaratur ex differentia inter Filium Dei naturaliter, et adoptivum: quia ille *genitus non factus;* iste factus, non genitus naturaliter. Et notanter apponitur ly *naturaliter:* quia generatio est duplex, naturalis et gratuita; illa propria est Filio; haec convenit adoptivis, et ad facere spectat, est enim faciendi quaedam species.

II. In responsionibus argumentorum, memento differentiae inter *proprium* et *appropriatum* *: et videbis adoptionem nostram non propriam alicui personae divinae, sed communem tribus; appropriatam autem Patri ut auctori, et ideo peculiariter dicitur ipse *Pater noster;* Filio ut exemplari, et ideo *Frater noster,* quasi similis, communicans in Patre *; Spiritui Sancto ut quasi executori in suo appropriato, quod est caritas, qua sumus filii Dei; et ideo Spiritus Sanctus dicitur *Spiritus adoptionis filiorum* *.

* Cf. Part. I, q xxxix, art. 7.
* Cf. *ad Heb* cap. ii, vers. 1
* *Ad Rom.*, ca viii, vers. 15.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM ADOPTARI SIT PROPRIUM RATIONALIS CREATURAE

III *Sent.*, dist. x, qu. ii, art. 2, qu[a] 1, 2.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod adoptari non sit proprium rationalis creaturae. Non enim Deus Pater creaturae rationalis dicitur [α] nisi per adoptionem. Dicitur autem Pater creaturae etiam irrationalis: secundum illud *Iob* xxxviii *: *Quis est pluviae Pater? Aut quis genuit stillas roris?* Ergo adoptari non est proprium rationalis naturae.

* Vers. 28.

2. Praeterea, per adoptionem dicuntur aliqui filii Dei. Sed esse filios Dei in Scriptura proprie videtur attribui angelis: secundum illud *Iob* i *: *Quadam autem die, cum assisterent filii Dei coram Domino.* Ergo non est proprium rationalis creaturae adoptari.

* Vers. 6.

3. Praeterea, quod est proprium alicui naturae, convenit omnibus habentibus naturam illam: sicut risibile convenit omnibus hominibus. Sed adoptari non convenit omni [β] rationali naturae. Ergo adoptari non est proprium rationalis naturae.

Sed contra est quod filii adoptati sunt *heredes Dei,* ut patet *Rom.* viii *. Sed talis hereditas convenit soli creaturae rationali. Ergo proprium rationalis creaturae est adoptari.

* Vers. 17.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est *, filiatio adoptionis est quaedam similitudo filiationis naturalis. Filius autem Dei naturaliter procedit a Patre ut Verbum intellectuale, unum cum ipso Patre existens. Huic ergo Verbo tripliciter potest aliquid assimilari. Uno quidem modo, secundum rationem formae, non autem secundum intellectualitatem ipsius: sicut forma domus exterius constitutae assimilatur verbo mentali artificis secundum speciem formae, non autem secundum intelligibilitatem, quia forma domus in materia non est intelligibilis, sicut erat in mente artificis. Et hoc modo Verbo aeterno assimilatur quaelibet creatura: cum sit facta per Verbum. – Secundo, assimilatur creatura Verbo, non solum quantum ad rationem formae, sed etiam quantum ad intellectualitatem ipsius: sicut scientia quae fit in mente discipuli, assimilatur verbo quod est in mente magistri. Et hoc modo creatura rationalis, etiam secundum suam naturam, assimilatur Verbo Dei. – Tertio modo, assimilatur creatura Verbo aeterno secundum unitatem quam habet ad Patrem, quod quidem fit per gratiam et caritatem: unde Dominus orat, Ioan. xvii *: *Sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus.* Et talis assimilatio perficit rationem adoptionis: quia sic assimilatis debetur hereditas aeterna.

* Art. 1, ad 2.
* Vers. 21, 22.

Unde manifestum est quod adoptari convenit soli creaturae rationali: non tamen omni, sed solum habenti caritatem. Quae *est diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum,* ut dicitur *Rom.* v *. Et ideo, *Rom.* viii **, Spiritus Sanctus dicitur *Spiritus adoptionis filiorum.*

* Vers. 5.
** Vers. 15.

Ad primum ergo dicendum quod Deus dicitur Pater creaturae irrationalis, non proprie per adoptionem, sed per creationem: secundum primam participationem similitudinis *.

* Cf. corp. ar

α) *Non... dicitur.* – *Non enim dicitur Deus Pater creaturae* tertia.

β) *omni.* – F et tertia; *proprie.*

Ad secundum dicendum quod angeli dicuntur filii Dei filiatione adoptionis, non quia ipsis primo conveniat: sed quia ipsi primo adoptionem filiorum receperunt.

Ad tertium dicendum quod adoptio non est proprium consequens naturam, sed consequens gratiam, cuius natura rationalis est capax. Et ideo non oportet quod omni rationali creaturae conveniat: sed quod omnis rationalis creatura sit capax adoptionis.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus, ut sonat. – In corpore unica est conclusio: *Adoptari convenit creaturae rationali soli, non omni.* Probatur. Filius Dei naturaliter procedit a Patre ut Verbum intellectuale unum cum ipso Patre existens: et filiatio adoptionis est similitudo filiationis naturalis, non tantum secundum formam aut gradum intelligibilitatis, sed secundum unitatem. Ergo adoptari convenit creaturae rationali soli, non omni.

Antecedens, quoad primam propositionem, includit tres conditiones ad propositum Filii Dei: prima est, quod Verbum; secunda, quod intellectuale; tertia, quod unum cum Patre. Et ideo ex ipsa propositione deducitur triplex modus ac gradus assimilationis ad Filium Dei, seu ad Verbum. Primus, per imitationem formae quam habet in Verbo, quod est omnium eminentissima similitudo. Et hic communis omnibus est quae per Verbum facta sunt. – Secundus, per imitationem etiam gradus immaterialitatis. Et hic proprius rationalibus est, quae sola sunt immaterialia. – Tertius, per imitationem etiam unitatis ad Deum. Et hic est proprius gratiam caritatis habentibus.

Secunda autem propositio antecedentis ex praemissis clarificata quoad terminos est. Et quoad ultimam partem, dupliciter probatur. Primo, quia assimilatio secundum huiusmodi unitatem fit per gratiam caritatis: ut patet ex auctoritate Domini, Ioan. xvii. – Secundo, quia talis assimilatio perficit rationem adoptionis, sicut rationale perficit rationem hominis. Probatur: quia sic similibus Filio Dei debetur hereditas aeterna.

Consequentia vero, quoad ly *soli,* evidens ex se est: quia talis similitudo in sola rationali natura inveniri potest. – Quo vero ad ly *sed non omni,* probatur. Quia non omnium rationalium est caritas per Spiritum Sanctum.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CHRISTUS, SECUNDUM QUOD HOMO, SIT FILIUS DEI ADOPTIVUS

Infra, qu. xxxii, art. 3; III *Sent.*, dist. iv, qu. i, art. 2, qu^a 1; qu^a 2, ad 3; dist. x, qu. ii, art. 2, qu^a 3; dist. xi, art. 3, ad 2; dist. xii, qu. i, art. 1, ad 1; dist. xviii, art. 4, qu^a 1, ad 1; IV *Cont. Gent.*, cap. iv; *De Verit.*, qu. xxix, art. 1, ad 1.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod Christus, secundum quod homo, sit filius Dei adoptivus. Dicit enim Hilarius *, de Christo loquens: *Potestatis dignitas non amittitur dum carnis humanitas adoptatur.* Ergo Christus, secundum quod homo, est filius adoptivus.

* De Trinit., lib. II, num. 27.

2. Praeterea, Augustinus dicit, in libro *de Praedest. Sanct.* *, quod *eadem gratia ille homo est Christus, qua gratia ab initio fidei quicumque homo est Christianus.* Sed alii homines sunt Christiani per gratiam adoptionis. Ergo et ille homo est Christus per adoptionem. Et ita videtur esse filius adoptivus.

* Cap. xv.

3. Praeterea, Christus, secundum quod homo, est servus. Sed dignius est esse filium adoptivum quam servum. Ergo multo magis Christus, secundum quod homo, est filius adoptivus.

Sed contra est quod Ambrosius dicit, in libro *de Incarnat.* *: *Adoptivum filium non dicimus filium esse natura: sed eum dicimus natura esse filium qui verus est filius.* Christus autem verus et naturalis est Filius Dei: secundum illud I Ioan. ult. *: *Ut simus in vero Filio eius, Iesu Christo.* Ergo Christus, secundum quod homo, non est filius adoptivus.

* Cap. viii.

* Vers. 20.

Respondeo dicendum quod filiatio proprie convenit hypostasi vel personae, non autem naturae: unde in Prima Parte * dictum est quod filiatio est proprietas personalis. In Christo autem non est alia persona vel hypostasis quam increata, cui convenit esse Filium per naturam. Dictum est autem supra * quod filiatio adoptionis est participata similitudo filiationis naturalis. Non autem dicitur aliquid [α] participative quod per se dicitur. Et ideo Christus, qui est Filius Dei naturalis, nullo modo potest dici filius adoptivus.

* Qu. xxxii, art. 3; qu. xxxiv, art. 2, ad 3; qu. xl, art. 1, ad 1.

* Art. 1, ad 2.

Secundum autem illos qui ponunt in Christo duas personas, vel duas hypostases, seu duo supposita, nihil rationabiliter prohibet [β] Christum hominem dici filium adoptivum.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut filiatio [γ] non proprie convenit naturae, ita nec adoptio. Et ideo, cum dicitur quod *carnis humanitas adoptatur,* impropria est locutio: et accipitur ibi *adoptio* pro unione humanae naturae ad personam Filii.

Ad secundum dicendum quod similitudo illa Augustini est intelligenda quantum ad principium: quia scilicet, sicut sine meritis habet quilibet homo ut sit Christianus, ita ille homo sine meritis habuit ut esset Christus. Est tamen differentia quantum ad terminum: quia scilicet Christus per gratiam unionis est Filius naturalis; alius autem per gratiam habitualem est filius adoptivus. Gratia autem habitualis in Christo non facit de non-filio filium adoptivum: sed est quidam effectus filiationis in anima Christi, secundum illud Ioan. i *: *Vidimus gloriam eius quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.*

* Vers. 14.

Ad tertium dicendum quod esse creaturam, et etiam servitus vel subiectio ad Deum, non solum respicit personam, sed etiam naturam: quod non potest dici de filiatione. Et ideo non est similis ratio.

α) *dicitur aliquid. – recipitur aliquid* I, *recipitur dici aliquid* Gbc, *recipitur aliquid dici* P.

β) *prohibet. – pro* A, *prohiberet* P.

γ) *filiatio.* – EF et tertia; *filius.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore articuli unica est conclusio: ***Christus nullo modo potest dici filius Dei adoptivus.*** Probatur haec conclusio dupliciter *. Primo. Christus est naturalis Filius Dei. Ergo non potest dici Filius Dei adoptivus.

* Cf. num. IV.

Antecedens probatur. Quia filiatio convenit, non naturae, sed personae: ut patet ex ante dictis. Persona autem Christi unica et increata est. – Consequentia probatur, praesupposita ratione terminorum: scilicet quod filiatio adoptiva est quaedam participatio filiationis naturalis, quod ex dictis patet. Probatur ergo: quia quod dicitur per se, non dicitur participative.

II. Adverte hic quod Auctor, summarie scribens, plus probat quam exprimat. Huic enim conclusioni et rationi non potest nisi dupliciter obstari: vel recedendo a sententia fidei, ponendo in Christo plures personas vel hypostases; et hoc Auctor tangit in his quae subiungit *: – vel ponendo quod filiatio potest denominare Christum ratione solius naturae, sicut passio, crucifixio, nativitas, et huiusmodi. Secundum hoc enim posset Christus, ratione naturae humanae assumptae in gratia et gloria beatitudinis participatae, dici filius adoptivus: sicut dicitur beatus beatitudine participata, ratione naturae assumptae. Et hoc Auctor excludit in principio corporis, per hoc quod filiatio non naturae, sed personae convenit: et propterea non potest Christo convenire filiatio adoptiva ratione naturae humanae. Excluso autem quod non convenit Christo adoptiva filiatio ratione naturae humanae, cum sit Filius Dei per se, seu naturalis, consequens est quod non possit dici Dei filius participative: id enim quod per se dicitur, non participative dicitur. Et hoc solo modo posset participative dici, si ratione naturae assumptae filiatio adoptiva ei conveniret: quod exclusum est.

* In fine corp.

III. Nota hic, pro clariori intellectu, ex responsione ad secundum, quod, sicut in humanis is qui est filius naturalis, etc., non adoptatur in filium, sed hereditas sibi debetur quia filius; ita Christus, ut homo, habet quidem omnia bona patriae et viae quae debentur filiis adoptivis, sed non ex vi seu iure adoptionis, sed ex hoc quod est Filius Dei naturalis, habet in natura assumpta hereditatem Dei. Ita quod non fuit opus Christo, ad hoc ut natura sua humana haberet dona patriae et viae, ut adoptaretur a Deo: quoniam ex hoc ipso quod erat Dei naturalis Filius, debebatur sibi ut natura assumpta haberet illa, testante hoc Ioanne: *Vidimus,* inquit, *gloriam eius,* scilicet Verbi incarnati, *gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.*

Et hinc patet quod non est eadem ratio de beatitudine duplici in Christo, scilicet divina et participata, et de filiatione duplici, scilicet naturali et adoptiva. Illa enim dualitas necessaria est ut natura assumpta sit perfecta. Sed ista non est necessaria, nec conveniens dignitati Christi: quoniam derogat dignitati Filii veri quod heres fiat adoptione.

IV. Demum Auctor ex opposito errore confirmat conclusionem et probationem *, dicens quod opposita conclusio consonat errori ponentium in Christo plures hypostases.

* Cf. num. I.



QUAESTIO VIGESIMAQUARTA

DE PRAEDESTINATIONE CHRISTI

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. xx, Introd.

Deinde considerandum est de praedestinatione Christi *.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

α Primo: utrum sit [α] praedestinatus.

Secundo: utrum sit praedestinatus secundum quod homo.

Tertio: utrum eius praedestinatio sit exemplar praedestinationis nostrae.

Quarto: utrum sit causa praedestinationis nostrae.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM CHRISTO CONVENIAT PRAEDESTINATUM ESSE

I *Sent.*, dist. XL, qu. II; III, dist. X, qu. III, qu[a] 1; dist. XI, art. 4, ad 4; *Ad Rom.*, cap. I, lect. III.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod Christo non conveniat praedestinatum esse. Terminus enim cuiuslibet [β] praedestinationis videtur esse adoptio filiorum: secundum illud *Ephes.* I *: *Praedestinavit nos in adoptionem filiorum.* Sed Christo non convenit esse filium adoptivum, ut dictum est *. Ergo Christo non convenit praedestinatum esse.

* Vers. 5. — * Qu. XXIII, art. 4.

2. Praeterea, in Christo duo est considerare: scilicet naturam humanam, et personam. Sed non potest dici quod Christus est praedestinatus ratione naturae humanae: quia haec est falsa, *Humana natura est Filius Dei.* Similiter etiam neque ratione personae: quia illa persona non habet ex gratia quod sit Filius Dei, sed ex natura; praedestinatio autem est eorum quae sunt ex gratia, ut in Prima Parte * dictum est. Ergo Christus non est praedestinatus Filius Dei.

* Qu. XXIII, art. 2, ad 4; art. 5.

3. Praeterea, sicut illud quod est factum non semper fuit, ita et illud quod fuit [γ] praedestinatum: eo quod praedestinatio antecessionem quandam importat. Sed, quia Christus semper fuit Deus et Filius Dei, non proprie dicitur quod homo ille sit *factus Filius Dei.* Ergo, pari ratione, non debet dici quod Christus sit *praedestinatus Filius Dei.*

Sed contra est quod Apostolus dicit, *Rom.* I *, de Christo loquens: *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute.*

* Vers. 4.

Respondeo dicendum quod, sicut patet ex his quae in Prima Parte * dicta sunt, praedestinatio, proprie accepta, est quaedam divina praeordinatio ab aeterno de his quae per gratiam Dei sunt fienda in tempore. Est autem hoc in tempore factum per gratiam unionis a Deo, ut homo esset Deus et Deus esset homo. Nec potest dici quod Deus ab aeterno non praeordinaverit hoc se facturum in tempore: quia sequeretur quod divinae menti aliquid accideret de novo. Et [δ] oportet dicere quod ipsa unio naturarum in persona Christi cadat sub aeterna Dei praedestinatione. Et ratione huius Christus dicitur esse praedestinatus.

* Qu. XXIII, art. 2.

Ad primum ergo dicendum quod Apostolus ibi loquitur de praedestinatione qua nos praedestinamur ut simus filii adoptivi. Sicut autem Christus [ε] singulari modo prae aliis est Dei Filius naturalis, ita quodam singulari modo est praedestinatus.

Ad secundum dicendum quod, sicut dicit Glossa * *Rom.* I *, quidam ** dixerunt praedestinationem illam intelligendam esse de natura, non de persona: quia scilicet humanae naturae facta est haec gratia ut uniretur Filio Dei in unitate personae.

* Lomb. — * Vers. 4; cf. arg. *Sed contra.* — ** Haym. *Expos. in Epist. ad Rom.*, in hunc loc.

Sed secundum hoc, locutio Apostoli est impropria, propter duo. Primo quidem, ratione communi. Non enim dicimus naturam alicuius praedestinari, sed personam [ζ]: quia praedestinari est dirigi in salutem, quod quidem est suppositi agentis propter beatitudinis finem. – Secundo, ratione speciali. Quia esse Filium Dei non convenit humanae naturae: est enim haec falsa, *Natura humana est Filius Dei.* Nisi forte quis velit sic exponere, extorta expositione: *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute,* idest, *Praedestinatum est ut humana natura uniretur Filio Dei in persona.*

Relinquitur ergo quod praedestinatio attribuatur personae Christi: non quidem secundum se, vel secundum quod subsistit in divina natura; sed secundum quod subsistit in humana natura. Unde, cum praedixisset * Apostolus, *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem,* subiunxit, *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute:* ut

* Vers. 3.

α) *sit.* – *Christus sit* F et tertia.
β) *cuiuslibet.* – Om. tertia.
γ) *fuit.* – *est* tertia.
δ) *Et.* – *Et ita* E, *Et ideo* F et tertia.
ε) *Christus.* – EF et tertia; om.
ζ) *personam.* – *ipsum* GIb, *ipsum suppositum* Pc.

daret intelligere quod, secundum hoc quod est factus ex semine David secundum carnem, est praedestinatus Filius Dei in virtute. Quamvis enim sit naturale illi personae secundum se consideratae quod sit Filius Dei in virtute, non tamen est ei naturale secundum naturam humanam, secundum quam hoc sibi competit per gratiam unionis.

Ad tertium dicendum quod Origenes, *super Epistolam ad Rom.* *, dicit hanc esse litteram Apostoli: *Qui destinatus* [η] *est Filius Dei in virtute:* ita quod non designetur aliqua antecessio. Et sic nihil habet difficultatis.

* Lib. I, ad cap. I, vers. 4.

Alii * vero antecessionem quae designatur in hoc participio *praedestinatus,* referunt, non ad id quod est esse Filius [θ] Dei, sed ad eius manifestationem, secundum illum consuetum modum loquendi in Scripturis quo *res dicuntur fieri quando innotescunt* *: ut sit sensus quod *Christus praedestinatus est manifestari Filius Dei.* – Sed sic non proprie praedestinatio accipitur. Nam aliquis dicitur proprie praedestinari secundum quod dirigitur in finem beatitudinis. Beatitudo autem Christi non dependet ex nostra cognitione.

* Gloss. Ord. et Lomb., sub nom. Ambros.

* Cf. Hugon. a S. Vict., *Qq. in Ep. ad Philipp.*, qu. IX.

Et ideo melius dicendum est quod illa antecessio quam importat hoc participium *praedestinatus,* non refertur ad personam secundum seipsam, sed ratione humanae naturae: quia scilicet persona [ι] illa etsi ab aeterno fuerit Filius Dei, hoc tamen non fuit semper, quod subsistens in natura humana fuerit Filius Dei. Unde dicit Augustinus, in libro *de Praedest. Sanct.* *: *Praedestinatus est Iesus ut qui futurus erat secundum carnem Filius David* [κ], *esset tamen in virtute Filius Dei.*

* Cap. XV.

Et est considerandum quod, licet hoc participium *praedestinatus* importet antecessionem, sicut et hoc participium *factus,* aliter tamen et aliter. Nam fieri pertinet ad ipsam rem secundum quod in se est: praedestinari autem pertinet ad aliquem secundum quod est in apprehensione alicuius praeordinantis. Id autem quod subest alicui formae vel naturae secundum rem, potest apprehendi vel prout est sub forma illa, vel etiam absolute. Et quia absolute non convenit personae Christi quod incoeperit esse Filius Dei, convenit autem ei secundum quod intelligitur vel apprehenditur ut in natura humana existens, quia scilicet hoc aliquando incoepit esse quod in natura humana existens esset Filius Dei: ideo magis est haec vera, *Christus est praedestinatus Filius Dei,* quam ista, *Christus est factus Filius Dei.*

η) *destinatus.* – *praedestinatus* omnes.
θ) *Filius.* – *Filium* F et tertia.
ι) *persona.* – F et tertia; *et persona.*
κ) *secundum carnem Filius David.* – Tertia; *Filius Dei secundum carnem* F, *Filius secundum carnem dicendus* ceteri. – *tamen* om. PF.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus, ut iacet, sine additione aliqua sumendus est.

In corpore una est conclusio: *Christus est praedestinatus.* Probatur. Praedestinatio proprie est divina ab aeterno praeordinatio eorum quae per gratiam sunt fienda in tempore. Sed Deum esse hominem, et e converso, est quoddam factum in tempore per gratiam unionis, et praeordinatum a Deo ab aeterno: alioquin aliquid novi divinae menti accideret. Ergo unio illa est praedestinata. Ergo Christus est praedestinatus.

II. Adverte sensum litterae intentum ab Auctore. Et ut discernas doctrinam Auctoris ab aliorum sententiis, recolito quod praedestinationis nomen in sacris litteris dupliciter venit in usum: vel simpliciter, hoc est, sine additione aliqua, ut cum dicimus, *Sanctus Petrus fuit praedestinatus;* vel cum determinatione aliqua, ut cum dicimus quod Magdalena fuit praedestinata ad lavandum Christi pedes lacrymis, et latro ad confitendum regnum Christi pendentis in cruce, et similia. Et quoniam communi usu praedestinatio absolute respicit aeternam felicitatem ut terminum, est enim ratio ordinis electorum in vitam aeternam, ut in Prima Parte * habitum est; ideo Durandus, in III *Sent.,* dist. VII *, dicit quod praedestinatio absolute est respectu beatitudinis; distinguens praedestinationem Christi qua praedestinatus est Filius Dei, a praedestinatione absolute, et dicens eam esse praedestinationem *ad hoc,* scilicet esse Filium Dei.

* Qu. XXIII, art. 1, 2.
* Qu. III.

Scotus quoque, ibidem *, praedestinationem Christi ponit in ordine ad beatitudinem: quasi gratia unionis fuerit medium in Christo ad gratiam summae beatitudinis animae suae.

* Qu. III.

Divus autem Auctor, intuens gratiam unionis esse excellentius quid gratia summae beatitudinis creatae, quanto maius est esse Deum quam frui Deo; et gratiam summae beatitudinis consequi ad gratiam unionis, non ut finis sequitur ad medium, sed ut proprietas ad substantiam, ut calor ad ignem: posuit praedestinationem absolute communiter quidem respicere gratiam vitae aeternae ut terminum, singulariter autem in Christo respicere gratiam unionis, ut in responsione ad primum littera monstrat.

III. Et si perspicacius consideraveris, videbis tria: scilicet gratiam vitae aeternae, gratiam unionis, et gratiam in communi. Et quia gratia aeternae felicitatis communis est omnibus electis in Dei filios adoptivos, penes illam definita fuit praedestinatio filiorum adoptionis, de qua in Prima Parte * tractatum est. Quia vero gratia unionis propria est naturali Dei Filio, et longe eminentior prima, ideo penes istam concluditur praedestinatio Christi. Consonat namque rationi ut excellentior gratia, termini simpliciter rationem habens, magis terminet praedestinationem simpliciter, si minor illam terminat.

* Qu. XXIII.

Quia autem gratia beatitudinis patriae includit in se rationem gratiae, et rationem gratiae per se primo summi et ultimi termini, ut species claudit in se rationem generis; et tam gratia aeternae vitae quam gratia unionis convenit in ratione per se primo termini summi et ultimi, quantum est ex propriis generationibus: quod ideo apposuerim quia, si beatitudo alicuius non propria generatione fieret, sed consecutive haberetur, non haberet rationem per se primo termini, sed consequentis ad terminum; ut in Christo dictum est * contigisse: – quia, inquam, hoc in se claudit, ideo Auctor in littera et praedestinationem proprie acceptam dicit respicere gratiam, et hoc haberi ex ante dictis in Prima Parte. Verissimum siquidem est hoc, non solum ut sonat, sed ut inducit ad excellentius genus gratiae et termini gratuiti. Si enim gratia consummata sufficit ad terminum praedestinationis simpliciter, ut dictum est; multo magis gratia unionis, quae parit gratiam consummatam ut proprietatem, sufficiens est ut terminet praedestinationem etiam absolute. Et propterea littera dicit quod ratione gratiae unionis Christus dicitur esse praedestinatus, non *ad hoc vel illud,* sed, *praedestinatus.*

* Num. praeced., *Divus autem.*

IV. In responsionibus ad secundum et tertium, attende

primo quod, secundum rem, nulla est inter Catholicos quaestio de praedestinatione Christi ad filiationem Dei per gratiam unionis naturae humanae ad Filium Dei: sed quaestio est de verificatione sermonis Pauli Apostoli proprie vel improprie, in hoc vel illo sensu. Auctor, supponens locutionem Apostoli esse propriam, et intelligi non de aliquo consequente ad Filium Dei, puta manifestatione, difficilem suscepit provinciam verificandi illam de persona Christi. Ultra expositionem namque illam referentem praedestinationem ad naturam *; et alteram, Ambrosii **, referentem ad manifestationem Christi; referri quoque potest praedestinatio Christi ad Filium Dei *in virtute actuali,* ita quod Filius Dei, *ex semine David secundum carnem, praedestinatus est Filius Dei in virtute actualis operationis sanctificativae et reparativae mundi;* ita quod totum coniunctum, scilicet *Filius Dei in virtute actuali,* est terminus praedestinationis.

[* Ad. 2. ** Ad 3.]

Et licet haec expositio satis consonet litterae Apostoli subiungentis opera sanctificationis et resurrectionis mortuorum; quia tamen exponitur etiam quod Filius Dei absolute sit terminus praedestinationis, ut Auctor, cum Glossa * ibidem, sustinet: ideo, hanc prosequendo, adverte secundo, quod Auctor ponit Christum praedestinatum ratione naturae, ita quod ipsa persona Christi, ratione assumptae naturae, denominatur praedestinata ad Dei filiationem. Considerat quippe aeternam Christi personam dupliciter. Vel secundum se, seu absolute: et sic negat ipsam praedestinatam ad filiationem Dei, quia est ipsa Dei filiatio per essentiam. Vel secundum quod induta est humanitatem: et sic affirmat ipsam praedestinatam ad filiationem Dei, quia, ut sic, per gratiam unionis assecuta est filiationem Dei.

[* Interlin. et Ord. Aug.]

Quod ut clarius percipias, utere positionibus haereticorum: et ex differentia illarum ad sententiam fidei, videbis veritatem, necessitatem, proprietatemque huius sensus. Si enim Verbum indutum esset carnem, ut haeretici fingunt *, vel per inhabitationem aut affectionem, aut quovis modo non personaliter; falsum esset quod Verbum secundum carnem praedestinatum est ut sit Filius Dei per gratiam unionis: quoniam secundum carnem non esset personaliter unitum sibi Dei Filio. Sed si (pro *quia*) Verbum secundum carnem est personaliter unitum sibi ipsi, ideo verum est dicere de Filio Dei, *qui ex semine David est secundum carnem,* quod *praedestinatus est Filius Dei.* Significat enim hic sermo quod ab aeterno praedestinatum est de Filio Dei naturali ut secundum carnem sit per gratiam unionis Filius Dei: quod est carnem esse personaliter unitam Filio Dei.

[* Cf. qu. II, art. 6.]

V. Occurrit hic dubium ex Durando, in III *Sent.,* dist. VII, qu. III, dicente hanc locutionem esse impropriam, propter defectum duarum conditionum requisitarum ad praedestinationem. Praedestinatio enim, primo, est ad ea quae excedunt virtutem praedestinati. Nihil autem est quod excedat virtutem Verbi incarnati. – Praedestinatio rursus est ad id quod est posterius, natura saltem, praedestinato: quia est ad gratuitum aliquod; gratia autem supponit naturam. Constat autem quod esse Filium Dei per gratiam unionis non est posterius natura aut intellectu Verbo incarnato. – Non est igitur propria haec locutio: *Christus praedestinatus est Filius Dei.*

Ad haec dicitur quod satis salvatur prima praedestinationis conditio si id ad quod quis praedestinatur, excedit virtutem praedestinati vel absolute, vel quatenus praedestinatus est. Sic autem est in proposito. Quoniam unio personalis ad Filium Dei, etsi non excedit propriam virtutem Verbi absolute, excedit tamen virtutem ipsius secundum carnem, secundum quam est praedestinatum.

Secunda autem conditio, de prioritate naturae, distinguitur: vel secundum rem; vel secundum intellectum. Et dicitur quod, licet non sit prius natura Verbum incarnatum quam Verbum incarnatum esse Filium Dei per gratiam unionis, tamen, secundum considerationem abstractivam intellectus, prius natura est Verbum incarnatum quam modus incarnationis, scilicet per unionem personalem. Manifestatur autem talis prioritas ex convenientia et differentia inter nos et haereticos. Nam Verbum incarnatum intelligitur ut commune quid apprehensum a nobis et illis; et differentia est circa speciales unionis modos, dum illi per modum templi vel habitus, etc. *; nos autem per personalem unionem Verbum incarnatum dicimus. Quocirca, licet secundum rem nullus sit ibi ordo, secundum apprehensionem tamen intellectus, qui natus est non solum coniuncta dividere, sed etiam unum et idem a seipso abstrahere, inter Verbum ut habens carnem, et seipsum ut habens carnem personaliter iunctam, ordo est naturae sicut inter commune et proprium. Et propterea praedestinatio, quae actus est mentis et ad rem sub certa apprehensione tendit, ex hoc ipso quod ad Verbum cum carne terminatur, determinat ad unionem personalem, excludendo ceteros alios modos quibus Verbum cum carne praeordinari potuisset. Et ob hoc Filius Dei naturalis, factus ex semine David Filius Hominis, praedestinatus dicitur et est Filius Dei.

[* Cf. num. praec., *Quod ut clarius.*]

VI. In responsione ad tertium *, perspice primo, litteram Apostoli apud Origenem esse punctuatam sic quod ly *praedestinatus* est adiectivum subiecti, et non est pars copulae seu praedicati. Ita quod dixit, *qui, praedestinatus,* tanquam si dixisset, *qui, omnipotens,* vel quodvis aliud apposuisset subiecto. Et subdit copulam cum praedicato: *est Filius Dei in virtute.* Et sic littera nihil habet difficultatis: quoniam verum est quod Christus est praedestinatus, et quod est Filius Dei in virtute.

[* Cf. not. η.]

Nota secundo, quod Auctor comparative de harum propositionum, scilicet, *Christus praedestinatus est Filius Dei, Christus factus est Filius Dei,* veritate loquitur, dicendo quod prima est *magis vera:* ac per hoc, utramque fatetur esse veram. *Christus* enim significat suppositum duarum naturarum: et ratione humanae naturae, utramque suscipit praedicationem, et quod praedestinatus est, et quod factus est Filius Dei; quoniam utrumque ei secundum humanam naturam convenit per gratiam unionis. Magis tamen prima conceditur: quia abstractio Christi secundum naturam humanam a seipso secundum unionem personalem, magis intelligitur supponere ipsum praedestinationi, quae est mentis actus, quam factioni reali; cum ibi sufficiat ordo naturae secundum intellectum, qui minus sufficit ad factionem.

Cum his tamen retine quod ista est impropria, *Christus factus est Filius Dei:* multo plus quam illa, *Homo est factus Deus.* Quia *homo* potest habere suppositionem simplicem, ut superius * patuit: *Christus* autem pro persona supponit. Et propterea locutiones istae non sunt extendendae, sed pie exponendae, et, quoad sensum, reducendae ad sensum simplicis suppositionis pro humana natura in concreto: iuxta hoc quod in littera dicitur: *Aliquando incoepit esse quod existens in natura humana esset Filius Dei.* Hoc enim verissimum est de existente in natura humana, communiter loquendo: quamvis *hic existens in natura humana* nunquam incoeperit esse Deus, propter falsitatem exponentis negativae, *Hic existens in natura humana immediate ante non fuit Deus;* hic enim est Deus *heri, hodie et in saecula* *.

[* Qu. XVI, art. 7, Comment.]

[* *Ad Heb.* cap. XIII, vers. 8.]

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM HAEC SIT FALSA: *CHRISTUS, SECUNDUM QUOD HOMO, EST PRAEDESTINATUS ESSE FILIUS DEI*

III *Sent.*, dist. VII, qu. III, art. 1; dist. X, qu. I, art. 1, qu[a] 3; IV *Cont. Gent.*, cap. IX; *Ad Rom.*, cap. I, lect. III.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod haec sit falsa: *Christus, secundum quod homo, est praedestinatus esse Filius Dei.* Hoc enim est unusquisque secundum aliquod tempus quod est praedestinatus esse: eo quod praedestinatio Dei non fallitur. Si ergo Christus, secundum quod homo, est praedestinatus Filius Dei, videtur sequi quod sit Filius Dei secundum quod homo. Hoc autem est falsum. Ergo et primum.

2. PRAETEREA, illud quod convenit Christo secundum quod homo, convenit cuilibet homini: eo quod ipse est unius speciei cum aliis hominibus. Si ergo Christus, secundum quod homo, est praedestinatus esse Filius Dei, sequetur quod cuilibet homini hoc conveniat. Hoc autem est falsum. Ergo et primum.

3. PRAETEREA, hoc ab aeterno praedestinatur quod est aliquando fiendum in tempore. Sed magis est haec vera, *Filius Dei factus est homo*, quam ista, *Homo factus est Filius Dei* [α]. Ergo magis est haec vera, *Christus, secundum quod Filius Dei, est praedestinatus esse homo*, quam e converso, *Christus, secundum quod homo, praedestinatus est esse Filius Dei.*

SED CONTRA EST quod dicit Augustinus, in libro *de Praedest. Sanct.* * (* Cap. XV.): *Ipsum Dominum gloriae, inquantum homo factus est Dei Filius, praedestinatum esse dicimus.*

RESPONDEO DICENDUM quod in praedestinatione duo possunt considerari. Unum quidem ex parte ipsius praedestinationis aeternae: et secundum hoc importat antecessionem quandam respectu eius quod sub praedestinatione cadit. Alio modo potest considerari secundum effectum temporalem: qui quidem est aliquod gratuitum Dei donum. Dicendum est ergo quod secundum utrumque istorum attribuitur praedestinatio Christo ratione solius humanae naturae: nam humana natura non semper fuit Verbo unita; et ei etiam per gratiam hoc est collatum, ut Filio Dei in persona uniretur. Et ideo solum ratione naturae humanae praedestinatio competit Christo. Unde Augustinus dicit, in libro *de Praedest. Sanct.* * (* Ibid.): *Praedestinata* [β] *est ista humanae naturae tanta et tam celsa et summa subvectio, ut quo attolleretur altius non haberet.* Hoc autem dicimus convenire alicui secundum quod homo, quod convenit ei ratione humanae naturae. Et ideo dicendum est quod *Christus, secundum quod homo, est praedestinatus esse Filius Dei.*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, cum dicitur, *Christus, secundum quod homo, est praedestinatus esse Filius Dei*, haec determinatio [γ] *secundum quod homo* potest referri ad actum significatum per participium dupliciter. Uno modo, ex parte eius quod materialiter cadit sub praedestinatione. Et hoc modo est falsa. Est enim sensus quod praedestinatum sit ut Christus, secundum quod homo, sit Filius Dei. Et in hoc sensu procedit obiectio.

Alio modo, potest referri ad ipsam propriam rationem actus: prout scilicet praedestinatio importat in sui ratione antecessionem et effectum gratuitum. Et hoc modo convenit Christo praedestinatio ratione humanae naturae, ut dictum est * (* In corpore.). Et secundum hoc dicitur praedestinatus secundum quod homo.

AD SECUNDUM DICENDUM quod aliquid potest convenire alicui homini ratione humanae naturae [δ] dupliciter. Uno modo, sic quod humana natura sit causa illius: sicut esse risibile convenit Socrati ratione humanae naturae, ex cuius principiis causatur. Et hoc modo praedestinatio [ε] non convenit nec Christo nec alteri homini ratione humanae naturae. Et in hoc sensu procedit obiectio.

Alio modo dicitur aliquid convenire alicui ratione humanae naturae, cuius humana natura est susceptiva. Et sic dicimus Christum esse praedestinatum ratione humanae naturae: quia praedestinatio refertur ad exaltationem humanae naturae in ipso, sicut dictum est * (* Ibid.).

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, in libro *de Praedest. Sanct.* * (* Loc. cit.), *ipsa est illa ineffabiliter facta hominis a Deo Verbo susceptio singularis, ut Filius Hominis simul propter* [ζ] *susceptum hominem, et Filius Dei propter suscipientem unigenitum Deum, veraciter et proprie diceretur.* Et ideo, quia illa susceptio sub praedestinatione cadit tanquam gratuita, utrumque potest dici: quod [η] et Filius Dei praedestinatus sit esse homo, et Filius Hominis praedestinatus sit esse Filius Dei. Quia tamen gratia non est facta Filio Dei ut esset homo, sed potius humanae naturae ut Filio Dei uniretur, magis proprie potest dici quod *Christus, secundum quod homo, est praedestinatus esse Filius Dei*, quam quod *Christus, secundum quod Filius Dei, sit praedestinatus esse homo.*

α) *Dei.* – *ut supra habitum est* addunt F et tertia.

β) *Praedestinata.* – PGI; *Praedestinatio.* Pro *celsa*, *excelsa* Ela et editiones; *et summa* om. P. – *subvectio* PGa; *subiectio* Ibc, *subventio* ceteri. – *ut quo* EF et tertia; *in quo* ABCD, *in quo si* ed. *a.*

γ) *quod cum dicitur Christus... haec determinatio.* – F et tertia; *quod cum Christus dicetur... et* (*et* expung.) *haec determinatio* E, *quod Christus... et determinatio* ceteri.

δ) *naturae.* – Tertia; *naturae ex cuius principiis causatur.*

ε) *praedestinatio.* – *praedestinari* tertia.

ζ) *propter.* – PG; *al' et propter* pF, *et propter* ceteri.

η) *quod.* – *scilicet quod* E et tertia. *et quod* sF.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus ut iacet sumatur. – In corpore articuli una est conclusio responsiva quaesito: *Christus, secundum quod homo, est praedestinatus esse Filius Dei.* Probatur. Hoc convenit alicui secundum quod homo, quod convenit ei ratione humanae naturae. Sed praedestinatio convenit Christo ratione solius humanae naturae. Ergo. – Probatur minor distinguendo duo importata in praedestinatione, scilicet ordinem, et effectum gratuitum, scilicet donum; et manifestando utrumque convenire humanitati Christi; adiuncta auctoritate Augustini.

II. In responsione ad primum, vide et perspice cautelam Auctoris. Nam quia ista propositio, *Christus, secundum quod homo, est Filius Dei,* simpliciter est falsa, ut ex qu. xvi * superius patet; et sic simpliciter et absolute sequeretur ex ista, *Christus, secundum quod homo, praedestinatus est esse Filius Dei,* si quoad materiale praedestinationis poneretur haec vera: ideo Auctor, sustinens antecedens, exponit illud limitate. * Art. ii.

Posset tamen dici, absque antecedentis limitatione, quod in consequente apponenda secundum intellectum est *gratia unionis:* ita quod ex isto antecedente, *Christus, secundum quod homo, praedestinatus est Filius Dei,* sequitur, *Ergo Christus, secundum quod homo, est Filius Dei,* subintelligendo vel exprimendo, *per gratiam unionis.* Ita quod, licet ista sit falsa, *Christus, secundum quod homo, est Filius Dei,* quia significat Christum secundum naturam humanam esse naturalem Filium Dei: ista tamen est vera, *Christus, secundum quod homo, est per gratiam unionis Filius Dei.* Et quia in antecedente illo, *Christus, secundum quod homo, est praedestinatus Filius Dei,* subintelligitur, *per gratiam unionis:* ideo in consequente quoque potest subintelligi. Et sic concedimus quod *illud unusquisque quandoque est quod praedestinatus est esse* *: et quod Christus, secundum quod homo, praedestinatus est esse Filius Dei, non per naturam, sed per gratiam unionis. Et ideo Christus, secundum quod homo, est Filius Dei per gratiam unionis. Unde Glossa Interlinearis, *ad Rom.* i *, dicit: *Secundum quod homo, gratia sola praeelectus ut sit Filius Dei, in eadem potentia et virtute divinitatis cum Patre, per unionem Verbi.* * Cf. arg. * Vers. 4.

III. In responsione ad secundum, collige hinc ex Auctore illam distinctionem de ly *secundum quod* seu *inquantum:* vel reduplicative; vel specificative. Primum enim membrum litterae exponit reduplicative, denotando causam: secundum autem specificative, determinando conditionem qua subiectum recipit praedicatum. Et hoc modo, scilicet specificative, tenetur cum dicitur, *Christus, secundum quod homo, est praedestinatus Filius Dei:* sicut cum dicitur, *Socrates, secundum quod habet capillos, est crispus.*

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM CHRISTI PRAEDESTINATIO SIT EXEMPLAR NOSTRAE PRAEDESTINATIONIS

III *Sent.*, dist. x, qu. iii, qu[a] 2; *Ad Rom.*, cap. i, lect. iii.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod Christi praedestinatio non sit exemplar nostrae praedestinationis. Exemplar enim praeexistit exemplato. Nihil autem praeexistit aeterno. Cum ergo praedestinatio nostra sit aeterna, videtur quod praedestinatio Christi non sit exemplar nostrae praedestinationis.

2. Praeterea, exemplar ducit in cognitionem exemplati. Sed non oportuit quod Deus duceretur in cognitionem nostrae praedestinationis ex aliquo alio: cum dicatur *Rom.* viii *: *Quos praescivit, hos et praedestinavit.* Ergo praedestinatio Christi non est exemplar nostrae praedestinationis. * Vers. 29.

3. Praeterea, exemplar est conforme exemplato. Sed alterius rationis videtur esse praedestinatio Christi quam praedestinatio nostra: quia nos praedestinamur in filios adoptivos [α], Christus autem est praedestinatus *Filius Dei in virtute,* ut dicitur *Rom.* i *. Ergo eius praedestinatio non est exemplar nostrae praedestinationis. * Vers. 4.

Sed contra est quod dicit Augustinus, in libro *de Praedest. Sanct.* *: *Est praeclarissimum lumen praedestinationis et gratiae ipse Salvator, ipse mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus.* Dicitur autem lumen praedestinationis et gratiae inquantum per eius praedestinationem et gratiam manifestatur nostra praedestinatio: quod videtur ad rationem exemplaris pertinere. Ergo praedestinatio Christi est exemplar nostrae praedestinationis. * Cap. xv.

Respondeo dicendum quod praedestinatio dupliciter potest considerari. Uno modo, secundum ipsum actum praedestinantis. Et sic praedestinatio Christi non potest dici exemplar nostrae praedestinationis: uno enim modo, et eodem actu aeterno, praedestinavit Deus nos et Christum.

Alio modo potest praedestinatio considerari secundum id ad quod aliquis praedestinatur, quod est praedestinationis terminus et effectus. Et secundum hoc praedestinatio Christi est exemplar nostrae praedestinationis. Et hoc dupliciter. Primo quidem, quantum ad bonum ad quod praedestinamur. Ipse enim praedestinatus est ad hoc quod esset Dei Filius naturalis: nos autem praedestinamur ad filiationem adoptionis, quae est quaedam participata similitudo filiationis naturalis. Unde dicitur *Rom.* viii *: *Quos praescivit, hos et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii eius.* * Vers. 29.

Alio modo, quantum ad modum consequendi istud bonum: quod est per gratiam. Quod quidem in Christo est manifestissimum: quia natura humana in ipso, nullis suis praecedentibus meritis, unita est Filio Dei. *Et de plenitudine gratiae eius nos omnes accepimus,* ut dicitur Ioan. i *. * Vers. 16.

α) *adoptivos.* – *adoptionis* EF et editiones, *adoptionistivos* expunctis mediis litteris B.

β Ad primum ergo dicendum, quod illa ratio procedit ex parte ipsius [β] actus praedestinantis.

Et similiter dicendum ad secundum.

Ad tertium dicendum quod non est necessarium quod exemplatum exemplari quantum ad omnia conformetur: sed sufficit quod aliqualiter exemplatum imitetur suum exemplar.

β) *ipsius.* – *illius* omnes.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore unica est distinctio bimembris: et duae conclusiones, respondentes singulis distinctionis membris. Distinctio est. Praedestinatio dupliciter sumitur: vel ex parte actus; vel ex parte termini.

Prima conclusio est: *Praedestinatio Christi, ex parte actus, non est exemplar nostrae.* Probatur. Quia ex parte actus, uno actu et modo aeterno Deus Christum et nos praedestinavit: in actu siquidem divino et modo ex parte Dei nulla est differentia; cum sint omnia unamet res, ipsa scilicet deitas.

Secunda conclusio: *Praedestinatio Christi est nostrae exemplar ex parte termini, quoad duo: hoc est, quoad bonum terminans; et quoad modum consequendi illud bonum.* Probatur primum. Quia Christus ad filiationem naturalem: nos ad adoptivam. – Probatur secundum. Quia Christus per gratiam excludentem omne meritum: nos per gratiam includentem meritum Christi, quia *de plenitudine eius omnes accepimus.*

Memento, Novitie, quod Christus dicitur praedestinatus ut sit Filius Dei naturalis, modo exposito *: scilicet ratione humanae naturae per gratiam unionis personalis. Reliqua sunt plana. * Art. praeced. Comment. num. II.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM PRAEDESTINATIO CHRISTI SIT CAUSA NOSTRAE PRAEDESTINATIONIS

III *Sent.*, dist. x, qu. III, qa 3.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod praedestinatio Christi non sit causa nostrae praedestinationis. Aeternum enim non habet causam. Sed praedestinatio nostra est aeterna. Ergo praedestinatio Christi non est causa nostrae praedestinationis.

2. Praeterea, illud quod dependet ex simplici Dei voluntate, non habet aliam causam nisi Dei voluntatem. Sed praedestinatio nostra ex simplici voluntate Dei dependet: dicitur enim *Ephes.* I *: *Praedestinati secundum propositum eius, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suae.* Ergo praedestinatio Christi non est causa nostrae praedestinationis. * Vers. 11.

3. Praeterea, remota causa, removetur effectus. Sed, remota praedestinatione Christi, non removetur nostra praedestinatio: quia, etiam si Filius Dei non incarnaretur, erat alius modus possibilis nostrae salutis, ut Augustinus dicit, in libro *de Trin.* * Praedestinatio ergo Christi non est causa nostrae praedestinationis. * Lib. XIII, cap. X.

Sed contra est quod dicitur *Ephes.* I *: *Praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum.* * Vers. 5.

Respondeo dicendum quod, si consideretur praedestinatio secundum ipsum praedestinationis actum, praedestinatio Christi non est causa praedestinationis nostrae: cum uno et eodem actu Deus praedestinaverit Christum et nos. – Si autem consideretur praedestinatio secundum terminum praedestinationis, sic praedestinatio Christi est causa nostrae praedestinationis: sic enim Deus praeordinavit nostram salutem, ab aeterno praedestinando, ut per Iesum Christum compleretur. Sub praedestinatione enim aeterna non solum cadit id quod est fiendum in tempore, sed etiam modus et ordo secundum quod [α] est complendum ex tempore. α

Ad primum ergo et secundum dicendum quod rationes illae procedunt de praedestinatione secundum praedestinationis actum.

Ad tertium dicendum quod, si Christus non fuisset incarnandus, Deus praeordinasset homines salvari per aliam causam. Sed quia praeordinavit incarnationem Christi, simul cum hoc praeordinavit ut esset causa nostrae salutis.

α) *quod.* – *quem* Pc. – Pro *ex tempore, in tempore* tertia praeter I.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus, ut iacet. – In corpore est unica distinctio, cum duplici conclusione, sicut in praecedenti articulo. Et quia similiter clara sunt, pertranseamus.

QUAESTIO VIGESIMAQUINTA

DE ADORATIONE CHRISTI

IN SEX ARTICULOS DIVISA

Deinde considerandum est de his quae pertinent ad Christum in comparatione ad nos *. Et primo, de adoratione Christi, qua scilicet nos eum adoramus; secundo, de hoc quod est mediator noster ad Deum *.

* Cf. qu. xvi, Introd.

* Qu. xxvi.

Circa primum quaeruntur sex.

Primo: utrum una et eadem adoratione sit adoranda divinitas Christi et eius humanitas.

Secundo: utrum caro eius sit adoranda adoratione latriae.

Tertio: utrum adoratio latriae sit exhibenda imagini Christi.

Quarto: utrum sit exhibenda cruci Christi.

Quinto: utrum sit exhibenda matri eius.

Sexto: de adoratione reliquiarum sanctorum.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM EADEM ADORATIONE ADORANDA SIT HUMANITAS CHRISTI ET EIUS DIVINITAS

Infra, qu. lviii, art. 3; III *Sent.*, dist. ix, qu. 1, art. 2, qu^a 1; art. 3, qu^a 2, ad 3; *De Verit.*, qu. xxix, art. 4, ad 4.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non eadem adoratione adoranda sit humanitas Christi et eius divinitas. Divinitas enim Christi est adoranda, quae [α] est communis Patri et Filio: unde dicitur Ioan. v *: *Omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem.* Sed humanitas Christi non est communis ei et Patri. Ergo non eadem adoratione adoranda est humanitas Christi et eius divinitas.

* Vers. 23.

2. Praeterea, honor est proprie *praemium virtutis:* ut Philosophus dicit, in IV *Ethic.* * Meretur autem virtus praemium suum per actum. Cum igitur in Christo sit alia operatio divinae et humanae naturae, ut supra * habitum est, videtur quod alio honore sit adoranda humanitas Christi, et alio eius divinitas.

* Cap. iii, n. 15. - S. Th. lect. viii.

* Qu. xix, art. 1.

3. Praeterea, anima Christi, si non esset Verbo unita, esset veneranda propter excellentiam sapientiae et gratiae quam habet. Sed nihil dignitatis est ei subtractum per hoc quod est unita Verbo. Ergo natura humana [β] est quadam propria veneratione adoranda, praeter venerationem quae exhibetur divinitati ipsius.

Sed contra est quod in capitulis Quintae Synodi * sic legitur: *Si quis in duabus* [γ] *naturis adorari dicit Christum, ex quo duae adorationes introducuntur, sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio Dei Ecclesiae traditum est: talis anathema sit.*

* Concil. Gener. Constantinop. II, collat. VIII, can. ix.

Respondeo dicendum quod in eo qui honoratur, duo possumus considerare: scilicet eum cui honor exhibetur, et causam honoris. Proprie autem honor exhibetur toti rei subsistenti: non enim dicimus quod manus hominis honoretur, sed quod homo honoretur. Et si quandoque contingat quod dicatur honorari manus [δ] vel pes alicuius, hoc non dicitur ea ratione quod huiusmodi partes secundum se honorentur: sed quia in istis partibus honoratur totum. Per quem etiam modum aliquis homo potest honorari in aliquo exteriori: puta in veste, aut in imagine, aut in nuntio.

Causa autem honoris est id ex quo ille qui honoratur habet aliquam excellentiam: nam honor est reverentia alicui exhibita propter sui excellentiam, ut in Secunda Parte * dictum est. Et ideo, si in uno homine sunt plures causae honoris, puta praelatio, scientia et virtus, erit quidem illius hominis unus honor ex parte eius qui honoratur, plures tamen secundum causas honoris: homo enim est qui honoratur et propter scientiam, et propter virtutem.

* II^a II^ae, qu. ciii, art. 1.

Cum igitur in Christo [ε] una sit tantum persona divinae et humanae naturae, et etiam una hypostasis et unum suppositum, est quidem una eius adoratio et unus honor ex parte eius qui adoratur: sed ex parte causae qua honoratur, possunt dici esse plures adorationes, ut scilicet alio honore honoretur propter sapientiam increatam, et [ζ] propter sapientiam creatam.

Si autem ponerentur in Christo plures personae seu hypostases, sequeretur quod simpliciter essent plures adorationes. Et hoc est quod in Synodis reprobatur. Dicitur enim in capitulis Cyrilli *: *Si quis audet dicere assumptum hominem coadorari oportere Deo Verbo, quasi alterum al-*

* Act. Concil. Ephes., part. I, cap. xxvi, *Epist. Cyrill. et Synod. ad Nest.*, anath. viii.

α) *quae.* – *quia* tertia.
β) *humana.* – *in Christo* addunt F et tertia praeter I. – Pro *veneratione adoranda*, *adoratione adoranda* I, *adoratione veneranda* cetera tertia.
γ) *in duabus.* – *duabus* omnes.
δ) *manus.* – EF et tertia praeter I; om.
ε) *Cum igitur in Christo.* – *Sic igitur in Christo cum* (*cum in Christo* P) tertia.
ζ) *et.* – *alio* G, *et alio modo* I, *et alio* editiones.

teri, et non magis una adoratione honorificat Emmanuelem, secundum quod factum est caro Verbum: anathema sit.

Ad primum ergo dicendum quod in Trinitate sunt tres qui honorantur, sed una est causa honoris. In mysterio autem incarnationis est e converso. Et ideo alio modo est unus honor Trinitatis, et alio modo est unus honor Christi.

Ad secundum dicendum quod operatio non est quae honoratur, sed est ratio honoris. Et ideo per hoc quod in Christo sunt duae operationes, non ostenditur quod sint duae adorationes, sed quod sint duae adorationis causae.

Ad tertium dicendum quod anima Christi, si non esset unita Dei Verbo, esset id quod est principalissimum in homine illo. Et ideo sibi praecipue deberetur honor: quia homo est quod est potissimum in eo *. Sed quia anima Christi est unita personae digniori, illi personae praecipue debetur honor cui anima Christi unitur. Nec per hoc tamen diminuitur dignitas animae Christi, sed augetur: ut supra * dictum est.

* Aristot. *Ethic.* lib. IX, cap. VII, n. 6; s. Th. lec. IX.

* Qu. II, art. 2, ad 2.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus non de qualitate, sed de identitate vel diversitate adorationis quaerit: an scilicet una eademque adoratio, qualiscumque sit illa, terminetur ad Christi humanitatem, quae ad illius terminatur divinitatem. Et est ratio dubii huius usus Ecclesiae, et decretum Quintae Synodi, quod in littera affertur *: tractaturque haec materia in III *Sent.*, dist. IX.

* Arg. *Sed Cont.*

II. In corpore articuli duo fiunt: primo, distinguuntur termini; deinde respondetur quaesito *. Distinguitur ergo primo, id quod honoratur; secundo, unitas vel pluralitas honoris *.

* Cf. num. IV.

* Cf. num. seq.

Distinguuntur igitur in honorato res honorata, et causa honoris *. Et dicitur quod res honorata est tantum persona, seu totum subsistens. Et probatur excludendo partes, ex usu loquendi: quia non dicimus manum honorari. – Et quia hoc videtur pati calumniam, respondetur obiectioni quod partes quandoque dicuntur honorari, non secundum se, sed ut totum honoretur. Et declaratur a simili in veste, nuntio, etc. – Ubi habes aliam distinctionem * honorati: scilicet secundum se; vel secundum aliud in se. Totum enim honoratur secundum se: pars autem, imago et nuntius, secundum aliud; hoc est, totum in se parte, repraesentatum in se imagine, mittentem in se nuntio.

* Cf. num. V.

* Cf. num. VI.

Causa autem honoris est id unde habet honoratus excellentiam. Probatur. Quia honor est reverentia exhibita alicui propter sui excellentiam.

III. Unitas vero et pluralitas honoris distinguitur, quod potest attendi vel secundum causam honoris; vel secundum terminum per se proprium adorationis. Et propterea, si contingit in uno eodem homine inveniri diversas causas honoris, erit illius honor unus, et multiplex: unus, ex parte personae, quae terminus est; multiplex, ex parte causae multiplicis; ut patet de uno homine honorato et propter scientiam, et propter virtutem moralem seu theologalem.

IV. Conclusio responsiva quaesito est: *Adoratio Christi est una ex parte personae adoratae, et est plures ex parte causae, divinae scilicet vel humanae.* Probatur primo conclusio quoad primam partem: quia in Christo una tantum est hypostasis. Quoad secundam: quia alia ratio honoris est sapientia divina, alia sapientia humana.

Deinde probatur ex opposito: quia scilicet, si essent plures hypostases in Christo, adoratio eius non esset una etiam ex parte adorati, sed totaliter adoratio Christi non esset una, sed diversa. Et hoc est damnatum in Synodis, etc.

V. Circa primam distinctionem *, nota cautissime quod honorari ut causam honoris, non est honorari simpliciter, sed cum tali determinatione: ita quod ly *ut causa honoris* est conditio diminuens honoratum. Ita quod non valet argumentum: *Sapientia honoratur ut causa honoris. Ergo honoratur.* Et hoc proprie loquendo: quia honorari non est nisi terminantis passive actum honorandi; non terminat autem honoris actum nisi persona cui exhibetur honor. Et hinc oritur quod Christo debetur simpliciter una adoratio: et quod humanitas eius, ut abstrahit ab hypostasi, est inadorabilis, sicut ceterae causae adorandi inadorabiles sunt, proprie loquendo. Quia tamen invenitur quandoque dictum de huiusmodi quod honorantur vel adorantur, ideo, non faciendo vim in vocabulis, loquere ut plures loquuntur. Et intellige quod ideo Ecclesia Christum unica adoratione adorat, dicendo ei, *Miserere nobis,* et non dicendo ei, *Miserere et intercede,* quia ad unitatem personae respicit. Et hinc Synodi anathema processit contra adorantes Christum duabus adorationibus: proprie enim locuti sunt de honorato seu adorato.

* Num II.

Rursus, circa eandem distinctionem nota quod causa honoris dicitur id quo persona excellit. Hoc autem invenitur dupliciter: vel per modum formae, ut sapientia, virtus, status; vel per modum operationis, ut creare, gubernare, vincere, docere, misereri, etc. Utrumque enim est unde quis excellit: excellunt enim homines non solum sapientia, potentia, virtute, dignitate; sed etiam quia vicerunt, quia docuerunt, quia ordinarunt, etc. Et utrumque in littera hac habes: primum in corpore, secundum in responsione ad secundum.

VI. Circa distinctionem alteram ex littera sumptam *, de modo duplici quo res adorata adoratur, vel secundum se vel secundum aliud in se: adverte primo, ex littera illam haberi, dum dicitur de partibus quod *non secundum se honorantur, sed totum in illis honoratur,* et subditur, *per quem modum potest aliquis honorari in exteriori, puta veste, imagine vel nuntio.* Ex his enim clara habetur dicta distinctio: dum totum secundum se honoratur; et, quando partes honorantur, totum honoratur in partibus. Hoc enim est partem honorari secundum quod totum est in parte. Et similiter vestis honoratur secundum quod persona est sub illa. Imago quoque veneratur secundum quod repraesentata persona est in illa. Et similiter nuntius honoratur secundum quod princeps est in illo.

* Num. II, in me[dio].

Adverte secundo quod, quia ista quodammodo honorantur et quodammodo non, quia secundum se non honorantur, secundum vero aliud in ipsis honorantur: idcirco de eis et affirmativa et negativa verificantur. Dicitur enim quod partes et huiusmodi non honorantur, scilicet proprie, quia non secundum se: et quod honorantur, scilicet secundum aliud in ipsis.

Et quoniam clavis est una istius tractatus, sententia haec dilucidanda amplius est, discutiendo illam. Scito igitur tertio, duplicem esse opinionem circa honorationem personae in suis extrinsecis, puta imagine, etc. Altera est quod persona honoratur in istis quia habet quoddam esse in illis. Altera est quod persona honoratur in illis, non quia habet esse in illis, sed quia per illa excitantur convertunturque homines ad personam illam honorandam. Ita quod inter has opiniones tanta est distantia quod prima ponit extrinseca haec terminare honorationem, non secundum se, sed secundum quod persona est in illis: secunda autem ponit extrinseca haec non terminare honorationem quovis modo. Et hinc distant secundo, quod secundum primam, extrinseca dicuntur honorari: iuxta secundam autem, extrinseca non nisi abusive, et communicando in nominibus cum vulgo, dicuntur honorari. Quod autem horum verius sit, inferius * patebit. Sed hinc, quamvis non habeatur ab Auctore prima opinio de verbo ad ver-

* Art. 3, Comment. num. sqq.

bum, satis tamen insinuatur cum dicitur quod *totum honoratur in partibus,* et quod *per hunc modum homo honoratur in exteriori, ut veste, imagine aut nuntio.* Clare autem aperitur inferius haec sententia, cum non solum dicitur quod imago aut crux adoranda est *, sed exprimitur terminative, dicendo motum in imaginem et personam esse unum *: si enim motus est in imaginem, imago ipsa nonnullus terminus est motus. Est ergo prima opinio Auctoris, inferius discutienda. Nunc autem praelibata haec sint, ut scias dubitare et discernere.

* Art. 3, 4.
* Art. 3.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM HUMANITAS CHRISTI SIT ADORANDA ADORATIONE LATRIAE

Infra, qu. LVIII, art. 3, ad 1; III *Sent.*, dist. IX, qu. 1, art. 2, qu[a] 1; qu[a] 4, ad 1; *Ad Galat.*, cap. IV, lect. IV.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod humanitas Christi non sit adoranda adoratione latriae. Quia super illud Psalmi *, *Adorate scabellum pedum eius quoniam sanctum est,* dicit Glossa *: *Caro a Verbo Dei assumpta sine impietate adoratur a nobis: quia nemo spiritualiter carnem eius manducat nisi prius adoret; non illa dico adoratione quae latria est, quae soli Creatori debetur.* Caro autem est pars humanitatis. Ergo humanitas Christi non est adoranda adoratione latriae.

* Ps. XCVIII, vers. 5. * Lomb.

2. PRAETEREA, cultus latriae nulli creaturae debetur: ex hoc enim reprobantur gentiles quod *coluerunt et servierunt creaturae,* ut dicitur *Rom.* I *. Sed humanitas Christi est creatura. Ergo non est adoranda adoratione latriae.

* Vers. 25.

3. PRAETEREA, adoratio latriae debetur Deo in recognitionem maximi dominii: secundum illud *Deut.* VI *: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Sed Christus, secundum quod homo, est minor Patre. Ergo humanitas eius non est adoratione latriae adoranda.

* Vers. 13. - Cf. Matth. cap. IV, vers. 10; Luc. cap. IV, vers. 8.

SED CONTRA EST quod Damascenus dicit, in IV libro *: *Adoratur autem caro Christi, incarnato Deo Verbo, non propter seipsam, sed propter unitum ei secundum hypostasim Verbum Dei.* Et super illud Psalmi *, *Adorate scabellum pedum eius,* dicit Glossa *: *Qui adorat corpus Christi, non terram intuetur, sed illum potius cuius scabellum est, in cuius honore scabellum adorat.* Sed Verbum incarnatum adoratur adoratione latriae. Ergo etiam corpus eius, sive eius humanitas.

* De Fide Orth., lib. IV, cap. III. * Cf. arg. 1. * Lomb ex Aug.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, honor adorationis debetur [α] hypostasi subsistenti: tamen ratio honoris potest esse aliquid non subsistens, propter quod honoratur persona cui illud inest. Adoratio igitur humanitatis Christi dupliciter potest intelligi. Uno modo, ut sit eius sicut [β] rei adoratae. Et sic adorare carnem Christi nihil est aliud quam adorare Verbum Dei incarnatum: sicut adorare vestem regis nihil est aliud quam adorare regem vestitum. Et secundum hoc, adoratio humanitatis Christi est adoratio latriae.

* Art. praeced.

Alio modo potest intelligi adoratio humanitatis Christi quae fit ratione humanitatis Christi perfectae omni munere gratiarum. Et sic adoratio humanitatis Christi non est adoratio latriae, sed adoratio duliae. Ita scilicet quod una et eadem persona Christi adoretur adoratione latriae propter suam divinitatem [γ], et adoratione duliae propter perfectionem humanitatis.

Nec hoc est inconveniens. Quia ipsi Deo Patri debetur honor latriae propter divinitatem, et honor duliae propter dominium quo creaturas gubernat. Unde super illud Psalmi *, *Domine Deus meus in te speravi,* dicit Glossa *: *Domine omnium per potentiam: cui debetur dulia. Deus omnium per creationem: cui debetur latria.*

* Ps. VII, vers. 1 (al. 2). * Lomb.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod glossa illa non est sic intelligenda quasi seorsum adoretur caro Christi ab eius divinitate: hoc enim posset contingere [δ] solum hoc modo, si esset alia hypostasis Dei et hominis. Sed quia, ut dicit Damascenus *, *si dividas* [ε] *subtilibus intelligentiis quod videtur ab eo quod intelligitur, inadorabilis est ut creatura,* scilicet adoratione latriae. Et tunc sic intellectae ut separatae a Dei Verbo, debetur sibi adoratio duliae: non cuiuscumque, puta quae communiter exhibetur aliis creaturis; sed quadam excellentiori [ζ], quam *hyperduliam* vocant.

* Loc. cit. supra.

Et per hoc etiam patet responsio ad secundum et tertium. Quia adoratio latriae non exhibetur humanitati Christi ratione sui ipsius: sed ratione divinitatis cui unitur, secundum quam Christus non est minor Patre.

α) *debetur.* – *proprie debetur* tertia.
β) *sicut.* – F et tertia; *scilicet.*
γ) *divinitatem.* – Tertia praeter I; *dignitatem* (ita F etiam altero loco).
δ) *posset contingere.* – *contingeret* editiones.
ε) *dividas.* – PE; *diligas* GI, *dirigas* bc, *dividas ut intelligas* F, *intelligas* ceteri.
ζ) *quadam excellentiori.* – *quaedam excellentior* E, *cuiusdam excellentioris* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. – In corpore articuli cum distinctione respondetur duabus conclusionibus.

Prima est: *Humanitas Christi, ut res adorata, est adoranda adoratione latriae.* Probatur. Quia ipsam sic adorari nihil aliud est quam Verbum incarnatum adorari. Probatur hoc a simili: sicut adorare vestem regis est adorare regem vestitum.

Secunda est: *Humanitas Christi, ut ratio adorandi, non est adoranda adoratione latriae, sed duliae.* Hoc est: *Persona Christi honoranda est dulia ratione humanitatis plenae gratiae,* etc. Declaratur hoc non esse inconveniens, ex persona Patris, quae latria et dulia adoratur.

II. Adverte hic duo. Primum est quod adorari ut rem adoratam, contingit dupliciter: vel per se, vel per aliud.

Et propterea persona Christi per se adoratur latria, quia per deitatem, quae est ipsa personalitas: per aliud vero dulia, quia per humanitatem, quae est aliud ab ipsa. Et e contra humanitas Christi per aliud adoratur latria: per se autem non, sed dulia, ut ratio tamen adorandi. Et haec omnia in littera habentur: quamvis dicta distinctio non formaliter explicetur, sed ipsa Auctor utatur.

Secundum est quod, licet dulia qua persona Patris honoratur propter potentiam, et dulia qua persona Filii ratione humanitatis adoratur, non omnino sint eadem: quia illa est dulia communiter sumpta ad species duliae et latriae; ista vero est species duliae distincta contra latriam, sicut dispositio est genus ad dispositionem et habitum: — licet, inquam, ita sit, non officit tamen processui litterae, persuasivo ex verbis glossarum, ad tollendam admirationem. Materia enim haec de se clarissima est: nam liquet personam Christi ratione diversarum naturarum diversimode honorandam. Sed ut nonnulla consonantia veritatis huius ad priscos monstraretur, allatum est illud quasi simile de persona Patris.

III. In hoc articulo, et specialiter in responsione ad primum, vide quod, accepturi communionem sacram aut sacrificio missae assistentes, tam corpus quam sanguinem Dominicum adorare nos experimur adoratione latriae: nam ut Deum summe honoramus, non distinguendo inter corpus et eum cuius est corpus, dicendo, *Domine, non sum dignus,* et alias similes orationes. Adorationem siquidem duliae Christo debitam ratione humanae naturae Ecclesia in mente retinet, non in usu, ad evitandos, ut dictum est *, errores. * Cf. num. praeced.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM IMAGO CHRISTI SIT ADORANDA ADORATIONE LATRIAE

Infra, art. 4; art. 5, ad 2; IIª IIªᵉ, qu. LXXXI, art. 3, ad 3; qu. XCIV, art. 2, ad 1; III *Sent.*, dist. IX, qu. I, art. 2, quª 2.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod imago Christi non sit adoranda adoratione latriae. Dicitur enim *Exod.* XX *: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem.* Sed nulla adoratio est facienda contra Dei praeceptum. Ergo imago Christi non est adoranda adoratione latriae. (* Vers. 4.)

2. PRAETEREA, operibus gentilium non debemus communicare: ut Apostolus dicit, *Ephes.* V *. Sed gentiles de hoc praecipue inculpantur, quia *commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis:* ut dicitur *Rom.* I *. Ergo imago Christi non est adoranda adoratione latriae. (* Vers. 11. — * Vers. 23.)

3. PRAETEREA, Christo debetur adoratio latriae ratione divinitatis, non ratione humanitatis. Sed imagini divinitatis eius, quae animae rationali est impressa, non debetur adoratio latriae. Ergo multo minus imagini corporali, quae repraesentat humanitatem ipsius Christi.

4. PRAETEREA, nihil videtur in cultu divino faciendum nisi quod est a Deo institutum: unde et Apostolus, I *Cor.* XI *, traditurus doctrinam de sacrificio Ecclesiae, dicit: *Ego accepi a Domino quod et tradidi vobis.* Sed nulla traditio in Scriptura invenitur de adorandis imaginibus. Ergo imago Christi non est adoratione latriae adoranda. (* Vers. 23.)

SED CONTRA EST quod Damascenus * inducit Basilium dicentem: *Imaginis honor ad prototypum pervenit,* idest exemplar. Sed ipsum exemplar, scilicet Christus, est adorandus [α] adoratione latriae. Ergo et eius imago. (* *De Fide Orth.*, lib. IV, cap. XVI.)

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut Philosophus dicit, in libro *de Mem. et Remin.* *, duplex est motus animae in imaginem: unus quidem in imaginem ipsam secundum quod est res quaedam; alio modo, in imaginem inquantum est imago alterius. Et inter hos motus [β] est haec differentia, quia primus motus, quo quis movetur in imaginem prout est res quaedam, est alius a motu qui est in rem: secundus autem motus, qui est in imaginem inquantum est imago, est unus et idem cum illo qui est in rem *. Sic igitur dicendum est quod imagini Christi inquantum est res quaedam, puta lignum sculptum vel pictum, nulla reverentia exhibetur: quia reverentia debetur non nisi rationali naturae. Relinquitur ergo quod exhibeatur ei reverentia solum inquantum est imago. Et sic sequitur quod eadem reverentia exhibeatur imagini Christi et ipsi Christo. Cum igitur Christus adoretur adoratione latriae, consequens est quod eius imago sit adoratione latriae adoranda. (* Cap. I. - S. Th. lect. III. — * D. 720.)

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod non prohibetur illo praecepto facere quamcumque sculpturam vel similitudinem, sed facere ad adorandum [γ]: unde subdit *: *Non adorabis ea neque coles.* Et quia, sicut dictum est *, idem est motus in imaginem et in rem, eo modo prohibetur adoratio [δ] quo prohibetur adoratio rei cuius est imago. Unde ibi intelligitur prohiberi adoratio imaginum quas gentiles faciebant in venerationem deorum suorum, idest daemonum: ideoque praemittitur *: *Non habebis deos alienos coram me.* Ipsi autem Deo vero, cum sit incorporeus, nulla imago corporalis poterat poni: quia, ut Damascenus dicit *, *insipientiae summae est et impietatis figurare quod est divinum.* Sed quia in novo Testamento Deus factus est homo, potest in sua imagine corporali adorari. (* Vers. 5. — * In corpore. — * Vers. 3. — * Loc. cit. sup.)

AD SECUNDUM DICENDUM quod Apostolus prohibet communicare *operibus infructuosis* gentilium: communicare autem eorum utilibus operibus Apostolus non prohibet. Adoratio autem imaginum est inter infructuosa opera computanda quantum ad duo. Primo quidem, quantum ad hoc quod quidam eorum adorabant ipsas ima-

α) *adorandus.* — Omnes; *adorandum* modernae editiones.
β) *motus.* — *duos motus* F et tertia.
γ) *ad adorandum.* — CEFsD et *a*; *adorandum* BIpD, *adorandam* AG et editiones.
δ) *adoratio.* — *imaginis* addunt G et editiones. — *quo prohibetur adoratio* om. CEI.

gines ut res quasdam, credentes in eis aliquid numinis [ε] esse, propter responsa quae daemones in eis dabant, et alios mirabiles huiusmodi effectus. Secundo, propter res quarum erant imagines: statuebant enim imagines [ζ] aliquibus creaturis, quas in eis veneratione latriae venerabantur. Nos autem adoramus adoratione latriae imaginem Christi, qui est verus Deus, non propter ipsam imaginem, sed propter rem cuius imago est, ut dictum est *. (In corpore.)

Ad tertium dicendum quod creaturae rationali debetur reverentia propter seipsam. Et ideo, si creaturae rationali, in qua est imago [η], exhiberetur adoratio latriae, posset esse erroris occasio: ut scilicet motus adorantis in homine sisteret inquantum est res quaedam, et non ferretur in Deum, cuius est imago. Quod non potest contingere de imagine sculpta vel picta [θ] in materia insensibili.

Ad quartum dicendum quod Apostoli, familiari instinctu Spiritus Sancti, quaedam ecclesiis tradiderunt servanda quae non reliquerunt in scriptis, sed in observatione Ecclesiae per successionem fidelium sunt ordinata [ι]. Unde ipse dicit, II *Thess.* II *: *State, et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem*, scilicet ab ore [κ] prolatum, *sive per epistolam*, scilicet scripto transmissam. Et inter huiusmodi traditiones est imaginum Christi adoratio. Unde et beatus Lucas dicitur depinxisse imaginem Christi *, quae Romae habetur.

* Vers. 14.

* Nicephor. *Eccl. Hist.* lib. II, cap. XLIII (Basil. an. 1559). - Vid. Marangoni, *Istoria della Cappella di Sancta Sanctorum*, cap. XVI (Romae 1747).

ε) *numinis.* – EsDF; *veritatis numinis* ApC, *numeris* pF, *veritatis* pDsC, *deitatis* B, *veritatis aut numinis* ed. *a*; tertia legit: *in eis esse aliquod numen.*
ζ) *imagines.* – Om. I, *huiusmodi imagines* F et cetera tertia.
η) *imago.* – *Dei* addit tertia praeter G.
θ) *vel picta.* – PIsG et *c*; *puta* pB et *a*, *ut puta* ceteri. – Pro *in*, *de* F; pro *insensibili*, *sensibili* PACsD et *ac*, *quod non potest configere in sensibili* I.
ι) *sunt ordinata.* – *fuerunt ordinata* F, om. tertia.
κ) *ab ore.* – *ore* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore articuli duo fiunt: primo, in communi determinatur de duplici motu in imaginem; secundo, in speciali respondetur quaesito una conclusione.

Quoad primum, ex Aristotelis auctoritate distinguitur motus animae in imaginem duplex: unus, ut in rem; alter, ut in imaginem. Primus est alius a motu in rem repraesentatam. Secundus est unus et idem cum motu in rem repraesentatam.

Quoad secundum, conclusio responsiva est: *Imago Christi est adoranda adoratione latriae.* Probatur. Imagini Christi exhibetur reverentia: et non ut est res quaedam. Ergo ut imagini. Ergo eadem reverentia quae Christo exhibetur. Ergo est adoranda adoratione latriae.

Antecedens, pro prima parte, experientia testatur. Pro secunda, probat littera: quia reverentia non nisi rationali naturae debetur. – Prima consequentia probatur ex sufficienti distinctione motus animae in imaginem: destructo enim altero membro, reliquum optime infertur. – Secunda autem consequentia probatur ex eadem Aristotelis doctrina: quia motus in imaginem ut sic, est unus cum motu in rem repraesentatam. – Tertia demum consequentia probatur: quia Christus adoratur adoratione latriae.

II. Circa radicem processus, propositionem scilicet illam ex Aristotele, *Motus in imaginem inquantum imago, est idem cum motu in rem*, dubium ex multiplici capite occurrit *: primo enim obiicitur ex parte motus; secundo, ex parte imaginis; tertio, ex parte unitatis. (* Cf. num. VI.)

Ex parte siquidem motus, dicitur quod propositio est vera de motu apprehensivo, in quo illa utitur Aristoteles, ut est motus intellectus et memoriae: non est autem vera de motu appetitivo, in quo utitur illa hic Auctor; adoratio enim actus est moralis virtutis, ac per hoc, appetitivae partis. Eadem quippe intellectione cognoscitur imago et imaginatum: quia unum relativorum definit reliquum, et, *si quis definite novit unum correlativum, definite novit reliquum*, ut dicitur in *Praedicamentis* *. Quicumque autem amat patrem, non propterea amat filium. (* Cap. V, n. 24.)

Ex parte vero imaginis, quia imago, ut imago, est relativum. Nulla autem relatio realis creata, aut rationis, adoranda est adoratione latriae.

Ex parte autem unitatis, quia vel intelligitur de motu uno simpliciter: vel secundum partem seu aliquid. Non de motu uno simpliciter, quia falsum diceretur: nam motus in rem secundum se immediate, et in illammet mediante sua imagine, non est omnino idem, ut patet. Si secundum aliquid, tunc ex hac propositione non infertur propositum: quia ex motus unitate secundum quid non sequitur unitas specifica adorationis imaginis et exemplaris; quae tamen in littera infertur, quia latria adoranda imago Christi dicitur qua Christus adoratur.

III. Dubium rursus circa processum eundem ex Durando, in III *Sent.*, dist. IX, qu. II, occurrit *. Nam primo, impugnat processum hunc ex eo quod aliud est motum in imaginem et rem esse unum: et aliud, imaginem et rem esse unum. Primum enim est verum. Secundum falsum: nam sunt correlativa; quae, licet simul apprehendantur, dicuntur tamen et sunt diversa; relativi enim esse est *ad aliud se habere* *. Ad propositum autem oporteret imaginem et rem esse unum, seu unius rationis, si adoratio rei debet exhiberi imagini. (* Cf. num. VII.) (* Aristot. *Categ.*, cap. V, n. 1, 2.)

Deinde dicit quod imago Christi nec ut res nec ut imago, proprie loquendo, adoranda est latria. Quia latria soli Deo debetur per se; et coniunctis sibi, ut humanitati Christi, per accidens. Imago autem est, ut imago, creatura: est extrinseca a Deo. Et ideo nec per se nec per accidens terminus est adorationis latriae.

Tertio, dicit quod commune dictum quod Auctor in littera tradit, est improprie dictum: et exponendum est, quia res cognita seu rememorata per imaginem, ad praesentiam imaginis adoratur ac si esset in se praesens; non quod adoratio ad imaginem aliquo modo terminetur.

IV. Ad horum evidentiam, sciendum est quod distinctio in littera posita ex Aristotele de imagine ut est res quaedam, et ut est imago, potest dupliciter intelligi *. Primo, ut distinguatur imago in imaginem materialiter, vel formaliter: puta in aurum, vel figuram seu relationem. Et consequenter quod dicamus adorari imaginem Christi, non secundum materiam, sed secundum formam, hoc est, figuram Christi vel relationem ad Christum. Et hic sensus acceptus videtur communiter, quantum memini. Et quoniam tam figura quam relatio longe est a Creatoris natura, ideo aut falso aut improprie dictum putatur quod imago Christi sit adoranda adoratione latriae. (* Cf. num. seq.)

Sed hunc sensum longe esse a vero sensu Aristotelis et Auctoris, patet ex duobus. Primo, quia imago ut res quaedam, comprehendit imaginem et secundum materiam, et secundum formam ut quaedam res est. Imago enim Caesaris sumitur ut res quaedam ex parte materiae, si sumatur ut marmorea aut aurea: et similiter sumitur ut res quaedam ex parte formae, si sumatur ut secundum talia lineamenta, colores, etc.; vel ut est relatio quaedam, sive realis sive rationis. Haec enim omnia sub uno membro distinctionis comprehenduntur, scilicet sub imagine ut

res quaedam est: licet exempla dentur de materia, quia manifestius habet rationem cuiusdam rei.

Secundo, ex eo quod motus in imaginem ut est figura quaedam vel relatio, non est unus cum motu in rem, sed diversus ab illo. Sistit enim intellectus et affectus in figurae et relationis consideratione et complacentia, ut patet, dum alicui forma ipsius figurae placet, velletque illam relationem habere ad se vel aliquem suorum, ex quo est ita pulchra. Est enim tunc motus animi in imaginem formaliter, et tamen non in rem: immo oppositum motum habet quandoque versus rem, puta quia displicet quod imago tam pulchra sit imago illius cuius est.

V. Est igitur secundo modo intelligendum, quod res contra imaginem distinguitur quoad utriusque proprium actum: ita quod imago terminat motum ut res, quatenus exercet actum rei cuiusdam ut res est; et similiter terminat motum inquantum imago, quatenus exercet actum imaginis. Et quia res ut res in se est quaedam entitas, ideo tunc terminat ut res, quando ratione sui, sive formaliter sive materialiter, terminat. Et quia imago tunc tantum exercet actum imaginis quando ratio eius actus est exemplar, ipsa autem est conditio agentis: sic enim tantum motus tam apprehensivus quam appetitivus in ipsam, ad exemplar suum terminatur: – ideo motus in imaginem quatenus est imago, est in ipsam quidem, sed secundum aliud in ipsa: in ipsam quidem, quia ipsa est quae exercet actum terminandi motum, quia in ipsa est exemplar ad quod ducit; secundum aliud vero in ipsa, quia ratio terminandi est exemplar, quod est aliud ab ipsa, et constat quod est in ipsa.

Ex his autem est facile perspicere et efficaciam processus litterae; et veritatem doctrinae eius; et causam defectus aliorum declinantium. Habetur siquidem hinc quod motus adorationis quo imago Christi veneratur, terminatur ad imaginem Christi et vere et proprie loquendo. Et quia terminatur ad ipsam non quatenus est res, hoc est, non quatenus exercet actum rei in se, sive secundum rem quae est forma, sive secundum rem quae est materia; sed quatenus est imago, hoc est, quatenus exercet actum imaginis: ideo Christus, cuius est imago, est ratio quod imago eius adoratur, et esse Christum in imagine est conditio in qua ratio adorandi movet ad adorandum et terminat adorationem. Et propterea non exhibetur adorationis honor creaturae, sed Creatori: quia non exhibetur conditioni adoratae rei, sed rationi adorandi, quae est ipse Christus. Et hoc est quod in littera * dixit Auctor: quod *per hunc modum,* scilicet quo totum in parte honoratur, *adoratur etiam quis in imagine.* – Habes et falsum intellectum Aristotelicae propositionis causam fuisse errandi.

* Art. I. - Cf. Comment. num. VI.

VI. Ad obiecta contra dictam propositionem ex parte motus *, iam patet quod vera est de utroque motus genere, scilicet appetitivi et apprehensivi. Quoniam impossibile est intelligere aut colere imaginem ut exercet imaginis actum, nisi terminus apprehensionis vel appetitus sit res repraesentata: quia ipsa est tunc ratio terminandi utrumque motum.

* Num. II.

In aequivoco quoque laborant obiecta ex parte imaginis. Quoniam, ut iam patet, ignorant imaginem ut exercet imaginis actum: quae cum adoratur, non relatio nec figura, sed persona adoratur, repraesentata in imagine ut in conditione in qua adoratur.

Ad obiecta ex parte unitatis, dicitur quod est sermo de unitate simpliciter, hoc est, specifica: quia est sermo de unitate motus secundum per se primo terminum, ex quo unitas specifica motus sumitur. Nec obstat differentia penes esse sine medio vel cum medio. Quia non invenitur hic medium ex parte termini, sed solum secundum conditionem diversam eiusdem termini: eadem siquidem persona repraesentata terminat formaliter motum vel in seipsa, vel in sua imagine. Conditiones autem, quia non variant speciem termini, consequenter nec speciem motus in terminum.

VII. Ad obiecta autem Durandi * dicitur quod, sane intellecta imagine ut imagine, imago et repraesentata res sunt idem quoad formalem rationem terminandi motum: quod ipse non vidit. Et ideo optime infertur quod honor exhibitus rei, exhibendus est imagini. Error enim fuit quia non est intellectum quid importat imago ut imago in actu exercito.

* Num. III.

Ad aliam obiectionem eiusdem dicitur quod imago Christi, proprie loquendo, est adoranda adoratione latriae, quae soli Creatori debetur. Distinctio autem ab obiiciente inducta de per se vel per accidens coniuncto, refutanda est ut insufficiens. Distinguitur siquidem in primo articulo huius quaestionis * honorari ut rem honoratam, dupliciter: vel secundum se, vel secundum aliud. Et ad secundum modum, ut ibi dicitur et declaratum est *, spectat adorari personam in sua imagine: exhibetur siquidem Christi imagini latria ut termino secundum Christum in ipsa, vel Christo in sua imagine; quorum neutrum est aliud quam exhibere latriam Creatori Iesu Christo.

* Cf. Commen num. II.
* Cf. Commen num. VI.

Ad tertium eiusdem dicitur quod Auctoris et commune dictum est proprie dictum, et non est, ob ignorantiam quorundam, inter impropria locandum, ut obiiciens facit. Cuius error ex hoc potest convinci quod, si imago Christi non nisi quia ad memoriam aut cognitionem reducit Christi, adorari dicitur, posset pari ratione quaelibet res, quatenus reducit in memoriam Christi, adorari adoratione latriae. Et si hoc pones in practica, percipies et videbis quod Ecclesia non ideo imaginem Christi adorat quia fecit sibi eam signum rememorativum Christi: sed quia imago Christi adoranda latria est, ideo eam adorat. Si autem esset huiusmodi adoratio nostra lege aut consuetudine posita fictis istiusmodi rememorativis, quis Ecclesiam a Iudaeorum priscorumque quorundam imaginum cultui detrahentium morsibus eripuisset? Quis iuste damnasset laesae maiestatis iniuriantes imaginibus principum? Monstrant haec imagines, quia imagines, honorandas aut dehonorandas esse.

VIII. In responsione ad primum eiusdem articuli, circa imagines Dei dubium occurrit, an sint licitae. Et est ratio dubii quia auctoritas Damasceni, in littera, damnat illas *insipientiae et impietatis.* – Et eadem est ratio nunc de deitate quae erat in veteri lege, quoad rem figurabilem vel non secundum se. Constat autem in veteri lege imagines Dei esse prohibitas. – Occasio quoque falsae opinionis de Deo ex imaginibus eadem utrobique est. – Unde non desunt doctores reprehendentes imagines sanctae Trinitatis.

In oppositum autem est Ecclesiae usus, admittens Trinitatis imagines, repraesentantes non solum Filium incarnatum, sed Patrem ac Spiritum Sanctum. – Adsunt et litterae huius verba sonantia quod, postquam Deus est incarnatus, potest adorari in imagine.

IX. Ad huius rei evidentiam, advertendum est tripliciter posse formari imagines Dei, secluso incarnationis mysterio. Primo, ut res divina figuretur per imagines. Et sic *insipientiae,* quoad partem apprehensivam, *et impietatis,* secundum partem appetitivam, *est figurare quod divinum est,* ut Damascenus dicit. Et hac ratione damnantur imagines Dei ut Deus est; et ingerunt erroneam de Deo opinionem. Et hoc modo in Ecclesia Dei constat non haberi imagines Dei.

Secundo, ut species Dei in Scripturis traditae figurentur: sicut cum depingitur Spiritus Sanctus in forma columbae, non ut Spiritus Sanctus figuratus lineamentis columbae monstretur, sed ut species in qua apparuit Spiritus Sanctus *, figurata monstretur. Et hoc frequenti usu Ecclesia passim efficit et de Deo et de Christo, et de angelis et de sanctis: ut patet cum Deus depingitur imaginibus specierum in quibus visus dicitur in Testamento veteri, ut in forma senis, *Antiqui* scilicet *Dierum,* Daniel. VII *; et Christus in forma agni *; et angeli cum sex alis **; et Evangelistae in forma quatuor animalium *. Et haec non solum pinguntur ut ostendantur, sicut cherubin olim in Templo *: sed ut adorentur, ut frequens usus Ecclesiae testatur.

* Matth. cap. I vers. 16.
* Vers. 9, 13.
* *Apocal.*, cap. vers. 6.
** Isaiae cap. vers. 2.
* Ezechiel. cap vers. 5 sqq.
* *Exod.* cap. xx vers. 18 sqq.; ca xxxvII, vers. sqq.; III *Reg.* ca VI, vers. 23 sq.

Tertio, ut ex similioribus apud nos, etiam fictis, ad infigurabilia ascendamus: sicut angelorum imaginem facimus iuvenem pulchrum, alatum, cum diademate, non quod talis sit angelus, sed ut vel ex similiori sibi natura, scilicet hu-

mana, apposita sanctitate per diadema, et iuventute pro perfectione, et alis confictis pro celeritate, vel sic ex sensibilibus ad insensibilia venerando ascendamus. Et hoc modo alicubi Spiritus Sanctus in forma senis orbem pugillo concludentis, etc., figuratur. Hic autem tertius modus satis propinquus est ritui paganorum figurantium Deum diversimode prout causa est diversorum effectuum: ut in forma Minervae ratione sapientiae, et huiusmodi.

X. His praemissis, sciendum est quod figurare divinum primo modo est actus ex suo genere malus moraliter: quia cadit super repugnante materia. Repugnat siquidem deitati figurabilem esse.

Figurare autem Deum secundo vel tertio modo ad actum instructionis, est actus ex suo genere bonus: quoniam naturale est homini per sensibilia discere insensibilia. Unde picturae codices sunt populorum: sicut libri, in quibus per haec sensibilia docemur intelligibilia contemplari, propter eruditos sunt *. Et sic Moyses statuas constituit angelorum in Templo.

* Cf. Damasc. *De Imag.* Orat. I, n. 17, et post n. 27 in scholiis super Basil.

Sed ad actum cultus figurare haec actus est, solitarie sumptus, non bonus nec eligibilis, sed declinabilis: sicut occidere hominem, si solitarie proponatur, non est actus eligibilis aut laudabilis, sed, si nihil adderetur, malus et vituperabilis. Sed si figurare Deum ad actum cultus vestiatur quibusdam circumstantiis, puta auctoritate ecclesiasticae consuetudinis, securitate ab errorum occasione, pietateque colentium, redditur actus iste honestus: sicut, si occidere hominem induatur circumstantias publicae potestatis actum praecipientis propter iustitiam ac commune bonum, erit occidere hominem actus honestus.

XI. Cavere ergo oportet ne facilis sit sententia contra quamcumque partem. Habenda siquidem in primis est ratio erroris. Nam si ex falsa aliqua opinione de Deo aut angelis, etc., aliqua processit aut perseverat imago tertii modi vel secundi inusitata, abolenda esset, et instruendus populus. Dico autem, *vel secundi inusitata:* quia, etsi ad repraesentationem historiae Deus depingitur in forma rubi ardentis loquentis Moysi, et similium visionum; quia tamen Ecclesia non consuevit omnia figuralia proponere ut colenda, ideo cavendum est ne nova abusio introducta sit; puta si petra adoraretur pro Christo quia scriptum est *, *Petra autem erat Christus.*

* I *ad Cor.*, cap. x, vers. 4.

Si vero nulla falsa opinio aut praesumptio intervenit, sed antiquus Ecclesiae usus servatur; nullusque occasionem errandi accipit, quia plebs est bene instructa in fide, et credit Deum spiritum esse, et in omnibus recte cum Ecclesia sentiunt: non video peccatum aliquod in huiusmodi cultu imaginum tam secundi quam tertii modi. Et secundus quidem auctoritatem habet ex sacra Scriptura et Ecclesiae usu manifeste. Tertius autem, quia originaliter secundum partes est ex sacra Scriptura, quamvis non tota imago, et Ecclesiae usu approbatur, non solum tolerabilis, sed licitus mihi videtur. Ex eo enim quod cultus Deo exhibetur in imagine, non impie aut praesumptuose, sed ab Ecclesia proponente, actus adorationis circa debitam materiam versatur: ac per hoc, nullam peccati rationem habet.

Et si sic est, non videntur cassandae Trinitatis imagines in forma senis crucifixum sustinentis, columba intermedia. Partes enim imaginis huius ex sacra sunt Scriptura. Et de Filii et Spiritus Sancti imaginibus constat. De Patris autem, ex Daniele habetur, cap. VII *, cum dicitur de Filio quod *pervenit ad Antiquum Dierum*, hoc est, Deum Patrem. – Et hoc, ut dictum est, ubi nulla est occasio erroris.

* Vers. 13.

Non laudo tamen huiusmodi multiplicationem imaginum Trinitatis aut deitatis; aut Dei Patris; aut Spiritus Sancti, nisi in specie columbae, et igneae linguae super discipulos *. Sed potius tanquam infigurabilis, tanquam supra nubem aliquam auream latens pingendus esset Deus, unde effectus creationis proveniret: ut vel sic erudiretur plebs quod Deus est spiritus infigurabilis; sicut Moyses, absque sedente sedem impositam angelis statuens *, Deum intelligi et coli super omnia quiescentem, regnantem, prospicientem ac iudicantem, ordinavit sapientissime. Imagines enim codices sunt populorum. Et propterea a multis reprehenduntur, tanquam occasionem errandi praebentes, quantum est ex se. Et verum dicerent, nisi conditiones praedictae excusarent actum, ut dictum est *.

* *Act.* cap. II, vers. 3.

* *Exod.* cap. XXV, vers. 17 sqq.; cap. XXXVII, vers. 6 sqq. – Cf. Psal. LXXIX, vers. 2.

* Num. X.

XII. Et per haec patet responsio ad obiecta *. Quoniam aliqualiter omnia verum concludunt: dum Dei imagines, solitarie propositae, dissonant; et, auctoritate fultae ecclesiasticae consuetudinis, securitateque ab errore concurrente, cum origine a sacra Scriptura in toto vel parte, honestantur.

* Num. VIII.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CRUX CHRISTI SIT ADORANDA ADORATIONE LATRIAE

II[a] II[ae], qu. CIII, art. 4, ad 3; III *Sent.*, dist. IX, qu. I, art. 2, qu[a] 4.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod crux Christi non sit adoranda adoratione latriae. Nullus enim pius filius veneratur contumeliam patris sui, puta flagellum quo flagellatus est [α], vel lignum in quo erat suspensus: sed magis illud abhorret. Christus autem in ligno crucis est opprobriosissimam mortem passus: secundum illud *Sap.* II *: *Morte turpissima condemnemus eum.* Ergo non debemus crucem venerari, sed magis abhorrere.

* Vers. 20.

2. PRAETEREA, humanitas Christi adoratione latriae adoratur inquantum est unita Filio Dei in persona. Quod de cruce dici non potest. Ergo crux Christi non est adoranda adoratione latriae.

3. PRAETEREA, sicut crux Christi fuit instrumentum passionis eius et mortis, ita etiam et multa alia, puta clavi, corona et lancea: quibus tamen non exhibemus latriae cultum. Ergo videtur quod crux Christi non sit adoratione latriae adoranda.

SED CONTRA, illi exhibemus adorationem latriae [β] in quo ponimus spem salutis. Sed in cruce Christi ponimus spem [γ]: cantat enim Ecclesia *: *O Crux, ave, spes unica, Hoc passionis tempore, Auge piis iustitiam, Reisque dona veniam.* Ergo crux Christi est adoranda adoratione latriae.

* Dom. Pass., ad Vesp.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, honor seu reverentia non debetur nisi rationali creaturae: creaturae autem [δ] insensibili non debetur honor vel reverentia nisi ratione naturae rationalis. Et hoc dupliciter: uno modo, inquantum repraesentat naturam rationalem; alio

* Art. 3.

α) *est.* – *esset* F et tertia; pro *erat, esset* Ibc, *fuisset* P; pro *abhorret, abhorreret* tertia.

β) *adorationem latriae.* – *latriae cultum* tertia praeter I.

γ) *spem.* – *salutis* addit tertia.

δ) *creaturae: creaturae autem.* – sD et *a*; *creaturae aut* ABCpD, *naturae creaturae autem* E et tertia, *creaturae creaturae enim* F.

modo, inquantum ei quocumque modo coniungitur. Primo modo consueverunt homines venerari regis imaginem: secundo modo, eius vestimentum. Utrumque autem venerantur homines eadem veneratione qua venerantur et regem.

Si ergo loquamur de ipsa cruce in qua Christus crucifixus est, utroque modo est a nobis veneranda: uno modo scilicet inquantum repraesentat nobis figuram Christi extensi in ea; alio modo, ex contactu ad membra Christi, et ex hoc quod eius sanguine est perfusa. Unde utroque modo adoratur eadem adoratione cum Christo, scilicet adoratione latriae. Et propter hoc etiam crucem alloquimur et deprecamur, quasi ipsum crucifixum [ε].

Si vero loquamur de effigie crucis Christi in quacumque alia materia, puta lapidis vel ligni, argenti vel auri, sic veneramur crucem tantum ut imaginem Christi: quam veneramur [ζ] adoratione latriae, ut supra * dictum est. (* Art. 3.)

Ad primum ergo dicendum quod in Cruce Christi, quantum ad opinionem vel intentionem infidelium, consideratur opprobrium Christi: sed quantum ad effectum nostrae salutis, consideratur virtus divina ipsius, qua [η] de hostibus triumphavit, secundum illud *Coloss.* II *: *Ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: et spolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Et ideo dicit Apostolus, I *Cor.* I *: *Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est: his autem qui salvi fiunt, idest nobis, virtus Dei est.* (* Vers. 14, 15.) (* Vers. 18.)

Ad secundum dicendum quod crux Christi, licet non fuerit unita Verbo Dei in persona, fuit tamen ei unita aliquo alio modo, scilicet per repraesentationem et contactum. Et hac sola ratione exhibetur ei reverentia.

Ad tertium dicendum quod, quantum ad rationem contactus membrorum Christi, adoramus non solum crucem, sed etiam omnia quae sunt Christi. Unde Damascenus dicit, in IV libro *: *Pretiosum lignum, ut sanctificatum contactu sancti corporis et sanguinis, decenter adorandum; clavos, indumenta, lanceam; et sacra eius tabernacula* [θ]. Ista tamen non repraesentant imaginem Christi, sicut crux; quae dicitur *signum Filii Hominis*, quod *apparebit in caelo*, ut dicitur Matth. XXIV *. Ideoque mulieribus dixit angelus *, *Iesum quaeritis Nazarenum crucifixum:* non dixit, *lanceatum*, sed, *crucifixum.* Et inde est quod imaginem crucis [ι] Christi veneramur in quacumque materia: non autem imaginem clavorum, vel quorumcumque huiusmodi. (* De Fide Orth. lib. IV, cap. …) (* Vers. 30.) (* Marc. cap. XV, vers. 6.)

ε) *ipsum crucifixum.* – E et tertia; *ipsum Christum crucifixum* F, *ipsam crucem* ceteri.
ζ) *Si... veneramur.* – EF*a* et tertia; *Si vere loquamur... inquantum alia materia... qua veneramur.*
η) *qua.* – *quae* PAE.
θ) *tabernacula.* – *quae sunt praesepe spelunca et huiusmodi* addit tertia praeter I.
ι) *imaginem crucis.* – *materiam Christi* I, *crucem* cetera tertia. – *in quacunque materia* EF et tertia; *inquantum* (*in qua* seq. spat. B) *materia* ABC*a*, om. D.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus de cruce Christi loquitur sive illa in qua passus est Christus, sive quacumque alia ut est crux Christi.

In corpore articuli duae sunt partes. Primo, determinatur in communi de re honorata, et qualitate adorationis. Et dicuntur quatuor. Primum est. Soli rationali naturae debetur honor: intellige, *ratione sui.* – Secundum est. Creaturae insensibili non debetur honor nisi ratione rationalis naturae. – Tertium est. Dupliciter creaturae insensibili ratione naturae rationalis honor debetur: vel ratione repraesentationis; vel ratione coniunctionis quomodolibet. Declaratur hoc exemplis imaginis et vestis regiae. – Quartum est. Utroque modo eadem exhibetur reverentia quae exhibetur et regi.

In secunda parte respondetur in speciali de cruce Christi, distinguendo: vel de cruce illa in qua Christus pependit; vel de quacumque alia. Et de prima quidem respondetur una conclusione, habente duas partes, quod *est veneranda utroque modo, et adoratione latriae qua Christus adoratur.* Et declaratur quoad singula clare. – De cruce vero Christi in quacumque alia materia, respondetur quod *est adoranda etiam latria, inquantum repraesentativa Christi, sicut Christi crucifixi imago.*

Omnia clare patent in littera: advertendo quod allocutio crucis pro effectu affertur adorationis eiusdem qua Christus adoratur. Ex eo enim quod ipsam alloquimur quasi Christum, signum est quod ad ipsam ut Christum nos recurrimus. Et propterea allocutio fit etiam ad crucem in omni materia: et non ad illam tantum in qua Christus pependit.

II. Adverte hic quod Durandus, ubi supra *, et Ioannes Capreolus * crediderunt Auctorem retractasse hic quod in III *Sent.* * dixerat, scilicet crucem illam in qua pependit Christus, esse adorandam non solum ut imaginem Christi latria, sed ut quandam rem Christi hyperdulia, quasi crux illa Christi non sit capax adorationis ut est quaedam res Christi. (* Art. praeced. Comment. num. III.) (* III *Sent.*, dist. IX, art. 3. ad ar… cont. conclus.) (* Dist. IX, qu. … art. 2, qu^a 4.)

Parcant mihi Domini isti. Non retractavit, sed magnificavit hic Auctor doctrinam ibi traditam. Quoniam crucem illam, ut quandam Christi rem per contactum, ibi hyperdulia, hic latria adorandam dixit. Hoc enim patet non esse revocationem dicti quod crux illa, ut quaedam Christi res, est veneranda: sed magnificationem illius, dum ab hyperdulia ad latriam ascenditur.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM MATER DEI SIT ADORANDA ADORATIONE LATRIAE

II^a II^ae, qu. CIII, art. 4, ad 2; III *Sent.*, dist. IX, qu. I, art. 2, qu^a 3; dist. XXII, qu. III, art. 3, qu^a 3, ad 3.



Ad quintum sic proceditur. Videtur quod mater Dei sit adoranda adoratione latriae. Videtur enim idem honor exhibendus esse matri regis et regi: unde dicitur III *Reg.* II * quod *positus est trhonus matri regis, quae sedit ad dexteram eius.* Et Augustinus dicit, in Sermone *de Assumpt.* *: *Thronum Dei, thalamum Domini caeli, atque tabernaculum* (* Vers. 19.) (* Al. *Tract. de Assumpt. B. V. Virg.*, cap. VI. Inter Opp. Au…)

Christi, dignum est ibi esse ubi est ipse. Sed Christus adoratur adoratione latriae. Ergo et mater eius.

2. Praeterea, Damascenus dicit, in IV libro *, quod *honor matris refertur ad filium.* Sed Filius adoratur adoratione latriae. Ergo et mater.

* De Fide Orth., lib. IV, cap. xvi.

3. Praeterea, coniunctior est Christo mater eius quam crux. Sed crux adoratur adoratione latriae. Ergo et mater α eadem adoratione est adoranda.

Sed contra est quod mater Dei est pura creatura. Non ergo ei debetur adoratio latriae.

Respondeo dicendum quod, quia latria soli Deo debetur, non debetur creaturae β prout creaturam secundum se veneramur. Licet autem creaturae insensibiles non sint capaces venerationis secundum seipsas, creatura tamen rationalis est capax venerationis secundum seipsam. Et ideo nulli purae creaturae rationali debetur cultus latriae. Cum ergo beata Virgo sit pure γ creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriae, sed solum veneratio duliae: eminentius tamen quam ceteris creaturis, inquantum ipsa est mater Dei *. Et ideo dicitur quod debetur ei, non qualiscumque dulia, sed *hyperdulia.*

* D. 844.

Ad primum ergo dicendum quod matri regis non debetur aequalis honor honori qui debetur regi. Debetur tamen ei quidam honor consimilis, ratione cuiusdam excellentiae. Et hoc significant auctoritates inductae.

Ad secundum dicendum quod honor matris refertur ad filium, quia ipsa mater est propter filium honoranda. Non tamen eo modo quo honor imaginis refertur ad exemplar: quia ipsa imago, prout in se consideratur ut res quaedam, nullo modo est veneranda.

Ad tertium dicendum quod crux, prout ipsa in se consideratur, ut dictum est *, non est capax honoris δ. Sed beata Virgo est secundum seipsam capax venerationis. Et ideo non est similis ratio.

* In corpore, et art. 4.

α) *mater.* – *eius mater* F, *mater Christi* tertia praeter I. – Pro *eadem adoratione est, est adoratione latriae* tertia.
β) *non debetur creaturae.* – *nulli creaturae debetur latria* tertia; F legit: *Respondeo dicendum quod latria soli Deo competit vel debetur; non enim debetur creaturae prout* etc.
γ) *sit pure.* – *pure sit* F, *sit pura* PG.
δ) *prout ipsa... honoris.* – *non est capax venerationis prout in se consideratur ut dictum est* (*ut dictum est* om. G) tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore articuli unica est conclusio, habens duas partes: *Beata Virgo est adoranda, non latria, sed hyperdulia.*

Probatur primo pars negativa. Nulli rei venerabili secundum se, nisi soli Deo, debetur latria. Ergo nulli purae creaturae rationali. Ergo Beatae Virgini non debetur latria. – Antecedens, in illa particula, *venerabili secundum se,* excludit et creaturas insensibiles, quales sunt imagines et cruces, quae non sunt secundum se venerabiles: excludit et humanitatem Christi, quae secundum se non est venerabilis ut res adorata, ut patet ex dictis superius *. Ambo enim adorantur latria: ut patet ex ante * dictis. Et ideo in littera apponitur ly *purae,* cum dicitur, *purae creaturae.* – Consequentia prima probatur: quia creatura rationalis est capax secundum se honoris. – Secunda autem: quia Beata Virgo est pura creatura rationalis.

* Art. 2. * Art. 2 sqq.

Secunda autem pars probatur. Quia veneranda est eminentius creaturis ceteris: quia est mater Dei.

II. In hoc articulo, et specialiter in responsione ad tertium, dubium occurrit, quia non debet esse minoris conditionis res veneranda secundum se et secundum aliud, quam si esset solum veneranda secundum aliud: quoniam venerabilitas secundum se non est conditio diminuens rationem venerabilitatis. Sed Beata Virgo, si non esset venerabilis secundum se, sed solum ratione Christi, ut crux, adoraretur latria, non minus quam crux Christi: quia intrinsece fuit illi coniuncta. Ergo etiam nunc, ut res coniuncta Christo, adoranda est latria: et secundum seipsam, hyperdulia. – Et confirmatur. Quia iam dictum est * quod non inconvenit unam et eandem personam adorari duplici adoratione.

* Art. 2.

Ad hoc dicitur quod, licet venerabilitas secundum se non distrahat rationem venerabilitatis, immo est perfectior differentia eius, distrahit tamen rationem venerabilitatis ratione alterius: ita quod venerabile ratione alterius distrahitur per venerabile secundum se. Exemplum: per se subsistere non distrahit rationem entis, sed est perfectior illius modus; sed distrahit rationem entis in alio, puta accidentis. Et ideo, cum latria inter creaturas debeatur soli venerabili ratione alterius, consequens est quod quodcumque creatum est secundum se venerabile, non sit ratione alterius venerabile latria.

III. Et si contra hoc instetur quod distractio ista est vera in essentialibus, non autem in accidentaliter coniunctis, qualiter iunguntur duae rationes adorabilitatis in una persona: – respondeatur quod nos non dicimus oppositum, sed respondemus argumento de conditione distrahente.

Ad materiam autem, dicimus, cum Auctore in art. 3, ad 3, quod occasio erroris vitanda facit ut rationalis creatura non adoretur ut imago Dei, et, pari ratione, ut res coniuncta Christo: ne scilicet motus adorationis sistat in rationali natura secundum se. Quocirca, sicut persona Christi non nisi latria veneramur, ad evitandum errorem recurrentium ad Christum ut puram creaturam; ita personam Beatae Virginis sola hyperdulia honoramus, ad evitandum errorem eorum qui latriam terminarent ad Beatam Virginem secundum se. Non enim plebs tantum penetraret ut adoraret latria Christum in Beata Virgine, et seorsum adoraret hyperdulia ipsam secundum se Beatam Virginem: sine qua discretione error accideret. Et ideo simpliciter dicitur quod non est adoranda latria, sed hyperdulia.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM SANCTORUM RELIQUIAE ALIQUO MODO SINT ADORANDAE

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sanctorum reliquiae nullo modo sint adorandae. Non enim est aliquid faciendum quod possit esse erroris occasio. Sed adorare mortuorum reliquias videtur ad errorem gentilium pertinere, qui mortuis hominibus honorificentiam impendebant. Ergo non sunt sanctorum reliquiae honorandae.

2. PRAETEREA, stultum videtur rem insensibilem venerari. Sed sanctorum reliquiae sunt insensibiles [α]. Ergo stultum est eas venerari.

3. PRAETEREA, corpus mortuum non est eiusdem speciei cum corpore vivo: et per consequens non videtur esse numero idem. Ergo videtur quod post mortem alicuius sancti, corpus eius non sit adorandum.

SED CONTRA EST quod dicitur in libro *de Eccles. Dogmat.* *: *Sanctorum corpora, et praecipue beatorum martyrum reliquias, ac si Christi membra, sincerissime adoranda* [β] (scilicet, *credimus*). Et postea subdit: *Si quis contra hanc sententiam velit esse, non Christianus, sed Eunomianus* [γ] *et Vigilantius creditur.*

* Cap. XL, al. LXXIII. - Inter Opp. Aug.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, in libro *de Civ. Dei* *, *si paterna vestis et anulus, ac si quid huiusmodi est, tanto carius est posteris quanto erga parentes est maior affectus, nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quae utique multo familiarius atque coniunctius quam quaelibet indumenta gestamus: haec enim ad ipsam naturam hominis pertinent.* Ex quo patet quod qui habet affectum ad aliquem, etiam ipsa quae de ipso post mortem relinquuntur veneratur: non solum corpus aut partes corporis eius, sed etiam aliqua exteriora, puta vestes et similia. Manifestum est autem quod sanctos Dei in veneratione debemus habere, tanquam membra Christi, Dei filios et amicos, et intercessores nostros. Et ideo eorum reliquias qualescumque honore congruo in eorum memoriam venerari debemus: et praecipue eorum corpora, quae fuerunt templum Spiritus Sancti [δ], et organa Spiritus Sancti in eis habitantis et operantis, et sunt corpori Christi configuranda per gloriam resurrectionis [ε]. Unde et ipse Deus huiusmodi reliquias convenienter honorat, in eorum praesentia [ζ] miracula faciendo.

* Lib. I, cap. XIII.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod haec fuit ratio Vigilantii, cuius verba introducit Hieronymus in libro quem contra eum scripsit *, dicentis: *Prope ritum gentilium videmus sub praetextu religionis introductum: pulvisculum nescio quem in modico vasculo, pretioso linteamine circumdatum* [η], *osculantes adorant.* Contra quem Hieronymus dicit, in Epistola *ad Riparium* *: *Nos, non dico martyrum reliquias, sed nec solem nec lunam nec angelos* [θ] *adoramus,* scilicet adoratione latriae. *Honoramus autem reliquias martyrum, ut eum cuius sunt martyres adoremus: honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum.* Sic ergo honorando reliquias sanctorum non incidimus [ι] in errorem gentilium, qui cultum latriae mortuis hominibus exhibebant.

* Cont. Vigilant. n. 4.
* Ep. CIX, al. LIII.

AD SECUNDUM DICENDUM quod corpus [κ] insensibile non adoramus propter seipsum, sed propter animam, quae ei fuit unita, quae nunc fruitur Deo; et propter Deum, cuius fuerunt ministri.

AD TERTIUM DICENDUM quod corpus mortuum [λ] alicuius sancti non est idem numero quod primo fuerit dum viveret *, propter diversitatem formae, quae est anima: est tamen idem identitate materiae *, quae est iterum suae formae unienda.

* D. 404.
* D. 1091.

α) *insensibiles.* – *res insensibiles* F, *insensibilia corpora* tertia.
β) *adoranda.* – *honoranda* F et tertia.
γ) *Eunomianus.* – *Eugnomarius* I, *Eugnomīanus b*, *Eugnominianus* Pc, *Eugnoīanus* ceteri; porro *Vigilantianus* PI.
δ) *templum Spiritus Sancti.* – *templa* tertia; *et organa Spiritus Sancti* om. BE.
ε) *gloriam resurrectionis.* – *gloriam rationis* ACpD, *gloriosam resurrectionem* tertia.
ζ) *praesentia.* – *praesentiam* P; *Alias, praesentia* margo P.
η) *circumdatum.* – Tertia; *circumdato.*
θ) *angelos.* – EF et tertia; *angelos agnos* ABC, *angl'os angelos* D sed secundum expungit, *angelos nec agnos* ed. *a.*
ι) *incidimus.* – Tertia praeter pG; *incidiamus* E, *incidamus* ceteri.
κ) *corpus.* – *corpus illū* G, *corpus illud* F et cetera tertia.
λ) *mortuum.* – *mortui* PGI; *Alias, mortuum* margo P. – Pro *fuerit*, *fuit* PFI, *fuit* post *viveret bc*, om. G.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus est. – In corpore articuli unica est conclusio, dupliciter probata.

Conclusio est: *Reliquias sanctorum qualescumque congruo honore venerari debemus, et praecipue eorum corpora.* Probatur primo. Affectus alicui, veneratur etiam illa quae de ipso post mortem relinquuntur. Sed sanctos Dei veneramur. Ergo eorum reliquias venerari debemus, et praecipue eorum corpora. – Maior probatur auctoritate Augustini. – Minor probatur ex quatuor: quia sancti sunt Christi membra; quia Dei filii; quia amici; quia nostri intercessores. – Pars autem specificata in conclusione, scilicet, *praecipue eorum corpora,* manifestatur ex tribus: quia templa Spiritus Sancti inhabitantis; quia organa Spiritus Sancti operantis per ea fuerunt; quia sunt corpori Christi configuranda.

Secundo probatur conclusio. Quia Deus sanctorum reliquias honorat miraculis. Ergo et nos debemus honorare.

QUAESTIO VIGESIMASEXTA

DE HOC QUOD CHRISTUS DICITUR MEDIATOR DEI ET HOMINUM

IN DUOS ARTICULOS DIVISA

DEINDE considerandum est de hoc quod Christus dicitur madiator Dei et hominum *. Et circa hoc quaeruntur duo.

* Cf. qu. xxv, introd.

Primo: utrum esse mediatorem Dei et hominum sit proprium Christo.
Secundo: utrum hoc conveniat ei secundum humanam naturam.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM ESSE MEDIATOREM DEI ET HOMINUM SIT PROPRIUM CHRISTO

III *Sent.*, dist. xix, art. 5, qu^a 3; dist. xlviii, qu. 1, art. 2; *Ad Galat.*, cap. iii, lect. vii; I *ad Tim.*, cap. ii, lect. i.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod esse mediatorem Dei et hominum non sit proprium Christo. Sacerdos enim et propheta [α] videtur esse mediator inter Deum et homines: secundum illud *Deut.* v *: *Ego illo tempore sequester et medius fui inter vos et Deum.* Sed esse prophetam et sacerdotem non est proprium Christo. Ergo nec etiam esse mediatorem.

* Vers. 5.

2. PRAETEREA, illud quod convenit angelis bonis et malis, non potest dici esse proprium Christo. Sed esse medium inter Deum et homines convenit angelis bonis: ut dicit Dionysius, iv cap. *de Div. Nom.* * Convenit etiam angelis malis, idest daemonibus: habent enim quaedam communia cum Deo, scilicet *immortalitatem;* quaedam autem habent communia [β] cum hominibus, scilicet quod sunt *animo passivi*, et per consequens *miseri;* ut patet per Augustinum, in lib. IX *de Civ. Dei* *. Ergo esse mediatorem Dei et hominum non est proprium Christo.

* S. Th. lect. 1. - Cf. *Cael. Hier.*, cap. iv.
* Cap. xiii, xv.

3. PRAETEREA, ad officium mediatoris pertinet interpellare ad unum eorum inter quos est mediator, pro altero. Sed *Spiritus Sanctus,* sicut dicitur *Rom.* viii *, *interpellat pro nobis ad Deum gemitibus inenarrabilibus.* Ergo Spiritus Sanctus est mediator inter Deum et homines. Ergo non est proprium Christo.

* Vers. 26.

SED CONTRA EST quod dicitur I *Tim.* ii *: *Unus est mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus.*

* Vers. 5.

RESPONDEO DICENDUM quod mediatoris officium proprie est coniungere [γ] eos inter quos est mediator: nam extrema uniuntur in medio. Unire autem homines Deo perfective [δ] quidem convenit Christo, per quem homines reconciliantur [ε] Deo: secundum illud II *Cor.* v *: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Et ideo solus Christus est perfectus Dei et hominum mediator *, inquantum per suam mortem humanum genus Deo reconciliavit. Unde, cum Apostolus dixisset, *Mediator Dei et hominum homo Christus Iesus,* subiunxit *: *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.*

* Vers. 19.
* D. 864.
* Vers. 6.

Nihil tamen prohibet aliquos alios secundum quid dici mediatores inter Deum et hominem: prout scilicet cooperantur ad unionem hominum cum Deo dispositive vel ministerialiter.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod prophetae et sacerdotes veteris legis dicti sunt mediatores inter Deum et homines dispositive et ministerialiter: inquantum scilicet praenuntiabant et praefigurabant verum et perfectum Dei et hominum mediatorem. – Sacerdotes vero novae legis possunt dici mediatores Dei et hominum inquantum sunt ministri veri mediatoris, vice ipsius salutaria sacramenta hominibus exhibentes.

AD SECUNDUM DICENDUM quod angeli boni, ut Augustinus dicit, in IX *de Civ. Dei* *, non recte possunt dici mediatores inter Deum et homines. *Cum enim utrumque habeant* [ζ] *cum Deo, et beatitudinem et immortalitatem, nihil autem horum cum hominibus miseris et mortalibus, quomodo non potius remoti sunt ab hominibus, Deoque coniuncti, quam inter utrosque medii constituti?* Dionysius tamen dicit eos esse medios, quia, secundum gradum naturae, sunt infra Deum et supra homines constituti. Et mediatoris officium exercent, non quidem principaliter et perfective [η], sed ministerialiter et dispositive: unde Matth. iv *. dicitur quod *accesserunt angeli et ministrabant ei*, scilicet Christo.

* Cap. xiii.
* Vers. 11.

Daemones autem habent quidem [θ] cum Deo

α) *Sacerdos enim.* – *Sicut sacerdos enim* (*enim sacerdos* Pc) *ita* editiones.
β) *autem habent communia.* – Om. tertia. – *quod* tertia (*quot* I); *quia.*
γ) *mediatoris... coniungere.* – *ad mediatoris officium proprie pertinet coniungere et unire* tertia.
δ) *perfective.* – Tertia; *perfecte.*
ε) *reconciliantur.* – *sunt reconciliati* tertia.
ζ) *habeant.* – *commune* addit tertia praeter I.
η) *perfective.* – *perfecte* DEF.
θ) *quidem.* – *communem* P, *quaedam (cum Deo ut immortalitatem)* F.

immortalitatem, cum hominibus vero miseriam. *Ad hoc ergo* [ι] *se interponit medius daemon immortalis et miser, ut ad immortalitatem beatam transire non sinat,* sed perducat ad miseriam immortalem. Unde est sicut *malus medius, qui separat amicos* *.

* S. Aug. loc. cit., cap. xv.

Christus autem habuit cum Deo communem beatitudinem, cum hominibus autem mortalitatem. Et ideo *ad hoc se interposuit medium ut, mortalitate transacta, ex mortuis faceret immortales, quod in se resurgendo monstravit; et ex miseris beatos efficeret* [x], *unde nunquam ipse discessit.* Et ideo ipse est *bonus mediator, qui reconciliat inimicos* *.

* Ibid.

Ad tertium dicendum quod Spiritus Sanctus, cum sit per omnia Deo aequalis, non potest dici medius vel mediator inter Deum et homines: sed solus Christus, qui, licet *secundum divinitatem aequalis sit Patri,* tamen *secundum humanitatem minor est Patre* *, ut dictum est **. Unde, super illud *Galat.* III *, *Christus est mediator* [λ], dicit Glossa *: *Non Pater vel Spiritus Sanctus.* Dicitur autem Spiritus Sanctus *interpellare pro nobis,* quia ipse interpellare nos facit *.

* Symb. S. Athnas. ** Qu. xx, art. * Vers. 20. λ * Lomb. * Cf. Gloss. Ord. Aug. et Lomb.

ι) *ergo.* – *enim* omnes. – Pro *medius, medium* P.
x) *efficeret.* – Om. tertia.
λ) *Christus est mediator.* – *Mediator enim unius non est Deus autem unus est Christus mediator* F. – *dicit Glossa* om. G*lb*.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore articuli sunt duae conclusiones. Prima est: *Esse mediatorem inter Deum et homines simpliciter seu perfective est proprium Christo.* – Secunda est: *Nihil prohibet alios dici mediatores secundum quid, scilicet dispositive vel ministerialiter.*

Prima conclusio probatur. Unire homines Deo perfective convenit soli Christo. Ergo solus Christus est perfectus mediator Dei et hominum. – Antecedens probatur. Quia per mortem suam mundum Deo reconciliavit. Et Apostolus dicit: *Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians.* – Consequentia vero probatur et ratione, quia mediatoris officium est mediare inter eos inter quos est mediator: probatur, quia in medio uniuntur extrema: – et auctoritate Apostoli: quia, cum dixisset, *mediator* etc., subiunxit: *Qui dedit* etc.

Secunda conclusio ut clara relinquitur: quia cooperantur aliqui ad unionem.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CHRISTUS SIT MEDIATOR DEI ET HOMINUM SECUNDUM QUOD HOMO

III *Sent.*, dist. xix, qu. v, art. 2; *De Verit.*, qu. xxix, art. 5, ad 5; I *ad Tim.*, cap. II, lect. 1.



Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Christus non sit mediator Dei et hominum secundum quod homo. Dicit enim Augustinus, in libro *contra Felicianum* *: *Una est Christi persona: ne sit non unus Christus, non una substantia; ne, mediatoris dispensatione submota, aut Dei tantum aut hominis dicatur Filius.* Sed non est Dei et hominis Filius secundum quod homo: sed simul secundum quod Deus et homo. Ergo neque dicendum est quod sit mediator Dei et hominum solum secundum quod homo.

* Cap. x. - Inter Opp. Aug.

2. Praeterea, sicut Christus, inquantum est Deus, convenit cum Patre et Spiritu Sancto, ita, inquantum est homo, convenit cum hominibus. Sed propter hoc quod, inquantum est Deus, convenit cum Patre et Spiritu Sancto, non potest dici mediator inquantum est Deus: quia super illud I *Tim.* II *, *Mediator Dei et hominum,* dicit Glossa *: *Inquantum est Verbum, non medius est: quia aequalis est Deo, et Deus apud Deum, et simul unus Deus.* Ergo nec etiam inquantum homo, potest dici mediator, propter convenientiam quam cum hominibus habet.

* Vers. 5.
* Ord. Aug. et Lomb.

3. Praeterea, Christus dicitur mediator inquantum reconciliavit nos Deo: quod quidem fecit auferendo peccatum, quod nos separabat a Deo. Sed auferre peccatum convenit Christo non inquantum est homo, sed inquantum est Deus. Ergo Christus, inquantum est homo, non est mediator, sed inquantum est Deus.

Sed contra est quod Augustinus dicit, in lib. IX, *de Civ. Dei* *: *Non ob hoc est mediator Christus, quia est Verbum. Maxime quippe immortale et maxime beatum Verbum longe a mortalibus miseris. Sed mediator est secundum quod homo.*

* Cap. xv.

Respondeo dicendum quod in mediatore duo possumus considerare: primo quidem, rationem medii; secundo, officium coniungendi. Est autem de ratione medii quod distet ab utroque extremorum: coniungit autem mediator per hoc quod ea quae unius sunt, defert ad alterum. Neutrum autem horum potest convenire Christo secundum quod Deus, sed solum secundum quod homo. Nam secundum quod Deus, non differt a Patre et Spiritu Sancto in natura et potestate dominii: nec etiam Pater et Spiritus Sanctus aliquid habent quod non sit Filii, ut sic possit id quod est Patris vel Spiritus Sancti, quasi quod est aliorum, ad alios deferre. Sed utrumque convenit ei inquantum est homo. Quia, secundum quod est homo, distat et a Deo in natura, et ab hominibus in dignitate et gratiae et gloriae. Inquantum etiam est homo, competit ei coniungere homines Deo, praecepta et dona [α] hominibus exhibendo, et pro hominibus ad Deum [β] satisfa-

α) *dona.* – *Dei dona* I, *dona Dei* cetera tertia.
β) *ad Deum.* – *Deo* editiones.

ciendo et interpellando. Et ideo verissime dicitur mediator secundum quod homo.

Ad primum ergo dicendum quod, si subtrahatur divina natura a Christo, subtrahitur per consequens ab eo singularis plenitudo gratiarum, quae convenit ei inquantum est *Unigenitus a Patre*,
Vers. 14. ut dicitur Ioan. I *. Ex qua quidem plenitudine habet ut sit super omnes homines constitutus, et propinquius ad Deum accedens.

Ad secundum dicendum quod Christus, secundum quod Deus, est per omnia aequalis Patri. Sed etiam in humana natura excedit alios homines. Et ideo, secundum quod homo, potest esse mediator: non autem secundum quod Deus.

Ad tertium dicendum quod, licet auctoritative peccatum auferre conveniat Christo secundum quod est Deus, tamen satisfacere pro peccato humani generis convenit ei secundum quod homo. Et secundum hoc dicitur Dei et hominum mediator.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore duo fiunt, Primo, ponuntur duae conditiones mediatoris. Secundo, applicantur ad Christum dupliciter: et secundum quod Deus, negative; et secundum quod homo, affirmative. Et sic respondetur quaesito: ***Christus verissime dicitur mediator Dei et hominum secundum quod homo.***

Omnia clara sunt in littera. Consistit enim eius processus in hoc. Mediator, secundum duo quae habet, scilicet esse medium, et officium coniungendi extrema inter se, duas exigit conditiones: prima est distantia ab extremis; secunda est delatio ad extrema utrinque ex altero. Sed Christus, secundum quod Deus, neutram habet: quia non distat a Deo in natura aut dominio; nec aliquid Dei non suum deferre potest; ac per hoc, nihil potest deferre ex Deo tanquam extremo. Sed secundum quod homo, habet utramque: quia distat a Deo natura, et ab hominibus puris dignitate gratiae et gloriae; defert quoque praecepta donaque Dei ad homines, et satisfactionem ac interpellationem ex hominibus ad Deum; non quasi haec ab hominibus accipiat, sed quia haec vice hominum ipse Deo offert, quod vocatur pro hominibus offerre ac satisfacere. Nihilominus satisfactionem ex hominibus quodammodo accipit: pro quanto ex massa peccatrice, carne scilicet humana ab Adam genita, naturam passibilem, in qua satisfaceret, assumpsit.

II. In responsione ad primum et tertium simul, considera discernendo rationem specificantem id quo Christus mediat aut satisfacit; et radicem unde illud *quo* efficax originaliter redditur ad mediandum et satisfaciendum et merendum pro omnibus. Nam si specificare aut determinare quaeris naturam qua Christus meretur, mediat et satisfacit, procul dubio natura humana est: creatae quippe naturae sunt actus isti. Sed si quaeris unde natura creata tanti est ut mediet, mereatur et satisfaciat pro toto mundo: – ex gratia est unionis, ex hypostasi est divina. Quia enim Christus Unigenitus est Patris, ideo per naturam assumptam satisfacit, meretur et mediat. Et hoc est quod in responsione ad primum docemur: et doctrina superius * habita de efficacia satisfactionis et meriti Christi sic applicanda est in responsione ad tertium. Et sic omnia consonant. * Qu. I, art. 2, ad 2; Comment. num. III sqq.: Qu. VIII, art. 1, ad 1; Comment. num. III.



QUAESTIO VIGESIMASEPTIMA

DE SANCTIFICATIONE BEATAE VIRGINIS

IN SEX ARTICULOS DIVISA

Post praedicta, in quibus de unione Dei et hominis et de his quae unionem sequuntur, tractatum est, restat considerandum de his quae Filius Dei incarnatus in natura humana sibi unita fecit vel passus est *. [* Cf. Prolog.] Quae quidem consideratio quadripartita erit. Nam primo, considerabimus de his quae pertinent ad ingressum eius in mundum; secundo, de his quae pertinent ad processum [α] vitae ipsius in hoc mundo *; [* Qu. XL.] tertio, de exitu ipsius ab hoc mundo *; [* Qu. XLVI.] quarto, de his quae pertinent ad exaltationem ipsius post hanc vitam [β] *. [* Qu. LIII.]

Circa primum quatuor consideranda occurrunt: primo quidem, de conceptione Christi; secundo, de eius nativitate *; [* Qu. XXXV.] tertio, de eius circumcisione *; [* Qu. XXXVII.] quarto, de eius baptismo **. [** Qu. XXXVIII.]

Circa conceptionem autem eius, oportet aliqua considerare primo [γ], quantum ad matrem concipientem; secundo, quantum ad modum conceptionis *; [* Qu. XXXI.] tertio, quantum ad perfectionem prolis conceptae *. [* Qu. XXXIV.]

Ex parte autem matris occurrunt quatuor consideranda [δ]: primo quidem, de sanctificatione eius; secundo, de virginitate eius *; [* Qu. XXVIII.] tertio, de desponsatione eius *; [* Qu. XXIX.] quarto, de annuntiatione ipsius, vel [ε] de praeparatione ipsius ad concipiendum.

Circa primum quaeruntur sex.

Primo: utrum Beata Virgo mater Dei fuerit sanctificata ante nativitatem ex utero.

Secundo: utrum fuerit sanctificata ante animationem.

Tertio: utrum per huiusmodi sanctificationem fuerit sibi totaliter sublatus fomes peccati.

Quarto: utrum per huiusmodi sanctificationem fuerit consecuta ut nunquam peccaret.

Quinto: utrum per huiusmodi sanctificationem adepta fuerit plenitudinem gratiarum.

Sexto: utrum sic fuisse sanctificata [ζ] fuerit proprium sibi.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM BEATA VIRGO FUERIT SANCTIFICATA ANTE NATIVITATEM EX UTERO

Art. seq., ad 2; III *Sent.*, dist. III, qu. I, art. 1, qu[a] 3; *Quodl.* VI, qu. v, art. 1; *Compend. Theol.*, cap. CCXXIV; *Expos. in Salut. Angelic.*; *In Psalm.* XLV; *In Ierem.*, cap. 1.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod Beata Virgo non fuerit sanctificata ante nativitatem ex utero. Dicit enim Apostolus, I *Cor.* XV *: [* Vers. 46.] *Non prius quod spirituale est, sed quod animale: deinde quod est spirituale.* Sed per gratiam sanctificantem nascitur homo spiritualiter in filium Dei: secundum illud Ioan. I *: [* Vers. 13.] *Ex Deo nati sunt.* Nativitas autem ex utero est nativitas animalis. Non ergo Beata Virgo fuit prius sanctificata quam ex utero nasceretur.

2. Praeterea, Augustinus dicit, in Epistola *ad Dardanum* *: [* Ep. CLXXXVII, al. LVII, cap. X.] *Sanctificatio, qua efficimur templum Dei, non nisi renatorum est.* Nemo autem [η] renascitur nisi prius nascatur. Ergo Beata Virgo non fuit prius sanctificata quam ex utero nasceretur.

3. Praeterea, quicumque est sanctificatus per gratiam, est mundatus a peccato originali et actuali. Si ergo Beata Virgo fuit sanctificata ante nativitatem ex utero, consequens est quod fuerit tunc emundata ab originali peccato. Sed solum originale peccatum poterat eam impedire ab introitu regni caelestis. Si ergo tunc mortua fuisset, videtur quod ianuam regni caelestis introisset. Quod tamen fieri non potuit ante passionem Christi: iuxta illud Apostoli [θ]: *habemus enim fiduciam in introitum sanctorum per sanguinem eius,* ut dicitur *Heb.* X *. [* Vers. 19.] Videtur ergo quod Beata Virgo non fuerit sanctificata antequam ex utero nasceretur.

4. Praeterea, peccatum originale ex origine contrahitur, sicut peccatum actuale ex actu. Sed quandiu aliquis est in actu peccandi, non potest

---

α) *processum.* – *progressum* tertia praeter I.

β) *hanc vitam.* – PF; *huius vitam bc, eius vitam* G, *vitam huius mundi* ed. *a*, *vitam huiusmodi* ceteri.

γ) *aliqua considerare primo.* – *aliqua considerare* G, *considerare bc, primo aliqua considerare* P.

δ) *occurrunt quatuor consideranda.* – *occurrunt quinque consideranda* E, *occurrunt quatuor* D, *occurrunt quaedam consideranda* F, *occurrunt considerandum b, occurrit considerandum* Plc. Cf. not. ε.

ε) *vel.* – *quinto* omnes (praeter D qui om. *vel... concipiendum*), sed praeterquam quod materiae divisioni quam lectio « quinto » induceret, infra non satisfit, s. Thomas qu. XXX ipsam Annuntiationem B. V. tanquam praeparationem eius mentis per Nuntii verba tractat; ideo *quinto* corrupte pro *vel* scriptum credimus. Cf. infra art. 3 ad 3.

ζ) *fuisse sanctificata.* – *sanctificari* tertia.

η) *autem.* – F et tertia; *enim.*

θ) *iuxta illud Apostoli.* – Om. tertia.

a peccato actuali mundari. Ergo etiam nec Beata Virgo a peccato originali mundari potuit dum esset adhuc in ipso actu originis, in materno utero existens.

Sed contra est quod Ecclesia celebrat Nativitatem Beatae Virginis. Non autem celebratur festum in Ecclesia nisi pro aliquo sancto. Ergo Beata Virgo in ipsa sui nativitate fuit sancta. Fuit ergo in utero sanctificata.

Respondeo dicendum quod de sanctificatione Beatae Mariae, quod scilicet fuerit sanctificata in utero, nihil in Scriptura canonica traditur * [D. 845.]: quae etiam nec de eius nativitate mentionem facit. Sed sicut Augustinus, *de* ι *Assumptione* ipsius Virginis * [Tract. de Assumpt. B. M. V. - Inter Opp. Aug.], rationabiliter argumentatur quod cum corpore sit assumpta in caelum, quod tamen Scriptura non tradit; ita etiam rationabiliter argumentari possumus quod fuerit sanctificata in utero. Rationabiliter enim creditur quod illa quae genuit *Unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis* * [Ioan. cap. I, vers. 14.], prae omnibus aliis maiora gratiae privilegia accepit: unde legitur, Luc. I * [Vers. 28.], quod Angelus ei dixit: *Ave, gratia plena.* Invenimus autem quibusdam aliis hoc privilegialiter esse concessum ut in utero sanctificarentur: sicut Ieremias, cui dictum est, Ierem. I * [Vers. 5.], *Antequam exires de vulva, sanctificavi te;* et sicut Ioannes Baptista, de quo dictum est, Luc. I * [Vers. 15.], *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae.* Unde rationabiliter creditur quod Beata Virgo sanctificata fuerit antequam ex utero nasceretur * [D. 843.].

Ad primum ergo dicendum quod etiam in Beata Virgine prius fuit animale, et post id quod est spirituale: quia prius fuit secundum carnem concepta, et postea secundum spiritum sanctificata.

Ad secundum dicendum quod Augustinus loquitur secundum legem communem, secundum quam per sacramenta non regenerantur aliqui nisi prius nati. Sed Deus huic legi sacramentorum potentiam suam non alligavit, quin aliquibus ex speciali ϰ privilegio gratiam suam conferre possit antequam nascantur λ ex utero.

Ad tertium dicendum quod Beata Virgo sanctificata fuit in utero a peccato originali * [D. 370.] quantum ad maculam personalem: non tamen fuit liberata a reatu quo tota natura tenebatur obnoxia, ut scilicet non intraret in Paradisum nisi per Christi hostiam μ; sicut etiam de sanctis Patribus dicitur qui fuerunt ante Christum * [August. Epist. CLXXXVII, al. LVII, cap. XI; Ep. CXC, aliter CLVII, cap. II. - Cf. *In Ioan. Evang.* tract. XLV.].

Ad quartum dicendum quod peccatum originale trahitur ex origine inquantum per eam communicatur humana natura, quam ν respicit proprie peccatum originale. Quod quidem fit quando proles concepta animatur. Unde post animationem nihil prohibet prolem conceptam sanctificari: postea enim non manet in materno utero ad accipiendam humanam naturam, sed ad aliqualem perfectionem eius quod iam accepit.

ι) *de.* – *in Sermone de* tertia.
ϰ) *speciali.* – Om. tertia praeter I.
λ) *nascantur.* – Tertia; *nascerentur* F, *renascantur* ceteri.
μ) *Christi hostiam.* – *hostiam Christi* Gb, *ostiam Christi* c, *hostium Christi* I, *Christi ostium* P; *Alias hostiam* margo P.
ν) *quam.* – Tertia; *quae.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Hic incipit tertius tractatus primae partis, quae de Christo est * [Cf. Prolog., comment.], tractaturque hic usque ad quaestionem trigesimamnonam, de spectantibus ad ingressum Christi in mundum: ut clare patet in littera.

Titulus clarus est. – In corpore duo fiunt. Primo, qualis notitia de hoc quaesito haberi potest, dicitur: ac per hoc monstratur via ad investigandam veritatem conclusionis. Secundo, per monstratam viam incedendo, respondetur quaesito una conclusione affirmativa.

Quoad primum, via sciendi non est ex sacrae Scripturae auctoritate in specie: sed ex rationabilibus sacrae Scripturae consonis; ut Augustinus de Assumptione arguit.

Quoad secundum, conclusio est: *Rationabiliter creditur Beatam Virginem sanctificatam in utero.* Probatur. Maiora gratiae privilegia Beatae Virgini concessa creduntur quam aliis sanctis. Sed quibusdam sanctis concessa est sanctificatio in utero. Ergo.

Maior probatur. Tum quia mater futura erat *Unigeniti a Patre, pleni gratia.* Tum quia Angelus dixit eam *plenam gratia.* – Minor probatur de Ieremia et Ioanne Baptista.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM BEATA VIRGO SANCTIFICATA FUERIT ANTE ANIMATIONEM

III *Sent.*, dist. III, qu. I, art. 1, qu^a 2; *Quodl.* VI, qu. V, art. 1; *Compend. Theol.*, cap. CCXXIV; *In Psalm.* XLV; *In Ierem.*, cap. I.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Beata Virgo sanctificata fuit ante animationem. Quia, ut dictum est * [Art. praeced.], plus gratiae est collatum Virgini matri Dei quam alicui sanctorum. Sed quibusdam videtur esse concessum quod sanctificarentur ante animationem. Quia dicitur Ierem. I * [Vers. 5.], *Priusquam te formarem in utero, novi te:* non autem infunditur anima ante corporis formationem. Similiter etiam de Ioanne Baptista dicit Ambrosius, *super Luc.* * [Comment. lib. I, ad cap. I, vers. 15.], quod *nondum inerat ei spiritus vitae, et iam inerat ei Spiritus gratiae.* Ergo multo magis Beata Virgo ante animationem sanctificari potuit.

2. Praeterea, conveniens fuit, sicut Anselmus dicit, in libro *de Conceptu Virginali* * [Cap. XVIII.], *ut illa Virgo ea puritate niteret qua maior sub Deo nequit intelligi:* unde et in *Cant.* IV * [Vers. 7.] dicitur: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Sed ma

ior puritas fuisset Beatae Virginis si nunquam fuisset [α] inquinata contagio originalis peccati. Ergo hoc ei praestitum fuit quod, antequam animaretur caro eius, sanctificaretur.

* Art. praeced., arg. *Sed contra.*

3. Praeterea, sicut dictum est *, non celebratur festum nisi de aliquo sancto. Sed quidam celebrant festum Conceptionis Beatae Virginis. Ergo videtur quod in ipsa sua conceptione fuerit sancta. Et ita videtur quod ante animationem fuerit sanctificata.

* Vers. 16.

4. Praeterea, Apostolus dicit, *Rom.* xi *: *Si radix sancta, et rami.* Radix autem filiorum sunt parentes eorum. Potuit ergo Beata Virgo sanctificari etiam in suis parentibus, ante animationem.

* Vers. 11. — * Ps. xlv, vers. 5. — * Ps. xviii, vers. 6. — * Vers. 31, 32.

Sed contra est quod ea quae fuerunt in veteri Testamento, sunt figura Novi: secundum illud I *Cor.* x *: *Omnia in figura contingebant illis.* Per sanctificationem autem tabernaculi, de qua dicitur in Psalmo *, *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus,* videtur significari sanctificatio Matris Dei, quae tabernaculum Dei dicitur, secundum illud Psalmi *, *In sole posuit tabernaculum suum.* De tabernaculo autem dicitur, *Exod.* ult. *: *Postquam cuncta perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum Testimonii, et gloria Domini implevit illud.* Ergo et Beata Virgo non fuit sanctificata nisi postquam cuncta eius perfecta sunt, scilicet corpus et anima.

Respondeo dicendum quod sanctificatio Beatae Virginis non potest intelligi ante eius animationem, duplici ratione. Primo quidem, quia sanctificatio de qua loquimur, non est nisi emundatio a peccato originali: sanctitas enim est *perfecta munditia,* ut Dionysius dicit, xii cap. *de Div. Nom.* Culpa autem non potest emundari nisi per gratiam: cuius subiectum est sola creatura rationalis. Et ideo ante infusionem animae rationalis Beata Virgo sanctificata [β] non fuit.

* Vers. 21. — * D. 370. — * Vers. 10.

Secundo quia, cum sola creatura rationalis sit susceptiva culpae, ante infusionem animae rationalis proles concepta non est culpae obnoxia. Et sic, quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpae: et ita non indiguisset redemptione et salute quae est per Christum, de quo dicitur Matth. i *: *Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Hoc autem [γ] est inconveniens *, quod Christus non sit *Salvator omnium hominum,* ut dicitur I *Tim.* iv *. Unde relinquitur quod sanctificatio Beatae Virginis fuerit post eius animationem.

* Loc. cit.

Ad primum ergo dicendum quod Dominus dicit ante formationem in utero Ieremiam [δ] *novisse,* notitia scilicet praedestinationis: sed *sanctificasse* dicit * eum, non ante formationem, sed *antequam exiret de ventre,* etc.

Quod autem dicit Ambrosius, quod Ioanni Baptistae nondum inerat spiritus vitae cum iam haberet [ε] Spiritum gratiae, non est intelligendum secundum quod *spiritus vitae* dicitur anima vivificans: sed secundum quod spiritus [ζ] dicitur aer exterius respiratus. – Vel potest dici quod nondum inerat ei spiritus vitae, idest anima, quantum ad manifestas et completas operationes ipsius.

* Vers. 35. — * D. 370, 845. — * D. 843. ** Vers. 9. — * Vers. 25.

Ad secundum dicendum quod, si nunquam anima Beatae Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator. Et ideo sub Christo, qui salvari non indiguit, tanquam universalis Salvator, maxima fuit Beatae Virginis puritas. Nam Christus nullo modo contraxit originale peccatum, sed in ipsa sui conceptione fuit sanctus: secundum illud Luc. i *: *Quod ex te nascetur sanctum vocabitur Filius Dei.* Sed Beata Virgo contraxit quidem originale peccatum *, sed ab eo fuit mundata antequam ex utero nasceretur *. Et hoc significatur *Iob* iii **, ubi de nocte originalis peccati dicitur, *Exspectet lucem,* idest Christum, *et non videat* (quia *nihil inquinatum intravit* [η] *in illam,* ut dicitur *Sap.* vii *): *nec ortum surgentis aurorae,* idest Beatae Virginis, quae in suo ortu a peccato originali fuit immunis.

Ad tertium dicendum quod, licet Romana Ecclesia Conceptionem Beatae Virginis non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum ecclesiarum illud festum celebrantium. Unde talis celebritas non est totaliter [θ] reprobanda. Nec tamen per hoc festum Conceptionis celebratum [ι] datur intelligi quod in sua conceptione fuerit sancta. Sed, quia quo tempore sanctificata fuerit ignoratur [κ], celebratur festum sanctificationis eius, potius quam conceptionis, in die conceptionis ipsius.

* Lib. I, cap. xii.

Ad quartum dicendum quod duplex est sanctificatio. Una quidem totius naturae: inquantum scilicet tota natura humana ab omni corruptione culpae et poenae liberatur. Et haec erit in resurrectione. – Alia vero est [λ] sanctificatio personalis. Quae non transit in prolem carnaliter genitam: quia talis sanctificatio non respicit carnem, sed mentem. Et ideo, etsi [μ] parentes Beatae Virginis fuerunt mundati a peccato originali, nihilominus Beata Virgo contraxit peccatum originale, cum fuerit concepta secundum carnis concupiscentiam et [ν] ex commixtione maris et feminae: dicit enim Augustinus, in libro *de Nuptiis et Concupiscentia* *, *omnem quae de concubitu nascitur, carnem esse peccati.*

α) *fuisset.* – *fuisset in anima* F, *anima eius fuisset* tertia.
β) *sanctificata.* – *sanctificanda* Ibc.
γ) *autem.* – Tertia; *enim.*
δ) *Ieremiam.* – *Ieremiam se* E, *se Ieremiam* tertia. – *se* post *sanctificasse* om. P.
ε) *haberet.* – *habebat* tertia.
ζ) *spiritus.* – *vitae* addit tertia.
η) *intravit.* – *incurrit* tertia.
θ) *totaliter.* – *rationabiliter* codex 301 s. Antonii Patavii; cf. in Praefatione § *De codicum variantibus tacitis.*
ι) *festum Conceptionis celebratum.* – *quod festum Conceptionis celebratur* F et tertia.
κ) *ignoratur.* – *ergo ignoranter* ACpE, *ignoranter* vel *ignorantur* sE.
λ) *est.* – F et tertia; om.
μ) *etsi.* – *si* F et tertia.
ν) *et.* – Om. E et tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est, de animatione secundum animam rationalem intellectus.

In corpore articuli est una conclusio, cum uno corollario. Conclusio est responsiva quaesito directe: *Beata Virgo non fuit sanctificata ante animationem.* – Corollarium est: *Beata Virgo fuit sanctificata post animationem* *.

* Cf. num. VI.

Conclusio probatur dupliciter. Primo, sic. Sanctificatio de qua loquimur, est emundatio a peccato originali. Ergo est per gratiam. Ergo in sola creatura rationali. Ergo non ante infusionem animae rationalis. – Antecedens declaratur ex Dionysio: *Sanctitas est perfecta munditia.* – Prima consequentia probatur: quia culpa non emundatur nisi per gratiam. – Secunda vero: quia sola creatura rationalis est subiectum gratiae.

Secundo, ducendo ad inconveniens, sic. Proles concepta, ante infusionem animae rationalis, non est culpae obnoxia. Ergo, quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, non incurrisset originalis peccati maculam. Ergo non indiguisset redemptione et salute quae est facta per Christum. Sed hoc est inconveniens. Ergo. – Antecedens probatur. Quia sola creatura rationalis est susceptiva culpae. – Prima consequentia ut clara relinquitur. – Secunda autem probatur auctoritate Angeli, Matth. I: *Ipse salvum faciet a peccatis.* – Inconveniens consequentis probatur auctoritate Apostoli, I *ad Tim.* IV.

II. Adverte hic, primo, quod sanctificatio potest dupliciter sumi. Primo, ut est de contrario in contrarium: de immunditia ad munditiam. Et sic constat quod est de peccato in gratiam. – Secundo, ut est de negato in affirmatum: de non sancto in sanctum, de non-gratia in gratiam. Et sic non supponit peccatum. Et invenitur in Christo et angelis: angeli enim sanctificati sunt a Deo, qui nunquam peccaverunt; et de seipso dicit Christus *: *Quem Pater sanctificavit,* etc.

* Ioan. cap. X, vers. 36.

In prima autem ratione hic allata sumitur sanctificatio primo modo, gratia materiae: quoniam sermo est de sanctificatione hominis descendentis ex commixtione maris et feminae; supponimus enim omnem huiusmodi hominem peccatum originale contrahere, iuxta superius * determinata de peccato originali. Et propterea in littera dicitur quod *sanctificatio de qua loquimur, est emundatio a peccato originali.* Et ex auctoritate Dionysii, accipiendo munditiam a contrario, probatur. Vel ratione materiae probatur: quia perfecta munditia in tali materia est emundatio a peccato originali.

* I[a] II[ae], quaest. LXXXI, art. 3.

III. Adverte secundo quod, licet sanctificatio proprie sumpta, ut scilicet pertingit ad proprium terminum ad quem, qui est gratia reddens creaturam impeccabilem, ad minus mortaliter, sumatur duobus antedictis * modis; extenditur tamen sanctificationis nomen, sicut etiam extenduntur alia nomina multiplicia, ad ea quae ad sanctitatem praeparant, vel faciunt, et huiusmodi. Et propterea Auctor, in secunda ratione hic allata, extenso sanctificationis nomine utitur, dicens: *Quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset.*

* Num. praeced.

Ea autem necessitas secundae rationis fuit, quia, excluso per primam rationem quod ante infusionem rationalis animae sanctificata fuit proprie, quia non erat capax gratiae, supererat excludere quod tunc etiam, scilicet ante animationem, non fuit sanctificata illo modo quo ille fetus erat sanctificationis capax: puta quod mundaretur ab infectione seu contagione qua erat infectura animam rationalem sibi infundendam. Et hoc per secundam rationem directe excluditur, ut patet.

IV. Circa secundam rationem *, dubium occurrit de illa consequentia: *Ergo non indiguisset redemptione Christi.* Nam videtur non valere: ex eo quod, multi cum sint modi quibus redemptio et salus per Christum fit, etiam a peccato, ratio ista, unum tantum modum excludens, quasi omnes excluserit, infert negativam totaliter, quod non indiguisset redemptione Christi. Quod autem non sit unicus tantum modus quo redemptio a peccato fit per Christum, ex eo patet quod, ultra illum communem modum quo salvat delendo inventam peccati maculam in anima, datur alius, quo, tollendo contagionis labem a carne susceptura animam, praeservat a peccato animam, ne incurrat in illud. Ac per hoc, licet Beata Virgo non indiguisset illo modo, scilicet per deletionem maculae incursae, redimi et salvari per Christum; indiguit tamen redimi et salvari per eundem alio modo, scilicet per emundationem infectionis fetus, ut sic praeservaretur a culpa.

* Num. I, *Secundo.*

V. Ad huius evidentiam, advertendum est quod aliud est personam Beatae Virginis indiguisse redimi a peccato per Christum: et aliud est fetum illum, ante animae infusionem, indiguisse sanctificari per Christum. Nam personam ipsam indigere salvari a peccato, est liberari a peccato quod habet, vel haberet: oportet enim aut quod habeat peccatum, vel quod sit in procinctu seu periculo habendi peccatum, quisquis eget salvari a peccato; si enim peccatum non habet, nec est in periculo habendi peccatum, salvatore a peccato non indiget, ut patet. Fetum autem egere sanctificatione est quia, nisi sanctificetur, immundus erit. Si Beatae igitur Virginis fetus sanctificatus fuisset ante infusionem animae rationalis, cum fetus non sit homo nisi per animam rationalem, non ipsa Beata Virgo, quae non erat adhuc, sed fetus ille indiguisset sanctificari per Christum, sed ipsa Beata Virgo fuisset concepta sine peccato originali absque quacumque alia gratia: ita quod, ex hoc ipso quod anima sua infusa esset materiae mundae, originale peccatum non contraxisset, etiam si nulla superapposita fuisset gratia. Ac per hoc, ipsa Beata Virgo non indiguisset gratia redemptionis, seu salvationis a peccato, per Christum factae. Exemplum: Apostolus Paulus, quia natus est civis Romanus *, nunquam indiguit Caesarea gratia ad civilitatem Romanam: quamvis aliquis ex patribus suis hac gratia indiguerit. Simile est in proposito: quia, licet caro antecedens personam Beatae Virginis indiguerit redimi tali modo per Christum, ipsa tamen Beata Virgo, quia nata in utero esset expers peccati absque infusa sibi gratia praeservante ne incurreret, non indiguisset simpliciter et absolute redimi, seu salvari a peccato, per Christum. Et hinc habes quod, si dicatur quod Beata Virgo indiguisset in carne praecedente redimi a peccato, quamvis non in se, haec distinctio non obstat dictis. Quoniam indigere in antecedentibus non est ipsam indigere: ita quod ly *in antecedentibus* est conditio diminuens rationem indigentiae personalis. Et propterea non valet consequentia: *Indiguisset in sui fetus carne, Ergo ipsa Beata Virgo indiguisset.*

* *Act.* cap. XXII, vers. 28.

Est ergo simpliciter vera doctrina in littera tradita, quod, si Beata Virgo fuisset ante infusionem animae sanctificata, quod non eguisset redemptione et salute a peccato facta per Christum. Et bene nota quod non dicitur quod non indiguisset *salute gratiae aut gloriae* facta per Christum: sed, *salute a peccato,* a qua dictus est *Iesus,* hoc est, *Salvator,* ut Angelus revelavit Ioseph, dicens, Matth. I *: *Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

* Vers. 21.

Et per haec patet responsio ad obiectionem. Quoniam Beatam Virginem in praecedente fetu, vel parente, etc., indigere redemptione, non est ipsam Beatam Virginem indigere: sicut Paulum in suis parentibus indiguisse gratia civilitatis Romanae, non est Paulum illa indiguisse, sed maiores suos indiguisse illa.

VI. Circa corollarium * dubium occurrit, quia non videtur sequi ex praemissis. Nam ex hoc quod Beata Virgo non fuit sanctificata ante animationem, non sequitur quod sanctificatio eius fuerit post animationem. Stat enim quod nec ante nec post, sed in ipso instanti infusionis animae fuerit sanctificata: ut multi moderni tenent.

* Num. I.

Ad hoc dicitur quod aliud est discutere materiam hanc

absolute: et aliud, inquantum ex hac littera infertur talis conclusio corollarie. Nam, absolute loquendo, inter illas duas positiones extremas, scilicet quod fuerit sanctificata vel ante infusionem animae vel post infusionem animae, est positio media quod fuit sanctificata in instanti infusionis animae. Cuius opinionis Auctor hic non meminit, quia tempore suo non erat adinventa: omnibus communiter tenentibus Beatam Virginem conceptam in peccato originali, et ideo, ut videtur, reprobantibus sanctificationem carnis eius ante infusionem animae, ut in hac littera patet. Et propterea, loquendo secundum praesentis litterae contextum, consequentia tenet: quia a negatione sanctificationis anterioris, cum sua ratione, quia scilicet contraxit peccatum originale, infertur quod fuerit sanctificata post animationem. Et clare patet quod sequela haec est efficax: quoniam impossibile est in uno eodemque instanti contrahere peccatum originale, et sanctificari ab illo. Stat ergo littera solida, quamvis non sollicita de illa media opinione, tunc inopinabili. Quae hodie, mulieribus, vulgo, affectuque nonnullorum pio, multorum autem industria ac quaestu cogentibus, ita praevaluit ut doctrinae Sanctorum aestimata pietas praeferatur: et quod in communi asseritur, in his scilicet quae credenda sunt sectandos magis esse antiquos doctores quam modernos, in hoc particulari posthabetur, dum moderni antiquis, et non-sancti sanctis praeferuntur. Testatur autem erraticus hic processus similes esse istos peccantibus ex ignorantia electionis: dum, in universali scientes, applicando ad particulare ab universali declinant.

Verum opinio ista media, quamvis nova, quamvis aliena a doctrina antiquorum doctorum, et a doctrina Sanctorum communiter; quia tamen nihil contra fidem sustinet, et Apostolica Sedes decrevit, donec fuerit decisum, absque haeresis criminisque labe utramque contradictionis partem teneri posse: unaquaeque provincia *in suo sensu abundet*, modo prompta sit Ecclesiae sanctae definitioni subesse.

VII. Scripsimus de hac materia tractatulum quendam * ad Leonem X, Pontificem Maximum, *qui vivit et regnat* *. Et ideo sat sit hic monuisse omnes de re hac disserentes aut praedicantes, ut meminerint se non de fidei necessariis, sed de probabilibus tractare: neutra siquidem pars fidei documentis adversatur. Nam si tenetur Beatam Virginem contraxisse originale peccatum, ut Sancti et antiqui doctores tenent, constat omnia consona inveniri. Si autem tenetur Beatam Virginem, non ex vi conceptionis, sed ex gratia singularissima in ipso instanti infusionis animae infusa illi animae, praeservatam ab originali peccato, quod tunc incurrisset nisi illa gratia affuisset: nihil contra fidem tenetur, sed specialis modus redimendi ac salvandi a peccato originali Christo attribuitur respectu suae matris. Sic enim ipsa Beata Virgo indiguit redimi et salvari a peccato per Christum: quoniam ipsa tunc incurrisset peccatum, nisi munus gratiae praevenientis, non tempore sed natura, affuisset. Et ita puritas eius fuit maxima sub Christo, qui nullo modo indiguit redimi, qui ex vi suae conceptionis fuit sanctus. Fuitque in Beata Virgine *quod animale est* prius natura, non tempore, quam *quod spirituale est* *: quoniam infusio gratiae in ipsius anima supponit productionem animae; quamvis, ut dictum est, praeveniat peccati maculam, quae tunc incurrenda erat nisi gratia illam impedisset; – probabilis profecto opinio, nisi Sanctorum antiquorum auctoritas obstaret, longe probabiliorem reddens contrariam positionem.

* Opusc. Cai[...] (Ven. 1562), to[...] II, Tract. I, *[...] Conc. B. Virg[...]*
* Horat. *Epi[...]* lib. I, Ep. x, ve[...] 8.
* Cf. I *ad Co[...]* cap. xv, vers. 4[...]

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM BEATA VIRGO FUERIT EMUNDATA AB INFECTIONE FOMITIS

Infra, art. 4, ad 1; art. 5, ad 2; III *Sent.*, dist. III, qu. 1, art. 2, qu^a 1; *Expos. primae partis text.*; *Compend. Theol.*, cap. CCXXIV, CCXXV; *In Ierem.*, cap. I.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Beata Virgo non fuerit emundata ab infectione fomitis. Sicut enim poena originalis peccati est fomes, qui consistit in inferiorum virium rebellione ad rationem, ita etiam poena originalis peccati est mors, et ceterae poenalitates corporales. Sed Beata Virgo fuit subiecta huiusmodi poenalitatibus. Ergo etiam fomes ab ea totaliter remotus non fuit.

2. PRAETEREA, II *Cor.* XII * dicitur: *Virtus in infirmitate perficitur:* et loquitur de infirmitate fomitis, secundum quam patiebatur *stimulum carnis* *. Sed nihil quod pertinet ad perfectionem virtutis, fuit Beatae Virgini subtrahendum. Ergo non fuit Beatae Virgini totaliter subtrahendus fomes.

3. PRAETEREA, Damascenus dicit * quod in Beata Virgine [α] *supervenit Spiritus Sanctus purgans eam*, ante conceptionem Filii Dei. Quod non potest intelligi nisi de purgatione a fomite: nam peccatum non fecit, ut Augustinus dicit, in libro *de Natura et Gratia* *. Ergo per sanctificationem in utero non fuit libere mundata a fomite.

SED CONTRA EST quod dicitur *Cant.* IV *: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Fomes autem ad maculam pertinet, saltem carnis. Ergo in Beata Virgine fomes non fuit.

RESPONDEO DICENDUM quod circa hoc sunt diversae opiniones. Quidam enim dixerunt quod in ipsa sanctificatione Beatae Virginis, qua fuit sanctificata in utero, totaliter fuit ei fomes subtractus. – Quidam vero dicunt quod remansit fomes quantum ad hoc quod facit difficultatem ad bonum, sublatus tamen fuit quantum ad hoc quod facit pronitatem ad malum. – Alii vero dicunt quod sublatus fuit fomes inquantum pertinet ad corruptionem personae, prout impellit ad malum et difficultatem facit ad bonum: remansit tamen inquantum pertinet ad corruptionem naturae, prout scilicet est causa traducendi originale peccatum in prolem. – Alii vero dicunt quod in prima sanctificatione remansit fomes secundum essentiam, sed ligatus fuit [β]: in ipsa autem conceptione Filii Dei fuit totaliter sublatus.

Ad horum autem intellectum, oportet considerare quod fomes nihil aliud est quam inordinata concupiscentia sensibilis appetitus, habitualis tamen: quia actualis concupiscentia est motus

* Vers. 9.
* Vers. 7.
* De Fide Orth., lib. III, cap. II.
* Cap. XXXVI.
* Vers. 7.

α) *Beata Virgine.* – *Beatam Virginem* tertia praeter I.

β) *fuit.* – Om. tertia.

peccati. Dicitur autem concupiscentia sensualitatis esse inordinata, inquantum repugnat rationi: quod quidem fit inquantum inclinat ad malum, vel difficultatem facit ad bonum [γ]. Et ideo ad ipsam rationem fomitis pertinet quod inclinet ad malum, vel difficultatem facit [δ] in bono. Unde ponere quod remanserit fomes in Beata Virgine non inclinans ad malum, est ponere duo opposita.

Similiter etiam [ε] videtur oppositionem implicare quod remanserit fomes inquantum pertinet ad corruptionem naturae, non autem inquantum pertinet ad corruptionem personae. Nam secundum Augustinum, in libro *de Nuptiis et Concupiscentia* *, libido est quae peccatum originale transmittit in prolem. Libido autem importat inordinatam concupiscentiam, quae non totaliter subditur rationi. Et ideo, si totaliter fomes subtraheretur inquantum pertinet ad corruptionem personae, non posset remanere inquantum pertinet ad corruptionem naturae.

* Lib. I, cap. XXIV.

Restat igitur ut dicamus quod vel totaliter fomes fuerit ab ea sublatus per primam sanctificationem: vel quod fuerit [ζ] ligatus. Posset tamen [η] intelligi quod totaliter fuit sublatus fomes hoc modo, quod praestitum fuerit Beatae Virgini, ex abundantia [θ] gratiae descendentis in ipsam, ut talis esset dispositio virium animae in ipsa quod inferiores vires nunquam moverentur sine arbitrio rationis: sicut dictum est * fuisse in Christo, quem constat peccati fomitem non habuisse; et sicut fuit in Adam ante peccatum per originalem iustitiam; ita quod, quantum ad hoc, gratia sanctificationis in Virgine habuit vim originalis iustitiae. Et quamvis haec positio ad dignitatem Virginis Matris pertinere videatur, derogat tamen in aliquo dignitati Christi, absque cuius virtute nullus a prima damnatione liberatus est [ι]. Et quamvis per fidem [κ] Christi aliqui ante Christi incarnationem sint secundum spiritum ab illa damnatione liberati, tamen quod secundum carnem aliquis ab illa damnatione liberetur, non videtur fieri debuisse nisi post incarnationem eius, in qua primo debuit immunitas damnationis apparere. Et ideo, sicut ante immortalitatem carnis Christi resurgentis nullus adeptus fuit carnis immortalitatem, ita inconveniens etiam [λ] videtur dicere quod ante carnem Christi, in qua nullum fuit peccatum, caro Virginis matris eius, vel cuiuscumque alterius, fuerit absque fomite, qui dicitur *lex carnis*, sive *membrorum* *. Et ideo melius videtur dicendum quod per sanctificationem in utero non fuit sublatus Virgini [μ] fomes secundum essentiam, sed remansit ligatus: non quidem per actum rationis suae, sicut in viris sanctis, quia non statim [ν] habuit usum liberi arbitrii adhuc in ventre matris existens, hoc enim speciale privilegium Christi fuit; sed per gratiam abundantem [ξ] quam in sanctificatione recepit; et etiam perfectius per divinam providentiam sensualitatem eius ab omni inordinato motu prohibentem. Postmodum vero, in ipsa conceptione carnis Christi, in qua primo debuit refulgere peccati immunitas, credendum est quod ex prole redundaverit in matrem totaliter a fomite subtractio [ο]. Et hoc significatur Ezech. XLIII *, ubi dicitur: *Ecce, gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem,* idest per Beatam Virginem, *et terra,* idest caro ipsius, *splendebat a maiestate eius,* scilicet Christi.

* Qu. XV, art. 2.

* Ad Rom., cap. VII, vers. 23, 25. – Cf. Mag. III *Sent.*, dist. III.

* Vers 2.

Ad primum ergo dicendum quod mors et huiusmodi poenalitates de se non inclinant ad peccatum. Unde etiam Christus, licet assumpserit huiusmodi poenalitates, fomitem tamen non assumpsit. Unde etiam in Beata Virgine, ut Filio conformaretur [π], *de cuius plenitudine gratiam accipiebat* *, primo quidem fuit ligatus fomes, et postea sublatus: non autem fuit liberata a morte et aliis huiusmodi poenalitatibus.

* Ioan. cap. I, vers. 16.

Ad secundum dicendum quod infirmitas carnis ad fomitem pertinens est quidem in sanctis viris perfectae virtutis occasio: non tamen causa sine qua perfectio haberi non possit. Sufficit autem in Beata Virgine ponere perfectam virtutem et abundantiam [ρ] gratiae: nec in ea oportet ponere omnem occasionem perfectionis.

Ad tertium dicendum quod Spiritus Sanctus in Beata Virgine duplicem purgationem fecit [σ]. Unam quidem quasi praeparatoriam ad Christi conceptionem: quae non fuit ab aliqua impuritate culpae vel fomitis, sed mentem eius magis in unum colligens et a multitudine sustollens *. Nam et angeli purgari dicuntur, in quibus nulla impuritas invenitur [τ]: ut Dionysius dicit, VI cap. *Eccles. Hier.* – Aliam vero purgationem operatus est in ea Spiritus Sanctus mediante conceptione Christi, quae fuit opus Spiritus Sancti. Et secundum hoc potest dici quod purgavit eam totaliter a fomite.

* Cf. Dionys. *de Div. Nom.*, cap. IV (s. Th. lect. IV); *de Eccles. Hier.*, cap. VI.

γ) *ad bonum.* – *in bono* tertia.
δ) *facit.* – *faciat* tertia et *a*.
ε) *Similiter etiam.* – *bc; Simul etiam* BDpCsE et *a* (sed *a* dividit post *simul*), *Et simul etiam* A, *Simul* pE, *Similiter* sC, *(opposita) simul. Similiter etiam* PFGI.
ζ) *fuerit.* – *remanserit* tertia, *(vel si remanserit quod) fuit* E.
η) *tamen.* – *enim* PI.
θ) *abundantia.* – *superabundantia* BDEFsC. – Pro *in ipsam, in ipsa* ABCE*b*.
ι) *liberatus est.* – *liberatur* tertia.
κ) *fidem.* – *spiritualem* (*spālem* I) *fidem* tertia.
λ) *inconveniens etiam.* – *etiam inconveniens* BGI*a*, *inconveniens esse* F, *inconveniens* editiones.
μ) *Virgini.* – *Beatae Virgini* tertia.
ν) *statim.* – Om. tertia praeter I.
ξ) *gratiam abundantem.* – *abundantiam gratiae* tertia.
ο) *a fomite subtractio.* – *a fomite subtracto* I, *fomite subtracto* Pc.
π) *conformaretur.* – Tertia et *a*; *conformetur.*
ρ) *et abundantiam.* – *ex abundantia* tertia.
σ) *purgationem fecit.* – Tertia; *fecit purgationem* F, *perfectionem fecit* (*fecit perfectionem* BD) *vel purgationem* ceteri.
τ) *invenitur.* – *reperitur* BDF.

Commentaria Cardinalis Caietani

* Qu. xv, art. 2; 1a IIae, qu. xci, art. 6.
* Ad Galat., cap. v, vers. 17.
* Cf. num. II sqq.
* Cf. num. vi.
* Cf. num. v.
* Cf. num. seq.
* Cf. num. iv.
* Cf. num. vi.
* Num. praeced., In corpore.
* Cap. xiv, n. 1 sqq. - S. Th. lect. xviii.

Titulus clarus recolentibus fomitis rationem ex dictis in praecedentibus *. Est enim fomes appetitus sensitivi deordinatio, ex subtractione originalis iustitiae destituti, qua deordinatione *caro concupiscit adversus spiritum* *.

In corpore articuli duo fiunt: primo, recitantur quatuor opiniones circa quaesitum; deinde singulae examinantur *; et sola quarta approbatur, sicque respondetur quaesito *.

Quoad primum, opiniones patent: prima, quod totaliter ablatus *; secunda, quod ablatus quantum ad pronitatem in malum, non autem quantum ad difficultatem in bonum *; tertia, quod ablatus quantum ad personam, non quantum ad naturam *; quarta, quod remanet secundum essentiam, ligatus quoad actum *. Et haec quarta videtur coincidere cum secunda opinione posita a Magistro Sententiarum, in III distinctione III *Sent.* Duas tantum ibi ponit, scilicet primam et quartam, sub aliis verbis. Vide ibi.

II. Quoad secundum *, examinatur primo secunda opinio, dicens quod fomes remansit quoad difficultatem ad bonum, sed non quoad pronitatem ad malum. Contra quam obiicitur sic. Fomes est inordinata habitualis concupiscentia appetitus sensitivi: et inordinatio haec attenditur penes repugnantiam ad rationem. Ergo ponere quod remanserit, et non inquantum inclinat ad malum, est ponere duo opposita. – Et tenet sequela: quia repugnantia ad rationem in appetitu est inquantum inclinat ad malum vel difficultat in bono.

III. Circa hanc rationem duo sunt dubia. Alterum commune: qualiter fomes sit inordinata concupiscentia habitualis; cum nullus sit habitus malus in prole; quia nec acquisitus, nec infusus.

Alterum proprium huic intento: quia haec ratio non videtur efficax. Quoniam inordinata concupiscentia, ut littera testatur, habet duos effectus sub disiunctione, vel inclinare ad malum, vel difficultare ad bonum: et positio contraria dicit quod fomes manet cum uno tantum istorum effectuum. Auctor autem ex positione causae habentis plures effectus, scilicet inordinatae concupiscentiae natae habere utrumque dictorum effectuum, infert positionem utriusque effectus. Quod constat non licere ex II *Poster.* *, sed e converso: ex quolibet enim effectu communis causae potest inferri causa, sed ex positione communis causae non potest inferri determinate iste effectus; ut in littera fit, dum ex inordinata concupiscentia infertur pronitas ad malum, et non solum difficultas ad bonum, quam opinio illa ponebat.

Ad primum dubium dicitur quod concupiscentia habitualis dicitur, non quia sit habitus, sed quia est privatio habitus: privatio enim ad genus sui oppositi spectat; nonhomo enim ad substantiam, et non-album ad quale reducitur. Est siquidem appetitus sensitivus humanus privatus gratia habituali originalis iustitiae, qua promptus suberat rationis ordini. Destitutus siquidem tali dono, dicitur concupiscentia inordinata habitualis: quia sic est, etiam si nihil actualiter concupiscat.

Ad secundum dubium dicitur dupliciter. Primo, quod doctrina Aristotelis loquitur de causa communi ad disparatos effectus: non autem de causa communi effectuum mutuo se inferentium, quales sunt isti. Nam pronitas ad malum difficilem facit ad bonum: et difficultas ad bonum pronum monstrat animum ad malum. Nisi enim animus inclinaretur ad contrarium bono rationis, non esset difficilis ad bonum: sicut, si corpus non inclinaretur ad motum deorsum, non difficultaretur ad ascendendum. Et similiter ex hoc quod inclinatur ad bonum sensibile contrarium bono rationis, provenit quod difficultatem patitur ad motum secundum rationem in bonum. Nullus ergo error, nulla debilitas in processu hoc litterae est.

Secundo dici potest quod, licet ex positione causae communis non possit determinate inferri positio alterius determinate effectus, vel positio utriusque simul, potest tamen inferri potentia ad alterum determinate et ad utrumque simul: quia ex hoc ipso quod causa communis est utrique, in potentia habet utrumque. Ac per hoc, licuit Auctori, ex hoc quod fomes est concupiscentia contraria rationi habitualiter, inferre quod fomes necessario est inclinativus ad malum et difficultativus in bono: et non intulit quod actualiter inclinaret ad malum. Ipsa siquidem inordinatio, quia rationi contraria, sonat pronitatem ad malum, non actualem, sed habitualem, ut declaratum est. Et propterea recte illatum est quod duo simul ponuntur contraria dum ponitur fomes et negatur habitualis pronitas ad malum: quia ipsa inordinata concupiscentia est pronitas ad malum, quia est contraria rationi. Et haec responsio magis litteram assequitur.

IV. Examinatur deinde tertia opinio *, dicens fomitem remansisse quantum ad corruptionem naturae, non quantum ad corruptionem personae. Contra hanc in littera similiter proceditur, quod ponat duo opposita simul, arguendo sic. Fomes ut corruptio naturae, est libido transmittens peccatum in prolem. Libido autem est supradicta concupiscentia rationi contraria. Ergo fomes ut corruptio naturae, infert seipsum ut corruptionem personae. * Num. I.

Antecedens est Augustini. – Altera propositio accipitur ut per se nota. Quia aut est sermo de libidine actuali: et habetur intentum, quia haec non compatitur liberum rationis usum. Sed de hac non est sermo: quia, quantumcumque parentes absque delectatione coirent, proles conciperetur in peccato originali. Si autem est sermo de libidine habituali, ut in veritate est sermo de illa, constat quod ipsa non nisi habitualis est concupiscentia inordinata quam declaravimus *. – Consequentia autem est per se evidens. Quia inordinata concupiscentia ideo inordinata est quia contraria rationi habentis illam: ac per hoc, ad personale malum habentis illam spectat. * Num. praec.

Quia igitur inordinata habitualis concupiscentia est ex eadem ratione et contraria rationi habentis illam, et ex qua transmittitur originale peccatum in prolem; non potest, secundum unam et eandem atomam rationem, separari a seipsa, ut maneat in seipsa et non maneat; quidquid sit de effectibus.

V. Post haec, exclusis secunda et tertia opinionibus, infertur primam aut quartam asserendam. Et examinatur prima *, declarando, primo, quomodo potest intelligi ista positio. Et satis plane patet littera quoad hoc, exemplo Christi et Adae. – Muniendo, secundo, hanc opinionem: quia spectat ad dignitatem Beatae Virginis. – Obiiciendo, tertio, contra illam: quia derogat dignitati Christi, quia prima caro sancta debuit esse caro Christi. * Num. I.

Affertur autem in littera ratio talis. Absque virtute Christi nullus a prima damnatione liberatur. Ergo ante incarnationem Christi nullus secundum carnem debuit a prima damnatione liberari. – Consequentia probatur. Quia in Christi carne debuit primo apparere immunitas a damnatione.

Et confirmatur a simili: de immortalitate carnis.

Adverte hic quod Auctor, posito antecedente, adversativam apponit adiuvantem consequentiam, dicens: *Et quamvis per spiritualem fidem Christi aliqui sint secundum spiritum ab illa damnatione ante Christi incarnationem liberati, tamen,* etc. Ubi ex dissimili effectu salutis carnalis et spiritualis a Christo, dum causam tangit, scilicet secundum spiritum et secundum carnem, consequentiam probat. Consentaneum quippe rationi est ut, sicut salus spiritus per spiritualem modum fit, per fidem scilicet, quae est etiam futurorum; ita salus carnis carnaliter quoque fiat, ac per hoc, a prima carne sancta suapte natura; qualis est procul dubio, secundum omnes, sola Christi caro, de qua sola scriptum est *, *Quod ex te nascetur sanctum.* * Luc. cap. I, vers. 35.

Videre etiam potes quam consona ratio allata sit: tum ut *primum in unoquoque genere sit causa aliorum* *; tum ut principium et consummatio rei correspondeant sibi. Salus carnis consummatur per immortalitatem: inchoatur per sanctitatem eiusdem carnis. Et quia constat primam

* Cf. Aristot. *Metaphys.* lib. II, cap. I, n. [...] - S. Th. lib. [...] lect. II.

carnem immortalem fuisse carnem Christi, quia ipse est *primogenitus mortuorum* *; consonum est ut eius caro fuerit etiam prima caro sancta. Sanctitas autem carnis penes munditiam seu immunitatem a fomite, qui *lex carnis* dicitur *, attenditur. Non igitur inventa est caro sine fomite ante Christi carnem: si primus locus Christo reservatus est, sicut reservari decuit.

Et memento, Lector, ut in istiusmodi quaestionibus non quaeras rationes mathematicas. *Indisciplinati* enim *est ingenii quaerere similem in omni materia certitudinem* *. Rationabilem hic sufficit inferre conclusionem.

VI. Demum quarta opinio * approbatur. Quam primo ponit, dicens quod *remansit fomes secundum essentiam, ligatus quoad exercitium seu operationem, usque ad conceptionem Filii Dei, in qua fuit totaliter sublatus.*

Secundo, declarat modum quo ligatus fuit. Ubi tres modos tangit: scilicet per dominium liberi arbitrii; per gratiam habitualem; per divinae providentiae assistentiam. Et primum modum excludit, eadem ratione: quia privilegium similiter Christi est usum liberi arbitrii in materno utero habere. – Secundum modum approbat: quem declaraverat examinando primam opinionem, ultimo improbatam. – Tertium autem modum magnificat *.

Tertio, declarat ultimam conclusionis partem. Tum quia in conceptione Christi iam apparuit immunitas primo in carne Christi: ac per hoc, absque ulla derogatione privilegiorum Christi dignitas matris tunc poni potest, ut gratiam habuerit totaliter auferentem fomitem. – Tum quia figurate auctoritas Ezechielis favet.

VII. Circa primum modum vinculi quo ligatur fomes, scilicet per imperium liberi arbitrii, pro quanto dicitur Christi privilegium, scito quod dupliciter contingit haberi usum liberi arbitrii in materno utero. Primo, ab initio conceptionis, seu infusionis animae, et deinceps semper. Et hoc est privilegium Christi. Et hoc negatur cuiquam alteri concessum. Et per hanc negationem sufficienter probatur fomitem in Beata Virgine non esse ligatum per liberum arbitrium: quia fomitem ab initio habuit, et continue; liberi autem arbitrii usum non habuit ab initio et deinceps, quia hoc est Christi privilegium.

Secundo, contingit ex speciali gratia ad aliquem actum: ut de Ioanne Baptista potest credi, cum *exsultavit in gaudio infans in utero* *. Gaudere enim motus est appetitivae partis, et gaudere de spiritualibus motus est appetitus superioris, qui vocatur voluntas: constat autem Ioannis gaudium non de re sensibili, sed de Christi adventu fuisse, et exsultasse gaudio. Verum post actum illum Ioannes sanctus perseveravit, sed non cum usu liberi arbitrii. Sicut et miraculose quandoque legitur praestitus usus loquendi ad aliquem actum aliquibus infantibus, qui tamen nesciebant propterea postea loqui, sed erant sicut alii infantes: ut patet in gestis Apostolorum Simonis et Iudae *, et Faustini, Simplicii et Beatricis *.

* Ad Coloss. cap. I, vers. 18; Apoc. cap. I, vers. 5.
* Ad Rom. cap. VII, vers. 25. - Cf. Mag. III Sent., dist. III.
* Cf. Arist. Ethic. lib. I, cap. III, n. 4; cap. VII, n. 18. - S. Th. lect. III, XI.
* Num. I.
* Cf. num. VIII.
* Luc. cap. I, vers. 44.
* Fabric. Cod. Apocr. Novi Testam. tom. I, Apost. Hist. lib. VI, cap. XVIII (Hamburgi, an. 1719).
* Bolland. Acta SS. ad diem 29 Iulii.

VIII. Circa magnificationem tertii modi *, quo fomes ligatus perfectius ponitur per divinam providentiam, adverte quod dupliciter exponi potest illud comparativum, *perfectius*. Primo, ut denotet solam additionem maioris perfectionis: ita quod perfectioni interiori superaddatur perfectio ab exteriori prohibente; sicut si diceremus quod fons aquae est frigidus ab intrinseca qualitate, et perfectius ab extrinseco concavo monte prohibente solem calefacientem. Et hic sensus caret scrupulo: quoniam constat fomitem perfectius ligari ex gratia intrinseca et providentia extrinseca prohibente inordinationem fieri, quam ex gratia intrinseca tantum.

Alio modo potest exponi ut comparationem faciat ad secundum modum vinculi: ut sit sensus quod fomes perfectius ligabatur per divinam providentiam quam per interiorem sanctificationem. Et hic sensus non caret ambiguitate: quoniam efficacius ac nobilius refrenatur inclinatio interior ab intus quam ab extra; fomes autem interior quaedam est inclinatio adversus rationem. Sed si diligentius perspexerimus, inveniemus oppositum. Aliud quippe est loqui de fomite in seipso: et aliud de actibus eius. Fomes ipse, cum inclinatio habitualis sit, optime ac propriissime per habitum curatur ac tollitur. Sed actus ipse, cum praeter ac contra infusum habitum exerceri possit ex ipsa habituali inclinatione impellente, requirit, ad hoc ut inobliquabilis sit, manente interiori inclinatione, exteriorem curam quae ad ea quae intus et ad ea quae extra sunt, se efficacissime extendat. Et propterea, manente in Beata Virgine fomite, ut supponitur, efficacius retentivum actuum ipsius ponitur divina providentia, ad interiora et exteriora se extendens infallibiliter, quam gratia interioris sanctitatis non tollens tamen fomitem: quia huiusmodi gratia relinquit locum actuali usui praeter gratiam; ut patet in Ioanne Baptista, Ieremia, et Apostolis confirmatis *virtute ex alto* *.

Et quamvis nobilius esset simpliciter ab intrinseco non posse exorbitare quam ab extrinseco, non est tamen nobilius inter possibilia in tali statu, scilicet manentis fomitis. Et loquor de possibili secundum divinam sapientiam *suaviter omnia disponentem* *, quae vocatur potentia ordinata.

Ligatus est ergo Beatae Virginis fomes, usque ad conceptionem Filii, et per gratiam sanctificationis relinquentem fomitis essentiam et dominantem exercitio, ut habitualis gratia viatorum praesidere consuevit subiecto ne exorbitet in actu: et per divinam providentiam perfectius, ut plene ac infallibiliter praesidentem ne actus exorbitet.

Et haec expositio est tanto Auctore dignior, quanto subtilior. Et diversitatem in littera positam modorum ligandi, et comparationem, proprie penetrat. Et ab ipso Auctore in sequenti articulo, in responsione ad primum, haberi potest.

* Cf. num. VI.
* Luc. cap. XXIV, vers. 49.
* Sap. cap. VIII, vers. I.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM PER SANCTIFICATIONEM IN UTERO FUERIT BEATA VIRGO PRAESERVATA AB OMNI PECCATO ACTUALI

III *Sent.*, dist. III, qu. I, art. 2, qu[a] 2, 3; dist. XIII, qu. I, art. 2, qu[a] I; IV, dist. VI, qu. I, art. I, qu[a] 2; *Compend. Theol.*, cap. CCXXIV; *Expos. Orat. Domin.*, ad petit. 5[am]; *Expos. Salut. Angelic.*; *In Matth.*, cap. XII.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod per sanctificationem in utero non fuerit Beata Virgo praeservata ab omni peccato actuali. Quia, ut dictum est *, post primam sanctificationem fomes peccati remansit in Virgine. Motus autem fomitis, etiam si rationem praeveniat, est peccatum veniale, licet *levissimum:* ut Augustinus dicit, in libro *de Trin* *. Ergo in Beata Virgine fuit aliquod peccatum veniale.

2. PRAETEREA, super illud Luc. II *, *Tuam ipsius animam pertransibit gladius,* dicit Augustinus, in libro *de Quaest. Novi et Veteris Test.* *, quod Beata Virgo *in morte Domini stupore quodam dubitavit.*

* Art. praeced.
* Mag. II Sent., dist. XXIV.
* Vers. 35.
* Qu. LXXIII. - Inter Opp. Aug.

Sed dubitare de fide est peccatum. Ergo Beata Virgo non fuit praeservata immunis ab omni peccato.

[* Homil. XLIV, al. XLV.] 3. Praeterea, Chrysostomus, *super Matth.* *, exponens illud [α], *Ecce mater tua et fratres tui* [* Cap. XII, vers. 47.] *foris stant quaerentes te* *, dicit: *Manifestum est quoniam* [β] *solum ex vana gloria hoc faciebant.* [* Vers. 3.] Et Ioan. II, super illud, *Vinum non habent* *, dicit idem Chrysostomus* [* Homil. XXI, al. XX.] quod *volebat illis ponere gratiam, et seipsam clariorem facere per Filium: et fortassis quid humanum patiebatur, quemadmodum et fratres eius dicentes, Manifesta teipsum mundo.* Et post pauca subdit: *Nondum* [γ] *enim quam oportebat de eo opinionem habebat.* Quod totum constat esse peccatum. Ergo Beata Virgo non fuit praeservata immunis ab omni peccato.

Sed contra est quod Augustinus dicit, in libro [* Cap. XXXVI.] *de Natura et Gratia* *: *De sancta Virgine Maria, propter honorem Christi, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quaestionem. Inde enim scimus quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quod concipere et parere meruit eum quem constat nullum habuisse peccatum.*

Respondeo dicendum quod illos quos Deus ad aliquid eligit, ita praeparat et disponit ut ad id ad quod eliguntur inveniantur idonei: secundum [* Vers. 6.] illud II *Cor.* III *: *Idoneos nos fecit ministros novi Testamenti.* Beata autem [δ] Virgo fuit electa divinitus ut esset mater Dei. Et ideo non est dubitandum quod Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit: secundum quod Angelus [* Luc. cap. I, vers. 30 sq.] ad eam dicit *, *Invenisti gratiam apud Deum: ecce, concipies*, etc. Non autem fuisset idonea mater Dei, si peccasset aliquando. Tum quia honor parentum redundat in prolem: secundum illud [* Vers. 6.] *Prov.* XVII *, *Gloria filiorum patres eorum.* Unde et, per oppositum, ignominia matris ad Filium redundasset. – Tum etiam quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem [* Vers. 15.] accepit. Dicitur autem II *Cor.* VI *: *Quae conventio Christi ad Belial?* – Tum etiam quia singu- [* I *ad Cor.*, cap. I, vers. 24.] lari modo Dei Filius, qui est *Dei Sapientia* *, in ipsa habitavit: non solum in anima, sed in utero. [* Vers. 4.] Dicitur autem *Sap.* I *: *In malevolam animam non intrabit Sapientia: nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

Et ideo simpliciter fatendum est quod Beata Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale nec veniale: ut sic impleatur [ε] quod dicitur *Cant.* IV *: *Tota pulchra es, amica mea, et* [* Vers. 7.] *macula non est in te*, etc.

Ad primum ergo dicendum quod in Beata Virgine, post sanctificationem in utero, remansit quidem fomes [ζ], sed ligatus: ne scilicet prorumperet in aliquem motum inordinatum, qui rationem praeveniret. Et licet ad hoc operaretur gratia sanctificationis, non tamen ad hoc sufficiebat: alioquin, virtute illius gratiae hoc ei fuisset praestitum ut nullus motus posset esse in sensualitate eius non [η] ratione praeventus, et sic fomitem non habuisset, quod est contra supra * dicta. Unde [* Art. praec.] oportet dicere quod complementum illius ligationis fuit ex divina providentia, quae non permittebat aliquem motum inordinatum ex fomite provenire.

Ad secundum dicendum quod illud verbum Simeonis Origenes *, et quidam alii Doctores **, [* Cf. Homil. X in Luc. ** Cyrill. Alex. *Ioan. Evang.* XII, ad cap. vers. 25; Dam. *de Fide Orth.* IV, cap. XIV.] exponunt de dolore quem passa est in Christi passione.

Ambrosius autem per gladium dicit * significari [* *Expos. in* ... lib. II, ad cap. vers. 35.] *prudentiam Mariae, non ignaram mysterii caelestis. Vivum enim est verbum Dei et validum, acutius omni gladio ancipiti* [θ] *. [* *Ad Heb.*, IV, vers. 12.]

Quidam * vero gladium [ι] dubitationem intelli- [* Pseudo-A... loc. cit. in ar... Cf. Origen. cit.] gunt. Quae tamen non est intelligenda dubitatio infidelitatis: sed admirationis et discussionis. Dicit enim Basilius, in Epistola *ad Optimum* *, quod [* Ep. CCLX..., CCCXVII.] *Beata Virgo, assistens cruci et aspiciens singula, post testimonium Gabrielis, post ineffabilem divinae conceptionis notitiam, post ingentem miraculorum ostensionem, animo fluctuabat:* ex una scilicet parte videns eum pati abiecta [κ], et ex alia parte considerans eius mirifica.

Ad tertium dicendum quod in verbis illis Chrysostomus excessit. Possunt tamen exponi ut intelligatur in ea Dominum cohibuisse, non inordinatum inanis gloria motum quantum ad ipsam, sed id quod ab aliis posset [λ] existimari.

α) *illud.* – *illud verbum* BDFsC.
β) *quoniam.* – *quod* P.
γ) *Nondum.* – F et tertia; *non sc₇ deo mūdu₇ (quē oportebat)* ed. *a*, *Nondum mundus* ceteri. Pro *habebat*, *habebant* sF.
δ) *autem.* – Pl; om. G*bc*, *igitur* ceteri.
ε) *impleatur.* – *in ea impleatur* tertia.
ζ) *fomes.* – *peccati* addunt FsC et tertia praeter I.
η) *non.* – *nisi* tertia et *a*.
θ) *ancipiti.* – *acutissimo* tertia.
ι) *gladium.* – *per gladium* P.
κ) *abiecta.* – *iniusta* G.
λ) *posset.* – P; *possit.* Pro *existimari*, *exterminari* ABGpCD, *terminari* ed. *a*.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore unica est conclusio responsiva quaesito: *Simpliciter fatendum est quod Beata Virgo nullum actuale peccatum commisit.*

Probatur dupliciter. Primo, syllogistice. Et satis clare in littera ordinatur. Primo, maior: *Illos quos Deus ad aliquid eligit*, etc. Et haec probatur auctoritate Apostolica, *ad Corinthios.* – Deinde minor. Beata Virgo divinitus electa est ut esset mater Dei. – Ergo habuit gratiam opportunam ad matrem Dei. Et confirmatur haec conclusio auctoritate Angeli: *Invenisti gratiam: ecce, concipies.* – Sed non fuisset idonea mater si peccasset. Quod tripliciter probatur clare in littera. – Ergo.

Secundo, probatur auctoritate sacrae Scripturae accommodate: *Tota pulchra es.*

Memento et hic, quicumque legis, suscipere has rationes supra materiam subiectam optimas, utpote ex sacrae Scripturae auctoritatibus communibus applicatis ad propria Beatae Virginis procedentes, quando ex propriis ad propria desunt.

II. In responsione ad primum, videre facile potes quod

idem est gratiam sanctificationis sufficere ad tollendum infallibiliter omnem sensualitatis motum praeter rationem, et tollere fomitem. Et propterea usque ad conceptionem Christi, in qua gratia abstulit fomitem, non suffecit gratia sanctificans: sed opus fuit divina providentia, ut prius * declaratum fuit.

* Art. praeced., comment. num. II.

III. In responsione ad secundum, notate, garruli praedicatores passionis Christi, tot femineos clamores, motus, etc., attribuentes Beatae Virgini in dolore passionis! Pensate verba Basilii in littera allata: et percipite ipsam contemplationi admirativae tunc vacasse, conferendo divina prius visa et sibi certa, humanis quae tunc videbat, summa infimis, et e contra; et consequenter affectum cogitationibus consonum secundum rectam rationem habentem; ut condoleret, ut compateretur, cum tam excelsum tam vilibus, etc., subiectum, ex caritate propria, pro ipsius matris et mundi salute, prospiceret.

IV. In responsione ad tertium, considera reverentiam, modestiam sapientiamque tanti Doctoris. Invenit Chrysostomum in hac materia contrarium Augustino * rationique. Non clamavit, accusando, exaggerando, ut hodie faciunt multi. Modestissime dixit: *excessit.* Sapientissime subiunxit verba ipsa reduci posse ad sanum sensum: quidquid auctor senserit, subticens. Frequenter enim Auctor, sicut in philosophia Aristotelem ut philosophum exponit, quidquid ipse Aristoteles senserit *; ita in theologia Doctores ut theologos, quidquid illi auctores senserint, exponere conatur, ut in sano salventur eorum verba sensu.

* Cf. arg. *Sed contra.*

* Vide VIII *Physic.* cap. 1, n. 15, s. Th. lect. III; I *de Coel. et Mund.*, cap. IV, n. 8, cap. XII, n. 13 sqq., s. Th. lect. XIV, XXIX; III cap. II, n. 12, s. Th. lect. VIII.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM BEATA VIRGO PER SANCTIFICATIONEM IN UTERO OBTINUERIT GRATIAE PLENITUDINEM

Supra, qu. VII, art. 10, ad 1; III *Sent.*, dist. XIII, qu. 1, art. 2, qu^a 1; *Expos. Salut. Angelic.*

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod Beata Virgo per sanctificationem in utero non obtinuerit gratiae plenitudinem, sive perfectionem. Hoc enim videtur pertinere ad privilegium Christi: secundum illud Ioan. I *: *Vidimus eum, quasi Unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis.* Sed ea quae sunt propria Christi, non sunt alteri attribuenda. Ergo Beata Virgo plenitudinem gratiarum non accepit in sanctificatione.

* Vers. 14.

2. Praeterea, ei quod est plenum et perfectum, non restat aliquid addendum: quia *perfectum est cui nihil deest*, ut dicitur in III *Physic.* * Sed Beata Virgo postmodum additionem gratiae suscepit, quando Christum concepit: dictum est enim ei, Luc. I *: *Spiritus Sanctus superveniet in te.* Et iterum, quando in gloriam est assumpta. Ergo videtur quod non habuerit in sua prima sanctificatione plenitudinem gratiarum.

* Cap. VI, n. 8. - s. Th. lect. XI.

* Vers. 35.

3. Praeterea, *Deus non facit aliquid frustra:* ut dicitur in I *de Coelo et Mundo* *. Frustra autem habuisset quasdam gratias, cum earum usum nunquam exercuerit: non enim legitur eam [α] docuisse, quod est actus sapientiae; aut miracula fecisse, quod est actus gratiae gratis datae. Non ergo habuit plenitudinem gratiarum.

* Cap. IV, n. 8. - s. Th. lect. VIII.

Sed contra est quod Angelus ad eam dixit [β] *: *Ave, gratia plena.* Quod exponens Hieronymus, in Sermone *de Assumptione* *, dicit: *Bene, gratia plena: quia ceteris per partes praestatur; Mariae vero se totam simul infudit gratiae plenitudo.*

* Luc. cap. 1, v. 28.

* Cf. *Epist. ad Paul. et Eustoch.*, IX inter supposit.

Respondeo dicendum quod, quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii: unde dicit Dionysius, IV cap. *Cael. Hier.*, quod angeli, qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus divinis quam homines. Christus autem est principium gratiae, secundum divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero [γ] instrumentaliter: unde et Ioan. I * dicitur: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* Beata autem Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem: quia ex ea accepit humanam naturam. Et ideo prae ceteris maiorem debuit a Christo plenitudinem gratiae obtinere.

* Vers. 17.

Ad primum ergo dicendum quod unicuique a Deo datur gratia secundum hoc ad quod eligitur. Et quia Christus, inquantum est homo, ad hoc fuit praedestinatus et electus ut esset *praedestinatus* [δ] *Filius Dei in virtute sanctificationis* *, hoc fuit proprium sibi, ut haberet talem plenitudinem gratiae quod redundaret in omnes: secundum quod dicitur Ioan. I *: *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Sed Beata Virgo Maria tantam gratiae obtinuit plenitudinem ut esset propinquissima auctori gratiae: ita quod eum qui est plenus omni gratia, in se reciperet; et, eum pariendo, quodammodo gratiam ad omnes derivaret.

* *Ad Rom.*, cap. 1, vers. 4.

* Vers. 16.

Ad secundum dicendum quod in rebus naturalibus primo quidem est perfectio dispositionis: puta cum materia est perfecte ad formam disposita. Secundo autem est perfectio formae, quae est potior: nam et ipse calor est perfectior qui provenit ex forma ignis, quam ille qui ad formam ignis disponebat. Tertio autem est perfectio finis: sicut cum [ε] ignis habet perfectissime suas qualitates, cum ad locum suum pervenerit.

Et similiter in Beata Virgine fuit triplex perfectio gratiae. Prima quidem quasi dispositiva, per quam reddebatur idonea ad hoc quod esset mater Christi: et haec fuit perfectio sanctificationis. Secunda autem perfectio gratiae fuit in Beata Virgine ex praesentia Filii Dei in eius utero incarnati. Tertia autem perfectio est finis, quam habet in gloria.

Quod autem secunda perfectio sit potior quam prima, et tertia quam secunda, patet quidem, uno modo, per liberationem a malo. Nam pri-

α) *eam.* – *aut* tertia praeter sG; pG abrasa.
β) *dixit.* – *Luc. I* addunt PGI, idem *c* post *Angelus.*
γ) *vero.* – F et tertia; *autem* ed. *a*, om. ceteri.
δ) *praedestinatus.* – Om. P. Pro *virtute*, *veritate* ABCE, *virtute et veritate* ed. *a*. Pro *sanctificationis*, *sanctificandi* tertia.
ε) *cum.* – *tunc* G, om. P.

mo, in sua sanctificatione fuit liberata a culpa originali; secundo, in conceptione Filii Dei fuit totaliter mundata a fomite; tertio vero, in sui glorificatione fuit liberata etiam ab omni miseria. – Alio modo, per ordinem ad bonum. Nam primo, in sua sanctificatione adepta est gratiam inclinantem eam ad bonum; in conceptione autem Filii Dei consummata [ζ] est ei gratia confirmans eam in bono *; in sui vero glorificatione consummata est eius gratia perficiens eam in fruitione omnis boni.

* D. 383.

Ad tertium dicendum quod non est dubitandum quin Beata Virgo acceperit excellenter et donum sapientiae, et gratiam virtutum, et etiam gratiam prophetiae, sicut habuit Christus [η]. Non tamen accepit ut haberet omnes usus harum et similium gratiarum, sicut habuit Christus: sed secundum quod conveniebat conditioni ipsius. Habuit enim usum sapientiae in contemplando: secundum illud Luc. II *: *Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo.* Non autem habuit usum sapientiae quantum ad docendum: eo quod [θ] hoc non conveniebat sexui muliebri, secundum illud I *Tim.* II *: *Docere autem mulieri non permitto.* – Miraculorum autem usus sibi non competebat dum viveret: quia tunc temporis confirmanda erat doctrina Christi miraculis; et ideo soli Christo et eius discipulis, qui erant baiuli doctrinae Christi, conveniebat miracula facere. Propter quod etiam de Ioanne Baptista dicitur, Ioan. x *, quod *signum fecit nullum:* ut scilicet omnes in Christo [ι] intenderent. – Usum autem prophetiae habuit: ut patet in Cantico quod fecit *, *Magnificat anima mea Dominum.*

* Vers. 19. * Vers. 12. * Vers. 41. * Luc. cap. I, vers. 46 sqq.

ζ) *consummata.* – PG*b*; *confirmata.* – Pro *ei*, *eius* P. – Altero loco pro *consummata*, *confirmata* Bc.
η) *sicut habuit Christus.* – Om. E et tertia.
θ) *eo quod.* – *quia* tertia.
ι) *in Christo.* – *Christo* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus ut sonat, sumatur: de plenitudine ut extenditur ad plenitudinem intensivam, et extensivam.

In corpore una est conclusio: *Beata Virgo maiorem prae ceteris gratiae plenitudinem a Christo obtinuit.* Probatur. Quanto magis appropinquat aliquid principio in quolibet genere, tanto plus effectum illius participat. Sed Beata Virgo maxime appropinquavit principio. Ergo.

Maior ex Dionysio. – Minor probatur. Quia Christo maxime appropinquavit, qui secundum deitatem auctoritative, et secundum humanitatem instrumentaliter est principium gratiae. Quod probatur Ioan. I: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est.*

II. Adverte hic quod, cum in littera concluditur Beatam Virginem prae ceteris gratiam habuisse, non fit comparatio ad angelos, sed homines tantum. Tum quia est sermo de gratia data Beatae Virgini in utero matris: quam constat fuisse minorem gratia angelorum beatorum. – Tum quia sermo est de viatorum gratia: ut patet ex responsione ad secundum, ubi in Beata Virgine perfectissima gratia ponitur gratia qua fuit inter comprehensores. – Tum quia ratio litterae disparata est ab angelorum ratione: dum illi propinquiores Deo secundum deitatem inveniuntur; ista invenitur propinquior Deo secundum humanitatem.

Nec haec ideo dicta sunt quasi angeli habeant in caelo maiorem gratiam quam Beata Virgo: hoc enim est falsum, quoniam ipsa est *Domina Angelorum* *. Sed ideo dicta sunt ut haec littera exponatur ad litteram de gratia sanctificationis in utero: post quam deinde multum proprio merito gratiae acquisivit, *crescens usque ad perfectum* aeternitatis *diem* *. Ita quod propinquissima fuit et est Christo et secundum deitatem in esse gratiae, quamvis non in esse naturae; et secundum humanitatem in esse naturae.

* Antiph. post Complet., *Ave Reg. Caelorum.*
* *Prov.* cap. IV, vers. 18.

III. In eodem articulo, in responsione ad tertium, adverte quod, cum Auctor dicit, *Non tamen accepit ut haberet omnes usus harum et similium gratiarum, sicut habuit Christus,* ly *omnes* non distribuit pro omnibus simpliciter usibus gratiarum: quia nec Christus habuit omnes usus gratiarum; quoniam non est locutus variis linguis, ut superius in qu. VII, art. 7, ad ult., Auctor dixit. Sed distribuit pro *quasi omnibus,* quae in moralibus appellare licet *omnia.* Christus enim habuit omnes usus gratiarum, quia *modicum pro nihilo reputatur* *. Beata autem Virgo non habuit omnes usus, quia multi sibi defuerunt, quia scilicet impertinentes erant suae conditioni: non enim fecit miracula, etc. – Vel, distribuit pro omnibus usibus limitatis ad illos quos habuit Christus: ut non sit dictum in littera, *Non habuit omnes usus,* sed, *Non habuit omnes usus sicut Christus;* tanquam ly *sicut* limitet ly *omnes usus.*

* Cf. Arist. *Physic.* lib. II, cap. V, n. 9. - S. Th. lect. IX.

Et quovis modo exponatur sententia, in idem redit. Prima tamen expositio magis consonat litterae.

IV. In eodem articulo *, quoad actum doctrinae negatum a Beata Virgine, adverte quod, quia theologia solida fundatur super Scriptura sacra; et nullibi in ea reperitur Beatam Virginem docuisse, sicut nec Christum locutum linguis: ideo, sicut affirmamus Christum non usum gratia linguarum in loquendo, eadem ratione affirmandum est Beatam Virginem non docuisse; praesertim cum Apostolica auctoritas * hoc interdictum mulieribus comprobet. Quod autem dicitur ipsam instruxisse discipulos Christi de annuntiatione sua, et nativitate Filii, et Magorum adventu, et similibus: ex Scriptura non habetur. Sed habetur * quod Spiritus Sanctus docuit Apostolos *omnem veritatem* de spectantibus ad fidem: inter quae erat Christi conceptio ex Spiritu Sancto et nativitas ex Virgine, quae etiam in Symbolo posita sunt.

* In resp. ad
* I *ad Tim.*, cap. II, vers. 12.
* Ioan. cap. XVI, vers. 13.

Posset tamen dici quod non publica doctrina, sed familiari instructione, quam constat mulieribus non esse prohibitam, Beata Virgo aliqua particularia facta explicavit Apostolis. Auctor autem secundum Scripturam sacram loquitur, negans ab ea usum sapientiae quoad actum doctrinae.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM SANCTIFICARI IN UTERO, POST CHRISTUM, PROPRIUM FUERIT BEATAE VIRGINIS

III *Sent.*, dist. III, qu. I, art. 2, qu^a 1, ad 4: IV, dist. VI, qu. I, art. 1, qu^a 2; *Quodl.* VI, qu. V, art. 1; *Compend. Theol.*, cap. CCXXIV; *In Psalm.* XLV; *In Ierem.*, cap. I.

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod sanctificari in utero, post Christum, proprium fuerit Beatae Virginis. Dictum est * enim quod propter hoc Beata Virgo in utero fuit sanctificata, ut redderetur idonea ad hoc ut esset mater Dei. Sed hoc est proprium sibi. Ergo ipsa sola fuit sanctificata in utero.

* Art. 4.

2. PRAETEREA, aliqui videntur propinquius accessisse ad Christum quam Ieremias et Ioannes Baptista, qui dicuntur sanctificati in utero *. Nam Christus specialiter dicitur filius David et Abraham *, propter promissionem eis specialiter factam de Christo *. Isaias etiam expressissime de Christo prophetavit *. Apostoli etiam cum ipso Christo conversati sunt. Nec tamen leguntur sanctificati in utero. Ergo etiam neque Ieremiae et Ioanni Baptistae convenit sanctificari in utero.

* Cf. arg. *Sed cont.*
* Matth. cap. I, vers. 1.
* *Gen.* cap. XXII, vers. 18; cap. XXVI, vers. 4. – II *Reg.* cap. VII, vers. 14; Ps. CXXXI, vers. 11.
* Isai. cap. LIII.

3. PRAETEREA, Iob de seipso dicit, *Iob* XXXI *: *Ab infantia crevit mecum miseratio, et de utero egressa est mecum.* Et tamen propter hoc non dicimus [α] eum sanctificatum in utero. Ergo etiam neque Ioannem Baptistam et Ieremiam cogimur dicere sanctificatos in utero.

* Vers. 18.

SED CONTRA EST quod de Ieremia dicitur, Ierem. I *: *Antequam exires de ventre, sanctificavi te.* Et de Ioanne Baptista dicitur, Luc. I *: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae.*

* Vers. 5.
* Vers. 15.

RESPONDEO DICENDUM quod Augustinus, in Epistola *ad Dardanum* *, dubie videtur loqui de horum sanctificatione in utero. *Potuit enim* [β] exsultatio Ioannis in utero, ut ipse dicit, *esse significatio rei tantae,* scilicet quod mulier esset mater Dei, *a maioribus cognoscendae, non a parvulo cognitae. Unde in Evangelio non dicitur, « Credidit infans in utero eius », sed, « exsultavit »: videmus autem exsultationem non solum parvulorum, sed etiam pecorum esse. Sed haec inusitata extitit, quia in utero. Et ideo, sicut solent miracula fieri, facta est divinitus in infante: non humanitus ab infante. Quamquam, etiam si usque adeo est in illo puero acceleratus usus rationis et voluntatis ut intra viscera materna iam posset agnoscere, credere et consentire, ad quod in aliis parvulis aetas expectatur ut possint: et hoc in miraculis habendum puto divinae potentiae.*

* Olim Epist. CLXXXVII, nunc LVII, cap. VII.

Sed quia expresse in Evangelio dicitur quod *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae* *; et de Ieremia expresse dicitur, *Antequam exires de vulva, sanctificavi te* *; asserendum videtur eos sanctificatos in utero, quamvis in utero usum liberi arbitrii non habuerunt (de quo Augustinus quaestionem movet); sicut etiam pueri qui sanctificantur per baptismum, non statim habent usum liberi arbitrii.

* Cf. arg. *Sed cont.*
* Cf. ibid.

Nec est credendum aliquos alios sanctificatos esse in utero, de quibus Scriptura mentionem non facit *. Quia huiusmodi privilegia gratiae, quae dantur aliquibus praeter legem communem, ordinantur ad utilitatem aliorum, secundum illud I *Cor.* XII *, *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem:* quae nulla proveniret ex sanctificatione aliquorum in utero, nisi Ecclesiae innotesceret.

* D. 843.
* Vers. 7.

Et quamvis iudiciorum Dei non possit ratio assignari, quare scilicet huic et non alii hoc munus gratiae conferat, conveniens tamen videtur fuisse utrumque istorum [γ] sanctificari in utero, ad praefigurandam sanctificationem per Christum fiendam. Primo quidem, per eius passionem: secundum illud *Heb.* ult. *: *Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Quam quidem passionem Ieremias verbis [δ] et mysteriis apertissime praenuntiavit, et suis passionibus expressissime praefiguravit *. – Secundo, per baptismum: I *Cor.* VI *, *Sed abluti estis, sed sanctificati estis.* Ad quem quidem baptismum Ioannes suo baptismo homines praeparavit.

* Vers. 12.
* Ierem. cap. XI, vers. 19; cap. XXXVIII, vers. 6.
* Vers. 11.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Beata Virgo, quae fuit a Deo electa in matrem, ampliorem sanctificationis gratiam obtinuit quam Ioannes Baptista et Ieremias, qui sunt electi ut speciales praefiguratores sanctificationis Christi. Cuius signum est quod Beatae Virgini praestitum est ut de cetero non peccaret mortaliter [ε] nec venialiter: aliis autem sanctificatis creditur praestitum esse ut de cetero non peccarent [ζ] mortaliter, divina eos gratia protegente.

AD SECUNDUM DICENDUM quod quantum ad alia potuerunt sancti esse Christo coniunctiores quam Ieremias et Ioannes Baptista. Qui tamen fuerunt ei coniunctissimi quantum ad expressam figuram sanctificationis ipsius, ut dictum est *.

* In corp. et ad 1.

AD TERTIUM DICENDUM quod miseratio de qua Iob loquitur, non significat virtutem infusam: sed quandam inclinationem naturalem ad actum huius virtutis.

α) *Et... non dicimus.* – *Nec... dicimus* tertia.
β) *enim.* – PFI; *tamen.*
γ) *istorum.* – *dictorum* tertia (finivit lacunam H; cf. qu. XVI art. 12 β).
δ) *verbis.* – *et verbis* PIsH, *etiam verbis* cetera tertia. – *et mysteriis* om. tertia praeter P.
ε) *mortaliter.* – *nec mortaliter* tertia.
ζ) *non peccarent.* – Ed. *a* et post *mortaliter* P; *non peccent* (post *mortaliter* cetera tertia).

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore duo fiunt: primo, tractatur quid Augustinus de hoc scripserit; secundo, respondetur quaesito *. [* Cf. num. seq.]

Quoad primum, Augustinus sub dubio quaestionem relinquere videtur. Et dicit littera quod *videtur dubie loqui.* Quoniam Augustinus in his verbis non loquitur de sanctificatione qualicumque: sed illa quae est cum proprio sanctificati actu, scilicet credere, amare et huiusmodi. Quia enim hanc relinquit sub dubio, et de nulla alia loquitur sanctificatione, videtur sub dubio quaestionem de sanctificatione horum in utero reliquisse. Omnia clara sunt in littera.

Adverte tamen quod ex littera Evangelii sumi potest Ioanni acceleratum fuisse usum liberi arbitrii. Nam ibi non solum dicitur, *Exsultavit infans:* sed, *Exsultavit in gaudio* *. [* Luc. cap. I, vers. 44.] Exsultare autem similitudinarie licet etiam sit inanimatorum, iuxta illud *, [* Ps. CXIII, vers. 4.] *Montes exsultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium,* proprie tamen est animalium. Et quia non sine animali passione fit gaudium, oportet Ioannem exsultasse in gaudio vel secundum sensitivam tantum partem: et hoc non consonat causae exsultationis et gaudii in Evangelio scriptae, quia vox Beatae Virginis salutantis non erat commotiva partis sensitivae prolis in utero, sicut nec aliae eiusdem et aliarum mulierum voces: – vel secundum partem intellectivam. Et hoc ordo effectuum causatorum a salutatione * [* Luc. cap. I, vers. 41.] insinuat, quod scilicet gaudium partis intellectivae fuit in puero: nam ex salutatione aurium Elisabeth commotiva puer non in auribus, sed in gaudio exsultavit, et Elisabeth deinde repleta est Spiritu Sancto, procul dubio in mente. Unde comprehenditur quod primo mater secundum sensum percepit; deinde puer secundum mentem; et demum ad matris mentem intelligentia pervenit. Et huic sensui Doctorum verba consonant dicentium de Ioanne quod *prius sensit Dominum* *, [* Ambros. *Comment. in Luc.* lib. II, ad cap. I, vers. 45.] vel quod *a perfectae coepit aetatis mensura* **, [** Ambros. ibid. ad cap. I, vers. 56.] vel aliquid huiusmodi.

II. Quoad secundum *, [* Cf. num. praeced.] tria Auctor facit: primo, respondet quaestioni negative, affirmando duos alios sanctificatos; deinde dicit neminem alium esse sanctificatum *; [* Cf. num. seq.] tertio, rationem reddit quare illi duo sanctificati sunt *. [* Cf. num. VII.]

Circa responsionem ergo distinguuntur hic duae quaestiones: altera, quae mota est de sanctificatione; altera de tali sanctificatione, scilicet cum usu liberi arbitrii. Monstratur diversitas magna inter istas quaestiones, ex eo quod sanctificatio potest fieri et esse sine usu liberi arbitrii: ut patet in sanctificatione parvulorum per baptismi gratiam. Et propterea nihil obstat quaestioni propositae in hoc articulo si pars negativa quaestionis secundae, quae ab Augustino tractata est, teneatur.

Propter haec igitur littera respondet quaesito quod *duo, ultra Beatam Virginem, inveniuntur sanctificati in utero, scilicet Ieremias et Ioannes.* Probatur auctoritate Scripturae. Et excluditur obiectio de usu liberi arbitrii: *quamvis illum non habuerint,* etc.

Ubi nota quod hinc non potest assertive dici de mente Auctoris hos non habuisse liberi arbitrii usum in utero. Quoniam adversative loquitur ad monstrandum conclusionem suam non dependere ex usu liberi arbitrii.

III. Deinde negat quemcumque alium sanctificatum in utero *, [* Cf. num. praeced.] ratione probans: quia inutilis esset. Ubi occurrunt tria dubia. Primum * [* Cf. num. seq.] est circa applicationem auctoritatis Apostoli ad propositum: dissonare quippe videtur. Nam sermo est de sanctificatione in utero. Apostolus autem non de ipsa sanctificatione seu sanctitate, sed de manifestatione eius loquitur: non enim dicitur, *unicuique datur Spiritus,* sed, *manifestatio Spiritus,* etc. Littera ergo, loquens de ipso Spiritu, non bene affert auctoritatem de manifestatione Spiritus. Haec enim auctoritas non probat illud assumptum, ut patet.

Secundum dubium * [* Cf. num. V.] est, quia ista ratio est gladius Goliae *. [* Cf. I *Reg.* cap. XVII, vers. 51.] Nam, si verum assumit, sequitur quod Beata Virgo non fuit sanctificata in utero. Quia illius sanctificatio in Scriptura non habetur: ac per hoc, Ecclesiae non innotuit. Ac per hoc, sine utilitate fuisset sanctificata, secundum litterae processum.

Tertium dubium * [* Cf. num. VI.] est, quia secundum hanc rationem sequeretur quod non esset credendum aliquod miraculum nisi quod in sacra Scriptura contineretur: quia ad utilitatem Ecclesiae miracula ordinantur, cui non nisi per Scripturam sacram innotescunt, secundum hanc litteram.

IV. Ad primum dubium dicitur quod assumptum litterae ad quod probandum inducitur Apostoli auctoritas, non est, *Sanctificationis gratia ordinatur ad utilitatem:* sed est, *Huiusmodi privilegia gratiae, quae dantur aliquibus praeter communem legem, ordinantur ad utilitatem.* Ex quibus verbis dupliciter responderi potest. Primo quod, sicut privilegia materialia alicui a principe concessa, sub specie manifestationis continentur; ita privilegium gratiae est manifestatio Spiritus et concessi in ipsa gratia infusa, et concedentis Spiritus Sancti specialiter diligentis illum cui gratiam dedit. Ac per hoc littera, probans privilegia gratiae per manifestationem Spiritus, non divertit ad extranea. – Et si obiiciatur quod tunc ratio ista supponit sanctificationem in utero semper fieri cum privilegio: conceditur quod sic est, secundum hanc responsionem. Et suppositio est satis rationabilis: quoniam, sicut secundum rem sanctificatio in utero est actus privilegialis, ita etiam debet esse secundum cognitionem.

Secundo quod, quia tam singulares gratiae superexcedunt communem legem divinae providentiae, ac per hoc harum concessio spectat ad divina miracula; constat autem miracula ordinari ad aliorum utilitatem: ideo non solum privilegia, sed ipsa sanctificatio in utero, ex hoc ipso quod praeter legem communem fit, continetur sub gratia quae datur ad aliorum utilitatem, et consequenter sub Spiritu manifestando. Nam ex hoc ipso quod ad Ecclesiae utilitatem ordinatur, ad Ecclesiae quoque notitiam necesse est ordinetur: alioquin, divina sapientia non *disponeret omnia suaviter* *, [* Cf. *Sap.* cap. VIII, vers. 1.] dum rationalibus creaturis, ex quibus Ecclesia constat, non per rationis actum de suo bono provideret, sed velut animalibus brutis incognitas utilitates ingereret. – Et confirmatur ex dictis in Primo Libro *: [* Qu. CIV, art. 4 Cf. Comment.] scilicet quod Deus in Ecclesia triumphante nunquam praeter communem ibi legem operatur, quia nulla utilitas esset. Cum igitur in militanti Ecclesia praeter communem legem operatur, ad Ecclesiae utilitatem operatur, ob cuius utilitatem communem legem praetermittit. – Quia igitur assumptum in littera de gratia contenta sub Spiritu manifestando loquitur, ideo probandum merito fuit per auctoritatem Apostoli de manifestatione Spiritus. Et haec responsio est directe secundum litteram, nihil praesupponens, et solida.

V. Ad dubium secundum * [* Num. III.] dicitur quod sanctificatio Beatae Virginis in utero matris, etsi non est tradita in sacra Scriptura explicite, est tamen tradita implicite: ex hoc ipso quod in sacris Litteris invenitur alicui sancto concessa gratia sanctificationis in utero. Hinc enim, ut ex superius * [* Art. 1. 5] dictis patet, habetur Beatam Virginem fuisse sanctificatam: quia habuit quidquid gratiae ceteris collatum est. Unde haec ratio non interimit Auctorem suum, sed tuetur eum.

VI. Ad tertium dubium * [* Num. III.] dicitur quod, loquendo de Ecclesiae fide simpliciter necessaria, concedendum est consequens. Sed si sit sermo de Ecclesiae fide ex tali suppositione, vel accessoria, puta quae post talem approbationem extensa est ad tale miraculum, ut si Ecclesia credendum traderet tale miraculum; vel probabili, ut est fides de miraculis recitatis in canonizationibus sanctorum: credenda sunt miracula quae in sacra Scriptura non continentur. Nec oppositum sequitur ex ratione litterae, quae de fide Ecclesiae simpliciter et absolute, et non praesupposita tali decretali, loquitur. Docuitque per hoc Auctor quod nec necessario nec probabiliter credendum est ali-

quem alium esse sanctificatum in utero, simpliciter et absolute loquendo.

An autem Deus aliquem deinceps sanctificaverit et Ecclesiae revelaverit, alterius est quaestionis. Quia tamen non est expectanda Ecclesia melior quam fuerit; nec Apostoli ipsi, *primitias Spiritus habentes* *, sanctificati sunt in utero, quamvis Ioannes Evangelista virginitatis, prophetiae Evangelicae, singularis quoque officii erga matrem Domini gratia donatus fuerit: credendum est quod nullus simpliciter, in toto temporis decursu, fuit, est aut erit sanctificatus in utero, nisi qui in littera explicantur.

* Ad *Rom.*, cap. II, vers. 23.

Non defuisse tamen audivimus temeritatem modernam cuiusdam mulierculae, sanctificatam se in utero profitentis. Et forte fuit vere sanctificata in utero, non materno, sed proprio, velut Bethsabee *, Deo puniente superbiam illius.

* Cf. II *Reg.*, cap. [illegible], vers. 4, 5.

VII. Demum rationem reddit Auctor quare isti duo, Ieremias et Ioannes Baptista, sanctificati sunt in utero *, praemissa excusatione rationis necessariae, subdens rationem congruentiae: quia scilicet praefiguratores fuerunt sanctificationis per Christum faciendae, dum praemonstrarunt media sanctificantia, alter passionem, alter baptisma. His enim duobus mediis Christus sanctificavit mundum: passione, ut coniuncto instrumento; baptismo, ut instrumento separato.

* Cf. num. II.

Nota hic quod duorum propositorum, scilicet quod isti duo sunt sanctificati in utero, et quod nullus alius, Auctor primi tantum rationem reddere nititur. Quoniam ad affirmationem certa potest consonantia inveniri. Ad tam latam autem et altam ac profundam negationem quae consonantia sat erit?



QUAESTIO VIGESIMAOCTAVA

DE VIRGINITATE MATRIS DEI

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

Deinde considerandum est de virginitate Matris Dei * [* Cf. qu. xxvii, Introd.].

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo: utrum fuerit virgo in concipiendo.

Secundo: utrum fuerit virgo in partu.

Tertio: utrum permanserit virgo post partum.

Quarto: utrum votum virginitatis emiserit.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM MATER DEI FUERIT VIRGO IN CONCIPIENDO CHRISTUM

III *Sent.*, dist. xiii, qu. iii, art. 2, qu^la^ 1; IV, dist. xxx, qu. ii, art. 3; IV *Cont. Gent.*, cap. xlv; *Compend. Theol.*, cap. ccxxi; *In Isaiam*, cap. vii; *In Matth.*, cap. i; *In Ioan.*, cap. ii, lect. 1.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod Mater Dei non fuerit virgo in concipiendo Christum. Nulla enim proles quae habet patrem et matrem, ex virgine matre concipitur. Sed Christus non solum dicitur habere matrem, sed etiam patrem: dicitur enim Luc. ii * [* Vers. 33.]: *Erant pater et mater eius mirantes super his quae dicebantur de illo.* Et infra eodem α dicit * [* Vers. 48.]: *Ecce, ego et pater tuus dolentes quaerebamus te.* Ergo Christus non est conceptus ex virgine matre.

2. Praeterea, Matth. i * [* Vers. 1 sqq.] probatur quod Christus fuerit filius Abrahae et David, per hoc quod Ioseph ex David descendit. Quae quidem probatio nulla videtur esse β si Ioseph pater Christi non fuisset. Ergo videtur quod mater Christi eum ex semine Ioseph γ conceperit. Et ita non videtur fuisse virgo in concipiendo.

3. Praeterea, dicitur *Galat.* iv * [* Vers. 4.]: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Mulier autem, consueto modo loquendi, dicitur quae est viro cognita. Ergo Christus non fuit conceptus ex virgine matre.

4. Praeterea, eorum quae sunt eiusdem speciei, est idem modus generationis: quia generatio recipit speciem a termino, sicut et ceteri motus. Sed Christus fuit δ eiusdem speciei cum aliis hominibus: secundum illud *Philipp.* ii * [* Vers. 7.]: *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Cum ergo alii homines generentur ex commixtione maris et feminae, videtur quod etiam Christus simili modo fuerit generatus. Et ita non videtur fuisse conceptus ex virgine matre.

5. Praeterea, quaelibet forma naturalis habet materiam sibi determinatam, extra quam esse non potest. Materia autem formae humanae videtur esse semen maris et feminae. Si ergo corpus Christi non fuerit conceptum ex semine maris et feminae, non vere fuisset corpus humanum: quod est inconveniens. Videtur igitur non fuisse conceptus ex virgine matre.

Sed contra est quod dicitur Isaiae vii * [* Vers. 14.]: *Ecce, Virgo concipiet.*

Respondeo dicendum quod simpliciter confitendum est matrem Christi virginem concepisse: contrarium enim pertinet ad haeresim Ebionitarum et Cerinthi, qui Christum purum hominem arbitrantur ε, et de utroque sexu eum natum putaverunt * [* Cf. Aug. *Haeres.*, cap. viii, x.].

Quod Christus sit conceptus ex virgine, conveniens est propter quatuor. Primo, propter mittentis Patris dignitatem conservandam. Cum enim Christus sit verus et naturalis Dei Filius, non fuit conveniens quod alium patrem haberet quam Deum: ne Dei dignitas ζ transferretur ad alium.

Secundo, hoc fuit conveniens proprietati ipsius Filii, qui mittitur. Qui quidem est Verbum Dei. Verbum autem absque omni corruptione cordis concipitur: quinimmo cordis corruptio perfecti verbi conceptionem non patitur. Quia igitur caro sic fuit a Verbo Dei assumpta ut esset caro Verbi Dei, conveniens fuit quod etiam ipsa sine corruptione matris conciperetur.

Tertio, hoc fuit conveniens dignitati humanitatis Christi, in qua locum peccatum habere non debuit, per quam peccatum mundi tollebatur, secundum illud Ioan. i * [* Vers. 29.]: *Ecce, Agnus Dei,* scilicet innocens, *qui tollit peccatum mundi.* Non poterat autem η esse quod in natura iam corrupta ex concubitu caro nasceretur sine infectione originalis peccati. Unde Augustinus dicit, in libro *de Nuptiis et Concupiscentia* * [* Lib. I, cap. 12]: *Solus nuptialis concubitus ibi non fuit,* scilicet in matrimonio Mariae

---

α) *eodem.* – Cf. qu. lxix art. 3 corp. med.; *ei* B, *eodem mater* H, *eadem mater* cetera tertia.

β) *videtur esse.* – *esset* tertia.

γ) *Ioseph.* – F et tertia; *David et Ioseph* ed. *a*, *David Ioseph* ceteri.

δ) *fuit.* – *est* editiones.

ε) *arbitrantur.* – *arbitrabantur* Pl.

ζ) *Dei dignitas.* – *Dei Patris dignitas* F, *dignitas Dei Patris* tertia. – Pro *transferretur*, *transfertur b*, *transferatur* Pc.

η) *autem.* – F et tertia; om.

et Ioseph: *quia in carne peccati fieri non poterat sine ulla* [θ] *carnis concupiscentia, quae accidit ex peccato, sine qua concipi voluit qui futurus erat sine peccato.*

Quarto, propter ipsum finem incarnationis Christi, qui [ι] ad hoc fuit ut homines renascerentur in filios Dei, *non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo* *, idest ex Dei virtute. (* Ioan. cap. I, vers. 13.) Cuius rei exemplar apparere debuit in ipsa conceptione Christi. Unde Augustinus, in libro *de Sancta Virginitate* *: (* Cap. VI.) *Oportebat caput nostrum, insigni miraculo* [κ], *secundum corpus nasci de virgine, ut significaret membra sua de virgine Ecclesia secundum spiritum nascitura.*

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Beda dicit, *super Luc.* *, (* Exposit. lib. I, in cap. II, vers. 33.) *pater Salvatoris appellatur Ioseph, non quod vere, iuxta Photinianos* [λ], *pater fuerit ei: sed quod, ad famam Mariae conservandam, pater sit ab hominibus existimatus.* Unde et Luc. III * dicitur: (* Vers. 23.) *Ut putabatur, filius Ioseph.*

Vel, sicut Augustinus dicit, in libro *de Bono Coniugali* *, (* De Consensu Evang. lib. II, cap. I.) eo modo pater Christi dicitur Ioseph quo et *vir Mariae intelligitur, sine commixtione carnis, ipsa copulatione coniugii: multo videlicet coniunctius quam si esset aliunde adoptatus. Neque enim propterea non erat appellandus Ioseph pater Christi quia non eum concumbendo genuerat: quandoquidem pater esset etiam ei quem, non ex sua coniuge procreatum, aliunde adoptasset.*

Ad secundum dicendum quod, sicut Hieronymus dicit, *super Matth.* *, (* Comment. lib. I, in cap. I, vers. 18.) *cum Ioseph non sit pater Domini Salvatoris, ordo generationis eius usque ad Ioseph deducitur*, primo quidem, quia *non est consuetudinis Scripturarum ut mulierum in generationibus ordo texatur. – Deinde, ex una tribu fuit Maria et Ioseph. Unde ex* [μ] *lege eam accipere cogebatur ut propinquam.* – Et, ut Augustinus dicit, in libro *de Nuptiis et Concupiscentia* *, (* Lib. I, cap. XI.) *fuit generationum series usque ad Ioseph perducenda, ne in illo coniugio virili sexui, utique potiori, fieret iniuria: cum veritati nihil deperiret, quia ex semine David et Ioseph erat et Maria.*

Ad tertium dicendum quod, sicut Glossa * dicit ibidem, (* Ord.) « *mulierem* » *pro* « *femina* » *posuit, more locutionis Hebraeorum. Usus enim Hebraeae locutionis mulieres dicit, non virginitate corruptas, sed feminas.*

Ad quartum dicendum quod ratio illa habet locum in his quae procedunt in esse per viam naturae: eo quod natura, sicut est determinata ad unum effectum, ita est etiam determinata ad unum modum producendi illum. Sed cum virtus supernaturalis divina possit in infinita [ν], sicut non est determinata ad unum effectum, ita non est determinata ad modum producendi quemcumque effectum. Et ideo, sicut virtute divina fieri potuit ut primus homo *de limo terrae* formaretur *, (* Gen. cap. II, vers. 7.) ita etiam fieri potuit ut divina virtute corpus Christi formaretur de virgine absque virili semine.

Ad quintum dicendum quod, secundum Philosophum, in libro *de Generat. Animal.* *, (* Lib. I, cap. II, XX; lib. II, cap. IV; lib. IV, cap. I.) semen maris non est sicut materia in conceptione [ξ] animalis, sed solum sicut agens: sola autem femina materiam subministrat in conceptu [ο]. Unde per hoc quod semen maris defuit in conceptione corporis Christi, non sequitur quod defuerit ei debita materia.

Si tamen semen maris esset materia fetus concepti in animalibus [π], manifestum tamen est quod non est materia permanens in eadem forma, sed materia transmutata. Et quamvis virtus naturalis non possit transmutare ad certam formam nisi determinatam materiam, virtus tamen divina, quae est infinita, potest transmutare omnem materiam in quamcumque formam. Unde, sicut transmutavit limum terrae in corpus Adae *, (* Cf. resp. ad 4.) ita in corpus Christi transmutare potuit materiam a matre ministratam, etiam si non esset sufficiens materia ad naturalem conceptum.

θ) *ulla.* – *illa* AE, *pudenda* sB.
ι) *qui.* – *quae* PGI.
κ) *insigni miraculo.* – *propter* (*per* sH) *insigne miraculum* FHIbc.
λ) *iuxta Photinianos.* – Om. FG.
μ) *ex.* – *et* tertia.
ν) *Sed cum virtus... possit in infinita.* – *Sed cum virtus... possit virtute infinita* F, *Sed virtus... cum sit* (*cum sit* om. G) *infinita* tertia.
ξ) *conceptione.* – F et tertia; *compositione.*
ο) *in conceptu.* – *conceptui* tertia.
π) *animalibus.* – P; *aliis.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus de virginitate carnali intelligitur. – In corpore duo fiunt. Primo, respondetur quaesito affirmative: *Mater Christi concepit virgo.* Probatur ex contrario: quia contrarium est haeresis, etc. – Secundo, assignatur ratio quadruplex convenientiae quod sic fuerit. – Et omnia clare patent in littera.

Si tamen novitius non intelligit *corruptionem cordis*, cuius meminit secunda ratio, sciat *cor* pro mente seu intellectu sumi. Corruptio autem intellectus non secundum substantiam, sed secundum operationem attenditur. Omnis enim defectus in intelligendo corruptio quaedam intellectus est: sicut omnis deperditio alicuius rei corruptio quaedam in natura est. Quia igitur defectus intellectus in intelligendo efficit ut intellectus defectuosum quoque verbum formet concipiendo illud quod sic defective intelligit; qui enim imperfecte intelligit leonis naturam, perfectum quoque verbum de natura leonis exprimere intus nequit: ideo in littera dicitur quod cordis corruptio impedit perfectionem verbi.

II. In responsione ad primum, habes Ioseph patrem dici Christi vere dupliciter, vel putative, vel officio: quamvis non fuit pater generatione.

In responsione ad tertium, adiunge ad Glossam quod nec secundum latinae linguae proprietatem *mulier* est nomen corruptionis: sed naturalis proprietatis feminae humanae. Dicta est enim mulier quasi *mollier*, a *mollitie* * et animi et corporis. (* Isidor. *Etymol.* lib. XI, cap. II.)

III. In responsione ad quartum, dubium magnum in philosophia occurreret, si philosophia nunc traderetur, quantum veritatis habeat littera haec, dicens: *Ratio illa habet locum in his quae procedunt in esse per viam naturae, eo quod natura, sicut est determinata ad unum effectum, ita est determinata ad unum modum producendi illum.* Habet siquidem instantias in elementaribus, in ve-

getalibus, et in animalibus. Auctoris autem proposito sat est quod non habet locum in potentia divina.

Absque multa tamen digressione, pro litterae expositione, adverte, qui philosopharis, quod illa propositio de qua est tanta quaestio, scilicet, *Unius naturae unus est modus generationis,* probatur in littera hac dupliciter: scilicet, ex parte termini, quia generatio recipit speciem a termino (et haec probatio assumitur arguendo); et ex parte agentis, quia natura, sicut est determinata ad unum effectum, ita est determinata ad unum modum producendi effectum illum. Et probatio quidem ex parte termini, ex unitate termini unitatem generationis inferens, satis debilis videtur. Quoniam videmus ignem generari diversis generationibus: scilicet ab igne, et non ab igne sed a sole. Et mures videmus genitos per semen, et sine semine. Et quod haec omnia sint eiusdem speciei, ex hoc patet quod haec, tam genita quam aliter producta, generant sibi similia in specie: eiusdem ergo speciei est productus mus per propagationem, cum mure patre suo qui sine propagatione productus est. Una ergo natura pluribus potest generationibus acquiri. In motibus quoque idem apparet. Nam idem secundum speciem *ubi,* in circumferentia signatum, potest diversis secundum speciem motibus acquiri: puta per motum super chordam, et per motum super arcum semicirculi. Et similiter in naturalibus idem locus potest acquiri per volatum, et per ambulationem. Propter quae forte Auctor, non propter illam probationem, sed propter probationem secundam, quam respondendo apposuit, acceptavit illam rationem, dicens, cum redditione causae, *eo quod natura,* etc.

Secunda igitur probatio in se quidem vera est: nam quodlibet naturale agens, sicut ad unum terminum, ita quod non ad oppositos nec disparatos, est determinatum ex unitate suae naturae, ita etiam ad unum modum determinatur. In cuius signum, semen plantae non generat plantam si inseratur, et oculus plantae non generat plantam si seminatur: neutrum enim videmus exercitari. Sed quantum haec probatio, in se vera, sit efficax ad probandum illam conclusionem, non apparet, nisi praesupposita unitate naturalis agentis ad unum effectum. Et quoniam in animalibus perfectis, quale est homo, leo, bos, et huiusmodi, supponitur unitas agentis naturalis, ideo ratio pro efficaci admittitur.

Si quis autem negaret, cum Avicenna *, suppositionem illam, in campum magnum disputandi oportet ingrediatur. Ad quem nunc egrediendi non est tempus, quando de beatissimae Matris Dei virginitate tractatur. Sat fuerit nosse Auctoris intentionem et litterae discussionem.

* Vide *de Anim*. part. IV, cap. part. V, cap. *de Animalib.*, XV, cap. I.

IV. In responsione ad quintum, adverte quod propositio illa, *Quamvis virtus naturalis non possit transmutare ad certam formam nisi determinatam materiam,* si universaliter, ut iacet, intelligatur: vel adversative permissa intelligitur, quasi diceret, *Quidquid sit de transmutatione per virtutem naturalem, divina tamen virtus,* etc. Et hoc sufficit litterae. – Vel affirmative de unica transmutatione sumitur. Nullum enim agens naturale, etiam universale, ut caelum, potest unica transmutatione ad certam formam transmutare nisi determinatam materiam: quoniam actus activorum fieri oportet in patiente disposito *. Et hoc etiam satisfacit litterae: quia unica transmutatione, utpote in instanti, Spiritus Sanctus sanguinem Beatae Virginis transmutavit in corpus Christi. Et consonat philosophiae tradenti quod illud proprie dicitur agens posse ut proprium effectum, et ut in propriam materiam, quod unica transmutatione potest educere de potentia in actum, ut patet IX *Metaphysicae* *.

* Cf. Aristot. *Metaphys.* lib. VI cap. v, num. S. Th. lib. lect. IV.

* S. Th. lect. Did. lib. V cap. VII, n.

Si vero affirmative quoque, sed secundum subiectam materiam, puta in materia animatorum, intelligitur: constat evidenter veram esse. Sed argumento universali non satisfacit particularis responsio: quamvis satisfaciat materiae particulari de qua est quaestio. Et ideo haec responsio indigna Auctore videtur.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM MATER CHRISTI FUERIT VIRGO IN PARTU

IV *Sent.*, dist. XXX, qu. II, art. 3; *Compend. Theol.*, cap. CCXXV; *In Matth.*, cap. I.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod mater Christi non fuerit virgo in partu. Dicit enim Ambrosius, *super Luc.* *: *Qui vulvam sanctificavit alienam ut nasceretur propheta, hic est qui aperuit matris suae vulvam ut immaculatus exiret.* Sed apertio vulvae virginitatem excludit. Ergo mater Christi non fuit virgo in partu.

* Exposit. lib. II, ad cap. II, vers. 23.

2. Praeterea, nihil in mysterio Christi esse debuit per quod corpus eius phantasticum appareret. Sed hoc non videtur vero corpori, sed phantastico convenire, ut possit per clausa transire: eo quod duo corpora simul esse non possunt *. Non igitur debuit ex matris utero clauso corpus Christi prodire. Et ita non decuit quod esset virgo in partu.

* Cf. Aristot. *de Gen. et Corrupt.*, lib. I. cap. v, n. 8. – S. Th. lect. XIV.

3. Praeterea, sicut Gregorius dicit, in Homilia *Octavarum Paschae* *, per hoc quod, ianuis clausis, ad discipulos post resurrectionem intravit Dominus, *ostendit corpus suum esse eiusdem naturae et alterius gloriae:* et sic per clausa transire videtur ad gloriam corporis pertinere. Sed corpus Christi in sua conceptione non fuit gloriosum, sed passibile, habens *similitudinem carnis peccati,* ut Apostolus dicit, *Rom.* VIII *. Non ergo exivit per Virginis uterum clausum.

* Al. Hom. XXVI *in Evang.*

* Vers. 3.

Sed contra est quod in quodam sermone Ephesini Concilii * dicitur: *Natura post partum nescit ulterius virginem. Gratia vero et parientem ostendit, et matrem fecit, et virginitati non nocuit.* Fuit ergo mater Christi virgo etiam in partu.

* Part. III. cap. Theodoti Ancyrani serm. I.

Respondeo dicendum quod absque omni dubio asserendum est matrem Christi etiam in partu virginem fuisse: nam Propheta non solum dicit, *Ecce, virgo concipiet;* sed addit, *et pariet filium* *. Et hoc quidem conveniens fuit propter tria. Primo quidem, quia hoc competebat proprietati eius qui nascebatur, quod [a] est Verbum Dei. Nam verbum non solum in corde absque corruptione concipitur, sed etiam absque corruptione ex corde procedit. Unde, ut ostenderetur quod illud corpus esset ipsius Verbi Dei, conveniens fuit ut de incorrupto virginis utero nasceretur. Unde in sermone quodam Ephesini Concilii * legitur: *Quae*

* Isai. cap. vers. 14.

* Loc. cit.

a) *quod.* – *quia* A, *qui* F et tertia.

parit carnem puram, a virginitate cessat. Sed quia natum est carne Verbum, Deus custodit virginitatem, seipsum ostendens per hoc Verbum. Neque enim nostrum verbum, cum paritur, corrumpit mentem: neque Deus Verbum substantiale, partum[β] *eligens, peremit virginitatem.*

Secundo, hoc est conveniens quantum ad effectum incarnationis Christi. Nam ad hoc venit ut nostram corruptionem tolleret. Unde non fuit conveniens ut virginitatem matris nascendo corrumperet. Unde Augustinus dicit, in quodam Sermone *de Nativitate Domini* *: *Fas non erat ut per eius adventum violaretur integritas, qui venerat sanare corrupta.*

* In App. Serm. CXXI, al. X *de Temp.* (*In Natali Dom.* Serm. V), inter Opp.

Tertio fuit conveniens, ne[γ] matris honorem nascendo diminueret qui parentes praeceperat honorandos.

Ad primum ergo dicendum quod Ambrosius dicit hoc exponens illud quod Evangelista de lege induxit, *Omne masculinum*[δ] *adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur.* Quod quidem, ut Beda dicit *, *consuetae nativitatis more loquitur: non quod Dominus sacri ventris hospitium, quod ingressus sanctificaverat, egressus devirginasse credendus sit.* Unde illa aperitio[ε] non significat reserationem claustri pudoris virginei: sed solum exitum prolis de utero matris.

* Exposit. in Luc. lib. I, ad loc. cit.

Ad secundum dicendum quod ita Christus voluit veritatem sui corporis demonstrare quod etiam simul[ζ] eius divinitas declararetur. Et ideo permiscuit mira humilibus. Unde, ut corpus eius verum ostenderetur, nascitur ex femina. Sed ut ostenderetur eius divinitas, nascitur[η] ex virgine: *talis* enim *partus decet Deum*, ut Ambrosius dicit, in hymno Nativitatis *.

* Ad Vesper.

Ad tertium dicendum quod quidam * dixerunt Christum in sua nativitate dotem subtilitatis assumpsisse, quando exivit de clauso virginis utero; et quando[θ] ambulavit siccis pedibus super mare *, dicunt eum assumpsisse dotem agilitatis. – Sed hoc non convenit his quae supra * determinata sunt. Huiusmodi enim dotes corporis gloriosi proveniunt ex redundantia gloriae animae ad corpus: ut infra dicetur, cum tractabitur de corporibus gloriosis *. Dictum est autem supra ** quod Christus ante passionem *permittebat carni suae agere et pati quae propria* *: nec fiebat talis redundantia gloriae ab anima ad corpus.

* Innoc. III, *de Sacr. Altar. Myster.*, lib. IV, cap. XII.
* Matth. cap. XIV, vers. 25.
* Qu. XIV.
* Cf. *Supplem.* qu. LXXXII sqq.
** Qu. XIII, art. 3, ad 1; qu. XVI, art. 1, ad 2.
* Damasc. *de Fide Orth.*, lib. III, cap. XIX. – Cf. cap. XV.

Et ideo dicendum est quod omnia ista facta sunt miraculose per virtutem divinam. Unde Augustinus, *super Ioan.* *: *Moli corporis ubi divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe, non eis apertis, intrare potuit, quo nascente virginitas matris inviolata permansit.* Et Dionysius dicit, in quadam Epistola *, quod *Christus super hominem operabatur ea quae sunt hominis: et hoc monstrat virgo supernaturaliter concipiens, et aqua instabilis terrenorum pedum sustinens gravitatem.*

* Tract. CXXI.
* Ep. IV, *ad Caium.*

β) *substantiale, partum.* – *substantialem partem* P, *substantialem partum* H.

γ) *ne.* – EF et tertia praeter I; *(Tertio conveniens hoc fuit) quantum ad matris honorem nam non erat conveniens ut* I, *ut ne* ceteri.

δ) *Omne masculinum.* – PF, *Omne masculum* sG et *c*, *Omnem masculūꝫ* H, *Omnem masculum* ceteri.

ε) *aperitio.* – *apertio* Fbc, *adaperitio* cetera tertia. – Post *reserationem* PsH addunt *communem.*

ζ) *simul.* – Om. PF.

η) *nascitur.* – *processit* tertia.

θ) *quando exivit... et quando.* – *sicut quando* tertia. Cf. qu. XLV art. 1 ad 3; art. 2 corp.; qu. LXXXI art. 3 corp.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore duo. Primo, respondetur quaesito: *Beata Virgo fuit virgo in partu.* Probatur auctoritate Isaiae.

Secundo, triplicem rationem convenientiae assignat. Quae clare patent in littera.

Novitii tamen percipiant, pro prima ratione, quod conceptio verbi in corde, et processio verbi ex corde, non sunt duo progressus: sed ad exprimendas diversas conditiones habitudinis verbi ad intellectum, diversae adhibentur rationes. Verbum enim cordis, hoc est, conceptus quem format intellectus cum rem aliquam intelligit, et manet intus in intellectu dum res actu intelligitur, et distinguitur ab intellectu a quo emanat. Dum enim ego intelligo me ad imaginem Dei esse, formo simulacrum de meipso ad imaginem Dei; et similiter, cum intelligo me peccatorem, formo simulacrum de meipso peccatore; et sic de aliis. Illud autem simulacrum, quod conceptus, quod verbum appellatur, non extra mentem meam, sed in mente mea manet. Et similitudinarie dicitur concipi in corde, et nasci ex corde; quia proles, dum in utero concipitur, in utero manet; et dum ex utero nascitur, a matre distinguitur perfecte. Simili siquidem modo, quia verbum cordis in corde prolatum manet, concipi dicitur: et quia a corde prolatum perfecte distinguitur, accidentis sublata natura, ideo nasci dicitur ex corde. Ubi videre potes quod conceptio nativitasque verbi in et ex corde unus processus est, diversis nominibus diversa ratione appellatus: et quod nec in conceptu nec in ortu suo mentem in qua et ex qua procedit, corrumpit, ut in Synodo allata in littera dicitur.

II. In responsione ad tertium, adverte quod Auctor dotis nomine appellat et ipsam rem quae dos dicitur, et modum eiusdem: hoc est, rem tali modo; puta per modum immanentis, ut ipsemet inferius manifestabit, qu. XLV, art. 2. Et cum ex duplici capite potuisset reprehendi positio Hugonis de Sancto Victore *: scilicet ex hoc quod non spectat ad subtilitatis dotem duo corpora esse simul in eodem loco, unde nec corpora gloriosa, ex sua proprietate, poterunt simul esse in eodem loco; et ex hoc quod in corpore animali non invenitur dos, quia non invenitur animae gloriosae redundantia simpliciter ad corpus, quamvis, ut inferius in allegato loco dicitur, inveniri possit miraculose redundantia secundum quid: – maluit tamen Auctor ex ipsa dotis ratione hic procedere, quam in illam disputationem aliam introire.

* Innoc. III.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM MATER CHRISTI PERMANSERIT VIRGO POST PARTUM

IV *Sent.*, dist. xxx, qu. ii, art. 3; *Compend. Theol.*, cap. ccxxv; *In Matth.*, cap. i; *In Ioan.*, cap. ii, lect. i.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod mater Christi non permanserit virgo post partum. Dicitur enim Matth. i *: *Antequam convenirent Ioseph et Maria, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.* « Non autem Evangelista hoc [α] diceret, *antequam convenirent*, nisi certus esset [β] de conventuris: quia nemo dicit de non pransuro, *antequam pranderet.* » * Ergo videtur quod Beata Virgo quandoque convenit carnali copula cum Ioseph. Et ita non permansit virgo post partum.

[* Vers. 18.] [* Cf. Hieronym., *Contra Helvid.*, num. 3.]

2. PRAETEREA, ibidem * subditur, ex verbis Angeli loquentis ad Ioseph: *Ne timeas accipere Mariam coniugem tuam.* Coniugium autem consummatur per carnalem copulam. Ergo videtur quod quandoque carnalis copula intervenit inter Mariam et Ioseph. Et ita videtur quod non permansit virgo post partum.

[* Vers. 20.]

3. PRAETEREA, ibidem post pauca subditur *: *Et accepit coniugem suam: et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum.* « Hoc autem adverbium *donec* consuevit determinatum tempus signare, quo completo, fiat id quod usque ad illud tempus non fiebat. Verbum autem *cognoscendi* ibi ad coitum refertur » *: sicut et *Gen.* iv ** dicitur quod *Adam cognovit uxorem suam.* Ergo videtur quod post partum Beata Virgo fuit [γ] a Ioseph cognita. Ergo videtur quod non permanserit virgo post partum.

[* Vers. 24, 25.] [* Cf. Hieron. lib. cit., num. 5.] [** Vers. 1.]

4. PRAETEREA, *primogenitus* non potest dici nisi qui habeat fratres subsequentes: unde *Rom.* viii *: *Quos praescivit, et praedestinavit [δ] conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Sed Evangelista nominat Christum *primogenitum* * matris eius. Ergo alios filios habuit post Christum. Et ita videtur quod mater Christi non fuerit [ε] virgo post partum.

[* Vers. 29.] [* Matth. cap. i, vers. 25; Luc. cap. ii, vers. 7.]

5. PRAETEREA, Ioan. ii * dicitur: *Post haec descendit Capharnaum ipse,* scilicet Christus, *et mater et fratres eius.* Sed fratres dicuntur qui ex eodem parente geniti sunt. Ergo videtur quod Beata Virgo habuerit alios filios post Christum.

[* Vers. 12.]

6. PRAETEREA, Matth. xxvii * dicitur: *Erant ibi,* scilicet iuxta crucem Christi, *mulieres multae a longe, quae secutae erant Iesum a Galilaea, ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Iacobi et Ioseph mater, et mater filiorum Zebedaei.* Videtur autem haec Maria quae hic dicitur *Iacobi et Ioseph mater*, esse etiam mater Christi: dicitur enim Ioan. xix * quod *stabat iuxta crucem Iesu Maria, mater eius.* Ergo videtur quod mater Christi non permanserit virgo post partum.

[* Vers. 55, 56.] [* Vers. 25.]

SED CONTRA EST quod dicitur Ezech. xliv *: *Porta haec clausa erit, et non aperietur, et vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Quod exponens Augustinus, in quodam Sermone *, dicit: *Quid est « porta in domo Domini clausa », nisi quod Maria semper erit intacta? Et quid est, « homo non transibit per eam », nisi quod Ioseph non cognoscet eam? Et quid est, « Dominus solus intrat et egreditur per eam », nisi quod Spiritus Sanctus impraegnabit eam, et angelorum Dominus nascetur per eam? Et quid est, « clausa erit in aeternum », nisi quod Maria virgo est ante partum, et virgo in partu, et virgo post partum?*

[* Vers. 2 (c. vers. 3).] [* Append. Serm. CXCV, al. de Temp. XVIII de Annuntiat. Dom. Serm. III). - Int. Opp.]

RESPONDEO DICENDUM quod absque omni dubio detestandus est error Helvidii, qui dicere praesumpsit matrem Christi a Ioseph post partum esse carnaliter cognitam, et alios filios genuisse *. Hoc enim, primo, derogat Christi perfectioni: qui, sicut secundum divinam naturam *Unigenitus* est *Patris* *, tanquam *perfectus* per omnia *Filius* eius *, ita etiam decuit ut esset unigenitus matris, tanquam perfectissimum germen eius.

[* Cf. Aug. de Haeres., cap. lxxxiv; Hieron. de Perpet. Virginit. B. M. V.] [* Ioan. cap. i, vers. 14.] [* Cf. *ad Heb.* cap. vii, vers. 28.]

Secundo, hic error iniuriam facit Spiritui Sancto, cuius *sacrarium* * fuit uterus virginalis, in quo carnem Christi formavit: unde non decebat ut de cetero violaretur per commixtionem virilem.

[* Cf. Offic. B. M. Virg. antiph. ad Benedictus temp. Pasch.]

Tertio, hoc derogat dignitati et sanctitati Matris Dei: quae ingratissima videretur si tanto Filio contenta non esset; et si virginitatem, quae in ea miraculose conservata fuerat, sponte perdere vellet per carnis concubitum.

Quarto, etiam ipsi Ioseph esset ad maximam praesumptionem imputandum, si eam quam, revelante Angelo, de Spiritu Sancto Deum concepisse cognoverat, polluere attentasset [ζ].

Et ideo simpliciter est asserendum quod Mater Dei, sicut virgo concepit et virgo peperit, ita etiam [η] virgo post partum in sempiternum permanserit *.

[* Cf. Aug. Serm. LI, al. *de Divers.* LXIII, cap. xi.]

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut Hieronymus dicit, in libro *contra Helvidium* *, *intelligendum est quod haec praepositio « ante », licet saepe consequentia indicet, tamen nonnunquam ea tantum quae prius cogitabantur, ostendit: nec est necesse ut cogitata fiant, cum ideo aliud intervenerit, ne ea quae cogitata sunt, fierent. Sicut, si aliquis dicat, « Antequam in portu pranderem, navigavi », non intelligitur quod in portu prandeat*

[* Num. 4.]

α) *hoc.* – Om. PGHI.
β) *certus esset.* – Om. tertia.
γ) *fuit.* – *fuit* (*fuerit* P) *carnaliter* tertia. – *a Ioseph* om. F.
δ) *et praedestinavit.* – Om. tertia.
ε) *fuerit.* – *manserit* tertia.
ζ) *attentasset.* – *attentaret* tertia.
η) *ita etiam.* – FHI; *et* B, *ita etiam et* PGbc, *et etiam* ceteri; pro *permanserit, permansit* Ea et tertia.

postquam navigaverit: sed quia cogitabatur in portu pransurus. Et similiter Evangelista dicit, *Antequam convenirent, inventa est Maria* [θ] *in utero habens de Spiritu Sancto,* non quia postea convenerint: sed quia, dum viderentur conventuri, praevenit conceptio per Spiritum Sanctum, ex quo factum est ut ulterius non convenirent.

Ad secundum dicendum quod, sicut Augustinus dicit, in libro *de Nuptiis et Concupiscentia* *, *coniux* [ι] *vocatur Mater Dei ex prima desponsationis fide, quam concubitu non cognoverat, nec fuerat cogniturus.* Ut enim Ambrosius dicit, *super Luc.* *, *non virginitatis ereptio, sed coniugii testificatio nuptiarum celebratio declaratur* [κ].

Ad tertium dicendum quod quidam dixerunt hoc non esse intelligendum de cognitione carnis [λ], sed de cognitione notitiae. Dicit enim Chrysostomus * quod *non cognovit eam Ioseph, antequam pareret, cuius fuerit dignitatis: sed, postquam peperit, tunc cognovit eam. Quia per ipsius prolem* [μ] *speciosior et dignior facta fuerat quam totus mundus: quia quem totus mundus capere non poterat, in angusto uteri sui sola suscepit.*

Quidam vero hoc referunt ad notitiam visus. Sicut enim Moysi cum Deo colloquentis glorificata est facies, *ut non possent intendere in eum filii Israel* *; sic Maria, claritate virtutis Altissimi obumbrata *, cognosci non poterat a Ioseph, donec pareret. Post partum autem a Ioseph agnita invenitur, specie faciei, non tactu libidinis.

Hieronymus * autem concedit hoc esse intelligendum de cognitione coitus. Sed dicit quod *usque,* vel *donec,* in Scripturis dupliciter potest intelligi. Quandoque enim designat certum tempus: secundum illud *Galat.* III *, *Propter transgressionem lex posita est, donec veniret semen cui promiserat.* Quandoque vero signat infinitum tempus: secundum illud Psalmi *, *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri;*

Lib. I, cap. XI. — ...xposit. lib. II, cap. I, vers. ... — ...r. *Imperf. in* ...*tth.*, homil. I - ...er Opp. Chrys. — ...*ad Cor.*, cap. ... vers. 7. — ...f. Luc. cap. I, ...s. 35. — ...*dvers. Helv.*, ...n. 5 sqq. — ...ers. 19. — ...s. CXXII, vers.

ex quo non est intelligendum quod post impetratam misericordiam oculi avertantur a Deo. Et secundum hunc modum loquendi, significantur ea *de quibus posset dubitari si scripta non fuissent: cetera vero nostrae intelligentiae derelinquuntur. Et secundum hoc, Evangelista dicit matrem Dei non esse cognitam a viro usque ad partum, ut multo magis intelligamus cognitam non fuisse post partum.*

Ad quartum dicendum quod mos divinarum Scripturarum est ut primogenitum vocent non solum eum quem fratres sequuntur, sed eum qui primus natus sit. *Alioquin, si non est primogenitus nisi quem sequuntur fratres, tandiu secundum legem* [ν] *primogenita non debentur, quandiu et alia fuerint procreata* *. Quod patet esse falsum: cum infra unum [ξ] mensem primogenita redimi mandentur secundum legem *.

Ad quintum dicendum quod *quidam,* sicut dicit Hieronymus, *super Matth.* *, *de alia uxore Ioseph fratres Domini* [ο] *suspicantur. Nos autem fratres Domini, non filios Ioseph, sed consobrinos Salvatoris, Mariae materterae* [π] *filios intelligimus. Quatuor* enim *modis in Scriptura fratres dicuntur:* scilicet *natura, gente, cognatione* et *affectu* *. Unde fratres Domini dicti sunt, non secundum naturam, quasi ab eadem matre nati: sed secundum cognationem, quasi consanguinei eius existentes. Ioseph autem, sicut Hieronymus dicit, *contra Helvidium* *, magis credendus est virgo permansisse: quia *aliam uxorem habuisse non scribitur,* et *fornicatio in sanctum virum non cadit.*

Ad sextum dicendum quod Maria quae dicitur *Iacobi et Ioseph mater,* non intelligitur esse mater Domini, quae in Evangelio non consuevit nominari nisi cum cognominatione huius dignitatis, quod sit *mater Iesu* *. Haec autem Maria intelligitur esse uxor Alphaei, cuius filius est Iacobus Minor, qui dictus est *frater Domini* *.

* Hieron. lib. cit., num. 10.
* *Num.* cap. XVIII, vers. 16.
* Comment. lib. II, ad cap. XII, vers. 49, 50.
* *Advers. Helv.*, num. 14.
* Num. 19.
* Ioan. cap. II, vers. 1. - Cf. Matth. cap. I, vers. 18; cap. II, vers. 11; Luc. cap. II, vers. 34; *Act.* cap. I, vers. 14.
* *Ad Galat.*, cap. I, vers. 19.

θ) *Maria.* – Om. tertia.

ι) *coniux.* – *Ioseph* addit P. – Pro *concubitu, per concubitum* tertia praeter I.

κ) *celebratio declaratur.* – Tertia; *decelebratur declaratio* F, *declaratio concelebratur* ed. *a*, *declaratio celebratur* ceteri. Cf. qu. seq. art. 2 corp. fin.

λ) *carnis.* – *coitus* tertia.

μ) *per ipsius prolem.* – Om. tertia praeter P. – *speciosior* I; *spatior* pH, *spatiosior* PsH, om. FG, *specialior* ceteri; *alias speciosior* margo P. – Post *angusto* P addit *cubiculo.*

ν) *secundum legem.* – *Alias, secundum legem sacerdotibus etc.* margo P. Pro *debentur, deberentur* EIa. Pro *fuerint, non fuerint* EsC et *a*; cf. qu. LIX art. 5 γ.

ξ) *unum.* – DsC et tertia; *annum* ABpC, *annum et* ed. *a*, om. EF. Pro *mensem primogenita, mensam primogenitam* A, *mensem primogenitam* BEpCG.

ο) *fratres Domini.* – Ante *de alia* ponunt BDF*a* et tertia. – Pro *suspicantur, filios suspicantur* PI.

π) *Mariae materterae.* – AC; *sororis Mariae* BDE, *Mariae materterae Domini* HpF, *sororis Mariae materterae Domini* GIsF, *sororum Mariae* ed. *a*, *sororis Mariae matris Domini* editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore unica conclusio, contra errorem Helvidii, quatuor rationibus firmata. Omnia clara sunt.

In responsione ad tertium, nota, pro sensu litterali, responsionem Hieronymi: quia verissima est, et ad litteram, et fulta auctoritatibus Scripturae et allata in littera et alibi, *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos* *, etc. Non enim denotatur quod post suppositos inimicos desinet sedere a dextris: sed, quia possit dubitari an interim quod ponantur suppedanei inimici, sedeat, hoc est, regnet quiete, a dextris Dei; ideo, ad tollendam dubitationem, dictum est, *Sede a dextris meis, donec ponam,* etc.; ut per hoc sapiens quisque intelligeret quod tanto magis post sedebit a dextris Dei.

...s. CIX, vers. I.

In responsione ad sextum, vide quod etiam diversus in Evangelio situs descriptus matris Iesu et Mariae Iacobi distinguit illas: nam ista *a longe*, illa *iuxta crucem* describitur.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM MATER DEI VIRGINITATEM VOVERIT

IV *Sent.*, dist. XXX, qu. II, art. 1, qu^a 1.



AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Mater Dei virginitatem non voverit. Dicitur enim *Deut.* VII *: *Non erit apud te sterilis utriusque sexus.* Sterilitas autem sequitur virginitatem. Ergo servatio virginitatis erat contra praeceptum veteris legis. Sed adhuc lex vetus habebat statum antequam Christus nasceretur. Ergo non potuit licite Beata Virgo virginitatem [α] vovere pro tempore illo.

2. PRAETEREA, Apostolus, I *Cor.* VII *, dicit: *De virginibus autem praeceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Sed perfectio consiliorum [β] a Christo debuit inchoari, qui est *finis legis,* ut Apostolus dicit, *Rom.* X *. Non ergo conveniens fuit quod Virgo [γ] votum virginitatis emitteret.

3. PRAETEREA, Glossa Hieronymi [δ] * dicit, I *Tim.* V *, quod *voventibus virginitatem non solum nubere, sed etiam velle nubere damnabile est.* Sed mater Christi nullum peccatum damnabile commisit: ut supra * habitum est. Cum ergo *desponsata* fuerit [ε], ut habetur Luc. I *, videtur quod ipsa virginitatis votum non emiserit.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in libro *de Sancta Virginitate* *: *Annuntianti Angelo Maria respondit: « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? » Quod profecto non diceret, nisi se* [ζ] *virginem Deo ante vovisset.*

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut in Secunda Parte * habitum est, perfectionis opera magis sunt laudabilia si ex voto celebrantur. Virginitas autem in Matre Dei praecipue debuit pollere: ut ex supra * dictis rationibus patet. Et ideo conveniens fuit ut virginitas eius ex voto esset Deo consecrata. Verum quia tempore legis oportebat generationi insistere tam mulieres quam viros, quia secundum carnis originem cultus Dei propagabatur antequam ex illo populo Christus nasceretur, Mater Dei non creditur, antequam desponsaretur Ioseph, absolute virginitatem vovisse, licet [η] eam in desiderio habuerit, super hoc tamen voluntatem suam divino commisit arbitrio. Postmodum vero, accepto sponso, secundum quod mores illius temporis exigebant *, simul cum eo votum virginitatis emisit.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, quia videbatur esse lege prohibitum non dare operam ad relinquendum semen super terram, ideo non simpliciter virginitatem vovit Dei Genitrix, sed sub conditione, si Deo placeret. Postquam autem ei [θ] innotuit hoc esse Deo acceptum, absolute vovit, antequam ab Angelo annuntiaretur [ι].

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut gratiae plenitudo perfecte quidem fuit in Christo, et tamen aliqua eius inchoatio praecessit in matre; ita etiam observatio consiliorum, quae per gratiam Dei fit, perfecte quidem incoepit in Christo, sed aliquo modo fuit inchoata in Virgine matre eius.

AD TERTIUM DICENDUM quod verbum illud Apostoli est intelligendum de illis qui [κ] absolute castitatem vovent. Quod quidem mater Dei non fecit antequam Ioseph desponsaretur. Sed post desponsationem, ex communi voluntate, simul cum sponso suo votum virginitatis emisit.

Marginal notes: * Vers. 14. — * Vers. 25. — * Vers. 4. — * Ord. Aug. — * Vers. 12. — * Qu. XXVII, art. 4. — * Vers. 27. - Cf. cap. II, vers. 5; Matth. cap. I, vers. 18. — * Cap. IV. — * II^a II^ae, quaest. LXXXVIII, art. 6. — * Art. 1, 2, 3. — * D. 1170.

α) *virginitatem.* – Om. tertia praeter P.
β) *consiliorum.* – *consilii* editiones.
γ) *Virgo.* – *Beata Virgo* E et tertia.
δ) *Glossa Hieronymi.* – *Apostolus* tertia. – Pro *virginitatem, castitatem* tertia.
ε) *fuerit.* – *primo* addit tertia praeter P.
ζ) *se.* – *prius se* tertia praeter I; *ante* om. editiones.
η) *licet.* – *sed* I, *sed licet* cetera tertia (in H *sed* expungitur).
θ) *ei.* – Tertia; om.
ι) *annuntiaretur.* – EF et tertia; *denuntiaretur.*
κ) *qui.* – *quae* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus est. Et ratio dubii est quia nihil legitur de voto Beatae Virginis: et ipsa eius desponsatio contrariari videtur voto virginitatis.

In corpore duo fiunt: primo, tractatur de ipsius voto; secundo, de tempore voti *. Quoad primum, unica est conclusio: *Conveniens fuit Beatae Virginis virginitatem esse Deo consecratam voto.* Probatur. Quia laudabilior est virginitas voto dicata: sicut reliqua perfectionis opera.

II. Quoad secundum, distinguuntur duo tempora ante annuntiationem: primum, ante desponsationem; secundum, inter desponsationem et annuntiationem. Et secundum singula tempora singillatim respondetur *. Iuxta primum, conclusio est: *Beata Virgo, ante desponsationem, non simpliciter, sed sub conditione virginitatem vovit.* Probatur. Quia tunc virginitas erat prohibita a lege, et desiderata a persona Beatae Virginis: et quia prohibita, non simpliciter vovit; quia desiderata, vovit sub conditione, si Deo placeret; ut in responsione ad primum explicatur.

III. Iuxta secundum *, conclusio est: *Beata Virgo votum virginitatis cum viro suo simul emisit simpliciter.*

Ubi scito quod conclusio non aliter in littera probatur, sed ex iam dictis consequens relinquitur. Ex eo enim quod ante desponsationem non vovit simpliciter, quia prohibitum erat; et virginitatem quandoque vovit simpliciter, quia laudabilior virginitas est Matri Dei tribuenda; et ante annuntiationem vovit simpliciter, quia aliter non dixisset, *Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco* (nec actu nec potentia, propter votum, ut Augustinus hinc accipit *); et coniugata non potest vovere virginitatem sine consensu viri sui, nisi, post Christum, dissolvendo matrimonium non consummatum per religionis professionem, quod tunc locum non habuit: sequitur quod Beata Virgo,

Marginal notes: * Cf. num. seq. — * Cf. num. seq. — * Cf. num. praec. — * Cf. arg. *Sed cont.*

ante annuntiationem, et cognovit Deo placere quod virginitatem voveret simpliciter, et de consensu Ioseph virginitatem voverit.

Valde autem rationi consentaneum est ut sanctus sponsus, concedens sponsae quod, manente coniugio, virginitatem voveret, ipse quoque virginitatem simul voveat: pensata praesertim divina providentia, quae hoc inspirare ipsi Ioseph quasi debebat, ut Virgo Virginum virginem quoque comitem servatoremque sui haberet. Alioquin, non fuisset *plena gratia*, cui haec gratia in suo coniuge defuisset, quam ipsa maxime secundum rectam rationem desiderare debebat. Et propterea in littera dicitur quod cum Ioseph, ante annuntiationem, virginitatem simpliciter vovit.



QUAESTIO VIGESIMANONA

DE DESPONSATIONE MATRIS DEI

IN DUOS ARTICULOS DIVISA

DEINDE considerandum est de desponsatione Matris Dei *.

* Cf. qu. XXVII, Introd.

Et circa hoc quaeruntur duo.

Primo: utrum Christus debuerit de desponsata nasci.

Secundo: utrum fuerit verum matrimonium inter Matrem Domini et Ioseph.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM CHRISTUS DEBUERIT DE VIRGINE DESPONSATA NASCI

IV *Sent.*, dist. XXX, qu. II, art. 1, qu[a] 2, 3; *In Matth.*, cap. I.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus non debuerit de virgine desponsata nasci. Desponsatio enim ad carnalem copulam ordinatur. Sed Mater Domini nunquam voluit carnali viri copula uti: quia hoc derogaret virginitati mentis ipsius. Ergo non debuit esse desponsata.

2. PRAETEREA, quod Christus ex virgine nasceretur, miraculum fuit: unde Augustinus dicit, in Epistola *ad Volusianum* *: *Ipsa Dei virtus per inviolata matris virginea viscera membra infantis eduxit, quae* [α] *per clausa ostia membra iuvenis introduxit. Huius si ratio quaeritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare.* Sed miracula, quae fiunt ad confirmationem fidei, debent [β] esse manifesta. Cum igitur per desponsationem hoc miraculum fuerit obumbratum, videtur non fuisse conveniens quod Christus de desponsata nasceretur.

* Ep. CXXXVII, al. III, cap. II.

3. PRAETEREA, Ignatius Martyr, ut dicit Hieronymus, *super Matth.* *, hanc causam assignat desponsationis Matris Dei, *ut partus eius celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine, sed de uxore generatum.* Quae quidem causa nulla esse videtur. Tum quia diabolus ea quae corporaliter fiunt perspicacitate sensus cognoscit. Tum quia per multa evidentia signa postmodum daemones aliqualiter Christum cognoverunt: unde dicitur Marc. I *, quod *homo in spiritu immundo exclamavit, dicens: « Quid nobis et tibi, Iesu Nazarene? Venisti* [γ] *perdere nos? Scio quia sis Sanctus Dei ».* Non ergo videtur conveniens fuisse quod Mater Dei fuisset [δ] desponsata.

* Comment. lib. I, ad cap. I, vers. 18.

* Vers. 23, 24.

4. PRAETEREA, aliam rationem assignat Hieronymus *, *ne lapidaretur Mater Dei a Iudaeis sicut adultera.* Haec autem ratio nulla esse videtur [ε]: si enim non esset desponsata, non posset de adulterio condemnari. Et ita non videtur rationabile fuisse quod Christus de desponsata [ζ] nasceretur.

* Loc. cit.

SED CONTRA EST quod dicitur Matth. I *: *Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph;* et Luc. I *: *Missus est Gabriel angelus ad Mariam, virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph.*

* Vers. 18.

* Vers. 26, 27.

RESPONDEO DICENDUM quod conveniens fuit Christum de desponsata virgine nasci, tum propter ipsum; tum propter matrem; tum etiam propter nos. Propter ipsum quidem Christum, quadruplici ratione. Primo [η] quidem, ne ab infidelibus tamquam illegitime natus abiiceretur. Unde Ambrosius dicit, *super Luc.* *: *Quid Iudaeis, quid Herodi posset adscribi, si natum viderentur ex adulterio persecuti?* – Secundo, ut consueto modo eius genealogia per virum describeretur. Unde dicit Ambrosius, *super Luc.* *: *Qui in saeculum venit, saeculi debuit more describi. Viri autem persona quaeritur, qui in senatu et reliquis curiis civitatum generis asserit dignitatem. Consuetudo etiam nos instruit Scripturarum, quae semper viri originem quaerit.* – Tertio, ad tutelam pueri nati: ne diabolus contra eum vehementius nocumenta procurasset. Et [θ] ideo Ignatius dicit ipsam fuisse desponsatam *ut partus eius diabolo celaretur* *. – Quarto, ut a Ioseph nutriretur. Unde et *pater* eius dictus est *, quasi nutritius.

* Exposit. lib. II, ad cap. I, vers. 26, 27.

* Exposit. lib. III, ad cap. III, vers. 23.

* Cf. Hieron. cit.

* Luc. cap. II, vers. 33, 48.

Fuit etiam conveniens ex parte Virginis. Primo quidem, quia per hoc redditur immunis a poena: *ne scilicet lapidaretur a Iudaeis tanquam adultera,* ut Hieronymus dicit *. – Secundo, ut per hoc ab infamia liberaretur. Unde dicit Ambrosius, *super Luc.* *, quod *desponsata est ne temeratae virginitatis adureretur infamia, cui gravis alvus corruptelae videretur insigne* [ι] *praeferre.* – Tertio, ut ei a Ioseph ministerium exhiberetur: ut Hieronymus dicit *.

* Cf. arg. 4.

* Exposit. lib. II, ad cap. I, vers. 26, 27.

* Loc. cit.

α) *quae.* – *postea* addunt F et tertia; pro *Huius, Hic* tertia.
β) *quae fiunt... debent.* – *fiunt... unde debent* tertia.
γ) *Venisti.* – *ante tempus* addit tertia.
δ) *fuisset.* – *esset* tertia.
ε) *Haec... videtur.* – PF; *quae quidem ratio nulla videtur* E, om. ceteri.
ζ) *desponsata.* – *virgine* addunt E et tertia.
η) *Primo.* – DF et tertia; *Prima.*
θ) *Et.* – F et tertia; *Sed et.*
ι) *insigne.* – sG et editiones; *insige* I, *insignia* sD, *insignie* ceteri.

Ex parte etiam nostra hoc fuit conveniens. Primo quidem, quia testimonio Ioseph comprobatum est Christum ex virgine natum. Unde Ambrosius dicit, *super Luc.* *: *Locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset et dolere* [κ] *iniuriam et vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum.* – Secundo, quia ipsa verba Virginis [λ] magis credibilia redduntur, suam virginitatem asserentis. Unde Ambrosius dicit, *super Luc.* *: *Fides Mariae verbis magis asseritur* [μ], *et mendacii causa removetur. Videtur enim culpam obumbrare voluisse mendacio innupta praegnans: causam autem mentiendi desponsata non habuit, cum coniugii praemium et gratia nuptiarum partus sit feminarum.* Quae quidem duo pertinent ad firmitatem fidei nostrae. – Tertio, ut tolleretur excusatio virginibus quae, propter incautelam suam, non vitant infamiam. Unde Ambrosius dicit *: *Non decuit virginibus sinistra opinione viventibus velamen excusationis relinqui, quod infamia Mater quoque Domini ureretur* [ν]. – Quarto, quia per hoc significatur universa Ecclesia, quae, *cum virgo sit, desponsata tamen est uni viro Christo:* ut Augustinus dicit, in libro *de Sancta Virginitate* *. – Potest etiam quinta ratio esse quia, quod Mater Domini fuit desponsata et virgo, in persona [ξ] ipsius et virginitas et matrimonium honoratur: contra haereticos alteri horum detrahentes *.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Beata Virgo Mater Dei ex familiari instinctu Spiritus Sancti credenda est desponsari voluisse, confidens de divino auxilio quod nunquam ad carnalem copulam perveniret: hoc tamen divino commisit arbitrio. Unde nullum [o] passa est virginitatis detrimentum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut Ambrosius dicit, *super Luc.* *, *maluit Dominus aliquos de suo ortu quam de matris pudore dubitare. Sciebat enim teneram esse virginis verecundiam, et lubricam famam pudoris: nec putavit ortus sui fidem matris iniuriis adstruendam.*

Sciendum tamen quod miraculorum Dei quaedam sunt de quibus est fides: sicut miraculum virginei partus, et resurrectionis Domini, et etiam Sacramenti Altaris. Et ideo Dominus voluit ista occultiora esse, ut fides eorum magis meritoria esset. – Quaedam vero miracula sunt ad fidei comprobationem. Et ista debent esse manifesta.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, in III *de Trin.* *, diabolus multa potest virtute suae naturae, a quibus tamen prohibetur virtute divina *. Et hoc modo potest dici quod virtute suae naturae diabolus cognoscere poterat Matrem Dei non fuisse corruptam, sed virginem: prohibebatur tamen a Deo cognoscere modum partus divini.

Quod autem postmodum eum aliqualiter cognovit diabolus esse Filium Dei, non obstat: quia iam tempus erat ut Christus suam virtutem contra diabolum ostenderet, et persecutionem ab eo concitatam pateretur. Sed in infantia oportebat impediri malitiam diaboli, ne eum acrius persequeretur: quando Christus nec pati disposuerat, nec virtutem suam ostendere, sed in omnibus aliis infantibus se similem exhibebat. Unde Leo Papa, in Sermone *de Epiphania* *, dicit quod *Magi invenerunt puerum Iesum quantitate parvum, alienae opis indigentem, fandi impotentem, et in nullo ab humanae infantiae generalitate discretum.*

Ambrosius tamen, *super Luc.* *, videtur magis [π] referre ad membra diaboli. Praemissa enim hac ratione, scilicet de fallendo principem mundi, subdit: *Sed tamen magis fefellit* [ρ] *principes saeculi. Daemonum enim malitia facile etiam occulta deprehendit: at vero qui saecularibus vanitatibus occupantur, scire divina non possunt.*

AD QUARTUM DICENDUM quod iudicio adulterorum [σ] lapidabatur secundum legem non solum illa quae iam erat desponsata vel nupta, sed etiam illa quae in domo patris custodiebatur ut virgo quandoque nuptura. Unde dicitur *Deut.* XXII *: *Si non est in puella inventa virginitas, lapidibus obruent eam viri civitatis illius, et morietur: quia fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui.*

Vel potest dici, secundum quosdam *, quod Beata Virgo erat de stirpe sive parentela [τ] Aaron: unde erat cognata Elisabeth, ut dicitur Luc. I *. Virgo autem de genere sacerdotali propter stuprum occidebatur: legitur enim *Levit.* XXI *: *Sacerdotis filia, si deprehensa fuerit in stupro, et violaverit nomen patris sui, flammis exuretur.*

Quidam referunt verbum Hieronymi ad lapidationem infamiae *.

* Loc. proxime cit. — * Ibid. — * Ibid. — * Cap. XII. — * Aug. *de Haeres.*, cap. XXXI, LXXXIV; *Cont. Faustin. Manich.*, cap. XXI. — * Exposit. lib. II, cap. I, vers. 26, 27.

* Cap. IX. — * D. 446. — * Serm. XXXIV, al. XXXIII (*de Epiph.* IV), cap. III. — * Loc. proxime cit. — * Vers. 20, 21. — * Cf. Aug. Lib. LXXXIII *Quaestion.*, qu. LXI. — * Vers. 36. — * Vers. 9. — * D. 1135.

κ) *dolere.* – G; *dolore* EI, *delere* ceteri.
λ) *Virginis.* – *matris* addit tertia.
μ) *asseritur.* – *affertur* GH*bc*, *assiscitur* P.
ν) *infamia... ureretur.* – *infamia... uteretur* B(pE?), *infamia... videretur* (pE?)pG, *infamata... videretur* cetera tertia et *a*.
ξ) *quia, quod mater... in persona.* – *quod quia mater... in persona* F, *quod mater... quia in persona* P.
o) *Unde nullum.* – E; *ut de nulla* ABC, *ut nullum* ed. *a*, *Unde in nullo* DF et tertia. – Pro *passa est virginitatis detrimentum*, *detrimentum passa est virginitatis* GIsH, *detrimentum passa est virginitas* pH et editiones.
π) *magis.* – *magis hoc* E, *hoc magis* tertia.
ρ) *fefellit.* – FHsG et editiones; *defellit* I, *refellit* ceteri.
σ) *adulterorum.* – *adulterarum* EpF et tertia, *quaelibet adulterarum* sF.
τ) *sive parentela.* – *vel de parentela* F, om. tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN corpore unica est conclusio, ex tribus capitibus comprobata. Conclusio est: *Conveniens fuit Christum de desponsata Virgine nasci.* Probatur primo, ex parte Christi, quadrupliciter; secundo, ex parte Beatae Virginis, tripliciter; tertio, ex parte nostri, quintupliciter. Omnia clara sunt in littera.

II. In responsione ad primum, perspice in littera ambo capita quae videntur posse obstare virginitati mentali, scilicet consensum in copulam *coniugalem*, et consensum conditionatum, scilicet si Deo placeret, in copulam *carnalem,* non obstare in veritate purissimae mentali virginitati Beatae Virginis. Et ratio quidem quod consensus in copu-

lam coniugalem praecise non praeiudicat mentali virginitati, est quia in copula coniugali non continetur copula carnalis nisi in potentia. Quia potentia autem est conditio diminuens, coniunctio enim in potentia non est coniunctio, sicut nec rex in potentia est rex; sequitur quod consensus in copulam coniugalem non sit consensus in copulam carnalem.

Ratio vero quare consensus sic conditionatus in copulam carnalem non praeiudicat mentali virginitati, est quia consensus iste, tam formaliter quam materialiter, est ad obediendum Deo; et copulam carnalem non nisi pro materia remota, et tali conditione vallatam habet ut oppositum non liceat habere in proposito.

III. Ad cuius evidentiam, scire oportet quod dupliciter intelligi potest illa conditio, *si Deo placuerit.* Primo, secundum communem loquendi usum. Et sic sola negatione beneplacitum Dei expectatur: scilicet quod Deus sinat illud fieri. Et sic loquitur Apostolus Iacobus, in sua Canonica, cap. IV *: *Ut dicatis, Si Dominus voluerit.* Et talis conditio, quia communissima est, habetur pro non adiecta. Virginitatemque mentalem aufert procul dubio a sic consentiente in copulam carnalem. Et propterea non sic intelligitur in proposito Beatae Virginis, *si Deo placuerit.*

* Vers. 15.

Secundo sumitur *placere* pro *iubere,* ac si dictum esset: *si Deus iusserit.* Et sic sumitur in proposito. Rationabile siquidem est ut quod conceperat virginitatis votum divina inspiratione ante desponsationem, non nisi divino iussu conceperit quoque solvendum. Experta siquidem in tota vita anteriore tam familiarem Spiritus Sancti curam ac sollicitudinem de vita ac operibus eius, utpote quae nunquam etiam venialiter peccabat, certe sibi ipsi polliceri poterat perficiendam inspirationem de virginitate, contra legem Moysi *, nisi Deus aliud inspirando vel nuntiando iuberet. Talis autem conditio, subdens propositi sui oppositum divino praecepto, transfert consensum in oppositum sui propositi: ut patet examplariter. Quicumque enim pater consentit in occisionem proprii filii *si Deus iusserit,* non propterea consensit in mortem filii: et si sanctimonialis virgo consentit in nuptias *si Deus iusserit,* non propterea consentit in nuptias. Sic autem Beata Virgo consensit conditionaliter in carnalem copulam: *si Deo placuerit beneplacito praecepti.*

* *Deut.* cap. vers. 14.

IV. Credendum quoque nihilominus est quod etiam hic sic conditionatus consensus in carnalem copulam, non actu, sed habitu tantum fuerit in Beata Virgine. Et ratio est quia nullus actus superfluus fuit in ea. Hic autem consensus in actu superfluus fuisset, utpote carens necessitate et pietate. Nam ad mentis suae rectitudinem sat erat habere hunc actum in habitu, hoc est in praeparatione animi. Et secundum animi praeparationem intelligendum est quidquid a sacris Doctoribus dicitur de Beatae Virginis consensu conditionato in copulam carnalem committendo suam causam divino arbitrio. Preces enim pro virginitatis perseverantia actualiter fundebat: sed ad oppositum praeparatio sola animi, conditionata ut dictum est *, erat, absque actuali consensu, quantumcumque conditionato.

* Num. prae

Et haec sint etiam pro sequenti articulo, ubi explicatur consensus ille sic conditionatus in copulam carnalem.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM INTER MARIAM ET IOSEPH FUERIT VERUM MATRIMONIUM

IV *Sent.*, dist. XXX, qu. II, art. 2; *In Matth.*, cap. I.

*Vide Comment. Caiet. post art. praec., num. IV, line.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR *. Videtur quod inter Mariam et Ioseph non fuerit verum matrimonium. Dicit enim Hieronymus, *contra Helvidium* *, quod Ioseph Mariae *custos fuit, potius quam maritus eius.* Sed si fuisset verum matrimonium, vere Ioseph maritus eius fuisset. Ergo videtur quod non fuerit verum matrimonium inter Mariam et Ioseph.

* Num. 4.

2. PRAETEREA, super illud Matth. I *, *Iacob genuit Ioseph virum Mariae,* dicit Hieronymus *: *Cum virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum: sed recordare consuetudinis Scripturarum, quod sponsi viri et sponsae vocantur uxores.* Sed verum matrimonium non efficitur ex sponsalibus, sed ex nuptiis. Ergo non fuit verum matrimonium inter Beatam Virginem et Ioseph.

* Vers. 16.
* Comment. lib. I.

3. PRAETEREA, Matth. I * dicitur: « *Ioseph, vir eius, cum esset iustus, et nollet eam traducere* », idest, *in domum suam ad cohabitationem assiduam* *, « *voluit eam occulte dimittere* », idest, *tempus nuptiarum mutare,* ut Remigius exponit *. Ergo videtur quod, nondum nuptiis celebratis, nondum esset verum matrimonium: praesertim cum, post matrimonium contractum, non liceat alicui sponsam dimittere.

* Vers. 19.
*Cf. *Cat. Aur. in Matth.*, ubi cit. *Glossa.*
* Homil. IV. In illud Matth., *Cum esset desponsata.* - Cf. *Cat. Aur. in Matth.*

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in II *de Consensu Evangelist.* *, *non est fas ut Ioseph ob hoc a* [α] *coniugio Mariae separandum Evangelista putaret* (cum dixit Ioseph virum Mariae *), *quod non ex eius concubitu, sed virgo peperit Christum. Hoc enim exemplo manifeste* [β] *insinuatur fidelibus coniugatis, etiam servata pari consensu continentia, posse permanere vocarique coniugium, non permixto corporis sexu.*

* Cap. I.
* Matth. ca vers. 16.

RESPONDEO DICENDUM quod matrimonium sive coniugium dicitur verum ex hoc quod suam perfectionem attingit. Duplex est autem rei perfectio: prima et secunda. Prima quidem perfectio in ipsa forma rei consistit, ex qua speciem sortitur: secunda vero perfectio consistit in operatione rei, per quam res aliqualiter suum finem attingit. Forma autem matrimonii consistit in quadam indivisibili coniunctione animorum, per quam unus coniugum indivisibiliter alteri fidem servare tenetur. Finis autem matrimonii est proles generanda et educanda: ad quorum primum pervenitur per concubitum coniugalem; ad secundum, per alia opera viri et uxoris, quibus sibi invicem obsequuntur ad prolem nutriendam.

Sic igitur dicendum est quod, quantum ad primam perfectionem, omnino verum fuit matrimonium Virginis Matris Dei et Ioseph: quia uterque consensit in copulam coniugalem; non autem expresse in copulam carnalem, nisi sub conditione, *si Deo placeret.* Unde et Angelus vocat Mariam coniugem Ioseph, dicens ad Io-

α) *ob hoc a.* – PI; *ad hoc* A, *ob hoc* E, *ab hoc* ceteri. – *cum dixit Ioseph virum Mariae* om. P.

β) *manifeste.* – *magnifice* tertia. – *vocarique* F et tertia; *vocari.* – Pro *sexu, sensu* GH.

Vers. 20. seph, Matth. 1 *: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Quod exponens Augustinus, in libro *de Nuptiis et Concupiscentia* *, dicit: *Coniux vocatur ex prima desponsationis fide, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus.*

Lib. I, cap. XI.

Quantum vero ad secundam perfectionem, quae est per actum matrimonii, si hoc referatur ad carnalem concubitum, per quem proles generatur, non fuit illud matrimonium consummatum. Unde Ambrosius dicit, *super Luc.* *: *Non te moveat quod* γ *Mariam Scriptura coniugem vocat. Non enim virginitatis ereptio, sed coniugii testificatio nuptiarum celebratio declaratur.* – Habuit tamen illud matrimonium etiam secundam perfectionem quantum ad prolis educationem. Unde Augustinus dicit, in libro *de Nuptiis et Concupiscentia* *: *Omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi: proles, fides et sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum; fidem, quia nullum adulterium; sacramentum, quia nullum divortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit.*

Exposit. lib. II, cap. I, vers. 27.

Lib. I, cap. XI.

Ad primum ergo dicendum quod Hieronymus accipit ibi maritum ab actu matrimonii consummati.

Ad secundum dicendum quod nuptias Hieronymus vocat nuptialem concubitum.

Ad tertium dicendum quod, sicut Chrysostomus dicit, *super Matth.* *, Beata Virgo sic fuit desponsata Ioseph quod etiam esset domi habita. *Nam sicut in ea quae in domo viri concipit, intelligitur conceptio maritalis* δ, *sic in ea quae extra domum concipit, est suspecta coniunctio.* Et ita non esset sufficienter provisum famae Beatae Virginis per hoc quod fuit desponsata, nisi etiam fuisset domi habita. Unde quod dicit, *et nollet eam traducere,* melius intelligitur, *idest, nollet eam diffamare in publicum,* quam quod intelligatur ε de traductione in domum. Unde et Evangelista subdit quod *voluit occulte dimittere eam.* Quamvis tamen esset domi habita propter primam desponsationis fidem, nondum tamen intervenerat solemnis celebratio nuptiarum: propter quod etiam nondum carnaliter convenerant. Unde, sicut Chrysostomus dicit *, *non dicit Evangelista, « antequam duceretur in domum sponsi »: etenim intus erat in domo* ζ. *Consuetudo enim erat veteribus multoties in domo desponsatas habere.* Et ideo etiam Angelus dicit Ioseph *: *Ne timeas accipere Mariam coniugem tuam:* idest, *Ne timeas nuptias eius solemniter celebrare.* – Licet alii dicant quod nondum erat in domum introducta, sed solum desponsata *. Primum tamen magis consonat Evangelio.

* *Op. Imperf. in Matth.*, homil. I. – Inter Opp. Chrysost.

* Homil. IV *in Matth.*

* Matth. cap. 1, vers. 20.

* Cf. Gloss. Ord. Orig. in Matth. cap. 1, vers. 18.

γ) *quod.* – *frequenter* addit tertia.
δ) *maritalis.* – *naturalis* tertia.
ε) *intelligatur.* – *intelligendum sit* GH*bc*.
ζ) *intus erat in domo.* – *in eius erat domo* G, *in eius domo erat* H, *in cuius erat domo b*, *intus erat* PI.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore duo fiunt: primo, declaratur in communi unde et quotupliciter matrimonium dicatur verum; secundo, respondetur in particulari de hoc coniugio.

Quoad primum, dicitur coniugium verum ex sua perfectione. Et quia perfectio est duplex, prima et secunda, ideo dupliciter dicitur coniugium verum: vel secundum primam, vel iuxta secundam perfectionem. Et declaratur in littera quid sit prima perfectio coniugii, scilicet forma, et quae sit forma eius: et quid sit secunda, et ponitur duplex, generatio et educatio. Et media ad haec ponuntur clare.

Quoad secundum, respondetur quaesito tribus conclusionibus, vel unica trimembri: *Coniugium inter Matrem Dei et Ioseph fuit verum quoad primam perfectionem; et quoad secundam perfectionem, si referatur ad educationem; non autem si referatur ad generationem.* Prima pars probatur ratione: quia uterque consensit in copulam coniugalem. Quod probatur auctoritate Angeli in Evangelio, exposita ab Augustino. Quoad tertiam. affertur auctoritas Ambrosii. Quoad secundam et omnes simul denique affertur auctoritas Augustini.

II. In responsione ad tertium, advertendum est quod ex Evangelio bene perspecto habetur quod nondum erat nuptiarum solemnitas celebrata, cum Beata Virgo inventa est habens in utero. Quoniam ibi habetur quod Beata Virgo non solum non erat cognita a viro, sed etiam quod non erat adhuc accepta a Ioseph, coniuge suo. Ex eo enim quod affirmatur coniux, et negatur non solum cognita, sed accepta; et post monitionem Angeli, affirmatur accepta et perseverat incognita: consequens est quod acceptio huiusmodi fuerit acceptio solemnitatis nuptialis, qua scilicet coniuges efficiuntur simpliciter et absolute domestici consortes. Et de hoc nulla est habenda quaestio.

Sed an, prius quam ista acceptio fieret, Beata Virgo fuerit retenta secundum quid in domo Ioseph, dubium est *. Sicut sub dubio quoque relinquitur de qua *traductione* Evangelista loquitur: an de traductione simpliciter ad domesticum consortium, quae cum solemnitate nuptiali fieri solet; an de traductione in infamiam iudicii. Evangelista enim duo dicit: et quod *nolebat eam traducere;* et quod *voluit occulte dimittere eam.* Constat autem quod cogitatum remedium dimittendi illam occulte utrique traductioni obviabat: et quod negatio utriusque traductionis ex iusta hominis mente procedere potest. Quia tamen ad iustitiam viri spectat magis non communicare alieno crimini; et Angelus, ad Ioseph loquens, ex timore accipiendi Mariam suam coniugem Ioseph motum monstrat; et iubet illam accipere quia de Spiritu Sancto concepit: aperte apparet quod Ioseph timuit communicare adulterii peccato, et ideo voluit occulte dimittere eam. Et quia didicit ab Angelo quod non ex adultero, sed ex Spiritu Sancto concepit, *accepit eam,* ut Evangelista subdit *. – Et haec licet sint certa, sub dubio tamen relinquitur an, cum hac voluntate occulte dimittendi eam, cogitasset explicite ac deliberasset nolle illam in infamiam traducere, ita quod de hac deliberatione loquatur Evangelista dicens: *Nollet eam traducere.*

III. De primo autem dubio *, suadet ratio ut, sive in paterna sive in coniugis domo sive in utraque sive alibi habitaverit, talis tantaque fuerit, secundum illius temporis morem, inter Mariam et Ioseph conversatio ut licita, absque omni nota, potuerit inter eos intervenire, si voluissent, consummatio matrimonii: alioquin, non fuisset sufficienter provisum famae Beatae Virginis, cum inventa est in utero habens. Dixi autem, *sive alibi:* quoniam non irrationabiliter apparet quod, post annuntiationem, Beata Virgo, cum coniuge suo Ioseph, iverit ex Nazareth Gali-

* Cf. num. III.

* Vers. 24.

* Num. II, *Sed an prius.*

* Luc. cap. I, vers. 39, 40. laeae *in civitatem Iuda, in montana*, visitatura Elisabeth *: et quod post reversionem in Nazareth, cum esset gravida menses tres ad minus (quoniam mansit apud Elisabeth
* Ibid. vers. 56. *quasi mensibus tribus* *), inventa est habens in utero. Et alii quidem putabant quod esset gravida ex Ioseph, cum quo fuerat mensibus tribus domestice in domo Zachariae. Ipse autem Ioseph, sciens se non cognovisse illam, et videns illam gravidam, *cum esset iustus, et nollet eam traducere*, – sive in infamiam; sive simpliciter in domesticum consortium; sive in utrumque, quod verius est – *voluit occulte dimittere eam.*

Et haec interpretatio magis consonat Evangelio. Quo-
* Vers. prox. cit. niam expresse Lucas subdit * de Beata Virgine quod, post dictum tempus quo mansit apud Elisabeth, *reversa est in domum suam:* et non dixit, *in domum sponsi sui.* Ex quo igitur Evangelista in domo eam sua habitasse testatur; et inventa dicitur in utero habens, nulla facta de sponsi domo mentione; nec consuetudo de sponsa in domo coniugis retenta ex Scriptura testimonium habet: affirmandum ut rationi consentaneum est quod in propria domo inventa est in utero habens; sed absque infamiae nota apud domesticos et alios, quia tribus mensibus simul fuerat in domo Elisabeth cum Ioseph. – Quod non voluntarie dicimus: sed ex Evangelio accipimus, dicente * quod Beata * Luc. cap. vers. 1, 4, 5.
Virgo, adhuc *desponsata uxor* Ioseph, ascendit de Nazareth in Bethlehem, quando exiit edictum a Caesare Augusto. Simili siquidem ratione debuit eadem desponsata uxor ascendere in montana cum eodem Ioseph, suo sponso.

Auctor autem in littera dicens magis consonare Evangelio Beatam Mariam in domo sponsi habitasse, intelligendus est comparative ad opinionem extremam, quod nec simpliciter nec secundum quid cum sponso habitavit: non enim providet opinio illa famae Beatae Virginis sufficienter; – et non, comparando ad hanc mediam expositionem, cuius Auctor non meminit, quae magis consonat Evangelio quam ambae extremae, ut patet ex dictis.



QUAESTIO TRIGESIMA

DE ANNUNTIATIONE BEATAE VIRGINIS

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

Deinde considerandum est de annuntiatione Beatae Virginis *. [* Cf. qu. xxvii, Introd.]

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo: utrum conveniens fuerit ei annuntiari quod in ea generandum erat.

Secundo: per quem erat ei annuntiandum.

Tertio: per quem modum ei annuntiari debebat.

Quarto: de ordine annuntiationis.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM FUERIT NECESSARIUM BEATAE VIRGINI ANNUNTIARI QUOD IN EA FIENDUM ERAT

III *Sent.*, dist. III, qu. III, art. 1, qu^a 1.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non fuerit necessarium Beatae Virgini annuntiari quod in ea fiendum erat. Annuntiatio enim ad hoc solum necessarium [α] videbatur ut Virginis consensus haberetur. Sed consensus eius non videtur necessarius fuisse: quia conceptus Virginis praenuntiatus fuit prophetia *praedestinationis,* quae *sine nostro completur arbitrio,* ut dicit quaedam glossa * [* Gloss. Ord.], Matth. I * [* Vers. 22.]. Non ergo necessarium fuit quod talis annuntiatio fieret.

2. Praeterea, Beata Virgo incarnationis fidem habebat, sine qua nullus esse poterat in statu salutis: quia, ut dicitur *Rom.* III * [* Vers. 22.], *iustitia Dei est per fidem Iesu Christi.* Sed de eo quod aliquis per certitudinem credit, non indiget ulterius instrui. Ergo Beatae Virgini non fuit necessarium ut ei incarnatio Filii annuntiaretur.

3. Praeterea, sicut Beata Virgo corporaliter Christum concepit, ita quaelibet sancta anima concipit ipsum spiritualiter: unde Apostolus dicit, *Galat.* IV * [* Vers. 19.]: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Sed illis qui spiritualiter debent ipsum concipere, talis conceptio eis [β] non annuntiatur. Ergo nec Beatae Virgini fuit annuntiandum quod esset in utero conceptura Filium Dei.

Sed contra est quod habetur Luc. I * [* Vers. 31.], quod Angelus dixit ei: *Ecce, concipies in utero et paries filium.*

Respondeo dicendum quod congruum fuit Beatae Virgini annuntiari quod esset Christum conceptura. Primo quidem, ut servaretur congruus ordo coniunctionis Filii Dei ad Virginem: ut scilicet prius mens eius de ipso instrueretur quam carne eum conciperet. Unde Augustinus dicit, in libro *de Virginitate* * [* Cap. III.]: *Beatior Maria est percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi.* Et postea * [* Ibid.] subdit: *Materna propinquitas nihil Mariae profuisset, nisi felicius Christum corde quam carne gestasset.*

Secundo, ut posset esse certior testis huius sacramenti, quando super hoc divinitus erat instructa.

Tertio, ut voluntaria sui obsequii munera Deo offerret: ad quod se promptam obtulit, dicens * [* Luc. cap. I, vers. 38.]: *Ecce ancilla Domini.*

Quarto, ut ostenderetur esse quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei et humanam naturam. Et ideo per annuntiationem expetebatur [γ] consensus Virginis loco totius humanae naturae.

Ad primum ergo dicendum quod prophetia praedestinationis completur sine nostro arbitrio causante: non tamen sine nostro arbitrio consentiente.

Ad secundum dicendum quod Beata Virgo expressam fidem habebat incarnationis futurae: sed, cum esset humilis, non tam alta de se sapiebat. Et ideo super hoc erat instruenda.

Ad tertium dicendum quod spiritualem conceptionem Christi, quae est per fidem, praecedit annuntiatio quae est per fidei praedicationem: secundum quod *fides est ex auditu,* ut dicitur *Rom.* X * [* Vers. 17.]. Nec tamen propter hoc aliquis pro certo scit se gratiam habere: sed scit veram fidem esse quam accipit.

α) *necessarium.* – *necessaria* F, *necessarium esse* pH, *necessaria esse* cetera tertia.

β) *eis.* – Om. PH, post *non* ponit cetera tertia.

γ) *expetebatur.* – *expectebatur* pG, *expectabatur* PHbc.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo sermo est de necessario ad finem sine quo non bene pervenitur ad finem, sicut equus necessarius est homini debili ituro ex Germania Romam; et non de necessario simpliciter, vel necessario sine quo non potest perveniri ad finem. Nam constat quod neque simpliciter necessaria est annuntiatio, quia oppositum non implicat contradictoria: neque sicut navis ad transeundum mare, quia poterat incarnari Verbum Dei absque praevia annuntiatione. Sed an fuerit necessaria annuntiatio ita quod, sine illa praevia, non bene fuisset facta incarnatio, quaeritur.

II. In corpore unica est conclusio: *Congruum fuit Beatae Virgini annuntiari quod esset Christum conceptura.* Ubi nota quod necessitas congruitatis respondet quaesito. Probatur conclusio quadrupliciter. Et omnia in littera clara sunt, duobus notatis.

Primum est in prima ratione: quod, quia divina providentia *disponit omnia suaviter* *, quemadmodum conceptio naturalis hominum praevenitur a mentis opere quo homines ad concipiendum per generationis actum conveniunt, ita Beata Virgo, in utero conceptura de Spiritu Sancto, in mente erat prius monenda, ut prius conciperet in mente quam in ventre; sicut etiam aliae matres prius concipiunt in affectu quam in utero.

* *Sap.* cap. VIII, vers. 1.

Alterum est in secunda ratione: quod maior certitudo huius mysterii in Beata Virgine causata est ex praevia annuntiatione, quam si non, aut post, fuisset de hoc instructa. Quia prioritas annuntiationis attentam illam reddebat ad actum primum huius mysterii: ad quod non advertisset, aut non ita advertisset, si non fuisset prius sibi nuntiatum. Attentio autem et elevatio mentis maior certiorem reddit.

III. In responsione ad primum, cum audis prophetiam praedestinationis compleri *sine nostro arbitrio causante,* non intelligas omnem ab arbitrio nostro excludi causalitatem circa rem praedestinatam: quoniam hoc falsum esset; causamus siquidem nostro arbitrio multa praedestinata opera: – sed excludi causalitatem propriam respectu complementi, per oppositum ad prophetiam comminationis. Nam prophetia comminationis non dicit causam quod compleatur, sed relinquit nostro arbitrio utram partem velit. Qui enim comminatur, non causat: sed, si nos perseveramus in malo, nos ipsi accersimus comminata. Et ideo nostro arbitrio prophetia comminationis compleri dicitur. Sed qui praedestinat, perducit ad destinatum terminum. Et ideo prophetia praedestinationis causam in se importat complementi, et non relinquit illud optioni nostri arbitrii. Et propterea nostrum arbitrium, licet libere concurrat ad praedestinationis complementum, quia tamen non est causa huius complementi, sicut in comminationibus, sed est concausa et sub-causa respectu praedestinantis; ideo sine nostro arbitrio causante compleri dicitur prophetia praedestinationis.

IV. In responsione ad secundum, distingue inter fidem incarnationis futurae absolute, et ex Maria. Et vide quod Beata Virgo habebat expressam fidem futurae incarnationis: sed non habebat fidem explicite quod ex se futura esset incarnatio, sicut modo credimus explicite quod incarnatus est ex Maria. Communis autem ratio, ex parte rei creditae, quare tunc non erat fides huius conditionis explicita, est quia nondum erat aperte promulgatum quod ex ipsa Maria futura esset incarnatio. Singularis autem ratio, ex parte ipsius Beatae Virginis, fuit quia ipsa erat humillima, nec tam celsa de se cogitabat, ut in littera dicitur.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM BEATAE VIRGINI DEBUERIT ANNUNTIATIO FIERI PER ANGELUM

III *Sent.*, dist. III, qu. III, art. 2, qu^a 1, 2.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Beatae Virgini non debuerit annuntiatio fieri per angelum. Supremis enim angelis fit revelatio immediate a Deo: ut dicit Dionysius, VII cap. *Cael. Hier.* Sed Mater Dei est super omnes angelos exaltata. Ergo videtur quod immediate a Deo debuerit sibi annuntiari incarnationis mysterium, et non per angelum.

2. Praeterea, si in hoc oportebat servari communem ordinem, secundum quem divina hominibus per angelos revelantur, similiter divina ad mulierem per virum deferuntur: unde et Apostolus dicit, I *Cor.* XIV *: *Mulieres in ecclesiis taceant: et si quid velint discere, domi viros suos interrogent.* Ergo videtur quod Beatae Virgini debuit annuntiari mysterium incarnationis per aliquem virum: praesertim quia Ioseph, vir eius, super hoc fuit ab angelo instructus, ut legitur Matth. I *.

* Vers. 34, 35.

* Vers. 20, 21.

3. Praeterea, nullus potest congrue annuntiare quod ignorat. Sed supremi [α] angeli non plene cognoverunt incarnationis mysterium: unde Dionysius, VII cap. *Cael. Hier.*, ex eorum persona dicit esse intelligendam quaestionem quae ponitur Isaiae LXIII *, *Quis est iste qui venit de Edom?* Ergo videtur quod per nullum angelum potuit convenienter annuntiatio incarnationis fieri.

* Vers. 1.

4. Praeterea, maiora sunt per maiores nuntios annuntianda. Sed mysterium incarnationis est maximum inter omnia alia quae per angelos sunt hominibus annuntiata. Ergo videtur quod, si per aliquem angelum annuntiari debuit, quod annuntiandum fuit per aliquem [β] de supremo ordine. Sed Gabriel non est de supremo ordine, sed de ordine [γ] archangelorum, qui est penultimus: unde cantat Ecclesia *: *Gabrielem archangelum scimus divinitus te esse affatum.* Non ergo huiusmodi annuntiatio per Gabrielem archangelum convenienter facta est.

* In festo Pur. B. M. V., r. IX ad Matutin.

Sed contra est quod dicitur Luc. I *: *Missus est Gabriel angelus a Deo,* etc.

* Vers. 26.

Respondeo dicendum quod conveniens fuit Matri Dei annuntiari per angelum divinae incarnationis

α) *supremi.* – *etiam supremi* tertia.
β) *quod annuntiandum fuit per aliquem.* – *simile debuit esse* pH, *quod ille debuerit esse* G et editiones.
γ) *sed de ordine.* – Om. BpCFG, *cum sit de ordine* H et editiones.

mysterium, propter tria. Primo quidem, ut in hoc etiam servaretur divina ordinatio, secundum quam mediantibus angelis divina ad homines perveniunt. Unde dicit Dionysius, IV cap. *Cael. Hier.*, quod *divinum Iesu benignitatis mysterium angeli primum edocti sunt: postea per ipsos ad nos cognitionis gratia transivit. Sic igitur divinissimus Gabriel Zachariam quidem docebat* [δ] *prophetam esse futurum ex ipso: Mariam autem, quomodo in ipsa fieret thearchicum ineffabilis Dei formationis mysterium.*

Secundo, hoc fuit conveniens reparationi humanae, quae futura erat per Christum. Unde Beda dicit, in Homilia *: *Aptum humanae restaurationis principium ut angelus a Deo mitteretur ad Virginem partu consecrandam divino: quia prima perditionis humanae fuit causa cum serpens a diabolo mittebatur ad mulierem spiritu superbiae decipiendam.*

Tertio, quia hoc congruebat virginitati Matris Dei. Unde Hieronymus dicit, in Sermone *Assumptionis* *: *Bene angelus ad Virginem mittitur: quia semper est angelis cognata virginitas. Profecto in carne praeter carnem vivere non terrena vita est, sed caelestis.*

Ad primum ergo dicendum quod Mater Dei superior erat angelis quantum ad dignitatem ad quam divinitus eligebatur. Sed quantum ad statum praesentis vitae, inferior erat angelis. Quia etiam ipse Christus, ratione passibilis vitae, *modico ab angelis minoratus est,* ut dicitur *Heb.* II *. Sed quia tamen Christus [ε] fuit viator et comprehensor, quantum ad cognitionem divinorum non indigebat ab angelis instrui. Sed Mater Dei nondum erat in statu comprehensorum. Et ideo de divino conceptu per angelos instruenda erat.

Ad secundum dicendum quod, sicut Augustinus dicit, in Sermone *de Assumptione* *, Beata Virgo Maria vera existimatione ab aliquibus generalibus excipitur. Quia *nec conceptus multiplicavit, nec sub viri,* idest mariti, *potestate fuit* *, *quae integerrimis visceribus de Spiritu Sancto Christum suscepit.* Et ideo non debuit mediante viro instrui de mysterio incarnationis, sed mediante angelo. Propter quod etiam ipsa prius est instructa quam Ioseph: nam ipsa instructa est ante conceptum, Ioseph autem post eius conceptum *.

Ad tertium dicendum quod, sicut patet ex auctoritate Dionysii inducta *, angeli incarnationis mysterium cognoverunt: sed tamen interrogant, perfectius scire cupientes a Christo huius mysterii rationes, quae sunt incomprehensibiles omni creato intellectui. Unde Maximus dicit * quod *utrum angeli cognoverint futuram incarnationem, ambigere non oportet. Latuit autem eos investigabilis Domini conceptio, atque modus qualiter totus in Genitore, totus manebat in omnibus, nec non et in Virginis cellula.*

Ad quartum dicendum quod quidam dicunt Gabrielem fuisse de supremo ordine: propter hoc [ζ] quod Gregorius dicit *: *Summum angelum venire dignum fuerat, qui summum omnium nuntiabat.* Sed ex hoc non habetur quod fuerit summus inter omnes ordines, sed respectu angelorum: fuit enim de ordine archangelorum. Unde et Ecclesia eum archangelum nominat *, et Gregorius ipse dicit, in Homilia *de Centum Ovibus* *, quod *archangeli dicuntur qui summa annuntiant.* Satis est ergo credibile quod sit summus in ordine archangelorum. Et, sicut Gregorius dicit *, hoc nomen officio suo congruit: *Gabriel* enim *Dei fortitudo nominatur. Per Dei ergo fortitudinem nuntiandum erat quia* [η] *virtutum Dominus et potens in praelio ad debellandas potestates aereas veniebat.*

Margin notes: * Annuntiat. — * Cf. Epist. *ad Paul. et Eustoch.*, inter suppos., n. v. — * Vers. 9. — * *De Assumpt. B. M. V.* lib. un. - Inter Opp. Aug. — * *Gen.* cap. III, vers. 16. — * Matth. cap. I, vers. 20. — * In corpore. — * Maxim. Abbat. *Quaestiones., Interrog., et Resp.*, resp. ad interrog. XLII. — * Homil. *de Centum Ovib.*, al. XXXIV *in Evangel.*, num. 8. — * Cf. arg. — * Loc. cit. — * Ibid., num. 9.

δ) *docebat.* – Ed. *a; docuit* PF, (*ad Zachariam quidem* Dbc) *dicebat* ceteri. – Pro *prophetam, prophetam Ioannem* tertia. – Pro *esse futurum ex ipso, ex ipso nasciturum* P.

ε) *quia tamen Christus.* – *quia Christus* E, *tamen quia Christus* FGH*bc*, *tamen quia* (*quia tamen* I) *Christus simul* PI.

ζ) *hoc.* – Om. Pc.

η) *nuntiandum erat quia.* – *nuntiandum erat quod* E, *nuntiandum erat qui* G, *nuntiandus erat quia* I, *nuntiandus erat qui* H et editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore unica conclusio: *Conveniens fuit annuntiari per angelum,* etc. Probatur tripliciter. Omnia clara sunt in littera.

II. In responsionibus ad primum et secundum, adverte discretionem, dum, quoad ordinem instructionis humanae mediantibus angelis, Beata Virgo legi communi subiicitur: quoad ordinem vero instructionis mulierum a viris, Beata Virgo a communi lege excipitur. Oportet ergo prudentem esse doctorem ad occurrentium rationes discernendas: ut sciat in quo communicat cum aliis, et in quo eximitur ab his quae omnibus aliis communia sunt.

III. In responsione ad quartum, adverte quod, quamvis, si ad magnitudinem annuntiandae personae Filii Dei incarnandae spectetur, supremus seraphinus debuisset annuntiare; quia tamen annuntiare Dei Verbum infra latitudinem officii annuntiantis clauditur, non debuit aliquis extra deputatos ad annuntiandum, mitti ad annuntiandum; ut omnia *suaviter* a divina providentia *disponerentur* *. Et propterea non debuit primus seraphinus annuntiare, sed supremus inter archangelos.

* *Sap.* cap. VIII, vers. 1.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM ANGELUS ANNUNTIANS DEBUERIT VIRGINI APPARERE VISIONE CORPORALI

III *Sent.*, dist. III, qu. III, art. 1, qu^a 2.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod angelus annuntians non debuerit Virgini apparere visione corporali. *Dignior* enim *est intellectualis visio quam corporalis*, ut Augustinus dicit, XII *super Gen. ad litt.* *, et praecipue ipsi angelo magis ^α conveniens: nam visione intellectuali videtur angelus in sua substantia; visione autem corporali videtur in assumpta figura corporea. Sed sicut ad annuntiandum conceptum divinum decebat venire summum nuntium *, ita etiam videtur quod decuerit esse summum genus visionis. Ergo videtur quod angelus annuntians apparuit Virgini visione intellectuali.

* Cap. XXIV.
α
* Cf. art. praec., ad 4.

2. Praeterea, visio imaginaria videtur etiam esse nobilior quam visio corporalis: sicut imaginatio est altior potentia quam sensus. Sed *angelus apparuit Ioseph in somnis*, secundum imaginariam visionem: ut patet Matth. I * et II **. Ergo videtur quod etiam apparere debuerit Beatae Virgini imaginaria visione, et non corporali.

* Vers. 20.
** Vers. 13, 19.

3. Praeterea, corporalis visio spiritualis substantiae videntes stupefacit: unde etiam de ipsa Virgine cantatur *: *Et expavescit Virgo de lumine.* Sed melius fuisset quod a tali turbatione mens eius esset praeservata. Non ergo fuit conveniens quod huiusmodi annuntiatio fieret per visionem corporalem.

* In fest. Annunt. B. M. V., resp. II ad Matutin.

Sed contra est quod Augustinus, in quodam Sermone *, inducit Beatam Virginem sic dicentem: *Venit ad me Gabriel Archangelus facie rutilans, veste coruscans, incessu mirabilis.* Sed haec non possunt pertinere nisi ad corpoream visionem. Ergo corporea visione angelus annuntians Beatae Virgini apparuit.

* Serm. III *de Annunt.*, aliter XVIII *de Temp.* (In App. CXCV). - Inter Opp. Aug.

Respondeo dicendum quod angelus annuntians apparuit Matri Dei corporea visione. Et hoc conveniens fuit, primo quidem, quantum ad id quod annuntiabatur. Venerat enim angelus annuntiare incarnationem invisibilis Dei. Unde etiam conveniens fuit ut ad huius rei declarationem invisibilis creatura formam assumeret in qua visibiliter appareret: cum etiam omnes apparitiones veteris Testamenti ad hanc apparitionem ordinentur, qua Filius Dei in carne apparuit.

Secundo, congruum fuit dignitati Matris Dei, quae non solum in mente, sed in corporeo ventre erat Dei Filium receptura. Et ideo non solum mens eius, sed etiam sensus corporei erant visione angelica refovendi.

Tertio, congruit certitudini eius quod annuntiabatur. Ea enim quae sunt oculis subiecta, certius apprehendimus quam ea quae imaginamur. Unde Chrysostomus dicit, *super Matth.* *, quod angelus non in somnis, immo visibiliter Virgini astitit. *Nam quia magnam valde relationem* ^β *ab angelo accipiebat, egebat ante tantae rei eventum visione solemni.*

* Homil. IV.
β

Ad primum ergo dicendum quod intellectualis visio est potior quam visio imaginaria vel corporalis si sit sola. Sed ipse Augustinus dicit * quod est excellentior prophetia quae habet simul intellectualem et imaginariam visionem, quam illa quae habet alterum ^γ tantum. Beata autem Virgo non solum percepit visionem corporalem, sed etiam intellectualem illuminationem. Unde talis apparitio nobilior fuit.

* *De Gen. ad l.* lib. XII, cap.
γ

Fuisset tamen nobilior si ipsum angelum intellectuali visione in sua substantia vidisset. Sed hoc non patiebatur status hominis viatoris, quod angelum per essentiam videret.

Ad secundum dicendum quod imaginatio quidem est altior potentia quam sensus exterior: quia tamen principium humanae cognitionis est sensus, in eo consistit maxima certitudo; quia semper oportet quod principia cognitionis sint certiora. Et ideo Ioseph, cui angelus in somnis apparuit, non ita excellentem apparitionem habuit sicut Beata Virgo.

Ad tertium dicendum quod, sicut Ambrosius dicit, *super Luc.* *, *perturbamur, et a nostro alienamur affectu, quando restringimur alicuius superioris potestatis occursu.* Et hoc non solum contingit in visione corporali, sed etiam in visione imaginaria. Unde *Gen.* XV * dicitur quod, *cum sol occubuisset, sopor irruit super Abraham, et horror magnus et tenebrosus invasit eum.* Talis tamen perturbatio hominis non tantum homini nocet ut propter eam debeat angelica apparitio praetermitti. Primo quidem, quia ex hoc ipso quod homo supra seipsum elevatur, quod ad eius pertinet dignitatem, pars eius inferior debilitatur, ex quo provenit perturbatio praedicta: sicut etiam ^δ, calore naturali ad interiora reducto, exteriora tremunt. – Secundo quia, sicut Origenes dicit, *super Luc.* *, *angelus apparens, sciens hanc esse humanam naturam, primum perturbationi humanae medetur.* Unde tam Zachariae quam Mariae, post turbationem, dixit: *Ne timeas* *. Et propter hoc, ut legitur in vita Antonii *, *non difficilis est bonorum spirituum malorumque discretio. Si enim post timorem successerit gaudium, a Do-*

* Exposit. lib. ad cap. I, vers.
* Vers. 12.
δ
* Homil. IV.
* Luc. cap. I, vers. 13, 30.
* Auct. S. Athanas.

α) *magis.* – *est magis* tertia praeter I.
β) *relationem.* – *revelationem* PFa. – *ante tantae rei eventum* tertia; *tantae rei eventus.* Margo P: *Alias, relationem accipiebat ab angelo, egebat tantae rei eventus visione solemni.*
γ) *alterum.* – *alteram* FsH et editiones.
δ) *etiam.* – Tertia; *in.*

mino venisse sciamus auxilium: quia securitas animae praesentis maiestatis indicium est. Si autem incussa formido permanserit, hostis est qui videtur.

Ipsa etiam turbatio Virginis conveniens fuit verecundiae virginali. Quia, ut Ambrosius dicit, *super Luc.* *, *trepidare virginum est: et ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri.*

Quidam* tamen dicunt quod, cum Beata Virgo assueta esset visionibus angelorum, non fuit turbata in visione angeli: sed in admiratione eorum quae ei ab angelo dicebantur, quia de se tam magnifica non cogitabat. Unde et Evangelista non dicit quod turbata fuerit in visione angeli, sed, *in sermone eius* *.

* Expos. lib. II, cap. I, vers.

* Cf. *Cat. Aur.* in Luc., ad cap. I, vers. 29, ubi citatur *Graecus.*

* Luc. cap. I, vers. 29.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus simul quaerit *quia*, et *propter quid*, de corporali apparitione: an scilicet fuerit; et quare fuerit apparitio visibilis. Utrumque enim importat titulus, quaerens *an debuerit apparere corporaliter.*

In corpore ad utrumque simul respondetur: *Angelus apparuit corporaliter: et hoc convenienter.* Probatur tripliciter. Omnia clara sunt in littera.

II. Quia tamen moderno tempore audita est nova quaedam praesumptio dicens apparitionem istam non esse visibilem, sed intelligibilem tantum fuisse, advertendum quod, ultra Ambrosii, Augustini, Chrysostomi, Auctorisque auctoritatem, ut in littera dicitur, Evangelii textus * prae se fert corporalem visionem fuisse. Tum ex descriptis de Angelo. Quoniam describit primo ipsum Zachariae apparuisse *stantem a dextris altaris*: constat autem quod stare a dextris altaris corporalem situm dicit. Et consequenter subdit quod *missus est in civitatem Galilaeae, et ingressus est ad Virginem:* exercitati autem in sacris Litteris sciunt quod huiusmodi verba, *ingressus est ad regem, ad talem*, etc., corporalem motum significare consueverunt. Et subditur de sermone eius et colloquio cum Beata Virgine. Et tandem quod *discessit ab ea:* quod etiam corporalem motum significat.

Tum ex descriptis de Beata Virgine. Quoniam describitur *turbata* turbatione timoris: ut patet ex eo quod Angelus dixit ei post, *Ne timeas, Maria.* Turbatio autem timoris ad partem spectat sensitivam. Et rursus turbatio illa timoris *in sermone angeli* describitur accidisse. Etenim, si intelligibilis tantum fuisset sermo, cum audiens mente tantum intelligibilem spiritualis substantiae sermonem, elevata supra se sit, non timuisset in parte inferiori.

Tum ex progressu in ipsa descripto. Describitur enim primo, *audisse; deinde, turbari;* tertio, *cogitare;* et quarto, sanari ab angelo nominatim confortante, *Ne timeas, Maria.* Hic enim ordo, hic progressus ad corporales actus auditus, affectus sensitivi et cogitativae partis simul cum intellectu, et naturale remedium materialium nostrarum passionum, clarissime spectat.

Sunt etiam ad hoc rationes in littera allatae multum urgentes, secundum subiectam materiam. Indisciplinatae quippe mentis est quaerere in similibus certitudinem mathematicam: ut Philosophus docuit *. Certitudo enim quae ex tot auctoritatibus, rationibus, et plano sensu textus habetur, sufficientissima est in hoc et similibus quaesitis certitudo, apud rite dispositas mentes.

III. In responsione ad tertium, adverte primo, quod Auctor turbationem quae in corporalibus aut imaginariis superiorum visionibus accidit, reducit in necessitatem materiae. Apparitiones siquidem huiusmodi elevativae sunt supra seipsum, ita quod elevatio ab inferiori commota parte inchoat, ducens admirando hominem supra seipsum. Huic autem fini, qui est elevari tali modo supra seipsum, annexa est debilitatio partis inferioris: quia intentio vehemens, animam ad superiora trahens, debilem deserat oportet inferiorem partem. Commotam autem iam partem in sui desertione turbari consequens est, quasi carentem continente forti.

Et haec in communi dicta accipe secundum naturae humanae necessitatem. Ex qua Auctor docet huiusmodi turbationem non esse tam nocivam ut praetermittenda sit, ob eam vitandam, angelica apparitio. Sicut nullus sapiens praetermittit ad finem operari propter vitanda mala emergentia ex necessitate materiae: ut patet in artificialibus et naturalibus.

IV. Adverte secundo, quod signum in littera positum ex vita beati Antonii ad discretionem spirituum, est intelligendum per se: quantum scilicet est ex natura bonorum et malorum spirituum. Communis siquidem etsi utrisque apparentibus est humana turbatio, propter nostram naturam; bonorum tamen apparitio, ad Deum animum ducens, securitatem parit mentis; malorum autem, quia a Deo aversiva est, unde securam reddere possit turbatam animam non habet. Verum per accidens potest evenire oppositum: dum *Satanas, transformans se in angelum lucis* *, ad hanc conditionem angeli lucis efficiendam studet. Potest enim, post turbationem, commovere phantasmata inferioremque partem animae ad materiam aliquam gaudii, et avertere materiam timoris: ut sic humanus animus, sensibiles motus sequens, absque timore laetus reddatur. Et propterea noli in dicto signo pedem iudicii figere: sed memento quod *in his quae sunt per accidens, contingit etiam sapientes falli* *.

* [Luc.] cap. I, vers. 11 sqq., vers. 26 sqq.

* *Ethic.* lib. I, cap. III, n. 4, cap. VII, n. 18; S. Th. lect. III, XI. - Cf. *Metaphys.* lib. Iα, cap. III, n. 4; S. Th. lib. II, lect. V.

* II *ad Cor.* cap. XI, vers. 14.

* Aristot. *de Soph. Elench.*, cap. VI, n. 4.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM ANNUNTIATIO FUERIT CONVENIENTI ORDINE PERFECTA

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod annuntiatio non fuerit convenienti ordine perfecta *. Dignitas enim Matris Dei dependet ex prole concepta. Sed causa prius debet manifestari quam effectus. Ergo primo debuit Angelus Virgini annuntiare conceptum prolis, quam eius dignitatem exprimere [α] eam salutando.

2. Praeterea, probatio aut praetermitti debet, in his quae dubia non sunt: aut praemitti, in his quae dubia esse possunt. Sed Angelus primo videtur annuntiasse id de quo Virgo dubitaret, et dubitando quaereret, dicens, *Quomodo fiet istud?* et postea probationem adiunxit, tum ex exemplo Elisabeth, tum ex Dei omnipotentia. Ergo inconvenienti ordine annuntiatio per Angelum est effecta.

3. Praeterea, maius non potest sufficienter probari per minus. Sed maius fuit virginem parere quam vetulam. Ergo non fuit sufficiens pro-

* [Luc.] cap. I, vers.

α) *exprimere.* – *expromere* G(pH?), *exponere* sH et editiones.

batio Angeli probantis conceptum virginis ex conceptu senis.

* Vers. 1. SED CONTRA EST quod dicitur *Rom.* XIII *: *Quae a Deo sunt, ordinata sunt.* Angelus autem *missus est a Deo* ad hoc quod Virgini annuntiaret, ut * Vers. 26. dicitur Luc. I *. Ergo ordinatissime fuit annuntiatio per Angelum completa.

RESPONDEO DICENDUM quod annuntiatio congruo ordine per Angelum est perfecta. Tria enim Angelus intendebat circa Virginem. Primo quidem, reddere mentem eius attentam ad tantae rei considerationem. Quod quidem fecit eam salutando quadam nova et insolita salutatione. Unde Ori- * Homil. VI. genes dicit, *super Luc.* *, quod, *si scivisset ad alium quempiam similem factum esse sermonem (utpote quae habebat legis scientiam), nunquam eam, quasi peregrina, talis salutatio terruisset.* In qua quidem salutatione praemisit idoneitatem eius ad conceptum, in eo quod dixit, *gratia plena;* expressit conceptum, in eo quod dixit, *Dominus tecum;* et praenuntiavit honorem consequentem, cum dixit, *Benedicta tu in mulieribus.*

Secundo autem, intendebat eam instruere de mysterio incarnationis, quod in ea erat implendum. Quod quidem fecit praenuntiando conceptum et partum, dicens, *Ecce, concipies in utero,* etc.; et ostendendo dignitatem prolis conceptae, cum dixit, *Hic erit magnus;* et etiam [β] demonstrando modum conceptionis, cum dixit, *Spiritus Sanctus superveniet in te.*

Tertio, intendebat animum eius inducere ad consensum. Quod quidem fecit exemplo Elisabeth; et ratione ex divina omnipotentia sumpta.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod animo humili nihil est mirabilius quam auditus suae excellentiae. Admiratio autem maxime attentionem animi facit. Et ideo Angelus, volens mentem Virginis attentam reddere ad auditum tanti mysterii, ab eius laude incoepit.

AD SECUNDUM DICENDUM quod Ambrosius expresse dicit, *super Luc.* *, quod Beata Virgo de verbis Angeli non dubitavit. Dicit enim: *Temperatior* [γ] *est Mariae responsio quam verba sacerdotis. Haec ait: Quomodo fiet istud? Ille respondit: Unde hoc sciam? Negat ille se credere, qui negat se scire ista. Non dubitat esse faciendum quod, quomodo fieri possit, inquirit.* * Exposit. li[b. II], ad cap. I, [v.] 34.

Augustinus tamen videtur dicere quod dubitaverit. Dicit enim, in libro *Quaestionum Veteris et Novi Test.* *: *Ambigenti Mariae de conceptu, possibilitatem Angelus praedicat.* Sed talis dubitatio magis est admirationis quam incredulitatis. Et ideo Angelus probationem inducit, non ad auferendam infidelitatem, sed [δ] ad removendam eius admirationem. * Qu. LI. - Opp. Aug.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut Ambrosius dicit, in *Hexaemeron* *, *ob hoc multae steriles praevenerunt, ut partus credatur Virginis.* Et ideo conceptus Elisabeth sterilis inducitur, non quasi sufficiens argumentum, sed quasi quoddam figurale exemplum. Et ideo, ad confirmationem huius exempli, subditur argumentum efficax ex omnipotentia divina. * Chrys. H[om.] XLIX, *in* G[en.] Cf. Ambr. [He]-*xaem.* lib. [...], cap. XX.

β) *etiam.* – Tertia; om. D, *in* ceteri.
γ) *Temperatior.* – *Temperantior* DEGa et editiones.
δ) *sed.* – *magis* addit P.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS quaerit de ordine dictorum ab Angelo annuntiante.

In corpore una conclusio: *Annuntiatio congruo ordine per Angelum est perfecta.* Probatur. Quia tria intenta, scilicet attentio, instructio et consensus, convenienter ordinata, facta, procurataque sunt. Omnia clare patent in littera.

II. In responsione ad primum, perspice naturam humilitatis: reddere scilicet animam admirabilem suarum laudum. Quia assidue animus humilis circa imperfectiones suas, condignamque illis mercedem, versatur: quo fit ut magnum de se audire, ut novum, insolitum, celsum atque occultum, admirationem sibi pariat.

Hinc autem habemus unde nosipsos cognoscere intus possumus, si vere humiles sumus. Nam ad nostras laudes si nullus admirationis motus consurgit, percipere possumus quantum ab humili animo longe sumus.



QUAESTIO TRIGESIMAPRIMA

DE MATERIA DE QUA CORPUS SALVATORIS CONCEPTUM EST

IN OCTO ARTICULOS DIVISA

I. qu. xxvii, ...od. DEINDE considerandum est de ipsa conceptione Salvatoris *. Et primo, quantum ad materiam de qua corpus eius conceptum est; secundo, Qu. xxxii. quantum ad conceptionis auctorem *; tertio, quan- Qu. xxxiii. tum ad modum et ordinem conceptionis *. Circa primum quaeruntur octo.

Primo: utrum caro Christi fuerit sumpta ab Adam.

Secundo: utrum fuerit sumpta de David.

Tertio: de genealogia Christi quae in Evangeliis ponitur.

Quarto: utrum decuerit Christum nasci de femina.

Quinto: utrum fuerit de purissimis sanguinibus Virginis corpus eius formatum.

Sexto: utrum caro Christi fuerit in antiquis Patribus secundum aliquid signatum.

Septimo: utrum caro Christi in Patribus fuerit peccato obnoxia.

Octavo: utrum fuerit decimata in lumbis Abrahae.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM CARO CHRISTI FUERIT SUMPTA EX ADAM

Compend. Theol., cap. CCXVII; *In Isaiam*, cap. XI.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod caro Christi non fuerit sumpta ex Adam. Vers. 47. Dicit enim Apostolus, I *Cor.* XV *: *Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de caelo, caelestis.* Primus autem homo est Adam: secundus homo est Christus. Ergo Christus non est ex Adam, sed habet ab eo distinctam originem.

2. PRAETEREA, conceptio Christi debuit esse maxime miraculosa. Sed maius est miraculum formare corpus hominis ex limo terrae quam ex materia humana, quae de Adam trahitur. Ergo videtur quod non fuit conveniens Christum ab Adam carnem assumpsisse. Ergo videtur quod corpus Christi non debuit formari de massa humani generis derivata ab Adam, sed de aliqua alia materia.

3. PRAETEREA, *peccatum in hunc mundum intravit per hominem unum*, scilicet Adam, quia omnes in eo gentes originaliter [α] peccaverunt: Vers. 12. ut patet *Rom.* V *. Sed si corpus Christi fuisset ab Adam sumptum, ipse etiam in Adam originaliter fuisset quando peccavit. Ergo peccatum originale contraxisset. Quod non decebat Christi puritatem. Non ergo corpus Christi est formatum de materia sumpta ab Adam.

Vers. 16. SED CONTRA EST quod Apostolus dicit, *ad Heb.* II *: *Nusquam angelos apprehendit,* scilicet Filius Dei: *sed semen Abrahae apprehendit.* Semen autem Abrahae sumptum est ab Adam. Ergo corpus Christi fuit formatum de materia ex Adam sumpta.

RESPONDEO DICENDUM quod Christus humanam naturam assumpsit ut eam a corruptione purgaret. Non autem purgatione indigebat humana natura nisi secundum quod infecta erat per originem vitiatam qua ex Adam descendebat. Et ideo conveniens fuit ut carnem sumeret ex materia ab Adam derivata, ut ipsa natura per assumptionem curaretur.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod secundus homo, idest Christus, dicitur esse de caelo, non quidem quantum ad materiam corporis: sed vel quantum ad virtutem formativam corporis; vel etiam quantum ad ipsam eius divinitatem. Secundum autem materiam corpus Christi fuit terrenum, sicut et corpus Adae.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, mysterium incarnationis Christi est quiddam miraculosum, non sicut ordinatum ad confirmationem fidei, sed sicut articulus fidei. Et ideo in mysterio incarnationis non requiritur quid sit maius miraculum, sicut in miraculis quae fiunt ad confirmationem fidei: sed quid sit divinae sapientiae convenientius, et magis expediens humanae saluti, quod requiritur in omnibus quae fidei sunt. * Qu. XXIX, art. 1, ad 2.

Vel potest dici quod in mysterio incarnationis non solum attenditur miraculum ex materia conceptus, sed magis ex modo conceptionis et partus: quia scilicet virgo concepit et peperit Deum [β].

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut supra * di- * Qu. XV, art. 1, ad 2.

α) *gentes originaliter. – originaliter gentes* GHI, *originaliter existentes* editiones.

β) *Deum.* – Om. PGH; *alias et peperit deum* margo P.

ctum est, corpus Christi fuit in Adam secundum
corpulentam substantiam, quia scilicet ipsa ma-
γ teria corporalis γ corporis Christi derivata est ab
Adam: non autem fuit ibi secundum seminalem
rationem, quia non est concepta ex virili semine.
Et ideo non contraxit originale peccatum sicut
et ceteri, qui ab Adam per viam virilis seminis
derivantur *. * D. 370.

γ) *corporalis.* – Om. P.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Conveniens fuit ut Christus carnem sumeret ex materia ex Adam derivata.* Probatur. Christus assumpsit naturam humanam ut eam a corruptione purgaret. Ergo assumpsit eam secundum quod erat ex origine vitiata ex Adam. Ergo conveniens fuit ut assumeret carnem ex materia ex Adam derivata.

Prima consequentia probatur. Quia natura humana non aliter indigebat purgatione. – Secunda vero probatur: ut sic per assumptionem curaretur natura humana.

II. Nota hic quod assumptio qua Verbum Dei incarnatum est, potest referri ad tria: scilicet ad naturam humanam; vel ad naturam humanam infectam; vel ad humanitatem quae unita est Verbo. Et si quidem referatur ad naturam humanam, nulla est quaestio; et similiter si referatur ad hanc humanitatem: nam Filius [Dei] est et homo, et hic homo. Sed si referatur ad humanam naturam infectam, aliter oportet dicere. Quoniam Christus non est, nec unquam fuit homo infectus. Et propterea non possumus dicere quod Verbum assumpsit naturam infectam. Sed dicimus quod assumpsit naturam humanam *ex vitiata origine descendentem:* ita quod infectio non determinat naturam assumptam, sed originem eius. Ex hoc enim Christus infectam in reliquo humano genere naturam curavit, quod naturam ex infecta illa origine descendentem, non tamen infectam, assumpsit: ut sic sanans Christi natura esset expers omnis morbi, sicut primum alterans est inalterabile, etc.

Nota secundo quod, quia alius est morbus naturae, alius personae: persona enim actualibus peccatis inficitur, natura autem solo originali, per se loquendo: – ideo Auctor, de naturae reparatione loquens per se, dixit quod natura humana non indigebat reparatione nisi secundum quod infecta erat per originem vitiatam.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CHRISTUS SUMPSERIT CARNEM DE SEMINE DAVID

Ad Heb., cap. VII, lect. III.

D SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod
Christus non sumpserit carnem de se-
mine David. Matthaeus enim, genealo-
* Cap. 1. giam Christi texens *, eam ad Ioseph
perduxit. Ioseph autem non fuit pater Christi,
* Qu. XXVIII, art. 1, ad 1, 2. ut supra * ostensum est. Non ergo videtur quod
Christus de genere David descenderit.

2. PRAETEREA, Aaron fuit de tribu Levi: ut
* Vers. 16 sqq. patet *Exod.* VI *. Maria autem, mater Christi, *co-
gnata* dicitur Elisabeth, quae est *filia Aaron:* ut
* Vers. 5, 36. patet Luc. I *. Cum ergo David de tribu Iuda
* Vers. 3 sqq. fuerit, ut patet Matth. I *, videtur quod Christus
de semine David non descenderit.

* Vers. 30. 3. PRAETEREA, Ierem. XXII * dicitur de Iechonia:
*Scribe virum istum sterilem: nec enim erit de se-
mine eius vir qui sedeat super solium David.* Sed
* Vers. 7. de Christo dicitur Isaiae IX *: *Super solium Da-
vid sedebit.* Ergo Christus non fuit de semine
Iechoniae. Et per consequens nec de genere
David: quia Matthaeus a David per Iechoniam
* Cap. 1, vers. 6-11. seriem generationis perducit *.

* Vers. 3. SED CONTRA EST quod dicitur *Rom.* I *: *Qui
factus est ei ex semine David secundum carnem.*

RESPONDEO DICENDUM quod Christus specialiter
duorum antiquorum Patrum filius dicitur esse,
* Vers. 1. Abrahae scilicet et David, ut patet Matth. I *.
Cuius est multiplex ratio. Prima quidem, quia
α ad hos specialiter de Christo repromissio α facta
est. Dictum est enim Abrahae, *Gen.* XXII *: *Bene-* * Vers. 18.
dicentur in semine tuo β *omnes gentes terrae:* quod β
Apostolus de Christo exponit, dicens, *Galat.* III *: * Vers. 16.
*Abrahae dictae sunt promissiones, et semini eius.
Non dicit « et seminibus », quasi in multis: sed,
quasi in uno, « et semini tuo », qui est Christus.*
Ad David autem dictum est *: *De fructu ven-* * Ps. CXXXI, v. 11.
tris tui ponam super sedem tuam. Unde et po-
puli γ Iudaeorum, ut regem honorifice suscipien- γ
tes, dicebant, Matth. XXI *: *Hosanna Filio David.* * Vers. 9.

Secunda ratio est quia Christus futurus erat
rex, propheta * et sacerdos. Abraham autem sa- * D. 1068.
cerdos fuit: ut patet ex hoc quod Dominus dixit
ad eum, *Gen.* XV *: *Sume tibi vaccam triennem,* etc. * Vers. 9.
Fuit etiam propheta: secundum id quod dicitur
Gen. XX *: *Propheta est, et orabit pro te.* David * Vers. 7.
autem rex fuit et propheta.

Tertia ratio est quia in Abraham primo in-
coepit circumcisio *: in David autem maxime * *Gen.* cap. XVII, vers. 10 sqq.
manifestata est Dei electio, secundum illud quod
dicitur I *Reg.* XIII *: *Quaesivit sibi Dominus virum* * Vers. 14.
iuxta cor suum. Et ideo utriusque filius Christus
specialissime dicitur, ut ostendatur esse in salu-
tem Circumcisioni et electioni Gentilium.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod obiectio δ fuit δ
Fausti Manichaei, volentis probare Christum non
esse filium David, quia non est conceptus ex
Ioseph, usque ad quem seriem generationis Mat-

α) *repromissio.* – *promissio* tertia.
β) *semine tuo.* – F et tertia; *te.*
γ) *populi.* – *populus* F et tertia. – Pro *ut regem, eum ut regem* FG, *Christum ut regem* sH, *ipsum ut regem* sB, *eum in regem* I.
δ) *obiectio.* – *haec obiectio* F et tertia.

thaeus perducit. Contra quod Augustinus respondet, XXIII libro *contra Faustum* *, quod, *cum idem Evangelista dicat virum Mariae esse Ioseph, et Christi matrem virginem esse, et Christum ex* [ε] *semine David, quid restat nisi credere Mariam non fuisse extraneam a cognatione David; et eam Ioseph coniugem non frustra appellatam, propter animorum confoederationem, quamvis ei non fuerit carne commixtus; et* [ζ] *quod potius propter dignitatem virilem ordo generationum ad Ioseph perducitur? Sic ergo nos credimus etiam Mariam fuisse in* [η] *cognatione David: quia Scripturis credimus, quae utrumque dicunt, et Christum ex semine David secundum carnem, et eius matrem Mariam, non cum viro concumbendo, sed virginem.* Ut enim dicit Hieronymus, *super Matth.* *, *ex una tribu fuit Ioseph et Maria: unde et secundum legem eam accipere cogebatur ut propinquam. Propter quod et simul censentur in Bethlehem, quasi de una stirpe generati.*

* Cap. VIII, IX.

* Comment. lib. I, ad cap. I, vers. [...]

Ad secundum dicendum quod huic obiectioni Gregorius Nazianzenus * respondet dicens quod hoc nutu superno contigit, ut regium genus sacerdotali stirpi iungeretur, ut Christus, qui rex est et sacerdos, ab utrisque nasceretur secundum carnem *. Unde et Aaron, qui fuit primus sacerdos secundum legem, duxit ex tribu Iudae [θ] coniugem Elisabeth, filiam Aminadab *. Sic ergo potuit fieri ut pater Elisabeth aliquam uxorem habuerit de stirpe David, ratione cuius Beata Virgo Maria, quae fuit de stirpe David, esset Elisabeth cognata. Vel potius e converso quod pater Beatae Mariae, de stirpe David existens, uxorem habuerit de stirpe Aaron.

* Bed. *In Luc. Exposit.*, lib. I, cap. I, vers. [...] - Cf. Nazianz. *Carm.*: *Dogmat.* lib. I, cap. XVIII.

* D. 1094.

* *Exod.* cap. VI, vers. 23. - Cf. *Num.* cap. I, vers. 7.

Vel, sicut Augustinus dicit, XXIII *contra Faustum* *, si Ioachim, pater Mariae, de stirpe Aaron fuit (ut Faustus haereticus per quasdam scripturas apocryphas asserebat), credendum est quod mater Ioachim fuerit de stirpe David, vel etiam uxor eius: ita quod per aliquem modum dicamus Mariam fuisse de progenie [ι] David.

* Cap. IX.

Ad tertium dicendum quod per illam auctoritatem propheticam, sicut Ambrosius dicit, *super Luc.* *, *non negatur ex semine Iechoniae posteros nascituros. Et ideo de semine eius Christus est. Et quod regnavit Christus, non contra prophetiam est: non enim saeculari honore regnavit; ipse enim dixit,* « *Regnum meum non est de hoc mundo* ».

* Exposit. lib. III, ad cap. III, vers. 25 sqq.

ε) *et Christum ex.* – EFGHI; *et Christum esse b, et Christum esse ex* Pc, *ex* ed. *a, Christum ex* ceteri bene si ex s. Augustino post *David* inseritur *et Ioseph in serie progeneratorum Christi ex David.*
ζ) *et.* – EF et tertia; om.

η) *in.* – *de* H et editiones. – *Scripturis* DIsH et editiones *in Scripturis.*
θ) *Iudae.* – *Iuda* ed. *a* et tertia praeter I.
ι) *progenie.* – *stirpe* tertia praeter I.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Christus specialiter dicitur filius Abrahae et David.* Probatur triplici ratione convenientiae quare specialiter. Omnia clara sunt. Et plus respondetur quam fuerit quaesitum, ut patet.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM GENEALOGIA CHRISTI CONVENIENTER AB EVANGELISTIS TEXATUR

In Matth., cap. I.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod genealogia Christi inconvenienter ab Evangelistis texatur *. Dicitur enim Isaiae LIII * de Christo: *Generationem eius quis enarrabit?* Ergo non fuit Christi generatio enarranda.

* Matth. cap. I; Luc. cap. III, vers. 23 sqq.
* Vers. 8.

2. Praeterea, impossibile est unum hominem duos patres habere. Sed Matthaeus dicit quod *Iacob genuit Ioseph, virum Mariae:* Lucas autem dicit Ioseph fuisse filium Heli. Ergo contraria sibi invicem scribunt.

3. Praeterea, videntur in quibusdam a se invicem diversificari. Matthaeus enim, in principio libri, incipiens ab Abraham, descendendo usque ad Ioseph, quadraginta duas generationes enumerat. Lucas autem post baptismum Christi generationem Christi ponit, incipiens a Christo et perducens generationum numerum usque ad Deum, ponens generationes septuaginta septem, utroque extremo computato. Videtur ergo quod inconvenienter generationem Christi describant.

4. Praeterea, IV *Reg.* VIII * legitur quod Ioram genuit Ochoziam; cui successit Ioas, filius eius [α] *; huic autem successit filius eius Amasias *; postea regnavit filius eius Azarias **, qui appellatur Ozias *; cui successit Ioathan, filius eius *. Matthaeus autem dicit quod *Ioram genuit Oziam.* Ergo videtur inconvenienter generationem Christi describere, tres reges in medio praetermittens.

* Vers. 24.
* Ibid., cap. XI.
* Ibid., cap. XII, vers. 21.
** Ibid., cap. XIV, vers. 21.
* II *Paralip.* cap. XXVI, vers. 1.
* IV *Reg.* cap. XV, vers. 7.

5. Praeterea, omnes qui in Christi generatione describuntur patres habuerunt et matres, et plurimi etiam ex eis fratres habuerunt. Matthaeus autem in generatione Christi tres tantum matres nominat [β], scilicet Thamar, Ruth et uxorem Uriae. Fratres autem nominat Iudae et Iechoniae: et iterum Phares et Zaram. Quorum nihil posuit Lucas. Ergo videntur Evangelistae inconvenienter genealogiam Christi descripsisse.

Sed contra est auctoritas Scripturae.

Respondeo dicendum quod, sicut dicitur II *Tim.* III *, *omnis Scriptura sacra est divinitus inspirata.*

* Vers. 16.

α) *filius eius.* – P; *filius fratris eius*; s. Hier. super Matth.: « Iosabeth... soror Ochozias tulit Ioas filium fratris sui. »

β) *matres nominat.* – *enumerat matres* tertia.

Quae autem divinitus fiunt, ordinatissime fiunt: secundum illud *Rom.* XIII *: *Quae a Deo sunt, ordinata sunt.* Unde convenienti ordine genealogia Christi est ab Evangelistis descripta.

* Vers. 1.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Hieronymus dicit, *super Matth.* *, Isaias loquitur de generatione divinitatis Christi. Matthaeus autem enarrat generationem Christi secundum humanitatem: non quidem explicans modum incarnationis, quia hoc etiam est ineffabile; sed enumerat [γ] patres ex quibus Christus secundum carnem processit.

* Comment. lib. I, ad cap. I, in princip.

Ad secundum dicendum quod ad hanc obiectionem, quam movit Iulianus Apostata *, diversimode ab aliquibus respondetur. Quidam enim, ut Gregorius Nazianzenus dicit *, dicunt [δ] eosdem esse quos uterque Evangelista enumerat, sed sub diversis nominibus, quasi binomios. – Sed hoc stare non potest: quia Matthaeus ponit unum filiorum David, scilicet Salomonem, Lucas autem ponit alium, scilicet Nathan, quos secundum historiam libri *Regum* * constat fratres fuisse.

* Cf. Hieronym. ibid., ad vers. 16.
* Cf. *Cat. Aur. in Luc.*, cap. III, ad vers. 23 sqq.; Aug. *Quaest. Evang.* lib. II, qu. v.
* Lib. II, cap. v, vers. 14. – Cf. I *Paralip.* cap. III, vers. 5.

Unde alii * dixerunt quod Matthaeus veram genealogiam Christi tradidit: Lucas autem putativam, unde incoepit, *ut putabatur, filius Ioseph.* Erant enim [ε] aliqui ex Iudaeis qui, propter peccata regum Iuda, credebant Christum ex David non per reges, sed per aliam eius stirpem hominum privatorum, esse nasciturum.

* Cf. *Cat. Aur. in Luc.* cap. III, vers. 23 sqq., sub nom. *Euseb. Emesen.*

Alii * vero dixerunt quod Matthaeus posuit patres carnales: Lucas autem posuit patres spirituales, scilicet iustos viros, qui dicuntur patres propter similitudinem honestatis.

* Cf. ibid.

In libro vero *de Quaest. Nov. et Vet. Test.* *, respondetur quod non est intelligendum quod Ioseph a Luca dicatur esse filius Heli: sed quia Heli et Ioseph fuerunt tempore [ζ] Christi diversimode a David descendentes. Unde de Christo dicitur quod *putabatur filius Ioseph,* et quod ipse etiam Christus *fuit Heli filius:* quasi diceret quod Christus, ea ratione qua dicitur filius Ioseph, potest dici filius Heli, et omnium eorum qui ex stirpe David descendunt [η]; sicut Apostolus dicit, *Rom.* IX *, *Ex quibus*, scilicet Iudaeis, *Christus est secundum carnem.*

* Qu. LVI. – Inter Opp. Aug.
* Vers. 5.

Augustinus vero, in libro *de Quaest. Evang.* *, tripliciter solvit, dicens: *Tres causae occurrunt, quarum aliquam Evangelista secutus est. Aut enim unus Evangelista patrem Ioseph a quo genitus est, nominavit: alter vero vel avum maternum, vel aliquem de cognatis maioribus posuit. – Aut unus erat Ioseph naturalis pater: et alter eum adoptaverat. – Aut, more Iudaeorum, cum sine filiis unus decessisset, eius uxorem propinquus* [θ] *accipiens, filium quem genuit propinquo mortuo deputavit:* quod etiam quoddam genus adoptionis legalis est, ut ipse Augustinus dicit, in II *de Consensu Evang.* *

* Lib. II, qu. v.
* *Retract.* lib. I, cap. VII.

Et haec ultima causa est verior: quam etiam Hieronymus, *super Matth.* *, ponit; et Eusebius Caesariensis, in *Ecclesiastica Historia* *, ab Africano Historiographo * traditum [ι] asserit. Dicunt enim quod Mathan et Melchi diversis temporibus de una eademque uxore, Estha [κ] nomine, singulos filios procrearunt. Quia Mathan, qui per Salomonem descendit, uxorem eam primum ceperat, et, relicto filio uno, Iacob nomine, defunctus est; post cuius obitum, quoniam lex viduam alii viro non vetat nubere, Melchi, qui [λ] per Nathan genus ducit, cum esset ex eadem tribu sed non ex eodem genere, relictam Mathan accepit uxorem, ex qua et ipse suscepit filium, nomine Heli; et sic ex diverso patrum genere efficiuntur Iacob et Heli uterini fratres. Quorum alter, idest Iacob, fratris sui Heli, sine liberis defuncti, ex mandato legis accipiens uxorem, genuit Ioseph, natura quidem generis [μ] suum filium: secundum vero legis praeceptum, Heli efficitur filius. Et ideo Matthaeus dicit, *Iacob genuit Ioseph:* sed Lucas, quia legalem generationem describit, nullum nominat aliquem genuisse.

* Comment. l. I, ad cap. I, v. 16.
* Lib. I, cap. [...]
* *Epist. ad A[...]tid.*, *de Cons[...] Evangel.*

Et quamvis Damascenus dicat * quod Beata Virgo Maria Ioseph attinebat secundum illam originem qua pater eius dicitur Heli, quia dicit eam ex Melchi descendisse: tamen credendum est quod etiam ex Salomone originem duxerit, secundum aliquem modum, per illos patres quos enumerat Matthaeus, qui carnalem Christi generationem dicitur enarrare; praesertim cum Ambrosius dicat * Christum *de semine Iechoniae* descendisse.

* *De Fide O[rth.]* lib. IV, cap. [...]
* *Exposit. in* [*Luc.*] lib. III, ad [cap.] III, vers. 23 [...] num. 42.

Ad tertium dicendum quod, sicut Augustinus dicit, in libro *de Consensu Evang.* *, *Matthaeus regiam in Christo instituerat insinuare personam: Lucas autem sacerdotalem. Unde in generationibus Matthaei significatur nostrorum susceptio* [ν] *peccatorum a Domino Iesu Christo:* inquantum scilicet per carnis originem *similitudinem carnis peccati* * assumpsit. *In generationibus autem Lucae significatur nostrorum ablutio* [ξ] *peccatorum,* quae est per sacrificium Christi. *Et ideo generationes Matthaeus descendens enumerat: Lucas autem ascendens.* – Inde etiam est quod *Matthaeus ab ipso David per Salomonem descendit, in cuius matre ille peccavit: Lucas vero ad ipsum David per Nathan ascendit, per cuius nominis prophetam Deus peccatum illius expiavit.* – Et inde est etiam quod, quia *Matthaeus ad mortalitatem nostram Christum descendentem voluit significare, ipsas generationes ab Abraham usque ad Ioseph, et usque ad ipsius Christi nativitatem, descendendo commemoravit ab initio Evangelii sui. Lucas autem non ab initio, sed*

* Lib. II, ca[p.] [...]
* *Ad Rom.*, VIII, vers. 3.

γ) *enumerat.* – *enumerans* tertia.
δ) *dicunt.* – P; om.
ε) *enim.* – F et tertia; *autem* E, om. ceteri.
ζ) *tempore.* – *patres* PF.
η) *descendunt.* – *descenderunt* F et tertia.
θ) *propinquus.* – PFI; *ut propinqui* H, *ut propinquus* bc, *propinquis* ed. *a*, *propinquius* ceteri.
ι) *traditum.* – *traditam* P.
κ) *Estha.* – *Esca* bc, *Iesca* P, *Esta* et *Esca* codices; *Alias Escha* margo P.
λ) *qui.* – EF et tertia; *quia.*
μ) *generis.* – *germinis* tertia praeter P, cuius margo *Alias germinis.*
ν) *susceptio.* – H et editiones; *succeptio* G, *successio* ceteri.
ξ) *ablutio.* – *absolutio* I; *Alias abolitio* margo P.

a baptismo Christi generationem narrat, nec descendendo, sed ascendendo: tanquam sacerdotem in expiandis peccatis magis assignans ubi testimonium Ioannes perhibuit, dicens, Ecce qui tollit peccatum mundi. Ascendendo autem, transit Abraham [ο] *et pervenit ad Deum, cui mundati et expiati reconciliamur. – Merito etiam adoptionis originem ipse suscepit* [π]: *quia per adoptionem efficimur filii Dei; per carnalem vero generationem Filius Dei filius hominis factus est. Satis autem demonstravit non se ideo dixisse Ioseph filium Heli* [ρ] *quod de illo sit genitus, sed quod ab illo fuerat adoptatus, cum et ipsum Adam filium Dei dixit, cum sit factus a Deo.*

Numerus etiam quadragenarius ad tempus praesentis vitae pertinet: propter quatuor partes mundi, in quo mortalem vitam ducimus sub Christo regnante. Quadraginta autem quater [σ] habent decem: et ipsa decem ab uno usque ad quatuor progrediente numero consummantur *. Posset etiam denarius ad decalogum referri: et quaternarius ad praesentem vitam; vel etiam ad quatuor Evangelia, secundum quod Christus regnat in nobis. Et ideo *Matthaeus, regiam personam Christi commendans, quadraginta personas posuit, excepto ipso* *. – Sed hoc intelligendum est, si sit idem Iechonias qui ponitur in fine secundi [τ] quaterdenarii et in principio tertii: ut Augustinus vult *. Quod [υ] dicit factum esse ad significandum quod *in Iechonia facta est quaedam deflexio ad extraneas gentes, quando in Babyloniam transmigratum est: quod etiam* [φ] *praefigurabat Christum a Circumcisione ad Praeputium migraturum.*

Hieronymus autem dicit * duos fuisse Ioachim, idest Iechonias, patrem scilicet et filium: quorum uterque in generatione Christi assumitur, ut constet distinctio generationum, quas Evangelista per tres quaterdenarios distinguit. Quod ascendit ad quadraginta duas personas. Qui etiam numerus convenit sanctae Ecclesiae. Hic enim numerus consurgit ex senario, qui significat laborem praesentis vitae, et septenario, qui significat quietem vitae futurae: sexies enim septem sunt quadraginta duo [χ]. Ipse etiam quaterdenarius, qui ex denario et quaternario constituitur per aggregationem, ad eandem significationem pertinere potest quae attributa est quadragenario, qui consurgit ex eisdem numeris secundum multiplicationem.

Numerus autem quo Lucas utitur in generationibus Christi, significat universitatem peccatorum. *Denarius enim, tanquam iustitiae numerus, in decem praeceptis legis ostenditur. Peccatum autem est legis transgressio. Denarii vero numeri transgressio est undenarius* *. Septenarius autem significat universitatem: quia *universum tempus septenario dierum numero volvitur.* Septies autem undecim sunt septuaginta septem. Et ita per hoc significatur universitas peccatorum, quae per Christum tolluntur *.

Ad quartum dicendum quod, sicut Hieronymus, *super Matth.* *, dicit, *quia Ioram rex generi se miscuerat impiissimae Iezabel, idcirco usque ad tertiam generationem eius memoria tollitur, ne in sancto Nativitatis ordine poneretur.* Et ita, ut Chrysostomus dicit *, *quanta benedictio facta est super Iehu, qui vindictam fecerat super domum Achab et Iezabel, tanta est maledictio super domum Ioram, propter filiam iniqui Achab et Iezabel, ut usque ad quartam generationem praecidantur filii eius de numero regum: sicut scriptum est Exod.* xx *: « *Reddam peccatum parentum in filios usque ad tertiam et quartam generationem* ».

Est etiam attendendum quod et alii reges fuerunt peccatores, qui in genealogia Christi ponuntur: sed non fuit eorum continua impietas. Nam, ut dicitur in libro *Quaest. Novi et Vet. Test.* *, *Salomon merito patris sui remissus in regno est, Roboam merito Asae, filii Abiae* [ψ], *filii sui. Horum autem trium continua fuit impietas.*

Ad quintum dicendum quod, sicut Hieronymus dicit, *super Matth.* *, *in genealogia Salvatoris nulla sanctarum mulierum assumitur* [ω], *sed eas quas Scriptura reprehendit, ut qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens, omnium peccata deleret.* Unde ponitur Thamar, quae reprehenditur de socerino concubitu; et Rahab, quae fuit meretrix; et Ruth, quae fuit alienigena; et Bethsabee, uxor Uriae, quae fuit adultera. Quae tamen proprio nomine non ponitur, sed ex nomine viri designatur: tum propter peccatum ipsius, quia fuit adulterii et homicidii conscia; tum etiam ut, nominato viro, peccatum David ad memoriam revocetur. – Et quia Lucas Christum designare intendit ut peccatorum expiatorem, talium mulierum mentionem non facit.

Fratres autem Iudae commemorat, ut ostendat eos ad Dei populum pertinere: cum tamen Ismael, frater Isaac, et Esau, frater Iacob, a populo Dei fuerint separati; propter quod in generatione Christi non commemorantur. Et etiam ut superbiam de nobilitate excludat: multi enim fratrum Iudae ex ancillis nati fuerunt, sed omnes simul erant Patriarchae et tribuum principes. – Phares autem et Zaram simul nominantur, ut Ambrosius dicit, *super Luc.* *, quia *per eos gemina describitur vita populorum: una secundum legem*, quae significatur per Zaram; *altera per fidem*, quae significatur per Phares. – Fratres autem Iechoniae ponit, quia omnes regnaverunt diversis temporibus: quod in aliis regibus non acciderat. Vel quia eorum similis fuit et iniquitas et miseria.

Marginalia: * Aug. loc. cit. – * Aug. ibid. – * Ibid. – * Comment. in Matth. lib. I, ad cap. I, vers. 12-15. – * Aug. loc. prox. – * Ibid. – * Comment. lib. I, ad cap. I, vers. 8, 11. – * Op. Imperf. in Matth., homil. I. – Inter Opp. Chrys. – * Vers. 5. – * Qu. LXXXV. – Inter. Opp Aug. – * Comment. lib. I, ad cap. I, vers. 3. – * Exposit. lib. III, num. 21, ad cap. III, vers. 23 sqq.

ο) *Abraham.* – *ab Abraham* PDF.
π) *suscepit.* – *Alias scripsit* margo P.
ρ) *Heli.* – PF; *David.*
σ) *quater.* – PDIsE et *ac*; *qualiter* H, *quatuor* ceteri.
τ) *secundi.* – PFsC; *primi.* Cf. s. Hier. loco citando: « in fine primae tesseradecadis... in sequenti ».
υ) *Quod.* – Tertia; *Qui.*
φ) *etiam.* – Om. E et tertia praeter I.
χ) *sexies enim septem sunt quadraginta duo.* – PCEc (c om. *enim*); *septies enim septem sunt quadraginta duo* B et omisso *enim* GH*b*, *septies enim septem sunt quadraginta novem* AD*a*, *septies enim sex sunt quadraginta duo* F, *sexies septies sunt LXII* I.
ψ) *filii Abiae.* – Om. tertia. – Pro *continua fuit, continuavit* F et tertia.
ω) *quod, sicut... assumitur.* – *sicut... assumi* aliquae editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore una conclusio: *Genealogia Christi est convenienti ordine ab Evangelistis scripta.* Probatur ex communissimis. Quae divinitus fiunt, ordinatissime fiunt. Evangelium est divinitus factum. Ergo. – Maior: *ad Rom.* XIII. – Minor: II *ad Tim.* III.

II. In responsione ad secundum, vide Auctoris conatum tendere ad duo: et quod Ioseph per Salomonem descendit a David; et quod Beata Virgo similiter per Salomonem descendit a David. Et ratione primi, refutat expositionem dicentem binomios: quoniam constat Nathan (non illum prophetam, sed alium), per quem Lucas Heli, patrem Ioseph, reducit in David, fratrem fuisse Salomonis, per quem Matthaeus Iacob, patrem Ioseph, reducit in David. Ratione vero secundi, ad occultam aliquam originem vel ipsius Melchi, vel alicuius mulieris ex qua carnaliter genita est beata Virgo, recurrit, ut Beata Virgo inveniatur carnaliter genita ex aliquo descendente ex Iechonia: ut sic et Damascenus et Ambrosius salvetur.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM MATERIA CORPORIS CHRISTI DEBUERIT ESSE ASSUMPTA DE FEMINA

III *Sent.*, dist. XII, qu. III, art. 2, qu^a 2; *Compend. Theol.*, cap. CCXXI.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod materia corporis Christi non debuit esse assumpta de femina. Sexus enim masculinus est nobilior quam sexus femininus. Sed maxime decuit ut Christus assumeret id quod est perfectum in humana natura. Ergo non videtur quod debuerit de femina carnem assumere, sed magis de viro: sicut Heva de costa viri formata est *.

* *Gen.* cap. II, vers. 21, 22.

2. Praeterea, quicumque ex femina concipitur, utero feminae includitur. Sed Deo, qui *caelum et terram implet*, ut dicitur Ierem. XXIII *, non competit ut parvo feminae utero includatur. Ergo videtur quod non debuit concipi de femina.

* Vers. 24.

3. Praeterea, illi qui concipiuntur ex femina, quandam immunditiam patiuntur: ut dicitur *Iob* XXV *: *Nunquid iustificari potest homo comparatus Deo? aut apparere mundus natus de muliere?* Sed in Christo nulla immunditia esse debuit: ipse enim est *Dei Sapientia* *, de qua dicitur, *Sap.* VII **, quod *nihil inquinatum in illam incurrit.* Ergo non videtur quod debuerit carnem assumpsisse [α] de femina.

* Vers. 4.
* I *ad Cor.*, cap. I, vers. 24.
** Vers. 25.

Sed contra est quod dicitur *Galat.* IV *: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.*

* Vers. 4.

Respondeo dicendum quod, licet Filius Dei carnem humanam assumere potuerit de quacumque materia voluisset, convenientissimum tamen fuit ut de femina carnem acciperet. Primo quidem, quia per hoc tota humana natura nobilitata est. Unde Augustinus dicit, in libro *Octogintatrium Quaest.* *: *Hominis liberatio in utroque sexu debuit apparere. Ergo, quia virum oportebat suscipere, qui sexus honorabilior est, conveniens erat ut feminei sexus liberatio hinc appareret quia ille vir de femina natus est.*

* Qu. XI.

Secundo, quia per hoc veritas incarnationis adstruitur. Unde Ambrosius dicit, in libro *de Incarnatione* *: *Multa* [β] *secundum naturam invenies, et ultra naturam. Secundum conditionem etenim naturae in utero,* feminei scilicet corporis, *fuit; sed supra conditionem virgo concepit, virgo generavit: ut crederes quia Deus erat, qui innovabat naturam; et homo erat, qui secundum naturam nascebatur ex homine.* Et Augustinus dicit, in Epistola *ad Volusianum* *: *Si omnipotens Deus hominem, ubicumque formatum, non ex materno utero crearet, sed repentinum inferret aspectibus, nonne opinionem confirmaret erroris; nec hominem verum suscepisse ullo modo crederetur; et, dum omnia mirabiliter facit, auferret quod misericorditer fecit? Nunc vero ita inter Deum et hominem mediator apparuit ut, in unitate personae copulans utramque naturam, et solita sublimaret insolitis, et insolita solitis temperaret.*

* Cap. VI.
* Ep. CXXXVII, al. III, cap.

Tertio, quia per hunc modum completur omnis diversitas generationis humanae. Nam primus homo productus est *ex limo terrae* *, sine viro et femina; Heva vero producta est ex viro sine femina *; ceteri vero homines producuntur ex viro et femina [γ]. Unde hoc quartum quasi Christo proprium relinquebatur, ut produceretur ex femina sine viro.

* *Gen.*, cap. II, vers. 7.
* Ibid. vers. 22.

Ad primum ergo dicendum quod [δ] sexus masculinus est nobilior quam femineus: ideo humanam naturam in masculino sexu assumpsit. Ne tamen sexus femininus contemneretur, congruum fuit ut carnem assumeret de femina. Unde Augustinus dicit, in libro *de Agone Christiano* *: *Nolite vos ipsos contemnere, viri: Filius Dei virum suscepit. Nolite vos ipsas contemnere, feminae: Filius Dei natus est ex femina.*

* Cap. XI.

Ad secundum dicendum quod, sicut Augustinus dicit, XXIII libro *Contra Faustum* *, qui hac obiectione utebatur: *Non plane,* inquit, *Catholica fides, quae Christum, Dei Filium, natum secundum carnem credit ex virgine, ullo modo eundem Dei Filium sic in utero mulieris includit quasi extra non sit, quasi caeli et terrae administrationem deseruerit, quasi a Patre recesserit. Sed vos, Manichaei, corde illo quo nihil potestis nisi corporalia phantasmata cogitare, ista omnino non ca-*

* Cap. X.

α) *assumpsisse.* – *assumere* PF.
β) *Multa.* – *in Christo* addit tertia. – Mox *scilicet* om. F.
γ) *ceteri... et femina.* – Om. AEH, *alii vero homines nascuntur ex viro et femina* F et cetera tertia.
δ) *quod.* – *quia* addunt PDI.

*p. CXXXVII, al. II, cap. II. *pitis.* Ut enim dicit in Epistola *ad Volusianum* *, *hominum iste sensus est nihil nisi corpora valentium cogitare, quorum nullum potest esse ubique totum, quoniam per innumerabiles partes aliud alibi habeat necesse est. Longe aliud est natura animae quam corporis. Quanto magis Dei, qui Creator est animae et corporis! Novit ubique totus esse, et nullo contineri loco; novit venire, non recedendo ubi erat; novit abire, non deserendo quo venerat.*

Ad tertium dicendum quod in conceptione viri ex femina non est aliquid immundum inquantum est opus Dei: unde dicitur *Act.* x *: *Quod Deus creavit, tu ne commune dixeris,* idest immundum. Est tamen aliqua ibi immunditia ex peccato proveniens, prout cum libidine aliquis concipitur ex commixtione maris et feminae. Quod tamen in Christo non fuit: ut supra * ostensum est. *Qu. xxviii, art. 1.

Si tamen aliqua ibi esset immunditia, ex ea non inquinaretur Dei Verbum, quod nullo modo est mutabile [ε]. Unde Augustinus dicit, in libro *contra Quinque Haereses* *: *Dicit Deus, Creator hominis: Quid est quod te permovet in mea nativitate? Non sum libidinis conceptus cupiditate. Ego matrem de qua nascerer, feci. Si solis radius cloacarum sordes siccare novit, eis inquinari non novit: multo magis Splendor lucis aeternae, quocumque radiaverit mundare potest, ipse pollui non potest.* * Cap. v. - Inter Opp. Aug.

ε) *mutabile.* – *immutabile* H, *immutabile vel inalterabile* I, *mutabile nec alterabile* bc, *immutabile vel alterabile* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore unica conclusio: *Convenientissimum fuit ut de femina carnem assumeret Filius Dei.* Probatur tripliciter. Omnia clara sunt.

In responsione ad tertium, vide quod dupliciter excluditur immunditia: et ab humanitate, prima responsione; et a Verbo Dei, secunda responsione.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM CARO CHRISTI FUERIT CONCEPTA EX PURISSIMIS SANGUINIBUS VIRGINIS

III *Sent.*, dist. iii, qu. v, art. 1.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod caro Christi non fuerit concepta ex purissimis sanguinibus Virginis. Dicitur enim in Collecta * quod Deus *Verbum suum de Virgine carnem sumere voluit.* Sed caro differt a sanguine [α]. Ergo corpus Christi non est sumptum de sanguine Virginis. * In festo Annunt. B. M. V.

2. Praeterea, sicut mulier formata est miraculose de viro, ita corpus Christi miraculose formatum est de Virgine. Sed mulier non dicitur esse formata de sanguine viri, sed magis de carne et ossibus eius: secundum illud quod dicitur *Gen.* ii *: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.* Ergo videtur quod nec etiam corpus Christi formari debuerit de sanguine Virginis, sed de carnibus et ossibus eius. * Vers. 23.

3. Praeterea, corpus Christi fuit eiusdem speciei cum corporibus aliorum hominum. Sed corpora aliorum hominum non formantur ex purissimo sanguine, sed ex semine et sanguine menstruo *. Ergo videtur quod nec etiam corpus Christi fuerit conceptum ex purissimis sanguinibus Virginis. * 661.

Sed contra est quod Damascenus dicit, in III libro *, quod *Filius Dei construxit sibi ipsi ex castis [β] et purissimis sanguinibus Virginis carnem animatam anima rationali.* * De Fide Orth., lib. III, cap. II.

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, in conceptione Christi fuit secundum conditionem naturae quod est natus ex femina, sed supra conditionem naturae quod est natus ex virgine. Habet autem hoc naturalis conditio, quod in generatione animalis femina materiam ministret, ex parte autem maris sit activum principium in generatione: sicut probat Philosophus, in libro *de Generat. Animal.* * Femina autem quae ex mare concipit, non est virgo. Et ideo ad supernaturalem modum generationis Christi pertinet quod activum principium in generatione illa fuerit virtus supernaturalis divina: sed ad naturalem modum generationis eius pertinet quod materia de qua corpus eius conceptum est, sit conformis materiae quam aliae feminae subministrant ad conceptionem prolis. Haec autem materia, secundum Philosophum, in libro *de Generat. Animal.* *, est sanguis mulieris, non quicumque, sed perductus ad quandam ampliorem digestionem per virtutem generativam matris [γ], ut sit materia apta ad conceptum. Et ideo ex tali materia fuit corpus Christi conceptum *. * Art. praeced. * Lib. I, cap. II, xx; lib. II, cap. IV; lib. IV, cap. I. * Lib. I, cap. xix. * D. 868.

Ad primum ergo dicendum quod, cum Beata Virgo fuerit eiusdem naturae cum aliis feminis, consequens est quod habuerit carnem et ossa eiusdem naturae. Carnes autem et ossa in aliis feminis sunt actuales [δ] corporis partes, ex quibus constituitur integritas corporis: et ideo subtrahi non possunt sine corruptione corporis vel deminutione. Christus autem, qui venerat corrupta

α) *sanguine.* – *Virginis* addunt editiones; *Ergo... sanguine* om. H.
β) *castis.* – *castissimis* P.
γ) *matris.* – Tertia; *maris.* Cf. qu. seq. art. 4 ad 2.
δ) *actuales.* – E et tertia; *accidentales.*

reparare, nullam corruptionem aut deminutionem integritati matris eius inferre debuit [ε]. Et ideo non debuit corpus Christi formari de carne vel ossibus Virginis, sed de sanguine, qui nondum est actu pars, sed est potentia totum, ut dicitur in libro *de Generat. Animal.* * Et ideo dicitur carnem de Virgine sumpsisse, non quod materia corporis fuerit actu caro, sed sanguis, qui [ζ] est potentia caro.

* Lib. I, cap. XIX; *De Partib. Animal.*, lib. II, cap. X; lib. III, cap. V.

Ad secundum dicendum quod, sicut in Prima Parte * dictum est, Adam, quia institutus erat ut principium quoddam humanae naturae, habebat in suo corpore aliquid carnis et ossis quod non pertinebat ad integritatem personalem ipsius, sed solum inquantum erat naturae humanae principium. Et de tali formata est mulier, absque viri detrimento. Sed nihil tale fuit in corpore Virginis, ex quo corpus Christi posset formari sine corruptione materni corporis.

* Qu. XCII, art. 3, ad 2.

Ad tertium dicendum quod semen feminae non est generationi aptum, sed est quiddam imperfectum in genere seminis, quod non potuit produci ad perfectum seminis complementum, propter imperfectionem virtutis femineae. Et ideo tale semen non est materia quae de necessitate requiratur ad conceptum *: sicut Philosophus dicit, in libro *de Generat. Animal.* * Et ideo in conceptione Christi non fuit: praesertim quia, licet sit imperfectum in genere seminis, tamen cum quadam concupiscentia resolvitur, sicut et semen maris; in illo autem conceptu virginali concupiscentia locum habere non potuit. Et ideo Damascenus dicit * quod corpus Christi *non seminaliter* conceptum est.

* D. 1117.

* Lib. I, cap. [...] sqq.

* *De Fide O*[...] lib. III, cap[...]

Sanguis autem menstruus, quem feminae per singulos menses emittunt, impuritatem quandam naturalem habet corruptionis: sicut et ceterae superfluitates, quibus natura non indiget, sed eas expellit. Ex tali autem menstruo corruptionem habente, quod natura repudiat, non formatur conceptus *: sed hoc est purgamentum quoddam illius puri sanguinis qui digestione quadam est praeparatus ad conceptum, quasi purior et perfectior alio sanguine. Habet tamen impuritatem libidinis in conceptione aliorum hominum: inquantum ex ipsa commixtione maris et feminae talis sanguis ad locum generationi congruum attrahitur. Sed hoc in conceptione Christi non fuit: quia operatione Spiritus Sancti talis sanguis in utero Virginis adunatus est et formatus in prolem. Et ideo dicitur corpus Christi *ex castissimis et purissimis sanguinibus Virginis formatum* *.

* D. 868.

* Cf. arg. [...] contra.

ε) *debuit.* – *ut supra dictum est* addit tertia.

ζ) *qui.* – Tertia praeter G; *quod.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus duo ponit: ly *ex sanguine;* et ly *purissimo.* Et sanguis quidem ponitur ad differentiam carnis, ossis, nervi, et huiusmodi partium. Puritas autem apponitur ad excludendam admixtionem seminum, quae videtur in aliorum hominum formatione concurrere.

In corpore articuli unica est conclusio: *Corpus Christi fuit conceptum ex purissimo sanguine Beatae Virginis, ad ampliorem digestionem perducto per virtutem eius generativam.* Probatur. Generatio Christi habuit naturalem modum generationis quoad hoc quod ex femina est: et supernaturalem quoad hoc quod est ex virgine. Ergo habet materiam ex matre similem aliis: principium vero activum diversum. Ergo habet pro materia sanguinem matris, non quemcumque, sed perductum naturali matris virtute ad hoc quod materia sit apta conceptui.

Antecedens patet ex auctoritate Ambrosii in praecedenti articulo. – Prima consequentia probatur. Quia ad naturalem modum generationis spectat conformitas materiae, sicut conformitas matris: quia naturaliter mater materiam ministrat. Ad supernaturalem vero modum spectat difformitas principii activi: quia femina ex viro concipiens non est virgo; principium autem activum naturaliter ad virum spectat. – Secunda vero consequentia probatur auctoritate Philosophi, communem materiam mulierum ponentis sanguinem talem.

II. Hoc in loco adverte novum errorem diebus nostris exortum, dicentem Christum conceptum ex sanguine Beatae Virginis purissimo, non quocumque, sed in corde existente, ita quod ex tribus guttis sanguinis circa cor Beatae Virginis conceptus est Christus. Repugnat autem hic error et dictis hic; et Ambrosii supradictae * auctoritati, *Secundum conditionem naturae in utero femineo fuit;* et sacrae Scripturae, ex voce Angeli dicenti: *Ecce, concipies in utero* *, non in corde. Et quod proprie de utero loquatur, ex Beatae Virginis verbis habetur, quae optime intellexit verba Angeli, et, respondens, dixit: *Quomodo fiet istud: quoniam virum non cognosco?* * Si in corde concepta erat, male allegata fuisset causa quaestionis, *quoniam virum non cognosco:* conceptio enim in corde non fit ex semine viri. De modo ergo concipiendi in utero illo quaesivit in quo ex semine concipi consuevit. – Amplius, Beata Virgo in Evangelio dicitur *praegnans,* et quod *peperit filium,* et quod est *mater* *. Quae omnia falsa essent. Nam habens infantem in corde non est praegnans, sicut nec si haberet infantem in stomacho aut in ventriculo cerebri: praegnans enim sola illa dicitur quae in loco naturali infantem conceptum habet. Similiter nec mater aut pater dici potest: sicut nec Adam fuit pater aut mater Hevae, licet ex eius parte una fuerit formata Heva.

* Num. praeced.

* Luc. cap. I, vers. 31.

* Ibid., vers. 34.

* Luc. c[...] vers. 5, 7; [...] 51.

Tollit ergo veritatem maternitatis Beatae Virginis respectu Christi error iste. Unde et statim damnatus fuit Romae, me praesente *.

* Cf. Bap[...] Mantuan. [...] *tra novan*[...] *nionem d*[...] *concept.* [...] *Tractatus* [...] pera, Pars [...] (Lugd. 15[...]

III. In responsione ad tertium, adverte diligenter vim argumenti, ut ex notitia nodi intelligas solutionem. Obiicit duo tertium argumentum: scilicet, semen et menstruum esse ex quibus aliorum hominum corpora formantur tanquam ex materia (constat enim utrumque opponi puro sanguini); ac propterea Christi corpus ex eisdem formatum, si eiusdem est speciei nobiscum.

Respondet Auctor singillatim ad singula. Et de semine quidem mulieris quatuor dicit: primum, quod non est aptum generationi; secundum, quod est in genere seminis imperfectum quid; tertium, quod non est materia necessaria ad conceptum; quartum, quod cum quadam concupiscentia resolvitur. Et infert Auctor tertium ex primo et secundo, confirmans illud auctoritate Aristotelis.

In speciali autem dicit corpus Christi non fuisse ex tali materia: tum propter tertium dictum; tum propter quartum. Et confirmat illud auctoritate Damasceni.

Habes hinc Auctorem firmare sententiam dicentium id quod semen mulieris vocatur, esse vere in seminis genere, licet ut imperfectum quid. Ineptum autem esse ad generationem intellige ut semen, quod in genere causae efficientis locari nosti in V *Metaphys.* * Et propterea non in-

* S. Th. le[...] Did. lib. [...] II, n. 7.

fert Auctor totalem exclusionem illius a conceptu: sed necessarium concursum tantummodo excludit.

IV. * De hac materia multa scripsimus in praecedenti libro *: et ideo nunc pertranseo, praemonendo novitios ne sic sectentur dictam sententiam a Damasceno sumptam quasi articulum fidei, aut tanquam oppositum erroneum putent. Tenentes enim materiam humani fetus proximam esse mulieris semen, absque fidei iniuria dicerent quod, sicut ad virginitatem matris Christi spectat quod sanguis eius ad locum naturalem generationis attractus fuerit absque concupiscentia, ita ad eiusdem virginalis conceptus miraculum spectat quod absque libidinis aestu resolutum semen habitum fuerit. Et propterea instruens Angelus Virginem de modo conceptus, non dicit tantum, *Spiritus Sanctus superveniet in te*, sed addidit, *et virtus Altissimi obumbrabit tibi* *. ab aestu procul dubio concupiscentiae: umbra enim opus non est nisi propter aestum qui esset non protegente umbra.

* Integrum numerum om. P. — Cf. II^am II^ae, q. CLII, art. 1, Comment.

* Luc. cap. 1, vers. 35.

Nec obstat integerrimae virginitati mentis et corporis talis concursus seminis feminei ad conceptum. Quoniam naturalis ac voluntaria resolutio seminis virginitatem tollit mulieris: non autem miraculosa supra naturae cursum; et non voluntaria in seipsa, sed tantum in sua causa ut verba Beatae Virginis ad Angelum monstrant, *Ecce ancilla Domini,* ubi totam se Domino subiiciendo obtulit, *fiat mihi secundum verbum tuum* *; ubi consensum non ad seminandum, sed ad Spiritus Sancti superventum et obumbrationem, Filiique Dei conceptum virgineum, praebuit; haec enim Angelus annunciabat. Constat namque consensum illum ad confirmandam virginitatem tam mirabilem pertinere, de qua sollicita fuerat interrogando, *Quomodo fiet istud: quoniam virum non cognosco?* * Secura siquidem reddita per subsecutam Angeli responsionem de virginitate non solum servanda, sed mirabili conceptu et divina prole magnificanda, nullum mentali virginitati detrimentum intulit dicendo, *Fiat mihi secundum verbum tuum,* etiam si semen suum miraculose ad conceptum hunc concursurum novisset.

* Ibid., vers. 38.

* Ibid., vers. 34.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM CORPUS CHRISTI FUERIT SECUNDUM ALIQUID SIGNATUM IN ADAM ET IN ALIIS PATRIBUS

III *Sent.*, dist. III, qu. IV, art. 2.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod corpus Christi fuerit secundum aliquid signatum in Adam et in aliis patribus. Dicit enim Augustinus, X *super Gen. ad litt.* *, quod caro Christi fuit in Adam et Abraham *secundum corpulentam substantiam.* Sed corpulenta substantia est quiddam signatum. Ergo caro Christi fuit in Adam et Abraham et in aliis patribus secundum aliquid signatum.

* Cap. XX.

2. Praeterea, *Rom.* I * dicitur quod Christus *factus est ex semine David secundum carnem.* Sed semen David fuit aliquid signatum in ipso. Ergo Christus fuit in David secundum aliquid signatum: et eadem ratione in aliis patribus.

* Vers. 3.

3. Praeterea, Christus ad humanum genus affinitatem habet inquantum ex humano genere carnem assumpsit. Sed si caro illa non fuit secundum aliquid signatum in Adam, nullam videtur habere affinitatem ad humanum genus, quod ex Adam derivatur: sed magis ad alias res, unde materia carnis eius assumpta est. Videtur [α] ergo quod caro Christi fuerit in Adam et aliis patribus secundum aliquid signatum.

Sed contra est quod Augustinus dicit, X *super Gen. ad litt.* *: Quocumque modo Christus fuit in Adam et Abraham [β], alii homines ibi fuerunt: sed non convertitur. Alii autem homines non fuerunt in Adam et Abraham secundum aliquam materiam signatam, sed solum secundum originem: ut in Prima Parte * habitum est. Ergo neque Christus fuit in Adam et Abraham secundum aliquid signatum: et, eadem ratione, nec in aliis patribus.

* Cap. XIX, XX.

* Q. CXIX, art. 1; art. 2, ad 4.

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, materia corporis Christi non fuit caro et os Beatae Virginis, nec aliquid quod fuerit actu pars corporis eius, sed sanguis, qui est potentia caro. Quidquid autem fuit in Beata Virgine a parentibus acceptum, fuit actu pars corporis Beatae Virginis. Unde illud quod fuit in Beata Virgine a parentibus acceptum, non fuit materia corporis Christi. Et ideo dicendum est quod corpus Christi non fuit in Adam et aliis patribus secundum aliquid signatum, ita scilicet quod aliqua pars corporis Adae, vel alicuius alterius, posset designari determinate, ut diceretur quod *ex hac materia* [γ] *formabitur corpus Christi:* sed fuit ibi secundum originem, sicut et caro aliorum hominum. Corpus enim Christi habet relationem ad Adam et alios patres mediante corpore matris eius. Unde nullo alio modo fuit in patribus corpus Christi quam corpus matris eius, quod non fuit in patribus secundum materiam signatam: sicut nec corpora aliorum hominum, ut in Prima Parte * dictum est.

* Art. 5, ad 1.

* Loc. cit. in arg. *Sed contra.*

Ad primum ergo dicendum quod, cum dicitur Christus fuisse in Adam *secundum corpulentam substantiam,* non est intelligendum hoc modo, quod corpus Christi in Adam fuerit quaedam corpulenta substantia: sed quia corpulenta substantia corporis Christi, idest materia quam sumpsit ex Virgine, fuit in Adam sicut in principio activo, non autem sicut in principio materiali; quia scilicet per virtutem generativam Adae, et aliorum ab Adam descendentium usque ad Beatam Virginem, factum est ut illa materia taliter [δ] praepararetur ad conceptum corporis Christi. Non autem fuit materia illa formata in corpus Christi per virtutem seminis ab Adam derivatam. Et ideo Christus dicitur fuisse in Adam originaliter secundum corpulentam substantiam: non autem secundum seminalem rationem.

α) *Videtur.* – F et tertia; *Dicitur.*
β) *Abraham.* – *et aliis patribus* addunt PF.
γ) *materia.* – *determinate* addit P. – Pro *formabitur, formaliter* FpG, *formatur* HIbc; post *Christi* F addit *fuerit.*
δ) *materia taliter.* – *materialiter* Dc, *materia* P.

Ad secundum dicendum quod, quamvis corpus Christi non fuerit in Adam et in aliis patribus secundum seminalem rationem, corpus tamen Beatae Virginis, quod ex semine maris est conceptum, fuit in Adam et in aliis patribus secundum rationem seminalem *. Et ideo, mediante Beata Virgine, Christus secundum carnem dicitur esse ex semine David per modum originis.

* D. 370.

Ad tertium dicendum quod Christus habet affinitatem ad humanum genus secundum similitudinem speciei. Similitudo autem speciei attenditur, non secundum materiam remotam, sed secundum materiam proximam, et secundum principium activum, quod generat sibi simile in specie. Sic igitur affinitas Christi ad humanum genus sufficienter conservatur per hoc quod corpus Christi formatum est ex sanguinibus Virginis *, derivatis secundum originem ab Adam et aliis patribus. Nec refert ad hanc affinitatem undecumque materia illorum sanguinum sumpta fuerit: sicut nec hoc refert in generatione aliorum hominum, sicut in Prima Parte * dictum est.

* D. 868.

* Qu. cxix, a[...] ad 3.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus occasionem habet ex errore putantium corpus Christi formatum ex certa determinata portione transfusa successive de persona in personam ab Adam usque ad Beatam Virginem: sive hoc sit opinatum esse commune omnibus hominibus, sive Christo proprium.

In corpore articuli una est conclusio: *Corpus Christi non fuit in Adam et aliis patribus secundum aliquid signatum.* Probatur. Quidquid fuit in Beata Virgine a parentibus acceptum, fuit actu pars Beatae Virginis. Ergo illud non fuit materia corporis Christi. Ergo corpus Christi non fuit in Adam et aliis secundum aliquid signatum.

Antecedens pro constanti relinquitur: quia sic est in aliis hominibus. Prima enim et praecipua pars geniti est id quod a parentibus habetur, secundum omnes. – Prima consequentia probatur. Quia materia corporis Christi non fuit caro aut os aut quaecumque pars actu Beatae Virginis, sed sanguis: ut patet in praecedenti articulo. – Secunda vero consequentia probatur. Quia corpus Christi non habet originis relationem ad Adam et alios patres nisi mediante corpore matris suae.

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM CARO CHRISTI IN ANTIQUIS PATRIBUS PECCATO INFECTA FUERIT

Art. seq., ad 2; III *Sent.*, dist. III, qu. IV, art. 1; part. II, *Expos. litt.; In Isaiam*, cap. XI; *In Ioan.*, cap. III, lect. V.

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod caro Christi in antiquis patribus peccato infecta non fuerit. Dicitur enim *Sap.* VII * quod in divinam Sapientiam *nihil inquinatum incurrit.* Christus autem est *Dei Sapientia:* ut dicitur I *ad Cor.* I *. Ergo caro Christi nunquam peccato inquinata fuit.

* Vers. 25.

* Vers. 24.

2. Praeterea, Damascenus dicit, in III libro *, quod Christus *primitias nostrae naturae assumpsit.* Sed in primo statu caro humana non erat peccato infecta. Ergo caro Christi non fuit infecta nec in Adam nec in aliis patribus.

* De Fide Orth., lib. III, cap. II, XI.

3. Praeterea, Augustinus dicit, X *super Gen. ad litt.* *, quod *natura humana semper habuit, cum vulnere, vulneris medicinam.* Sed id quod est infectum, non potest esse vulneris medicina, sed magis ipsum indiget medicina. Ergo semper in natura humana fuit aliquid non infectum, ex quo postmodum est corpus Christi formatum.

* Cap. XX.

Sed contra est quod corpus Christi non refertur ad Adam et ad alios patres nisi mediante corpore Beatae Virginis, de qua carnem assumpsit. Sed corpus Beatae Virginis totum fuit in originali [α] conceptum *, ut supra ** dictum est: et ita etiam, secundum quod fuit in patribus, fuit peccato obnoxium. Ergo caro Christi, secundum quod fuit in patribus, fuit peccato obnoxia.

* D. 370.
** Qu. XIV, art. 3, ad 1.

Respondeo dicendum quod, cum dicimus Christum, vel eius carnem [β], fuisse in Adam et in aliis patribus, comparamus ipsum, vel carnem eius, ad Adam et ad alios patres. Manifestum est autem quod alia fuit conditio patrum, et alia Christi: nam patres fuerunt subiecti peccato, Christus autem fuit omnino a peccato immunis. Dupliciter ergo in hac comparatione errare contingit. Uno modo, ut attribuamus Christo, vel carni eius, conditionem quae fuit in patribus: puta si dicamus quod Christus in Adam peccavit quia in eo aliquo modo fuit. Quod falsum est: quia non eo modo in eo fuit ut ad Christum peccatum Adae pertineret [γ]; quia non derivatur ab eo secundum concupiscentiae legem, sive secundum rationem seminalem, ut supra * dictum est.

* Art. 1, a[...] art. 6, ad 1[...] XV, art. 1, [...]

Alio modo contingit errare, si attribuamus ei quod actu fuit in patribus, conditionem Christi, vel carnis eius: ut scilicet, quia caro Christi, secundum quod in Christo fuit, non fuit peccato obnoxia, ita etiam in Adam et in aliis patribus fuit aliqua pars corporis eius quae non fuit peccato obnoxia, ex qua postmodum corpus Christi formaretur; sicut quidam posuerunt *. Quod quidem esse non potest. Primo, quia caro Christi non fuit secundum aliquid signatum in Adam et in aliis patribus, quod posset distingui a reliqua eius carne sicut purum ab impuro: sicut iam supra * dictum est. Secundo quia, cum caro humana peccato inficiatur ex hoc quod est per concupiscentiam concepta, sicut tota caro alicuius

* Cf. Hug[...] S. Vict. *de* [...] *cram.* lib. II, [...] I, cap. V; *Qu*[...] *in Epist. ad* [...] qu. LXIX.

* Art. prae[...]

α) *originali.* – *peccato* addunt editiones. Cf. art. seq. not. ζ.

β) *vel eius carnem.* – *vel carnem eius* GHI, *secundum carnem eius* editiones.

γ) *pertineret.* – *perveniret* ed. *a* et tertia praeter G.

hominis per concupiscentiam concipitur, ita etiam tota peccato inquinatur. Et ideo dicendum est quod tota caro antiquorum patrum fuit peccato obnoxia, nec fuit in eis aliquid a peccato immune, de quo postmodum corpus Christi formaretur.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Christus non assumpsit carnem humani generis subditam peccato, sed ab omni infectione peccati mundatam. Et ideo *in Dei Sapientiam nihil inquinatum incurrit.*

AD SECUNDUM DICENDUM quod Christus dicitur primitias nostrae naturae assumpsisse, quantum ad similitudinem conditionis: quia scilicet assumpsit carnem peccato non infectam, sicut fuerat caro hominis ante peccatum. Non autem hoc intelligitur secundum continuationem puritatis: ita scilicet quod illa caro puri hominis servaretur a peccato immunis usque ad formationem corporis Christi.

AD TERTIUM DICENDUM quod in humana natura, ante Christum, erat vulnus, idest infectio originalis peccati, in actu. Medicina autem vulneris non erat ibi actu, sed solum secundum virtutem originis, prout ab illis patribus propaganda erat caro Christi.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS ut sonat: propter quosdam ponentes carnem Christi in patribus non subiectam fuisse peccato, sed immunem servatam.

In corpore tria: primo, duo supponuntur; secundo, duo excluduntur errores; tertio, respondetur quaesito. Quoad primum, supponitur primo, quod est sermo comparativus Christi ad patres. – Supponitur secundo, quod diversa est conditio Christi et patrum quoad peccatum: quia illi subiecti peccato, Christus immunis a peccato.

Quoad secundum, primus error esset conditionem patrum attribuere Christo. Secundus esset conditionem Christi attribuere patribus, seu alicui parti cuiusvis eorum. Et quia primus opinantes non habet, secundus vero habet, contra secundum dupliciter arguitur. Primo, quia caro Christi non fuit in patribus secundum aliquid signatum. Secundo, quia non pars, sed tota caro patrum ex concupiscentia concipitur.

Quoad tertium, conclusio responsiva est: *Tota caro patrum fuit peccato obnoxia, ita quod nihil fuit in eis liberum, unde caro Christi formaretur.* Infertur haec conclusio ex ante dictis.

II. Ubi adverte Auctorem non intulisse Christi carnem in patribus peccato obnoxiam: sed, *nihil carnis in patribus exemptum fuisse a culpa.* Divertit autem propterea ne quasi fateretur Christum subiacuisse peccato: et, cum hoc, satisfaceret rationi difficultatis, quae ex hoc erat quod in patribus aliquid exemptum a peccato putabatur, ex quo caro Christi in patribus immunis a peccato dicebatur.

Potest nihilominus vere dici quod caro Christi in patribus, ut in patribus erat, fuit subiecta peccato: et, cum hoc, etiam vere dici quod caro Christi in patribus, ut ad Christum deducenda, non erat peccato obnoxia; quia munda ad Christum per Spiritum Sanctum, et non ex virili semine, deducenda erat. Simpliciter autem affirmativa est vera, scilicet: *Caro Christi in patribus fuit obnoxia peccato:* quoniam non de carne Christi in se, sed in patribus, enuntiatur peccatum. Et inde Filio Dei maiores debemus gratias, quod ex massa peccatrice carnem suam deduci voluit.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM CHRISTUS FUERIT IN LUMBIS ABRAHAE DECIMATUS

III *Sent.*, dist. III, qu. IV, art. 3, qu[a] 1, 2; IV, dist. I, qu. II, art. 2, qu[a] 3, ad 2; *Ad Heb.*, cap. VII, lect. II.

AD OCTAVUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus fuerit in lumbis Abrahae decimatus. Dicit enim Apostolus, *ad Heb.*
Vers. 6 sqq. VII *, quod *Levi*, pronepos Abrahae, *decimatus fuit in Abraham,* quia, eo decimas dante Melchisedech, *adhuc Levi erat in lumbis eius.* Similiter Christus erat in lumbis Abrahae quando decimas dedit. Ergo ipse etiam Christus decimatus fuit in Abraham.

2. PRAETEREA, Christus est ex semine Abrahae secundum carnem quam de matre accepit. Sed mater eius fuit decimata in Abraham. Ergo, pari ratione, Christus.

3. PRAETEREA, *illud in Abraham decimabatur quod indigebat curatione:* ut Augustinus dicit,
Cap. XX. X *super Gen. ad litt.* * Curatione autem indige-
α bat [α] omnis caro peccato obnoxia. Cum ergo caro
Art. praeced. Christi fuerit peccato obnoxia, sicut dictum est *, videtur quod caro Christi in Abraham fuerit decimata.

4. PRAETEREA, hoc non videtur aliquo modo derogare dignitati Christi. Nihil enim prohibet, patre alicuius pontificis decimas dante alicui sacerdoti, filium eius pontificem maiorem esse simplici sacerdote. Licet ergo dicatur Christus decimatus, Abraham decimas dante Melchisedech, non tamen propter hoc excluditur quin Christus sit maior quam Melchisedech.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, X *super*
Gen. ad litt. *, quod *Christus ibi,* scilicet in Abra- * Loc. cit. in arg. 3.
ham, *decimatus non est: cuius caro inde non fervorem vulneris, sed materiam medicaminis traxit.*

RESPONDEO DICENDUM quod, secundum intentio-
nem Apostoli *, oportet dicere quod Christus in * Loc. cit. in arg. 1.
lumbis Abrahae non fuerit decimatus. Probat enim Apostolus maius esse sacerdotium quod est secundum ordinem Melchisedech, sacerdotio Levitico, per hoc quod Abraham decimas dedit Melchisedech, adhuc Levi existente in lumbis eius, ad quem pertinet legale sacerdotium. Si autem
Christus etiam in Abraham decimatus esset [β], β
eius sacerdotium non esset secundum ordinem

α) *indigebat.* – *indiget* tertia. – *obnoxia* (primo loco) tertia; *obnoxia sicut dictum est.*

β) *esset.* – Fa et tertia; *fuerit.* – *eius sacerdotium* EFa et tertia; om. ABDpC, *sacerdotium Christi* sC.

Melchisedech, sed minus sacerdotio Melchisedech [γ]. Et ideo dicendum est quod Christus non est decimatus in lumbis Abrahae, sicut Levi.

Quia enim ille qui decimas dat, novem sibi retinet et decimum [δ] alii attribuit, quod est perfectionis signum, inquantum est quodammodo terminus omnium numerorum, qui procedunt usque ad decem; inde est quod ille qui decimas dat, protestatur se imperfectum et perfectionem alii attribuere. Imperfectio autem humani generis est propter peccatum: quod indiget perfectione eius qui a peccato curat. Curare autem a peccato est solius Christi: ipse enim est *Agnus qui tollit peccatum* [ε] *mundi,* ut dicitur Ioan. I *. Figuram autem eius gerebat Melchisedech: ut Apostolus probat, *Heb.* VII. Per hoc ergo quod Abraham Melchisedech decimas dedit, praefiguravit se, velut in peccato conceptum, et omnes qui ab eo descensuri erant ea ratione ut peccatum originale contraherent, indigere curatione quae est per Christum. Isaac autem et Iacob et Levi, et omnes alii, sic fuerunt in Abraham ut ex eo derivarentur non solum secundum *corpulentam substantiam,* sed etiam secundum *rationem seminalem,* per quam originale [ζ] contrahitur. Et ideo omnes in Abraham sunt decimati, idest praefigurati indigere curatione quae est per Christum. Solus autem Christus sic fuit in Abraham ut ab eo derivaretur non secundum rationem seminalem, sed secundum corpulentam substantiam. Et ideo non fuit in Abraham sicut curatione indigens: sed magis sicut *vulneris medicina* *. Et ideo non fuit in lumbis Abrahae decimatus.

* Vers. 29.

* Cf. art. pr., arg. 3.

Et per hoc patet responsio ad primum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, quia Beata Virgo fuit in originali concepta *, fuit in Abraham sicut curatione indigens. Et ideo fuit ibi decimata, velut inde descendens secundum seminalem rationem. De corpore autem Christi non est sic, ut dictum est *.

* D. 370.

* In corpore.

AD TERTIUM DICENDUM quod caro Christi dicitur fuisse in antiquis patribus peccato obnoxia, secundum qualitatem quam habuit in ipsis [η] parentibus, qui fuerunt decimati. Non autem secundum qualitatem quam habet prout est actu in Christo, qui non est decimatus.

AD QUARTUM DICENDUM quod sacerdotium Leviticum secundum carnis originem derivabatur. Unde non minus fuit in Abraham quam in Levi. Unde per hoc quod Abraham decimas dedit Melchisedec tanquam maiori, ostenditur sacerdotium Melchisedec, inquantum gerit figuram Christi, esse maius sacerdotio Levitico. Sacerdotium autem Christi non sequitur carnis originem, sed gratiam spiritualem. Et ideo potest esse quod pater dedit [θ] decimas alicui sacerdoti tanquam minor maiori, et tamen filius eius, si sit pontifex, est maior illo sacerdote, non propter carnis originem, sed propter gratiam spiritualem, quam habet a Christo.

γ) *sed... Melchisedech.* – Om. IpG et *a.*
δ) *decimum.* – *decimam* editiones. – Pro *attribuit, tribuit* Fa et tertia; mox *alii tribuere* F et tertia.
ε) *peccatum.* – *peccata* BCFGH*abc.*
ζ) *originale.* – *peccatum originale* ed. *a, originale peccatum* editiones. Cf. ad 2.
η) *ipsis.* – *suis* Pc.
θ) *dedit.* – *det* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS ex verbis Apostoli *ad Hebraeos,* et Augustini, occasionem habet *. Et significat *esse decimatum:* « solvisse decimas per ministerium Abrahae ».

* Cf. arg. 1, 3.

In corpore est una conclusio: *Christus non fuit in lumbis Abrahae decimatus.* Probatur dupliciter: primo, auctoritate Apostoli; secundo, ratione *. Et ex auctoritate quidem Apostoli arguitur ducendo ad impossibile, sic. Si Christus fuisset decimatus in lumbis Abrahae, eius sacerdotium non esset secundum ordinem Melchisedech, sed minus ipso, sicut Levi. – Probatur sequela. Quia per hoc quod, Levi existente in lumbis Abrahae, Abraham dedit decimas Melchisedech, probatur ab Apostolo sacerdotium Levi esse minus sacerdotio Melchisedech.

* Cf. num. seq.

II. Ex ratione autem mystica probatur. Dans decimas protestatur se imperfectum et perfectionem alii tribuere. Ergo Abraham, dando decimas, protestatus est se, et suos contracturos originale peccatum, curatione indigere a Christo. Ergo omnes qui fuerunt in lumbis Abrahae non solum secundum corpulentam substantiam sed etiam secundum rationem seminalem, fuerunt decimati. Ergo Christus non fuit decimatus.

Antecedens probatur. Quia dans decimas novem sibi retinet et decimam, perfectionis signum, alii tribuit. Probatur signum perfectionis: quia decimus est quodammodo terminus numerorum; nam numerando usque ad decem procedimus, et inde replicamus unum supra decem, *undecim,* etc., prosequendo. – Prima consequentia probatur quoad primam partem: quia imperfectio humani generis est propter peccatum indigens curatione. Et solus Christus curator est peccati, iuxta illud, *Ecce qui tollit peccatum mundi.* Et ipsum praefigurabat Melchisedech: ut patet ex Apostolo. Et haec quoad secundam partem. – Secunda vero consequentia probatur. Quia per rationem seminalem originale peccatum contrahitur. – Tertia autem consequentia probatur. Quia solus Christus non fuit secundum rationem seminalem in patribus.



QUAESTIO TRIGESIMASECUNDA

DE PRINCIPIO ACTIVO IN CONCEPTIONE CHRISTI

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

Cf. qu. xxxi, ...od. — DEINDE considerandum est de principio activo in conceptione Christi *.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo: utrum Spiritus Sanctus fuerit principium activum conceptionis Christi.

Secundo: utrum possit dici quod Christus sit conceptus de Spiritu Sancto.

Tertio: utrum possit dici quod Spiritus Sanctus sit pater Christi secundum carnem.

Quarto: utrum Beata Virgo aliquid active egerit in conceptione Christi.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM EFFICERE CONCEPTIONEM CHRISTI DEBEAT ATTRIBUI SPIRITUI SANCTO

I *Sent.*, dist. xi, art. 1, ad 4; III, dist. i, qu. ii, art. 2, ad 6; dist. ii, qu. ii, art. 2, qu^a 2; dist. iv, qu. i, art. 1, qu^a 1, 2, 3; IV *Cont. Gent.*, cap. xlvi; *Compend. Theol.*, cap. ccxix; *In Matth.*, cap. i.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod efficere conceptionem Christi non debeat attribui Spiritui Sancto. Quia, ut Augustinus dicit, in I *de Trin.* *, *indivisa sunt opera Trinitatis, sicut et indivisa est essentia Trinitatis.* Sed efficere conceptionem Christi est quoddam opus divinum. Ergo videtur quod non magis sit attribuendum Spiritui Sancto quam Patri vel Filio.

[* ...p. iv, v; lib. IV, ... xxi; *Enchi-* ..., cap. xxxviii.]

2. PRAETEREA, Apostolus dicit, *Galat.* iv *: *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere:* quod exponens Augustinus, IV *de Trin.* *, dicit: *Eo utique missum, quo factum ex muliere.* Sed missio Filii attribuitur praecipue Patri: ut in Prima Parte * habitum est. Ergo et conceptio, secundum quam factus est ex muliere, debet praecipue Patri attribui.

[* Vers. 4. — * Cap. xix. — * ...xliii, art. 8.]

3. PRAETEREA, *Proverb.* ix * dicitur: *Sapientia aedificavit sibi domum.* Est autem Sapientia Dei ipse Christus: secundum illud I *Cor.* i *: *Christum Dei Virtutem et Dei Sapientiam.* Domus autem huius Sapientiae est corpus Christi: quod etiam dicitur templum eius, secundum illud Ioan. ii *: *Hoc autem dicebat de templo corporis sui.* Ergo videtur quod efficere conceptionem corporis Christi debeat praecipue attribui Filio. Non ergo Spiritui Sancto.

[* Vers. 1. — * Vers. 24. — * Vers. 21.]

SED CONTRA EST quod dicitur Luc. i *: *Spiritus Sanctus superveniet in te,* etc.

[* Vers. 35.]

RESPONDEO DICENDUM quod conceptionem corporis Christi tota Trinitas est operata: attribuitur tamen hoc Spiritui Sancto, triplici ratione. Primo quidem, quia hoc congruit causae incarnationis quae consideratur ex parte Dei. Spiritus enim Sanctus est amor Patris et Filii: ut in Prima Parte * habitum est. Hoc autem ex maximo Dei amore provenit, ut Filius Dei carnem sibi assumeret in utero virginali: unde dicitur Ioan. iii *: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret.*

[* ...xxxvii, art. 1. — * Vers. 16.]

Secundo, quia hoc congruit causae incarnationis ex parte naturae assumptae. Quia per hoc datur intelligi quod humana natura assumpta est a Filio Dei in unitatem personae non ex aliquibus meritis, sed ex sola gratia: quae Spiritui Sancto attribuitur, secundum illud I *Cor.* xii *: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.* Unde Augustinus dicit, in *Enchirid.* *: *Iste modus quo est natus Christus de Spiritu Sancto, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo, nullis praecedentibus meritis, ex ipso primo exordio naturae suae quo esse coepit, Verbo Dei copularetur in tantam unitatem personae ut idem ipse esset Filius Dei.*

[* Vers. 4. — * Cap. xl.]

Tertio, quia hoc congruit termino incarnationis. Ad hoc enim terminata est incarnatio ut homo ille qui concipiebatur, esset sanctus et Filius Dei. Utrumque autem horum attribuitur Spiritui Sancto. Nam per ipsum efficiuntur homines filii Dei: secundum illud *Galat.* iv *: *Quoniam estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem, Abba, Pater.* Ipse est etiam *Spiritus sanctificationis,* ut dicitur *Rom.* i *. Sicut ergo alii per Spiritum Sanctum sanctificantur spiritualiter ut sint filii Dei adoptivi, ita Christus per Spiritum Sanctum est in sanctitate conceptus ut esset Filius Dei naturalis. Unde *Rom.* i *, secundum unam glossam *, quod praemittitur, *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute,* manifestatur per id quod immediate sequitur, *secundum Spiritum sanctificationis,* idest, *per hoc quod est conceptus de Spiritu Sancto.* Et ipse Angelus annuntians, per hoc [α] quod praemiserat, *Spiritus*

[* Vers. 6. — * Vers. 4. — * Ibid. — * Interlin. et Lomb.]

α) *per hoc.* – *ex hoc* G et editiones.

Sanctus superveniet in te, concludit: *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* *.

* Luc. cap. I, vers. 35.

Ad primum ergo dicendum quod opus conceptionis commune quidem est toti Trinitati, secundum tamen modum aliquem attribuitur singulis Personis. Nam Patri attribuitur auctoritas respectu personae Filii, qui per huiusmodi conceptionem sibi assumpsit [β]; Filio autem attribuitur ipsa carnis assumptio; sed Spiritui Sancto attribuitur formatio corporis quod assumitur a Filio. Nam Spiritus Sanctus est Spiritus Filii: secundum illud *Galat.* IV *: *Misit Deus Spiritum Filii sui.* Sicut autem virtus animae quae est in semine, per spiritum qui in semine concluditur [γ], format corpus in generatione aliorum hominum; ita Virtus Dei, quae est ipse Filius, secundum illud I *ad Cor.* I *, *Christum Dei Virtutem,* per Spiritum Sanctum corpus formavit quod assumpsit. Et hoc etiam verba Angeli demonstrant dicentis *: *Spiritus Sanctus superveniet in te,* quasi ad praeparandam et formandam materiam corporis Christi; *et Virtus Altissimi,* idest Christus, *obumbrabit tibi,* « *idest, corpus humanitatis in te accipiet incorporeum lumen divinitatis, umbra enim a lumine formatur et corpore* », ut Gregorius dicit, XVIII *Moral.* *. *Altissimus* autem intelligitur Pater, cuius Virtus est Filius.

* Vers. 6. — * Vers. 24. — * Luc. cap. I, vers. 35. — * Cap. XX, al.

Ad secundum dicendum quod missio refertur ad personam assumentem, quae a Patre mittitur: sed conceptio refertur ad corpus assumptum, quod operatione Spiritus Sancti formatur. Et ideo, licet missio et conceptio sint idem subiecto, quia tamen differunt ratione, missio attribuitur Patri, efficere autem conceptionem Spiritui Sancto: sed carnem assumere Filio attribuitur.

Ad tertium dicendum quod, sicut Augustinus dicit, in libro *de Quaest. Vet. et Nov. Test.* *, *quaestio ista gemina ratione potest* [δ] *intelligi. Primo enim domus Christi Ecclesia est, quam aedificavit sibi sanguine suo. Deinde potest et corpus eius dici domus eius: sicut dicitur templum eius. Factum autem Spiritus Sancti Filii* [ε] *Dei est, propter naturae et voluntatis unitatem.*

* Qu. LII. - I t. Opp. Aug.

β) *sibi assumpsit.* – *carnem sibi assumpsit* E, *sibi assumpsit humanam naturam* tertia praeter I.
γ) *concluditur.* – *includitur* tertia et *a.*
δ) *potest.* – P; *debet.*
ε) *Filii.* – *factum Filii* F et tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est, sumens occasionem ex Symbolo *: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto.*

* Apostolorum.

In corpore unica conclusio: *Conceptio corporis Christi, licet a tota sit Trinitate, attribuitur tamen Spiritui Sancto.* Probatur secunda pars, de qua est quaestio, triplici ratione. Et rationes in littera clare patent.

II. Duo tamen pro novitiis occurrunt. Primum est quod aliter attribuitur personae Spiritus Sancti efficere carnem Christi: et aliter Filio assumere eandem. Nam Spiritui Sancto attribuitur conceptionis causalitas ut appropriatum, sicut bonitas et amor: Filio autem attribuitur assumere carnem ut proprium. Ita quod corpus Christi ita conceptum est de Spiritu Sancto appropriate quod etiam conceptum est de Patre et Filio, *indivisa* enim *sunt opera Trinitatis ad extra* *: sicut Spiritus Sanctus ita est amor appropriate quod tam Pater quam Filius est etiam amor. Sed corpus Christi ita est assumptum a Filio quod nec a Patre nec a Spiritu Sancto est assumptum. Et propterea incarnatum esse non appropriatum, sed proprium est Filio. Ratio autem superius * dicta est.

* Cf. arg. I. — * Qu. III, a. 2, ad 2.

III. Secundo, dubium occurrit in tertia ratione circa probationem ex Apostolo *ad Galat.* IV. Non enim infert intentum, scilicet quod Spiritus Sanctus efficiat filios Dei: sed quod faciat eos clamare *Abba, Pater.*

Ad hoc dicitur quod, licet in naturalibus filiis hominum aliud sit principium naturae et aliud principium operationis, in filio tamen adoptivo per liberum arbitrium, quo ferimur in Deum, idem est principium filiationis et operationis propriae filiorum. Quia ad suavem Dei dispositionem spectat ut rationales creaturas per rationis usum ad se trahat. Et propterea ex eo quod Spiritus efficit propriam operationem filiorum Dei, quae est clamare *Abba, Pater,* optime infertur, a posteriori tamen, quod ipse est effector filiorum Dei: quos cum efficit, facit clamantes ad Deum, *Pater, Pater.*

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CHRISTUS DEBEAT DICI CONCEPTUS DE SPIRITU SANCTO

III *Sent.*, dist. IV, qu. I, art. I, qu^a 4; *In Matth.*, cap. I.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Christus non debeat dici conceptus de Spiritu Sancto. Quia super illud *Rom.* XI *, *Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia,* dicit Glossa * Augustini: *Attendendum quod non ait « de ipso », sed « ex ipso ». Ex ipso enim caelum sunt et terra: quia fecit ea. Non autem de ipso: quia non de substantia sua.* Sed Spiritus Sanctus non formavit corpus Christi de substantia sua. Ergo Christus non debet dici conceptus de Spiritu Sancto.

* Vers. 36. — * Ord. et Lomb. ex Aug.

2. Praeterea, principium activum de quo aliquid concipitur, se habet sicut semen in generatione. Sed Spiritus Sanctus non se habuit sicut semen in conceptione Christi. Dicit enim Hieronymus, in *Exposit. Catholicae Fidei* *: *Non, sicut quidam sceleratissimi opinantur, Spiritum Sanctum dicimus fuisse pro semine: sed potentia et virtute Creatoris dicimus esse operatum,* idest formatum, *corpus Christi.* Non ergo debet dici quod Christus sit conceptus de Spiritu Sancto.

* Al. Symboli explan., ad Dam. - Inter Opp. Hieron.

3. Praeterea, nihil unum de duobus formatur nisi aliquo modo commixtis. Sed corpus Christi formatum est de Virgine Maria. Si ergo Christus

dicatur conceptus de Spiritu Sancto, videtur quod facta sit commixtio quaedam Spiritus Sancti et materiae quam Virgo ministravit: quod patet esse falsum. Non ergo Christus debet dici conceptus de Spiritu Sancto.

Vers. 18. Sed contra est quod dicitur Matth. I *: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.*

Respondeo dicendum quod conceptio non attribuitur soli corpori Christi, sed etiam ipsi Christo ratione ipsius corporis. In Spiritu autem Sancto duplex habitudo consideratur respectu Christi. Nam ad ipsum Filium Dei, qui dicitur esse conceptus, habet habitudinem consubstantialitatis: ad corpus autem eius habet habitudinem causae efficientis. Haec autem praepositio *de* utramque habitudinem designat: sicut cum dicimus hominem aliquem [α] *de suo patre*. Et ideo convenienter dicere possumus Christum esse conceptum de Spiritu Sancto, hoc modo quod efficacia [β] Spiritus Sancti referatur ad corpus assumptum, consubstantialitas ad personam assumentem.

Ad primum ergo dicendum quod corpus Christi, quia non est consubstantiale Spiritui Sancto, non proprie potest dici de Spiritu Sancto conceptum, sed magis *ex Spiritu Sancto:* sicut Ambrosius dicit, in libro *de Spiritu Sancto* * (* Lib. II, cap. v.): *Quod ex aliquo est, aut ex substantia aut ex potestate eius est: ex substantia, sicut Filius, qui a Patre est; ex potestate, sicut ex Deo omnia, quo modo et in utero habuit Maria ex Spiritu Sancto.*

Ad secundum dicendum quod super hoc videtur esse quaedam diversitas Hieronymi ad quosdam alios Doctores, qui asserunt Spiritum Sanctum in conceptione fuisse pro semine. Dicit enim Chrysostomus, *super Matth.* * (* Op. Imperf. in Matth., homil. I. - Inter Opp. Chrys.): *Unigenito Dei in Virginem ingressuro praecessit Spiritus Sanctus: ut, praecedente Spiritu Sancto, in sanctificationem nascatur Christus* [γ] *secundum corpus, divinitate ingrediente pro semine.* Et Damascenus dicit, in III libro * (* De Fide Orth., lib. III, cap. II.): *Obumbravit super ipsam Dei Sapientia et Virtus, velut divinum semen.*

Sed hoc de facili solvitur. Quia secundum quod in semine intelligitur virtus activa, sic Chrysostomus et Damascenus comparant semini Spiritum Sanctum [δ], vel etiam Filium, qui est *Virtus Altissimi* * (* Cf. art. praec., ad 1.). Secundum autem quod in semine intelligitur substantia corporalis quae in conceptione transmutatur, negat Hieronymus Spiritum Sanctum fuisse pro semine.

Ad tertium dicendum quod, sicut dicit Augustinus, in *Enchirid.* * (* Cap. XL.), non eodem modo dicitur Christus conceptus aut natus de Spiritu Sancto, et de Maria Virgine: nam de Maria Virgine materialiter, de Spiritu Sancto effective. Et ideo non habuit hic locum commixtio.

α) *hominem aliquem.* – *esse hominem aliquem* F, *hominem aliquem esse* tertia.
β) *efficacia.* – *efficientia* F et tertia praeter I.
γ) *Christus.* – *scilicet Christus* tertia praeter I.
δ) *semini Spiritum Sanctum.* – Tertia; *semen Spiritui Sancto.* – Pro *Filium, Filio* ed. *a.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus circa proprietatem locutionis versatur: et propterea, an dici debeat, quaeritur. Et consistit tota quaestio haec in illa praepositione *de.*

In corpore articuli una est conclusio: *Convenienter dicere possumus Christum conceptum esse de Spiritu Sancto.* Probatur et declaratur. Probatio est. In Spiritu Sancto duplex est habitudo ad Christum conceptum: scilicet consubstantialitatis; et causalitatis effectivae. Ergo convenienter potest dici conceptus de Spiritu Sancto. – Antecedens probatur. Quia conceptio attribuitur non solum corpori Christi, sed etiam ipsi Christo ratione corporis. – Consequentia probatur. Quia praepositio *de* utramque denotat habitudinem: ut patet exemplariter cum Filius Dei de Patre genitus dicitur.

Declaratio est quod consubstantialitas ad personam Christi, efficientia ad corpus Christi referenda est.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM SPIRITUS SANCTUS DEBEAT DICI PATER CHRISTI SECUNDUM HUMANITATEM

III *Sent.*, dist. IV, qu. I, art. 2, qu^a 1, 2; *Expos. litt.;* IV *Cont. Gent.*, cap. XLVII; *Compend. Theol.*, cap. CCXXIII; *In Matth.*, cap. I.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod Spiritus Sanctus debeat dici pater Christi secundum humanitatem. Quia secundum Philosophum, in libro *de Generat. Animal.* * (* Lib. I, cap. XX, lib. II, cap.), *pater dat principium activum in generatione, mater vero ministrat materiam.* Sed Beata Virgo dicitur mater Christi propter materiam quam in conceptione eius ministravit. Ergo videtur quod etiam Spiritus Sanctus possit dici pater eius, propter hoc quod fuit principium activum in conceptione ipsius.

2. Praeterea, sicut mentes aliorum sanctorum formantur per Spiritum Sanctum, ita etiam corpus Christi est per Spiritum Sanctum formatum. Sed alii sancti, propter praedictam formationem, dicuntur filii totius Trinitatis: et per consequens Spiritus Sancti. Videtur ergo quod Christus debeat dici filius Spiritus Sancti, inquantum corpus eius est Spiritu Sancto formatum.

3. Praeterea, Deus dicitur pater noster secundum hoc quod nos fecit: secundum illud *Deut.* XXXII * (* Vers. 6.): *Nonne ipse est pater tuus, qui possedit et fecit et creavit te?* Sed Spiritus Sanctus fecit corpus Christi, ut dictum est * (* Art. 1, 2.). Ergo Spiritus Sanctus debet dici pater Christi secundum corpus ab ipso formatum.

Sed contra est quod Augustinus dicit, in *Enchirid.* * (* Cap. XL.): *Natus est Christus de Spiritu Sancto non sicut filius: et de Maria Virgine sicut filius.*

Respondeo dicendum quod nomina paternitatis

et maternitatis et filiationis generationem consequuntur, non tamen quamlibet, sed proprie generationem viventium, et praecipue animalium. Non enim dicimus quod ignis generatus sit filius ignis generantis, nisi forte secundum metaphoram: sed hoc solum dicimus in animalibus quorum generatio est magis perfecta. Nec tamen omne quod in animalibus generatur, filiationis accepit nomen: sed solum illud quod generatur in similitudine generantis. Unde, sicut Augustinus dicit *, non dicimus quod capillus qui nascitur ex homine, sit filius hominis; nec etiam dicimus quod [α] homo qui nascitur sit filius seminis: quia nec capillus habet similitudinem hominis; nec homo qui nascitur [β] habet similitudinem seminis, sed hominis generantis. Et si quidem perfecta sit similitudo, erit perfecta filiatio, tam in divinis quam in humanis. Si autem sit similitudo imperfecta, est [γ] etiam filiatio imperfecta. Sicut in homine est quaedam similitudo Dei imperfecta [δ], et inquantum creatus est ad imaginem Dei, et inquantum creatus [ε] est secundum similitudinem gratiae. Et ideo utroque modo potest homo dici filius eius [ζ]: et quia, scilicet, est creatus ad imaginem eius; et quia est ei assimilatus per gratiam.

* *Enchirid.*, cap. xxxix.

Est autem considerandum quod illud quod de aliquo dicitur secundum perfectam rationem, non est dicendum de eo secundum rationem imperfectam: sicut, quia Socrates dicitur naturaliter homo secundum propriam rationem hominis, nunquam dicitur homo secundum illam significationem qua pictura hominis dicitur homo, licet forte ipse assimiletur alteri homini. Christus autem est Filius Dei secundum perfectam rationem filiationis. Unde, quamvis secundum humanam naturam sit creatus et iustificatus, non tamen debet dici filius Dei neque ratione creationis, neque ratione iustificationis: sed solum ratione generationis aeternae, secundum quam est Filius Patris solius. Et ideo nullo modo debet dici Christus filius Spiritus Sancti: nec etiam totius Trinitatis.

Ad primum ergo dicendum quod Christus conceptus est de Maria Virgine materiam ministrante in similitudinem speciei. Et ideo dicitur filius eius. Christus autem, secundum quod homo, conceptus est de Spiritu Sancto sicut de activo principio: non tamen secundum similitudinem speciei, sicut homo nascitur de patre suo. Et ideo Christus non dicitur filius Spiritus Sancti.

Ad secundum dicendum quod homines qui spiritualiter formantur a Spiritu Sancto, non possunt dici filii Dei secundum perfectam rationem filiationis. Et ideo dicuntur filii Dei secundum filiationem imperfectam, quae est secundum similitudinem gratiae, quae est a tota Trinitate. Sed de Christo est alia ratio, ut dictum est *.

* In corpore.

Et similiter dicendum est ad tertium.

α) *capillus... dicimus quod.* – EF*a* et tertia et Escur.; om.
β) *nascitur.* – *ex semine* addit P.
γ) *est.* – *erit* F et tertia.
δ) *Sicut... imperfecta.* – F et tertia; *In homine autem est Dei similitudo* E, *Est autem similitudo imperfecta* ed. *a*, om. ceteri.
ε) *creatus.* – *recreatus* F et tertia praeter G, om. B.
ζ) *eius.* – *Dei* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore articuli tria fiunt: primo, praemittitur ratio paternitatis et filiationis, tam perfecte quam imperfecte, secundum quid attenditur; secundo, communis regula de praedicatione unius respectu eiusdem perfecte et imperfecte *; tertio, ex his respondetur quaesito *.

* Cf. num. II.
* Cf. num. III.

Quoad primum, duo de his dicuntur: primo, penes quid attendantur; secundo, distinguuntur in perfectae vel imperfectae rationis membra. Paternitas igitur et filiatio in animalium generatione secundum similitudinem, proprie dicuntur. Omnes particulae in littera singillatim et clare declarantur.

Distinguuntur autem paternitas et filiatio secundum perfectam vel imperfectam rationem, iuxta diversae rationis similitudinem. Nam animal ex animali, aut excellentius vivente quam animal, procedens, si perfecte accipit similitudinem producentis, perfecte ibi est pater et filius: si imperfecta est similitudo, imperfecta quoque est patris filiique ratio. Declaraturque exemplis Patris secundum creationem, et secundum adoptionem gratiae.

II. Quoad secundum, regula est: *De aliquo dictum secundum perfectam rationem, non dicitur de eodem secundum imperfectam rationem.* Declaratur exemplo de homine secundum rationem veri, et secundum rationem picti hominis, respectu Socratis. Et patet littera.

Ubi adverte quod regula intelligitur de praedicatione simpliciter et absolute, hoc est, sine additione aliqua *. Et in promptu eius ratio est: quia nomen quodcumque, simpliciter enuntiatum de aliquo perfecta ratione illud habente, non significatur diminute illi convenire; ac per hoc, non secundum imperfectam, sed secundum perfectam rationem.

* Cf. Aristot., *Topic.*, lib. II, c. xi, n. 4.

Et scito quod super ista regula fundatur intellectus sacrae Scripturae cum, de Iesu Christo loquens, affirmat ipsum esse Dei Filium. Ex hoc enim quod esse Filium Dei Christo convenit secundum perfectam filiationis Dei rationem, quia est naturalis Filius Dei; consequens est ut nunquam Christus intelligendus sit filius adoptivus, sicut ceteri sancti, cum dicitur Filius Dei.

III. Quoad tertium *, conclusio est: *Christus nullo modo debet dici filius Spiritus Sancti, aut totius Trinitatis.* Probatur. Christus est Filius Dei secundum perfectam rationem filiationis. Ergo neque ratione creationis, neque iustificationis, sed solius aeternae generationis, debet dici Filius Dei. Ergo nec Spiritus Sancti, nec Trinitatis debet dici filius.

* Num. I.

Antecedens patet. – Prima consequentia probatur ex regula praesupposita. – Secunda vero probatur: quia secundum aeternam generationem solius Patris est Filius.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM BEATA VIRGO ALIQUID ACTIVE EGERIT IN CONCEPTIONE CORPORIS CHRISTI

Infra, qu. XXXIII, art. 4, ad 2; III *Sent.*, dist. III, qu. II, art. 1.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Beata Virgo aliquid active egerit in conceptione corporis Christi. Dicit enim Damascenus, in III libro *, quod *Spiritus Sanctus supervenit Virgini, purgans ipsam, et virtutem susceptivam Verbi Dei tribuens, simul autem et generativam.* Sed virtutem generativam passivam habebat a natura: sicut et quaelibet femina. Ergo dedit ei virtutem generativam activam. Et sic aliquid active egit in conceptione Christi.

De Fide Orth., lib. III, cap. II.

2. PRAETEREA, omnes virtutes animae vegetabilis sunt virtutes activae: sicut Commentator dicit, in II *de Anima* *. Sed potentia generativa, tam in mare quam in femina, pertinet ad animam vegetabilem. Ergo, tam in mare quam in femina, active operatur ad conceptum prolis.

Text. comm. XXXIII.

3. PRAETEREA, femina ad conceptionem prolis materiam ministrat ex qua naturaliter corpus prolis formatur. Sed natura est principium motus intrinsecum *. Ergo videtur quod in ipsa materia quam Beata Virgo ministravit ad conceptum Christi, fuit aliquod principium activum.

Cf. Arist. Phys., lib. II, cap. I, n. 2. - S. Th. lect. I.

SED CONTRA EST quod principium activum in generatione dicitur ratio seminalis. Sed [α], sicut Augustinus dicit, X *super Gen. ad litt.* *, corpus Christi *in sola materia corporali, per divinam conceptionis formationisque rationem, de Virgine assumptum est: non autem secundum aliquam rationem seminalem humanam.* Ergo Beata Virgo nihil active fecit in conceptione corporis Christi.

Cap. XX.

RESPONDEO DICENDUM quod quidam * dicunt Beatam Virginem aliquid active esse operatam in conceptione Christi, et naturali virtute, et supernaturali. Naturali quidem virtute, quia ponunt quod in qualibet materia naturali est aliquod activum principium. Alioquin, credunt quod non esset transmutatio naturalis. – In quo decipiuntur *. Quia transmutatio dicitur naturalis propter principium intrinsecum non solum activum, sed etiam passivum: expresse enim dicit Philosophus, in VIII *Physic.* *, quod in gravibus et levibus est principium passivum motus naturalis *, et non activum *. Nec est possibile quod materia agat ad sui formationem *: quia non est actu. Nec est etiam possibile quod [β] aliquid moveat seipsum, nisi dividatur in duas partes, quarum una sit movens et alia sit mota: quod in solis animatis contingit, ut probatur in VIII *Physic.* *

Cf. Alex. Halens. Summ. Theolog. III, qu. VIII, memb. I, qu. inc. 3; S. Bonavent. III *Sent.*, dist. IV, art. 3, qu. I.
D. 851.
Cap. IV, n. 6. - S. Th. lect. VIII.
D. 691.
D. 690.
D. 241, 644, 1010.
Cap. IV, n. 3, 4. - S. Th. lect. VII.

Supernaturali autem virtute, quia dicunt ad matrem requiri quod non solum materiam ministret, quae est sanguis menstruus *; sed etiam semen, quod, commixtum virili semini, habet virtutem activam in generatione *. Et quia in Beata Virgine nulla fuit facta resolutio seminis, propter integerrimam eius virginitatem, dicunt quod Spiritus Sanctus supernaturaliter ei tribuit virtutem activam in conceptione corporis Christi, quam aliae matres habent per semen resolutum. – Sed hoc non potest stare. Quia, cum *quaelibet res sit propter suam operationem,* ut dicitur II *de Caelo* *; natura non distingueret ad opus generationis sexum maris et feminae, nisi esset distincta operatio maris ab operatione feminae. In generatione autem distinguitur operatio agentis et patientis. Unde relinquitur quod tota virtus activa sit ex parte maris, passio [γ] autem ex parte feminae *. Propter quod in plantis, in quibus utraque vis commiscetur, non est distinctio maris et feminae.

D. 868.
D. 1117.
* Cap. III, n. 1. - S. Th. lect. IV.
* D. 661.

Quia igitur Beata Virgo non hoc accepit ut esset pater Christi, sed mater, consequens est quod non acceperit potentiam activam in conceptione Christi: sive aliquid egerit, ex quo sequitur ipsam patrem fuisse Christi; sive nihil egerit, ut quidam dicunt, ex quo sequitur huiusmodi potentiam activam sibi frustra fuisse collatam. Et ideo dicendum est quod in ipsa conceptione Christi Beata Virgo nihil active operata est, sed solam materiam ministravit. Operata tamen est ante conceptionem aliquid active, praeparando materiam ut esset apta conceptui.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod illa conceptio tria privilegia habuit: scilicet, quod esset sine peccato originali; quod esset non puri hominis, sed Dei et hominis; item quod esset conceptio virginis. Et haec tria habuit a Spiritu Sancto. Et ideo dicit Damascenus, quantum ad primum, quod Spiritus Sanctus *supervenit Virgini purgans ipsam:* idest, praeservans * ne cum peccato originali conciperet. Quantum ad secundum, dicit, *et virtutem susceptivam Verbi Dei tribuens:* idest, ut conciperet Verbum Dei. Quantum autem ad tertium, dicit, *simul et generativam:* ut, scilicet, manens virgo posset generare, non quidem active sed passive, sicut aliae matres hoc consequuntur ex semine viri.

* D. 1054.

AD SECUNDUM DICENDUM quod potentia generativa in femina est imperfecta respectu potentiae generativae quae est in mare. Et ideo, sicut in artibus ars inferior disponit materiam, ars autem superior inducit formam, ut dicitur in II *Physic.* *; ita etiam virtus generativa feminae praeparat materiam, virtus vero activa maris format materiam praeparatam.

* Cap. II, n. 10. - S. Th. lect. IV.

AD TERTIUM DICENDUM quod ad hoc quod transmutatio sit naturalis, non requiritur quod in materia sit principium activum, sed solum passivum, ut dictum est *.

* In corpore.

α) *Sed.* – Ea et tertia; om.
β) *materia agat... possibile quod.* – EFa et tertia et Escur.; om.
γ) *passio.* – *passiva* sH.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus: notando quod non est quaestio an active egerit; sed an active egerit in ipso actu conceptionis corporis Christi. De actione enim circa illum actum est quaestio.

In corpore articuli quatuor fiunt: primo, refertur opinio quaedam, habens duas partes; secundo, improbatur prima pars illius *; tertio, secunda **; quarto, respondetur quaesito *.

* Cf. num. II. ** Cf. num. III. * Cf. num. VI.

Quoad primum, opinio dicit Beatam Virginem operatam in conceptione Christi active dupliciter: scilicet naturali, et supernaturali virtute. Et primae partis ratio est communis, de inchoatione formarum in materia per aliquod cooperativum principium in materia. In hoc enim ponitur differentia inter transmutationem naturalem et artificialem, quia naturalis habet tale principium in materia, et ideo est naturalis: artificialis vero habet solam materiam pure passivam.

II. Quoad secundum, tripliciter arguit contra hoc Auctor. Primo, interimendo fundamentum. Quia ad mutationem naturalem sufficit principium materiale esse passivum: ex auctoritate Aristotelis.

Secundo, quia impossibile est quod materia agat ad sui formationem: quia non est actu. Agere enim est actus, non potentiae: *semper enim aestimabitur species movere,* ut dicitur III *Physic.* *

* Cap. II, n. 6. - S. Th. lect. IV.

Tertio, quia impossibile est aliquid non divisum in duas partes ut animata, movere seipsum: ex VIII *Physicorum.*

Adverte hic quod oportet digredi ad quaestiones multas, si examinandae essent hae rationes. Nam et de inchoatione formarum, et de motu gravium et levium, et de maxima atque vetustissima ambiguitate an aliquid seipsum movere possit, tractare oporteret: et non theologiam, sed philosophiam puram tradere, opere longo. Propterea extra librum hunc tractanda haec relinquam.

* Num. I.

III. Quoad tertium *, ponitur, primo, ratio secundae partis. Et assumit ratio haec duo. Alterum, naturale: scilicet quod mater concurrit ad generationem per proprium semen, active concurrens ad generationem. Alterum, supernaturale: scilicet quod Beatae Virgini data est miraculose virtus illa activa quam aliae matres habent per semen; ut scilicet sine semine posset quod per semen potuisset. Et huius miraculi ratio est integerrima virginitas, cui repugnat seminis resolutio.

Deinde ponitur improbatio istius opinionis quoad radicem eius, et ipsam bipartitam. Et est ratio ista. Distinctio sexus est a natura propter diversam operationem ad generationem opportunam. Ergo est penes diversitatem agentis et patientis. Ergo tota virtus activa est ex parte maris, passio vero ex parte feminae. – Antecedens probatur ex II *Caeli*, sic. Sexus est propter operationem opportunam ad generationem. Ergo diversitas sexus est propter diversam operationem opportunam ad generationem. Consequentia haec est per se nota: et assumptum est ex II *Caeli*: *Unumquodque est propter suam operationem.* – Consequentia principalis probatur in littera, quia distinctio operationis in generatione est secundum agens et patiens.

Deinde, ad huius rationis conclusionem firmandam, affertur signum in littera ex plantis: quia ideo in illis non est distinctio sexus, quia activa et passiva virtus sunt mixtae. Hoc enim signum est quod distinctio sexus est penes activum et passivum. – Haec quoad radicem positionis.

Contra ipsam vero positionem procedit littera subsumendo. Beata Virgo non accepit a Spiritu Sancto ut esset pater Christi, sed mater. Ergo non accepit potentiam activam in conceptione.

Demum duae viae, secundum hanc opinionem, excluduntur. Altera, dicentium quod virtute illa supernaturali Beata Virgo usa est agendo conceptionem Christi. Et sic fuisset pater Christi. – Altera, dicentium quod virtute illa Beata Virgo non est usa. Et sic frustra collata ei fuisset virtus illa activa.

IV. Circa processum istum duo occurrunt dubia. Primum * est circa consequentiam principalem allatae rationis. Non enim apparet illius efficacia. Quoniam fundatur super illa universali: *Omnis diversitas operationum ad generationem est secundum diversitatem activi et passivi.* Quae non videtur vera: nec in littera habetur. Et quidem quod oporteat illam universaliter esse veram ad probandam dictam consequentiam, patet clarissime. Quia, nisi sit universaliter vera, facile negabitur consequentia, concedendo omnia assumpta: scilicet et quod distinctio sexuum est propter diversam operationem; et quod distinctio operationis aliqua est penes activum et passivum. Tunc enim patet debilitas consequentiae: quia ex hoc quod aliqua distinctio operis ad generationem est penes activum et passivum, non sequitur determinate, *Ergo distinctio sexus est penes activum et passivum.* Sed si omnis distinctio operationis ad generationem est penes activum et passivum, optime sequetur, *Ergo distinctio sexuum est penes activum et passivum:* quia ipsa est manifeste ad diversa opera ad generationem requisita.

* Cf. num.

V. Secundum dubium * est circa secundam consequentiam, scilicet: *Ergo tota vis activa se tenet ex parte patris.* Nam plus infertur quam sequatur. Licet enim sequatur, *Ergo vis activa se tenet ex parte patris,* non tamen sequitur, *Ergo tota se tenet ex illa parte.*

* Cf. ibid.

Et confirmatur. Quia, secundum multos concedentes marem et feminam distingui penes activum et passivum, pater etiam concurrit aliqualiter passive, pro quanto pars seminis paterni materialiter concurrit ad generationem. Igitur e contra aliquid ex parte matris non inconvenit concurrere active: quamvis principalius concurrat passive. Et sic falsum est totam vim activam ex parte maris, et totam passivam ex parte feminae se tenere.

VI. Antequam ad haec dicatur dubia, est terminandus progressus articuli: ut, motis aliis propinquis dubiis, possit simul responderi. Quoad quartum *, respondetur quaesito duabus conclusionibus. Prima est: *Beata Virgo in ipsa conceptione Christi nihil active operata est, sed solam materiam ministravit.* – Secunda conclusio est: *Ante conceptionem operata est aliquid active, praeparando materiam ut esset apta conceptui.*

* Num. I.

Prima conclusio non aliter in littera probatur quam ex supra * dictis illam inferendo. Si enim tota vis activa generationis est ex parte maris, restat ut femina passive solum concurrat. – Secunda autem conclusio tanquam manifesta relinquitur, quasi consequenter se habens.

* In corp.

Adverte hic quod aliud est loqui de ipso actu conceptionis: et aliud de mensura ipsius actus. In littera non dicitur quod Beata Virgo nihil active operata est in mensura actus conceptionis: sed dicitur quod nihil active operata est in ipso actu conceptionis. Nam Beata Virgo in illo instanti conceptionis materiam ministravit; ac per hoc, active operata est; quia materiam ministrare agere procul dubio est. Ita quod in certo tempore praecedente instans conceptionis, Beata Virgo active praeparavit materiam, ut in secunda conclusione dicitur: et in instanti terminante tempus illud, quod fuit instans conceptionis, praeparatam materiam ministravit, ut in prima conclusione dicitur, quasi ad terminum suae actionis perveniens. Ad ipsum autem conceptionis actum non concurrit active, sed passive, suscipiendo in materia ministrata actionem agentis Spiritus Sancti loco seminis.

VII. Occurrit circa conclusionem dubium ex Scoto, in III *Sent.*, dist. IV, qu. I, directe contra doctrinam praesentis articuli arguente. *Primo,* de matribus in communi *. Tum, primo, quia formas eiusdem speciei consequuntur potentiae naturales eiusdem speciei. Mas et femina sunt eiusdem speciei, X *Metaphys.* * Ergo, si formam maris sequitur potentia vegetativa activa, similiter et formam fe-

* Cf. num.

* S. Th. lect. Did. lib. IX, p. IX.

minae. – Et confirmatur. Quia aliter vegetativa maris et feminae differrent sicut activa et passiva. Et ita essent potentiae omnino alterius rationis.

Tum, secundo, quia mater naturaliter plus diligit filium quam pater: ut patet VIII *Ethic.* * Ergo filius est opus matris. – Et probatur consequentia. Quia pater diligit filium ut opus suum.

[margin: ap. XII, n. 2, Th. lect. XII; IX, cap. VII, 7, s. Th. lect.]

Tum, tertio, quia filius assimilatur magis quandoque matri quam patri. Ergo in matre est virtus activa. – Probatur sequela. Quia agentis est assimilare sibi effectum: ita quod effectus nulli assimilatur nisi propter aliquam actionem eius.

Tum, quarto, quia matrem tantum esse quasi vas in quo, sicut in loco conveniente, generatur proles, et de aliquo eius ut materia, non videtur plus dare matri quam terrae in generatione minerae, si de aliquo eius generatur minera. Et sic talis terra esset mater minerae. Immo homo esset mater vermis in eo geniti loco convenienti ex aliquo hominis. – Et si dicatur quod vermis non est eiusdem speciei: obiicitur quod asina est mater mulae, et tamen non est eiusdem speciei.

Secundo principaliter, obiicitur de hac matre in speciali *, per illud Damasceni, cap. XLVIII *: *virtutem tribuens susceptivam, simul autem et generativam.* Si enim ipsa esset tantum principium passivum, non videretur quare copulavit virtuti susceptivae virtutem generativam.

[margin: Cf. num. XI. — .l. lib. III, cap. *deFideOrth.*) – .d. arg. 1.]

VIII. Ad evidentiam motarum quaestionum, sciendum est quod veritas quaestionis huius, sicut et multarum aliarum, in medio consistit. Et ideo extrema sectati erraverunt: et quia *medium extremorum naturas sapit* *, veritatis aliquid attigerunt. Feminarum enim potentiae ad partem vegetativam spectantes activae procul dubio sunt: sed res facta ab activa potentia feminae materiale est, non activum generationis principium. Ita quod mas et femina conveniunt in hoc quod utriusque potentiae sunt activae, sed differunt in re facta per illas potentias: nam factum a mare semen est activum generationis principium, factum vero a femina, quidquid sit illud, menstruum aut semen, materiale est generationis principium.

[margin: ristot. *dePart. imal.*, lib. III, p. 1.]

Haec est Peripateticorum, quos Auctor sequitur, sententia *. Consonatque primae philosophiae. Quoniam sic inter marem et feminam unitas specifica salvatur et in formis et in potentiis, et differentia ponitur ex parte corporis, seu materiae, dum penes res factas, non penes potentias animae diversitas formalis activi et passivi collocatur: res enim facta ex parte corporis se tenet.

[margin: ristot. *de Generat. Animal.*, I, cap. II, XX; II, cap. IV; IV, cap. I. – Th. qu. XXVIII, 1, ad 5; qu. XI, art. 5; Averr. cit. in arg. 2.]

Consonat quoque specificae diversitati maris et feminae in genere sexus. Differentiae siquidem maris et feminae formalis est in genere sexus, materialis autem in genere animalis. Unde ista specifica differentia ex parte materiae consequens animalis genus, rationabiliter infert in ipsis propriis effectibus maris et feminae diversarum rationum conditiones.

Attestatur demum huic positioni ipsa exterior dispositio membrorum, cum suis propriis operationibus apparentibus manifeste. Membra siquidem masculino sexui propria ad agendum apta conspicimus: membra vero femineo sexui propria ad recipiendum facta videmus. Et feminas recipere semen a maribus efficientibus illud, constat. Recipere autem adeo includitur in eo quod est pati, ut etiam in substantiis immaterialibus, in quibus non manifeste apparet potentia passiva, dicamus eas tantum pati quantum recipiunt. Quo fit ut alienus a philosophiae viis sit qui negat feminas pati in conceptione, experientia testante eas recipere semen virile.

IX. His praelibatis, ad primum dubium contra processum litterae * dicitur quod sermo litterae est de prima distinctione per se operationis ad generandum: ita quod intentio litterae est quod prima per se diversitas operationum ad generandum est secundum rationem activi et passivi. Et haec propositio non eget probatione, quia ad sensum est per se nota: quia constat quod est secundum rationem immissionis et receptionis. Et super hac propositione optime fundatur sequela: quia mas et femina per se diversificantur penes diversa per se primo opera ad generandum; quoniam ad hoc a natura distinctio sexuum ordinatur, ut patet.

[margin: um. IV.]

Ad secundum vero dubium, contra eiusdem processus alteram consequentiam *, respondetur quod secunda consequentia, scilicet, *Ergo tota vis activa ex parte maris se tenet,* rationabilis est: quia ex eo quod e regione diversificantur per se primo opera generationis penes activum et passivum, consentaneum est ut tota latitudo activi in generatione se teneat ex parte primi activi. Quod autem opiniones diversae sint de semine maris, non obstat quin rationabilis sit positio contraria Peripateticorum principis *, quam sequitur Auctor. Non est alienum a doctrina sana tradere quod rationi consonat, licet demonstratio mathematica non habeatur, licet alii oppositum sentiant. Ex dictis siquidem quilibet percipere potest quod, ex apparentibus membris et operationibus constantibus arguendo ad ea quae sensui non subiacent, consentaneum rationi est ut prima distinguendi inter marem et feminam ratio sit penes agere et pati: procul dubio generationem, propter quam per se primo est sexus et eius diversitas.

[margin: * Num. V. — * Cf. num. praeced.]

X. Ad obiecta Scoti contra doctrinam articuli huius de matribus in communi *, respondetur. Et ad primum dicitur quod mirum est de isto homine assumente argumentum Auctoris in littera secundum, et vidente responsionem, et tamen arguente quasi Auctor non responderit. Dicimus ergo, ut iam * dictum est, quod nec somniavimus potentiam vegetativam in muliere esse passivam: activa enim est, sed materiae in quam semen viri agit. Sicut etiam in uno et eodem homine digestiva virtus est activa materiae in quam nutritiva agit convertendo in substantiam aliti. Nec accipias proprie, sed exempli gratia dictum in littera, in responsione ad secundum, quod potentiae generativae in mari et femina sint sicut ars superior et inferior. Sunt enim, non diversae, sed eiusdem rationis in se: quamvis, si ad res effectas ab eis referatur, diversarum rationum invenirentur secundum diversam rationem activi et passivi, agendi et patiendi, ut dictum est *. Dic ergo quod potentia generativa feminae est activa, non generationis, sed materiae proximae et propriae ipsius generationis et geniti.

[margin: * Num. VII. — * Num. VIII. — * Ibid.]

Ad secundum dicitur quod mater diligit filium suum ut proprium opus effective secundum propriam materiam, seu proprium corpus ipsius filii. Est enim ipsa effectiva causa materiae proximae, ut dictum est.

Et ex hoc patet responsio ad tertium, concedendo quod, quia mater est causa effectiva materiae proximae filii, ideo filius assimilatur matri. Sed falluntur arguentes a negata efficientia respectu actus conceptionis seu generationis in utero, ad inferendum negari omnem efficientiam respectu filii.

Ad quartum dicitur quod nos non dicimus matrem esse ut vas seu locum, etc. Ambae enim opiniones sunt extremae: et quod mater concurrat active ad generationem; et quod mater sit pure receptive et passive principium filii. Media siquidem est peripatetica sententia: matrem esse principium activum materiae filii, et passivum generationis eiusdem.

XI. Ad obiecta ex Damasceni auctoritate *, respondetur in littera, ad primum, quod ideo generativam adiunxit Damascenus susceptivae, quia diversas conditiones indicant. Susceptiva quidem potentia ad Filium Dei refertur: generativa autem ad virginitatem matris. Virgo enim, manens virgo, non potest generare: quoniam generatio tunc tantum naturaliter fieri potest a femina, quantumcumque fecunda, cum concipere potest; concipere autem passive non potest sine virili semine; quod si fit, iam non virgo conciperet. Quia ergo Beatae Virgini tributum est ut manens virgo posset concipere, ideo, ad hoc describendum, Damascenus addidit *generativam.* Potentia enim passive generativa procul dubio potentia generativa est, multum distans a ratione potentiae susceptivae Verbi Dei, ut patet.

[margin: * Num. VII, *Secundo, principaliter.*]

QUAESTIO TRIGESIMATERTIA

DE MODO ET ORDINE CONCEPTIONIS CHRISTI

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. xxxi, Introd.

Deinde considerandum est de modo et ordine conceptionis Christi *.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo: utrum corpus Christi in primo instanti conceptionis fuerit formatum.

Secundo: utrum in primo instanti conceptionis fuerit animatum.

Tertio: utrum in primo instanti conceptionis fuerit a Verbo assumptum.

Quarto: utrum conceptio illa fuerit naturalis vel miraculosa.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM CORPUS CHRISTI FUERIT FORMATUM IN PRIMO INSTANTI CONCEPTIONIS

III *Sent.*, dist. III, qu. V, art. 2; IV *Cont. Gent.*, cap. XLIV; *Compend. Theol.*, cap. CCXVIII; *In Ioan.*, cap. I, lect. IX; cap. II, lect. XV.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod corpus Christi non fuerit formatum in primo instanti conceptionis. Dicitur enim Ioan. II *: *Quadraginta et sex annis aedificatum est Templum hoc:* quod exponens Augustinus, in IV *de Trin.* *, dicit: *Hic numerus perfectioni dominici corporis aperte congruit.* Et in libro *Octoginta trium Quaest.* * dicit: *Non absurde quadraginta sex annis dicitur fabricatum esse Templum, quod corpus eius figurabat: ut, quot anni fuerunt in fabricatione Templi, tot dies fuerint in corporis dominici perfectione.* Non ergo in primo instanti conceptionis corpus Christi fuit perfecte formatum.

* Vers. 20. — * Cap. v. - Cf. III *Sent.*, dist. III. — * Qu. LVI.

2. Praeterea, ad formationem corporis Christi requirebatur motus localis, quo purissimi sanguines de corpore Virginis ad locum congruum generationi pervenirent. Nullum autem corpus potest moveri localiter in instanti: eo quod tempus motus dividitur secundum divisionem mobilis, ut probatur in VI *Physic.* * Ergo corpus Christi non fuit in instanti formatum.

* Cap. IV, n. 6 sqq. - S. Th. lect. VI.

3. Praeterea, corpus Christi formatum est ex purissimis sanguinibus Virginis, ut supra * habitum est. Non autem potuit esse materia illa in eodem instanti sanguis et caro: quia sic materia simul fuisset sub duabus formis. Ergo aliud fuit instans in quo ultimo fuit sanguis, et aliud in quo primo fuit caro formata. Sed inter quaelibet duo instantia est tempus medium *. Ergo corpus Christi non fuit in instanti formatum, sed per aliquod tempus.

* Qu. XXXI, art. 5. — * D. 741.

4. Praeterea, sicut potentia augmentativa requirit determinatum tempus in suo actu, ita etiam virtus generativa: utraque enim est potentia naturalis ad vegetabilem [α] animam pertinens. Sed corpus Christi fuit determinato tempore augmentatum, sicut et aliorum hominum corpora: dicitur enim Luc. II *, quod *proficiebat aetate et sapientia.* Ergo videtur quod, pari ratione, formatio corporis eius, quae pertinet ad vim generativam, non fuerit in instanti, sed determinato tempore quo aliorum hominum corpora formantur.

* Vers. 52.

Sed contra est quod Gregorius dicit, XVIII *Moral.* *: *Angelo nuntiante, et Spiritu adveniente, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro.*

* Cap. LII, 31, in vet. XX[...]

Respondeo dicendum quod in conceptione corporis Christi tria est considerare: primo quidem, motum localem sanguinis ad locum generationis; secundo, formationem corporis ex tali materia; tertio, augmentum quo perducitur ad quantitatem perfectam. In quorum medio ratio conceptionis consistit: nam primum est conceptioni praeambulum; tertium autem conceptionem consequitur.

Primum autem non potuit esse in instanti: quia hoc est contra ipsam rationem motus localis corporis cuiuscumque, cuius partes successive subintrant locum. – Similiter et tertium oportet esse successivum. Tum quia augmentum non est sine motu locali. Tum etiam quia procedit ex virtute animae iam in corpore formato operantis, quae non operatur nisi in tempore.

Sed ipsa formatio corporis, in qua principaliter ratio conceptionis consistit, fuit in instanti, duplici ratione. Primo quidem, propter virtutem agentis infinitam, scilicet Spiritus Sancti, per quem corpus Christi est formatum, ut supra * dictum est. Tanto enim aliquod agens citius potest materiam disponere, quanto fuerit maioris virtutis. Unde agens infinitae virtutis potest in instanti materiam disponere ad debitam formam.

* Qu. XXXII[...]

Secundo, ex parte personae Filii, cuius corpus formabatur. Non enim erat congruum ut corpus humanum assumeret nisi formatum. Si autem

α) *vegetabilem.* – *vegetativam* editiones.

ante formationem perfectam aliquod tempus conceptionis praecessisset, non posset tota conceptio attribui Filio Dei, quae non attribuitur ei nisi ratione assumptionis. Et ideo in primo instanti quo materia adunata pervenit ad locum generationis, fuit perfecte formatum corpus Christi et assumptum. Et per hoc dicitur ipse Filius Dei conceptus: quod aliter dici non posset.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod verbum Augustini utrobique non refertur ad solam formationem corporis Christi: sed ad formationem simul cum determinato augmento usque ad tempus partus. Unde secundum rationem illius numeri dicitur perfici tempus novem mensium, quo Christus fuit in utero Virginis.

AD SECUNDUM DICENDUM quod motus ille localis non comprehenditur infra ipsam conceptionem, sed est conceptioni praeambulus.

AD TERTIUM DICENDUM quod non est assignare ultimum instans in quo materia illa fuit sanguis*: sed est assignare ultimum tempus, quod continuatur, nullo interveniente medio, ad primum instans in quo fuit caro Christi formata. Et hoc instans fuit terminus temporis motus localis materiae ad locum [β] generationis.

* p. 744.

AD QUARTUM DICENDUM quod augmentum fit per potentiam augmentativam ipsius quod augetur: sed formatio corporis fit per potentiam generativam, non eius qui generatur, sed patris generantis ex semine, in quo operatur vis formativa ab anima patris derivata. Corpus autem Christi non fuit formatum ex semine viri, sicut supra* dictum est, sed ex operatione Spiritus Sancti. Et ideo talis debuit esse formatio ut Spiritum Sanctum deceret. Sed augmentum corporis Christi fuit factum secundum potentiam augmentativam animae Christi: quae cum sit specie conformis animae nostrae, eodem modo debuit corpus illud augmentari sicut et alia corpora hominum augmentantur, ut ex hoc ostenderetur veritas humanae naturae.

* Qu. xxxi, art. 5 ad 3.

β) *locum.* – P; *motum.* Cf. corp. art. princ. et qu. xxxi art. 5 ad 3 fin.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS de mensura formationis qua corpus figuratum in membrorum interiorum et exteriorum formas est, quaerit: an scilicet mensura durationis ipsius formationis fuerit instans conceptionis; an, sicut in aliis hominibus, fuerit tempus consequens conceptionem.

In corpore articuli, primo distinctio trimembris fit; secundo, singula tractantur membra; et sic respondetur quaesito *.

* num. III.

Distinctio est. Tria in conceptione considerantur, etc. Quae clare patent in littera.

II. Tractando autem tertium membrum, scilicet de augmento, adverte quod, cum dicitur augmentum non esse sine motu locali, intellige de motu locali formaliter vel virtualiter: hoc est, vel quia motui augmentationis iungitur vere localis motus corporis quanti ad maiorem locum; vel ipse motus augmenti, afferens intrinsece quantitatem maiorem, est collativus per viam sequelae maioris loci, ac si motus ibi interveniret localis. Utro autem modo sit, ratio litterae currit: quia utroque modo tempore mensuratur acquisitio maioris loci. Non est autem locus iste consonus discutiendae huic quaestioni.

III. Tractando secundum membrum, in quo tituli quaestio consistit, conclusio responsiva ponitur: *Formatio corporis Christi fuit in instanti.* Probatur dupliciter. Primo, ex infinitate virtutis activae. Secundo, ex parte personae Filii.

Clara sunt in littera, si adverteris quod prima ratio concludit de possibili, secunda vero de facto. Nam ex infinitate virtutis activae, agentis tamen secundum liberum arbitrium, non infertur efficaciter quod fecit, sed quod facere potuit in instanti. Et hoc expresse sonant verba litterae. Ex necessitate autem confitendi quod Filius Dei conceptus est, iuncta decentia quod non nisi formatum corpus assumendum erat, infertur quod de facto idem fuit instans conceptionis, formationis et assumptionis, ut patet.

IV. In responsione ad primum, adverte quod Magister Sententiarum, in III distinctione Tertii, exponit Augustini auctoritatem, non de formatione in se, sed in sua manifestatione. Et in idem redit responsio Auctoris obscurior, quae de augmento illius formationis exponit: augmentatio enim formatorum manifestavit formationem latentem prius ob parvitatem. Consonat autem expositio haec Augustini verbis, qui de perfectione dominici corporis loquitur. Quamvis enim ipsa formatio dominici corporis in primo instanti fuerit perfecta essentialiter, non tamen fuit perfecta quantitative. Hoc est quod, licet habuerit in primo instanti omnia membra et lineamenta, non tamen in ea quantitate quam habuisset si in quadraginta et sex diebus fuisset corpus illud formatum: sed ad tantam quantitatem pervenit spatio quadraginta et sex dierum. Et propterea tot dies in dominici corporis perfectione intervenisse dicuntur. Verum est enim hoc de perfectione quantitativa formationis corporis, et non de perfectione essentiali ipsius formationis, ut dictum est. Et ideo, licet inter formationem corporis Christi et aliorum sit differentia temporis, quia Christi corpus in instanti formatum est, aliorum vero in quadraginta sex diebus; inter perfectionem tamen quantitativam solitam perfici in quadraginta sex diebus in corporibus masculorum, respectu corporis Christi et aliorum nulla est differentia: quia in Christi corpore, sicut in aliorum hominum corporibus perficiendis, quadraginta et sex dies consummati sunt. Et hoc Augustinus tradidit, Auctor et Magister Sententiarum exposuerunt.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CORPUS CHRISTI FUERIT ANIMATUM IN PRIMO INSTANTI CONCEPTIONIS

III *Sent.*, dist. III, qu. V, art. 2; IV *Cont. Gent.*, cap. XLIV; *Compend. Theol.*, cap. CCXVIII; *In Ioan.*, cap. I, lect. IX.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod corpus Christi non fuit animatum in primo instanti conceptionis. Dicit enim Leo Papa, in Epistola *ad Iulianum* *: *Non alterius naturae erat caro Christi quam nostrae* [α]: *nec alio illi quam ceteris hominibus anima est inspirata principio*. Sed aliis hominibus non infunditur anima in primo instanti suae conceptionis. Ergo neque corpori Christi anima debuit infundi in primo instanti suae conceptionis.

* Ep. XXXV, al. XI, cap. III.

2. PRAETEREA, anima, sicut quaelibet forma naturalis, requirit determinatam quantitatem in sua materia. Sed in primo instanti conceptionis corpus Christi non habuit tantam quantitatem quantam habent corpora aliorum hominum quando animantur: alioquin, si continue fuisset postmodum augmentatum, vel citius fuisset natum; vel in sua nativitate fuisset maioris quantitatis quam alii infantes. Quorum primum est contra Augustinum, IV *de Trin.* *, ubi probat eum spatio novem mensium in utero Virginis fuisse: secundum autem est contra Leonem Papam, qui, in Sermone *Epiphaniae* *, dicit: *Invenerunt* [β] *puerum Iesum in nullo ab humanae infantiae generalitate discretum*. Non ergo corpus Christi fuit animatum in primo instanti suae conceptionis.

* Cap. V.

* Serm. IV *in Epiph.*, cap. III.

3. PRAETEREA, ubicumque est prius et posterius, oportet esse plura instantia. Sed secundum Philosophum, in libro *de Generat. Animal.* *, in generatione hominis requiritur prius et posterius: prius enim est vivum, et postea animal, et postea homo. Ergo non potuit animatio Christi perfici in primo instanti conceptionis.

* Lib. II, cap. III.

SED CONTRA EST quod Damascenus dicit, in III libro *: *Simul caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata anima rationali et intellectuali.*

* *De Fide Orth.*, lib. III, cap. II.

RESPONDEO DICENDUM quod, ad hoc quod conceptio ipsi Filio Dei attribuatur, ut in Symbolo * confitemur, dicentes, *Qui conceptus est de Spiritu Sancto;* necesse est dicere quod ipsum corpus, dum conciperetur, esset a Verbo Dei assumptum. Ostensum est autem supra * quod Verbum Dei assumpsit corpus mediante anima, et animam mediante spiritu, idest intellectu. Unde oportuit quod in primo instanti conceptionis corpus Christi esset animatum anima rationali.

* Apostolorum.

* Qu. VI, art. 1, 2.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod principium inspirationis animae potest considerari dupliciter. Uno modo, secundum dispositionem corporis. Et sic non ab alio principio inspirata est anima corpori Christi, et corporibus aliorum hominum. Sicut enim statim, formato corpore alterius hominis, infunditur anima, ita fuit in Christo. – Alio modo potest considerari dictum principium solum secundum tempus. Et sic, quia prius tempore formatum fuit perfecte corpus Christi, prius tempore fuit etiam animatum.

AD SECUNDUM DICENDUM quod anima requirit debitam quantitatem in materia cui infunditur: sed ista quantitas quandam latitudinem habet, quia et in maiori et minori quantitate salvatur. Quantitas autem corporis quam habet cum primo sibi infunditur anima, proportionatur quantitati perfectae ad quam per augmentum perveniet: ita scilicet quod maiorum hominum maiorem quantitatem corpora habent in prima animatione. Christus autem in perfecta aetate habuit decentem et mediocrem quantitatem: cui proportionabatur quantitas quam corpus eius habuit in tempore quo aliorum hominum corpora animantur; minorem tamen habuit in principio suae conceptionis. Sed tamen illa parva quantitas non erat tam parva ut in ea non posset ratio animati corporis conservari: cum in tali quantitate quorundam parvorum hominum corpora animentur.

AD TERTIUM DICENDUM quod in generatione aliorum hominum locum habet quod dicit Philosophus, propter hoc quod successive corpus formatur et disponitur ad animam: unde primo, tanquam imperfecte dispositum, recipit animam imperfectam; et postmodum, quando perfecte est dispositum, recipit animam perfectam. Sed corpus Christi, propter infinitam virtutem agentis, fuit perfecte dispositum in instanti. Unde statim in primo instanti recepit formam perfectam, idest animam rationalem.

α) *nostrae.* – *nostra* P.

β) *Invenerunt.* – *quod Magi invenerunt* F et tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS de animato intellectiva anima, quaerit.

In corpore una est conclusio: *Corpus Christi in primo conceptionis instanti fuit animatum anima rationali.* Probatur. Filius Dei conceptus est ex Spiritu Sancto. Ergo, dum conciperetur, assumpsit corpus. Ergo animatum anima intellectiva.

Antecedens est in Symbolo. – Prima consequentia probatur. Quia aliter non attribui posset Filio Dei conceptum esse. – Secunda vero: quia assumpsit corpus mediante anima, et animam mediante spiritu, idest intellectu; ut patet ex superioribus.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM CARO CHRISTI PRIUS FUERIT CONCEPTA, ET POSTMODUM ASSUMPTA

III *Sent.*, dist. II, qu. II, art. 3, qu[a] 1; dist. III, qu. V, art. 2; IV *Cont. Gent.*, cap. XLIII.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod caro Christi prius fuit concepta, et postmodum assumpta. Quod enim non est, non potest assumi. Sed caro Christi per conceptionem esse incoepit. Ergo videtur quod fuerit assumpta a Verbo Dei postquam fuit concepta.

2. PRAETEREA, caro Christi fuit assumpta a Verbo Dei mediante anima rationali. Sed in termino conceptionis accepit animam rationalem. Ergo in termino conceptionis fuit assumpta. Sed in termino conceptionis dicitur iam concepta. Ergo prius fuit concepta, et postmodum assumpta.

3. PRAETEREA, in omni generato prius tempore est id quod est imperfectum, eo quod est perfectum: ut patet per Philosophum, in IX *Metaphys.* * Sed corpus Christi est quiddam generatum. Ergo ad ultimam perfectionem, quae consistit in unione ad Verbum Dei, non statim in primo instanti conceptionis pervenit, sed primo fuit caro concepta, et postmodum assumpta.

* ... lect. VII.- ... b. VIII, cap. ... II. 3.

SED CONTRA EST quod Augustinus * dicit, in libro *de Fide ad Petrum* *: *Firmissime tene, et nullatenus dubites carnem Christi non fuisse conceptam in utero Virginis priusquam susciperetur a Verbo.*

* ...gentius.
* ... XVIII, al. XV, 61.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, proprie dicimus *Deum factum esse hominem,* non autem proprie dicimus quod *homo factus sit Deus:* quia scilicet Deus assumpsit sibi id quod est hominis; non autem praeexstitit id quod est hominis, quasi per se subsistens, antequam susciperetur a Verbo. Si autem caro Christi fuisset concepta antequam susciperetur a Verbo, habuisset aliquando aliquam hypostasim praeter hypostasim Verbi Dei. Quod est contra rationem incarnationis, secundum quam ponimus Verbum Dei esse unitum humanae naturae, et omnibus partibus eius, in unitate hypostasis: nec fuit conveniens quod hypostasim praeexistentem humanae naturae, vel alicuius partis eius, Verbum Dei sua assumptione destrueret. Et ideo contra fidem est dicere quod caro Christi prius fuerit concepta, et postmodum assumpta a Verbo Dei.

* Q. XVI, art. 6, 7.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, si caro Christi non fuisset in instanti formata seu concepta, sed per temporis successionem, oporteret alterum duorum sequi: vel quod assumptum nondum esset caro; vel quod prius esset conceptio carnis quam eius assumptio. Sed quia ponimus conceptionem in instanti esse perfectam, consequens est quod in illa carne simul fuit concipi et conceptum esse. Et sic, ut [α] dicit Augustinus, in libro *de Fide ad Petrum* *, *dicimus ipsum Dei Verbum suae carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem Verbi incarnatione conceptam.*

* Loc. cit. supra.

Et per hoc patet responsio ad secundum. Nam simul dum caro illa concipitur, concepta est et animatur.

AD TERTIUM DICENDUM quod in mysterio incarnationis non consideratur ascensus, quasi alicuius praeexistentis proficientis usque ad unionis dignitatem: sicut posuit Photinus haereticus. Sed potius ibi consideratur descensus: secundum quod perfectum Dei Verbum imperfectionem naturae nostrae sibi assumpsit; secundum illud Ioan. VI *: *Descendi de caelo.*

* Vers. 38, 51.

α) *sic, ut.* – *sic* ed. *a*, *sicut* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS prima facie superfluitatem prae se fert: quia iam in praecedenti articulo assumptum et probatum est quod, dum conciperetur corpus Christi, assumptum est. Veruntamen, si conspectum fuerit quod proprias habet difficultates propositio ista, quae manifestata est ad fundandum antedicta, non superfluitati, sed perfectioni doctrinae attribuetur quod specialiter mota sit quaestio de articulo isto.

In corpore articuli unica est conclusio: *Caro Christi est simul concepta et assumpta a Verbo.* Probatur dupliciter. Primo, ex proprietate loquendi supra definita. Secundo, deducendo ad inconveniens.

Probatio prima est, quia illa est propria, *Deus factus est homo:* non autem ista, *Homo factus est Deus.* Haec enim loquendi proprietas significat id quod est hominis non praeexstitisse: ac per hoc, carnem non prius fuisse quam assumptam esse.

Ratio autem ad inconveniens est: Si caro Christi fuisset prius concepta quam assumpta, habuisset aliquando propriam hypostasim praeter Verbi hypostasim. Et sic, aut unio incarnationis non fuisset secundum hypostasim: aut destructa fuisset propria carnis hypostasis in assumptione. Hoc secundum est inconveniens: primum autem est contra mysterium incarnationis. Ergo contra fidem est dicere carnem Christi prius conceptam quam assumptam.

II. Adverte hic quod, quia fides nullum inducit inconveniens asserendum, ideo, seclusis inconvenientibus responsionibus, quae semper pro exclusis habendae sunt, Auctor concludit positionem hanc esse contra fidem, utpote talem ex qua sequitur aliquid contra fidem incarnationis. Sequitur enim non esse factam unionem hypostaticam inter Verbum et humanam naturam secundum se et eius essentiales partes. Ac per hoc, in triduo mortis Christi, quando caro erat separata ab anima, non fuisset verum dicere quod *Filius Dei est in sepulcro,* quia hypostasis corporis non fuit hypostasis Filii Dei.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CONCEPTIO CHRISTI FUERIT NATURALIS

III *Sent.*, dist. III, qu. II, art. 2.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod conceptio Christi fuerit naturalis. Secundum enim conceptionem carnis Christus dicitur Filius Hominis. Est autem verus et naturalis hominis filius: sicut et verus et naturalis Dei Filius. Ergo eius conceptio fuit naturalis.

2. Praeterea, nulla creatura producit operationem miraculosam. Sed conceptio Christi attribuitur Beatae Virgini, quae est pura creatura: dicitur enim quod Virgo Christum concepit. Ergo videtur quod non sit miraculosa, sed naturalis conceptio.

3. Praeterea, ad hoc quod aliqua transmutatio sit naturalis, sufficit quod principium passivum sit naturale, ut supra * habitum est. Sed principium passivum ex parte matris in conceptione Christi fuit naturale, ut ex dictis * patet. Ergo conceptio Christi fuit naturalis.

* Qu. XXXII, art. 4.
* Ibid.

Sed contra est quod Dionysius dicit, in Epistola *ad Caium Monachum* *: *Super hominem operatur Christus ea quae sunt hominis: et hoc monstrat virgo supernaturaliter concipiens.*

* Epist. IV.

Respondeo dicendum quod, sicut Ambrosius dicit, in libro *de Incarnatione* *, *multa in hoc mysterio et secundum naturam invenies, et ultra naturam.* Si enim consideremus id quod est ex parte materiae conceptus, quam mater ministravit, totum est naturale. Si vero consideremus id quod est ex parte virtutis activae, totum est miraculosum. Et quia unumquodque magis iudicatur secundum formam quam secundum materiam; et similiter secundum agens quam secundum patiens: inde est quod conceptio Christi debet dici simpliciter miraculosa et supernaturalis, sed secundum aliquid naturalis.

* Cap. VI.

Ad primum ergo dicendum quod Christus dicitur naturalis filius hominis inquantum habet naturam humanam veram, per quam est filius hominis, licet eam miraculose habuerit: sicut caecus illuminatus videt naturaliter per potentiam visivam quam miraculose accepit.

Ad secundum dicendum quod conceptio attribuitur Beatae Virgini, non tanquam principio activo, sed quia ministravit materiam conceptui, et in eius utero est conceptio celebrata.

Ad tertium dicendum quod principium passivum naturale sufficit ad transmutationem naturalem quando naturali et consueto modo movetur a principio activo proprio. Sed hoc in proposito non habet locum. Et ideo conceptio illa non potest dici simpliciter naturalis.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus quaerit an simpliciter et absolute conceptio Christi fuerit naturalis, vel miraculosa. Constat enim quod in conceptione aliquid fuerit naturale, et aliquid miraculosum: sed quaeritur an fuerit simpliciter et absolute miraculosa.

In corpore una est conclusio, habens duas partes: *Conceptio est simpliciter miraculosa, secundum aliquid naturalis.* Declaratur et probatur. Declaratio est ex auctoritate Ambrosii: quae exponitur quia ex parte materiae ministratae a matre est naturalitas, ex parte virtutis activae est supernaturalitas. – Probatio est. Unumquodque magis iudicatur secundum formam et agens, quam materiam et patiens. Ergo conceptio Christi est simpliciter miraculosa, et secundum quid naturalis.

II. Adverte hic quod quia, ut in II traditur *Physic.* *, forma ex parte agentis se tenet; ideo Auctor formam agenti coniunxit in probatione, licet in declaratione solius activae virtutis meminerit.

* Cf. lib. III, cap. II, n. 6. - S. Th. lect. IV.

Rursus adverte quod Auctor, ad rem spectans, non curavit discutere tertium membrum, scilicet quod illa conceptio nec naturalis nec miraculosa simpliciter est, sed secundum aliquid miraculosa et secundum aliquid naturalis. Ratio enim allata in littera non solum concludit quod magis est miraculosa quam naturalis, sed sufficiens est ad concludendum quod est simpliciter miraculosa: quoniam iudicium simpliciter et absolute habendum de re secundum formale sumitur, ut in littera fit. Et ideo, ad rem, hoc est ad vim medii spectando, Auctor intulit quod simpliciter est miraculosa: licet, secundum verba, assumpserit concludendum quod est magis miraculosa quam naturalis, dum assumpsit, *Unumquodque magis iudicatur secundum formam,* etc. Unde patet efficacia processus litterae.



QUAESTIO TRIGESIMAQUARTA

DE PERFECTIONE PROLIS CONCEPTAE

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

Deinde considerandum est de perfectione prolis conceptae *.

Cf. qu. xxvii, Introd.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo: utrum in primo instanti conceptionis Christus fuerit sanctificatus per gratiam.

Secundo: utrum in eodem instanti habuerit usum liberi arbitrii.

Tertio: utrum in eodem instanti potuerit mereri.

Quarto: utrum in eodem instanti fuerit plene comprehensor.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM CHRISTUS FUERIT SANCTIFICATUS IN PRIMO INSTANTI SUAE CONCEPTIONIS

III *Sent.*, dist. III, qu. v, art. 3.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod Christus non fuerit sanctificatus in primo instanti suae conceptionis. Dicitur enim I *Cor.* xv *: *Non prius quod spirituale est, sed quod animale: deinde quod spirituale.* Sed sanctificatio gratiae pertinet ad spiritualitatem. Non ergo statim a principio suae conceptionis Christus percepit gratiam sanctificationis, sed post aliquod spatium temporis.

Vers. 46.

2. Praeterea, sanctificatio videtur esse a peccato: secundum illud I *Cor.* vi *: *Et hoc quidem fuistis aliquando*, scilicet peccatores, *sed abluti estis, sed sanctificati estis.* Sed in Christo nunquam fuit peccatum. Ergo non convenit sibi sanctificari per gratiam.

Vers. 11.

3. Praeterea, sicut per Verbum Dei *omnia facta sunt* *, ita per Verbum incarnatum sunt omnes homines sanctificati qui sanctificantur: *Heb.* II *: *Qui sanctificat et qui sanctificantur ex uno omnes.* Sed *Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, non est factum:* ut Augustinus dicit, in I *de Trin.* * Ergo Christus, per quem sanctificantur omnes, non est sanctificatus.

Ioan. cap. I, vers. 3. Vers. 11. Cap. VI; lib. IV, cap. I.

Sed contra est quod dicitur Luc. I *: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et Ioan. x *: *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum.*

Vers. 35. Vers. 36.

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, abundantia gratiae sanctificantis animam Christi derivatur ex ipsa Verbi unione: secundum illud Ioan. I *: *Vidimus gloriam eius quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.* Ostensum est autem supra * quod in primo instanti conceptionis corpus Christi animatum fuit et a Verbo Dei assumptum. Unde consequens est quod in primo instanti conceptionis Chritus habuit plenitudinem gratiae sanctificantis animam et corpus eius.

Qu. VII, art. 9, 12. Vers. 14. Qu. XXXIII, art. 2, 3.

Ad primum ergo dicendum quod ille ordo quem ponit ibi Apostolus, pertinet ad eos qui per profectum ad spiritualem statum perveniunt. In mysterio autem incarnationis magis consideratur descensus divinae plenitudinis in naturam humanam, quam profectus humanae naturae, quasi praeexistentis, in Deum. Et ideo in homine Christo a principio fuit perfecta spiritualitas.

Ad secundum dicendum quod sanctificari est aliquid *fieri sanctum.* Fit autem aliquid non solum ex contrario, sed etiam ex negative vel privative [α] opposito: sicut album fit ex nigro, et etiam ex non albo. Nos autem ex peccatoribus sancti efficimur: et ita sanctificatio nostra est ex peccato. Sed Christus quidem, secundum hominem, factus est sanctus, quia hanc gratiae sanctitatem non semper habuit: non tamen factus est sanctus ex peccatore, quia peccatum nunquam habuit; sed factus est sanctus ex non sancto secundum hominem, non quidem privative, ut scilicet aliquando fuerit homo et non fuerit sanctus, sed negative, quia scilicet, quando non fuit homo, non habuit sanctitatem humanam. Et ideo simul factus fuit homo et sanctus homo. Propter quod Angelus dixit, Luc. I *: *Quod nascetur ex te sanctum.* Quod exponens Gregorius, XVIII *Moral.* *, dicit: *Ad distinctionem nostrae sanctitatis, Iesus sanctus nasciturus asseritur. Nos quippe, si sancti efficimur, non tamen nascimur: quia ipsa naturae corruptibilis conditione constringimur. Ille autem solus veraciter sanctus natus est, qui ex coniunctione carnalis copulae conceptus non est.*

α

* Cf. arg. *Sed contra.* * Cap. LII, al. XXVII; in vet. XXXV.

Ad tertium dicendum quod aliter operatur Pater creationem rerum per Filium, aliter tota Trinitas

α) *negative vel privative.* – DEF*a* et tertia; *negante vel privante.*

sanctificationem hominum per hominem Christum. Nam Verbum Dei est eiusdem virtutis et operationis cum Deo Patre: unde Pater non operatur per Filium sicut per instrumentum, quod movet motum *. Humanitas autem Christi est sicut *instrumentum divinitatis*, sicut supra * dictum est. Et ideo humanitas Christi est sanctificans et sanctificata.

* Aristot. *Phys.* lib. VIII, cap. ... n. 5; s. Th. ... IX. - * Qu. II, art. ... arg. 4; qu. ... art. 1, ad 3; ... VIII, art. 1, a...; qu. XVIII, ar... ad 2.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est, intellectus ut sonat. – In corpore unica est conclusio: *Christus fuit sanctificatus in primo suae conceptionis instanti.* Probatur. Abundantia gratiae sanctificantis animam Christi derivatur ex ipsa Verbi unione. Ergo in primo instanti conceptionis Christus habuit plenitudinem gratiae sanctificantis animam et corpus eius.

Antecedens probatur Ioan. I. – Consequentia probatur ex supra dictis: quod corpus Christi animatum et assumptum in primo suae conceptionis instanti fuit.

II. Adverte hic, et in responsione ad primum, ut ipsum originis ordinem sic intuearis ut perspicias esse non solum originis, sed causalitatis ordinem inter gratiam unionis et gratiam habitualem in Christo: haec enim Auctor hic docet ex doctrina Evangelica: *Vidimus eum plenum gratia quasi Unigenitum a Patre.* Nota autem hoc, quia priora ordine generationis tantum sunt imperfectiora, utpote ordinata ad posteriora ut ad finem, ut artificialium ordo in executione testatur: sed priora ordine generationis et causalitatis simul non imperfectiora, sed perfectiora sunt, et fines posteriorum, ut patet de substantia et accidente proprio; homo enim prius generatur quam suum accidens proprium, quod ipsum concomitatur, perfectius tamen ens homo est, quia non solum origine, sed causalitate praecedit suum accidens; est enim illius causa effectiva et finalis. Et simile accidit in mysterio Christi. Prius enim executionis ordine est gratia unionis, et posterius comitatur gratia habitualis sanctificans animam Christi: sed non propterea est imperfectior, ut Scotus, in III *Sent.*, dist. VII, qu. 3, dub. 2, somniavit, vel finxit, ponens prius ordine intentionis esse summam gratiam seu gloriam, et propterea unionem intentam; propter dictam rationem defectivam, scilicet, *Prius in executione est posterius in intentione.* Debebat apponere ly *tantum*, et dicere, *Prius ordine executionis tantum est posterius ordine intentionis:* alioquin propositio non est universaliter vera. Et tunc, subsumendo, *Sed unio personalis est prior ordine executionis tantum*, advertisset minorem hanc esse falsam: et deposuisset illam inopinabilem phantasiam, confutatam ab Evangelio, et ab universis parum meditantibus circa excellentiam mysterii unionis personalis. Est siquidem non solum prior executione, sed causalitate omni possibili: est enim finis et efficiens reliquorum donorum in Christo. Et ideo ex ipsa unione concludimus et gratiam et gloriam summam: adeo ut Ioannes Evangelista, describens plenitudinem gloriae in Christo, nesciens quomodo melius describeret, ut ad radicem altissimam se conferret, cum dixisset, *Vidimus gloriam eius*, subdidit: *gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum*, etc. Non solum universa humana natura, sed daemones et angeli stupent de mysterio unionis personalis: et ad ipsam omnia a principio mundi ordinata conspicimus, tanquam maximum omnium factibilium. Sicut et vere est eorum maximum: non potest siquidem maius fieri quam quod homo sit vere personaliter Deus. Et iste homo non erubuit dicere eam esse posteriorem ordine intentionis!

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CHRISTUS, SECUNDUM HOMINEM, HABUERIT USUM LIBERI ARBITRII IN PRIMO INSTANTI SUAE CONCEPTIONIS

De Verit., qu. XXIX, art. 8.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Christus, secundum hominem, non habuerit usum liberi arbitrii in primo instanti suae conceptionis. Prius est enim esse rei quam agere vel operari. Usus autem liberi arbitrii est quaedam operatio. Cum ergo anima Christi esse incoeperit in primo instanti conceptionis, ut ex praedictis * patet; videtur esse impossibile quod in primo instanti conceptionis habuit usum liberi arbitrii.

* Qu. XXXIII, art. 2.

2. Praeterea, usus liberi arbitrii est electio. Electio autem praesupponit deliberationem consilii: dicit enim Philosophus, in III *Ethic.* *, quod electio est *appetitus praeconsiliati*. Ergo videtur impossibile quod in primo instanti suae conceptionis Christus habuerit usum liberi arbitrii.

* Cap. II, n. 16, 17; s. Th. lect. VI. - Cf. lib. VI, cap. II, n. 2; s. Th. lect. II.

3. Praeterea, liberum arbitrium est *facultas voluntatis et rationis*, ut in Prima Parte * habitum est: et ita usus liberi arbitrii est actus voluntatis et rationis, sive intellectus. Sed actus intellectus praesupponit actum sensus: qui esse non potest sine convenientia organorum, quae non videtur fuisse in primo instanti conceptionis Christi. Ergo videtur quod Christus non potuerit habere usum liberi arbitrii in primo instanti suae conceptionis [α].

* Qu. LXXXIII, art. 2, arg. 2. - Cf. Mag. II *Sent.*, dist. XXIV, cap. *Hic considerandum.*

Sed contra est quod Augustinus dicit, in libro *de Trin.* *: *Mox ut Verbum venit in uterum, servata veritate propriae naturae, factum est caro et perfectus homo.* Sed perfectus homo habet usum liberi arbitrii. Ergo Christus habuit in primo instanti suae conceptionis usum liberi arbitrii.

* Greg. R... lib. XI, ep. ... al. LXI. - Cf. ... III *Sent.*, di... in fine.

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, naturae humanae quam Christus assumpsit, convenit spiritualis perfectio, in quam non [β] profecit, sed eam statim a principio habuit. Perfectio autem ultima non consistit in potentia vel in habitu, sed in operatione: unde in II *de Anima* * dicitur quod operatio est *actus secundus*. Et ideo dicendum est quod Christus in primo instanti suae conceptionis habuit illam operationem animae quae potest in instanti haberi. Talis autem est operatio voluntatis et intellectus *, in qua consistit usus liberi arbitrii. Subito enim et in instanti perficitur operatio intellectus et voluntatis, multo magis quam visio corporalis: eo quod

* Art. 1.

* Cap. I, n. ... - S. Th. lect. ...

* P. 746.

α) *conceptionis.* – PDEF*a*; *creationis.*

β) *in quam non.* – *inquantum* GHI*b*, *in qua non* P.

intelligere, velle et sentire non est motus qui sit *actus imperfecti*, quod successive perficitur; sed est *actus iam perfecti*, ut dicitur in III *de Anima* *. Et ideo dicendum est quod Christus in primo instanti suae conceptionis habuit usum liberi arbitrii.

* Cap. VII, n. 1. - S. Th. lect. XII.

Ad primum ergo dicendum quod esse est prius natura quam agere: non tamen est prius tempore, sed, simul cum agens habet esse perfectum, incipit agere, nisi sit aliquid impediens. Sicut ignis, simul cum generatur, incipit calefacere et illuminare. Sed calefactio non terminatur in instanti, sed per temporis successionem: illuminatio autem perficitur in instanti. Et talis operatio est usus liberi arbitrii, ut dictum est *.

* In corpore.

Ad secundum dicendum quod, simul cum terminatur consilium vel deliberatio, potest esse electio. Illi autem qui deliberatione consilii indigent, in ipsa terminatione consilii primo habent certitudinem de eligendis: et ideo statim [γ] eligunt. Ex quo patet quod deliberatio consilii non praeexigitur ad electionem nisi propter inquisitionem incerti. Christus autem in primo instanti suae conceptionis, sicut habuit plenitudinem gratiae iustificantis [δ], ita habuit plenitudinem veritatis cognitae: secundum illud *: *plenum gratiae et veritatis*. Unde, quasi habens omnium certitudinem, potuit statim in instanti eligere.

* Ioan. cap. 1, vers. 14.

Ad tertium dicendum quod intellectus Christi, secundum scientiam infusam, poterat intelligere etiam non convertendo se ad phantasmata, ut supra * habitum est. Unde poterat in eo esse operatio voluntatis et intellectus absque operatione sensus.

* Qu. XI, art. 2.

Sed tamen potuit in eo esse etiam operatio sensus in primo instanti suae conceptionis: maxime quantum ad sensum tactus, quo sensu proles concepta sentit in matre etiam antequam animam rationalem obtineat, ut dicitur in libro *de Generat. Animal.* * Unde, cum Christus in primo instanti suae conceptionis habuit animam rationalem, formato iam et organizato corpore eius, multo magis in eodem instanti poterat habere operationem sensus tactus.

* Lib. II, cap. III.

γ) *statim.* – *non statim* P.

δ) *iustificantis.* – *sanctificantis* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore unica est conclusio: *Christus in primo instanti suae conceptionis habuit usum liberi arbitrii.* Probatur. Humanae naturae assumptae convenit spiritualis perfectio a principio. Ergo Christus in primo suae conceptionis instanti habuit illam operationem quae potest in instanti haberi. Ergo habuit tunc usum liberi arbitrii.

Antecedens habetur ex supra dictis, quod Christus non profecit in spirituali perfectione *. – Consequentia prima probatur. Quia perfectio ultima non in potentia vel habitu, sed operatione consistit. In cuius signum, II *de Anima* operatio *actus secundus* dicitur. – Consequentia secunda probatur. Quia operatio intellectus et voluntatis, in qua usus arbitrii liberi consistit, potest haberi in instanti. Quod declaratur a minori, ex operatione visus. Et probatur ratione: quia est motus qui est actus perfecti, ad differentiam motus qui perficitur successive, ut dicitur in III *de Anima*.

* Cf. not. β.

II. Circa assumptum huius processus dubium occurrit, quoniam aequivocare videtur de perfectione. Nam perfectio actus secundi non est inconveniens quod de novo advenerit animae Christi, etiam secundum scientiam infusam: alioquin, anima Christi semper fuisset in actu secundo respectu omnium quae possunt cognosci per scientiam infusam, quod patet esse falsum. Proficere ergo animam Christi in perfectione spirituali potest intelligi dupliciter. Primo, secundum perfectionem actus secundi. Et sic non inconvenit animam Christi profecisse. Alio modo, secundum perfectionem actus primi. Et sic, dato quod sit inconveniens, est extra propositum: quia de perfectione actus secundi quaeritur et tractatur, ut patet. Et sic antecedens ruit: ac per hoc, totus processus litterae.

III. Ad hoc dicitur quod aliud est acquirere simpliciter actum secundum: et aliud est transire de uno actu secundo in alium. Quia in acquisitione simpliciter actus secundi, quando scilicet anima ex non operante fit operans, consistit profectus ipsius animae: proficit enim acquirendo suam perfectionem et finem, propter quem est; *unumquodque enim est propter suam operationem*, ut dicitur II *Cael.* * In transeundo vero de uno actu secundo in alium non consistit profectus ipsius animae: ut patet ex eo quod quandoque ad imperfectiorem actum secundum contingit ex perfectiori transire; ubi non proficere, sed deficere potius invenitur. Et propterea, licet nullum inconveniens sit ponere in Christi anima novos multos actus secundos per successum temporis, inconveniens tamen esset ponere animam ipsius totaliter caruisse quandoque actu secundo: quia fuisset simpliciter imperfecta tunc, et vere profecisset, non secundum hanc vel illam perfectionem, sed simpliciter; quod excellentiae animae assumptae non consonat. Et quia processus litterae fundatur, non super hac vel illa perfectione actus secundi, sed super perfectione spirituali simpliciter, et super profectu secundum spiritualem perfectionem simpliciter, ideo verum assumit et efficaciter concludit: oportet enim ponere animam Christi a principio ita perfectam simpliciter ut non profecerit simpliciter. Ad hoc autem manifeste constat sequi et quod a principio fuit in actus secundi perfectione; et quod oppositum, scilicet quod fuerit in principio totaliter absque secundo actu, repugnat perfectioni simpliciter ipsius animae a principio. Et propterea optime illatum est quod habuit in primo instanti illas operationes quas potuit in illo instanti habere: servato, intellige tu, naturae et decentiae ordine. Quod dico ne confundaris scrutando quae est maior ratio de ista quam de illa operatione quod habita fuerit in illo primo instanti. Absque dubio enim constat primum operum nostrorum, quo reliquis utimur, consistere in libero arbitrio: et ideo optime conclusum in littera, non solum de possibili, sed de facto in anima Christi tunc.

* Cap. III, n. 1. - S. Th. lect. IV.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM CHRISTUS IN PRIMO INSTANTI SUAE CONCEPTIONIS MERERI POTUERIT

III *Sent.*, dist. XVIII, art. 3; *De Verit.*, qu. XXIX, art. 8.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus in primo instanti suae conceptionis mereri non potuerit. Sicut enim se habet liberum arbitrium ad merendum, ita ad demerendum. Sed diabolus in primo instanti suae creationis non potuit peccare: ut in Prima Parte * habitum est. Ergo neque anima Christi in primo instanti suae creationis, quod fuit primum instans conceptionis Christi, potuit mereri.

* Qu. LXIII, art. 5.

2. PRAETEREA, illud quod homo habet in primo instanti suae conceptionis, videtur ei esse naturale: quia hoc est ad quod terminatur sua generatio naturalis. Sed naturalibus non meremur: ut patet ex his quae dicta sunt in Secunda Parte *. Ergo videtur quod usus liberi arbitrii quem Christus habuit secundum hominem in primo instanti suae conceptionis, non fuerit meritorius.

* Iª IIªᵉ, qu. CIX, art. 5; qu. CXIV, art. 2.

3. PRAETEREA, illud quod semel aliquis meruit, iam facit [α] quodammodo suum, et ita non videtur quod iterum possit illud idem [β] mereri: quia nullus meretur quod suum est. Si ergo Christus in primo instanti suae conceptionis meruit, sequitur quod postea nihil meruerit. Quod patet esse falsum. Non ergo Christus in primo instanti suae conceptionis meruit.

SED CONTRA EST quod Augustinus * dicit, *super Exod.* *: *Non habuit omnino Christus, iuxta animae meritum, quo potuisset proficere.* Potuisset autem proficere in merito si in primo instanti suae conceptionis non meruisset. Ergo in primo instanti suae conceptionis meruit Christus.

* Paterius.
* *Exposit. Vet. et Novi Test.*, super *Exod.* cap. XL.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, Christus in primo instanti conceptionis suae sanctificatus fuit per gratiam. Est autem duplex sanctificatio: una quidem adultorum, qui secundum proprium actum sanctificantur; alia autem puerorum, qui non sanctificantur secundum proprium actum fidei, sed secundum fidem parentum vel Ecclesiae. Prima autem sanctificatio est perfectior quam secunda: sicut actus est perfectior quam habitus; et *quod est per se, eo quod est per aliud* *. Cum ergo sanctificatio Christi fuerit perfectissima, quia sic sanctificatus est ut esset aliorum sanctificator; consequens est quod ipse secundum proprium motum liberi arbitrii in Deum fuerit sanctificatus. Qui quidem motus liberi arbitrii est meritorius. Unde consequens est quod in primo instanti suae conceptionis Christus meruerit.

* Art. 1.
* Cf. Aristot. [...] *sic.* lib. VIII, v. n. 7. - S. [...] lect. IX.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod liberum arbitrium non eodem modo se habet ad bonum et ad malum: nam ad bonum se habet per se et naturaliter; ad malum autem se habet per modum defectus, et praeter naturam. Sicut autem Philosophus dicit, in II *de Caelo* *, *posterius est quod est praeter naturam, eo quod est secundum naturam: quia id quod est praeter naturam, est quaedam excisio ab eo quod est secundum naturam.* Et ideo liberum arbitrium creaturae in primo instanti creationis potest moveri ad bonum merendo *, non autem ad malum peccando: si tamen natura sit integra.

* Cap. III, [...] s. Th. lect. [...] - Cf. Damasc. [...] *Fide Orth.*, II, cap. IV.
* D. 155.

AD SECUNDUM DICENDUM quod id quod homo habet in principio suae creationis secundum communem naturae cursum, est homini naturale: nihil tamen prohibet quin aliqua creatura in principio suae creationis aliquod beneficium gratiae a Deo consequatur. Et hoc modo anima Christi in principio suae creationis consecuta est gratiam, qua posset mereri. Et ea ratione gratia illa, secundum quandam similitudinem, dicitur fuisse illi homini naturalis: ut patet per Augustinum, in *Enchirid.* *

* Cap. XL.

AD TERTIUM DICENDUM quod nihil prohibet idem esse alicuius ex diversis causis. Et secundum hoc, Christus gloriam immortalitatis, quam meruit in primo instanti suae conceptionis, potuit etiam posterioribus actibus et passionibus mereri: non quidem ut esset sibi magis debita; sed ut sibi ex pluribus causis deberetur.

α) *facit.* – *fecit* P.

β) *idem.* – Om. Pc.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus est, de merito proprie dicto intellectus. In corpore una est conclusio: *Christus in primo suae conceptionis instanti meruit.* Probatur. Christus in primo suae conceptionis instanti per gratiam sanctificatus fuit sanctificatione perfectissima. Ergo secundum proprium motum liberi arbitrii in Deum fuit sanctificatus. Ergo in primo instanti suae conceptionis meruit.

Antecedens probatur. Quia sanctificatus est ut esset aliorum sanctificator. – Consequentia vero prima probatur, distinguendo duplicem sanctificationis modum, et comparando eos. Distinctio est: Sanctificatio duplex: vel per proprium sanctificati actum; vel non per proprium, sed Ecclesiae fidem. Comparatio est: Prima est perfectior: tum quia actus est perfectior habitu; tum quia *per se* est perfectius eo quod est per aliud. – Secunda autem consequentia probatur. Quia motus liberi arbitrii in Deum est meritorius.

II. Adverte, et diligenter, hic, tu qui sacramenta Ecclesiae saepius frequentas, quod sanctificatio adultorum est per proprium actum liberi arbitrii tendentis in Deum: et similiter augmentum sanctificationis est per augmentum actus liberi arbitrii tendentis in Deum. Hinc enim fit ut cum frequentatione sacrorum mysteriorum non crescat sanctificatio hominis: quia scilicet homo per proprium liberi

arbitrii actum non concurrit eo augmento quod sanctificatio quae fieri deberet, exigeret. Hinc fit ut suscipientes sacramenta in ipso susceptionis actu maxime debeant actualiter in Deum actu dilectionis consurgere.

III. In responsione ad primum, adverte quod de actu liberi arbitrii proprie loquitur Auctor: ut patet tum ex eo quod sermo eius est formalis, et liberum arbitrium saepe nominat; tum ex eo quod in praecedenti articulo, in responsione ad secundum, expresse ad actum electionis descendit. Et haec ideo dixerim ut percipias, tam in angelis quam in Christi anima, primum actum meritorium vere fuisse actum liberum, quamvis non indifferentem ad bonum et malum, sed ex natura, seu naturae ordine, ut in littera dicitur, determinatum ad bonum. Nam non solum voluntas, sed liberum arbitrium, ut in littera dicitur, per se et naturaliter se habet ad bonum: ad malum autem per aliud, hoc est per bonum, a quo deficiendo malum incurrit; et praeter naturam. Malum enim est *excisio ab eo quod est secundum naturam:* alioquin mali rationem non haberet.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CHRISTUS FUERIT PERFECTUS COMPREHENSOR IN PRIMO INSTANTI SUAE CONCEPTIONIS

Infra, qu. XLIX, art. 6, ad 3; Ia IIae, qu. V, art. 7, ad 2.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus non fuerit perfectus comprehensor in primo instanti suae conceptionis. Meritum enim praecedit praemium: sicut et culpa poenam. Sed Christus in primo instanti suae conceptionis meruit, sicut dictum est *. Cum ergo status comprehensoris sit principale praemium, videtur quod Christus in primo instanti suae conceptionis non fuerit comprehensor.

* Art. praeced.

2. PRAETEREA, Dominus dicit, Luc. ult. *: *Haec oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam.* Sed gloria pertinet ad statum comprehensionis α. Ergo Christus non fuit in statu comprehensoris in primo instanti suae conceptionis, quando adhuc nullam sustinuit β passionem.

* Vers. 26.

3. PRAETEREA, illud quod non convenit nec homini nec angelo, videtur esse proprium Deo: et ita non convenit Christo secundum quod homo. Sed semper esse beatum non convenit nec homini nec angelo: si enim fuissent conditi beati, postmodum non peccassent. Ergo Christus, secundum quod homo, non fuit beatus in primo instanti suae conceptionis.

SED CONTRA EST quod dicitur in Psalmo *: *Beatus quem elegisti et assumpsisti:* quod, secundum Glossam *, refertur ad humanam naturam Christi, quae *assumpta est a Verbo Dei in unitatem personae.* Sed in primo instanti conceptionis fuit assumpta humana natura a Verbo Dei γ. Ergo in primo instanti suae conceptionis Christus, secundum quod homo, fuit beatus. Quod est esse comprehensorem.

* Ps. LXIV, vers. 5.
* Ord. Aug.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut ex dictis * patet, non fuit conveniens ut Christus in sua conceptione acciperet gratiam habitualem tantum absque actu. Accepit autem δ gratiam *non ad mensuram* *, ut supra ** habitum est. Gratia autem viatoris, cum sit deficiens a gratia comprehensoris, habet mensuram minorem respectu comprehensoris ε. Unde manifestum est quod Christus in primo instanti suae conceptionis accepit non solum tantam gratiam quantam comprehensores habent, sed etiam omnibus comprehensoribus maiorem. Et quia gratia illa non fuit sine actu, consequens est quod actu fuit comprehensor, videndo Deum per essentiam clarius ceteris creaturis.

* Art. praeced.
* Ioan. cap. III, vers. 34.
** Qu. VII, art. 11.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, Christus non meruit gloriam animae, secundum quam dicitur comprehensor: sed gloriam corporis, ad quam per suam passionem pervenit.

* Qu. XIX, art. 3.

Unde patet responsio ad secundum.

AD TERTIUM DICENDUM quod Christus, ex hoc quod fuit Deus et homo, etiam in sua humanitate habuit aliquid prae ceteris creaturis: ut scilicet statim a principio esset beatus.

α) *comprehensionis.* – *comprehensoris* Fa et tertia.
β) *sustinuit.* – *sustinuerat* F et tertia praeter pG.
γ) *Dei.* – *in unitate* addunt Hc, *in veritate* addit *b*, *in unitatem personae* addit P.
δ) *autem.* – *enim* P.
ε) *comprehensoris.* – *gratiae comprehensoris* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus est. – In corpore una est conclusio: *Christus in primo instanti suae conceptionis fuit actu comprehensor, videndo Deum per essentiam clarius ceteris creaturis.* Probatur. Et primo, quod habuerit gratiam maiorem omnibus comprehensoribus; secundo, quod actu viderit plus ceteris.

Primum probatur. Christus accepit tunc gratiam *non ad mensuram.* Ergo accepit gratiam et quantum habent comprehensores, et maiorem omnibus. – Antecedens ex Evangelio. – Consequentia probatur. Quia gratia viatoris minorem habet mensuram respectu gratiae comprehensoris. Probatur: quia deficit ab illa. Ex hoc enim sequitur quod habeat gratiam quantam comprehensores. Et rursus sequitur quod maiorem omnibus: quia aliter fuisset mensurata ad aliam maiorem vel aequalem.

Secunda vero pars probatur. Quia gratia non fuit sine actu. Probatur: quia inconveniens esse iam * dictum est in Christo ponere gratiam habitualem sine actu.

* Art. praeced.

II. Adverte hic quod ex hoc loco apparet quid videatur sensisse Auctor de illa quaestione in praecedente Libro * tacta, an gratia viatoris sit minor gratia compehensoris secundum suam quantitatem, an solum ratione modi, quia scilicet comprehensor videt et viator non. Expresse siquidem hoc in loco, ex hoc quod viatoris gratia deficit a

* Ia IIae, quaest. CXIV, art. 3, ad 3.

gratia comprehensoris, infertur quod minorem habet mensuram. Et ne dubites quod de quantitate loquitur, subditur *tanta* et *quanta*. Et ut accipias haec de ipsa essentia gratiae, et non de modo actus, subdidit, *Et quia gratia illa non fuit sine actu:* ubi monstrat se de ipsa essentia habitualis gratiae locutum, ex hoc ipso quod postea ad illius actum descendit.

Et si sic est, consequens est ut minimus comprehensor habuerit actualiter maiorem gratiam quam Ioannes Baptista et sanctus Petrus et quicumque alius viator, dum in hac fuerunt vita. Et propterea gratia hic est sicut semen: ita quod, quanto maior est hic gratia, tanto in patria erit maior gloria proportionaliter; nunquam tamen gratia tanta est in via quanta est gratia consummata, quae est gloria; sicut nec semen est quanta est arbor sua quantumcumque minima, seu animal suum quantumcumque parvum.



QUAESTIO TRIGESIMAQUINTA

DE NATIVITATE CHRISTI

IN OCTO ARTICULOS DIVISA

* qu. XXVII, Introd.

α

* qu. XXXVI.

CONSEQUENTER, post Christi conceptionem, agendum est de eius nativitate *. Et primo, quantum ad ipsam nativitatem; secundo, quantum ad nati [α] manifestationem *.

Circa primum quaeruntur octo.

Primo: utrum nativitas sit naturae, vel personae.

Secundo: utrum Christo sit attribuenda alia nativitas praeter aeternam.

Tertio: utrum secundum nativitatem temporalem Beata Virgo sit mater eius.

Quarto: utrum debeat dici Mater Dei.

Quinto: utrum Christus secundum duas filiationes sit Filius Dei Patris et Virginis Matris.

Sexto: de modo nativitatis.

Septimo: de loco.

Octavo: de tempore nativitatis.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM NATIVITAS NATURAE CONVENIAT MAGIS QUAM PERSONAE

III *Sent.*, dist. VIII, art. 2.

* Fulgentius.

* Cap. II.

β

* S. Th. lect. v. - Did. lib. IV, cap. IV, 1.

* De Fide Orth., lib. IV, cap. VII.

γ

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod nativitas naturae conveniat magis quam personae. Dicit enim Augustinus *, in libro *de Fide ad Petrum* *: *Natura aeterna atque divina non posset concipi et nasci ex humana natura, nisi secundum veritatem humanae naturae.* Sic [β] igitur naturae divinae convenit concipi et nasci ratione humanae naturae. Multo magis igitur convenit humanae naturae.

2. PRAETEREA, secundum Philosophum, in V *Metaphys.* *, nomen naturae a *nascendo* sumptum est. Sed denominationes fiunt secundum similitudinis convenientiam. Ergo videtur quod nativitas magis pertineat ad naturam quam ad personam.

3. PRAETEREA, illud proprie nascitur quod per nativitatem incipit esse. Sed per nativitatem Christi non incoepit esse persona Christi, sed eius natura humana. Ergo videtur quod nativitas proprie pertineat ad naturam, non ad personam.

SED CONTRA EST quod dicit Damascenus, in III libro *: *Nativitas hypostasis est, non naturae.*

RESPONDEO DICENDUM quod nativitas potest attribui alicui dupliciter: uno modo, sicut subiecto; alio modo, sicut termino. Sicut subiecto quidem attribuitur ei quod nascitur. Hoc autem proprie est hypostasis, non natura. Cum enim nasci sit quoddam generari [γ], sicut generatur aliquid ad hoc quod sit, ita nascitur aliquid ad hoc quod sit. Esse autem proprie rei subsistentis est: nam forma quae non subsistit, dicitur esse solum quia ea aliquid est. Persona autem, vel hypostasis, significatur per modum subsistentis: natura autem significatur per modum formae in qua aliquid subsistit. Et ideo nativitas, tanquam subiecto proprie nascendi [δ], attribuitur personae vel hypostasi, non naturae. δ

Sed sicut termino, attribuitur nativitas naturae. Terminus enim generationis, et cuiuslibet nativitatis, est forma. Natura autem per modum formae significatur. Unde nativitas dicitur *via in naturam,* ut patet per Philosophum, II *Physic.* *: terminatur enim naturae intentio ad formam, seu naturam speciei. * Cap. I, n. 14. - S. Th. lect. II.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, propter identitatem quae in divinis est inter naturam et hypostasim, quandoque natura ponitur pro persona vel hypostasi. Et secundum hoc dicit Augustinus naturam divinam esse conceptam et natam: quia scilicet persona Filii est concepta et nata secundum humanam naturam.

AD SECUNDUM DICENDUM quod nullus motus seu mutatio denominatur a subiecto quod movetur: sed a termino motus, a quo speciem habet. Et propter hoc nativitas non denominatur a persona quae nascitur, sed a natura ad quam nativitas terminatur.

AD TERTIUM DICENDUM quod natura, proprie loquendo, non incipit esse: sed magis persona incipit esse in aliqua natura. Quia, sicut dictum est *, natura significatur ut quo aliquid est: persona vero significatur ut quae habet esse subsistens. * In corpore.

α) *nati.* – *nativitatis* H et editiones.
β) *Sic.* – *Si* F et editiones; *igitur* post *magis* om. PC.
γ) *generari.* – PG(H ?)*abc*; *generale* I, *generare* ceteri.
δ) *proprie nascendi.* – *proprio nascendi* ed. *a*, *nascendi proprie* E, *proprie nascenti* F, *nascenti proprie* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Pro hac quaestione, in titulo primi articuli, notandi sunt termini omnes. Et primum, quod *nativitas* sumitur proprie et formaliter, ut continet nativitatem in utero et nativitatem ex utero. Ita quod non tractabitur solum de nativitate ex utero, sed etiam de nativitate in utero: ut testantur quinque primi articuli huius quaestionis.

Est autem differentia inter conceptionem et nativitatem in utero formalis: quia conceptio attenditur penes captionem rei ad concipientem, ex hoc enim dicitur mulier *concipere* quod *simul* apud se *capit* quod generandum est; nativitas autem attenditur penes egressum a parente; ex hoc enim res nasci dicitur quod ad naturam pergit, est enim *via in naturam* *. Unde nativitas tunc perfecte consummata est, quando ex utero proles exit: quia tunc primo adipiscitur propriam naturam ut res omnino separata a matre; quandiu enim est in utero proles, est aliquid matris. Et propterea tunc simpliciter et absolute dicimus quod homo natus est.

* Aristot. loc. cit. in corp. art.

Tractavit ergo Auctor prius de Christi conceptione *, et nunc de nativitate: tum quia prius consideranda fuit ratio conceptionis, et postea nativitatis, in uno et eodem opere, quo conceptus et natus est in utero; tum quia nativitas simpliciter et absolute nuncupata, quae scilicet est ex utero (unde tractatus iste denominatur), posterior est omnino conceptione. Et fas fuit ut in principio tractatus de nativitate inchoaretur a ratione nativitatis etiam in utero.

* Cf. qu. xxvii, Introd.

II. Notandum est deinde quod comparatio distinctionem comparatorum exigit. Et propterea natura et persona, inter quas fit hic comparatio in ordine ad nativitatem, sumuntur in hoc articulo ut ab invicem distinguuntur: hoc est, natura secundum rationem naturae, ut scilicet actum naturae seu formae exercet, qui exprimitur per ly *ut quo;* et similiter persona secundum rationem hypostasis, ut scilicet actum personae exercet, qui significatur per ly *ut quod.* Distinguuntur siquidem natura et persona ut *quo* et *quod:* est enim natura qua hypostasis est id quod est.

III. Notandum demum est quod in hoc primo articulo non est quaestio de persona Christi et natura Christi, sed in communi de natura et persona, ut titulus ipse sonat: in sequenti siquidem articulo an Christo conveniat temporalis nativitas, quaeretur. Et ideo ad universalissimam distinctionem inter naturam et personam, qualis est dicta differentia, recurrendum est: ut etiam ex Auctore in corpore articuli percipere potes, dum ex distinctione secundum modum significandi inter naturam et personam, differentiam inter naturam et personam aperuit.

IV. In corpore articuli ponitur primo una distinctio bimembris; deinde respondetur quaesito duabus conclusionibus, singulis iuxta singula distinctionis membra. Distinctio est: Nativitas potest alicui dupliciter attribui: vel sicut subiecto; vel sicut termino. – Prima conclusio est: *Nativitas attribuitur, non naturae, sed personae ut subiecto nascenti.* – Secunda: *Nativitas naturae attribuitur ut termino.*

Advertendum est hoc in loco cautissime quod distinctio ista non est intelligenda ut sonat. Nam dupliciter potest intelligi. Vel de subiecto *inhaesionis:* ut scilicet illi dicatur attribui nativitas ut subiecto, in quo subiective est nativitas, sicut motus vel mutatio est in subiecto cui inhaeret seu inest motus seu mutatio; quemadmodum, si manus calefiat, calefactio est subiective in manu, et si ex aqua fit aer, generatio aeris est subiective in materia prima, quae transmutatur in aerem. Et sic non sumitur in proposito. Tum quia nativitas hac in littera dicitur esse in persona ut in subiecto. Constat autem personam non esse subiectum inhaesionis respectu nativitatis: quia nativitas est subiective in materia prima, cum sit species generationis substantialis; et quia nativitas, quandiu durat, non est adhuc persona quae nascitur, et, quam primum persona est, nativitas desinit. – Tum quia in littera insinuatur exclusio istius sensus, dum concludendo dicitur quod *nativitas tanquam subiecto nascenti proprie attribuitur personae* *. Non enim frustra addidit ly *nascenti:* sed ut monstraret quod non loquitur de subiecto inhaesionis. * Cf. not.

Vel potest intelligi de subiecto *denominationis:* ut scilicet illi attribuatur nativitas ut subiecto, quod denominatur proprie a nativitate nascens et natum. Et sic sumitur in proposito. Tum quia medius terminus probans et declarans conclusionem primam est quod id quod nascitur est *ut subiectum:* et similiter conclusio, ut dictum est, dicit, *ut subiecto nascenti.* – Tum quia sic omnia quae in littera dicuntur, absque scrupulo vera inveniuntur et consona. – Tum quia Auctor, tam in distinctione quam in probatione, quam etiam in conclusione, nunquam loquitur de subiecto et termino nativitatis, sed loquitur de *sicut subiecto* et de *sicut termino* nativitatis, ut patet in littera. Praeponendo siquidem semper ly *sicut* aut ly *tanquam*, manifestavit quod non de subiecto aut termino proprie loquebatur, sed de his quae se habent ut subiectum et ut terminus.

Et hic est procul dubio verus et formalis sensus istius litterae. Persona siquidem est subiectum proprium denominationis respectu nativitatis: nam, proprie loquendo, Socrates est qui nascitur et postea natus est.

V. Conclusio ergo prima *, quoad utramque sui partem, sic probatur. Quod nascitur est tanquam subiectum nativitatis. Ergo quod est. Ergo subsistens. Ergo persona, et non natura. * Num. iv.

Antecedens pro evidenti relinquitur. Et vere evidens est, cognitis terminis. – Prima consequentia probatur. Quia quod nascitur, nascitur ad hoc quod sit. Quod probatur: quia nasci est quoddam generari; quod generatur autem, generatur ad hoc quod sit. – Secunda vero consequentia probatur. Quia esse est proprie subsistentis. Quod probatur: quia forma non subsistens non dicitur esse ut *quae est,* sed ut *qua aliquid est.* – Tertia autem consequentia probatur. Quia persona significatur per modum subsistentis; natura autem per modum formae.

Perspice in hac deductione quae diximus *, quod de subiecto denominationis intendit: quia ex modis significandi probat conclusionem. Modus enim significandi variat non solum proprietatem, sed veritatem enuntiationis: dictum est enim in Primo Libro * propter eum istam esse falsam, *Deitas generat deitatem,* et istam veram, *Deus generat Deum.* Et conformiter nunc dicitur quod natura non nascitur nec est nata; sed persona est quae nascitur et est nata. Hoc enim est personam, et non naturam, esse subiectum denominationis respectu nativitatis: hoc est, esse cui ut subiecto attribuitur nativitas. Et simile quid est videre in probatione secundae conclusionis: dum ipsa etiam ex modo significandi probatur. * Num. pr * Qu. xxx 4, 5.

VI. Secunda conclusio * probatur, primo. Terminus nativitatis est forma. Ergo natura. – Antecedens patet: quia terminus cuiuslibet generationis est forma. – Consequentia probatur: quia natura significatur per modum formae. * Num. iv

Confirmatur, secundo: quia nativitas dicitur *via in naturam,* ex II *Physic.* Et exponitur: quia intentio naturae ad formam, seu naturam, terminatur.

Adverte hic quod natura non solum se habet ut terminus in denominando ipsam nativitatem (a terminis enim denominantur generationes): sed et secundum rem natura habet termini rationem, quoniam ad naturam terminatur secundum rem generatio. Et propterea Auctor ex parte rei etiam rationem attulit, ex intentione naturae utente generatione ut via in naturam, ad quam tendit.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CHRISTO SIT ATTRIBUENDA ALIQUA NATIVITAS TEMPORALIS

III *Sent.*, dist. VIII, art. 4; *De Union. Verb.*, art. 2, ad 16; *Compend. Theol.*, cap. CCXII.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christo non sit attribuenda aliqua nativitas temporalis. *Nasci* enim *est sicut* [α] *quidam motus rei non existentis antequam nascatur, id agens beneficio nativitatis, ut sit* *. Sed Christus ab aeterno fuit. Ergo non potuit temporaliter nasci.

* ... Unitate Trin., cap. XII. - In... Opp. Aug.

2. PRAETEREA, illud quod est in se perfectum, nativitate non indiget. Sed persona Filii Dei ab aeterno fuit perfecta. Ergo non indiget temporali nativitate. Et ita videtur quod non sit temporaliter natus.

3. PRAETEREA, nativitas proprie personae convenit. Sed in Christo tantum est una persona. Ergo in Christo tantum est una nativitas.

4. PRAETEREA, quod duabus nativitatibus nascitur, bis nascitur. Sed haec videtur esse falsa: *Christus est bis natus.* Quia nativitas eius qua de Patre est natus, interruptionem non patitur: cum sit aeterna. Quod tamen requiritur ad hoc adverbium *bis:* ille enim dicitur bis currere qui cum interruptione currit. Ergo videtur quod in Christo non sit ponenda duplex nativitas.

SED CONTRA EST quod Damascenus dicit, in III libro *: *Confitemur Christi duas nativitates: unam quae est ex Patre, aeternam; et unam quae est in ultimis temporibus propter nos.*

* ... Fide Orth., III, cap. VII.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est *, natura comparatur ad nativitatem sicut terminus ad motum vel mutationem. Motus autem diversificatur secundum diversitatem terminorum: ut patet per Philosophum, in V *Physic.* * In Christo autem est duplex natura [β], quarum unam accepit ab aeterno a Patre, alteram autem accepit temporaliter a matre. Et ideo necesse est attribuere Christo duas nativitates: unam qua aeternaliter natus est a Patre, aliam qua temporaliter natus est a matre.

* ...rt. praeced.

* ...p. V, n. 3 sqq. - ...Th. lect. VIII.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod haec fuit obiectio cuiusdam Feliciani haeretici: quam Augustinus, in libro *contra Felicianum* *, sic solvit. *Fingamus*, inquit, *sicut plerique volunt, esse in mundo animam generalem, quae sic ineffabili motu semina cuncta vivificet ut non sit concreta cum genitis, sed vitam praestet ipsa gignendis. Nempe cum haec in uterum, passibilem materiam ad usus suos formatura, pervenerit, unam facit secum esse personam eius rei, quam non eandem constat habere substantiam, et fit* [γ], *operante anima et patiente materia, ex duabus substantiis unus homo. Sicque animam nasci fatemur ex utero: non quia, antequam nasceretur, quantum ad se attinet, ipsa penitus non fuisset. Sic ergo, immo sublimius, natus est* [δ] *Filius Dei secundum hominem, eo pacto quo cum corpore nasci docetur et animus: non quia utriusque sit una substantia, sed quia ex utraque fit una persona. Non tamen ab hoc incoepisse initio* [ε] *dicimus Dei Filium: ne temporalem credat aliquis divinitatem. Non ab aeterno Filii Dei novimus carnem: ne non veritatem humani corporis* [ζ], *sed quandam eum suscepisse putemus imaginem.*

* ... de Unitat. ...uit., loc. cit. ...rg.

AD SECUNDUM DICENDUM quod haec fuit ratio Nestorii: quam solvit Cyrillus, in quadam Epistola *, dicens: *Non dicimus quod Filius Dei indiguerit necessario propter se secunda nativitate, post eam quae ex Patre est: est enim fatuum et indoctum existentem ante omnia saecula, et consempiternum Patri, indigere dicere initio ut sit secundo. Quoniam autem, propter nos, et propter nostram salutem, uniens sibi secundum subsistentiam quod est humanum, processit ex muliere, ob hoc dicitur nasci carnaliter.*

* Cf. *Act. Concil. Ephes.*, part. I, cap. VIII.

AD TERTIUM DICENDUM quod nativitas est personae ut subiecti, naturae autem ut termini *. Possibile est autem uni subiecto plures transmutationes inesse: quas tamen necesse est secundum terminos variari. Quod tamen non dicimus quasi aeterna nativitas sit transmutatio aut motus: sed quia significatur per modum mutationis aut motus.

* Cf. art. praeced.

AD QUARTUM DICENDUM quod Christus potest dici bis natus, secundum duas nativitates. Sicut enim dicitur bis currere qui currit duobus temporibus, ita potest dici bis nasci qui semel nascitur in aeternitate, et semel in tempore: quia aeternitas et tempus multo magis differunt quam duo tempora, cum tamen utrumque designet mensuram durationis.

α) *sicut.* – *velut* PI. Pro *existentis, extantis* PHIb; *antequam nascatur* om. CDEa; pro *id agens, agens* ApE, *ad agens* C, *quod agens* D, *egens* sE, *illud agentis* F, *ad quam agens (beneficio nativitatis agit ut sit)* ed. *a*.

β) *est duplex natura.* – *sunt duae naturae divina scilicet et humana* tertia.

γ) *fit.* – I et editiones; *sic.* Ante *unus homo* sE, post illud F addunt *fit*.

δ) *natus est.* – *de matre* addunt F et tertia. – Pro *et animus, et alius* BEFpC.

ε) *ab hoc incoepisse initio.* – HIbc; *ob hoc incoepisse in initio* F, *ab initio carnis incoepisse* P, *ob (ad G) hoc incoepisse initio* ceteri.

ζ) *humani corporis.* – F et tertia praeter H; *humanam corporis* ABH, *humanam* CDEa.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. – In corpore una est conclusio: *Necesse est Christo attribuere duas nativitates: unam qua aeternaliter natus est a Patre, aliam qua temporaliter natus est a matre.* Probatur. In Christo sunt duae naturae, quarum unam ab aeterno a Patre, alteram temporaliter a matre habet. Ergo Christo attribuendae sunt duae nativitates, etc.

Antecedens ex fide. – Consequentia probatur. Quia na-

tura se habet ad nativitatem ut terminus ad motum: motus autem diversificatur secundum diversitatem terminorum, V *Physic.* Ex hoc enim manifeste sequitur quod diversitas naturarum terminantium inferat diversas nativitates. Ac per hoc, duae naturae inferunt duas nativitates.

II. In responsione ad ultimum, habes in littera satisfactionem ad rem. Si ad formam instantis quod *bis* exigit interruptionem mensurae inter primum actum et secundum, respondere cupis, dicito quod est verum si primus et secundus actus mensurantur mensura durationis unius rationis: puta quod tempus sit utriusque mensura, aut aeternitas sit utriusque mensura. Oportet enim interrupto tempore currere qui bis currit in tempore: et similiter oporteret interrupta aeternitate nasci qui bis in aeternitate diceretur natus. Sed diversarum rationum existentibus mensuris actus, puta intellectionis, volitionis, nativitatis, dum una intellectio alicuius est in aeternitate et altera in tempore (et sic de aliis), potest dici quod ille bis intellexit lapidem, semel in aeternitate et semel in tempore, absque aeternitatis interruptione. Et ratio in littera assignatur: quia plus differunt, etiam ut mensurae durationis, aeternitas et tempus quam duo tempora interrupta, puta hodie et post cras.

Non oportet igitur nativitatem Christi divinam interruptionem habere respectu nativitatis Christi humanae, ad hoc ut Christus vere dicatur bis natus: quia plus distat mensura divinae nativitatis a mensura humanae nativitatis quam si una fuisset ante mille annos et alia hodie.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM SECUNDUM TEMPORALEM NATIVITATEM CHRISTI BEATA VIRGO POSSIT DICI MATER EIUS

III *Sent.*, dist. III, qu. II, art. 1; dist. IV, qu. II, art. 1; IV *Cont. Gent.*, cap. XXXIV, XLV; *Ad Galat.*, cap. IV, lect. II.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod secundum temporalem nativitatem Christi Beata Virgo non possit dici mater eius. Ut enim supra * dictum est, Beata Virgo Maria nihil active in generatione Christi operata est, sed solam materiam ministravit. Sed hoc non videtur sufficere ad rationem matris: alioquin, lignum diceretur mater lecti aut scamni. Ergo videtur quod Beata Virgo non possit dici mater Christi.

* Qu. XXXII, art. 4.

2. PRAETEREA, Christus ex Beata Virgine miraculose natus est. Sed miraculosa generatio non sufficit ad rationem maternitatis vel filiationis: non enim dicimus Hevam fuisse filiam Adae. Ergo videtur quod nec Christus debeat dici filius Beatae Virginis.

3. PRAETEREA, ad matrem pertinere videtur decisio seminis *. Sed, sicut Damascenus dicit, in III libro *, corpus Christi *non seminaliter, sed conditive a Spiritu Sancto formatum est.* Ergo videtur quod Beata Virgo non debeat dici mater Christi.

* D. 661.
* *De Fide Orth.*, lib. III, cap. II.

SED CONTRA EST quod dicitur Matth. I *: *Christi generatio sic erat. Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph*, etc.

* Vers. 18.

RESPONDEO DICENDUM quod Beata Virgo Maria est vera et naturalis mater Christi. Sicut enim supra * dictum est, corpus Christi non est de caelo allatum [α], sicut Valentinus haereticus posuit: sed de Virgine matre sumptum, et ex purissimis sanguinibus eius formatum. Et hoc solum requiritur ad rationem matris: ut ex supra * dictis patet. Unde Beata Virgo vere est mater Christi.

* Qu. V, art. 2; qu. XXXI, art. 5.
* Qu. XXXI, a...; qu. XXXII, a...

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, paternitas seu maternitas et filiatio non competunt in quacumque generatione, sed in sola generatione viventium. Et ideo, si aliqua inanimata ex aliqua materia fiant, non propter hoc consequitur in eis relatio maternitatis et filiationis: sed solum in generatione viventium, quae proprie nativitas dicitur.

* Qu. XXXII, a...

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut Damascenus dicit, in III libro *, nativitas temporalis, qua Christus est natus propter nostram salutem, est quodammodo *secundum nos, quoniam natus est homo ex muliere, et tempore conceptionis debito: super nos autem, quoniam non ex semine, sed ex Sancto Spiritu et sancta Virgine, super legem conceptionis.* Sic igitur ex parte matris nativitas illa fuit naturalis: sed ex parte operationis Spiritus Sancti fuit miraculosa. Unde Beata Virgo est vera et naturalis mater Christi.

* *De Fide* ..., lib. III, cap...

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, resolutio seminis feminae non pertinet ad necessitatem conceptus *. Et ideo resolutio seminis non ex necessitate requiritur ad matrem.

* Qu. XXXI, ... ad 3; qu. ..., art. 4.
* D. 868, ...

α) *allatum.* – PFIsH et *a*; *ablatum.* Cf. qu. XXXVII, art. 1 corp.: *corpus de coelo attulisse.*

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS: an Beata Virgo vere possit dici mater Christi.

In corpore una conclusio: *Beata Virgo est vere mater Christi.* Probatur. Corpus Christi non est de caelo allatum, sed de Virgine matre sumptum, et ex purissimis sanguinibus eius formatum. Ergo Beata Virgo est vere mater Christi.

Antecedens, quoad primam partem, ex opposita haeresi Valentini patet. Quoad reliquas, patet ex ante dictis. – Consequentia probatur. Quia hoc solum requiritur ad rationem matris.

II. Circa probationem hanc dubium novitiorum occurrit: quia apparet vitium petitionis principii in ea, dum assumitur quod corpus Christi sumptum est *ex Virgine matre.* Nam probandum erat quod illa mulier esset mater. Nec valet dicere quod assumitur *corpus Christi* sumptum ex matre, et concluditur *Christi* esse matrem. Quoniam tota quaestio de Christo est ratione corporis, an sit Beata Virgo mater eius: et in unam vertitur quaestionem an ratione corporis, an Christi, Beata Virgo sit mater.

Ad hoc dicitur quod ly *ex matre,* in praemissis assumptum, brevitatis causa assumptum est, ut uno vocabulo exprimeretur modus quo corpus Christi sumptum est ex Beata Virgine. Ac si dixisset: Corpus Christi sumptum est ex Beata Virgine in loco naturali generationis, et per

operationem naturalem mulieris ad conceptionem, et ex materia naturali, quam explicavit subdendo, *et ex purissimis sanguinibus* etc. Ubi patet nullam incidere suspicionem petitionis principii.

III. In responsione ad tertium, adverte ad crebram repetitionem non necessarii concursus seminis muliebris ad generationem. Et intellige Auctorem non sensisse quod semen mulieris sit excrescentia uteri, ut Aristoteles putavit *: sed quod concurrat ad generationem, non necessario tamen. Et propterea apud Auctorem, ex hoc ipso quod semen muliebre ordinatum est ad generationem, licet non necessario, habetur ratio peccati mollitiei in muliere voluntarie seminante sola: abutitur enim semine ad generationem ordinato.

* *De Animal. Generat.*, lib. I, cap. xix sqq.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM BEATA VIRGO DEBEAT DICI MATER DEI

III *Sent.*, dist. IV, qu. II, art. 2; IV *Cont. Gent.*, cap. XXXIV, XLV; *Compend. Theol.*, cap. CCXXII; *In Matth.*, cap. I; *Ad Galat.*, cap. IV, lect. II.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Beata Virgo non debeat dici mater Dei. Non enim est dicendum circa divina mysteria nisi quod ex sacra Scriptura habetur. Sed nunquam in sacra Scriptura legitur quod sit mater aut genitrix Dei: sed quod sit *mater Christi*, aut *mater pueri*, ut patet Matth. I *. Ergo non est dicendum quod Beata Virgo sit mater Dei.

* Vers. 18; cap. II, vers. 11, 13, 20, ...

2. PRAETEREA, Christus dicitur Deus secundum divinam naturam. Sed divina natura non accepit initium essendi ex Virgine. Ergo Beata Virgo non est dicenda mater Dei.

3. PRAETEREA, hoc nomen *Deus* communiter praedicatur de Patre et Filio et Spiritu Sancto. Si ergo Beata Virgo est mater Dei, videtur sequi quod Beata Virgo sit mater Patris et Filii et Spiritus Sancti: quod est inconveniens. Non ergo Beata Virgo debet dici mater Dei.

SED CONTRA EST quod in capitulis Cyrilli *, approbatis in Ephesina Synodo *, legitur: *Si quis non confitetur Deum esse secundum veritatem Emmanuel, et propter hoc Dei genitricem sanctam Virginem, genuit enim carnaliter carnem factam ex Deo Verbum: anathema sit.*

* Anath. I.
* Part. I, cap. VI.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, omne nomen significans in concreto naturam aliquam, potest supponere pro qualibet hypostasi illius naturae. Cum autem unio incarnationis sit facta in hypostasi, sicut supra * dictum est, manifestum est quod hoc nomen *Deus* potest supponere pro hypostasi habente humanam naturam et divinam. Et ideo quidquid convenit divinae naturae et [α] humanae, potest attribui illi personae: sive secundum quod pro ea supponit nomen significans divinam naturam; sive secundum quod pro ea supponit nomen significans humanam naturam. Concipi autem et nasci personae attribuitur et hypostasi secundum naturam illam in qua concipitur et nascitur. Cum igitur in ipso principio conceptionis fuerit humana natura assumpta a divina persona, sicut praedictum est *, consequens est quod vere posset dici Deum esse conceptum et natum de Virgine. Ex hoc autem dicitur aliqua mulier alicuius mater, quod eum concepit et genuit. Unde consequens est quod Beata Virgo vere dicatur mater Dei *. Solum enim sic negari posset Beatam Virginem esse matrem Dei, si vel humanitas prius fuisset subiecta conceptioni et nativitati quam homo ille fuisset Filius Dei, sicut Photinus posuit: vel humanitas non fuisset assumpta in unitatem personae vel hypostasis Verbi Dei, sicut posuit Nestorius. Utrumque autem horum est erroneum. Unde haereticum est negare Beatam Virginem esse matrem Dei.

* Qu. XVI, art. I.
* Qu. II, art. 3.
* Qu. XXXIII, art. ...
* ... p. 844.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod haec fuit obiectio Nestorii *. Quae quidem solvitur ex hoc quod, licet non inveniatur expresse in Scriptura dictum quod Beata Virgo sit mater Dei, invenitur tamen expresse in Scriptura quod *Iesus Christus est verus Deus*, ut patet I Ioan. ult. *; et quod Beata Virgo est *mater Iesu Christi*, ut patet Matth. I *. Unde sequitur ex necessitate ex verbis Scripturae quod sit mater Dei.

* Cf. *Act. Concil. Ephes.* part. I, cap. IX, *Epist. Nestor. ad Cyrill.*
* Vers. 20.
* Vers. 18.

Dicitur etiam *Rom.* IX *, quod *ex Iudaeis est secundum carnem Christus, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.* Non autem est ex Iudaeis nisi mediante Beata Virgine. Unde ille qui est *super omnia Deus benedictus in saecula*, est vere natus ex Beata Virgine sicut ex sua matre.

* Vers. 5.

AD SECUNDUM DICENDUM quod illa est obiectio Nestorii. Sed Cyrillus, in quadam Epistola contra Nestorium *, eam solvit sic dicens: *Sicut hominis anima cum proprio corpore nascitur, et tanquam unum reputatur; et si voluerit dicere quispiam quia est genitrix carnis, non tamen et animae genitrix, nimis superflue loquitur: tale aliquid gestum percipimus* [β] *in generatione Christi. Natum est enim ex Dei Patris substantia Dei Verbum: quia vero carnem assumpsit, necesse est confiteri quia natum est secundum carnem ex muliere.* Dicendum est ergo quod Beata Virgo dicitur mater Dei, non quia sit mater divinitatis: sed quia personae habentis divinitatem et humanitatem est mater secundum humanitatem.

* Cf. *Act. Concil. Ephes.*, part. I, cap. II, n. 12.

AD TERTIUM DICENDUM quod hoc nomen *Deus*, quamvis sit commune tribus personis, tamen quandoque supponit pro sola persona Patris, quandoque pro sola persona Filii vel Spiritus Sancti, ut supra * habitum est. Et ita, cum dicitur, *Beata Virgo est mater Dei*, hoc nomen *Deus* supponit pro sola persona Filii incarnata.

* Qu. XVI, art. I; Part. I, qu. XXXIX, art. 4.

α) *et.* – *vel* tertia.

β) *percipimus.* – Tertia praeter G; *percepimus.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus ut sonat. – In corpore duae sunt conclusiones. Prima est: *Beata Virgo vere dicitur mater Dei*. – Secunda est: *Haereticum est negare Beatam Virginem esse matrem Dei* *.

* Cf. num. seq.

Prima conclusio probatur. Omne nomen significans in concreto aliquam naturam, potest supponere pro qualibet hypostasi illius naturae. Ergo ly *Deus* potest supponere pro hypostasi divinae et humanae naturae. Ergo personae illi suppositae vel nomine Dei vel hominis, potest attribui quidquid ratione divinae vel humanae naturae convenit. Ergo vere potest dici Deum conceptum et natum de Virgine. Ergo Beata Virgo vere potest dici mater Dei.

Antecedens patet. – Prima consequentia probatur. Quia unio incarnationis facta est in hypostasi. – Secunda ex eisdem est evidens. – Tertia probatur. Quia concipi et nasci attribuitur hypostasi secundum naturam illam in qua concipitur et nascitur. Iam autem ex dictis patet hypostasim Verbi a principio conceptionis unitam naturae humanae. – Quarta probatur. Quia ex hoc aliqua mulier dicitur alicuius mater, quod eum concepit et genuit.

II. Secunda conclusio probatur. Solis duobus modis haereticis posset negari Beatam Virginem esse matrem Dei. Ergo haereticum est, etc.

Antecedens probatur et quoad modos et quoad haeresim. Quoad modos quidem: quia alter est quo poneretur homo ille prius conceptus quam fuerit Filius Dei; alter vero est quo ille homo poneretur non esse Filius Dei personaliter. Quoad haeresim vero: quia primum fuit Photini, secundum Nestorii. Omnia clara sunt.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM IN CHRISTO SINT DUAE FILIATIONES

III *Sent.*, dist. VIII, art. 5; *Quodl.* I, qu. II, art. 1; IX, qu. II, art. 3; *Compend. Theol.*, cap. CCXII.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod in Christo sint duae filiationes. Nativitas enim est causa filiationis. Sed in Christo sunt duae nativitates. Ergo etiam in Christo sunt duae filiationes.

2. Praeterea, filiatio, qua quis dicitur filius alicuius ut matris vel patris, dependet aliqualiter ab ipso: quia esse relationis est *ad aliud aliqualiter se habere* *; unde et, interempto uno relativorum, interimitur aliud *. Sed filiatio aeterna, qua Christus est Filius Dei Patris, non dependet a matre: quia nullum aeternum dependet a temporali. Ergo Christus non est filius matris filiatione aeterna. Aut ergo nullo modo est filius eius, quod est contra praedicta *: aut oportet quod sit filius eius quadam alia filiatione temporali. Sunt ergo in Christo duae filiationes.

* Aristot. *Categ.*, cap. V, n. 1, 2.
* Ibid., n. 16.
* Art. 3, 4.

3. Praeterea, unum relativorum ponitur in definitione alterius *: ex quo patet quod unum relativorum specificatur ex alio. Sed unum et idem non potest esse in diversis speciebus. Ergo impossibile videtur quod una et eadem relatio terminetur ad extrema omnino diversa. Sed Christus dicitur Filius Patris aeterni, et matris temporalis, qui sunt termini omnino diversi. Ergo videtur quod non possit eadem relatione [α] Christus dici Filius Patris et matris. Sunt ergo in Christo duae filiationes.

* Aristot. *Categ.*, cap. V, n. 24 sqq.

Sed contra est quod, sicut Damascenus dicit, in III libro *, ea quae sunt naturae, multiplicantur in Christo: non autem ea quae sunt personae. Sed filiatio maxime pertinet ad personam: est enim proprietas personalis, ut patet ex his quae in Prima Parte * dicta sunt. Ergo in Christo est una tantum filiatio.

* *De Fide Orth.*, lib. III, cap. XIII, XIV.
* Qu. XXXII, art. 3; qu. XL, art. 2.

Respondeo dicendum quod circa hoc sunt diversae opiniones. Quidam enim, attendentes ad causam filiationis, quae est nativitas, ponunt in Christo duas filiationes, sicut et duas nativitates. – Alii vero, attendentes ad subiectum filiationis, quod est persona vel hypostasis, ponunt in Christo tantum unam filiationem, sicut et unam hypostasim vel personam.

Unitas enim relationis vel eius pluralitas non attenditur secundum terminos: sed secundum causam vel subiectum *. Si enim secundum terminos attenditur [β], oporteret quod quilibet homo in se duas filiationes haberet: unam qua refertur ad patrem, et aliam qua refertur ad matrem. Sed recte consideranti apparet eadem relatione referri unumquemque [γ] ad suum patrem et matrem, propter unitatem causae. Eadem enim nativitate homo nascitur ex patre et matre: unde eadem relatione ad utrumque refertur. Et eadem ratio est de magistro qui docet multos discipulos eadem doctrina; et de domino qui gubernat diversos subiectos eadem potestate. – Si vero sint diversae causae specie differentes, ex consequenti videntur relationes specie differre. Unde nihil prohibet plures tales relationes [δ] eidem inesse. Sicut, si aliquis est aliquorum magister in grammatica et aliorum in logica, alia est ratio magisterii utriusque: et ideo diversis relationibus unus et idem homo potest esse magister vel diversorum vel eorundem secundum diversas doctrinas. – Contingit autem quandoque quod aliquis habet relationem ad plures secundum diversas causas, eiusdem tamen speciei: sicut cum aliquis est pater diversorum filiorum secundum diversos generationis actus. Unde paternitas non potest specie differre: cum actus generationum sint iidem specie. Et quia plures formae eiusdem speciei non possunt simul inesse eidem subiecto *, non est possibile quod sint plures pater-

* D. 1087.
* D. 638.

α) *relatione*. – PsG; *ratione*.
β) *attenditur*. – *attenderetur* tertia.
γ) *unumquemque*. – *unumquodque* Fa et tertia.
δ) *relationes*. – *rationes* PA.

nitates in eo qui est pater plurium filiorum generatione naturali. Secus autem esset si esset pater unius generatione naturali, et alterius per adoptionem.

Manifestum est autem quod non una et eadem nativitate Christus est natus ex Patre ab aeterno, et ex matre ex tempore. Nec nativitas est unius speciei. Unde, quantum ad hoc, oporteret dicere in Christo esse diversas filiationes, unam temporalem et aliam aeternam. Sed quia subiectum filiationis non est natura aut pars naturae, sed solum persona vel hypostasis; in Christo autem non est hypostasis vel persona nisi aeterna: non potest in Christo esse aliqua filiatio nisi quae sit in hypostasi aeterna. Omnis autem relatio quae ex tempore de Deo dicitur, non ponit in ipso Deo aeterno aliquid secundum rem, sed secundum rationem tantum: sicut in Prima
[...]u. XIII, art. 7. Parte * habitum est. Et ideo filiatio qua Christus refertur ad matrem, non potest esse realis relatio, sed solum secundum rationem.

Et sic quantum ad aliquid utraque opinio verum dicit. Nam si attendamus ad perfectas rationes filiationis, oportet dicere duas filiationes, secundum dualitatem nativitatum. Si autem attendamus ad subiectum filiationis, quod non potest esse nisi suppositum aeternum, non potest
ε in Christo esse realiter nisi filiatio aeterna [ε].

Dicitur tamen relative filius ad matrem relatione quae cointelligitur relationi maternitatis ad Christum. Sicut Deus dicitur Dominus relatione quae cointelligitur reali relationi qua creatura subiicitur Deo. Et quamvis relatio dominii non
ζ sit realis in Deo, tamen realiter est [ζ] Dominus, ex reali subiectione creaturae ad ipsum. Et similiter Christus dicitur realiter filius Virginis matris ex relatione reali maternitatis ad Christum.

Ad primum ergo dicendum quod nativitas temporalis causaret in Christo temporalem filiationem realem, si esset ibi subiectum huiusmodi filiationis capax. Quod quidem esse non potest: ipsum enim suppositum aeternum non potest esse susceptivum relationis temporalis, ut dictum est *. – Nec etiam potest dici quod sit suscepti- * In corpore.
vum filiationis temporalis ratione humanae naturae, sicut etiam et temporalis nativitatis: quia oporteret naturam humanam aliqualiter esse subiectam filiationi, sicut est aliqualiter subiecta nativitati; cum enim Aethiops dicitur albus ratione dentis, oportet quod dens Aethiopis sit albedinis subiectum. Natura autem humana nullo modo potest esse subiectum filiationis: quia haec relatio directe respicit personam.

Ad secundum dicendum quod filiatio aeterna non dependet a matre temporali: sed huic filiationi aeternae cointelligitur quidam respectus temporalis dependens a matre, secundum quem Christus dicitur filius matris.

Ad tertium dicendum quod *unum et ens se consequuntur*, ut dicitur in IV *Metaphys.* * Et ideo, * S. Th. lect. II; Did. lib. III, cap. II, n. 5. – Cf. lib. X, cap. III, n. 5; S. Th. lib. XI, lect. III.
sicut contingit quod in uno extremorum relatio sit quoddam ens, in alio autem non sit ens, sed ratio tantum, sicut de scibili et scientia Philosophus dicit, in V *Metaphys.* *: ita etiam contin- * S.Th. lect. XVII. – Did. lib. IV, cap. XV, n. 8.
git quod ex parte unius extremi est una relatio, ex parte autem alterius extremi sunt multae relationes. Sicut in hominibus ex parte parentum invenitur duplex relatio, una paternitatis et alia maternitatis, quae sunt specie differentes, propter hoc quod alia ratione pater, et alia mater est generationis principium (– si vero essent plures eadem ratione principium unius actionis, puta cum multi simul trahunt navem, in omnibus esset una et eadem relatio): ex parte autem prolis est una sola filiatio secundum rem, sed duplex secundum rationem, inquantum correspon-
det [η] utrique relationi parentum secundum duos respectus intellectus. Et sic etiam quantum ad η
aliquid in Christo est tantum una filiatio realis, quae respicit Patrem aeternum: est tamen ibi alius respectus temporalis, qui respicit matrem temporalem.

ε) *aeterna.* – EF*a* et tertia; om.
ζ) *tamen realiter est.* – *dicitur tamen realiter* tertia.
η) *correspondet.* – *respondet* GH*bc*.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus de filiationibus realibus, hoc est, an ambae sint reales relationes, intelligitur.

In corpore quatuor fiunt: primo, ponuntur duae circa quaesitum opiniones; secundo, tractatur in communi penes
Cf. num. seq. quid attenditur unitas vel pluralitas relationis realis *;
Cf. num. III. tertio, applicatur ad Christi filiationem *; quarto, respon-
Cf. num. IV. detur quaesito *.

Quoad *primum*, prima opinio ponit duas reales in Christo filiationes, propter plures nativitates, quae sunt causae. – Secunda ponit unam tantum, propter unitatem personae, quae est subiectum.

II. Quoad *secundum*, advertendum est quod tria concurrunt ad realem relationem: scilicet causa, non quaecumque, sed ea quae fundat relationem, ut albedo respectu similitudinis, et quantitas respectu aequalitatis, et generatio activa respectu paternitatis, et similia; subiectum, in quo scilicet est subiective ipsa relatio, ut paternitas in persona patris, et sic de aliis; et terminus ad quem ut ad corre-
[...]liatio Pab. lativum relatio est, ut filius * est ad quem dicitur paternitas, et sic de aliis. Et quia haec inveniuntur concurrere ad esse relationis; et unitas aut pluralitas ad esse rei spectant: ideo Auctor, in communi tractare volens hic de unitate vel pluralitate relationis realis, de qua est sermo, ab istis tribus inchoavit et per haec tria discurrit, proponendo quod penes causam vel subiectum, et non penes terminum relatio plurificatur, excludendo primo terminum esse penes quem unitas aut pluralitas relationis realis attenditur. Probat autem hoc ex eo quod, si ad pluralitatem terminorum multiplicaretur realis relatio, sequeretur quod Socrates esset filius duabus filiationibus realibus specie differentibus, quia est filius patris et matris: quod est inconveniens, quia una nativitate est utriusque filius.

Et hinc, secundo, infert penes unitatem causae attendi unitatem specificam relationis. Et manifestat hoc, primo, in filiatione penes nativitatem; secundo, in magistro penes unam doctrinam, et in domino penes unum dominium.

Et inde, tertio, prosequitur pluralitatem specificam attendi penes specificam pluralitatem causae. Quod manifestat in magisterio grammaticae et logicae: et sic de aliis.

Et demum, unitatem numeralem relationis non penes

causam, sed subiectum ponit. Et manifestat in patre respectu multorum filiorum: in quo nec plures specie paternitates, quia generationes sunt eiusdem speciei; nec plures numero, quia forma eiusdem rationis non potest multiplicari in eodem subiecto.

* Num. I.

III. Quoad *tertium* *, duo de filiatione Christi deducit. Primum, ex parte causae: scilicet quod, quia duae sunt Christi nativitates, et sunt diversarum rationum, consequens est quod duae sunt in Christo filiationes.

Secundum, ex parte subiecti: quod, quia una tantum est persona, et subiectum filiationis non est natura neque pars naturae sed persona, consequens est quod in Christo non sit filiatio temporalis nisi cuius capax est persona divina. Et sic filiatio temporalis in Christo non est relatio realis, sed rationis tantum.

* Ibid.

IV. Quoad *quartum* *, respondetur, primo, quaesito, distinguendo et concordando opiniones ambas. Quia aut sermo est de filiationibus secundum perfectas rationes filiationis. Et sic affirmandae sunt duae in Christo filiationes, iuxta duas nativitates. – Aut secundum filiationis subiectum. Et sic in Christo non est nisi filiatio aeterna: quia solum est suppositum aeternum.

Secundo, excludit obiectionem: quomodo scilicet Christus dicitur filius matris. Et dicit quod dicitur relatione filiationis cointellecta maternitati.

Tertio, excludit aliam obiectionem: quomodo Christus dicitur realiter filius matris. Et dicit quod dicitur realiter filius ex reali maternitate ad ipsum.

V. Occurrunt hoc in loco quinque ex Scoto, in VIII dist. III *Sent.*, dubitanda. Arguit enim contra quinque hic dicta. *Primum* est circa illud, quod relationes non plurificantur secundum terminos. – *Secundum* * est circa illud: Impossibile est in eodem subiecto esse duas formas eiusdem rationis. – *Tertium* * est circa illud: Pater unica paternitate refertur ad plures filios. – *Quartum* * est circa rationem litterae pro principali conclusione. – *Quintum* * est circa ipsam principalem conclusionem.

* Cf. num. VII, X. * Cf. num. VI, XIV. * Cf. num. VIII, XV. * Cf. num. IX, XVI.

Contra primum ergo dictum, scilicet, *relationem non plurificari secundum terminos,* arguit Scotus *. Si ad duos terminos esset eadem relatio, tunc eadem relatio simul esset et non esset.

* Cf. num. XIII.

VI. Contra tertium dictum *, quod est propinquum huic primo, scilicet quod *pater unica paternitate refertur ad plures filios,* arguit Scotus *, primo. Pater hac paternitate primo respicit hunc filium hac filiatione. Ergo haec paternitas non est ad plures filios. – Antecedens probatur. Quia sicut paternitas fundatur super genuisse, ita haec paternitas super hoc genuisse.

* Num. praeced. * Cf. num. XIV.

Secundo. Correlativa sunt simul natura: ita quod, uno destructo, destruitur et reliquum *. Ergo, destructa hac filiatione in hoc filio, destruitur quoque haec paternitas in hoc patre. Ergo paternitas remanens ad alium filium, est alia paternitas: nisi aut idem simul esset corruptum et remaneret, quod est impossibile; aut nova paternitas tunc advenisset sine nova generatione, quod est etiam impossibile.

* Aristot. *Categ.*, cap. V, n. 16.

Tertio, quia quando aliquid est aliquo ultimate tale, non potest illud manere in ipso nisi ipsum habens illud sit ipso tale: sicut non potest albedo manere in superficie nisi ipsa superficies sit alba. Sed relatio est qua habens illam est ultimate *ad aliud*. Igitur non potest manere eadem in eo nisi illud in quo manet sit illa ad idem aliud. Igitur non manet eadem paternitas, destructo illo termino ad quem habens paternitatem dicitur pater paternitate illa.

Quarto. Pater aliquo modo aliter respicit hunc filium et illum. Si alia relatione, habetur propositum. – Si non alia relatione, sed alio respectu eiusdem relationis, iterum habetur propositum, contra secundum dictum *. Quia illi respectus erunt eiusdem rationis, propter fundamenta eiusdem rationis. Et propterea respectus isti aut sunt aliud a relatione: et hoc est superfluum, multiplicare tot entia. Aut sunt idem relationi: et tunc sequitur quod est idem dicere respectum plurificari, et relationem plurificari. Ergo habetur propositum.

* Num. praeced.

Quinto. Multiplicato priori, multiplicatur posterius. Sed fundamentum est prius relatione: puta generatio paternitate. Ergo, multiplicata generatione activa, multiplicatur paternitas.

VII. Contra secundum dictum *, scilicet *formas eiusdem speciei non posse simul esse in eodem subiecto,* arguit Scotus *, primo. In omni ordine essentiali cum unitate prioris essentialiter potest stare pluralitas posterioris naturaliter, non per se nec adaequate inhaerentis priori. Sed subiectum est prius essentialiter illa dispositione quae ponitur sibi inhaerens, nec per se ei inhaeret nec adaequate. Ergo. – Maior probatur per simile in causa et in effectu: quia nec subiectum est causa intrinseca dispositionis.

* Num. V. * Cf. num.

Secundo, quia plures species phantasticae eiusdem speciei sunt simul in eodem organo phantasiae secundum eandem partem organi. Ergo. – Antecedens probatur. Et quidem quod plures simul sint, patet ex eo quia aliter, deleta una specie, non posset quis imaginari nisi de novo acquireret. Quod vero sint eiusdem speciei, probatur ex obiectis: quia obiecta sunt eiusdem speciei. Quod autem sint in eadem parte organi, probatur, quia organum non potest in tot partes minimas dividi quot sunt species imaginabiles quae simul sunt in organo phantasiae.

VIII. Contra quartum *, scilicet rationem illam, *Filiatio est ita suppositi ut subiecti quod non naturae. Ergo in Christo non est filiatio temporalis realis,* arguit Scotus, primo *. Si filiatio est tantum personae, ita quod non potest nisi plurificata persona plurificari, aut hoc convenit filiationi ut relatio absolute: aut ut relatio talis originis. Non primum: ut patet. – Nec secundum. Quia non magis repugnat uni personae pluralitas talis relationis quam pluralitas originationis fundantis tales relationes. Sed Christus habuit duas origines. Ergo.

* Num. V. * Cf. num

Secundo, quia Pater aeternus habet duas reales relationes originis, scilicet ad Filium et Spiritum Sanctum, super uno fundamento, scilicet essentia. Ergo a fortiori Filius, super duo fundamenta, scilicet duas naturas et nativitates, habet duas filiationes reales.

Tertio. Christus habet duas operationes. Ergo duas filiationes. – Probatur consequentia. Quia relatio originis non magis quam operatio respicit suppositum: quia suppositi est operari, I *Metaphys.* *

* Cap. I, s. Th. lec Cf. lib. IV, n. 12: lib. V, lec

Quarto. Christus, si genuisset plures filios, habuisset duas paternitates ad illos. Ergo nunc habet duas filiationes, propter duas nativitates.

Quinto, si filiatio tantummodo diceretur de Christo secundum rationem personalitatis aeternae, sequeretur quod haec esset falsa: *Christus, inquantum homo, est filius.* – Probatur sequela. Quia quod praecise Christo convenit secundum rationem personalitatis aeternae, non dicitur de eo inquantum homo: propterea enim ista est falsa, *Christus, inquantum homo, est persona.*

IX. Contra quintum *, scilicet, *Filiatio temporalis Christi non est relatio realis,* arguit Scotus probando ultimam particulam, de qua sola est quaestio: scilicet, quod sit realis *. Primo. Illa relatio est realis quae consequitur extrema ex natura extremorum sine actu intellectus. Sed, posita matre generante et supposito habente naturam per generationem, ex natura extremorum, sine actu intellectus, sequitur hic filiatio, sicut ibi maternitas. Ergo.

* Num. V * Cf. num

Quod si quis fingat intellectum operari ad causandum relationem, hoc improbatur. Quia si Maria genuisset purum hominem, fuisset ille vere filius relatione reali. Ergo, cum Christus non minus acceperit naturam a matre quam purus homo accepisset, aeque realis erit in eo relatio sicut in puro homine fuisset.

X. Ad haec dubia, mota secundum ordinem dictorum in littera, respondendum est non eodem ordine, sed prout doctrinae ordo exigit: ut prius scilicet communiora quam minus communia tractentur, ut ex notis generibus ad species cognoscendas transeatur. Et propterea *ad dubium secundum* *, quod inter illa communissimum est, utpote in communi disputans de formis unius speciei in eodem subiecto, dicendum est primo: praenotando quod ratio quare formas unius speciei multiplicari in eodem dicimus impossibile, est illa radicalis propositio Peripatetica: *Omnis*

* Num. V

distinctio aut est secundum formam, aut secundum quantitatem; de qua propositione, cum de principio individuationis tractaretur *, diffuse dictum est. Hinc enim oritur quod implicat dicere formas unius speciei duas, et apponere in eodem subiecto. Quia, si in eodem subiecto sunt, ergo non distinguuntur secundum quantitatem. Ac per hoc, cum non distinguantur etiam formaliter, non sunt duae.

* ...omment. Ca... in Tract. *de ...te et Essent.,* ... v. - Cf. Part. ...n. xxix, art. 1, ...mment. ix, x; ... xli, art. 6, ...nm. iii sqq.

XI. Ad primam ergo obiectionem respondendo, dicitur quod maior est, universaliter, falsa: et distinguenda propterea, ad claritatem solutionis. Potest siquidem intelligi de unitate formali: vel de unitate numerali. Si de unitate formali, transeat, tanquam impertinens. Si de unitate numerali, falsa est universaliter. Ratio est quia in aliis a quantitate, unitas numeralis posterioris inhaerentis dependet per se ab unitate numerali prioris, hoc est subiecti. Ita quod, licet albedo per accidens se habeat ad hoc quantum, haec tamen albedo, inquantum haec, per se dependet ab hoc quanto: ita quod, si haec albedo, ut haec, definiretur, in definitione eius poneretur hoc quantum quod est subiectum. Unde cum unitate numerali subiecti prioris non stat pluralitas numeralis accidentis posterioris quod secundum suam speciem non per se inhaeret, quod secundum unitatem numeralem vindicat sibi per se et adaequate hoc subiectum: per se quidem, quia hoc subiectum poneretur in definitione accidentis inquantum hoc; adaequate autem, quia unitas numeralis huius accidentis subiecti soli huic subiecto convenit, nec extra illud inveniri aut intelligi potest. – Unde probatio a simili nulla est. Quoniam unitas numeralis effectus non dependet ab unitate numerali causae ut illius definitiva: sicut unitas numeralis accidentis definienda est per hoc subiectum.

XII. Ad secundam obiectionem, de speciebus in phantasia *, respondetur tripliciter. Primo, quod non probatur ab arguente esse tot eiusdem speciei species simul in una phantasia quod non possint esse in diversis organi partibus: praesertim cum huiusmodi intentionalia entia videantur quasi in puncto salvari, ut apparet videntibus per minimum foramen tot. Et multa sunt similia in phantasia, non per proprias species, sed per species aliquorum totorum, quorum illa occurrerunt ut partes.

* ...m. vii, *Se-...do.*

Secundo dicitur negando in eadem phantasia inveniri plures species eiusdem rationis. Et ad probationem, *Obiecta sunt eiusdem rationis, Ergo species eorum,* dicitur quod obiecta sumuntur dupliciter: scilicet in esse naturae, et sic duo alba sunt eiusdem rationis; vel in esse sensibili, et sic duo alba sunt diversarum rationum. Quod sic manifestatur ab ipsis repraesentantibus. Nam sicut in esse naturae illa tantum dicuntur unius speciei quorum quidquid habet essentialiter unum, habet essentialiter aliud; ita in repraesentando illa tantum dicuntur unius speciei quorum quidquid repraesentat unum, totum illud idem repraesentat reliquum. Sicut, si unum album videatur a duobus vel pluribus, omnes illae species sunt unius speciei: non enim differunt in repraesentando, quia idem repraesentant; sed solo numero differunt, quia haec in isto, et illa in illo est. Sed duorum alborum species non sunt unius speciei: quia species unius non repraesentat aliud, ut patet. Unde, cum in una phantasia negemus plures species eiusdem obiecti, consequenter negamus plures species eiusdem rationis: quoniam, ut dictum est, species diversorum individuorum sunt diversarum specierum, quia ipsa individua diversa sunt diversarum rationum in esse sensato.

Tertio dicitur quod, sicut lumen generatum in eodem diaphano a secunda candela non est aliud numero a lumine genito a prima, sed coincidit in idem dependens a duobus ut partialibus agentibus; ita cum in phantasiae organum secundum eandem partem occurrit obiectum eiusdem rationis, non fit alia species, sed praeexistens fit dependens a duobus partialibus, convertente anima speciem illam ad novum obiectum, ita quod praecedens species perficitur et firmitate et extensione.

Haec responsio sustinenda est ab illis qui diversorum individuorum non admitterent diversarum rationum esse species, et in eadem parte organi recipi. Ego magis trahor in secundam responsionem. Quae potest confirmari. Quia alia et maiori ratione differunt species imaginatae Socratis et Platonis quam differant duae species imaginatae Socratis. Sed duae species Socratis differunt ratione differentiae numeralis. Ego species Socratis et Platonis differunt differentia maiori: quam constat esse specificam,

XIII. *Ad primum dubium* * dicitur quod ex hoc quod relatio una est ad plures terminos inadaequate, non sequitur eam simul esse et non esse: quamvis sequeretur si esset ad plures adaequatos terminos (quod non est intelligibile). Sunt enim duo inadaequati termini quasi partiales termini. Et propterea, uno sublato, potest remanere eadem relatio ad alium, quasi partialem terminum.

* Num. v.

XIV. *Ad tertium dubium,* de unica paternitate ad plures filios *, respondendo dicitur quod maior, seu antecedens illud, *Pater hac paternitate primo respicit hunc filium hac filiatione,* distinguendum est. Nam si ly *primo* sumitur pro *adaequate,* negatur. Si vero sumitur *primo* pro *principaliter,* conceditur: sed tunc negatur sequela. Nec antecedens in primo sensu probatur ex allata probatione. Quoniam nihil aliud probatur nisi quod haec paternitas habet pro propria causa hoc genuisse. Sed ex hoc negatur: *Ergo adaequate respicit hunc filium.* Ubi, pro claritate doctrinae, scito quod haec paternitas, si secundum proprias causas iudicaretur, esset procul dubio ad solum hunc filium. Sed si secundum merita subiecti iudicatur, oportet quod sit ad hunc et alium filium: propter hoc scilicet quod secunda paternitas cedit in identitatem primae ratione subiecti, quia non habet unde differat solo numero ab illa. Sicut lumen genitum a secunda candela in eodem diaphano per se primo est ab hoc agente, ut patet XII *Metaphys.* *: sed propter subiecti identitatem coincidit in idem numero lumen prius genitum a prima candela ibi illuminante. Et quia huiusmodi coincidentiae sunt per accidens, hoc est per aliud, hoc est per subiectum; ideo non ex rationibus formarum aut causarum arguendum est, sed ad identitatem spectandum est subiecti.

* Num. vi.

* S. Th. lect. iv. - Did. lib. XI, cap. v, n. 5, 6.

Et per hoc patet responsio ad secundum: scilicet quod, destructo uno correlativorum destruitur et reliquum, *nisi per accidens contingat illud remanere.* Propositiones enim fiunt de eo quod secundum proprias rationes convenit correlativis: non de his quae per accidens contingunt. Sic autem est in proposito. Destructo enim hoc filio, secundo vel primo, destruitur haec paternitas, nisi per accidens remaneat, ratione identitatis ad paternitatem ad reliquum. Sicut, destructo uno albo, destruerentur similitudines omnium alborum ad illud, nisi per accidens remanerent inter se. Album enim una similitudine refertur ad omnia alba: nisi quasi infinitas relationes reales, distinctas realiter etiam ab hac albedine, ponat Scotus in hoc albo simul; quod est ridiculum, absurdum et superfluum. – Et haec est altera responsio a superius * data, de termino adaequato vel inadaequato.

* Num. xiii.

Ad tertium dicitur quod maior est vera per se: potest tamen esse falsa per accidens, ut dictum est. Licet enim Socrates sit pater hac paternitate ad hunc filium; et non possit per se remanere haec paternitas sine hoc filio: potest tamen per accidens remanere absque hoc quod dicatur ad hunc filium. Et ratio est reddita ex parte subiecti: et ex parte termini, quia est inadaequatus.

Ad quartum dicitur quod pater eadem relatione, et eodem respectu reali, respicit utrumque filium. Et cum apud Auctorem * invenitur quod respectus sunt diversi, non intelligitur de diversitate reali, sed rationis: quia unica illa realis relatio duorum respectuum rationem induit, dum cointelligitur respicere diversos terminos. Ita quod in re non est diversitas respectuum, sed respectorum, quibus illa una relatio quasi duplex cointelligitur. Et sic ruit tota fabrica argumenti, quod de respectibus realibus loquitur.

* Cf. resp. ad 3, et loca cit. in capit. art.

Ad quintum, negatur assumptum universaliter, ut assumitur: et specialiter etiam de fundamentalis causae successivae multitudine numerali in eodem subiecto permanente. Possunt enim successivae generationes activae multiplicari, et tamen permanentia consequentia oportet in identitatem cedere: propter identitatem subiecti non compatientis permanentium numeralem distinctionem in se uno.

XV. *Ad quartum dubium,* de proprio filiationis subiecto *, dicitur quod filiatio nec ex eo quod relatio, nec ex eo quod relatio originis, habet quod non plurificetur nisi plurificata persona: sed hoc habet ex eo quod sola persona capax est filiationis, sicut et paternitatis. Nulla enim natura, nulla pars naturae aut personae capax est paternitatis aut filiationis: ut patet ex eo quod nihil horum potest dici pater vel filius. Unde patet quod non est ad propositum pluralitas relationum originis in Patre aeterno; nec pluralitas generationum. Quoniam generatio est subiective in parte naturae, hoc est, materia: filiatio autem immediate est in persona; alioquin illud medium posset dici filius; sicut superficies dicitur alba, quia mediat inter subiectum et albedinem, et sic de aliis.

* Num. VIII.

Et per hoc patet responsio ad secundum. Quoniam non ex parte fundamenti, sed subiecti, provenit quod ista filiatio temporalis non est realis.

Ad tertium, negatur sequela. Ad probationem dicitur quod aliter operatio, et aliter filiatio est suppositi. Nam filiatio est suppositi ut subiecti immediati: operatio autem est suppositi mediante natura et potentia et subiecto, ut patet.

Ad quartum dicitur quod, si Christus genuisset, nullam paternitatem realem ex suo genuisse acquisivisset: quia paternitas est subiective immediate in persona, non minus quam filiatio.

Ad quintum dicitur quod antecedens potest habere duos sensus, prout ly *secundum rationem personalitatis aeternae* dupliciter teneri potest. Primo, reduplicative. Et tunc conceditur totum, utpote impertinens. Quia antecedens non est nostrum, et est falsum: quia Christo convenit esse filium hominis non secundum rationem personalitatis aeternae, hoc est, non ex hoc quod est persona aeterna. – Secundo, potest teneri specificative. Et sic antecedens quidem est nostrum et verum, sed consequentia nihil valet, quia procedit secundum primum sensum. Constat enim quod omnia personalia, sive humana sive divina, conveniunt Christo secundum rationem personalitatis aeternae, si ly *secundum* tenetur specificative: Christus enim secundum suam personam est hic homo et filius hominis, ut patet.

XVI. *Ad quintum dubium*, de realitate filiationis temporalis in Christo *, dicitur negando maiorem: quoniam oportet addere quod *suppositum sit capax novae filiationis realis.* Propter excellentiam siquidem personae Christi provenit quod non consurgat in eo filiatio realis nova. Nec oportet fingere intellectum co-operantem filiationem realem: sed ad filiationem rationis non fingitur, sed necessario concurrit co-intellecta filiatio ad maternitatem.

* Num. IX.

Et cum dicitur, *Si Maria genuisset purum hominem, etc.: Ergo:* negatur sequela. Quia in puro homine fuisset persona capax filiationis realis novae: in Christo autem, licet aeque acceperit naturam a matre, non tamen est aeque subiectum filiationis; quia non est in Christo suppositum capax filiationis realis novae, ob defectum subiecti, propter excellentiam suppositi. Ut enim in littera dicitur, omnia requisita ad filiationem realem inveniuntur in Christo nato, excepto subiecto: quod quia persona est, et illa est Deus, ideo subiectum realis filiationis novae esse non potest.

Cum quibus tamen tene quod Christus refertur ad matrem reali relatione causati ad causam; et similis ad simile; et sic de aliis relationibus realibus quae non immediate sunt in supposito subiective.

XVII. In responsione ad ultimum, nota duo. Primo, quod de unitate specifica, et non de unitate numerali est sermo in littera dicente, *In omnibus trahentibus navem est una relatio.* Nam specificae diversitati paternitatis et maternitatis quia sunt diversa ratione principia, contraponitur unitas eadem ratione principiantium tractum navis. Et veritas est quod multi trahentes navem multis actionibus unum passive navis tractum inferunt: quilibet enim sua propria actione concurrit. Et propterea multis relationibus solo numero differentibus referuntur ad navem quae trahitur: quilibet enim sua propria relatione, consequente propriam actionem, refertur; quamvis navis, quia uno numero motu trahitur, una relatione numero ad omnes trahentes referatur.

Nota secundo, quod filiatio singulorum hominum dicitur *una secundum rem et duplex secundum rationem secundum duos respectus intellectus,* in hoc sensu, quod, sicut albedo una secundum rem est multiplex secundum rationem, puta ut visibilis, ut terminativa alterationis, ut extremitas perspicui, etc.; ita filiatio Socratis est una res respectiva, et multiplex secundum multas rationes respectivas; ita quod intellectus non facit in illa filiatione respectum ad patrem aut ad matrem; sed facit distinctionem rationis in illo uno respectu secundum rem, dum cointelligit illum ut respondet patri, et iterum ut respondet matri.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM CHRISTUS FUERIT NATUS SINE DOLORE MATRIS

IIª IIªᵉ, qu. CLXIV, art. 2, ad 3.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod Christus non fuerit natus sine dolore matris. Sicut enim mors hominum subsecuta est ex peccato primorum parentum, secundum illud *Gen.* II *: *Quacumque die comederitis* α, *morte moriemini;* ita etiam dolor partus, secundum illud *Gen.* III *: *In dolore paries filios.* Sed Christus mortem subire voluit. Ergo videtur quod pari ratione eius partus esse debuerit cum dolore.

* Vers. 17.
α
* Vers. 16.

2. Praeterea, finis proportionatur principio. Sed finis vitae Christi fuit cum dolore: secundum illud Isaiae LIII *: *Vere dolores nostros ipse tulit.* Ergo videtur quod etiam in sua nativitate fuerit dolor partus.

* Vers. 4.

3. Praeterea, in libro *de Ortu Salvatoris* * narratur quod ad Christi nativitatem obstetrices occurrerunt: quae videntur necessariae parienti propter dolorem. Ergo videtur quod Beata Virgo peperit cum dolore.

* Al. *Prot[...] gel. Iacob[...]* XIX, XX. - [...] *Cod. Apoc[...] Test.*, to[...] Hamburg [...]

Sed contra est quod Augustinus dicit, in Sermone *de Nativitate* *, alloquens Virginem Matrem: *Nec in conceptione,* inquit, *inventa es sine pudore: nec in partu inventa es* β *cum dolore.*

* In A[...] Serm. CX[...] *Annunt* [...] Serm. XV[...] *Sanct.*
β

Respondeo dicendum quod dolor parientis causatur ex apertione meatuum per quos proles egreditur. Dictum est autem supra * quod Christus est egressus ex clauso utero matris: et sic nulla apertio γ meatuum ibi fuit. Et propter hoc in illo partu nullus fuit dolor, sicut nec aliqua

* Qu. XXV[...] 2, ad arg[...]
γ

α) *commederitis.* – *ex eo* addit tertia.
β) *es... es.* – P; *est... est.*

γ) *apertio.* – *violentia apertionis* tertia.

corruptio: sed fuit ibi maxima iucunditas, ex hoc quod *homo Deus natus est in mundum* *, secundum illud Isaiae xxxv *: *Germinans germinabit sicut lilium, et exultabit laetabunda et laudans.*

* Ioan. cap. xvi, vers. 21.
* vers. 1, 2.

Ad primum ergo dicendum quod dolor partus consequitur in muliere commixtionem virilem. Unde *Gen.* iii *, postquam dictum est, *In dolore paries*, subditur: *et sub viri potestate eris.* Sed, sicut dicit Augustinus, in Sermone *de Assumptione Beatae Virginis* *, ab hac sententia excipitur Virgo mater Dei: quae, *quia sine peccati colluvione* [δ] *et sine virilis admixtionis detrimento Christum suscepit, sine dolore genuit, sine integritatis violatione, pudore virginitatis integra permansit.* Christus autem mortem suscepit spontanea voluntate, ut pro nobis satisfaceret, non quasi ex necessitate illius sententiae: quia ipse mortis debitor non erat.

* vers. 16.
* Tract. VIII adivers., cap. iv. Inter Opp.

Ad secundum dicendum quod, sicut Christus *moriendo destruxit mortem nostram* *, ita suo dolore nos a doloribus liberavit: et ita mori voluit cum dolore. Sed dolor parientis matris non pertinebat ad Christum, qui pro peccatis nostris satisfacere veniebat. Et ideo non oportuit quod mater eius pareret cum dolore.

* Cf. Praefat. Miss. temp. Pasch.; II *ad Tim.*, cap. i, vers. 10.

Ad tertium dicendum quod Luc. ii * dicitur quod Beata Virgo ipsamet [ε] puerum, quem pepererat, *pannis involvit et posuit in praesepio.* Et ex hoc ostenditur narratio huius libri, qui est apocryphus *, esse falsa [ζ]. Unde Hieronymus dicit, *contra Helvidium* *: *Nulla ibi obstetrix, nulla muliercularum sedulitas intercessit. Et mater et obstetrix fuit. « Pannis », inquit, « involvit infantem, et posuit in praesepio ». Quae sententia apocryphorum deliramenta convincit.*

* Vers. 7.
* Can. *Sancta Romana*, dist. XV.
* *De Perpet. Virginit. B. Mariae, advers. Helvid.*, num. 8. - Ed. Migne.

δ) *colluvione.* – PHpG et *c*; *collivione* I, *pollutione* F, *collusione* ceteri.

ε) *ipsamet.* – *ipsummet* B, *ipsum* editiones.

ζ) *esse falsa.* – HIsC et editiones; ante *narratio* ponit F, ubi *falsa* sE, om. ceteri; (pro *ostenditur*, *reprehenditur* ed. *a*; an *confunditur* legendum, *esse falsa* omisso).

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore duae sunt conclusiones. Prima est: *Christus est natus sine dolore matris.* Probatur. Christus est egressus ex clauso utero matris. Ergo nulla apertionis meatuum violentia ibi fuit *. Ergo in illo partu nullus fuit dolor. – Prima consequentia patet. – Secunda vero probatur. Quia dolor parientis causatur ex apertione meatuum per quos proles egreditur. – Et confirmatur conclusio. Quia ibi nulla fuit corruptio.

* not. γ.

Secunda conclusio est: *In illo partu fuit maxima iucunditas.* Probatur dupliciter. Primo, ratione: *quia homo Deus natus est in mundo.* – Secundo, auctoritate Isaiae xxxv. – Omnia clara sunt.

II. In responsione ad tertium, adverte quod Evangelista tres actus Beatae Virginis in partu dicit: scilicet quod *peperit, involvit pannis, reclinavit in praesepio.* Et ex primo quidem docet Iesum infantem per genitalia membra, et non per os aut quamcumque aliam partem corporis materni egressum: parere namque est per naturalia generationis membra prolem edere.

Ex secundo vero, quod ipsa mater suscepit nascentem ex se infantem. Ex hoc enim quod ipsa extremos actus, scilicet parere et involvere, exercuisse dicitur, sicut excluditur obstetricum obsequium ad matris solatium, ita excluditur ad prolis susceptionem et reliquos actus intermedios, ut sunt ablutio et alia quae solent fieri.

Rationabile autem est ut mirabilem partum angelica ministeria foverint: ita ut angelorum ministerio tam nascens filius quam pariens mater omnia quae etiam in statu innocentiae opportuna fuissent, quae non ex peccato sed ex natura sunt, habuerint, quamvis alio modo, puta absque ablutione munditiam, etc. Quamvis a ratione remotum non sit ut mater ipsa, edocta ab angelis, omnia perfecerit. Primum tamen rationabilius videtur: ut et manus virgineae ab huiusmodi obscuris servarentur immunes; et mens ipsius ad tanti gaudii fructus magis unita esset; et citius omnia expedirentur; et Ioseph fides, tam cito, tam munde, tam expedite cernentis ventrem evacuatum et infantem editum, impletum esse experiretur quia *quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est* *, et cum expedita matre adoraret natum mundi Dominum. Et licet publica miracula ab infante fieri non debuerint, ne phantasma putaretur illius humanitas; secreta tamen, quae ab hac suspicione aliena sunt, non dedecet ipsum effecisse, ad Virginis matris obsequia; ut suavis sit semper omnium dispositio a divina procedens Sapientia *.

* Matth. cap. i, vers. 20.
* *Sap.* cap. viii, vers. 1.

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM CHRISTUS DEBUERIT IN BETHLEHEM NASCI

In Matth., cap. ii.

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod Christus non debuit in Bethlehem nasci. Dicitur enim Isaiae ii *: *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem.* Sed Christus est vere Verbum Dei. Ergo de Ierusalem debuit prodire in mundum.

* vers. 3.

2. Praeterea, Matth. ii * dicitur scriptum esse de Christo quod *Nazaraeus vocabitur*: quod sumitur ex eo quod scribitur Isaiae xi *, *Flos de radice eius ascendet*; « Nazareth » enim *flos* interpretatur *. Sed maxime aliquis denominatur a loco suae nativitatis. Ergo videtur quod in Nazareth nasci debuerit, ubi etiam fuit conceptus et nutritus.

* vers. 23.
* vers. 1.
* Paul. et Eustoch. ad Marcell., inter Epist. Hieron., Epist. XLVI, al. XVII.

3. Praeterea, ad hoc Dominus natus est in mundo ut veritatis fidem annuntiaret: secundum illud Ioan. xviii *: *In hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Sed hoc facilius fieri potuisset si natus fuisset in civitate Romana, quae tunc dominatum orbis habebat: unde et Paulus, Romanis scribens, dicit, *Rom.* i *: *Fides vestra annuntiatur universo mundo.* Ergo videtur quod non debuit nasci in Bethlehem.

* Vers. 37.
* Vers. 8.

* Vers. 2.

SED CONTRA EST quod dicitur Mich. v *: *Et tu, Bethlehem Ephrata* [α], *ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel.*

* Vers. 3. — * Vers. 1. — * Luc. cap. II, vers. 4.

RESPONDEO DICENDUM quod Christus in Bethlehem nasci voluit duplici ratione. Primo quidem, quia *factus est ex semine David secundum carnem*, ut dicitur *Rom.* I *: cui etiam fuerat facta repromissio specialis de Christo, secundum illud II *Reg.* XXIII *: *Dixit vir cui constitutum* [β] *de Christo Dei Iacob.* Et ideo in Bethlehem, de qua natus fuit David, nasci voluit, ut ex ipso loco nativitatis promissio ei facta impleta ostenderetur. Et hoc designat Evangelista * dicens: *Eo quod esset de domo et familia David.*

* Hom. VIII *In Evang.*

Secundo quia, ut Gregorius dicit, in Homilia *: *Bethlehem « domus panis » interpretatur. Ipse* [γ] *Christus est qui ait: Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.*

* I *Reg.*, cap. XVII, vers. 12. — * II *Reg.*, cap. V, vers. 5 sqq.; cap. VII.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut David in Bethlehem natus est *, ita etiam Ierusalem elegit ut in ea sedem regni constitueret, et templum Dei ibi aedificaret *, et sic Ierusalem esset [δ] civitas simul regalis et sacerdotalis. Sacerdotium autem Christi, et eius regnum, praecipue consummatum est in eius passione. Et ideo convenienter Bethlehem elegit nativitati, Ierusalem vero passioni.

Simul etiam per hoc hominum gloriam confutavit, qui gloriantur de hoc quod ex civitatibus nobilibus originem ducunt: in quibus etiam [ε] praecipue volunt honorari. Christus autem e converso in civitate ignobili nasci voluit, et in civitate nobili pati opprobrium.

* Loc. cit. — * Exposit. Luc., lib. I, cap. II, vers. ...

AD SECUNDUM DICENDUM quod Christus florere voluit secundum virtuosam conversationem, non secundum carnis originem. Et ideo in civitate Nazareth educari voluit et nutriri. In Bethlehem autem voluit quasi peregre nasci: quia, ut Gregorius dicit *, *per humanitatem quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur: non secundum potestatem, sed secundum naturam.* Et, ut etiam [ζ] Beda dicit *, *per hoc quod in diversorio loco eget, nobis multas mansiones in domo Patris sui praepararet.*

* Theodor. cyr. serm. Act. Concil. III, cap. IX.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut dicitur in quodam Sermone Ephesini Concilii *, *si maximam Romam elegisset civitatem, propter* [η] *potentiam civium mutationem orbis terrarum putarent. Si filius fuisset Imperatoris, potestati utilitatem adscriberent. Sed ut divinitas cognosceretur orbem transformasse terrarum, pauperculam elegit matrem, pauperiorem patriam.*

* Vers. 27. — * Vers. 5.

Elegit autem Deus infirma mundi ut confundat fortia: sicut dicitur I *Cor.* I *. Et ideo, ut suam potestatem magis ostenderet, in ipsa Roma, quae caput orbis erat, statuit caput Ecclesiae suae, in signum perfectae victoriae, ut exinde fides derivaretur ad universum mundum: secundum illud Isaiae XXVI *: *Civitatem sublimem humiliabit, et conculcabit eam pes pauperis*, idest Christi, *gressus egenorum*, idest Apostolorum Petri et Pauli.

α) *Ephrata.* – *parvulus es in millibus Iuda* addit P.
β) *constitutum.* – *est* addunt PFIa.
γ) *Ipse.* – *Ipse enim* ed. *a*, *Proprie* H*b*, *Ipse autem* PEF*c*.
δ) *esset.* – *elegit ut esset* H et editiones.
ε) *etiam.* – PEHI*a*; om. F*bc*, *et* ceteri.
ζ) *Et, ut etiam.* – *Ut etiam* EsC, *Et ut etiam ut* HpG, *Et ut* I, *Ut etiam ut b*, *Et etiam ut* Pa; P pergit: *Beda dicit: in diversorio loco egebat ut nobis... praeparet.*
η) *propter.* – Om. tertia praeter P.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Christus* [*convenienter*] *in Bethlehem nasci voluit.* Probaturque dupliciter: primo, ad litteram; secundo, mystice.

* Cf. arg. *Sed contra.*

Adverte hic quod Auctor reddit rationem ex parte loci voliti, quare Christus voluerit nasci ibi. Quae ratio est etiam ratio quare prophetari fecerit se ibi nasciturum *. Et propterea non affertur in littera ratio ex parte prophetiae implendae.

II. In responsione ad secundum, nota quod, ad litteram, ideo in diversorio nasci elegit Christus, ut sacramentum virginei partus occultum, absque matris consanguinearumque nota, maneret. Si enim in civitate peperisset, oportuisset obstetricem vocare et consanguineas. Et sic aut virginitas matris fuisset manifestata: aut reprehensa mater fuisset quod non vocasset. Immo sorores eius obstetricem etiam ad invitam matrem convocassent.

* Matth. cap. II, vers. 16. — * *Sap.* cap. VIII, vers. 1.

Nec obstat quod in Bethlehem natus dicitur. Quoniam Bethlehem appellatione veniunt etiam suburbanae domus. In cuius signum, Herodes, audito quod in Bethlehem nasceretur, iussit occidi in Bethlehem *et in omnibus finibus eius* infantes *, intelligens per locum nativitatis Christi totum infra fines Bethlehem.

Suaviter ergo omnia divina disposuit Sapientia *, dum nasci in diversorio elegit, ubi nullius cura vel incuria censorem haberet. Ubi et a Magis adorandus erat absque arbitris, civibus scilicet admirantibus eorum ingressum absque indice in domum Ioseph. Propter quod diversorium hoc, non intra civitatem, sed extra videtur fuisse: ut ipsum diversorii nomen sonat. Nam si intus fuisset, potuissent Herodi testificari multi qua Magi in Bethlehem ingressi essent, etc. Sed ubi per viam in diversoria domo celebrata est adoratio, latuit ipsa adoratio.

* Ioan. cap. ..., vers. 5. — * Vide S. ... bros. *Serm. ... Auxent., de Basilic. Trad.*; s. Greg. ... IV *Psalm.* ... *nit.*

III. In responsione ad tertium, nota quod ipse Christus Romae caput Ecclesiae suae statuit: non solum ratione communi, quia facta Apostolorum sunt facta Christi, iuxta illud, *Sine me nihil potestis facere* *; sed quia volenti Petro ex Roma recedere, sicut olim ex Antiochia recesserat, ipse Christus obviavit, iubens ut revertatur et Romae sedes Apostolica stabiliatur, dum dixit: *Venio Romam iterum crucifigi* *. Si enim Petrus alibi sedem elegisset, non Romae, sed in loco illo ubi postremo sedisset, caput Ecclesiae fuisset. Et sicut nunc non Antiochena, sed Romana Ecclesia caput est, quia Romanus Pontifex successor est Petri; similiter in illo casu non Romanus, sed illius alterius loci pontifex successor fuisset Petri ac Christi vicarius. Ipse ergo Christus, praecipiendo regressum et crucem, Romae statuit caput Ecclesiae. Quocirca non potest humana auctoritate mutari, et fieri ut alius quam successor Petri, Romanus Pontifex, sit caput Ecclesiae.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM CHRISTUS FUERIT CONGRUO TEMPORE NATUS

In Matth., cap. II.

AD OCTAVUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus non fuerit congruo tempore natus. Ad hoc enim Christus venerat ut suos in libertatem revocaret. Natus est autem tempore servitutis: quo scilicet totus orbis praecepto Augusti describitur, quasi tributarius factus, ut habetur Luc. II *. Ergo videtur quod non congruo tempore Christus fuerit natus.

[* ... sqq.]

2. PRAETEREA, promissiones de Christo nascituro non gentilibus α fuerant factae: secundum illud *Rom.* IX *: *Quorum sunt promissa.* Sed Christus natus est β tempore quo rex alienigena dominabatur: sicut patet Matth. II *: *Cum natus esset Iesus in diebus Herodis Regis.* Ergo videtur quod non fuerit congruo tempore natus.

[α] [* ...rs. 4.] [β] [* ...s. 1.]

3. PRAETEREA, tempus praesentiae Christi in mundo diei comparatur, propter id quod ipse est *lux mundi* *: unde ipse dicit, Ioan. IX **: *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est.* Sed in aestate sunt dies longiores quam in hieme. Ergo, cum natus fuerit in profundo hiemis, octo Kalendas Ianuarii, videtur quod non fuerit convenienti tempore natus.

[* ... cap. VIII, ... 12; cap. IX, ... 5. ... rs. 4.]

SED CONTRA EST quod dicitur *Galat.* IV *: *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.*

[* ...s. 4.]

RESPONDEO DICENDUM quod haec est differentia inter Christum et alios homines, quod alii homines nascuntur subiecti necessitati temporis: Christus autem, tanquam Dominus et Conditor omnium temporum, elegit sibi tempus in quo nasceretur, sicut et matrem et locum. Et quia *quae a Deo sunt ordinata sunt* *, et convenienter disposita *, consequens est quod convenientissimo tempore Christus nasceretur.

[* ... Rom., cap. XIII, vers. 1. — * ...p. cap. VIII, vers. 1.]

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Christus venerat nos in statum libertatis reducere de statu servitutis. Et ideo, sicut mortalitatem nostram suscepit ut nos ad vitam reduceret, ita, ut Beda dicit *, *eo tempore dignatus est incarnari quo, mox natus, censu* γ *Caesaris adscriberetur, atque, ob nostri liberationem, ipse servitio subderetur.*

[* ...posit. in ... lib. I, ad ... II, vers. 4, 5.] γ

Tempore etiam illo, quo totus orbis sub uno Principe vivebat, maxime δ pax fuit in mundo. Et ideo decebat ut illo tempore Christus nasceretur, qui est *pax nostra, faciens utraque unum*, ut dicitur *Ephes.* II *. Unde Hieronymus dicit, *super Isaiam* *: *Veteres revolvamus historias, et* ε *inveniemus usque ad vigesimum octavum annum Caesaris Augusti in toto orbe terrarum fuisse discordiam: orto* ζ *autem Domino, omnia bella cessaverunt*, secundum illud Isaiae II *: *Non levabit gens contra gentem gladium.*

δ — * Vers. 14. — * Cap. II, vers. 4. - Comment. lib. I. — ε — ζ — * Vers. 4.

Congruebat etiam ut illo tempore quo unus Princeps dominabatur in mundo, Christus nasceretur, qui venerat suos *congregare in unum* *, *ut esset unum ovile et unus Pastor*, ut dicitur Ioan. X *.

* Ioan. cap. XI, vers. 52. — * Vers. 16.

AD SECUNDUM DICENDUM quod Christus regis alienigenae tempore nasci voluit, ut impleretur prophetia Iacob dicentis, *Gen.* penult. *: *Non auferetur sceptrum de Iuda, et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est.* Quia, ut Chrysostomus dicit, *super Matth.* *, *quandiu Iudaica gens sub Iudaicis regibus, quamvis peccatoribus, tenebatur, prophetae mittebantur ad remedium eius. Nunc autem, quando lex Dei sub potestate regis iniqui tenebatur, nascitur Christus: quia magna et desperabilis infirmitas medicum artificiosiorem* η *quaerebat.*

* Vers. 10. — * *Op. Imperf. in Matth.*, homil. II. - Inter Opp. Chrys. — η

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut dicitur in libro *de Quaest. Novi et Vet. Test.* *, *tunc Christus nasci voluit, quando lux diei crementum incipit accipere:* ut ostenderetur quod ipse venerat ut homines crescerent in lucem divinam, secundum illud Luc. I *: *Illuminare his qui in tenebris et umbra mortis sedent.*

* Qu. LIII. - Inter Opp. Aug. — * Vers. 79.

Similiter θ etiam asperitatem hiemis elegit ad nativitatem, ut ex tunc carnis afflictionem pateretur pro nobis.

θ

α) *non gentilibus.* – *gentibus non* editiones, *non gentibus sed Iudaeis* G.
β) *est.* – P; *fuit* GHbc, *fuerit* I, *fuerat* ceteri.
γ) *censu.* – P*a*; *census.* Margo P *alias census.*
δ) *maxime.* – *maxima.* F*a* et tertia.
ε) *revolvamus historias, et.* – FIsC; *si revolvamus historias* P, *renovamus historias et* ceteri.
ζ) *orto.* – Tertia; *ortam orto.*
η) *artificiosiorem.* – PsG; *artificialiorem* F, *artificiorem* ceteri.
θ) *Similiter.* – P*a*; *Simul.*

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. – In corpore unica est conclusio: *Christus convenientissimo tempore est natus.* Probatur. Christus, tanquam Dominus et Conditor omnium temporum, elegit sibi tempus quo nasceretur. Ergo convenientissimo tempore natus est.

Antecedens manifestatur dupliciter. Primo, ex differentia inter Christum et alios homines. Secundo, ex simili: quia elegit sibi et locum et matrem. – Consequentia probatur. Quia *quae a Deo sunt, ordinata sunt,* et convenienter disposita.

. Ubi nota quod plus infertur quam probetur, propter materiam et eius claritatem. Probatur enim quod convenienti tempore: infertur autem quod convenientissimo tempore. Quia si omnia a Deo sunt convenienter disposita, ea quae sunt circa propriam ipsius Dei personam, oportet convenientissime esse disposita. Et hoc clarum erat: quia de ipso Christo est sermo in conclusione.

QUAESTIO TRIGESIMASEXTA

DE MANIFESTATIONE CHRISTI NATI

IN OCTO ARTICULOS DIVISA

DEINDE considerandum est de manifestatione Christi nati *.

* Cf. qu. xxxv, Introd.

Et circa hoc quaeruntur octo.

Primo: utrum nativitas Christi debuerit omnibus esse manifesta.

Secundo: utrum debuerit aliquibus manifestari.

Tertio: quibus manifestari debuerit.

Quarto: utrum ipse se debuerit manifestare, vel potius manifestari per alios.

Quinto: per quae alia manifestari debuerit.

Sexto: de ordine manifestationum.

Septimo: de stella per quam manifestata fuit eius nativitas.

Octavo: de veneratione Magorum, qui per stellam nativitatem Christi cognoverunt.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM CHRISTI NATIVITAS DEBUERIT OMNIBUS ESSE MANIFESTA

Infra, qu. xxxix, art. 8, ad 3.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christi nativitas debuerit omnibus esse manifesta. Impletio enim debet promissioni respondere. Sed de promissione adventus Christi dicitur in Psalmo *: *Deus manifeste veniet.* Venit autem per carnis nativitatem. Ergo videtur quod eius nativitas debuit esse toti mundo manifesta.

* Ps. xlix, vers. 3.

2. PRAETEREA, I *ad Tim.* I * dicitur: *Christus in hunc mundum venit peccatores salvos facere.* Sed hoc non fit nisi inquantum eis gratia Christi manifestatur: secundum illud *Tit.* II *: *Apparuit gratia Salvatoris nostri Dei omnibus hominibus, erudiens nos ut, abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et pie et iuste vivamus in hoc saeculo.* Ergo videtur quod Christi nativitas debuerit esse omnibus manifesta.

* Vers. 15.

* Vers. 11, 12.

3. PRAETEREA, Deus super omnia pronior est ad miserendum: secundum illud Psalmi *: *Miserationes eius super omnia opera eius.* Sed in secundo adventu, quo *iustitias* [α] *iudicabit* *, veniet omnibus manifestus: secundum illud Matth. XXIV *: *Sicut fulgur exit ab oriente et paret usque in occidentem, ita erit adventus Filii Hominis.* Ergo multo magis primus, quo natus est in mundo secundum carnem, debuit omnibus esse manifestus.

* Ps. cxliv, vers. 9.

* Ps. lxxiv, vers. 3.

* Vers. 27.

SED CONTRA EST quod dicitur Isaiae XLV *: *Tu* [β] *es Deus absconditus, Sanctus Israel, Salvator.* Et Isaiae LIII *: *Quasi absconditus est vultus eius et despectus.*

* Vers. 15.

* Vers. 3.

RESPONDEO DICENDUM quod nativitas Christi non debuit omnibus communiter esse manifesta. Primo quidem, quia per hoc impedita fuisset humana redemptio, quae per crucem eius peracta est: quia, ut dicitur I *ad Cor.* II *, *si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.*

* Vers. 8.

Secundo, quia hoc diminuisset meritum fidei, per quam venerat homines iustificare, secundum illud *Rom.* III *: *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi.* Si enim manifestis indiciis, Christo nascente, eius nativitas omnibus appareret, iam tolleretur ratio fidei, quae est *argumentum non apparentium,* ut dicitur *Heb.* XI *.

* Vers. 22.

* Vers. 1.

Tertio, quia per hoc venisset in dubium veritas humanitatis ipsius. Unde Augustinus dicit, in Epistola *ad Volusianum* *: *Si nullas ex parvulo in iuventutem mutaret aetates, nullos cibos, nullos caperet somnos, nonne opinionem confirmaret erroris, nec hominem verum ullo modo suscepisse crederetur: et, dum omnia mirabiliter facit, auferret quod misericorditer fecit?*

* Ep. CXXXVII, al. III, cap.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod auctoritas illa intelligitur de adventu Christi ad iudicium: secundum quod Glossa * ibidem exponit.

* Interlin.

AD SECUNDUM DICENDUM quod de gratia Dei Salvatoris erudiendi erant omnes homines ad salutem, non in principio nativitatis eius, sed postea, tempore procedente, postquam *operatus esset salutem in medio terrae* *. Unde, post passionem et resurrectionem suam, dixit discipulis, Matth. ult. *: *Euntes, docete omnes gentes.*

* Ps. lxxiii, vers. 12.

* Vers. 19.

AD TERTIUM DICENDUM quod ad iudicium requiritur quod auctoritas iudicis cognoscatur: et propter hoc oportet quod adventus Christi ad iudicium sit manifestus. Sed primus adventus fuit ad omnium salutem, quae est per fidem, quae quidem est de non apparentibus. Et ideo adventus Christi primus debuit esse occultus.

α) *iustitias.* – P; *iustitiam* FGHI, *in scientia* D, *iustitia* ceteri. | β) *Tu.* – *Vere tu* EF et tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore unica conclusio: *Nativitas Christi non debuit esse communiter omnibus manifesta.* Probatur tripliciter. Primo, ex mysterio passionis implendo. Secundo, ex fidei merito. Tertio, ex humanitatis assumptae testificanda veritate.

Claraque sunt omnia: nisi quod secunda ratio non caret scrupulo. Quia aut est sermo de Christi nativitatis manifestatione per visionem: aut per attestationem. Si enim est sermo de manifestatione per visionem, tolleretur procul dubio meritum fidei: quia tolleretur ipsa fides respectu visi; nemo enim credit quod videt. Sed huic sensui obstat, quia manifestatio negata omnibus est facta quibusdam, puta Pastoribus et Magis, quibus non per visionem, sed per attestationem angelorum et stellae manifestata est Christi nativitas.

Si vero est sermo de manifestatione per attestationem, non sequitur quod tollatur meritum fidei: et falso in littera diceretur: ***Si manifestis indiciis, Christo nascente, eius nativitas omnibus appareret, iam tolleretur ratio fidei.*** Unde et Magis manifestis indiciis nativitas Christi apparuit: et tamen non est ratio fidei ablata respectu nativitatis Christi

II. Ad hoc dicitur quod sermo litterae est de manifestatione tali qualis facta est Pastoribus, Magis, Simeoni et Annae *. Et Pastoribus quidem et Magis nullam constat manifestationem factam nisi attestationem: angeli enim testificati sunt ad Pastores, et stella ad Magos. Simeoni autem et Annae qualis fuerit revelatio facta, an scilicet testificativa tantum, an illuminativa ad videndum; licet in Evangelio non scribatur, ex ipso tamen insinuari videtur quod testificativa tantum fuerit. Quoniam, ultra promissionem *Christi Domini,* inspiratio describitur impulsiva ad videndum corporalibus oculis Christum, dum dicitur quod Simeon *in Spiritu venit in Templum.* Et minus de Anna dicitur: ut patet in textu Evangelii. Et propterea in conclusione istius articuli sermo est de manifestatione per attestationem talem qualis facta creditur Pastoribus, Magis, Simeoni et Annae. Intenditque Auctor quod non debuit Christi nativitas manifestari sic omnibus.

* [Ma]tth. cap. II; [Luc]. cap. II, vers. [8 s]qq., 25 sqq.

Et secunda ratio non tendit ad hoc quod talis manifestatio abstulisset fidem: sed ad hoc quod talis manifestatio minuisset meritum fidei; sic enim in littera dicitur: ***quia hoc diminuisset meritum fidei.*** Probatur autem in littera quod talis manifestatio, facta omnibus, diminuisset meritum fidei, ex hoc quod manifestatio faciens evidentiam tollit totaliter fidem. Tanquam si dixisset: Signum quod talis manifestatio minueret fidem, est quia, si manifestatio crevisset usque ad evidentiam, tolleret totaliter fidem. Hoc enim ostendit manifestationem talem esse propinquam manifestationi evidentiae: ac per hoc, diminuentem meritum fidei, utpote propinquam tollenti totaliter fidem; propinquum enim calido est tepidum. Unde in illa conditionali, ***Si manifestis indiciis, Christo nascente, eius nativitas omnibus appareret, iam tolleretur ratio fidei,*** loquitur de indiciis ita manifestis ut nativitatem Christi redderent apparentem, hoc est, evidentem: sic enim ***fides est argumentum non apparentium,*** hoc est, non evidentium.

III. Duplicia siquidem possunt esse indicantia rem. Quaedam reddentia rem illam credibilem. Et inter haec est magna latitudo. Et in hoc genere sunt omnia testimonia sive angelorum sive miraculorum sive hominum: nec non ipsius Dei, si ultra attestationem non proceditur. Et sic fuit manifestata Christi nativitas supra dictis. – Quaedam vero sunt indicantia rem sic quod reddant illam evidentem: ut in demonstrativis effectus per discursum demonstrativum indicat causam, reddit enim illam evidenter notam; et in divinis lumen clarum menti angelicae vel humanae infusum, tollit fidem respectu illius.

Prima autem indicia, quando sunt manifesta, ut per miracula et angelos, etc., licet non tollant, minuunt tamen meritum fidei, propter propinquitatem ad apparentiam. Quod ex eo potes percipere quod Dominus Thomae dixit *, tanquam arguens ipsum de talibus indiciis quaesitis, *Quia vidisti,* scilicet indicia manifesta in me, *credidisti me Deum,* etc.: et commendando ab opposito aliorum fidem, subdidit, *Beati qui non viderunt et crediderunt.* Nunquam enim Dominus ex opposito commendasset credentes qui non viderunt, nisi ipsum videre minueret meritum credendi.

* Ioan. cap. xx, vers. 29.

IV. Et si instetur, *Ergo Magi et Pastores, etc., minus meruerunt credendo:* respondetur quod, quantum est ex parte manifestationis, minus meruerunt credendo; hoc est, minorem occasionem merendi in credendo habuerunt. Sed cum hoc stat quod magis meruerunt credendo ex parte ipsorum credentium. Et hoc praeponderat: quia meritum ex parte merentis maxime pensatur. – Cum hoc quoque stat quod, licet etiam nihil mererentur credendo nativitatem Christi (puta, si vidissent), attamen multo plus meruissent amando quam alii credendo et amando, propter maiorem dilectionem ex visu quam ex fide productam.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM NATIVITAS CHRISTI ALIQUIBUS DEBUERIT MANIFESTARI

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod nativitas Christi nulli debuerit manifestari. Quia, ut dictum est *, hoc erat congruum humanae saluti, ut primus Christi adventus esset occultus. Sed Christus venerat ut omnes salvaret: secundum illud I *Tim.* IV *: *Qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* Ergo nativitas Christi nulli debuit manifestari.

* [A]rt. praeced., [...]. — * [V]ers. 10.

2. Praeterea, ante nativitatem Christi, manifestata erat Beatae Virgini et Ioseph futura Christi nativitas *. Non ergo erat necessarium, Christo nato, eandem aliis manifestari.

* [M]atth. cap. I, [vers.] 20, 21; Luc. [cap.] I, vers. 31.

3. Praeterea, nullus sapiens manifestat id ex quo turbatio nascitur et detrimentum aliorum. Sed, manifestata Christi nativitate, subsecuta est turbatio: dicitur enim Matth. II * quod, *audiens rex Herodes* Christi nativitatem, *turbatus est, et omnis Ierosolyma cum illo.* Cessit etiam hoc in detrimentum aliorum: quia ex hac occasione Herodes *occidit pueros in Bethlehem et in finibus eius a bimatu et infra* *. Ergo videtur quod non fuerit conveniens Christi nativitatem aliquibus manifestari.

* [V]ers. 3. — * Ibid. vers. 16.

Sed contra est quod Christi nativitas nulli fuisset proficua si omnibus esset occulta. Sed oportebat Christi nativitatem esse proficuam: alioquin frustra natus fuisset. Ergo videtur quod aliquibus manifestari debuerit Christi nativitas.

Respondeo dicendum quod, sicut Apostolus dicit, *Rom.* XIII *, *quae a Deo sunt, ordinata sunt.* Pertinet autem ad divinae sapientiae ordinem ut Dei dona, et secreta sapientiae eius, non aequaliter ad omnes, sed immediate ad quosdam perve-

* Vers. 1.

niant, et per eos ad alios deriventur. Unde et quantum ad resurrectionis mysterium dicitur, *Act.* x *, quod *Deus dedit* Christum resurgentem *manifestum fieri, non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo.* Unde hoc etiam debuit circa ipsius nativitatem observari, ut non omnibus Christus manifestaretur, sed quibusdam, per quos posset ad alios devenire.

* Vers. 40, 41.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut fuisset in praeiudicium salutis humanae si omnibus hominibus Dei nativitas innotuisset, ita etiam et si nulli nota fuisset. Utroque enim modo tollitur fides: tam scilicet per hoc quod aliquid est totaliter manifestum; quam etiam per hoc quod a nullo cognoscitur a quo possit testimonium audiri; *fides* enim *est ex auditu,* ut dicitur *Rom.* x *.

* Vers. 17.

Ad secundum dicendum quod Maria et Ioseph instruendi erant de Christi nativitate antequam nasceretur, quia ad eos pertinebat reverentiam habere prolis [α] conceptae in utero, et obsequi nasciturae. Eorum autem testimonium, propter hoc quod erat domesticum, fuisset habitum suspectum circa magnificentiam Christi. Et ideo oportuit ut aliis manifestaretur extraneis, quorum testimonium suspectum esse non posset.

Ad tertium dicendum quod ipsa turbatio subsecuta ex nativitate Christi manifestata congruebat Christi nativitati. Primo quidem, quia per hoc manifestatur caelestis Christi dignitas. Unde Gregorius dicit, in Homilia *: *Caeli Rege nato, rex terrae turbatur: quia nimirum terrena altitudo confunditur cum celsitudo caelestis aperitur.* – Secundo, quia per hoc figurabatur iudiciaria Christi potestas. Unde Augustinus dicit, in quodam Sermone *Epiphaniae* *: *Quid erit tribunal iudicantis, quando superbos reges cuna* [β] *terrebat infantis?* – Tertio, quia per hoc figurabatur deiectio regni diaboli. Quia, ut Leo Papa * dicit, in Sermone *Epiphaniae, non tantum Herodes in semetipso turbatur, quantum diabolus in Herode. Herodes enim hominem* [γ] *aestimabat, sed diabolus Deum. Et uterque regni sui successorem timebat: diabolus caelestem, sed Herodes terrenum.* Superflue tamen: quia Christus non venerat regnum terrenum [δ] in terra habere: ut Leo Papa dicit *, Herodi loquens: *Non capit Christum* [ε] *regia tua: nec mundi Dominus potestatis tuae sceptri est contentus angustiis.*

* Hom. X *in Evang.*

* Serm. CC *de Temp.* X cap. 1.

* *Op. Imperf. in Matth.*, hom. II. - Inter Opp. Chrys.

* Serm. XXXI al. XXXIII *de Epiph.* IV, cap. II.

Quod autem Iudaei turbantur, qui tamen magis gaudere debuerant, aut hoc est quia, ut Chrysostomus dicit *, *de adventu iusti non poterant gaudere iniqui:* aut volentes favere Herodi, quem timebant; *populus* enim *plus iusto favet eis quos crudeles sustinet* *.

* *Op. Imperf. in Matth.*, hom. II. - Inter Opp. Chrysost.

* Gloss. Ord. in Matth. cap. II, vers. 3.

Quod autem pueri ab Herode sunt interfecti, non cessit in eorum detrimentum, sed in eorum profectum. Dicit enim Augustinus, in Sermone quodam *de Epiphania* *: *Absit ut, ad liberandos homines Christus veniens, de illorum praemio qui pro eo interficerentur* [ζ] *nihil egerit, qui, pendens in ligno, pro eis a quibus interficiebatur oravit.*

* Serm. CCCLXXIII, aliter *de Div.* LXVI, cap. I.

α) *habere prolis.* – *exhibere proli* tertia. – Pro *et obsequi, et etiam obsequi* tertia praeter I.
β) *cuna.* – BH et editiones; *cura* I, *curia* ceteri.
γ) *hominem.* – *terrenum hominem* editiones.
δ) *terrenum.* – Om. editiones.
ε) *capit Christum regia.* – *capit* (*cupit* F) *Christus regna* DF.
ζ) *interficerentur.* – Ea; *interficere* ABpC, *interfecti sunt* DFsC, *sunt interfecti* HI, *interficiente* G, *interficiuntur* editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore una conclusio: *Nativitas Christi debuit quibusdam manifestari.* Probatur. Ad divinae sapientiae ordinem pertinet ut Dei dona et secreta non aequaliter ad omnes, sed immediate ad quosdam, et per eos ad alios deriventur. Ergo in mysterio nativitatis hoc debuit observari.

Antecedens declaratur ex auctoritate *Act.* x de mysterio resurrectionis Christi. – Consequentia probatur ex auctoritate *ad Rom.* xiii. – Omnia ex se et ante * dictis sunt clara.

* Art. praeced., Comment.

II. In responsione ad tertium, de morte Innocentum ab Herode, habes etiam gentilium testimonium. Macrobius enim, in *Saturnalibus* *, narrat Augustum, audita talium nece, dixisse: *Mallem porcus quam filius fuisse Herodis:* fuit enim etiam unus infans Herodis filius cum aliis interfectus; porcos autem Iudaei non interficiunt, quia non vescuntur carne suilla. Est enim hoc velut testimonium ab hostibus de adventu Magorum ad quaerendum Christum natum.

* Lib. II, cap. IV.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM SINT CONVENIENTER ELECTI ILLI QUIBUS EST CHRISTI NATIVITAS MANIFESTATA

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod non sunt convenienter electi illi quibus est Christi nativitas manifestata. Dominus enim, Matth. x *, mandavit discipulis, *In viam gentium ne abieritis:* ut scilicet prius manifestaretur Iudaeis quam gentilibus. Ergo videtur quod multo minus a principio fuerit revelanda Christi nativitas gentibus, qui *ab oriente venerunt,* ut habetur Matth. ii *.

* Vers. 5.

* Vers. 1.

2. Praeterea, manifestatio divinae veritatis praecipue debet fieri ad Dei amicos: secundum illud *Iob* xxxvii *: *Annuntiat de ea* [α] *amico suo.* Sed magi videntur esse Dei inimici: dicitur enim *Levit.* xix *: *Non declinetis ad magos: nec ab ariolis aliquid sciscitemini.* Non ergo debuit Christi nativitas Magis manifestari.

* Vulg. cap. xxxvi, vers. ult.

* Vers. 31.

3. Praeterea, Christus venerat mundum totum a potestate diaboli liberare: unde dicitur Malach. i *: *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus.* Non ergo solum

* Vers. 11.

α) *ea.* – Pa; *eo.*

in oriente positis manifestari debuit, sed etiam ubique terrarum debuit aliquibus manifestari [β].

4. PRAETEREA, omnia sacramenta veteris legis erant Christi figura. Sed sacramenta veteris legis dispensabantur per ministerium sacerdotum legalium. Ergo videtur quod magis debuerit Christi nativitas manifestari sacerdotibus in templo, quam pastoribus in agro *.

5. PRAETEREA, Christus ex virgine matre natus est, et aetate parvulus erat. Convenientius ergo videtur fuisse quod Christus manifestaretur iuvenibus et virginibus, quam senibus et coniugatis vel viduis, sicut Simeoni et Annae *.

SED CONTRA EST quod dicitur Ioan. XIII *: *Ego scio quos elegerim.* Quae autem fiunt secundum Dei sapientiam, convenienter fiunt *. Ergo convenienter sunt electi illi quibus est manifestata Christi nativitas.

RESPONDEO DICENDUM quod salus quae erat futura per Christum, ad omnem diversitatem hominum pertinebat: quia, sicut dicitur *Coloss.* III *, *in Christo non est masculus et femina, gentilis et Iudaeus, servus et liber,* et sic de aliis huiusmodi. Et ut hoc in ipsa Christi nativitate praefiguraretur, omnibus conditionibus hominum est manifestatus. Quia, ut Augustinus dicit, in Sermone *de Epiphania* *, *pastores erant Israelitae, Magi gentiles. Illi prope, isti longe. Utrique tanquam* [γ] *ad angularem lapidem concurrerunt.* Fuit etiam inter eos alia diversitas: nam Magi fuerunt sapientes et potentes, Pastores autem simplices et viles. Manifestatus est etiam iustis, Simeoni et Annae, et peccatoribus, scilicet Magis; manifestatus est etiam et viris et mulieribus, scilicet Annae [δ]; ut per hoc ostenderetur nullam conditionem hominum excludi a Christi salute.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod illa manifestatio nativitatis Christi fuit quaedam praelibatio plenae manifestationis quae erat futura. Et sicut in secunda manifestatione primo annuntiata est gratia Christi per Christum et eius Apostolos Iudaeis, et postea gentilibus; ita ad Christum primo pervenerunt Pastores, qui erant primitiae Iudaeorum, tanquam prope existentes; et postea venerunt Magi a remotis, qui fuerunt *primitiae gentium*, ut Augustinus dicit *.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, in Sermone *de Epiphania* *, *sicut praevalet imperitia in rusticitate pastorum, ita praevalet impietas in sacrilegiis magorum. Utrosque tamen sibi ille lapis angularis attribuit: quippe qui venit « stulta eligere ut confunderet sapientes », et « non vocare iustos, sed peccatores »; ut nullus magnus superbiret, nullus infirmus desperaret.*

Quidam * tamen dicunt quod isti Magi non fuerunt malefici, sed sapientes astrologi, qui apud Persas vel Chaldaeos Magi vocantur.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut Chrysostomus dicit *, *ab oriente venerunt Magi, quia, unde dies nascitur, inde initium fidei processit: quia fides lumen est animarum.* – Vel, *quia omnes qui ad Christum veniunt, ab ipso et per ipsum veniunt* *: unde [ε] dicitur Zach. VI *: *Ecce vir, Oriens nomen eius* *.

Dicuntur autem ab oriente, ad litteram, venisse, vel quia de ultimis orientis partibus venerunt, secundum quosdam: vel quia de aliquibus vicinis partibus Iudaeae venerunt, quae [ζ] tamen sunt regioni Iudaeorum ad orientem *.

Credibile tamen est etiam in aliis partibus mundi aliqua indicia nativitatis Christi apparuisse: sicut Romae fluxit oleum *; et in Hispania apparuerunt tres soles paulatim in unum coeuntes *.

AD QUARTUM DICENDUM quod, sicut Chrysostomus dicit *, angelus manifestans Christi nativitatem non ivit Ierosolymam, non requisivit scribas et pharisaeos: erant enim corrupti, et [η] prae invidia cruciabantur. Sed Pastores erant sinceri, antiquam conversationem Patriarcharum et Moysen [θ] colentes.

Per hos etiam Pastores significabantur doctores Ecclesiae, quibus Christi mysteria revelantur, quae latebant Iudaeos.

AD QUINTUM DICENDUM quod, sicut Ambrosius dicit *, *generatio Domini non solum a pastoribus* [ι], *sed etiam a senioribus et iustis accipere debuit testimonium:* quorum etiam testimonio, propter iustitiam, magis credebatur.

Margin notes (left): * Luc. cap. II, vers. 8 sqq. – * Ibid., vers. 25 sqq. – * Vers. 18. – * Sap. cap. VIII, vers. 1. – * Vers. 11; ad Galat., cap. III, vers. 28. – * Serm. CCII, al. de Temp. XXXII, cap. I.

Margin notes (right): * Serm. CC, al. de Temp. XXX, c. I; Serm. CCII, al. de Temp. XXXII, cap. I. – * Serm. CC, al. de Temp. XXX, cap. III. – * Cf. Op. Imperf. in Matth., hom. II (inter Opp. Chrys.); Gloss. Ord. in Matth. cap. II, vers. 1. – * Op. Imperf. in Matth., hom. II. - Inter Opp. Chrys. – * Remig. Antissiod. Hom. VII, in illud Matth., Cum natus etc. – * Vers. 12. – * Cf. Remig. loc. cit. – * Euseb. Chronic. lib. II, Olymp. CLXXXV. – * Ibid., Olymp. CLXXXIV; sed Romae. – * Theophylact., Enarr. in Luc., cap. II, vers. 8. - Cf. Orig. Schol. in Luc., cap. I; Cat. Aur. in Luc. cap. II, vers. 8. – * Exposit. in Luc. lib. II, ad cap. II, vers. 25.

β) *debuit aliquibus manifestari.* – Om. tertia praeter I.
γ) *tanquam.* – *tamen* PI.
δ) *mulieribus, scilicet Annae.* – *mulieri scilicet Annae* IpG, *mulieribus* FH et editiones; *Alias, et mulieri scilicet* margo P.
ε) *unde.* – *de quo* E et tertia. – *dicitur Zach. VI* P; *dicitur Zach. III* F, *dicit Zach. c, dicitur Zach.* ceteri.
ζ) *quae.* – Tertia; *qui.*
η) *et.* – *ut* sD et *a.* – *cruciabantur* PF; *cruciarentur.*
θ) *Moysen.* – *Moysi* P.
ι) *pastoribus.* – *iuvenibus* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. – In corpore unica est conclusio subintellecta: *Convenienter electi sunt illi quibus est Christi nativitas manifestata.* Probatur. Salus futura per Christum ad omnem hominum diversitatem pertinebat. Ergo Christus natus omnibus conditionibus hominum est convenienter manifestatus. Ergo Pastoribus, Magis, Simeoni et Annae convenienter.

Antecedens probatur ex auctoritate Apostoli. – Consequentia probatur. Quia hoc, scilicet salus tot diversorum, in Christi nativitate debuit praefigurari, ut nulla hominum conditio a Christi salute excluderetur. – Secunda vero consequentia declaratur ex sex diversitatibus inter istos inventis: prima, inter Iudaeos et gentiles; secunda, inter propinquos et distantes; tertia, inter sapientes et simplices; quarta, inter potentes et viles; quinta, inter peccatores et iustos; sexta, inter mares et feminas. – Omnia clara sunt.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CHRISTUS PER SEIPSUM SUAM NATIVITATEM MANIFESTARE DEBUERIT

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus per seipsum suam nativitatem manifestare debuerit. *Causa enim quae est per se, semper est potior ea quae est per aliud,* ut dicitur in VIII *Physic.* * Sed Christus suam nativitatem manifestavit per alios: puta Pastoribus per angelos, et Magis per stellam. Ergo multo magis per seipsum debuit suam nativitatem manifestare.

* Cap. v, n. 7. - S. Th. lect. ix.

2. PRAETEREA, *Eccli.* xx * dicitur: *Sapientia abscondita, et thesaurus invisus, quae utilitas in utrisque?* Sed Christus a principio conceptionis suae plene habuit sapientiae et gratiae thesaurum. Nisi ergo hanc plenitudinem manifestasset per opera et verba, fuisset frustra ei data sapientia et gratia. Quod est inconveniens: quia *Deus et natura nihil frustra facit,* ut dicitur in I *de Caelo* *.

* Vers. 32; cap. xli, vers. 17.

* Cap. iv, n. 8. - S. Th. lect. viii.

3. PRAETEREA, in libro *de Infantia Salvatoris* * legitur quod Christus in sua pueritia multa miracula fecit. Et ita videtur quod suam nativitatem per seipsum manifestaverit.

* Fabric. *Cod. Apocr. Nov. Testamen.* tom. I. - Hamburg. 1719.

SED CONTRA EST quod Leo Papa dicit *, quod Magi invenerunt puerum Iesum *nulla ab infantiae humanae generalitate discretum.* Sed alii infantes non manifestant seipsos. Ergo neque decuit quod Christus per seipsum suam nativitatem manifestaret.

* Serm. XXXIV, al. XXXIII (*de Epiph.* IV), c. iii.

RESPONDEO DICENDUM quod nativitas Christi ad humanam salutem ordinabatur, quae quidem est per fidem. Fides autem salutaris divinitatem et humanitatem Christi confitetur. Oportebat igitur ita manifestari nativitatem Christi ut demonstratio divinitatis eius fidei humanitatis ipsius non praeiudicaret. Hoc autem factum est dum Christus in seipso similitudinem infirmitatis [α] humanae exhibuit, et tamen per Dei creaturas divinitatis virtutem in se monstravit. Et ideo Christus non per seipsum suam nativitatem manifestavit, sed per quasdam alias creaturas.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod in via generationis et motus oportet per imperfecta ad perfectum perveniri. Et ideo Christus prius manifestatus est per alias creaturas, et postea manifestavit se per seipsum manifestatione perfecta.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, licet sapientia abscondita inutilis sit, non tamen ad sapientem pertinet ut quolibet tempore manifestet seipsum, sed tempore congruo: dicitur enim *Eccli.* xx *: *Est tacens non habens sensum loquelae: et est tacens sciens tempus apti temporis.* Sic ergo sapientia Christo data non fuit inutilis, quia seipsam [β] tempore congruo manifestavit. Et hoc ipsum quod [γ] tempore congruo abscondebatur, est sapientiae indicium.

* Vers. 6.

AD TERTIUM DICENDUM quod liber ille *de Infantia Salvatoris* est apocryphus *. Et Chrysostomus, *super Ioan.* *, dicit quod Christus non fecit miracula antequam aquam converteret in vinum: secundum illud quod dicitur Ioan. ii *: « Hoc fecit initium signorum Iesus ». *Si enim secundum primam aetatem miracula fecisset, non indiguissent Israelitae alio manifestante eum: cum tamen Ioannes Baptista dicat,* Ioan. i *: « *Ut manifestetur Israeli, propterea veni in aqua baptizans* ». *Decenter autem non incoepit facere signa in prima aetate. Aestimassent enim phantasiam* [δ] *esse incarnationem: et ante opportunum tempus eum cruci tradidissent, livore liquefacti.*

* Can. *Sancta Romana*, dist. ... * Homil. ... al. XX.
* Vers. 11.
* Vers. 31.

α) *similitudinem infirmitatis.* – *similem infirmitati* I, *similem nativitatem infirmitati* Gbc, *nativitatem similem infirmitati* PH.
β) *seipsam.* – *seipsum* editiones.
γ) *quod.* – PGIc; *quia.*
δ) *phantasiam.* – GHI; *phantasmata* BC, *phantas*[ca] ApD, *phantasmatam* pF, *phantasticam* sDF, *phantasma* Ea et editiones. Cf. qu. xliii art. 3 γ.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. – In corpore unica conclusio: *Christus non per seipsum, sed per alias creaturas suam nativitatem manifestare debuit.* Probatur. Nativitas Christi ordinata est ad humanam salutem per fidem. Ergo oportebat ita manifestari ut fides deitatis fidei humanitatis non praeiudicaret. Ergo non per seipsum, sed per alias creaturas debuit manifestari.

Prima consequentia probatur. Quia fides salutaris est circa utramque, scilicet deitatem et humanitatem Christi. – Secunda probatur. Quia fides humanitatis fit dum Christus in seipso humanitatem infirmam, sicut alii, exhibuit: fides vero deitatis, dum per creaturas, angelos scilicet et stellam, Pastoribus, Magis, Simeoni Annaeque virtus deitatis manifestatur.

II. In responsione ad tertium, collige, ultra Chrysostomi auctoritatem, quod, ad litteram, miraculum vini fuit *initium signorum* Christi simpliciter, et non limitate in illo loco. Et hoc optima ratione littera probat ex verbis Ioannis Baptistae. Miraculum quippe vini factum est post baptismum Christi per annum: secundum Ecclesiae traditionem, tria mysteria uno die diversis annis contigisse attestantem, scilicet Magorum adorationem, baptismum Christi, et conversionem aquae in vinum *.

* Cf. M. Taurin. ... XXIII (*de Epiphan.* VI), ... XXIX, ... (*de Bapt. C*... 1, V).

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM NATIVITAS CHRISTI DEBUERIT PER ANGELOS ET STELLAM MANIFESTARI

In Matth., cap. II.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non debuerit manifestari per angelos Christi nativitas *. Angeli enim sunt spirituales substantiae: secundum illud Psalmi *: *Qui facit angelos suos spiritus.* Sed Christi nativitas erat secundum carnem: non autem secundum spiritualem eius substantiam. Ergo non debuit per angelos manifestari.

[* ...c. cap. II, v. 8 sqq.] [* ...CIII, vers. 4; ...Heb., cap. I, v. 7.]

2. PRAETEREA, maior est affinitas iustorum ad angelos quam ad quoscumque alios: secundum illud Psalmi *: *Immittet* [α] *angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.* Sed iustis, scilicet Simeoni et Annae, non est manifestata Christi nativitas per angelos. Ergo nec Pastoribus per angelos manifestari debuit.

[* ...XXXIII, vers. 8.]

3. Item [β], videtur quod nec Magis debuit manifestari per stellam *. Hoc enim videtur esse erroris occasio quantum ad illos qui existimant sidera nativitatibus hominum dominari. Sed occasiones peccandi sunt hominibus auferendae. Non ergo fuit conveniens quod per stellam Christi nativitas manifestaretur.

[* ...th. cap. II.]

4. PRAETEREA, signum oportet esse certum, ad hoc quod per ipsum aliquid manifestetur [γ]. Sed stella non videtur esse signum certum nativitatis Christi. Ergo inconvenienter fuit Christi nativitas per stellam manifestata.

SED CONTRA EST quod dicitur *Deut.* XXXII *: *Dei perfecta sunt opera.* Sed talis manifestatio fuit opus divinum. Ergo per convenientia signa fuit effecta.

[* ...rs. 4.]

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut manifestatio syllogistica fit per ea quae sunt magis nota ei cui est aliquid manifestandum, ita manifestatio quae fit per signa, debet fieri per ea quae sunt familiaria illis quibus manifestatur. Manifestum est autem quod viris iustis est familiare et consuetum interiori Spiritus Sancti edoceri instinctu, absque signorum sensibilium demonstratione, scilicet per spiritum prophetiae. Alii vero, corporalibus rebus dediti, per sensibilia ad intelligibilia adducuntur [δ]. Iudaei tamen consueti erant divina responsa per angelos accipere: per quos etiam legem acceperant, secundum illud *Act.* VII *: *Accepistis legem in dispositione angelorum.* Gentiles vero, et maxime astrologi, consueti sunt stellarum cursus aspicere [ε]. Et ideo iustis, scilicet Simeoni et Annae, manifestata est Christi nativitas per interiorem instinctum Spiritus Sancti: secundum illud Luc. II * *Responsum accepit a Spiritu Sancto non visurum se mortem nisi prius videret Christum Domini.* Pastoribus autem et Magis, tanquam rebus corporalibus deditis, manifestata est Christi nativitas per apparitiones visibiles. Et quia nativitas non erat pure terrena, sed quodammodo caelestis, ideo per signa caelestia utrisque nativitas Christi revelatur: ut enim Augustinus dicit, in Sermone *de Epiphania* *, *caelos angeli habitant, et sidera ornant: utrisque ergo « caeli enarrant gloriam Dei ».*

[* ...s. 53.] [* ...rs. 26; cf. v. 36 sqq.] [* Serm. CCIV, al. ex Vignerian. VII (*In Epiph.* VI).]

Rationabiliter autem Pastoribus, tanquam Iudaeis, apud quos frequenter factae sunt apparitiones angelorum, revelata est nativitas Christi per angelos: Magis autem, assuetis in consideratione caelestium corporum, manifestata est per signum stellae. Quia, ut Chrysostomus dicit *, *per consueta eos Dominus vocare voluit, eis condescendens.* – Est autem et alia ratio. Quia, ut Gregorius dicit *, *Iudaeis, tanquam ratione utentibus, rationale animal, idest angelus, praedicare debuit. Gentiles vero, qui uti ratione nesciebant ad cognoscendum Deum, non per vocem, sed per signa perducuntur. Et sicut Dominum iam loquentem annuntiaverunt gentibus praedicatores loquentes, ita eum nondum loquentem elementa muta praedicaverunt.* – Est autem et alia ratio. Quia, ut Augustinus * dicit, in Sermone *Epiphaniae, Abrahae innumerabilis erat promissa successio non carnis semine, sed fidei fecunditate generanda. Et ideo stellarum multitudini est comparata: ut caelestis progenies speraretur.* Et ideo gentiles, *in sideribus designati, ortu novi sideris excitantur* ut perveniant ad Christum, per quem efficiuntur semen Abrahae.

[* Homil. VI *in Matth.*] [* Homil. X *in Evang.*] [* Leo Papa, Serm. XXXIII, aliter XXXII (*In Epiph.* III), cap. II.]

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod illud manifestatione indiget quod de se est occultum: non autem illud quod de se est manifestum. Caro autem eius qui nascebatur erat manifesta: sed divinitas erat occulta. Et ideo convenienter manifestata est illa nativitas per angelos, qui sunt Dei ministri. Unde et cum claritate angelus apparuit: ut ostenderetur quod ille qui nascebatur erat *splendor paternae gloriae* *.

[* *Ad Heb.*, cap. I, vers. 3.]

AD SECUNDUM DICENDUM quod iusti non indigebant visibili apparitione angelorum, sed eis sufficiebat interior instinctus Spiritus Sancti, propter eorum perfectionem.

AD TERTIUM DICENDUM quod stella quae nativitatem Christi manifestavit [ζ], omnem occasionem erroris subtraxit. Ut enim Augustinus dicit, *contra Faustum* *, *nulli astrologi constituerunt ita nascentium hominum fata sub stellis, ut aliquam stellarum, homine aliquo nato, circuitus sui ordinem reliquisse, et ad eum qui natus est perrexisse as-*

[* Lib. II, cap. V.]

α) *Immittet.* – Tertia praeter G; *Immittit.*
β) *Item.* – *Ita* I, *Praeterea* Fa et editiones.
γ) *manifestetur.* – PGIsF et *ac*; *manifestaretur.*
δ) *adducuntur.* – *deducuntur* BCDF*a*. – Pro *tamen, autem* P.
ε) *aspicere.* – *inspicere* tertia praeter pG.
ζ) *stella quae... manifestavit.* – *stella... manifestans* tertia praeter H.

η *severent* η: sicut accidit circa stellam quae demonstravit nativitatem Christi. Et ideo per hoc non confirmatur error eorum qui *sortem nascentium hominum astrorum ordini colligari arbitrantur, non autem credunt astrorum ordinem ad hominis nativitatem posse mutari.*

* Homil. VI *in Matth.*

Similiter etiam, ut Chrysostomus dicit *, *non est hoc astronomiae opus, a stellis scire eos qui nascuntur: sed ab hora nativitatis futura praedicere. Magi autem tempus nativitatis non cognoverunt, ut, hinc sumentes initium, a stellarum motu futura cognoscerent: sed potius e converso.*

* *Op. Imperf. in Matth.*, hom. II. - Inter Opp. Chrysost.

AD QUARTUM DICENDUM quod, sicut Chrysostomus refert *, in quibusdam scriptis apocryphis legitur quod quaedam gens in extremo orientis, iuxta Oceanum, quandam scripturam habebat, ex nomine *Seth* θ, de hac stella et muneribus huiusmodi offerendis. Quae gens diligenter observabat huius stellae exortum, positis exploratoribus duodecim, qui certis temporibus devote ι ascendebant in montem. In quo postmodum viderunt eam habentem in se quasi parvuli formam, et super se similitudinem crucis.

* Qu. LX - Inter Opp. Aug.

* *Num.* cap. XXIV, vers. 17.

Vel dicendum quod, sicut dicitur in libro *de Quaest.* κ *Nov. et Vet. Test.* *, *Magi illi traditionem Balaam sequebantur*, qui dixit, « *Orietur stella ex Iacob* * ». *Unde, videntes stellam extra ordinem mundi, hanc esse intellexerunt quam Balaam futuram indicem Regis Iudaeorum prophetaverat.*

* Serm. CCCLXXIV, aliter *de Div.* LXVII.

Vel dicendum, sicut Augustinus dicit, in Sermone *de Epiphania* *, quod *ab angelis aliqua monitione revelationis audierunt Magi* quod stella Christum natum significaret. Et probabile videtur quod *a bonis: quando in Christo adorando salus eorum iam quaerebatur.*

* Serm. XXXIV, al. XXXII *de Epiph.* IV, cap. III.

Vel, sicut Leo Papa dicit, in Sermone *de Epiphania* *, *praeter illam speciem quae corporeum incitavit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit quod ad illuminationem fidei pertinebat.*

η) *asseverent.* – *assererent* Fa et tertia praeter I.
θ) *Seth.* – PF; *Sepht* I, *Sep* ed. *a*, *Sept.* ceteri.
ι) *devote.* – *de nocte* PFGsC et *a*.
κ) *de Quaest.* – Fa et tertia; om.

Commentaria Cardinalis Caietani

* Cf. arg. 1.

TITULUS * minus explicat, brevitatis causa, quam quaerit. Nam, ut patet in distinctione articulorum in principio huius quaestionis facta in littera, quintus articulus inquirit, *per quae alia debuerit manifestari:* ubi patet non solum de angelis, ut hic explicatur, sed universaliter de omnibus creaturis, per quas debuerit manifestari Christi nativitas, inquiri.

Idem quoque evidenter apparet in processu articuli: ubi non solum quare per angelos Pastoribus, sed diffuse quoque quare per stellam Magis, et per inspirationem interiorem Simeoni et Annae manifestata est Christi nativitas, ratio redditur.

II. In corpore articuli una est conclusio responsiva quaesito: *Christi nativitas convenienter manifestata est per angelos, stellam et inspirationem, Pastoribus Iudaeis, Magis, et iustis Simeoni et Annae.*

Probatur, primo. Manifestatio per signa debet fieri per familiaria illis quibus manifestatio fit. Ergo conveniencter, etc. – Antecedens probatur ex simili de manifestatione syllogistica. – Consequentia autem probatur. Quia iustis, scilicet perfectis, familiare est per inspirationem; aliis, corporalibus deditis, per visibilia; et rursus, inter istos alios, Iudaeis per angelorum visionem, gentilibus per astrorum signa instrui.

Confirmatur, secundo, quoad hoc quod omnia signa fuerint caelestia, ex hoc quod caelestem nativitatem enarrabant.

Et firmatur, tertio, quoad differentiam inter angelos et stellam respectu Pastorum et Magorum. Et hoc triplici ratione, ut patet in littera.

Confirmatur, quarto, quoad stellam, ex spirituali genere Abrahae sicut stellarum numerus.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM CONVENIENTI ORDINE CHRISTI NATIVITAS FUERIT MANIFESTATA

* Matth. cap. II; Luc. cap. II, vers. 8 sqq., 25 sqq.

* Vers. 14.

* Vers. 25.

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod inconvenienti ordine Christi nativitas fuit manifestata *. Illis enim debuit primo manifestari Christi nativitas qui Christo propinquiores fuerunt, et qui magis Christum desiderabant: secundum illud *Sap.* VI *: *Praeoccupat eos qui se concupiscunt, ut se priorem illis ostendat.* Sed iusti propinquissimi erant Christo per fidem, et maxime eius adventum desiderabant: unde dicitur Luc. II * de Simeone quod *erat homo iustus et timoratus, expectans redemptionem Israel.* Ergo prius debuisset manifestari Christi nativitas Simeoni quam Pastoribus et Magis.

α

* Aug. Serm. CC, aliter *de Temp.* XXX, cap. I; Serm. CCII, al. *de Temp.* XXXII, cap. I.

2. PRAETEREA, Magi α fuerunt *primitiae gentium* Christo crediturarum *. Sed primo *plenitudo gentium intrat* ad fidem, et postmodum *omnis Israel salvus fiet*, ut dicitur *Rom.* XI *. Ergo primo debuit manifestari Christi nativitas Magis quam Pastoribus.

* Vers. 25, 26.

* Vers. 16.

3. PRAETEREA, Matth. II * dicitur quod *Herodes occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem et in omnibus finibus eius a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis:* et sic videtur quod per duos annos post Christi nativitatem Magi ad Christum pervenerunt. Inconvenienter igitur post tantum tempus fuit gentilibus Christi nativitas manifestata.

* Vers. 21.

SED CONTRA EST quod dicitur Dan. II *: *Ipse mutat tempora et aetates.* Et ita tempus manifestationis nativitatis Christi videtur congruo ordine esse dispositum.

α) *Magi.* – *secundum Augustinum Magi* tertia.

Respondeo dicendum quod Christi nativitas primo quidem manifestata est Pastoribus, ipso die nativitatis Christi. Ut enim dicitur Luc. II *, *erant Pastores in eadem regione vigilantes et custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et, ut discesserunt ab eis angeli in caelum, loquebantur ad invicem: Transeamus usque in Bethlehem. Et venerunt festinantes.* – Secundo autem Magi pervenerunt ad Christum, tertiadecima die nativitatis eius, quo die festum Epiphaniae celebratur. Si enim revoluto anno, aut etiam duobus annis *, pervenissent, non invenissent eum in Bethlehem: cum scriptum sit Luc. II * quod, *postquam perfecerunt omnia secundum legem Domini,* offerentes scilicet puerum Iesum in Templum, *reversi sunt in Galilaeam, in civitatem suam,* scilicet Nazareth. – Tertio autem manifestata est iustis in Templo, quadragesimo die a nativitate, ut habetur Luc. II *.

Et huius ordinis ratio est quia per Pastores significantur Apostoli et alii credentes ex Iudaeis, quibus primo manifestata est fides Christi: inter quos non fuerunt *multi potentes nec multi nobiles,* ut dicitur I *Cor.* I *. Secundo autem fides Christi pervenit ad plenitudinem gentium: quae est praefigurata per Magos. Tertio autem pervenit ad plenitudinem Iudaeorum: quae est praefigurata per iustos. Unde etiam in Templo Iudaeorum est eis Christus manifestatus.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Apostolus dicit, *Rom.* IX *, *Israel, sectando legem iustitiae, in legem iustitiae non pervenit:* sed gentiles, qui *non quaerebant iustitiam,* Iudaeos communiter in iustitia fidei praevenerunt. Et in huius figuram, Simeon, *qui expectabat consolationem Israel,* ultimo Christum natum cognovit: et praecesserunt eum Magi et Pastores, qui Christi nativitatem non ita sollicite expectabant.

Ad secundum dicendum quod, licet plenitudo gentium prius intraverit ad fidem quam plenitudo Iudaeorum, tamen primitiae Iudaeorum praevenerunt in fide primitias gentium. Et ideo Pastoribus primo manifestata est Christi nativitas quam Magis.

Ad tertium dicendum quod de apparitione stellae quae apparuit Magis, est duplex opinio *. Chrysostomus enim dicit [β], *super Matth.* *, et Augustinus, in Sermone *Epiphaniae* *: – Stella Magis apparuit per biennium ante Christi nativitatem: et tunc primo, meditantes et se ad iter praeparantes, a remotissimis partibus orientis pervenerunt ad Christum tertiadecima die a sua nativitate. Unde et Herodes statim post recessum Magorum, videns se ab eis illusum, mandavit occidi pueros a bimatu et infra, dubitans ne tunc Christus natus esset quando stella apparuit, secundum quod a Magis audierat.

Alii * vero dicunt stellam apparuisse primo cum Christus est natus, et statim Magi visa stella iter arripientes, longissimum iter in tredecim diebus peregerunt, partim quidem adducti [γ] divina virtute, partim autem dromedariorum velocitate. Et hoc dico, si venerunt ex extremis partibus orientis. Quidam * tamen dicunt eos venisse de regione propinqua, unde fuerat Balaam, cuius doctrinae successores [δ] fuerunt. Dicuntur autem ab oriente venisse, quia terra illa est ad orientalem partem terrae Iudaeorum. – Et secundum hoc, Herodes non statim recedentibus Magis, sed post biennium interfecit pueros. Vel quia dicitur interim accusatus Romam ivisse *: vel, aliquorum periculorum terroribus agitatus *, a cura interficiendi puerum interim destitisse. Vel quia potuit credere Magos, *fallaci* [ε] *stellae visione deceptos, postquam non invenerunt quem natum putaverunt, erubuisse ad se redire:* ut Augustinus dicit, in libro *de Consensu Evangelist.* * Ideo autem non solum bimos [ζ] interfecit sed etiam infra, quia, ut Augustinus dicit, in quodam Sermone *Innocentum* *, *timebat ne puer cui sidera famulantur, speciem suam paulo super aetatem vel infra transformaret.*

* Vers. 8, 15, 16. — * Vers. 3. — * Vers. 39. — * Vers. 22. - Cf. *Tit.*, cap. XII, vers. 2 sqq. — * Vers. 26. — * Vers. 30, 31.

* Cf. *Comm. S. Th. in Matth.*, ad cap. II, vers. 1. — * *Op. Imperf. in Matth.*, homil. II. - Inter Opp. Chrys. — * In Appendice Opp. Aug. Serm. CXXXI, CXXXII, al. *In Epiph.* Serm. I, II. — * Cf. Remig. homil. VII, in illud Matth. *Cum natus* etc. — * Remig. loc. cit.; Gloss. Ordin. in Matth. cap. II, vers. 1. — * Cf. Petr. Comest. *Hist. Scholast.*, in Evang., cap. XI; Gloss. Ord. in Matth. cap. II, vers. 16. — * Cf. Aug. loc. proxime citand. — * Lib. II, cap. XI. — * Gloss. Ord. in Matth. cap. II, vers. 16; Petr. Comest. *Histor. Scholast.*, in Evang., cap. XI. - Cf. Raban. *Comm. in Matth.*, ad cap. II, vers. 16.

β) *dicit.* – *dicunt quod* ante *stella* tertia praeter I. – Pro *primo meditantes, praemeditantes* tertia praeter pG.
γ) *adducti.* – *adiuti* tertia.
δ) *successores.* – *sectatores* P.
ε) *fallaci.* – *fallacis* omnes. – *natum* tertia praeter pG; om.
ζ) *bimos.* – F; *binos* ABC*a*, *bino* D, *humos* E, *binos pueros* IpG, *binios pueros* bc, *bimos pueros* PHsG.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus de ordine temporis quaerit, quo prius Pastoribus, deinde Magis, demum Simeoni et Annae manifestata est Christi nativitas.

In corpore Auctor duo facit. Primo, ordinem manifestationum ex Evangelii auctoritate aperit: scilicet quod ipso die natalis Pastoribus, tertiadecima die Magis, quadragesima Simeoni et Annae. – Secundo, rationem reddidit optimam ex significatis. – Omnia clara sunt in littera.

II. In responsione ad tertium, de tempore occisionis Innocentum non multum constat. Ex Evangelio siquidem habetur quod non statim occisi sunt. Nam post adorationem Magorum in domo diversoria iuxta Bethlehem, in qua natus est Christus, oblatus est Dominus in Templo, et postea portatus a parentibus in Nazareth, ubi Angelus dixit ad Ioseph: *Fuge in Aegyptum: futurum est enim ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum.* Hoc enim oportet fuisse postquam ex Ierusalem venerunt parentes eius in Nazareth, ut Lucas narrat *: si enim ante fuisset, non venisset in Ierusalem, nec inde in Nazareth. Unde certum relinquitur quod non statim Herodes saeviit in pueros. Sed incertum est quanto tempore post saevierit in eos. Satis rationabile est illud impedimentum ex Romano itinere: quia pro historia habetur quod Romam iverit, a filiis accusatus *.

* Cap. II, vers. 39. — * Cf. De Rubeis, *De Gestis etc. S. Th. Dissert. Critic.*, Diss. XXXII, cap. II.

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM STELLA QUAE MAGIS APPARUIT, FUERIT UNA DE CAELESTIBUS STELLIS

In Matth., cap. II.

AD SEPTIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod stella quae Magis apparuit *, fuerit una de caelestibus stellis. Dicit enim Augustinus, in quodam Sermone *Epiphaniae* *: *Dum pendet ad ubera et vilium patitur Deus involumenta pannorum, repente novum de caelo sidus effulsit.* Fuit igitur stella caelestis quae Magis apparuit.

* Matth. cap. II, vers. 2, 9.
* Cf. Max. Taur. Hom. XII (*in Nativ.* VII); in Append. Opp. Aug. Serm. CXXII (*in Nativ.* VI).

2. PRAETEREA, Augustinus dicit, in Sermone quodam *Epiphaniae* *: *Pastoribus angeli, Magis stella Christum demonstrat. Utrisque loquitur lingua caelorum, quia lingua cessaverat prophetarum.* Sed angeli Pastoribus apparentes fuerunt vere de caelestibus angelis. Ergo et stella Magis apparens fuit vere de caelestibus stellis.

* Gloss. Ord. in Matth. cap. II, vers. 2. - Cf. Aug. Serm. CCI, al. *de Temp.* XXXI (*in Epiph.* III).

3. PRAETEREA, stellae quae non sunt in caelo, sed in aere, dicuntur stellae comatae [α]: quae non apparent in nativitatibus regum, sed magis sunt indicia mortis eorum. Sed illa stella designabat Regis nativitatem: unde Magi dicunt, Matth. II *: *Ubi est qui natus est Rex Iudaeorum? Vidimus enim stellam eius in oriente.* Ergo videtur quod fuerit de caelestibus stellis.

* Vers. 2.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in libro *contra Faustum* *: *Non ex illis erat stellis quae ab initio creaturae itinerum suorum ordinem sub Creatoris* [β] *lege custodiunt: sed, novo Virginis partu, novum sidus apparuit.*

* Lib. II, cap. V.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut Chrysostomus dicit, *super Matth.* *, quod illa stella quae Magis apparuit non fuerit una caelestium stellarum, multipliciter manifestum est. Primo quidem, quia nulla alia stellarum hac via incedit. Haec enim stella ferebatur a septentrione in meridiem: ita enim iacet Iudaea ad Persidem, unde Magi venerunt.

* Homil. VI.

Secundo, apparet hoc ex tempore. Non enim solum apparebat in nocte, sed etiam in media die. Quod non est virtutis stellae: sed nec etiam lunae.

Tertio, quia quandoque apparebat et quandoque occultabatur. Cum enim intraverunt Ierosolymam, occultavit seipsam: deinde, ubi Herodem reliquerunt, monstravit seipsam.

Quarto, quia non habebat continuum motum: sed, cum oportebat ire Magos, ibat; quando autem oportebat stare, stabat; sicut et de columna nubis erat [γ] in deserto *.

* *Exod.* cap. XL, vers. 34, 35; *Deut.* cap. I, vers. 33.

Quinto, quia non sursum manens partum Virginis demonstrabat: sed deorsum descendens hoc faciebat. Dicitur enim Matth. II * quod *stella quam viderant in oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra ubi erat puer.* Ex quo patet quod verbum Magorum dicentium, *Vidimus stellam eius in oriente* *, non est sic intelligendum quasi ipsis in oriente positis stella apparuerit existens in terra Iuda: sed quia viderunt eam in oriente existentem, et praecessit eos usque in Iudaeam (quamvis hoc a quibusdam sub dubio relinquatur *). Non autem potuisset distincte domum demonstrare nisi esset terrae vicina. Et, sicut ipse dicit, hoc non videtur proprium esse stellae, sed *virtutis cuiusdam rationalis.* Unde *videtur quod haec stella virtus invisibilis* [δ] *fuisset in talem apparentiam transformata.*

* Vers. 9.
* Ibid., vers. 2.
* Cf. Remig. Hom. VII in Matth., *Cum natus* etc.

Unde quidam dicunt * quod, sicut Spiritus Sanctus descendit super baptizatum Dominum in specie columbae *, ita apparuit Magis in specie stellae. – Alii vero dicunt quod angelus qui apparuit Pastoribus in specie humana *, apparuit Magis in specie stellae. – Probabilius tamen videtur quod fuerit stella de novo creata, non in caelo, sed in aere vicino terrae, quae secundum Dei voluntatem movebatur. Unde Leo Papa dicit, in Sermone *Epiphaniae* *: *Tribus Magis in regione orientis stella novae claritatis apparuit, quae, illustrior ceteris pulchriorque sideribus, in se intuentium oculos animosque converteret: ut confestim adverteretur non esse otiosum quod tam insolitum videbatur.*

* *De Mirab. S. Script.* III, cap. IV, inter Opp. Aug.
* Matth. cap. III, vers. 16; Luc. cap. III, vers. 22.
* Luc. cap. II, vers. 9.
* Serm. XXXI, al. XXX (*in Epiph.* I), cap. I.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod caelum in sacra Scriptura quandoque dicitur aer: secundum illud, *Volucres caeli et pisces maris* *.

* Ps. VIII, v. 9.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ipsi caelestes angeli ex suo officio habent ut ad nos descendant, *in ministerium missi* *. Sed stellae caelestes suum situm non mutant. Unde non est similis ratio.

* *Ad Heb.*, cap. I, vers. 14.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut stella [ε] non est secuta motum stellarum caelestium, ita nec stellarum comatarum [ζ], quae nec de die apparent, nec cursum suum ordinatum mutant. – Et tamen non omnino aberat significatio cometarum [η]. Quia caeleste regnum Christi *comminuit et consumpsit* [θ] *universa regna terrae, et ipsum stabit in aeternum,* ut dicitur Dan. II *.

* Vers. 44.

α) *comatae.* – *cometae* PsG.
β) *Creatoris.* – PI; *devotionis b, creationis* ceteri.
γ) *erat.* – F et tertia; *quae erat.*
δ) *virtus invisibilis.* – Tertia praeter P; *virtutis invisibilis* PF, *visibilis* D, *virtus rationalis visibilis* ed. *a*, *virtus visibilis* ceteri; praeterea PI omisso *quod* legunt *fuisse.*
ε) *stella.* – *illa* addunt F et tertia praeter H.
ζ) *comatarum.* – *cometarum* P.
η) *cometarum.* – *comatarum* FGHabc; I om. *mutant... cometarum.*
θ) *consumpsit.* – *consumit* tertia praeter sH.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore duo fiunt. Primo, ex Chrysostomo respondetur quaesito una conclusione: *Stella non fuit ex caelestibus.* Et afferuntur quinque rationes ex eodem. – Secundo, tractatur quid fuit illa stella: primo, secundum Chrysostomum, sub cuius opinione afferuntur duo modi dicendi; deinde secundum propriam opinionem, auctoritate Leonis firmatam. – Omnia patent in littera.

II. In responsione ad tertium, perspice Auctorem commune verbum de significatione cometarum admittendo respondere, non quod propterea sic ipsum sensisse putandum sit: sed, *esto quod sit,* respondisse intelligendum est. Cometes enim non magis regis quam pauperis rustici mortem significat. Sed quia mortes principum notantur, pauperum autem ratio non habetur, ideo vulgatum est quod significat mortem principum, si Magno credimus Alberto *.

* *De Meteoris,* lib. I, tract. III, cap. XI.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM MAGI CONVENIENTER VENERINT AD CHRISTUM ADORANDUM ET VENERANDUM

Supra, art. 3, ad 1.

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod Magi non convenienter venerunt ad Christum adorandum et [α] venerandum.* Unicuique enim regi reverentia debetur a suis subiectis. Magi autem non erant de regno Iudaeorum. Ergo, cum ex visione stellae cognoverunt natum esse *Regem Iudaeorum,* videtur quod inconvenienter venerunt ad eum adorandum.

* Matth. cap. II,

2. Praeterea, stultum est, vivente rege aliquo, extraneum regem annuntiare. Sed in regno Iudaeae regnabat Herodes. Ergo stulte fecerunt Magi regis [β] nativitatem annuntiantes.

3. Praeterea, certius est caeleste indicium quam humanum. Sed Magi ducatu caelestis indicii ab oriente venerant in Iudaeam. Stulte ergo egerunt praeter ducatum stellae humanum indicium requirendo, dicentes: *Ubi est qui natus est Rex Iudaeorum?*

4. Praeterea, munerum oblatio, et adorationis reverentia, non debetur nisi regibus iam regnantibus. Sed Magi non invenerunt Christum regia dignitate fulgentem. Ergo inconvenienter ei munera et reverentiam regiam exhibuerunt.

Sed contra est quod dicitur Isaiae LX *: *Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.* Sed qui divino lumine ducuntur, non errant. Ergo Magi absque errore Christo reverentiam exhibuerunt.

* Vers. 3.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est *, Magi sunt *primitiae gentium* in Christo credentium, in quibus apparuit, sicut in quodam praesagio, fides et devotio gentium venientium a remotis ad Christum. Et ideo, sicut devotio et fides gentium est absque errore per inspirationem Spiritus Sancti, ita etiam credendum est Magos, a Spiritu Sancto inspiratos, sapienter Christo reverentiam exhibuisse.

* Art. 3, ad 1; art. 7, arg. 2.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Augustinus dicit, in Sermone *Epiphaniae* *, *cum multi reges Iudaeorum nati fuissent atque defuncti, nullum eorum Magi adorandum quaesierunt. Non itaque regi* [γ] *Iudaeorum quales illic esse solebant, hunc tam magnum honorem longinqui, alienigenae, et ab eodem regno prorsus extranei, a se deberi arbitrabantur. Sed talem natum esse didicerunt in quo adorando se salutem quae secundum Deum est consecuturos minime dubitarent.*

* Serm. CC, al. de Temp. XXX (in Epiph. II), cap. I.

* In Appendice Opp. Aug. Serm. CXXXII, al. *de Temp.* XXXV (*in Epiph.* II).

Ad secundum dicendum quod per illam annuntiationem Magorum praefigurabatur constantia gentium Christum usque ad mortem confitentium. Unde Chrysostomus dicit, *super Matth.* *, quod, *dum considerabant Regem futurum, non timebant regem praesentem. Adhuc non viderant Christum, et iam parati erant pro eo mori.*

* *Op. Imperf. in Matth.*, hom. II. - Inter Opp. Chrysost.

Ad tertium dicendum quod, sicut Augustinus dicit, in Sermone *Epiphaniae* *, *stella quae Magos perduxit ad locum ubi erat cum matre virgine Deus infans, poterat eos ad ipsam perducere civitatem Bethlehem, in qua natus est Christus. Sed tamen subtraxit se, donec de civitate in qua Christus nasceretur, etiam Iudaei testimonium perhiberent:* ut sic, *geminato testimonio confirmati,* sicut Leo Papa dicit *, *ardentiori* [δ] *fide expeterent quem et stellae claritas, et prophetiae manifestabat auctoritas.* – Ita [ε] ipsi *annuntiant* Christi nativitatem, *et interrogant* locum, *credunt et quaerunt, tanquam significantes eos qui ambulant per fidem et desiderant speciem:* ut Augustinus dicit, in Sermone *Epiphaniae* *. – Iudaei autem, indicantes eis locum nativitatis Christi, *similes facti sunt fabris arcae Noe, qui aliis ubi evaderent praestiterunt, et ipsi diluvio perierunt. Audierunt et abierunt inquisitores: dixerunt et remanserunt doctores, similes lapidibus miliariis, qui viam ostendunt, nec ambulant* *. – Divino etiam nutu factum est ut, aspectu stellae subtracto, Magi humano sensu irent in Ierusalem, quaerentes in civitate regia Regem natum, ut in Ierusalem primo nativitas Christi publice annuntiaretur, secundum illud Isaiae II *, *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem:* et *ut etiam studio Mago-*

* Serm. CC, al. *de Temp.* XXX (*in Epiph.* II), cap. II.

* Serm. XXXIV, al. XXXIII (*in Epiph.* IV), cap. II.

* Serm. CXCIX, aliter *de Temp.* XXXIV (*in Epiphan.* I), cap. I.

* August. Serm. CCCLXXIII, al. *de Divers.* LXVI. cap. IV.

* Vers. 3.

α) *adorandum et.* – Om. BF et tertia.
β) *regis.* – *alterius regis* E et tertia.
γ) *Non itaque regi.* – PIsH et *ac*; *Non itaque regis* F, *Itaque* GpH et *b*, *Non itaque rex* ceteri. Pro *a se deberi, a sede deberi* FGpH et *b*. Pro *dubitarent, dubitaverunt* I et editiones.
δ) *ardentiori.* – *attentiori* H et editiones.
ε) *Ita.* – *Et ita* PI. – Pro *annuntiant, Iudaeis annuntiant* pF, *Magi Iudaeis annuntiant* sF, *annuntiant Iudaeis* E et tertia.

rum de longe venientium damnaretur pigritia *Iudaeorum prope existentium* *.

* Remig. Homil. VII, in illud Matth., *Cum natus* etc.
* *Op. Imperf. in Matth.*, hom. II. - Inter Opp. Chrysost.

Ad quartum dicendum quod, sicut Chrysostomus dicit, *super Matth.* *, *si Magi regem terrenum quaerentes venissent, fuissent confusi, quia tanti itineris laborem sine causa suscepissent.* Unde nec adorassent, nec munera obtulissent. *Nunc autem, quia caelestem Regem quaerebant, etsi nihil regalis excellentiae in eo viderunt, tamen, solius stellae testimonio contenti, adoraverunt:* vident ζ enim hominem, et agnoscunt Deum. Et offerunt munera dignitati Christi congruentia: *aurum quidem* *, *quasi Regi magno; thus, quod in Dei sacrificio ponitur, immolant ut Deo; myrrha, qua mortuorum corpora condiuntur, praebetur tanquam pro salute omnium morituro.* Et η, ut Gregorius dicit *, instruimur ut *nato Regi aurum, per quod significatur sapientia, offeramus, in conspectu eius sapientiae lumine splendentes;* thus autem, *per quod exprimitur orationis devotio*, offerimus Deo *si per orationum studia Deo redolere valeamus;* myrrham, quae *significat mortificationem carnis*, offerimus *si carnis vitia per abstinentiam mortificamus.*

* Greg. Hom. X in *Evang.* Cf. Aug. Serm. CC, aliter *de temp.* XXXII (in *Epiph.* IV), cap. 2.
* Ibid.

ζ) *vident.* – Tertia; *viderunt.*

η) *Et.* – *Etiam* Hb, *In quo etiam* Plc.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus de convenientia seu rationabilitate actus quaerit.

In corpore unica conclusio: *Credendum est Magos, a Spiritu Sancto inspiratos, sapienter Christum adorasse.* Probatur. Magi sunt *primitiae gentium* in Christum credentium. Ergo credendum est, etc.

Antecedens manifestatur. Quia in ipsis, sicut in quodam praesagio, fides devotioque gentium, a remotis ad Christum venientium, monstrabatur. – Consequentia probatur. Quia sicut fides devotioque gentium est absque errore per inspirationem Spiritus Sancti, ita, etc.



QUAESTIO TRIGESIMASEPTIMA

DE CIRCUMCISIONE CHRISTI
ET DE ALIIS LEGALIBUS CIRCA PUERUM CHRISTUM OBSERVATIS

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

DEINDE considerandum est de circumcisione Christi *. Et quia circumcisio est quaedam professio legis observandae, secundum illud *Galat.* v *, *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis faciendae,* simul cum hoc quaerendum est de aliis legalibus circa puerum Christum [α] observatis.

[Margin: qu. xxvii, ...ad. — Vs. 3.]

Unde quaeruntur quatuor.

Primo: de eius circumcisione.

Secundo: de nominis impositione.

Tertio: de eius oblatione.

Quarto: de matris purgatione.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM CHRISTUS DEBUERIT CIRCUMCIDI

Infra, qu. xl, art. 4; IV *Sent.*, dist. i, qu. ii, art. 2, qu^a^ 3.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus non debuerit circumcidi. Veniente enim veritate, cessat figura. Sed circumcisio fuit Abrahae praecepta in signum foederis quod erat de semine nascituro, ut patet *Gen.* xvii. Hoc autem foedus fuit in Christi nativitate completum. Ergo circumcisio statim cessare debuit.

2. PRAETEREA, *omnis Christi actio nostra est instructio* *: unde dicitur Ioan. xiii **: *Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* Sed nos non debemus circumcidi: secundum illud *Galat.* v *: *Si circumcidimini, Christus vobis nihil proderit.* Ergo videtur quod nec Christus debuit circumcidi.

[Margin: * Instruct. ...dol., cap. ...ter Opp. ...Innoc. III ...XXII de — ** Vs. 15. — * V. 2.]

3. PRAETEREA, circumcisio est ordinata in remedium originalis peccati. Sed Christus non contraxit originale peccatum, ut ex supra * dictis patet. Ergo Christus non debuit circumcidi.

[Margin: * Q. iv, art. 6, ... qu. xiv, ... qu. xv, ...]

SED CONTRA EST quod dicitur Luc. ii *: *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer.*

[Margin: * V. 21. - Cf. ...ap. xvii.]

RESPONDEO DICENDUM quod pluribus de causis Christus debuit circumcidi *. Primo quidem, ut ostendat veritatem carnis humanae: contra Manichaeum, qui dixit eum habuisse corpus phantasticum; et contra Apollinarium, qui dixit corpus Christi esse divinitati consubstantiale; et contra Valentinum, qui dixit Christum corpus de caelo attulisse.

[Margin: * ... Epiphan. ... Haeres. ... XXX, n. ... Cat. Aur. ... cap. ii.]

Secundo, ut approbaret circumcisionem, quam olim Deus instituerat.

Tertio, ut comprobaret [β] se esse de genere Abrahae, qui circumcisionis mandatum acceperat in signum fidei quam de ipso habuerat.

Quarto, ut Iudaeis excusationem tolleret ne eum reciperent, si esset incircumcisus.

Quinto *, *ut obedientiae* [γ] *virtutem nobis suo commendaret exemplo.* Unde et octava die circumcisus est, sicut erat in lege praeceptum *.

[Margin: * Cf. Bed., Homil. X, *in Fest. Circumcis.* — * *Levit.* cap. xii, vers. 3.]

Sexto *, *ut qui in similitudinem carnis peccati advenerat* *, *remedium quo caro peccati consueverat mundari, non respueret.*

[Margin: * Cf. Bed., loc. cit. — * *Ad Rom.*, cap. viii, vers. 3.]

Septimo, ut, legis onus in se sustinens, alios a legis onere liberaret: secundum illud *Galat.* iv *: *Misit Deus Filium suum factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.*

[Margin: * Vers. 4, 5.]

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod circumcisio, per remotionem carnalis pelliculae in membro generationis facta, significabat *spoliationem vetustae generationis* *. A qua quidem vetustate liberamur per passionem Christi. Et ideo veritas huius figurae non fuit plene impleta in Christi nativitate, sed in eius passione: ante quam circumcisio suam virtutem et statum habebat. Et ideo decuit Christum, ante suam passionem, tanquam filium Abrahae, circumcidi.

[Margin: * Cf. Athanas. *de Sabb. et Circumcis.*, n. 5, 6.]

AD SECUNDUM DICENDUM quod Christus circumcisionem suscepit eo tempore quo erat sub praecepto. Et ideo sua actio in hoc est nobis imitanda, ut observemus ea quae sunt nostro tempore in praecepto. Quia *unicuique negotio est tempus et opportunitas,* ut dicitur *Eccle.* viii *.

[Margin: * Vers. 6.]

Et praeterea, ut Origenes dicit *, *sicut mortui sumus cum illo moriente, et consurreximus Christo resurgenti* [δ], *ita circumcisi sumus spirituali circumcisione per Christum. Et ideo carnali circumcisione non indigemus.* Et hoc est quod Apostolus dicit, *Coloss.* ii *: *In quo,* scilicet Christo, *circumcisi estis circumcisione non manu facta in exspoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Domini nostri Iesu Christi.*

[Margin: * Homil. XIV *in Luc.* — * Vers. 11.]

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut Christus propria voluntate mortem nostram suscepit, quae est

---

α) *Christum.* – *Iesum* P.
β) *comprobaret.* – EF et tertia; *approbaret.*
γ) *obedientiae.* – *obediendi* tertia.
δ) *sumus... resurgenti.* – A et tertia; *fuimus... resurgente.*

effectus peccati, nullum in se habens peccatum, ut nos a morte liberaret, et spiritualiter nos faceret mori peccato; ita etiam circumcisionem, quae est remedium originalis peccati, suscepit absque hoc quod haberet originale peccatum, ut nos a legis iugo liberaret, et ut in nobis spiritualem circumcisionem efficeret; ut scilicet, suscipiendo figuram, impleret veritatem.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore unica conclusio: *Christus debuit circumcidi.* Probatur septem rationibus, quae clare patent in littera.

II. In responsione ad secundum, ubi de imitatione Christi quoad circumcisionem corpoream agitur, dubium occurrit de circumcisione Christianorum Indorum, dicentium se circumcidi ut conformentur Christo, an sit licita. Videtur enim quod non. Primo, ex auctoritate Apostoli: *Si circumcidimini, Christus nihil vobis proderit, ad Galat.* v *: et ex auctoritate Ecclesiae, quae in Concilio Florentino *, sub Eugenio IV, determinavit circumcisionem et alia legalia, post publicationem Evangelii, esse non solum *mortua,* sed *mortifera* *.

* Vers. 2.
* Cf. *Act. Concil. Florent.* part. III, *Decret. pro Iacobit.*
* Cf. I^am^ II^ae^, qu. CIII, art. 4, ad 1.

Secundo, quia circumcisio facta ad imitationem Christi, non effugit quin fiat etiam ad imitationem Abrahae et Iudaeorum: quoniam quidquid fit ad imitationem imitantis tertium, fit ad imitationem illius tertii. Ergo, per hoc, circumcisio facta ad imitationem Christi, est circumcisio legalis. – Et confirmatur. Quia fieri ad imitationem alicuius mediate vel immediate, non variat naturam actus. Sed circumcisio facta ad similitudinem Christi immediate, fit mediate ad similitudinem legalis circumcisionis: quia Christus legalem circumcisionem suscepit. Ergo circumcisio ad similitudinem Christi facta est legalis.

Tertio quia, secundum Apostolum *, *ab omni specie mali abstinendum est.* Infitiari autem non potest quin circumcisio ista habeat speciem mali: nam constat quod habet speciem Iudaismi. Igitur illicita est.

* I *ad Thess.*, cap. v, vers. 22.

In oppositum autem est quia damnare totam illam patriam Christianam, et morem antiquum tot ecclesiarum, praesumptuosum videtur.

III. Ad evidentiam huius quaestionis, sciendum est quod non vertitur in dubium an circumcisio legalis sit alicubi licita. Determinata siquidem est in dicto Concilio * haec quaestio: et definitum est circumcisionem legalem, *sive in ea ponatur spes sive non,* esse illicitam. Sed quia ista circumcisio negatur quod sit legalis, dicitur enim quod non fit ad observandam legem Moysi, vel praeceptum datum Abrahae de circumcisione: propterea in dubium vertitur an sit licita vel illicita.

* Loc. cit. supra.

Via autem resolutionis incedendo: – Circumcisio facta praecise ad conformandum hominem Christo, duo in se continet: scilicet ipsam corporalem circumcisionem voluntariam; et conformitatem ad Christum circumcisum. Ex primo autem constat actum non esse de genere malorum. Quoniam actus malus ex suo genere non potest recte fieri ex adiuncto bono fine: quia *non sunt facienda mala ut veniant bona* *. Circumcidere autem licite potest se homo ob sanitatem. Non igitur est ex suo genere mala corporalis circumcisio voluntaria.

* *Ad Rom.*, cap. III, vers. 8.

Ex secundo autem, inquantum continet conformitatem ad Christum, constat quod malus non redditur. Conformitas siquidem ad Christum de genere bonorum est secundum se. Bonum autem adiunctum non malo actui, non habet unde reddat actum illum malum, sed potius habet unde bonificet actum illum.

Inquantum vero continet ly *circumcisum* (non enim additur conformitas ad Christum absolute, sed ad Christum circumcisum), potest reddere actum malum. Nam Christus ut circumcisus significat et circumcisionem corporalem, et legalem: quoniam circumcisio eius fuit et corporalis et legalis; immo ideo, ad litteram, corporaliter circumcidi voluit, ut legalem circumcisionem susciperet. Et propterea, si conformitas ad Christum circumcisum intelligatur ad circumcisum materialiter et formaliter, actus circumcisionis redditur malus pro tempore Evangelii publicati: quia talis circumcisio nihil aliud est quam circumcisio legalis; est enim imitatio eius, ut patet, et rationes secundo et tertio loco arguendo probant.

Si vero conformitas referatur ad Christum circumcisum corporaliter tantum ratione similitudinis in patiendo, quia scilicet vult sequi Christum in dolore circumcisionis: non malus, sed laudabilis redderetur actus circumcisionis.

Ratione vero similitudinis in hoc quod est esse circumcisum corporaliter quia Christus fuit corporaliter circumcisus, cum in corporalibus secundum se non sit virtus nec vitium, nec unde malus nec unde bonus reddatur actus circumcisionis propter huiusmodi corporalem similitudinem factae video: nisi quod pro tanto malus esset, pro quanto vanus esset; careret enim necessitate et pia utilitate, si solum pro corporea assimilatione fieret.

Et si pro quadam veneratione Christi hoc fieret, an actus sit religiosus an superstitiosus, considerandum est.

IV. Et quidem quod sit superstitiosus, testatur quia corporalem caeremoniam inutilem, contra communem Ecclesiae morem, habentem mali speciem, exercet.

Sed quod caeremonia haec, licet sit corporea, non sit vana aut inutilis, inde apparet quod nonnulla veneratio est vacare assimilationi ad principem: in honorem siquidem principum vocamus filios nostros ipsorum principum nominibus, ut Iulios a Iulio, et Leones a Leone. Nec superstitiose similis honor in sanctos transfertur: sed ad venerationem sanctorum spectare credimus quod filios nostros sanctorum nominibus appellemus. Et propterea, sicut assimilari velle sanctis in nominibus extra religionem non est, sed ad venerationem quandam spectat; ita honorem hunc exhibere Christo ut etiam corporaliter assimiletur sibi circumciso homo, non superstitionis vanitas, sed veneratio quaedam est ab hominibus humano more exhibita.

Et licet sit non secundum communem Ecclesiae morem, est tamen secundum illarum ecclesiarum quae sunt Indiae sub rege David, qui vulgariter dicitur Preste Ioanni, antiquum vetustumque morem, qui nunquam ab universali aut Romana Ecclesia damnatus apparet. Et propterea, licet alibi circumcisio ista esset superstitiosa, non tamen ubi est consueta.

De mali autem specie, quam prae se ferre circumcisionem hoc tempore negari etsi non potest, dicitur tamen quod ab omni specie mali cavendum est quando et ubi speciem mali habet: verum ubi et quando actus aliquis cessat habere mali speciem, potest exerceri licite. Nam comedere immolata idolis speciem mali habet, et secundum Apostoli doctrinam, I *ad Cor.* VIII * et X **, quandoque est licitum et quandoque illicitum: nam, praesentibus infirmis, est illicitum; quando autem et ubi scandalum infirmorum non timetur, licitum est. Et secundum hoc circumcisio huiusmodi, quia in ecclesiis illis non est in scandalum infirmorum neque mali occasio, cessat habere ibi mali speciem.

* Vers. 7
** Vers. [illegible]

Et si obiiciatur quod, licet tollatur per hoc ratio scandali apud illos, non tamen tollitur per hoc ratio scandali apud innumeras Christi ecclesias, quae de Indorum circumcisione scandalizantur, utpote Iudaismi speciem habente, non hic vel ibi, sed simpliciter et absolute post perfectam Evangelii publicationem: – consulendum credo per Romanam Ecclesiam esset ut vel non toleraretur circumcisio tali ratione consueta; vel, si toleranda iudicaretur ut secundum se licita, tolleretur ratio scandali apud ecclesias alias. – Et per haec patet solutio omnium obiectorum.

Haec sunt quae de hac quaestione nova mihi occurrerunt. In qua libentius audirem Apostolicae Sedis sententiam, quam propriam proferrem opinionem.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CONVENIENTER FUERIT CHRISTO NOMEN IMPOSITUM

In Matth., cap. I.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter fuerit Christo nomen impositum. Veritas enim evangelica [α] debet praenuntiationi propheticae respondere. Sed Prophetae aliud nomen de Christo praenuntiaverunt: dicitur enim Isaiae VII *, *Ecce, Virgo concipiet et pariet Filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel;* et VIII *, *Voca* [β] *nomen eius: Accelera, spolia detrahe, festina praedari;* et IX *, *Vocabitur nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis;* et Zach. VI * dicitur, *Ecce vir, Oriens nomen eius.* Ergo inconvenienter vocatum est nomen eius Iesus.

[* …s. 14. — * …s. 3. — * …s. 6. — * …s. 12.]

2. Praeterea, Isaiae LXII * dicitur [γ]: *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit.* Sed hoc nomen Iesus non est nomen novum, sed pluribus fuit in veteri Testamento impositum: ut patet etiam ex ipsa genealogia Christi, Luc. III *. Ergo videtur quod inconvenienter vocatum est nomen eius Iesus.

[* …s. 2. — * …s. 29. - Cf. … cap. XLVI, … Agg. cap. … I; Zach. … III, vers. 1.]

3. Praeterea, hoc nomen Iesus *salutem* significat: ut patet per id quod dicitur Matth. I *: *Pariet filium, et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Sed salus per Christum non est facta solum *in circumcisione,* sed *etiam in praeputio:* ut patet per Apostolum, *Rom.* IV *. Inconveniente ergo hoc nomen fuit Christo impositum in sua circumcisione.

[* …s. 21. — * …s. 11, 12.]

Sed contra est auctoritas Scripturae, in qua dicitur, Luc. II *, quod, *postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus.*

[* …s. 21.]

Respondeo dicendum quod nomina debent proprietatibus rerum respondere. Et hoc patet in nominibus generum et specierum: prout [δ] dicitur IV *Metaphys.* *: *Ratio enim quam significat nomen, est definitio,* quae designat propriam rei naturam.

[* … lect. XVI. - … lib. III, cap. … 9.]

Nomina autem singularium hominum semper imponuntur ab aliqua proprietate eius cui nomen imponitur. Vel a tempore: sicut imponuntur nomina aliquorum Sanctorum his qui in eorum festis nascuntur. Vel a cognatione: sicut cum filio imponitur nomen patris, vel alicuius de cognatione eius; sicut propinqui Ioannis Baptistae volebant eum vocare *nomine patris sui Zachariam,* non autem Ioannem, quia *nullus erat in cognatione eius qui vocaretur hoc nomine,* ut dicitur Luc. I *. Vel etiam ab eventu: sicut Ioseph *vocavit primogenitum suum Manassen, dicens: Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum,* Gen. XLI *. Vel etiam ex aliqua qualitate eius cui nomen imponitur: sicut *Gen.* XXV * dicitur quod, quia *qui primo egressus est de utero matris, rufus erat, et totus in morem pellis hispidus, vocatum est nomen eius Esau,* quod interpretatur *rubeus.*

[* …s. 59 sqq. — * Vers. 51. — * Vers. 25.]

Nomina autem quae imponuntur divinitus aliquibus, semper significant aliquod gratuitum donum eis divinitus datum: sicut *Gen.* XVII * dictum est Abrahae, *Appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium constitui te;* et Matth. XVI * dictum est Petro, *Tu es Petrus: et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.*

[* Vers. 5. — * Vers. 18.]

Quia igitur homini [ε] Christo hoc munus gratiae collatum erat ut per ipsum omnes salvarentur, ideo convenienter vocatum est nomen eius Iesus, idest *Salvator:* angelo hoc nomen praenuntiante non solum matri *, sed etiam Ioseph **, quia [ζ] erat futurus eius nutritius.

[* Luc. cap. I, vers. 31. — ** Matth. cap. I, vers. 21.]

Ad primum ergo dicendum quod in omnibus illis nominibus quodammodo significatur hoc nomen Iesus, quod est significativum *salutis.* Nam in hoc quod dicitur *Emmanuel, quod interpretatur, Nobiscum Deus* *, designatur causa salutis, quae est unio divinae et humanae naturae in persona Filii Dei, per quam factum est ut *Deus esset nobiscum* [η].

[* Matth. cap. I, vers. 23.]

Per hoc autem quod dicitur, *Voca nomen eius, Accelera, spolia detrahe,* etc., designatur a quo nos salvaverit: quia a diabolo, cuius spolia abstulit, secundum illud *Coloss.* II *: *Exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter.*

[* Vers. 15.]

In hoc autem quod dicitur, *Vocabitur nomen eius Admirabilis,* etc., designatur via et terminus nostrae salutis: inquantum scilicet *admirabili divinitatis consilio et virtute, ad haereditatem futuri saeculi perducimur,* in quo erit *pax perfecta* filiorum Dei, sub ipso *Principe Deo.*

Quod vero dicitur, *Ecce vir, Oriens nomen eius,* ad idem refertur ad quod primum, scilicet ad incarnationis mysterium: secundum quod *exortum est in tenebris lumen rectis corde* *.

[* Ps. CXI, vers. 4.]

Ad secundum dicendum quod his qui fuerunt ante Christum potuit convenire hoc nomen Iesus secundum aliquam aliam rationem: puta quia aliquam particularem et temporalem salutem attulerunt. Sed secundum rationem spiritualis et universalis salutis, hoc nomen est proprium Christo. Et secundum hoc dicitur esse *novum.*

Ad tertium dicendum quod, sicut *Gen.* XVII legitur, simul Abraham suscepit impositionem nominis a Deo, et circumcisionis mandatum. Et

---

α) *evangelica.* – EF et tertia; *prophetica* BCD, *al evangelista prophetica* A, *prophetica vel evangelica* ed. *a.*
β) *Voca.* – Tertia; *Voca.* A, *Vocabitur* BCDE*a*, *Vocabis* F.
γ) *dicitur.* – *a* et tertia; *dicit.* (*Isaias* plene nullus).
δ) *prout.* – *quia ut* PIc; statim *enim* om. tertia praeter *b.*
ε) *homini.* – *spēi b,* om. PGHc.
ζ) *quia.* – *qui* F et tertia.
η) *nobiscum.* – *quasi participans nostrae naturae* addunt EF et tertia.

ideo apud Iudaeos consuetum erat ut ipso die circumcisionis nomina pueris imponerentur, quasi ante circumcisionem perfectum esse non habuerint: sicut etiam nunc pueris in baptismo nomina imponuntur. Unde super illud *Proverb.* IV *, *Ego filius fui patris mei, tenellus et unigenitus coram matre mea,* dicit Glossa *: *Quare Salomon se unigenitum coram matre vocat, quem fratrem uterinum praecessisse Scriptura testatur, nisi quia ille mox natus sine nomine, quasi nunquam esset, de vita decessit* *? Et ideo Christus, simul cum fuit circumcisus, nominis impositionem accepit.

* Vers. 3. — * Ord. — * II Reg. … vers. 18.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore triplex ratio imponendi nomina refertur; deinde respondetur quaesito.

Nomina debent imponi a proprietatibus rerum; vel imponuntur a circumstantibus quomodolibet; vel significant aliquod gratuitum donum divinitus illis datum. Primum declaratur in nominibus generum et specierum; secundum, in singularium nominibus; tertium, in nominibus divinitus impositis.

Conclusio responsiva est: *Convenienter vocatum est nomen Christi Iesus, idest Salvator.* Quia fuit impositum divinitus, angelo nuntiante: et Christo hoc munus gratiae collatum est, ut esset Salvator omnium.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM CONVENIENTER FUERIT CHRISTUS IN TEMPLO OBLATUS

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod inconvenienter fuerit Christus in Templo oblatus. Dicitur enim *Exod.* XIII *: *Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Israel.* Sed Christus exivit de clauso Virginis utero: et ita matris vulvam non aperuit. Ergo Christus ex hac lege non debuit in Templo offerri.

2. Praeterea, illud quod est semper praesens alicui, non potest ei praesentari. Sed Christi humanitas semper fuit Deo maxime praesens, utpote ei semper [α] coniuncta in unitate personae. Ergo non oportuit quod *coram Domino sisteretur.*

3. Praeterea, Christus est hostia principalis, ad quam omnes hostiae veteris legis referuntur sicut figura ad veritatem. Sed hostiae non debet esse alia hostia. Ergo non fuit conveniens ut pro Christo alia hostia offerretur.

4. Praeterea, inter legales hostias praecipue fuit agnus, qui erat *iuge sacrificium,* ut habetur *Num.* XXVIII *. Unde etiam Christus dicitur Agnus, Ioan. I *: *Ecce Agnus Dei.* Magis ergo fuit conveniens quod pro Christo offerretur agnus quam *par turturum vel duo pulli columbarum.*

Sed in contrarium est auctoritas Scripturae, quae hoc factum esse testatur, Luc. II *.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est *, Christus voluit *sub lege fieri, ut eos qui sub lege erant redimeret* *, et *ut iustificatio legis* in suis membris spiritualiter *impleretur* *. De prole autem nata duplex praeceptum in lege traditur. Unum quidem generale quantum ad omnes: ut scilicet, completis diebus purificationis matris, offerretur sacrificium pro filio sive pro filia, ut habetur *Levit.* XII *. Et hoc quidem sacrificium erat et ad expiationem peccati, in quo proles erat concepta et nata: et etiam ad consecrationem quandam ipsius, quia tunc primo praesentabatur in Templo. Et ideo aliquid offerebatur in holocaustum, et aliquid pro peccato.

Aliud autem praeceptum erat speciale in lege de primogenitis *tam in hominibus quam in iumentis:* sibi enim Dominus deputaverat omne primogenitum in [β] Israel, pro eo quod, ad liberationem populi Israel, *percusserat primogenita Aegypti ab homine usque ad pecus,* primogenitis filiorum Israel reservatis *. Et hoc mandatum ponitur *Exod.* XIII *. In quo etiam praefigurabatur Christus, qui est *primogenitus in multis fratribus,* ut dicitur *Rom.* VIII *.

Quia igitur Christus, ex muliere natus, erat primogenitus [γ]; et voluit fieri sub lege *: haec duo Evangelista Lucas circa eum fuisse observata ostendit. Primo quidem, id quod pertinet ad primogenitos, cum dicit *: *Tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino: sicut scriptum est in lege Domini, Quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur.* Secundo, id quod pertinet communiter ad omnes, cum dicit *: *Et ut darent hostiam, secundum quod dictum erat in lege Domini, par turturum aut duos pullos columbarum.*

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Gregorius Nyssenus dicit *, *illud legis praeceptum in solo incarnato Deo singulariter et ab aliis differenter impleri videtur. Ipse namque solus, ineffabiliter conceptus ac incomprehensibiliter editus, virginalem uterum aperuit, non antea connubio reseratum, servans* [δ] *et post partum inviolabiliter signaculum castitatis.* Unde quod dicit, *aperiens vulvam,* designat quod nihil antea inde intraverat vel exiverat. Et per hoc etiam specialiter dicitur « *masculinus* »: *quia nihil de femineitate culpae portavit* *. Singulariter etiam « *sanctus* »: *qui* [ε] *terrenae contagia corruptelae, immaculati partus novitate, non sensit* *.

Ad secundum dicendum quod, sicut Filius Dei *non propter seipsum factus est homo et circumcisus in carne, sed ut nos per gratiam faceret Deos, et ut spiritualiter circumcidamur; sic pro-*

* Vers. 2. — * Vers. 3, 6. - Cf. *Exod.* cap. XXIX, vers. 38; Dan. cap. VIII, vers. 11 sqq. — * Vers. 29. — * Vers. 22 sqq. — * Art. 1. — * *Ad Galat.*, cap. IV, vers. 4, 5. — * *Ad Rom.*, cap. VIII, vers. 4. — * Vers. 6 sqq.

* *Exod.* … vers. 12 — * Vers. 2 — * Vers. … — * Cf. *Ad* … cap. IV, — * Cap. II, 23. — * Ibid. … — * *De O*… *Dom.* — * Nyssen. … — * Ambr. *in Luc.* ad cap. II, 23.

α) *semper.* – Om. tertia.
β) *in.* – *filiorum* F et tertia.
γ) *primogenitus.* – *quasi primogenitus* tertia.
δ) *servans.* – *conservans* ACFa.
ε) *qui.* – *quia* P.

pter nos sistitur Domino, ut discamus Deo praesentare nosipsos *. Et hoc post circumcisionem eius factum est, ut ostendat *neminem nisi circumcisum vitiis, dignum esse divinis conspectibus* *.

Ad tertium dicendum quod propter hoc ipsum voluit hostias legales pro se offerri, qui erat vera hostia, ut figura veritati coniungeretur, et per veritatem figura approbaretur: contra illos qui Deum legis negant a Christo fuisse in Evangelio praedicatum *. *Non enim putandum est,* ut Origenes dicit *, *quod Filium suum bonus Deus sub lege inimici fecerit, quam ipse non dederat.*

Ad quartum dicendum quod *Levit.* xii * *praecipitur ut qui possent, agnum pro filio aut filia, simul et turturem sive columbam offerrent: qui vero non sufficerent ad offerendum agnum, duos turtures aut duos columbae* ζ *pullos offerrent* *. *Dominus ergo, qui, « cum dives esset, propter nos egenus factus est, ut illius inopia divites essemus »,* ut dicitur II *Cor.* viii *, *pro se pauperum hostiam voluit offerri* *: sicut et in ipsa nativitate *pannis involvitur et reclinatur in praesepio* *.

Nihilominus tamen huiusmodi aves figurae congruunt *. Turtur enim, quia est avis loquax, praedicationem et confessionem fidei significat; quia vero est animal castum, significat castitatem; quia vero est animal solitarium, significat contemplationem. Columba vero est animal mansuetum et simplex, mansuetudinem et simplicitatem significans. Est autem animal gregale: unde significat vitam activam. Et ideo huiusmodi hostia significabat perfectionem Christi et membrorum eius. – *Utrumque* autem *animal, propter consuetudinem gemendi, praesentes sanctorum luctus designat: sed turtur, quae est solitaria, significat orationum* η *lacrimas; columba vero, quae est gregalis, significat publicas orationes Ecclesiae* *. – Utrumque tamen θ animal duplicatum offertur: ut sanctitas sit non solum in anima, sed etiam in corpore *.

* Athanas. *Fragment. in Luc.*, cap. ii, vers. 23.
* Bed. *Expos. in Luc.*, ad loc. cit.
* Cf. Aug. *de Haeres.*, num. xl.
* Homil. XIV *in Luc.*
* Vers. 6, 8.
* Bed. Homil. XV, *in festo Purific.* B. M.
* Vers. 9.
* Bed. *Expos. in Luc.* lib. I.
* Luc. cap. ii, vers. 7.
* Cf. *Cat. Aur. in Luc.* cap. ii, vers. 24, sub nom. Cyrill. et Bed.
* Bed. Homil. XV, *in festo Purific. B. M.*
* Athanas. *Fragment. in Luc.*, cap. ii, vers. 24.

ζ) *columbae.* – *columbarum* P, *columbae* post *pullos* bc.
η) *orationum.* – *secretas orationum* EF et tertia.
θ) *tamen.* – *autem* Ba, *vero* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore unica conclusio responsiva quaesito: *Christus convenienter in Templo oblatus est cum oblatione.* Probatur. Christus voluit sub lege fieri: et ex muliere natus primogenitus est. Ergo convenienter, etc.

Antecedens, quoad primam partem, declaratur ex fine: quia *ut eos qui sub lege erant, redimeret,* et *iustificationem* spiritualem in membris suis *impleret.* – Quoad secundam, est per se evidens. – Consequentia probatur. Quia in lege erant circa primogenitum duo praecepta: alterum, inquantum genitum; et alterum, inquantum primogenitum. Et utrumque in Christo servatum est. – Littera est clara.

II. Sed circa rationem in littera redditam de sacrificio praecepto *Levit.* xii, quia scilicet pro peccato prolis offerebatur, dubium occurrit. Tum quia peccatum originale prolis iam expiatum erat octavo die per circumcisionem. Tum quia in textu illo * expresse dicitur, *Et orabit pro ea,* scilicet matre, *sacerdos, et mundabitur:* et non dicitur, *Orabit pro filio.* Male ergo in littera dicitur quod offerebatur pro peccato prolis.

III. Ad huius evidentiam, considerandum est quod littera illius textus, ut glossa ex Augustino * dicit, dupliciter legi potest. Primo, ut ly *pro filio vel filia* * referatur ad oblationem. Et hunc sensum secutus est Auctor, sequens Augustinum probantem hunc sensum, ex verbis scilicet Lucae dicentis *: *Cum inducerent puerum Iesum parentes eius ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo.* Ex hoc enim quod dixit *pro eo,* et non *pro matre,* ostendit quod illud quod tunc faciebant, pro puero faciebant. Constat autem quod tunc offerebant, ut praedixerat Evangelista *. Ergo. – Alio modo, ly *pro filio aut filia* refertur ad purgationis terminationem. Et secundum hunc sensum ab aliis * exponitur. Et remanet indecisum pro quo fiat oblatio, an pro filio an pro matre, quae ibi mundari dicitur.

Et quia littera illa utriusque expositionis est capax, quia potest cum utraque oratione, tam scilicet antecedente de termino purgationis quam subsequente de oblatione, construi ly *pro filio vel filia* positum in medio utriusque orationis; ideo ambiguus restat sensus, quantum est ex littera illa. Libera videtur cuique sua opinio, quod vel pro peccato prolis, vel matris, offeratur.

IV. Et quidem quod pro peccato oblatio fieret, textus clare dicit. Et ideo dicere quod pro sola irregularitate corporea hoc fieret *, alienum a littera est dicente animal unum *pro peccato* et aliud *pro holocausto* offerri *.

Dicere autem quod pro peccato matris quod, non pariendo, sed concumbendo commisit *, quia communiter aliquod veniale peccatum in actu illo intervenit, omnino irrationabile non est: ex littera tamen non habetur, quae orationem quidem pro matre fieri mandat *, oblationem autem non dicit fieri pro matre. Habetque contra se haec opinio verbum inductum * ex Evangelista. – Quod potest glossari quod intelligitur ratione praesentationis primogeniti et oblationis pro holocausto, *Cum inducerent eum ut facerent pro eo haec secundum consuetudinem legis:* ut sic oblatio pro peccato remaneat dubia pro quo fiat.

Et licet haec glossa non appareat convincibilis de falsitate, si tamen, Patrum regulas sequendo, in tutiorem declinare debemus partem, dicendum est quod pro filio seu filia oblatio fiebat et in holocaustum et pro peccato. Tum quia Evangelistae auctoritas indistincte tradit quod pro puero haec faciebant. – Tum quia Augustinus tanti facit haec Evangelistae verba ut dicat convinci ex his verbis oblationem fieri pro filio seu filia. – Tum quia hoc etiam sentit Glossa Ordinaria, ibidem *, ultra illam ex Augustino allatam *: et divi Thomae accedit non posthabenda auctoritas.

Pro matris autem peccato oblationem fieri nulla tradit Scripturae auctoritas, dicente expresse textu mundationem matris esse corpoream, dum dicit *, *Et rogabit pro ea sacerdos, et sic mundabitur a profluvio sanguinis sui*: et non dixit, *a peccato;* pro quo tamen offerri mandat.

V. Ad obiectionem autem quod originale peccatum iam expiatum erat per circumcisionem *, dicitur quod, quia peccatum originale plura in se continet, scilicet maculam cum reatu aeternae poenae damni, et fomitem; non inconvenit pro peccato originali remisso quoad maculam cum reatu aeternae poenae damni, offerre, ut expietur aliqualiter quoad fomitem, ut scilicet proles minus prona sit ad malum. Et tanto magis hoc erat tunc necessarium, quanto per circumcisionem minor gratia conferebatur quam nunc per baptismum: ut sic adiuncto hoc sacrificium circumcisioni, accederetur ad gratiam baptismalem, vel propius ad illam, non ex opere aliquo sacramentali, sed ex devotione et fide oblati sacrificii, *Patre misericordiarum* largiente.

* Vers. 7.
* Quaest. in Levit. qu. XL.
* Vers. 6.
* Luc. cap. ii, vers. 27.
* Vers. 22 sqq.
* Lyran. in Levit. cap. xii.
* Cf. Addit. 2[a] Burgens. contra Lyran. in *Levit.* xii.
* Vers. 6, 8.
* Cf. Lyran. loc. cit.
* Vers. 7, 8.
* Num. praeced.
* *Levit.* cap. xii.
* Num. praeced.
* Vers. 7.
* Num ii.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CONVENIENTER MATER DEI PURGANDA AD TEMPLUM ACCESSERIT

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod inconvenienter Mater Dei purganda ad Templum accesserit. Purgatio enim non videtur esse nisi ab immunditia. Sed in Beata Virgine nulla fuit immunditia, ut ex supra * dictis patet. Ergo non debuit ut purganda ad Templum accedere.

* Art. praeced., ad 1; qu. xxvii, art. 3, 4; qu. xxviii, art. 1, 2, 3.

2. PRAETEREA, *Levit.* xii * dicitur: *Mulier quae, suscepto semine, peperit masculum, immunda erit septem diebus:* et ideo ei praecipitur quod *non ingrediatur sanctuarium, donec impleantur dies purgationis eius.* Sed Beata Virgo peperit masculum sine virili semine. Non ergo debuit venire ad Templum purganda.

* Vers. 2.

3. PRAETEREA, purgatio ab immunditia non fit nisi per gratiam. Sed sacramenta veteris legis gratiam non conferebant: sed ipsa potius secum gratiae Auctorem habebat. Non ergo conveniens fuit ut Beata Virgo ad Templum purganda veniret.

SED CONTRA EST auctoritas Scripturae, qua dicitur, Luc. ii *, quod *impleti sunt dies purgationis Mariae secundum legem Moysi.*

* Vers. 22.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut plenitudo gratiae a Christo derivatur in matrem, ita decuit ut mater humilitati filii conformaretur: *humilibus enim Deus dat gratiam,* ut dicitur Iac. iv *. Et ideo, sicut Christus, licet legi non esset obnoxius, voluit tamen circumcisionem et alia legis onera subire, ad demonstrandum humilitatis et obedientiae exemplum, et ut approbaret legem, et ut calumniae occasionem [α] Iudaeis tolleret *; propter easdem rationes [β] voluit et matrem suam implere legis observantias, quibus tamen non erat obnoxia.

* Vers. 6.

* Cf. art.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, licet Beata Virgo nullam haberet immunditiam, voluit tamen purgationis observantiam implere, non propter indigentiam, sed propter legis praeceptum. Et ideo signanter Evangelista dicit * quod completi sunt dies purgationis eius *secundum legem:* ipsa enim secundum se purgatione non indigebat.

* Cf. arg *cont.*

AD SECUNDUM DICENDUM quod signanter Moyses videtur fuisse locutus, ad excipiendam ab immunditia Matrem Dei, quae non peperit *suscepto semine.* Et ideo patet quod non obligatur [γ] ad impletionem illius praecepti, sed voluntarie purgationis observantiam implevit, ut dictum est *.

* Resp. a

AD TERTIUM DICENDUM quod legalia sacramenta non purgabant ab immunditia culpae, quod fit per gratiam, sed hanc purgationem praefigurabant: purgabant enim [δ] purgatione quadam carnali ab immunditia irregularitatis cuiusdam; sicut in Secunda Parte * dictum est. Neutram tamen immunditiam Beata Virgo contraxerat. Et ideo non indigebat purgari.

* Ia IIae, art. 5; q art. 2.

α) *calumniae occasionem.* – EF et tertia; *occasionem.* An *excusationem* legendum?
β) *easdem rationes.* – *eandem rationem* H et editiones.
γ) *obligatur.* – *obligabatur* P.
δ) *enim.* – *autem* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. – In corpore una conclusio: *Mater Christi convenienter purganda accessit.* Probatur. Sicut gratia a Christo in matrem, ita et humilitas. Ergo, sicut Christus sub lege, ita et mater.

Antecedens probatur. Quia *humilibus datur gratia.* – Consequentia est evidens: quia ad humilitatem matris spectare constat purgationem matris.



QUAESTIO TRIGESIMAOCTAVA

DE BAPTISMO IOANNIS

IN SEX ARTICULOS DIVISA

Deinde considerandum est de baptismo quo Christus baptizatus est *. Et quia Christus baptizatus est baptismo Ioannis, primo considerandum est de baptismo Ioannis in communi; secundo, de baptizatione Christi *.

[* Cf. qu. XXVII, prod.] [* Qu. XXXIX.]

Circa primum quaeruntur sex.

Primo: utrum conveniens fuerit quod Ioannes baptizaret.

Secundo: utrum ille baptismus fuerit a Deo.

Tertio: utrum contulerit gratiam.

Quarto: utrum alii praeter Christum illo baptismo debuerint baptizari.

Quinto: utrum baptismus ille cessare debuerit, Christo baptizato.

Sexto: utrum baptizati baptismo Ioannis essent postea baptizandi baptismo Christi.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM FUERIT CONVENIENS IOANNEM BAPTIZARE

IV *Sent.*, dist. II, qu. II, art. 2, ad 5.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non fuerit conveniens Ioannem baptizare. Omnis enim ritus sacramentalis ad aliquam pertinet legem. Sed Ioannes non introduxit novam legem. Ergo inconveniens fuit quod novum ritum baptizandi introduceret.

2. Praeterea, Ioannes *fuit missus a Deo in testimonium* * tanquam propheta: secundum illud Luc. I *: *Tu, Puer, propheta Altissimi vocaberis.* Sed prophetae qui fuerunt ante Christum, non introduxerunt novum ritum, sed ad observantiam legalium rituum inducebant: ut patet Malach. ult. *: *Mementote legis* α *Moysi, servi mei.* Ergo nec Ioannes novum ritum baptizandi inducere debuit.

[* Ioan. cap. I, vers. 6, 7.] [* Vers. 76.] [* Vers. 4.]

3. Praeterea, ubi est alicuius rei superfluitas, non est ad illud aliquid addendum. Sed Iudaei excedebant in superfluitate baptismatum: dicitur enim Marci VII *, quod *Pharisaei, et omnes Iudaei, nisi crebro lavent manus, non manducant; et a foro* β, *nisi baptizentur, non comedunt; et alia multa quae tradita sunt illis servare, baptismata calicum et urceorum et aeramentorum et lectorum.* Ergo inconveniens fuit quod Ioannes baptizaret.

[* Vers. 3, 4.]

Sed contra est auctoritas Scripturae, Matth. III *, ubi, praemissa sanctitate Ioannis, subditur quod exibant ad eum multi, *et baptizabantur in Iordane.*

[* Vers. 5, 6.]

Respondeo dicendum quod conveniens fuit Ioannem baptizare, propter quatuor. Primo quidem, quia oportebat Christum a Ioanne baptizari, ut baptismum consecraret: ut dicit Augustinus, *super Ioan.* *.

[* Tract. XIII. - S. Max. Taurin. Homil. XXXIV, *de Bapt. Christi* VI - In App. ad. Opp. Aug. Serm. CXXXIV, *in Epiph Dom.* I. al. XXXVII *de Temp.*]

Secundo, ut Christus manifestaretur. Unde ipse Ioannes Baptista dicit, Ioan. I *: *Ut manifestetur,* scilicet Christus, *in Israel* γ, *propterea veni ego in aqua baptizans.* Concurrentibus enim turbis δ annuntiabat Christum: quod quidem facilius sic factum est quam si per singulos discurrisset, ut Chrysostomus dicit, *super Ioan.* *.

[* Vers. 31.] [* Homil. X *in Matth.*]

Tertio, ut suo baptismo assuefaceret homines ad baptismum Christi. Unde Gregorius dicit, in quadam homilia *, quod ideo baptizavit Ioannes *ut, praecursionis suae ordinem servans, qui nasciturum Dominum nascendo praevenerat, baptizando quoque baptizaturum praeveniret.*

[* Homil. VII *in Evang.*]

Quarto ut, ad poenitentiam homines inducens, homines praepararet ad digne suscipiendum baptismum Christi. Unde ε Beda * dicit quod, *quantum catechumenis nondum baptizatis prodest doctrina fidei, tantum profuit baptisma Ioannis ante baptisma Christi. Quia sicut ille praedicabat poenitentiam, et baptismum Christi praenuntiabat, et in cognitionem veritatis quae mundo apparuit attrahebat; sic ministri Ecclesiae, qui* ζ *primo erudiunt, postea peccata eorum redarguunt, deinde in baptismo Christi remissionem promittunt.*

[* Scot. Erig. *Comment. in Evang. sec. Ioan.*, ad cap. III, vers. 24. - Cf. Gloss. Ord. ibid.]

Ad primum ergo dicendum quod baptismus Ioannis non erat per se sacramentum: sed quasi quoddam sacramentale, disponens ad baptismum Christi. Et ideo aliqualiter pertinebat ad legem Christi: non autem ad legem Moysi *.

[* D. 203.]

Ad secundum dicendum quod Ioannes non fuit solum propheta, sed *plus quam propheta,* ut dicitur Matth. XI *: fuit enim terminus legis et initium Evangelii *. Et ideo magis pertinebat ad eum verbo et opere inducere homines ad legem Christi quam ad observantiam veteris legis.

[* Vers. 9.] [* Cf. Luc. cap. XVI, vers. 16.]

Ad tertium dicendum quod baptismata illa Pharisaeorum erant inania, utpote ad solam munditiam carnis ordinata. Sed baptismus Ioannis ordinabatur ad munditiam spiritualem: inducebat enim homines ad poenitentiam, ut dictum est *.

[* In corpore.]

α) *legis.* – F et tertia; om.
β) *foro.* – *venientes* addunt PsH. Post *multa* P addit *sunt.*
γ) *Israel.* – Tertia praeter G; *Ierusalem.* Cf. art. 5 1 arg.
δ) *turbis.* – *ad baptismum* addunt F et tertia.
ε) *Unde.* – *ibidem* addunt Pc.
ζ) *qui.* – Om. tertia; pro *postea, post* tertia; pro *deinde, demum* H et editiones; post *remissionem* P addit *peccatorum.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Conveniens fuit Ioannem baptizare.* Probatur quadrupliciter. Littera ordinata est et clara.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM BAPTISMUS IOANNIS FUERIT A DEO

IV *Sent.*, dist. II, qu. II, art. 1, qu[a] 3; *In Matth.*, cap. XXI.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod baptismus Ioannis non fuit a Deo. Nihil enim sacramentale quod est a Deo, denominatur ab homine puro: sicut baptismus novae legis non dicitur Petri vel Pauli, sed Christi * [Cf. I *ad Cor.*, cap. I, vers. 12 sqq.]. Sed ille baptismus denominatur a Ioanne: secundum illud Matth. XXI * [Vers. 25.]: *Baptismus Ioannis e caelo erat* [α]? *an ex hominibus?* Ergo baptismus Ioannis non fuit a Deo.

2. Praeterea, omnis doctrina de novo a Deo procedens aliquibus signis confirmatur: unde et Dominus, *Exod.* IV, dedit Moysi potestatem signa faciendi; et *Heb.* II * [Vers. 3, 4.] dicitur quod, *cum fides nostra principium accepisset enuntiari a Domino* [β], *per eos qui audierunt in nos confirmata est, contestante Deo signis et prodigiis.* Sed de Ioanne Baptista dicitur, Ioan. X * [Vers. 41.]: *Ioannes signum fecit nullum.* Ergo videtur quod baptismus quo baptizavit, non esset a Deo.

3. Praeterea, sacramenta quae sunt divinitus instituta, aliquibus sacrae Scripturae praeceptis continentur. Sed baptismus Ioannis non praecipitur aliquo praecepto sacrae Scripturae. Ergo videtur quod non fuerit [γ] a Deo.

Sed contra est quod dicitur Ioan. I * [Vers. 33.]: *Qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum,* etc.

Respondeo dicendum quod in baptismo Ioannis duo possunt considerari: scilicet ipse ritus baptizandi, et effectus baptismi. Ritus quidem baptizandi non fuit ab hominibus, sed a Deo, qui familiari Spiritus Sancti revelatione Ioannem ad baptizandum misit * [Cf. arg. *Sed contra.*]. Effectus autem illius baptismi fuit ab homine [δ]: quia nihil in illo baptismo efficiebatur quod homo facere non posset. Unde non fuit a solo Deo: nisi inquantum Deus in homine operatur.

Ad primum ergo dicendum quod per baptismum novae legis homines interius per Spiritum Sanctum baptizantur, quod facit solus Deus. Per baptismum autem Ioannis solum corpus mundabatur aqua. Unde dicitur Matth. III * [Vers. 11.]: *Ego baptizo vos in aqua: ille vos baptizabit in Spiritu Sancto.* Et ideo baptismus Ioannis denominatur ab ipso: quia scilicet nihil in eo agebatur quod ipse non ageret. Baptismus autem novae legis non denominatur a ministro, qui principalem baptismi effectum non agit, scilicet interiorem emundationem.

Ad secundum dicendum quod tota doctrina et operatio Ioannis ordinabatur ad Christum, qui multitudine signorum et suam doctrinam et Ioannis confirmavit. Si autem Ioannes signa fecisset, homines ex aequo Ioanni et Christo attendissent [ε]. Et ideo, ut homines principaliter Christo attenderent [ζ], non est datum Ioanni ut faceret signum. Iudaeis tamen quaerentibus quare baptizaret, confirmavit suum officium auctoritate Scripturae, dicens: *Ego vox clamantis in deserto,* etc., ut dicitur Ioan. I * [Vers. 19...]. Ipsa etiam austeritas vitae eius ** [Matth. ca... vers. 4.] officium eius commendabat: quia, ut Chrysostomus dicit, *super Matth.* * [Homil. X...], *mirabile erat in humano corpore tantam patientiam* [η] *videre.*

Ad tertium dicendum quod baptismus Ioannis non fuit ordinatus a Deo nisi ut modico tempore duraret, propter causas praedictas * [Art. prae...]. Et ideo non fuit commendatus aliquo praecepto communiter tradito [θ] in sacra Scriptura, sed familiari quadam revelatione Spiritus Sancti, ut dictum est * [In corpor...].

α) *e coelo erat.* – *de coelo erat* GH*bc*, *unde erat e coelo* P.
β) *enuntiari a Domino.* – *enuntiari a Deo* E, *enarrari a Domino* GH*b*, *enarrari a Deo* P. Cf. qu. VII art. 7 ζ.
γ) *fuerit.* – Tertia; *sit.*
δ) *ab homine.* – EFsD et tertia; *adhuc* ABC, *ad hunc* pD, *adhuc solius hominis* ed. *a.*
ε) *attendissent.* – PDFI; *accessissent.*
ζ) *attenderent.* – *intenderent* Ca et tertia.
η) *patientiam.* – PGHI *poenitentiam.* Cf. qu. XL art. 2 arg. 1.
θ) *tradito.* – *edito* tertia praeter I.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus quaestionem a Domino Pharisaeis propositam * [Matth. cap. XXI, vers. 25.] movet.

In corpore unica est distinctio bimembris, cum conclusione bimembri. Distinctio est. Baptismus Ioannis vel quoad eius ritum: vel quoad eius effectum.

Conclusio est. *Baptismus Ioannis, quoad ritum, erat a Deo: quoad proprium effectum, fuit ab homine.* Probatur quoad primam partem: quia ex instinctu Spiritus Sancti baptizabat, dicente ipso, Ioan. I: *Qui me misit baptizare in aqua.* – Quoad secundam partem: quia nihil efficiebat quod homo efficere non potuisset; hoc est, quia non conferebat aliquod spirituale.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM IN BAPTISMO IOANNIS GRATIA DARETUR

IV *Sent.*, dist. II, qu. II, art. 2.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod in baptismo Ioannis gratia daretur. Dicitur enim Marci I * [Vers. 4.]: *Fuit Ioannes in deserto baptizans, et praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum.* Poenitentia autem et remissio peccatorum est per gratiam. Ergo baptismus Ioannis gratiam conferebat.

2. Praeterea, baptizandi a Ioanne *confitebantur peccata sua:* ut habetur Matth. III * [Vers. 6.] et Marci I ** [Vers. 5.]. Sed confessio peccatorum ordinatur ad remissionem [α], quae fit per gratiam. Ergo in baptismo Ioannis gratia conferebatur.

3. Praeterea, baptismus Ioannis propinquior erat baptismo Christi quam circumcisio. Per circumcisionem autem remittebatur peccatum originale: quia, ut Beda dicit * [Homil. X, *in Circumcis.*], *idem salutiferae curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus* [β] *agebat, quod nunc baptismus agere revelatae gratiae tempore consuevit.* Ergo multo magis baptismus Ioannis remissionem peccatorum operabatur. Quod sine gratia fieri non potest.

Sed contra est quod Matth. III * [Vers. 11.] dicitur: *Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam.* Quod exponens Gregorius, in quadam homilia * [Homil. VII *in Evang.*], dicit: *Ioannes non in Spiritu, sed in aqua baptizat: quia peccata solvere non valebat.* Sed gratia est a Spiritu Sancto: et per eam peccata tolluntur. Ergo baptismus Ioannis gratiam non conferebat.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est * [Art. praeced., ad 2.], tota doctrina et operatio Ioannis praeparatoria erat ad Christum: sicut ministri et inferioris artificis est praeparare materiam ad formam, quam inducit principalis artifex. Gratia autem conferenda erat hominibus per Christum: secundum illud Ioan. I * [Vers. 17.]: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* Et ideo baptismus Ioannis gratiam non conferebat: sed solum ad gratiam praeparabat, tripliciter. Uno quidem modo, per doctrinam Ioannis, inducentem homines ad fidem Christi. Alio modo, assuefaciendo homines ad ritum baptismi Christi [γ]. Tertio modo, per poenitentiam, praeparando homines ad suscipiendum effectum baptismi Christi.

Ad primum ergo dicendum quod in illis verbis, ut Beda dicit * [Expos. in Marc. lib. I, ad cap. I, vers. 4.], potest intelligi duplex baptismus poenitentiae [δ]. Unus quidem, quem Ioannes baptizando conferebat: qui scilicet baptismus dicitur *poenitentiae,* etc. [ε], quia scilicet ille baptismus erat quoddam inductivum ad poenitentiam, et quasi quaedam protestatio qua profitebantur homines se poenitentiam acturos. Alius autem est baptismus Christi, per quem peccata remittuntur: quem Ioannes dare non poterat, sed solum praedicabat, dicens: *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto* * [Marc. cap. I, vers. 8; Matth. cap. III, vers. 11.].

Vel potest dici quod praedicabat *baptismum poenitentiae,* idest, inducentem ad poenitentiam: quae quidem poenitentia ducit homines *in remissionem peccatorum.*

Vel potest dici quod *per baptismum Christi,* ut Hieronymus dicit * [Expos. in Marc., ad cap. I, vers. 4. – Inter Opp. Hieronym.], *gratia datur, qua peccata gratis dimittuntur: quod autem consummatur per Sponsum, initiatur per paranymphum,* scilicet per Ioannem * [Cf. Ioan. cap. III, vers. 29.]. Unde dicitur quod *baptizabat et praedicabat baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum,* non ideo [ζ] quia hoc ipse perficeret, sed quia hoc inchoabat praeparando [η].

Ad secundum dicendum quod illa confessio peccatorum non fiebat ad remissionem peccatorum statim per baptismum Ioannis exhibendam: sed consequendam per poenitentiam consequentem, et baptismum Christi, ad quem poenitentia illa praeparabat.

Ad tertium dicendum quod circumcisio instituta erat in remedium originalis peccati. Sed baptismus Ioannis ad hoc non erat institutus, sed solum erat praeparatorius ad baptismum Christi, ut dictum est * [In corpore, et art. 1.]. Sacramenta autem ex vi institutionis suum habent effectum.

α) *remissionem.* – *peccatorum remissionem* PGI, *remissionem peccatorum* EF*abc.* – *fit* EF et tertia; *fuit.*
β) *originalis peccati vulnus.* – Tertia; *originale peccati vulnus* F, *originale vulnus peccati* ceteri.
γ) *Christi.* – H et editiones; om.
δ) *poenitentiae.* – Om. tertia.
ε) *scilicet... etc.* – *dicitur baptismus poenitentiae* tertia.
ζ) *ideo.* – Om. F et tertia.
η) *hoc inchoabat praeparando.* – *praeparando ad hoc homines disponebat* H et editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore unica conclusio trimembris: *Baptismus Ioannis non conferebat gratiam, sed praeparabat ad eam tripliciter.*

Probatur conclusio, primo, quoad primas partes simul. Tota doctrina et operatio Ioannis erat praeparatoria ad Christum, per quem conferenda erat gratia. Ergo baptismus Ioannis non conferebat gratiam, sed praeparabat ad illam. – Antecedens, quoad primam eius partem, ex dictis patet. Quoad secundam vero, Ioan. I: *Gratia per Iesum Christum facta est.* – Consequentia vero probatur. Quia ministri ac inferioris artificis non est inducere formam principalis artificis, sed praeparare ad illam.

Deinde conclusio declaratur quoad ultimam partem, tripliciter: scilicet per doctrinam, ad fidem; per baptizationem, ad ritum baptismi; per poenitentiam, ad gratiam effectus baptismi.

II. In responsione ad primum, differentia inter expositionem primam ex Beda, et tertiam ex Hieronymo, est, quia in prima ad duo baptismata referuntur illa duo verba, *baptizare* et *praedicare,* primum ad baptismum

Ioannis, secundum ad baptismum Christi; in tertia vero ad idem baptisma, scilicet Ioannis, referuntur ambo; et verificatur quod dispositive in remissionem peccatorum baptizabat, et praedicabat ad perfectionem gratiae per Christum.

Et si quaerat novitius: In quo ergo differt tertia a secunda expositione? – respondeatur quod tertia ordinem Ioannis ad Christum respicit: et ideo illud idem quod Christus perfecturus erat, Ioannes inchoative facere dicitur. Secunda autem ordinem baptismi dati a Ioanne ad poenitentiam respicit: et ideo dicitur quod et baptizabat et praedicabat baptismum suum poenitentiae, hoc est, inducentem ad poenitentiam, per quam fit remissio peccatorum.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM BAPTISMO IOANNIS SOLUS CHRISTUS DEBUERIT BAPTIZARI

IV *Sent.*, dist. II, qu. II, art. 3, qu^a^ 2.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod baptismo Ioannis solus Christus debebat baptizari. Quia, sicut dictum est * [* Art. 1.], *ad hoc Ioannes baptizavit ut Christus baptizaretur*: sicut Augustinus dicit, *super Ioan.* * [* Tract. XIII.] Sed quod est proprium Christo, non debet aliis convenire. Ergo nulli alii debuerunt illo baptismo baptizari.

2. Praeterea, quicumque baptizatur, aut accipit aliquid a baptismo, aut baptismo aliquid confert. Sed a baptismo Ioannis nullus aliquid accipere poterat: quia in eo gratia non conferebatur, ut dictum est * [* Art. 3.]. Nec aliquis baptismo aliquid conferre poterat nisi Christus, qui *tactu mundissimae suae carnis aquas sanctificavit* * [* Mag. IV *Sent.*, dist. III, cap. *Si vero*. - Cf. Bed. *Expos. in Luc.* lib. I, ad cap. III, vers. 21.]. Ergo videtur quod solus Christus baptismo Ioannis debuerit baptizari.

3. Praeterea, si alii illo baptismo baptizabantur, hoc non erat nisi ut praepararentur ad baptismum Christi: et sic conveniens videbatur quod, sicut baptismus Christi omnibus confertur, et magnis et parvis, et gentilibus et Iudaeis, ita etiam et baptismus Ioannis conferretur. Sed non legitur quod ab eo pueri baptizarentur, nec etiam gentiles: dicitur enim Marci I * [* Vers. 5.], quod *egrediebantur ad eum Ierosolymitae* ^α^ *universi, et baptizabantur ab illo*. Ergo videtur quod solus Christus a Ioanne debuit baptizari.

Sed contra est quod dicitur Luc. III * [* Vers. 21.]: *Factum est, cum baptizaretur omnis populus, et Iesu baptizato et orante, aperti sunt caeli.*

Respondeo dicendum quod duplici de causa oportuit alios a Christo baptizari baptismo Ioannis. Primo quidem, ut Augustinus dicit, *super Ioan.* * [* Tract. IV.], quia, *si solus Christus baptismo Ioannis baptizatus esset, non defuissent qui dicerent baptismum Ioannis, quo Christus est baptizatus, digniorem esse baptismo Christi, quo alii baptizantur.*

Secundo, quia oportebat per baptismum Ioannis alios ad baptismum Christi praeparari, sicut dictum est * [* Art. 1, 3.].

Ad primum ergo dicendum quod non propter hoc solum fuit Ioannis baptismus institutus ut Christus baptizaretur, sed etiam propter alias causas, ut dictum est * [* Art. 1.]. Et tamen, si ad hoc solum esset institutus ut Christus eo baptizaretur, oportebat praedictum inconveniens * [* Cf. corp.] vitari, aliis hoc baptismo baptizatis.

Ad secundum dicendum quod alii qui ad baptismum Ioannis accedebant, non poterant quidem baptismo aliquid conferre: nec tamen a baptismo gratiam accipiebant, sed solum poenitentiae signum.

Ad tertium dicendum quod ille baptismus erat *poenitentiae* * [* Cf. art. pr...], quae pueris non convenit: ideo pueri illo baptismo non baptizabantur. – Conferre autem gentibus viam salutis soli Christo reservabatur, qui est *Expectatio Gentium*, ut dicitur *Gen.* penult. * [* Vers. 10.] Sed et ipse Christus Apostolis inhibuit gentibus Evangelium praedicare, ante passionem et resurrectionem * [* Matth. ca... vers. 5.]. Unde multo minus conveniebat per Ioannem gentiles ad baptismum admitti.

α) *Ierosolymitae.* – *Israelitae* omnes. Cf. art. 1, γ.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Baptismo Ioannis alii debuerunt baptizari.* Probatur dupliciter. Littera clara est.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM BAPTISMUS IOANNIS CESSARE DEBUERIT POSTQUAM CHRISTUS EST BAPTIZATUS

Infra, qu. XXXIX, art. 3. ad 4; IV *Sent.*, dist. II, qu. II, art. 1, qu^a^ 4; *In Ioan.*, cap. III, lect. IV.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod baptismus Ioannis cessare debuerit postquam Christus est baptizatus. Dicitur enim ^α^ * [* Vers. 31.] Ioan. I: *Ut manifestetur Israeli, propterea veni in aqua baptizans.* Sed, Christo baptizato, sufficienter fuit manifestatus: tum per testimonium Ioannis; tum per descensum columbae; tum etiam testimonio paternae vocis * [* Matth. ca... vers. 11 ...; Marc. cap. I, 7 sqq.; Luc. III, vers. 16 ...; Ioan. cap. I, 20 sqq.]. Ergo

α) *Dicitur enim.* – PFac; *Dicit enim Ioannes* I, *Dicit enim* ceteri.

non videtur quod postea debuerit baptismus Ioannis durare.

* Tract. IV.
2. Praeterea, Augustinus dicit, *super Ioan.* *: *Baptizatus est Christus, et cessavit Ioannis baptismus.* Ergo videtur quod Ioannes, post Christum baptizatum, non debuerit baptizare.

3. Praeterea, baptismus Ioannis erat praeparatorius ad baptismum Christi. Sed baptismus Christi incoepit statim Christo baptizato: quia *tactu suae mundissimae carnis vim regenerativam contulit aquis,* ut Beda dicit *. Ergo videtur quod baptismus Ioannis cessaverit, Christo baptizato.

* Aug. IV Sent., d. III, cap. Si ... - Cf. Bed. Hom. in Luc. ... I, ad cap. III, vers. 21.
* vers. 22, 23.

Sed contra est quod dicitur Ioan. III *: *Venit Iesus in Iudaeam terram et baptizabat: erat autem et Ioannes baptizans.* Sed Christus non baptizavit priusquam [β] fuit baptizatus. Ergo videtur quod, postquam fuit Christus baptizatus, adhuc Ioannes baptizabat.

* Homil. XXIX. ... XXVIII, in ...

Respondeo dicendum quod baptismus Ioannis cessare non debuit, Christo baptizato. Primo quidem quia, ut Chrysostomus dicit *, *si cessasset Ioannes baptizare,* Christo baptizato, *existimaretur quod zelo vel ira faceret.* – Secundo quia, si cessasset a baptismo, Christo baptizante, *discipulos suos in maiorem zelum misisset* *. – Tertio quia, persistens in baptizando, *suos auditores mittebat ad Christum* *. – Quarto quia, ut Beda ** dicit, *adhuc permanebat umbra veteris legis: nec debet praecursor cessare donec veritas manifestetur.*

* Ibid.
* Ibid.
** Gloss. Ordin sine nom. in Ioann. cap. III, vers. 23, ex Scot. Erig. *Comment. in Ioann.* ibid.

Ad primum ergo dicendum quod nondum Christus erat plene manifestatus, eo baptizato. Et ideo adhuc necessarium erat quod Ioannes baptizaret.

Ad secundum dicendum quod, baptizato Christo, cessavit baptismus Ioannis: non tamen statim, sed eo incarcerato. Unde Chrysostomus dicit, *super Ioan.* *: *Aestimo propter hoc permissam esse mortem Ioannis, et, eo sublato de medio, Christum maxime praedicare coepisse, ut omnis multitudinis affectio ad Christum transiret, et non ultra his quae de utroque erant sententiis scinderentur* [γ].

* Loc. cit.

Ad tertium dicendum quod baptismus Ioannis praeparatorius erat, non solum ad hoc quod Christus baptizaretur, sed ad hoc quod alii ad Christi baptismum accederent. Quod nondum fuit impletum, Christo baptizato.

β) *priusquam.* – *nisi postquam.* tertia.

γ) *scinderentur.* – *scinderetur* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Baptismus Ioannis non debuit cessare, Christo baptizato.* Probatur quadrupliciter.

In prima ratione, ex Chrysostomo, adverte, Novitie, quod si, Christo baptizato, Ioannes cessasset, putari potuisset quod tantae Christi excellentiae in baptismo monstratae invidisset Ioannes; et, cessando a baptismo, vel dedignaretur subministrare Christo amplius per baptismum, praeparando ad ipsum; vel ipsa cessatio vindicaret suam minoritatem apparentem ex tanta manifestata Christi excellentia in baptismo. Uterque siquidem motus, invidiae scilicet et irae, poterat consurgere et ad cessationem inducere. – Reliqua sunt clara.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM BAPTIZATI BAPTISMO IOANNIS FUERINT BAPTIZANDI BAPTISMO CHRISTI

Infra, qu. LXVI, art. 9, ad 2; IV *Sent.*, dist. II, qu. II, art. 4; Expos. litt.; *In Matth.*, cap. III.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod baptizati baptismo Ioannis non fuerint baptizandi baptismo Christi. Ioannes enim non fuit minor Apostolis: cum de eo scriptum sit, Matth. XI *: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Sed illi qui baptizabantur ab Apostolis, non rebaptizabantur iterum [α], sed solummodo addebatur eis impositio manuum: dicitur enim *Act.* VIII *, quod aliqui *tantum baptizati erant* a Philippo *in nomine Domini Iesu: tunc* Apostoli, scilicet Petrus et Ioannes, *imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* Ergo videtur quod baptizati a Ioanne non debuerint baptizari baptismo Christi.

* Vers. 11.
* Vers. 16, 17.

2. Praeterea, Apostoli fuerunt baptizati baptismo Ioannis: fuerunt enim quidam eorum discipuli Ioannis, ut patet Ioan. I *. Sed Apostoli non videntur baptizati baptismo Christi: dicitur enim Ioan. IV *, quod *Iesus non baptizabat, sed discipuli eius.* Ergo videtur quod baptizati baptismo Ioannis non erant baptizandi baptismo Christi.

* Vers. 37.
* Vers. 2.

3. Praeterea, minor est qui baptizatur quam qui baptizat. Sed ipse Ioannes non legitur baptizatus baptismo Christi. Ergo multo minus illi qui a Ioanne baptizabantur, indigebant baptismo Christi baptizari [β].

4. Praeterea, *Act.* XIX * dicitur quod *Paulus invenit quosdam de discipulis, dixitque ad eos: Si Spiritum Sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus. Ille vero ait: In quo* [γ] *baptizati estis? Qui dixerunt: In Ioannis baptismate.* Unde [δ] *baptizati sunt* iterum *in nomine Domini nostri Iesu Christi.* Sic ergo videtur quod, quia Spiritum Sanctum nesciebant, quod oportuerit eos iterum baptizari: sicut Hieronymus dicit, *super Ioelem* *,

* Vers. 1-5.
* Cap. II, vers. 28

α) *rebaptizabantur iterum.* – *iterum baptizabantur* P, *baptizabantur iterum* cetera tertia et *a*. Cf. qu. LXVI art. 9 α δ.

β) *baptizari.* – Om. DFH et editiones; *indigebant... baptizari* om. G.

γ) *In quo.* – *ergo* addit tertia praeter *b*.

δ) *Unde.* – *Et sequitur unde* F, *Et sequitur quod* tertia praeter I.

[* Epist. LXIX, al. LXXXIII, *ad Ocean.*, num. 6. * Cap. III.] et in Epistola *de Viro unius uxoris* *; et Ambrosius, in libro *de Spiritu Sancto* *. Sed quidam fuerunt baptizati baptismo Ioannis qui habebant plenam notitiam Trinitatis. Ergo non erant baptizandi iterum baptismo Christi.

5. Praeterea, *Rom.* x, super [ε] illud, *Hoc est verbum fidei quod praedicamus* *, dicit Glossa ** Augustini: *Unde est ista virtus aquae ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur?* Ex quo patet quod virtus baptismi dependet ex fide. Sed forma baptismi Ioannis significavit fidem in qua nos baptizamur: dicit enim Paulus, *Act.* xix *: *Ioannes baptizabat baptismo poenitentiae populum, dicens in eum qui venturus est post ipsum ut crederent, hoc est, in Iesum.* Ergo videtur quod non oportebat baptizatos baptismo Ioannis iterum baptizari baptismo Christi. [* Vers. 8. ** Ord.; * Vers. 4.]

Sed contra est quod Augustinus dicit, *super Ioan.* *: *Qui baptizati sunt baptismate Ioannis, oportebat ut baptizarentur baptismate Domini.* [* Tract. V, num. 5.]

Respondeo dicendum quod secundum opinionem Magistri, in IV *Sent.*, *illi qui baptizati sunt a Ioanne nescientes Spiritum Sanctum esse, ac* [ζ] *spem ponentes in illius baptismo, postea baptizati sunt baptismo Christi: illi vero qui spem non posuerunt in baptismo Ioannis, et Patrem et Filium et Spiritum Sanctum credebant, non fuerunt postea baptizati, sed, impositione manuum ab Apostolis super eos facta, Spiritum Sanctum receperunt.*

Et hoc quidem verum est quantum ad primam partem: quod multis auctoritatibus confirmatur. Sed quantum ad secundam partem, est penitus irrationabile quod dicitur. Primo quidem, quia baptismus Ioannis neque gratiam conferebat, neque characterem imprimebat, sed erat solum *in aqua*, ut ipse dicit, Matth. iii *. Unde baptizati [η] fides vel spes quam habebat in Christum, non poterat hunc defectum supplere. [* Vers. 11.]

Secundo quia, quando in sacramento omittitur quod est de necessitate sacramenti, non solum oportet suppleri quod fuerat omissum, sed oportet totaliter innovari. Est autem de necessitate baptismi Christi quod fiat non solum in aqua, sed etiam in Spiritu Sancto: secundum illud Ioan. iii *: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Unde illis qui tantum in aqua baptizati erant baptismo Ioannis, non solum erat supplendum quod deerat, ut scilicet daretur eis Spiritus Sanctus per impositionem manuum: sed erant iterato totaliter baptizandi *in aqua et Spiritu Sancto.* [* Vers. 5.]

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Augustinus dicit, *super Ioan.* *, *ideo post Ioannem baptizatum est* [θ], *quia non dabat baptisma Christi, sed suum. Quod autem dabatur a Petro, et si quod datum est a Iuda, Christi erat. Et ideo, si quos baptizavit Iudas, non sunt iterum baptizandi: baptisma enim* * *tale est qualis est ille in cuius potestate datur; non qualis ille cuius ministerio datur.* Et inde est etiam quod baptizati a Philippo Diacono, qui baptismum Christi dabat, non sunt iterum baptizati, sed acceperunt manus impositionem per Apostolos: sicut baptizati per sacerdotes confirmantur per episcopos. [* Tract. V, num. 18. * Ibid. num.]

Ad secundum dicendum quod, sicut Augustinus dicit, *ad Seleucianum* *, *intelligimus discipulos Christi fuisse baptizatos, sive baptismo Ioannis, sicut nonnulli arbitrantur: sive, quod magis credibile est, baptismo Christi. Neque enim ministerio baptizandi defuit, ut haberet baptizatos servos per quos ceteros baptizaret, qui non defuit humilitatis ministerio quando eis pedes lavit.* [* Epist. CC..., al. CVIII.]

Ad tertium dicendum quod, sicut Chrysostomus dicit, *super Matth.* *, *per hoc quod Christus Ioanni dicenti, « Ego a te debeo baptizari », respondit, « Sine modo », ostenditur quia postea Christus baptizavit Ioannem.* Et hoc dicit *in quibusdam libris apocryphis manifeste scriptum esse.* – Certum tamen est, ut Hieronymus dicit, *super Matth.* *, quod, *sicut Christus baptizatus fuit in aqua a Ioanne; ita Ioannes a Christo erat in Spiritu baptizandus.* [* Op. Imperf. in Matth., h... IV. - Inter... Chrys. * Cap. III, 13. - Com... lib. II.]

Ad quartum dicendum quod non est tota causa quare illi fuerunt baptizati post baptismum [ι] Ioannis, quia Spiritum Sanctum non cognoverant: sed quia non erant baptismo Christi baptizati.

Ad quintum dicendum quod, sicut Augustinus dicit, *contra Faustum* *, sacramenta nostra sunt signa praesentis gratiae: sacramenta vero veteris legis fuerunt signa gratiae futurae. Unde ex hoc ipso quod Ioannes baptizavit in nomine venturi, datur intelligi quod non dabat baptismum Christi, qui est sacramentum novae legis. [* Lib. XIX, XIII, XVIII.]

ε) *super.* – Ea et tertia; *legitur super* ABCD, *legitur quod super* F. – Pro *ista virtus, illa virtus bc, ista tanta virtus* PI.

ζ) *ac.* – Tertia; *nec.*

η) *baptizati.* – *baptizatis* editiones; pro *habebat, habebant* Pc.

θ) *ideo post Ioannem baptizatum est.* – PF; *baptizatum* ABC, *baptizant* D, *baptizabat Ioannes baptizatum* E, *ideo post Ioannem batum (baptizatur* sH) GH*bc*, *ideo baptizati a Ioanne rebaptizantur* I, *quod Ioannes* ed. *a.*

ι) *post baptismum.* – Tertia; *a baptismo* C, *baptismo* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore duo fiunt: primo, recitatur opinio Magistri Sententiarum; secundo, respondetur quaesito. Opinio Magistri distinguit dupliciter dispositionem baptizatorum a Ioanne, ut patet in littera: et quosdam rebaptizandos baptismo Christi, et quosdam non, dicit.

Quoad secundum, Auctor simpliciter dicit quod *omnes baptizati a Ioanne baptizandi erant baptismo Christi.* Et propterea pro una parte consentit Magistro, pro alia contradicit. Et probat universalem dupliciter. Primo, ex parte effectus insupplibilis per fidem, spem et caritatem, scilicet characteris, qui per Christi baptismum imprimitur. – Secundo, ex parte essentialis partis ipsius baptismi deficientis, scilicet Spiritus. – Omnia patent in littera.

II. In responsione ad secundum et tertium, adverte quod de baptismo Christi materiali passive accepto a Ioanne et Apostolis, non habetur clare in Scriptura pars affirmativa. Sed rationabile est quod baptizati a Christo fuerint: ut Ioannes impleret debitum suum, *Ego a te debeo baptizari;* et Apostoli, baptizantes Christi baptismo, primo fuerint baptizati, ut Augustinus arguit, et bene. Nec aliquid ap-

* ers. 5. paret obstare: nisi forte verbum Christi *Act.* I *: *Ioannes baptizavit aqua: vos autem baptizabimini Spiritu Sancto.* Sed revera hoc non obstat. Tum quia per hoc non excluditur eos baptizatos esse baptismo Christi: licet de Ioannis baptismo tantum mentio fiat. Tum quia in promptu ratio est quare Ioannis baptismi solius meminit Christus: quia scilicet donum Spiritus Sancti non distinguitur contra ba-
* ers. 5. ptismum Christi, qui fit *in aqua et Spiritu,* Ioan. III *; sed contra baptismum Ioannis, qui fiebat solum *in aqua,* ipso Ioanne teste, distinguente baptismum suum contra
* ers. 11. baptismum in *Spiritu Saucto,* Matth. III *.

III. In responsione ad quintum, dubium occurrit, quia aliud est loqui de gratia futura: et aliud de Christo venturo. Potuit enim gratia praesens esse ex fide Christi venturi: ut patet in sanctis illis qui praecesserunt Christi adventum. Littera autem pro eodem habet Christum venturum, et gratiam futuram. Incompacta ergo videtur.

Ad hoc dicitur quod littera est intelligenda iuxta subiectam materiam de qua est sermo, scilicet de sacramentis. Ex illa siquidem differentia ab Augustino posita inter sacramenta novae et veteris legis, quod nostra presentis, vetera futurae gratiae sunt signa, manifeste sequitur quod nostra praesentis Christi, *per quem gratia facta est,* Ioan. I *; * Vers. 17.
illa venturi Christi signa erant. Et propterea Ioannis baptisma sapiebat in hoc sacramenta veteris legis, quod in nomine venturi Christi dabatur. Unde et Paulus iussit *in nomine Domini nostri Iesu Christi* simpliciter et absolute, et non *venturi,* illos baptizari qui Ioannis baptismum susceperant, *Act.* XIX *. * Vers. 1-5.



QUAESTIO TRIGESIMANONA

DE BAPTIZATIONE CHRISTI

IN OCTO ARTICULOS DIVISA

Deinde considerandum est de baptizatione Christi *.

* Cf. qu. xxxviii, Introd.

Et circa hoc quaeruntur octo.

Primo: utrum Christus debuerit baptizari.
Secundo: utrum debuerit baptizari baptismo Ioannis.
Tertio: de tempore baptismi.
Quarto: de loco.
Quinto: de hoc quod sunt ei caeli aperti.
Sexto: de Spiritu Sancto apparente in specie columbae.
Septimo: utrum illa columba fuerit verum animal.
Octavo: de voce paterni testimonii.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM FUERIT CONVENIENS CHRISTUM BAPTIZARI

IV *Sent.*, dist. vii, qu. iii, art. 2, qu^a 1; *In Matth.*, cap. iii.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non fuerit conveniens Christum baptizari. Baptizari enim est ablui. Sed Christo non convenit ablui, in quo nulla fuit impuritas. Ergo videtur quod Christum non decuerit baptizari.

2. Praeterea, Christus circumcisionem suscepit ut impleret legem. Sed baptismus non pertinebat ad legem. Ergo non debebat baptizari.

3. Praeterea, primum movens in quolibet genere est immobile secundum illum motum *: sicut caelum, quod est primum alterans, non est alterabile. Sed Christus est primum baptizans: secundum illud *: *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem, hic est qui baptizat.* Ergo Christum non decuit baptizari.

Sed contra est quod dicitur Matth. iii *, quod *venit Iesus a Galilaea in Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo.*

Respondeo dicendum quod conveniens fuit Christum baptizari. Primo quidem quia, ut Ambrosius dicit, *super Luc.* *, *baptizatus est Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas, ut, ablutae per carnem Christi, quae peccatum non cognovit, baptismatis vim haberent:* et *ut sanctificatas* [α] *relinqueret postmodum baptizandis,* sicut Chrysostomus dicit *.

* Aristot. *Physic.* lib. VIII, cap. v, n. 6. - S. Th. lect. ix.
* Ioan. cap. i, vers. 33.
* Vers. 13.
* *Exposit.* lib. II, ad cap. iii, vers. 21, num. 83.
* *Op. Imperf. in Matth.*, homil. IV. - Inter Opp. Chrys.

Secundo, sicut Chrysostomus dicit, *super Matth.* *, *quamvis Christus non esset peccator, tamen naturam suscepit peccatricem, et « similitudinem carnis peccati ». Propterea, etsi pro se baptismate non indigebat, tamen in aliis carnalis natura opus habebat.* Et, sicut Gregorius Nazianzenus dicit *, *baptizatus est Christus ut totum veteranum Adam immergat aquae.*

Tertio, baptizari voluit, sicut Augustinus dicit, in Sermone *de Epiphania* *, *quia voluit facere quod faciendum omnibus imperavit.* Et hoc est quod ipse dicit: *Sic decet nos adimplere omnem iustitiam* *. Ut enim Ambrosius dicit, *super Luc.* **, *haec est iustitia, ut quod alterum facere velis, prius* [β] *ipse incipias, et tuo alios horteris exemplo.*

Ad primum ergo dicendum quod Christus non fuit baptizatus ut ablueretur, sed ut ablueret, sicut dictum est *.

Ad secundum dicendum quod Christus non solum debebat implere ea quae sunt legis veteris, sed etiam inchoare ea quae sunt novae. Et ideo non solum voluit circumcidi, sed etiam baptizari.

Ad tertium dicendum quod Christus est primum baptizans spiritualiter. Et sic non est baptizatus: sed solum in aqua.

* Ibid
* Orat. XX[...] *In Sanct. Lu*[...] num. 15.
* Append. Ambros., S[...] XII, al. *de S*[...] *phan.* V; Opp. Aug. S[...] CXXXVI. [...] *Tempore* X[...] Maxim. T. [...] Homil. XX[...] *de Bapt.* C[...] II.
* Matth. c[...] vers. 15.
** Loc. cit. s[...] num. 90.
* In corpo[...]

α) *sanctificatas.* – *aquas* addunt E et tertia.

β) *prius.* – *prior* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore unica conclusio: *Conveniens fuit Christum baptizari.* Probatur tripliciter. Omnia sunt clara.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CHRISTUM DECUERIT BAPTIZARI BAPTISMO IOANNIS

IV *Sent.*, dist. II, qu. II, art. 3, qu[a] 1; *In Matth.*, cap. III.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christum non decuerit α baptizari baptismo Ioannis. Baptismus enim Ioannis fuit *baptismus poenitentiae* *. Sed poenitentia Christo non convenit: quia nullum habuit peccatum. Ergo videtur quod non debuit baptizari baptismo Ioannis.

* ...rc. cap. I, v. 4; Luc. cap. ... vers. 3.

2. PRAETEREA, baptismus Ioannis, sicut dicit Chrysostomus *, *medium fuit inter baptismum Iudaeorum et baptismum Christi.* Sed *medium sapit naturam extremorum* *. Cum ergo Christus non fuerit baptizatus baptismate iudaico β, nec etiam baptismate suo, videtur quod, pari ratione, baptismate Ioannis baptizari non debuerit.

* ...mil. *de Baptismo Christi*, ... 3.
* ...stot. *de Part. Animal.* lib. II, cap. 1.

3. PRAETEREA, omne quod in rebus humanis est optimum, debet attribui Christo. Sed baptismus Ioannis non tenet supremum locum inter baptismata. Ergo non convenit Christum baptizari baptismo Ioannis.

SED CONTRA EST quod dicitur Matth. III *, quod *venit Iesus in Iordanem ut baptizaretur a Ioanne.*

* ...s. 13.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, *super Ioan.* *, *baptizatus Dominus baptizabat non baptismate quo baptizatus est.* Unde, cum ipse baptizaret baptismo proprio, consequens est quod non fuerit baptizatus suo baptismate, sed baptismate Ioannis. Et hoc fuit conveniens, primo quidem, propter conditionem baptismi Ioannis, qui non baptizavit in Spiritu, sed solum *in aqua* *. Christus autem spirituali baptismate non indigebat, qui a principio suae conceptionis gratia Spiritus Sancti repletus fuit, ut patet ex dictis *. Et haec est ratio Chrysostomi *.

* ...ct. XIII.
* ...th. cap. III, ... 11.
* Q. xxxiv, art. 1.
* ... cit in arg. 2.
* ... os in Marc. ... ad cap. I, ... 9: Hieron. ... in Matth. ... I, ad cap. ... rs. 13 sqq.

Secundo, ut Beda dicit *, baptizatus est baptismo Ioannis, *ut baptismo suo baptismum Ioannis comprobaret.*

Tertio, sicut Gregorius Nazianzenus dicit *, *accedit Iesus ad baptismum Ioannis sanctificaturus baptismum.*

* Orat. XXXIX, *In Sanct. Lumin.*, n. 15.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, Christus baptizari voluit ut nos suo exemplo induceret ad baptismum. Et ideo, ad hoc quod esset efficacior eius inductio, voluit baptizari baptismo quo manifeste non indigebat, ut homines ad baptismum accederent quo indigebant. Unde Ambrosius dicit, *super Luc.* *: *Nemo refugiat lavacrum gratiae, quando Christus lavacrum poenitentiae non refugit.*

* Art. praeced.
* *Expos.* lib. II, ad cap. III, vers. 21, num. 91.

AD SECUNDUM DICENDUM quod baptismus Iudaeorum in lege praeceptus *, erat solum figuralis; baptismus autem Ioannis aliqualiter erat realis, inquantum inducebat homines ad abstinendum a peccatis; baptismus autem Christi habet efficaciam mundandi a peccato et gratiam conferendi. Christus autem neque indigebat percipere remissionem peccatorum, quae in eo non erant; neque recipere gratiam, qua plenus erat. Similiter etiam, cum ipse sit *veritas* *, non competebat ei id quod in sola figura gerebatur. Et ideo magis congruum fuit quod baptizaretur baptismo medio quam aliquo extremorum.

* Cf. *ad Heb.* cap. IX, vers. 10.
* Ioan. cap. XIV, vers. 6.

AD TERTIUM DICENDUM quod baptismus est quoddam spirituale remedium. Quanto autem est aliquid magis perfectum, tanto minori remedio indiget. Unde ex hoc ipso quod Christus est maxime perfectus, conveniens fuit quod non baptizaretur perfectissimo baptismo: sicut ille qui est sanus, non indiget efficaci medicina.

α) *Christum non decuerit.* – *Christus non debuerit* Pc. | β) *iudaico.* – *legali* Ha et editiones, *laycali* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. – In corpore duo fiunt. Primo, declaratur quod supponitur Christum baptizatum baptismo Ioannis, ex auctoritate Augustini. Secundo, probatur tripliciter conclusio, scilicet: *Conveniens fuit Christum baptizari baptismo Ioannis.*

Et in tertia ratione, adverte quod ratio tendit ad hoc quod ideo ad baptismum Ioannis non sanctum accedit, ut sanctificet baptismum, non Ioannis, sed novae legis, instituendo sanctificatione aquarum per carnis suae lavacrum baptismum in sanctitatem animarum. Ex tunc enim institutus est baptismus novae legis.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM CONVENIENTI TEMPORE CHRISTUS FUERIT BAPTIZATUS

IV *Sent.*, dist. IV, qu. III, art. 1, qu[a] 2, ad 1; *In Matth.*, cap. III.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non convenienti tempore Christus fuerit baptizatus. Ad hoc enim Christus baptizatus est ut suo exemplo alios ad baptismum provocaret. Sed fideles Christi laudabiliter baptizantur, non solum ante trigesimum annum, sed etiam in infantili aetate. Ergo videtur quod Christus non debuit baptizari in aetate triginta annorum.

2. PRAETEREA, Christus non legitur docuisse,

vel miracula fecisse, ante baptismum. Sed utilius fuisset mundo si pluri [α] tempore docuisset, incipiens a vigesimo anno, vel etiam prius. Ergo videtur quod Christus, qui pro utilitate hominum venerat, ante trigesimum annum debuerat baptizari.

3. PRAETEREA, indicium sapientiae divinitus infusae maxime debuit manifestari in Christo. Est autem manifestatum in Daniele tempore suae pueritiae: secundum illud Dan. XIII * [Vers. 45.]: *Suscitavit Dominus spiritum sanctum* [β] *pueri iunioris, cui nomen Daniel.* Ergo multo magis Christus in sua pueritia debuit baptizari vel [γ] docere.

4. PRAETEREA, baptismus Ioannis ordinatur ad baptismum Christi sicut ad finem. Sed *finis est prior in intentione, et postremum* [δ] *in executione* * [Cf. *Sent. Philosoph.* inter Opp. Bedae.]. Ergo vel debuit primus baptizari a Ioanne, vel ultimus.

SED CONTRA EST quod dicitur Luc. III * [Vers. 21.], *Factum est, cum baptizaretur omnis populus, et Iesu baptizato et orante:* et infra * [Vers. 23.], *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta.*

RESPONDEO DICENDUM quod Christus convenienter fuit in trigesimo anno baptizatus. Primo quidem, quia Christus baptizabatur quasi ex tunc incipiens docere et praedicare: ad quod requiritur perfecta aetas, qualis est triginta annorum. Unde et *Gen.* XLI * [Vers. 46.] legitur quod *triginta annorum erat Ioseph* quando suscepit [ε] regimen Aegypti. Similiter etiam II *Reg.* V * [Vers. 4.] legitur de David quod *triginta annorum erat cum regnare coepisset.* Ezechiel etiam *in anno trigesimo* coepit prophetare, ut habetur Ezech. I * [Vers. 1.].

Secundo quia, sicut Chrysostomus dicit, *super Matth.* * [Homil. X.], *futurum erat ut post baptismum Christi lex cessare inciperet. Et ideo hac aetate Christus ad baptismum venit quae* [ζ] *potest omnia peccata suscipere: ut, lege servata, nullus dicat quod ideo eam solvit quod implere non potuit.*

Tertio, quia per hoc quod Christus in aetate perfecta baptizatur, datur intelligi quod baptismus parit viros perfectos: secundum illud *Ephes.* IV * [Vers. 13.]: *Donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* Unde et ipsa proprietas numeri ad hoc pertinere videtur. Consurgit enim tricenarius numerus ex ductu ternarii in denarium; per ternarium autem intelligitur fides Trinitatis, per denarium autem impletio mandatorum legis; et in his duobus perfectio vitae Christianae consistit.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut Gregorius Nazianzenus dicit * [Orat. XL *In Sanct. Bapt.*, num. 29.], Christus non est baptizatus *quasi indigeret purgatione, nec* [η] *aliquod illi immineret periculum differendo baptismum. Sed cuivis alii non in parvum redundat periculum, si exeat ex hac vita non indutus veste incorruptionis,* scilicet gratia. Et licet bonum sit post baptismum [θ] munditiam custodire, *potius tamen est,* ut ipse dicit * [Ibid. num.], *interdum paulisper maculari, quam gratia omnino carere.*

AD SECUNDUM DICENDUM quod utilitas quae a Christo provenit hominibus praecipue est per fidem et humilitatem: ad quorum utrumque valet quod Christus non in pueritia vel in adolescentia coepit docere, sed in perfecta aetate. Ad fidem quidem, quia per hoc ostenditur in eo vera humanitas [ι], quod per temporum incrementa corporaliter profecit: et ne huiusmodi profectus putaretur esse phantasticus, noluit suam sapientiam et virtutem manifestare ante perfectam corporis aetatem. Ad humilitatem vero, ne ante perfectam aetatem aliquis praesumptuose praelationis gradum et docendi officium assumat.

AD TERTIUM DICENDUM quod Christus proponebatur hominibus in exemplum omnium. Et ideo oportuit in eo ostendi id quod competit omnibus secundum legem communem: ut scilicet in aetate perfecta doceret. Sed, sicut Gregorius Nazianzenus dicit * [Orat. XXXIX *In Sanct. Lu.*, num. 14.], *non est lex Ecclesiae* [κ] *quod raro contingit: sicut « nec una hirundo ver facit ».* Aliquibus enim, ex quadam speciali dispensatione, secundum divinae sapientiae rationem [λ], concessum est, praeter legem communem, ut ante perfectam aetatem officium vel praesidendi vel docendi haberent: sicut Salomon * [III *Reg.*, c. vers. 7.], Daniel ** [Dan., lo. in arg.] et Ieremias * [Ierem. c. vers. 5 sqq.].

AD QUARTUM DICENDUM quod Christus nec primus nec ultimus debuit a Ioanne baptizari. Quia, ut Chrysostomus dicit, *super Matth.* * [*Op. Imp. Matth.*, h. IV. - Inter Chrys.], Christus ad hoc baptizatur *ut confirmaret praedicationem et baptismum Ioannis; et ut testimonium acciperet a Ioanne.* Non autem creditum fuisset testimonio Ioannis nisi postquam multi fuerunt baptizati ab ipso. Et ideo non debuit primus a Ioanne baptizari. – Similiter etiam nec ultimus. Quia, sicut ipse ibidem subdit, *sicut lux solis non expectat occasum Luciferi, sed eo procedente egreditur, et suo lumine obscurat illius candorem; sic et Christus non expectavit ut cursum suum Ioannes impleret, sed, adhuc eo docente et baptizante, apparuit.*

α) *pluri.* – *priori* EH et editiones; *plurimo* I, *pluribus (temporibus)* F. – Pro *docuisset incipiens, docuisse incipiens* ABCpD, *docuisse incepisset* E.
β) *sanctum.* – Om. P.
γ) *vel.* – *et* tertia praeter G.
δ) *postremum.* – *postremus* GIb, *posterius* H, *posterior* Pc.
ε) *suscepit.* – *accepit* tertia. – *regimen* A et editiones; *regnum.*
ζ) *quae.* – HsB; *qui.*
η) *nec.* – *quod* addunt FH et editiones.
θ) *post baptismum.* – *baptismi* PGI.
ι) *ostenditur... humanitas.* – *apparet in eo* (*in eo* om. H) *vera natura humanitatis* H et editiones. – *per temporum* Fa et tertia; *per tempore* E, *pro tempore* ceteri.
κ) *Ecclesiae.* – *communis* tertia praeter I. – *quod* tertia; *quae.*
λ) *rationem.* – *ordinem* H et editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS de tempore Christi aetatis, scilicet anni trigesimi, quaerit.

In corpore una conclusio: *Christus convenienter anno trigesimo fuit baptizatus.* Probatur tripliciter. Omnia clara sunt.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CHRISTUS DEBUERIT BAPTIZARI IN IORDANE

In Matth., cap. III.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus non debuerit baptizari in Iordane. Veritas enim debet respondere figurae. Sed figura baptismi praecessit in transitu maris Rubri, ubi Aegyptii sunt submersi *, sicut peccata delentur in baptismo. Ergo videtur quod Christus magis debuerit baptizari in mari quam in flumine Iordanis.

2. PRAETEREA, *Iordanis* interpretatur *descensus* *. Sed per baptismum aliquis plus ascendit quam descendit [α]: unde et Matth. III * dicitur quod *baptizatus Iesus confestim ascendit de aqua*. Ergo videtur inconveniens fuisse quod Christus in Iordane baptizaretur.

3. PRAETEREA, transeuntibus filiis Israel, aquae Iordanis *conversae sunt retrorsum*: ut legitur *Iosue* IV *, et sicut in Psalmo ** dicitur. Sed illi qui baptizantur, non retrorsum, sed in antea progrediuntur. Non ergo fuit conveniens ut Christus in Iordane baptizaretur.

SED CONTRA EST quod dicitur Marci I *, quod *baptizatus est Iesus a Ioanne in Iordane*.

RESPONDEO DICENDUM quod fluvius Iordanis fuit per quem filii Israel in terram promissionis intraverunt *. Hoc autem habet baptismus Christi speciale prae omnibus baptismatibus, quod introducit in regnum Dei, quod per terram promissionis significatur: unde dicitur Ioan. III *: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*. Ad quod etiam pertinet quod Elias divisit aquas Iordanis, qui [β] erat in curru igneo rapiendus in caelum, ut dicitur IV *Reg.* II *: quia scilicet transeuntibus per aquam baptismi, per ignem Spiritus Sancti patet aditus in caelum. Et ideo conveniens fuit ut Christus in Iordane baptizaretur.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod transitus maris Rubri praefiguravit baptismum quantum ad hoc quod baptismus delet peccata. Sed transitus Iordanis quantum ad hoc quod aperit ianuam regni caelestis: qui est principalior effectus baptismi, et per solum Christum impletus. Et ideo convenientius fuit quod Christus in Iordane quam in mari baptizaretur.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in baptismo est ascensus per profectum gratiae: qui requirit humilitatis descensum, secundum illud Iac. IV *: *Humilibus autem dat gratiam*. Et ad talem descensum referendum est nomen Iordanis.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, in Sermone *de Epiphania* *, *sicut antea aquae Iordanis retrorsum conversae fuerant, ita modo, Christo baptizato, peccata retrorsum conversa sunt*.

Vel etiam per hoc significatur quod, contra descensum aquarum, benedictionum fluvius sursum ferebatur.

* ...d. cap. XIV, v... 22 sqq.; I ...or., cap. X, v... 2.
* ...ron. Epist. ...VIII. aliter ...VII, *de XLII M...sion.*, mans. XL...
* ...rs. 16.
* ...ap. III, vers. 7.
* ... CXIII, vers.
* ...s. 9.
* ... cap. III, IV.
* ... 5.
* Vers. 7 sqq.
* Vers. 6.
* Serm. X, al. *de S. Epiph.* III. - Inter Opp. Ambros.

α) *plus ascendit quam descendit*. – *plus ascendit quam descendat* CD*a*, *ascendit magis quam descendat* tertia.

β) *qui*. – *quando* Pl.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. – In corpore una conclusio: *Conveniens fuit ut Christus in Iordane baptizaretur*: quia per hoc significatur ingressus per baptismum in regnum Dei. Declaraturque hoc duplici figura: scilicet transitu filiorum Israel in terram promissionis; et Eliae in caelum.

Et scito quod ratio ista mystica est. Nec alia potest reddi magis litteralis, nisi quia Deus elegit magis Iordanem quam alias aquas.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM CHRISTO BAPTIZATO DEBUERINT CAELI APERIRI

Infra, qu. XLIX, art. 5, ad 3; III *Sent.*, dist. XVIII, art. 6, qu[a] 3, ad 2; dist. XXII, qu. III, art. 1, ad 4.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christo baptizato non debuerunt caeli aperiri. Illi enim aperiendi sunt caeli qui indiget intrare in caelum, quasi extra caelum existens. Sed Christus semper erat in caelo: secundum illud Ioan. III *: *Filius Hominis qui est in caelo*. Ergo videtur quod non debuerint ei caeli aperiri.

2. PRAETEREA, apertio caelorum aut intelligitur corporaliter, aut spiritualiter. Sed non potest intelligi corporaliter: quia corpora caelestia sunt impassibilia et infrangibilia, secundum illud *Iob* XXXVII *: *Tu forsitan fabricatus es caelos, qui solidissimi quasi aere fusi* [α] *sunt?* Similiter etiam nec potest intelligi spiritualiter: quia ante oculos Filii Dei caeli antea clausi non fuerant. Ergo inconvenienter videtur dici quod baptizato Christo *aperti fuerunt* [β] *caeli* *.

* ... 13.
* Vers. 18.
* Matth. cap. III, vers. 16; Marc.; cap. I, vers. 10. Luc. cap. III, vers. 21.

α) *fusi*. – P; *fundati*.

β) *fuerunt*. – *ei* addit tertia.

3. Praeterea, fidelibus caelum apertum est per Christi passionem: secundum illud *Heb.* x * [* Vers. 19.]: *Habemus fiduciam in introitum sanctorum in sanguine Christi.* Unde etiam nec baptizati baptismo Christi, si qui ante eius passionem decesserunt, caelos intrare potuerunt. Ergo magis debuerunt aperiri caeli Christo patiente, quam eo baptizato.

Sed contra est quod dicitur Luc. iii * [* Vers. 21.]: *Iesu baptizato et orante, apertum est caelum.*

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est * [* Art. 1; quaest. xxxviii, art. 1.], Christus baptizari voluit ut suo baptismo consecraret baptismum quo nos baptizaremur. Et ideo in baptismo Christi ea demonstrari debuerunt quae pertinent ad efficaciam nostri baptismi. Circa quam tria sunt consideranda. Primo quidem, principalis virtus ex qua baptismus efficaciam habet: quae quidem est virtus caelestis. Et ideo baptizato Christo apertum est caelum, ut ostenderetur quod de cetero caelestis virtus baptismum sanctificaret.

Secundo, operatur ad efficaciam baptismi fides Ecclesiae et eius qui baptizatur: unde et baptizati fidem profitentur, et baptismus dicitur *fidei sacramentum* * [* August. Epist. XCVIII, aliter XXIII, *ad Bonifac.*]. Per fidem autem inspicimus caelestia, quae sensum et rationem humanam excedunt. Et ad hoc significandum, Christo baptizato aperti sunt caeli.

Tertio, quia per baptismum Christi specialiter [γ] aperitur nobis introitus regni caelestis, qui primo homini praeclusus fuerat per peccatum. Unde baptizato Christo aperti sunt caeli, ut ostenderetur quod baptizatis patet via in caelum.

Post baptismum autem necessaria est homini iugis oratio, ad hoc quod caelum introeat: licet enim per baptismum remittantur peccata, remanet tamen fomes peccati nos impugnans interius, et mundus et daemones qui impugnant exterius. Et ideo signanter dicitur Luc. iii * [* Cf. arg. *Sed contra.*] quod, *Iesu baptizato et orante, apertum est caelum:* quia scilicet fidelibus necessaria est oratio post baptismum. – Vel ut detur intelligi quod hoc ipsum quod per baptismum caelum aperitur credentibus, est ex virtute orationis Christi. Unde signanter dicitur, Matth. iii * [* Vers. 16.], quod *apertum est ei caelum,* idest, *omnibus propter eum:* sicut si imperator alicui pro alio petenti dicat [δ], *Ecce, hoc beneficium non illi do, sed tibi,* idest, *propter te illi;* ut Chrysostomus dicit, *super Matth.* * [* *Op. Imperf. in Matth.*, homil. IV. - Inter Opp. Chrys.].

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Chrysostomus dicit, *super Matth.* * [* Ibid.], *sicut Christus secundum dispensationem humanam baptizatus est, quamvis propter se baptismo non indigeret; sic secundum humanam dispensationem aperti sunt ei caeli, secundum autem naturam divinam semper erat in caelis.*

Ad secundum dicendum quod, sicut Hieronymus dicit, *super Matth.* * [* Comment. II, ad cap. ..., vers. 16, 17], *caeli aperti sunt Christo baptizato, non reseratione elementorum, sed spiritualibus oculis: sicut et Ezechiel in principio voluminis sui caelos apertos esse commemorat* * [* Ezech. ca..., vers. 1.]. Et hoc probat Chrysostomus, *super Matth.* * [* Loc. cit. s...], dicens quod, *si ipsa creatura* [ε], scilicet caelorum, *rupta fuisset, non dixisset, « aperti sunt ei »: quia quod corporaliter aperitur, omnibus est apertum.* Unde et Marci i * [* Vers. 10.] expresse [ζ] dicitur quod *Iesus statim ascendens de aqua, vidit caelos apertos:* quasi ipsa apertio caelorum ad visionem Christi referatur. Quod quidem aliqui * [* Cf. *Cat. in Matth.* ca..., vers. 16, su... tulo *Glossa*] referunt ad visionem corporalem, dicentes quod circa Christum baptizatum tantus splendor fulsit in baptismo ut viderentur caeli aperti. Potest etiam referri ad imaginariam visionem, per quem modum Ezechiel vidit caelos apertos: formabatur enim ex virtute divina et voluntate rationis talis visio in imaginatione Christi, ad significandum quod per baptismum caeli aditus hominibus aperitur. Potest etiam ad visionem intellectualem referri: prout Christus vidit, baptismo iam sanctificato, apertum esse caelum hominibus; quod tamen etiam ante viderat fiendum.

Ad tertium dicendum quod per passionem Christi aperitur caelum hominibus sicut per causam communem apertionis caelorum. Oportet tamen hanc causam [η] singulis applicari, ad hoc quod caelum introeant. Quod quidem fit per baptismum: secundum illud *Rom.* vi * [* Vers. 3.]: *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte* [θ] *ipsius baptizati sumus.* Et ideo potius fit mentio de apertione caelorum in baptismo quam in passione.

Vel, sicut Chrysostomus dicit, *super Matth.* * [* Loc. cit. s...], *baptizato Christo caeli tantum sunt aperti: postquam vero tyrannum vicit per crucem, quia non erant portae necessariae caelo nunquam claudendo, non dicunt angeli, « Aperite portas »* [ι], *sed, « Tollite portas ».* Per quod dat intelligere Chrysostomus quod obstacula quibus prius obsistentibus animae defunctorum introire non poterant caelos, sunt totaliter per passionem ablata: sed in baptismo Christi sunt aperta, quasi manifestata iam via per quam homines in caelum erant intraturi.

γ) *specialiter.* – *spiritualiter* GHbc, *Alias spiritualiter* margo P.
δ) *dicat.* – F et tertia; *diceret* post *imperator* Ea, om. ceteri.
ε) *creatura.* – *Alias catharacta* margo P.
ζ) *expresse.* – Tertia; om. C, *aperte* ceteri.
η) *causam.* – *communem apertionis coelorum* addunt editiones; *Oportet tamen hanc causam* om. pH, *quae potest* sH.
θ) *in morte.* – F et tertia praeter I; *in mortem* I, *per mortem* ceteri.
ι) *portas.* – *iam enim erant apertae* addunt E et editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus, ex Evangelii historia ortus.

In corpore respondetur quaesito unica conclusione: *Christo baptizato et orante, convenienter aperti sunt caeli.* Et duo fiunt: primo, declaratur convenientia respectu ly *baptizato;* secundo, respectu ly *et orante.*

Quoad primum, probatio est. Christus baptizatus est ut nostrum baptisma consecraret. Ergo in illius baptismo illa monstrari debuerunt quae ad nostri efficaciam baptismi spectant. Ergo virtus caelestis, fides caelestium, introitusque caeli monstrari debuerunt per caelos apertos. – Prima

consequentia est clara. – Secunda declaratur ex tribus, scilicet causa et fide et effectu, inventis in efficacia baptismi.

Quoad secundum, declaratur. Quia oratio vel ad exemplum, vel ad causam apertionis caeli nobis, refertur: et utrumque est conveniens.

II. In responsione ad secundum, vide duo declarari. Primum, quod caeli aperti dicuntur non in seipsis, sed secundum visionem Christi.

Secundum est, qualis fuerit ista visio: corporalis, imaginaria, vel intellectualis. Et licet quaelibet possibilis dicatur, intellectualis tamen convenientior videtur, utpote excellentior.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM CONVENIENTER SPIRITUS SANCTUS SUPER CHRISTUM BAPTIZATUM DICATUR IN SPECIE COLUMBAE DESCENDISSE

Infra, qu. XLV, art. 4, ad 2; I *Sent.*, dist. XVI, art. 3; *In Matth.*, cap. III.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter Spiritus Sanctus super Christum baptizatum dicatur in specie columbae descendisse. Spiritus enim Sanctus habitat in homine per gratiam. Sed in homine Christo fuit plenitudo gratiae a principio suae conceptionis, quo fuit *Unigenitus a Patre* *, ut ex supra * dictis patet. Ergo non debuit Spiritus Sanctus ad eum mitti in baptismo.

2. Praeterea, Christus dicitur in mundum *descendisse* per mysterium incarnationis, quando [α] *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens* *. Sed Spiritus Sanctus non est incarnatus. Ergo inconvenienter dicitur quod Spiritus Sanctus *descenderit super eum.*

3. Praeterea, in baptismo Christi ostendi debuit, sicut in quodam exemplari, id quod fit in nostro baptismo. Sed in nostro baptismo non fit aliqua missio visibilis Spiritus Sancti. Ergo nec in baptismo Christi debuit fieri visibilis missio Spiritus Sancti.

4. Praeterea, Spiritus Sanctus a Christo in omnes alios derivatur: secundum illud Ioan. I *: *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Sed super Apostolos Spiritus Sanctus descendit, non in specie columbae, sed in specie ignis *. Ergo nec super Christum in specie columbae descendere debuit, sed in specie ignis.

Sed contra est quod dicitur Luc. III *: *Descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum.*

Respondeo dicendum quod hoc quod circa Christum factum est in eius baptismo, sicut Chrysostomus dicit, *super Matth.* *, *pertinet ad mysterium omnium qui postmodum fuerant baptizandi.* Omnes autem qui baptismo Christi baptizantur, Spiritum Sanctum recipiunt, nisi ficti accedant: secundum illud Matth. III *: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto.* Et ideo conveniens fuit ut super baptizatum Dominum [β] Spiritus Sanctus descenderet.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Augustinus dicit, XV *de Trin.* *, *absurdissimum est dicere quod Christus, cum esset iam triginta annorum, accepisset Spiritum Sanctum: sed venit ad baptismum, sicut sine peccato, ita non sine Spiritu Sancto. Si enim de Ioanne scriptum est quod « replebitur Spiritu Sancto ab utero matris suae », quid* [γ] *de homine Christo dicendum est, cuius carnis ipsa conceptio non carnalis, sed spiritualis fuit? Nunc ergo,* idest in baptismo, *corpus suum, idest Ecclesiam, praefigurare dignatus est, in qua baptizati praecipue accipiunt Spiritum Sanctum.*

Ad secundum dicendum quod, sicut Augustinus dicit, in II *de Trin.* *, Spiritus Sanctus descendisse dicitur super Christum specie corporali sicut columba, non quia ipsa substantia Spiritus Sancti videretur: quae est invisibilis. Neque ita quod illa visibilis creatura in unitatem personae divinae assumeretur: neque enim dicitur quod Spiritus Sanctus sit columba, sicut dicitur quod Filius Dei est homo, ratione unionis. Neque etiam hoc modo Spiritus Sanctus visus est in specie columbae sicut Ioannes vidit agnum occisum in Apocalypsi, ut habetur *Apoc.* V *: *illa enim visio facta fuit in spiritu per spirituales imagines corporum; de illa vero columba nullus unquam dubitavit quin oculis visa sit.* Nec etiam hoc modo in specie columbae Spiritus Sanctus apparuit sicut dicitur, I *Cor.* X *, « *Petra autem erat Christus* »: *illa enim* [δ] *iam erat in creatura, et per actionis modum nuncupata est nomine Christi, quem* [ε] *significabat; illa autem columba ad hoc tantum significandum repente extitit et postea cessavit, sicut flamma quae in rubo apparuit Moysi.*

Dicitur ergo Spiritus Sanctus *descendisse* super Christum, non ratione unionis ad columbam: sed vel ratione ipsius columbae significantis Spiritum Sanctum, quae descendendo super Christum venit; vel etiam ratione spiritualis gratiae, quae a Deo per modum cuiusdam descensus in creaturam derivatur, secundum illud Iac. I *, *Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum.*

Ad tertium dicendum quod, sicut Chrysostomus dicit, *super Matth.* *, *in principiis spiritualium rerum semper sensibiles apparent visiones, propter eos qui nullam intelligentiam incorporalis naturae suscipere possunt: ut, si postea non fiant, ex his quae semel facta sunt, recipiant fidem.* Et ideo circa Christum baptizatum corporali specie Spiritus Sanctus visibiliter descendit, ut super omnes

* Ioan. cap. I, v. 14.
* Qu. VII, art. 12; qu. XXXIV, art. 1.
* Ad Philipp., cap. II, vers. 7. – Cf. Ioan. cap. III, v. 13; cap. VI, v. 38, 51.
* Vers. 16.
* Act. cap. II, v. 3.
* Vers. 22.
* Op. Imperf. in Matth., homil. IV, inter Opp. Chrys.
* Vers. 11.
* Cap. XXVI.
* Cap. V, VI.
* Vers. 6.
* Vers. 4.
* Vers. 17.
* Homil. XII.

α) *quando.* – *qua* PG, *per quam* pH et *bc*, *per quod* sH, om. El.
β) *baptizatum Dominum.* – *Christum baptizatum* tertia praeter I.
γ) *quid.* – Tertia; *hoc idem* E, *quod quidem* ceteri. – Pro *Nunc*, *Tunc.* P.
δ) *enim.* – *petra* addit tertia.
ε) *quem.* – PDGac; *quam.*

baptizatos [ζ] postea invisibiliter credatur descendere.

Ad quartum dicendum quod Spiritus Sanctus in specie columbae apparuit super Christum baptizatum, propter quatuor [η]. Primo quidem, propter dispositionem quae requiritur in baptizato, ut scilicet non fictus accedat: quia, sicut dicitur *Sap.* I * [* Vers. 5.], *Spiritus Sanctus disciplinae effugiet fictum.* Columba enim est animal simplex, astutia et dolo carens: unde dicitur Matth. X * [* Vers. 16.]: *Estote simplices sicut columbae.*

Secundo, ad designandum septem dona Spiritus Sancti, quae columba suis proprietatibus significat * [* Cf. *Cat. Aur. in Matth.* cap. III, sub nom. Raban.: Raban. *Comm. in Matth.* lib. I, ad cap. III, vers. 16; Haym. Sermon. XVI *de Temp.*; Gloss. Ord. in Matth. cap. III, vers. 16]. Columba enim secus fluenta habitat, ut, viso [θ] accipitre, mergat se et evadat. Quod pertinet ad donum sapientiae [ι], per quam sancti secus Scripturae divinae fluenta resident, ut incursum diaboli evadant. – Item columba meliora grana eligit. Quod pertinet ad donum scientiae, qua sancti sententias sanas, quibus pascantur, eligunt. – Item columba alienos pullos nutrit. Quod pertinet ad donum consilii, quo sancti homines, qui fuerunt pulli, idest imitatores, diaboli, doctrina nutriunt et exemplo. – Item columba non lacerat rostro. Quod pertinet ad donum intellectus, quo sancti bonas sententias [κ] lacerando non pervertunt, haereticorum more. – Item columba felle caret. Quod pertinet ad donum pietatis, per quam sancti ira irrationabili carent. – Item columba in cavernis petrae nidificat. Quod pertinet ad donum fortitudinis, qua sancti in plagis mortis Christi, qui est petra firma, nidum ponunt, idest, suum refugium et spem. – Item columba gemitum pro cantu habet. Quod pertinet ad donum timoris, quo sancti delectantur in gemitu pro peccatis.

Tertio, apparuit Spiritus Sanctus in specie columbae propter effectum proprium baptismi, qui est remissio peccatorum et reconciliatio ad Deum: columba enim est animal mansuetum. Et ideo, sicut Chrysostomus dicit, *super Matth.* * [* Homil. XI...], *in diluvio apparuit hoc animal, ramum ferens olivae et communem orbis terrarum tranquillitatem annuntians: et nunc etiam columba apparet in baptismo, liberationem nobis demonstrans.*

Quarto, apparuit Spiritus Sanctus in specie columbae super Dominum baptizatum, ad designandum communem effectum baptismi, qui est constructio ecclesiasticae unitatis. Unde dicitur *Ephes.* V * [* Vers. 25 s...], quod *Christus tradidit semetipsum ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, lavans eam lavacro aquae in verbo vitae.* Et ideo convenienter Spiritus Sanctus in baptismo demonstratus est in specie columbae, quae est animal amicabile et gregale. Unde et *Cantic.* VI * [* Vers. 8.] dicitur de Ecclesia: *Una est columba mea.*

Super Apostolos autem in specie ignis Spiritus Sanctus descendit, propter duo. Primo quidem, ad ostendendum fervorem quo corda eorum erant commovenda [λ], ad hoc quod Christum ubicumque inter pressuras praedicarent. Et ideo etiam in igneis linguis apparuit. Unde Augustinus dicit, *super Ioan.* * [* Tract. VI, ...]: *Duobus modis ostendit visibiliter Dominus Spiritum Sanctum:* scilicet *per columbam, super Dominum baptizatum; per ignem, super discipulos congregatos. Ibi simplicitas, hic fervor ostenditur. Ergo, ne per Spiritum sanctificati dolum habeant, in columba demonstratus est: et ne simplicitas frigida remaneat, in igne demonstratus est. Nec moveat, quia linguae divisae sunt: unitatem in columba cognosce.*

Secundo quia, sicut Chrysostomus * [* Gregor. Ho... XXX *in Eva...*; Cf. *Cat. Au... Luc.* cap. III, ... nom. Chrys...] dicit, *cum oportebat delictis ignoscere,* quod fit in baptismo, *mansuetudo necessaria erat:* quae demonstratur in columba. *Sed ubi adepti sumus gratiam, restat iudicii tempus:* quod significatur per ignem.

ζ) *baptizatos.* – *baptizandos* tertia.
η) *quatuor.* – *tria* omnes.
θ) *viso.* – *inde viso* H et editiones.
ι) *Quod... sapientiae.* – DEF et tertia praeter 1; om.
κ) *sententias.* – *scientias* tertia praeter 1.
λ) *commovenda.* – EF et tertia; *conenda* ABC, *torrenda* D, *tenenda* ed. *a.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus, ex Evangelio etiam ortus.

In corpore una conclusio: *Conveniens fuit ut super baptizatum Christum Spiritus Sanctus descenderet.* Probatur. Quod in Christi baptismo factum est, pertinet ad mysterium nostri baptismi. Ergo. – Antecedens est Chrysostomi. – Consequentia probatur. Quia omnes baptizati non ficti accipiunt Spiritum Sanctum, Matth. III.

Adverte hic quod minus respondendo determinatur quam fuerit quaesitum. Nam quaesitum est de descensu Spiritus Sancti in specie columbae: et respondetur de descensu Spiritus Sancti solum, nihil dicendo de specie columbae. Et hoc ideo quia reservavit hoc secundum responsioni ad argumenta * [* Ad 2 sqq.].

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM ILLA COLUMBA IN QUA SPIRITUS SANCTUS APPARUIT, FUERIT VERUM ANIMAL

I *Sent.*, dist. XVI, art. 3, ad 3; *In Ioan.*, cap. I, lect. XIV.



Ad septimum sic proceditur. Videtur quod illa columba in qua Spiritus Sanctus apparuit, non fuerit verum animal. Illud enim videtur specie tenus apparere quod secundum similitudinem apparet. Sed Luc. III * [* Vers. 22.] dicitur quod *descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum.* Non ergo fuit vera columba, sed quaedam similitudo columbae.

2. Praeterea, sicut *natura nihil facit frustra, ita nec Deus,* ut dicitur in I *de Caelo* *. Sed cum columba illa non advenerit nisi *ut aliquid significaret atque praeteriret*, ut Augustinus dicit, in II *de Trin.* *, frustra fuisset vera columba: quia hoc ipsum fieri poterat per columbae similitudinem. Non ergo illa columba fuit verum animal.

[margin: …p. iv, n. 8. - S. Th. lect. viii.] [margin: …p. vi.]

3. Praeterea, proprietates cuiuslibet rei ducunt in cognitionem naturae illius rei. Si ergo fuisset illa columba verum animal, proprietates columbae significassent naturam veri animalis, non autem effectus Spiritus Sancti. Non ergo videtur quod illa columba fuerit verum animal.

Sed contra est quod Augustinus dicit, in libro *de Agone Christiano* *: *Neque hoc ita dicimus ut Dominum Iesum Christum dicamus solum verum corpus habuisse, Spiritum autem Sanctum fallaciter apparuisse oculis hominum: sed ambo illa corpora vera esse credimus.*

[margin: …xxii.]

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, non decebat ut Filius Dei, qui est Veritas Patris, aliqua fictione uteretur: et ideo non phantasticum, sed verum corpus accepit. Et quia Spiritus Sanctus dicitur *Spiritus Veritatis,* ut patet Ioan. xvi *, ideo etiam ipse veram columbam formavit in qua appareret *, licet non assumeret ipsam in unitatem personae. Unde post praedicta verba Augustinus subdit: *Sicut non oportebat ut homines falleret Filius Dei, sic etiam non oportebat ut falleret Spiritus Sanctus. Sed omnipotenti Deo, qui universam creaturam ex nihilo fabricavit, non erat difficile verum corpus columbae sine aliarum columbarum* [α] *ministerio figurare, sicut non fuit ei difficile verum corpus in utero Mariae sine virili semine fabricare: cum creatura corporea et in visceribus feminae ad formandum hominem, et in ipso mundo ad formandum columbam, imperio Domini voluntatique serviret.*

[margin: …v, art. 1.] [margin: …s. 13.] [margin: …162.]

Ad primum ergo dicendum quod Spiritus Sanctus dicitur descendisse in specie vel similitudine columbae, non ad excludendam veritatem columbae, sed ad ostendendum quod non apparuit in specie suae substantiae.

Ad secundum dicendum quod non fuit superfluum formare veram columbam ut in ea Spiritus Sanctus appareret: quia per ipsam veritatem columbae significatur veritas Spiritus Sancti et effectuum eius.

Ad tertium dicendum quod proprietates columbae eodem modo ducunt ad significandam naturam columbae, et ad designandos effectus Spiritus Sancti. Per hoc enim quod columba habet tales proprietates, contingit [β] quod columba significat Spiritum Sanctum *.

[margin: * Cf. art. praec., ad 4.]

α) *aliarum columbarum.* – *aliorum columbarum* G, *aliorum columborum* H et editiones; *columbae sine... verum corpus* om. I.

β) *contingit.* – *ostendit* GH*b*, *ostenditur* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore una conclusio: *Columba illa fuit verum animal.* Probatur. Sicut Veritas verum hominem, ita Spiritus Veritatis veram columbam, in qua appareret, etc. – Et confirmatur hoc auctoritate Augustini.

II. * Adverte hic quod tantam habuit Auctor reverentiam ad Augustinum ut absque trepidatione aliqua affirmaverit columbam illam verum fuisse animal, propter Augustini auctoritatem potius quam illius rationem, qua Auctor utitur contra suam in I *Sent.*, dist. xvi, art. 3, ad 3, opinionem, qua tenuit columbam illam non fuisse verum animal. Et certe ratio allata non cogit. Quoniam in nullo Spiritui Veritatis preiudicium fit si per speciem columbae, et non ipsam columbam, apparuerit. Sicut in Apostolis apparuit non in vero igne, sed similitudine ignis. Et sicut ibi * dicitur *tanquam ignis,* ita hic dicitur *sicut columba.* Nec est simile de mysterio incarnationis: quia de eo scriptum est *, *Verbum caro factum est;* et ideo oportet veram esse carnem. Hic autem dicitur, *sicut columba.* Et quoniam omnes Evangelistae conveniunt in similitudine columbae, et nullus dicit columbam: Matthaeus siquidem et Lucas dicunt *sicut columba,* Marcus dicit *tanquam columba,* Ioannes dicit *quasi columba* *: – ideo rationabilius ingeniolo meo videtur ad litteram sequi textum omnium Evangelistarum quam dicere quod fuerit verum animal: cum etiam Scripturae adsit auctoritas de Spiritu Sancto in igne misso quod non verus ignis, sed *tanquam ignis* fuerit; sicut non fuerunt vere linguae, sed similitudines linguarum. Quocirca, sicut absque fallacia Spiritus Sanctus in igneis linguis apparuit, non veris, sed specie tenus (et de hoc nullus dubitat), ita in specie columbae, et non columba ipsa, apparuit: eisdem enim vocabulis Scriptura utitur utrobique.

[margin: …egrum numerum om. P.] [margin: …cap. ii, 3.] [margin: * Ioan. cap. i, vers. 14.] [margin: * Matth. cap. iii, vers. 16; Marc. cap. i, vers. 10; Luc. cap. iii, vers. 22; Ioan. cap. i, vers. 32.]

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM CONVENIENTER, CHRISTO BAPTIZATO, FUERIT VOX PATRIS AUDITA FILIUM PROTESTANTIS

Infra, qu. xlv, art. 4; qu. lxvi, art. 6; I *Sent.*, dist. xvi, art. 3.

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter, Christo baptizato, fuit vox Patris audita Filium protestantis. Filius enim et Spiritus Sanctus, secundum hoc quod sensibiliter apparuerunt, dicuntur visibiliter esse missi. Sed Patri non convenit mitti: ut patet per Augustinum, in II *de Trin.* * Ergo etiam nec apparere.

[margin: * Cap. v, xii.]

2. Praeterea, vox est significativa verbi in corde concepti [α] *. Sed Pater non est Verbum. Ergo inconvenienter manifestatur in voce.

[margin: * Aristot. *Periherm.* lib. I, cap. I, n. 2. - S. Th. lect. ii.]

3. Praeterea, homo Christus non incoepit esse

α) *concepti.* – F et tertia; *praecepti* E, *percepti* ceteri.

Filius Dei in baptismo, sicut quidam haeretici putaverunt, sed a principio suae conceptionis fuit Filius Dei. Magis ergo in nativitate debuit vox Patris protestari Christi divinitatem, quam in eius baptismo.

* Vers. 17. SED CONTRA EST quod dicitur Matth. III *: *Ecce, vox de caelis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

* Art. 5. RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, in baptismo Christi, qui fuit exemplar nostri baptismi, demonstrari debuit quod in nostro baptismo perficitur. Baptismus autem quo baptizantur fideles, consecratur in invocatione et virtute Trinitatis: secundum illud Matth. ult. *: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Et ideo *in baptismo Christi,* ut Hieronymus dicit *, *mysterium Trinitatis demonstratur: Dominus ipse in natura humana baptizatur; Spiritus Sanctus descendit in habitu columbae; Patris vox testimonium Filio perhibentis auditur.* Et ideo conveniens fuit ut in illo baptismo Pater declararetur in voce.

* Vers. 19.

* *Comment. in Matth.* lib. II, ad cap. III, vers. 16, 17.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod missio visibilis addit aliquid super apparitionem, scilicet auctoritatem mittentis. Et ideo Filius et Spiritus Sanctus, qui sunt ab alio, dicuntur non solum apparere, sed etiam visibiliter mitti [β]. Pater autem, qui non est ab alio, apparere quidem potest, visibiliter autem mitti non potest.

AD SECUNDUM DICENDUM quod Pater non demonstratur in voce nisi sicut auctor vocis, vel loquens per vocem. Et quia proprium est Patri producere Verbum, quod est dicere vel loqui, ideo convenientissime Pater per vocem manifestatus est, quae significat verbum. Unde et ipsa vox a Patre emissa filiationem Verbi protestatur. Et sicut species columbae, in qua demonstratus est Spiritus Sanctus, non est natura Spiritus Sancti; nec species hominis, in qua demonstratus est ipse Filius, est [γ] ipsa natura Filii Dei: ita etiam ipsa vox non pertinet ad naturam Verbi vel Patris loquentis. Unde Ioan. V * Dominus dicit: *Neque vocem eius,* idest Patris, *unquam audistis, neque speciem eius vidistis.* Per quod, sicut Chrysostomus dicit, *super Ioan.* *, *paulatim eos in philosophicum dogma inducens, ostendit quoniam neque vox circa Deum est neque species, sed superior et figuris est et loquelis talibus.* Et sicut columbam, et etiam humanam naturam a Christo assumptam, tota Trinitas operata est, ita etiam formationem vocis: sed tamen in voce declaratur solus Pater ut loquens, sicut naturam humanam solus Filius assumpsit, et sicut in columba [δ] solus Spiritus Sanctus demonstratus est; ut patet per Augustinum *, in libro *de Fide ad Petrum* *.

* Vers. 37.

* Homil. XXXIX.

* Fulgentius.

* Cap. IX, al. VI, n. 52.

AD TERTIUM DICENDUM quod divinitas Christi non debuit omnibus in eius nativitate manifestari, sed magis occultari in defectibus infantilis aetatis. Sed quando iam pervenit ad perfectam aetatem, in qua oportebat eum docere et miracula facere et homines ad se convertere, tunc testimonio Patris erat eius divinitas indicanda [ε], ut eius doctrina credibilior fieret. Unde et ipse dicit, Ioan. V *: *Qui misit me Pater, ipse testimonium perhibet de me.* Et hoc praecipue in baptismo, per quem homines renascuntur in filios Dei adoptivos: filii enim [ζ] Dei adoptivi instituuntur ad similitudinem Filii naturalis, secundum illud *Rom.* VIII *: *Quos praescivit, hos et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Unde Hilarius dicit, *super Matth.* *, quod super Iesum baptizatum descendit Spiritus Sanctus, et vox Patris audita est dicentis, « Hic est Filius meus dilectus », *ut ex his quae consummabantur* [η] *in Christo, cognosceremus, post aquae lavacrum, et de caelestibus partibus Sanctum in nos Spiritum avolare, et paternae vocis adoptione Dei filios fieri.*

* Vers. 37.

* Vers. 29.

* Comment. II.

β) *non solum... mitti.* – *mitti* (*visibiliter* addunt editiones) *et non solum apparere* H et editiones.

γ) *nec species... est.* – Pl; *et sicut species... non est* GH, *nec species... non est* ceteri.

δ) *in columba.* – DF et tertia; *columba.*

ε) *indicanda.* – *manifestanda* tertia praeter I.

ζ) *enim.* – *autem* omnes.

η) *consummabantur.* – *conservabantur* BEF, *confirmabantur* G, *consumebantur* H. Pro *partibus, portis* P. Pro *avolare, volare* G, *involare* Pl.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus, ortus etiam ex Evangelio. – In corpore una conclusio: *Conveniens fuit ut in illo baptismo Pater declararetur in voce.* Probatur. In baptismo Christi demonstrari debuit quod in nostro baptismo perficitur. Ergo in baptismo Christi mysterium Trinitatis demonstrari debuit. Ergo conveniens fuit ut Pater declararetur in voce.

Antecedens probatur. Quia baptismus Christi fuit exemplar nostri. – Prima consequentia probatur. Quia noster baptismus consecratur in invocatione et virtute Trinitatis, Matth. ult. – Secunda vero consequentia probatur. Quia persona Filii baptizatur, Spiritus Sanctus in columba descendit: restabat ergo persona Patris manifestanda. Et apponitur hic auctoritas Hieronymi.

QUAESTIO QUADRAGESIMA

DE MODO CONVERSATIONIS CHRISTI

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

CONSEQUENTER, post ea quae pertinent ad ingressum Christi in mundum vel ad eius principium, considerandum restat de his quae pertinent ad progressum ipsius *. Et primo, considerandum est de modo conversationis ipsius; secundo, de tentatione eius *; tertio, de doctrina *; quarto, de miraculis **.
Circa primum quaeruntur quatuor.

qu. xxvii, a. 3. — xli. — xlii. — xliii.

Primo: utrum Christus debuerit solitariam vitam ducere, an inter homines conversari.
Secundo: utrum debuerit austeram vitam ducere in cibo et potu et vestitu, an aliis communem.
Tertio: utrum debuerit abiecte vivere in hoc mundo, an cum [α] divitiis et honore.
Quarto: utrum debuerit secundum legem vivere.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM CHRISTUS DEBUERIT INTER HOMINES CONVERSARI, AN SOLITARIAM AGERE VITAM

II[a] II[ae], qu. xxv, art. 6, ad 5.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus non debuerit inter homines conversari, sed solitariam agere vitam. Oportebat enim quod Christus sua conversatione non solum se hominem ostenderet, sed etiam Deum. Sed Deum non convenit cum hominibus conversari: dicitur enim Dan. II *: *Exceptis diis, quorum non est cum hominibus conversatio;* et Philosophus dicit, in I *Polit.* *, quod ille qui solitarius vivit, *aut est bestia,* si scilicet propter saevitiam hoc faciat, *aut est deus,* si hoc faciat propter contemplandam veritatem. Ergo videtur quod non fuerit conveniens Christum inter homines conversari.

2. PRAETEREA, Christus, dum in carne mortali vixit, debuit perfectissimam vitam ducere. Perfectissima autem vita est contemplativa: ut in Secunda Parte * habitum est. Ad vitam autem contemplativam maxime competit solitudo: secundum illud Osee II *: *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius.* Ergo videtur quod Christus debuerit solitariam vitam ducere.

3. PRAETEREA, conversatio Christi debuit esse uniformis: quia semper in eo debuit apparere quod optimum est. Sed quandoque Christus solitaria loca quaerebat, turbas declinans: unde Remigius dicit, *super Matth.* *: *Tria refugia legitur Dominus habuisse, navim, montem et desertum: ad quorum alterum, quotiescumque a turbis comprimebatur, conscendebat* [β]. Ergo et semper debuit solitariam vitam agere.

SED CONTRA EST quod dicitur Baruch. III *: *Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.*

RESPONDEO DICENDUM quod conversatio Christi talis debuit esse ut conveniret fini incarnationis, secundum quam venit in mundum. Venit autem in mundum, primo quidem, ad manifestandum veritatem: sicut ipse dicit, Ioan. XVIII *: *In hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Et ideo non debebat se occultare, vitam solitariam agens, sed in publicum procedere, publice praedicando. Unde, Luc. IV *, dicit illis qui volebant eum detinere: *Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei: quia ideo missus sum.*

Secundo, venit ad hoc ut homines a peccato liberaret: secundum illud I *Tim.* I *: *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Et ideo, ut Chrysostomus dicit *, *licet in eodem loco manendo posset Christus omnes ad se attrahere, ut eius praedicationem audirent: non tamen hoc fecit, praebens nobis exemplum ut perambulemus et requiramus pereuntes, sicut pastor ovem perditam, et medicus accedit ad infirmum.*

Tertio, venit ut *per ipsum habeamus accessum ad Deum,* ut dicitur *Rom.* V *. Et ita, familiariter cum hominibus conversando, conveniens fuit ut hominibus fiduciam daret ad se accedendi. Unde dicitur Matth. IX *: *Factum est, discumbente eo in domo, ecce, multi publicani et peccatores venientes discumbebant cum Iesu et discipulis eius.* Quod exponens Hieronymus * dicit: *Viderant publicanum* [γ], *a peccatis ad meliora conversum, locum invenisse poenitentiae: et ob id etiam ipsi non desperant salutem.*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Christus per humanitatem suam voluit manifestare divinitatem. Et ideo, conversando cum hominibus, quod est proprium hominis, manifestavit omnibus suam

Marginal notes: [Ver]s. 11. — [Lib.] I, n. 12. - [S. Th.] lect. I. — [qu.] CLXXXII, [art.] 2. — [Ver]s. 14. — [Cf.] Cat. Aur. in [Matth.], cap. v, sub [nom.] Remig.; s. [Isid.] Hispal. De [Vet.] Nov. Test. Quaest., quaest. [LXI], n. 50. — [Ver]s. 38. — * Vers. 37. — * Vers. 42, 43. — * Vers. 15. — * Cf. Cat. Aur. in Luc., cap. IV, sub nom. Chrysost. — * Vers. 2; Ad Ephes., cap. II, vers. 18. — * Vers. 10. — * Comment. lib. I.

α) *cum.* – *in* tertia praeter G. Pro *divitiis, deliciis* H, *divinitus (et honorem)* G.

β) *conscendebat.* – Tertia; *descendebat* Ea, *ascendebat* F, *condescendebat* ceteri.

γ) *Viderant publicanum.* – El; *Publicani viderunt et peccatores* GHbc, *Viderant publicani et peccatores* ed. a, *Viderant publicani* P, *Viderant publicanum et peccatores* ceteri. Pro *conversum, conversi* Pac.

divinitatem, praedicando et miracula faciendo, et innocenter et iuste inter homines conversando.

Ad secundum dicendum quod, sicut in Secunda Parte * dictum est, vita contemplativa simpliciter est melior quam activa * quae occupatur circa corporales actus: sed vita activa secundum quam aliquis praedicando et docendo contemplata aliis tradit, est perfectior quam vita quae solum contemplatur *, quia talis vita praesupponit abundantiam contemplationis. Et ideo Christus talem vitam elegit.

* Qu. clxxxii, art. 1; quaest. clxxxviii, art. 6.
* D. 1185.
* D. 1188.

Ad tertium dicendum quod *actio Christi fuit nostra instructio* *. Et ideo, ut daret exemplum praedicatoribus quod non semper se darent in publicum, ideo quandoque Dominus se a turbis retraxit. Quod quidem legitur fecisse propter tria. Quandoque quidem propter corporalem quietem. Unde Marci vi * dicitur quod Dominus dixit discipulis: *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum. Erant enim qui veniebant et redibant multi, et nec spatium manducandi habebant.* – Quandoque vero causa orationis. Unde dicitur Luc. vi *: *Factum est in illis diebus, exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.* Ubi dicit Ambrosius * quod *ad praecepta virtutis suo nos informat exemplo.* – Quandoque vero ut doceat favorem humanum vitare. Unde super illud Matth. v *, *Videns Iesus turbas ascendit in montem,* dicit Chrysostomus *: *Per hoc quod non in civitate et foro, sed in monte et solitudine sedit, erudivit nos nihil ad ostentationem facere, et a tumultibus abscedere, et maxime cum de necessariis disputare oporteat.*

* *Instruct. Sacerdot.*, cap. vi (inter Opp. Bernard.); Innoc. III, Serm. XXII *de Temp.*
* Vers. 31.
* Vers. 12.
* *Expos. in* ... lib. V, ...
* Vers. 1.
* Homil. ... *Matth.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Hic incipit quarta pars huius Libri *, in qua agitur de progressu Domini nostri Iesu Christi in hoc mundo, usque ad quaestionem quadragesimamquintam inclusive.

Adverte hic quod conversatio Christi post Ioannis baptisma tractatur ab Auctore: conversatio autem Christi ante illud tempus tacetur. Et quoniam a multis quaeritur quid fecerit illa aetate Christus, respondendum est quod exercuit artem fabrilem in civitate Nazareth. Nam non solum ex Evangelio Matthaei, xiii *, habetur quod fuit *filius fabri:* sed ex Evangelio Marci, vi *, habetur quod ipse Christus fuit *faber*. Et nisi exercuisset ipsam artem in Nazareth, non admirati ibi fuissent de doctrina eius *: nam si alibi Christus habitasset, aut in Nazareth vacasset litteris, non fuissent admirati compatriotae: *Unde huic sapientia?* * Immo tam notoria erat Christi conversatio in Nazareth ut etiam Hierosolymis Iudaei dicerent: *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Ioan. vii *. Quocirca oportet dicere aut Christum ibi artem suam fabrilem continue exercuisse, et propterea constare quod litteras non didicit, etc.: aut inertem otiosumque vagasse per Nazareth; quod dedecet Christum, filium pauperis adeo ut non potuisset agnum pro eo offerre, ut habetur Luc. ii *; et pauperem in tantum ut *non haberet ubi reclinaret caput suum,* Matth. viii *.

Et confirmatur. Quia Marc. iii * dicitur: *Et cum audissent sui, exierunt tenere eum. Dicebant enim: Quoniam in furorem versus est.* Ex eo namque quod usque ad aetatem illam fabrili arti viderant Iesum operam dantem, et repente audiverunt quod praedicabat et turba convenit ad eum, etc., dixerunt illum versum in furorem.

Haec enim omnia simul iuncta testimonia sunt ab hostibus et quod Christi doctrina non erat humana, nec aliquo modo acquisita: et quod Christus inter eos usque ad illud tempus cum suis concivibus conversatus est, sine offensa et sine scandalo procul dubio. Quod non evitatum fuisset si iuvenis faber pauper inertem se in opere exhibuisset.

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Christus convenienter vitam socialem assumpsit.* Probatur. Christus debuit talem vivendi modum assumere qui conveniret fini incarnationis. Sed finis incarnationis exigit vitam socialem. Ergo.

Minor declaratur. Quia triplex est finis incarnationis: primo, testimonium veritatis; secundo, salvare peccatores; tertio, adducere homines ad Deum. – Omnia clara sunt in littera.

* Cf. Prolog., Comment.
* Vers. 55.
* Vers. 3.
* Matth. cap. xiii, vers. 54; Marc. cap. vi, vers. 2; Luc. cap. iv, vers. 16 sqq.
* Matth. ibid.
* Vers. 15.
* Vers. 24.
* Vers. 20.
* Vers. 21.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CHRISTUM DECUERIT AUSTERAM VITAM DUCERE IN HOC MUNDO

In Matth., cap. xi.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Christum decuerit [α] austeram vitam ducere in hoc mundo. Christus enim multo magis praedicavit perfectionem vitae quam Ioannes. Sed Ioannes austeram vitam duxit, ut suo exemplo homines ad perfectionem vitae provocaret: dicitur enim, Matth. iii *, quod *ipse Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos, esca autem eius erant locustae et mel sylvestre;* quod exponens Chrysostomus * dicit: *Erat mirabile in humano corpore tantam patientiam videre: quod et Iudaeos magis attrahebat.* Ergo videtur quod multo magis Christum decuerit austeritas vitae.

2. Praeterea, abstinentia ad continentiam ordinatur: dicitur enim Osee iv *: *Comedentes* [β] *non saturabuntur: fornicati sunt, et non cessaverunt.* Sed Christus continentiam et in se servavit, et aliis servandam proposuit, cum dixit, Matth. xix *: *Sunt eunuchi qui se castraverunt propter regnum caelorum: qui potest capere, capiat.* Ergo videtur quod Christus in se, et in suis discipulis, austeritatem vitae servare debuerit.

3. Praeterea, ridiculum videtur ut aliquis districtiorem vitam incipiat, et ab ea in laxiorem revertatur: potest enim dici contra eum quod habetur Luc. xiv *: *Hic homo coepit aedificare, et non potuit consummare.* Christus autem distri-

* Vers. 4.
* Homil. X *in Matth.*
* Vers. 10.
* Vers. 12.
* Vers. 30.

α) *Christum decuerit.* – *Christus debuit* GHbc, *Christus debuerit* P.

β) *Comedentes.* – *Comedunt et* F, *Comedent et* tertia praeter I; *Comedentes non saturabuntur* om. A.

ctissimam vitam incoepit post baptismum, manens in deserto et ieiunans *quadraginta diebus et quadraginta noctibus* *. Ergo videtur non fuisse congruum quod post tantam vitae districtionem ad communem vitam rediret.

* [Ma]th. cap. IV, [v]ers. 2; Marc. ca[p]. I, vers. 13; Luc. cap. IV, vers. 1.

Sed contra est quod dicitur Matth. XI *: *Venit Filius Hominis manducans et bibens.*

* [Ve]rs. 19.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est *, congruum erat incarnationis fini ut Christus non ageret solitariam vitam, sed cum hominibus conversaretur. Qui autem cum aliquibus conversatur, convenientissimum est ut se eis in conversatione conformet: secundum illud Apostoli, I *Cor.* IX *: *Omnibus omnia factus sum.* Et ideo convenientissimum fuit ut Christus in cibo et potu communiter se sicut alii haberet. Unde Augustinus dicit, *contra Faustum* *, quod *Ioannes dictus est « non manducans neque bibens », quia illo victu quo Iudaei utebantur, non utebatur. Hoc ergo Dominus nisi uteretur, non in eius comparatione « manducans bibensque » diceretur.*

* [Ar]t. praeced. — * [Ver]s. 22. — * [Lib]. XVI, cap. [...]

Ad primum ergo dicendum quod Dominus in sua conversatione exemplum perfectionis dedit in omnibus quae per se pertinent ad salutem. Ipsa autem abstinentia cibi et potus non per se pertinet ad salutem: secundum illud *Rom.* XIV *: *Non est regnum Dei esca et potus.* Et Augustinus dicit, in libro *de Quaestionibus Evang.* *, exponens illud Matth. XI *, *Iustificata est sapientia a filiis suis:* Quia scilicet sancti Apostoli *intellexerunt regnum Dei non esse in esca et potu, sed in aequanimitate tolerandi,* quos nec copia sublevat nec deprimit egestas. Et in III *de Doct. Christ.* *, dicit quod *in omnibus talibus non usus rerum, sed libido utentis in culpa est.* Utraque autem vita est licita et laudabilis: ut scilicet aliquis a communi consortio hominum segregatus abstinentiam servet; et ut in societate aliorum positus communi vita utatur. Et ideo Dominus voluit utriusque vitae exemplum dare hominibus.

* [Ver]s. 17. — * [Lib.] II, qu. XI. — * [Ver]s. 19. — * [Cap.] XII.

Ioannes autem, sicut Chrysostomus dicit, *super Matth.* *, *nihil plus ostendit praeter vitam et iustitiam. Christus autem et a miraculis testimonium habebat. Dimittens ergo Ioannem ieiunio fulgere, ipse contrariam incessit viam, ad mensam intrans publicanorum, et manducans et bibens.*

* [Homil.] XXXVII, [L]XVIII.

Ad secundum dicendum quod, sicut alii homines per abstinentiam consequuntur virtutem continendi, ita etiam Christus, in se et suis [γ], per virtutem suae divinitatis carnem comprimebat. Unde, sicut legitur Matth. IX *, *Pharisaei et discipuli Ioannis ieiunabant, non autem discipuli Christi.* Quod exponens Beda dicit * quod *Ioannes vinum et siceram non bibit: quia illi abstinentia meritum auget cui potentia nulla inerat naturae. Dominus autem, cui naturaliter suppetebat delicta donare, cur eos declinaret quos abstinentibus poterat reddere puriores?*

* Vers. 14.

* *Comment. in Marc.* lib. I, ad cap. II, vers. 18. - Cf. Ambr. *Exposit. in Luc.* lib. II, ad cap. I, vers. 30 sqq.

Ad tertium dicendum quod, sicut Chrysostomus dicit, *super Matth.* *, *ut discas quam magnum bonum est ieiunium, et qualiter scutum est adversus diabolum, et quoniam post baptismum non lasciviae, sed ieiunio intendere oportet, ipse ieiunavit, non eo indigens, sed nos instruens. Non autem ultra processit ieiunando quam Moyses et Elias: ne incredibilis videretur carnis assumptio.*

* Homil. XIII.

Secundum mysterium autem, ut Gregorius dicit *, quadragenarius numerus exemplo Christi in ieiunio custoditur, quia *virtus decalogi per libros quatuor sancti Evangelii impletur: denarius enim quater ductus in quadragenarium surgit.* – Vel, quia *in hoc mortali corpore ex quatuor elementis subsistimus* [δ], *per cuius voluntatem praeceptis Dominicis contraimus, quae per decalogum sunt accepta.* – Vel, secundum Augustinum, in libro *Octogintatrium Quaest.* *, *omnis sapientiae disciplina est Creatorem creaturamque cognoscere. Creator est Trinitas, Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Creatura vero partim est invisibilis, sicut anima, cui ternarius numerus tribuitur, diligere enim Deum tripliciter iubemur, « ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente: » partim visibilis, sicut corpus, cui quaternarius debetur propter calidum, humidum, frigidum et siccum. Denarius* ergo *numerus, qui totam insinuat disciplinam, quater ductus, idest numero* [ε] *qui corpori tribuitur multiplicatus, quia per corpus administratio geritur, quadragenarium conficit numerum.* Et ideo *tempus quo ingemiscimus et dolemus, quadragenario numero celebratur.*

* Homil. XVI *in Evang.*

* Qu. LXXXI.

Nec tamen incongruum fuit ut Christus post ieiunium et desertum ad communem vitam rediret. Hoc enim convenit vitae secundum quam aliquis contemplata aliis tradit, quam Christum dicimus [ζ] assumpsisse *, ut primo contemplationi vacet, et postea ad publicum actionis descendat aliis convivendo. Unde et Beda dicit, *super Marc.* *: *Ieiunavit Christus, ne praeceptum declinares: manducavit cum peccatoribus, ut, gratiam cernens, agnosceres potestatem.*

* Cf. art. praec., ad 2.

* Loc. cit. in resp. ad 2. - Cf. Ambr. loc. cit. ibid.

γ) *suis.* – *in* (om. H*bc*) *suis discipulis* E et tertia.

δ) *subsistimus.* – DF*a* et tertia praeter G; *substitimus* ABC, *abstinimus* E, *substituimus* G. Pro *voluntatem*, *voluptates* sD, *voluptatem* IsF. Pro *contraimus*, *contrahimus* BCFH et editiones, *contrarius* E. Cf. IIª IIªᵉ qu. CXLVII art. 5 η.

ε) *numero.* – HI; *numerus.* Pro *per corpus, tibi* (vel *ter*) *corporis* ABCD, *cum corporis* D*a*, *tibi corpus* GH, *corporis* I, *tibi corporis (administrator) b*, *ter corpus c*; incisum *quia... geritur* om. PF; cf. IIª IIªᵉ qu. CXLVII art. 5 corp. – *ingemiscimus* tertia; *gemiscimus* F, et *gemiscimus* ceteri.

ζ) *Christum dicimus.* – *Christus dicitur* tertia praeter I. – *assumpsisse* F et tertia; *ostendisse* ed. *a*, *ascendisse* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore unica conclusio: *Conveniens fuit ut Christus in cibo et potu sicut alii se haberet.* Probatur primo. Congruum erat incarnationis fini ut Christus socialem vitam duceret. Ergo convenientissimum fuit, etc. – Probatur sequela. Quia qui cum aliis conversatur, convenientissimum est ut conformet se aliis. Quod probatur etiam I *ad Cor.* IX: *Factus sum omnia omnibus.*

Probatur secundo, auctoritate Augustini: immo Domini, Matth. XI *.

* Vers. 18, 19.

II. In responsione ad primum, nota et fige animo do-

ctrinam hanc, scilicet: *Christus exemplum fuit perfectionis in omnibus quae per se pertinent ad salutem.* Hinc enim habes quod in his quae non per se pertinent ad salutem, quae scilicet non sunt secundum se bona, sed solum relata ad aliquem finem, ut abstinentia, paupertas et alia huiusmodi, non oportet inquirere in Christo austeriora, tanquam perfectiora; sed ea quae magis consonant incarnationis fini, sive sint austera sive non.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM CHRISTUS IN HOC MUNDO DEBUERIT PAUPEREM VITAM DUCERE

IV *Cont. Gent.*, cap. LV; *Cont. Graec. Armen. etc.*, cap. VII; *Cont. retrahent. hom. a Relig. ingress.*, cap. XV.



D TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus in hoc mundo non debuerit pauperem vitam ducere. Christus enim debuit eligibilissimam vitam assumere. Sed eligibilissima vita est quae est mediocris inter divitias et paupertatem: dicitur enim *Proverb.* XXX*: *Mendicitatem et divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria.* Ergo Christus non debuit pauperem vitam ducere, sed moderatam. (* Vers. 8.)

2. PRAETEREA, exteriores divitiae ad usum corporis ordinantur quantum ad victum et vestitum. Sed Christus in victu et vestitu communem vitam duxit, secundum modum aliorum quibus convivebat. Ergo videtur quod etiam in divitiis et paupertate communem modum vivendi servare debuit, et non uti maxima paupertate.

3. PRAETEREA, Christus maxime homines invitavit ad exemplum humilitatis: secundum illud Matth. XI*: *Discite a me, quia mitis sum et humilis*[α]. Sed humilitas maxime commendatur in divitibus: ut dicitur I *ad Tim.* ult.*: *Divitibus huius saeculi praecipe non altum sapere.* Ergo videtur quod Christus non debuit ducere pauperem vitam. (* Vers. 29. — * Vers. 17.)

SED CONTRA EST quod dicitur Matth. VIII*: *Filius Hominis non habet ubi caput reclinet.* Quasi dicat, secundum Hieronymum*: *Quid me propter divitias et saeculi lucra cupis sequi: cum tantae sim paupertatis ut nec hospitiolum quidem habeam, et tecto utar non meo?* Et super illud Matth. XVII*, *Ut non scandalizemus eos vade ad mare,* dicit Hieronymus*: *Hoc, simpliciter intellectum, aedificat auditorem: dum audit tantae Dominum fuisse paupertatis ut unde tributa pro se et Apostolo redderet, non habuerit.* (* Vers. 20. — * Comment. in Matth. lib. I, ad hunc loc. — * Vers. 26. — * Comment. lib. III.)

RESPONDEO DICENDUM quod Christum decuit in hoc mundo pauperem vitam ducere. Primo quidem, quia hoc erat congruum praedicationis officio, propter quod venisse se dicit, Marc. I*: *Eamus in proximos vicos et civitates, ut et ibi praedicem: ad hoc enim veni.* Oportet autem praedicatores verbi Dei, ut omnino vacent praedicationi, omnino a saecularium rerum cura esse absolutos. Quod facere non possunt qui divitias possident. Unde et ipse Dominus, Apostolos ad praedicandum mittens, dicit eis*: *Nolite possidere aurum neque argentum.* Et ipsi Apostoli dicunt, *Act.* VI*: *Non est aequum nos relinquere verbum et ministrare mensis.* (* Vers. 38. — * Matth. cap. X, vers. 9. — * Vers. 2.)

Secundo quia, sicut mortem corporalem assumpsit ut nobis vitam largiretur spiritualem, ita corporalem paupertatem sustinuit ut nobis spirituales divitias largiretur: secundum illud II *Cor.* VIII*: *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi: quoniam propter nos egenus factus est, ut illius inopia divites essemus.* (* Vers. 9.)

Tertio ne, si divitias haberet, cupiditati eius praedicatio adscriberetur. Unde Hieronymus dicit, *super Matth.**, quod, si discipuli divitias habuissent, *videbantur*[β] *non causa salutis hominum, sed causa lucri praedicasse.* Et eadem ratio est de Christo. (* Comment. ad cap. X.)

Quarto, ut tanto maior virtus divinitatis eius ostenderetur, quanto per paupertatem videbatur abiectior. Unde dicitur in quodam sermone Ephesini Concilii*: *Omnia paupera et vilia elegit, omnia mediocria et plurimis obscura, ut divinitas cognosceretur orbem terrarum transformasse. Propterea pauperculam elegit matrem, pauperiorem patriam: egens fit pecuniis. Et hoc tibi exponat*[γ] *praesepe.* (* Act. p. ..., cap. IX, Theodoti.)

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod superabundantia divitiarum et mendicitas vitanda videntur ab his qui volunt vivere secundum virtutem, inquantum sunt occasiones peccandi: abundantia namque divitiarum est superbiendi occasio; mendicitas vero est occasio furandi et mentiendi, aut etiam periurandi*. Quia vero Christus peccati capax non erat, propter hanc causam, ex qua Salomon haec vitabat, Christo vitanda non erant. — Neque tamen quaelibet mendicitas est furandi et periurandi occasio, ut ibidem Salomon subdere videtur: sed sola illa quae est contraria voluntati, ad quam vitandam homo furatur et periurat. Sed paupertas voluntaria hoc periculum non habet. Et talem paupertatem Christus elegit. (* Cf. Pr. loc. cit. vers. 9.)

AD SECUNDUM DICENDUM quod communi vita uti quantum ad victum et vestitum potest aliquis non solum divitias possidendo, sed etiam a divitibus[δ] necessaria accipiendo. Quod etiam circa Christum factum est: dicitur enim Lucae VIII*, quod mulieres quaedam sequebantur Christum, *quae ministrabant ei de facultatibus suis.* Ut enim Hieronymus dicit, *contra Vigilantium**, *consuetudinis Iudaicae fuit, nec ducebatur in culpam, more gentis antiquo, ut mulieres de substantia sua victum et vestitum praeceptoribus suis ministrarent. Hoc autem, quia*[ε] *scandalum facere poterat in nationibus, Paulus se abiecisse commemorat.* Sic (* Vers. 2. — * Comment. Matth. lib. ..., cap. XXVII, 55.)

α) *humilis.* — *corde* addunt DFa et editiones.
β) *videbantur.* — *viderentur* tertia praeter I.
γ) *exponat.* — AI et editiones; *explicat* G, *exponit* ceteri.
δ) *divitibus.* — *mulieribus et divitibus* H et editiones, *mulieribus* G; *vel divitibus* margo G.
ε) *Hoc autem, quia.* — *Hoc quia* I, *Sed quia hoc* cetera tertia.

ergo communis victus poterat esse sine sollicitudine impediente praedicationis officium: non autem divitiarum possessio.

Ad tertium dicendum quod in eo qui ex necessitate pauper est, humilitas non multum commendatur. Sed in eo qui voluntarie pauper est, sicut fuit Christus, ipsa ζ paupertas est maximae humilitatis indicium.

ζ) *ipsa.* – PGI; *Christi enim* E, *Ipsa enim* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Decuit Christum in hoc mundo pauperem vitam ducere.* Probatur quatuor rationibus, quae clare patent in littera.

Circa quarum primam et tertiam, notate, Domini Praedicatores, et quod oportet praedicatores a curis temporalium rerum absolutos esse: et nec apparere quod lucri causa praedicent. Et hoc quidem contra multos militat qui stipendio praedicant, qui locum praedicandi, non ubi maior animarum fructus, sed ubi maius stipendium praebetur, aut maior eleemosyna speratur pro se vel conventu suo, eligunt. Primum autem quantum noceat, experientia testatur: paulatim enim praedicatio deseritur a religiosis habentibus possessiones; quae iam ab episcopis, abbatibus, aliisque divitibus clericis ac religiosis deserta videtur. Secundum autem Iesu Christi ac Ecclesiae praecipuum officium ad mercedem atque quaestum abducit.

II. In responsione ad primum, ubi habes differentiam inter voluntariam et necessariam paupertatem quoad occasionem peccandi, adverte quod non vocatur paupertas voluntaria quae solo voto firmata est, sed quae habet perseverantiam voluntariam: parum enim prodest vovisse paupertatem et aegre ferre illam. Reincidit enim paupertas ista in necessariam paupertatem: et transit de voluntaria in invitam.

Nec sufficit voluntas perseverans ad paupertatem, ita tamen ut non desint opportunae commoditates. Est enim voluntas haec ad paupertatis nomen, et non ad paupertatis rem. Velle siquidem paupertatem et nihil sibi deesse, quod non sit velle paupertatem, ex eo patet quod Salomon tria proponit, divitias, paupertatem, et victui necessaria, et inter duo extrema medium petit: quod appetit secundum rem ille qui nihil vult sibi deesse sub paupertatis nomine. Oportet enim pauperem voluntarie velle et nomen et rem paupertatis, pro loco et tempore: ut velit etiam, cum caret opportunis, libenter penuriam pati. Sic enim nullius erit peccati occasio paupertas. Et quoniam hoc paucorum videtur esse, inde tanta videtur orta aut nutrita religiosorum imperfectio.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CHRISTUS FUERIT CONVERSATUS SECUNDUM LEGEM

III *Sent.*, dist. xiv, art. 3, qu^a^ 6, ad 3; IV, dist. i, qu. ii, art. 2, qu^a^ 3; *In Matth.*, cap. v.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod Christus non fuerit conversatus secundum legem. Lex enim praecipiebat ut nihil operis in sabbato fieret *, sicut *Deus die septimo requievit ab omni opere quod patrarat* *. Sed ipse in sabbato curavit hominem, et ei mandavit α ut tolleret lectum suum *. Ergo videtur quod non fuerit secundum legem conversatus.

[margin: …d. cap. xx, 8 sqq.; cap. … ers. 13 sqq.; cap. v, vers. 3. … cap. ii, 2. … cap. v, 5 sqq.]

2. Praeterea, eadem Christus fecit et docuit: secundum illud *Act.* i *: *Coepit Iesus facere et docere.* Sed ipse docuit, Matth. xv *, quod *omne quod intrat in os, non coinquinat hominem:* quod est contra praeceptum legis, quae per esum et contactum quorundam animalium dicebat hominem immundum fieri, ut patet *Levit.* xi. Ergo videtur quod ipse non fuerit secundum legem conversatus.

[margin: …s. 1. … 11.]

3. Praeterea, idem iudicium videtur esse facientis et consentientis: secundum illud *Rom.* i *: *Non solum illi qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus.* Sed Christus consensit discipulis solventibus legem in hoc quod sabbato spicas vellebant, excusando eos: ut habetur Matth. xii *. Ergo videtur quod Christus non conversatus fuerit secundum legem.

[margin: * V… 32. … 1-8.]

Sed contra est quod dicitur Matth. v *: *Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas.* Quod exponens Chrysostomus dicit *: *Legem implevit, primo quidem, nihil transgrediendo legalium; secundo, iustificando per fidem, quod lex per litteram facere non valebat.*

[margin: * V… 17. — * Homil. XVI *in Matth.*]

Respondeo dicendum quod Christus in omnibus secundum legis praecepta conversatus est. In cuius signum, etiam voluit circumcidi: circumcisio enim est quaedam protestatio legis implendae, secundum illud *Galat.* v *: *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis faciendae.* * Vers. 3.

Voluit autem Christus secundum legem conversari, primo quidem, ut legem veterem comprobaret β. – Secundo, ut eam observando in seipso consummaret et terminaret, ostendens quod ad ipsum erat ordinata. – Tertio, ut Iudaeis occasionem calumniandi subtraheret. – Quarto, ut homines a servitute legis liberaret: secundum illud *Galat.* iv *: *Misit Deus Filium suum factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.* * Vers. 4, 5.

Ad primum ergo dicendum quod Dominus super hoc se excusat a transgressione legis tripliciter. Uno quidem modo, quia per praeceptum de sanctificatione sabbati non interdicitur opus divinum, sed humanum opus: quamvis enim Deus die septima cessaverit a novis creaturis condendis, semper tamen operatur in rerum conservatione et gubernatione. Quod autem Christus mira-

α) *mandavit.* – EF et tertia; *mandaverat.*

β) *comprobaret.* – *approbaret* editiones.

cula faciebat, erat operis divini. Unde ipse dicit,
* Vers. 17. Ioan. v *: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.*

Secundo, excusat se per hoc quod illo praecepto non prohibentur opera quae sunt de necessitate salutis corporalis [γ]. Unde ipse dicit,
* Vers. 15. Luc. XIII *: *Unusquisque vestrum non solvet sabbato bovem suum aut asinum a praesepio, et ducit*
* Vers 5. *adaquare?* Et infra, XIV *: *Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadit, et non continuo extrahet illum die sabbati?* Manifestum est autem quod opera miraculorum quae Christus faciebat, ad salutem corporis et animae pertinebant.

Tertio, quia illo praecepto non prohibentur opera quae pertinent ad Dei cultum. Unde dicit,
* Vers. 5. Matth. XII *: *An non legistis in lege quia sabbatis sacerdotes in Templo sabbatum violant, et*
* Vers. 23. *sine crimine sunt?* Et Ioan. VII * dicitur quod *circumcisionem accipit homo in sabbato.* Quod autem Christus paralytico mandavit ut lectum suum sabbato portaret, ad cultum Dei pertinebat, idest ad laudem virtutis divinae.

Et patet [δ] quod sabbatum non solvebat. Quamvis hoc ei Iudaei falso obiicerent, dicentes, Ioan. IX*: * Vers. 16.
Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit.

AD SECUNDUM DICENDUM quod Christus voluit ostendere per illa verba quod homo non redditur immundus secundum animam ex usu ciborum quorumcumque secundum suam naturam, sed solum secundum quandam significationem. Quod autem in lege quidam cibi dicuntur immundi, hoc est propter quandam significationem. Unde Augustinus dicit, *contra Faustum* *: *Si de* * Lib. VI, VII.
porco et agno requiratur, utrumque [ε] *natura mundum est, quia « omnis creatura Dei bona est »: quadam vero significatione agnus mundus, porcus immundus est.*

AD TERTIUM DICENDUM quod etiam discipuli, quando [ζ] esurientes spicas sabbato vellebant, a trangressione legis excusantur propter necessitatem famis: sicut et David non fuit transgressor legis quando, propter necessitatem famis, comedit panes quos ei edere non licebat.

γ) *corporalis.* – *etiam corporalis* tertia praeter G.
δ) *patet.* – *sic patet* PsG.
ε) *utrumque.* – *utrum* tertia praeter I. Pro *mundum, inmundum* F, *mundus* H et editiones. Pro *quia, dicimus quia* G, *dicimus quod* H et editiones, *dicemus quia* I.
ζ) *quando.* – *qui* H et editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. – In corpore unica conclusio: *Christus in omnibus secundum legis praecepta conversatus est.* Haec autem conclusio primo probatur quoad factum; deinde quoad convenientiam. Quod enim Christus in omnibus secundum legem de facto conversatus fuerit, probatur ex illo facto in quo tanquam in principio comprehenduntur reliqua legalia, scilicet ex circumcisione: ut patet ex auctoritate Apostoli. – Convenientiam autem quare Christus servare voluit, ostendit ex quatuor claris in littera.



QUAESTIO QUADRAGESIMAPRIMA

DE TENTATIONE CHRISTI

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

Deinde considerandum est de tentatione Christi *.

* qu. xl, In-

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo: utrum fuerit conveniens Christum tentari.

Secundo: de loco tentationis.

Tertio: de tempore.

Quarto: de modo et ordine tentationum [α]. α

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM CHRISTO TENTARI CONVENIENS FUERIT

In Matth., cap. iv.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod Christo tentari non conveniebat *. Tentare enim est *experimentum sumere* *. Quod quidem non fit nisi de re ignota. Sed virtus Christi erat nota etiam daemonibus: dicitur enim Luc. iv *, quod *non sinebat daemonia loqui, quia sciebant eum esse Christum.* Ergo videtur quod non decuerit Christum tentari.

* ...h. cap. iv; ...cap. i, vers. ...; Luc. cap. ... Hugon. a ...ct. *Qq. in ... ad Heb.*, ...xxviii. ...s. 41.

2. Praeterea, Christus ad hoc venerat ut opera diaboli dissolveret: secundum illud I Ioan. iii *: *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Sed non est eiusdem dissolvere opera alicuius, et ea pati. Et ita videtur inconveniens fuisse quod Christus pateretur se tentari a diabolo.

* ...s. 8.

3. Praeterea, triplex est tentatio: scilicet *a carne, a mundo, a diabolo* *. Sed Christus non fuit tentatus nec a carne nec a mundo. Ergo nec etiam debuit tentari a diabolo.

* *Medit. de ...n Condit.*, ...n. xiii (in-...pp. Bern.); ...at. *Super-...latris*, de ...SS., anct. ...o a S. Vict.

Sed contra est quod dicitur Matth. iv *: *Ductus est Iesus a Spiritu in desertum, ut tentaretur a diabolo.*

* ...s. 1.

Respondeo dicendum quod Christus tentari voluit, primo quidem, ut nobis contra tentationes auxilium ferret. Unde Gregorius dicit, in Homilia *: *Non erat indignum Redemptori nostro quod tentari voluit, qui venerat et occidi: ut sic tentationes nostras suis tentationibus* [β] *vinceret, sicut mortem nostram sua morte superavit.*

* ...il. XVI *in* β

Secundo, propter nostram cautelam: ut nullus, quantumcumque sanctus, se existimet securum et immunem a tentatione. Unde etiam post baptismum tentari voluit: quia, sicut Hilarius dicit, *super Matth.* *, *in sanctificatis maxime diaboli tentamenta grassantur* [γ]: *quia victoria magis est ei exoptanda de sanctis.* Unde et *Eccli.* ii * dicitur: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia et timore, et praepara animam tuam ad tentationem.*

* C... iii. γ * ...v. 1.

Tertio, propter exemplum: ut scilicet nos instrueret qualiter diaboli tentationes vincamus. Unde Augustinus dicit, in IV *de Trin.* *, quod Christus diabolo *se tentandum praebuit, ut ad superandas tentationes eius mediator esset, non solum per adiutorium, verum etiam per exemplum.* * Cap. xiii.

Quarto, ut nobis fiduciam de sua misericordia largiretur. Unde dicitur *Heb.* iv *: *Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia, pro similitudine, absque peccato.* * Vers. 15.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Augustinus dicit, in IX *de Civ. Dei* *, *Christus tantum innotuit daemonibus quantum voluit: non per id quod est vita aeterna, sed per quaedam temporalia suae virtutis effecta*, ex quibus quandam coniecturam habebant Christum esse Filium Dei. Sed quia rursus in eo [δ] quaedam signa humanae infirmitatis videbant, non pro certo cognoscebant eum esse Filium Dei. Et ideo eum tentare voluit. Et hoc significatur Matth. iv *, ubi dicitur quod, *postquam esuriit, accessit tentator ad eum:* quia, ut Hilarius dicit *, *tentare Christum diabolus non fuisset ausus, nisi in eo, per esuritionis* [ε] *infirmitatem, quae sunt hominis recognosceret.* Et hoc etiam patet ex ipso modo tentandi, cum dixit, *Si Filius Dei es.* Quod exponens Gregorius * [ζ] dicit: *Quid sibi vult talis sermonis exorsus, nisi quia cognoverat Dei Filium esse venturum, sed venisse per infirmitatem corporis non putabat?*

* Cap. xxi. δ * Vers. 2, 3. * Loc. cit. ε *Ambros., *Exposit. in Luc.* lib. IV, ad cap. iv, vers. 3. ζ

Ad secundum dicendum quod Christus venerat dissolvere opera diaboli, non potestative agendo, sed magis ab eo et eius membris patiendo, ut sic diabolum vinceret iustitia, non potestate: sicut Augustinus dicit, XIII *de Trin.* *, quod [η] *diabolus non potentia Dei, sed iustitia superandus fuit.* Et ideo circa tentationem Christi considerandum est

* Cap. xiii. η

α) *tentationum.* – *tentationis* H et editiones.

β) *tentationibus.* – *tentationibus temporibus* AC, *tentationibus temporalibus* B.

γ) *grassantur.* – sE; *cassantur* Dc, *crassantur* ceteri. Pro *exoptanda*, *adoptanda* I, *exoptata* P.

δ) *eo.* – *a* et tertia; *ea.*

ε) *esuritionis.* – *esuriei* tertia praeter I.

ζ) *Gregorius.* – *Ambrosius* P. – Pro *putabat*, *putabatur* ABCE.

η) *sicut... quod.* – PI; *et sicut... quod* Fc, *et sicut... quia* ceteri.

θ quod propria voluntate fecit, et quod θ a diabolo passus fuit. Quod enim tentatori se offerret, fuit propriae voluntatis. Unde dicitur Matth. IV *: *Ductus est Iesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo:* quod Gregorius * intelligendum dicit de Spiritu Sancto, *ut* scilicet *illuc eum Spiritus suus duceret, ubi eum ad tentandum spiritus malignus inveniret.* Sed a diabolo passus est quod *assumeretur* vel *supra pinnaculum Templi,* vel etiam *in montem excelsum valde. Nec est mirum,* ut Gregorius dicit *, *si se ab illo permisit in montem duci, qui se permisit a membris ipsius crucifigi.* Intelligitur autem a diabolo assumptus, non quasi ex necessitate: sed quia, ut Origenes dicit, *super Luc.* *, *sequebatur eum ad tentationem quasi athleta sponte procedens.*

* Vers. 1.

* Homil. XVI *in Evang.*

* Ibid.

* Homil. XX[illegible]

Ad tertium dicendum quod, sicut Apostolus dicit *, *Christus in omnibus tentari voluit, absque peccato.* Tentatio autem quae est ab hoste, potest esse sine peccato: quia fit per solam exteriorem suggestionem. Tentatio autem quae est a carne, non potest esse sine peccato *: quia haec tentatio fit per delectationem et concupiscentiam; et, sicut Augustinus dicit *, *nonnullum peccatum est cum « caro concupiscit adversus spiritum ».* Et ideo Christus tentari voluit ab hoste, sed non a carne.

* *Ad Heb.*, cap[illegible] vers. 15.

* D. 445.

* *De Ci[illegible]* lib. XIX cap. Cf. *de Lib. Ar[illegible]* lib. II, cap. x[illegible]

θ) *quod... quod. – quid... quid* PHb.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Christus* [*convenienter*] *tentari voluit.* Probatur quadrupliciter. Ubi in prima ratione conspicere libet quod virtuosa contra nostras tentationes tentatio Christi fuit, ita quod non solum exemplo, quod ad tertiam spectat rationem, sed efficacia, auxilium nobis contra tentationes tentatus Dominus conferendo, profuit: sicut mortuus nos contra mortem munivit. Modus autem quo hoc confertur auxilium, cum de efficacia mortis eius inferius * tractabitur, patebit. Pro nunc sufficiat quod saltem meritorie tentatus Dominus opem contulit nobis.

* Qu. L, art. 6.

In tertia autem ratione, percipe quod modus vincendi tentationes est recursus ad divinas Scripturas (et, eadem ratione, ad Sanctorum exempla): hoc enim Dominus in sua pugna ac victoria docuit, dum sic pugnavit et vicit.

II. In responsione ad primum, circa notitiam daemonum de Christo, duo sunt videnda. Primum, quid daemones sciverunt de Christo. Quod inferius tractabitur in quaestione de miraculis Christi *.

* Qu. XLIV, art. 1.

Secundum est: Quorsum ab Auctore hic affertur notitia habita a daemone de Christo, cuius Lucas meminit, cap. IV: cum manifeste pateat Evangelistam loqui post visa miracula, hic autem est sermo ante miracula; nam post regressum a deserto coepit Christus praedicare et miracula facere *.

* Matth. cap. IV, vers. 23 sqq.

Ad hoc dicitur quod coactus fuit Auctor ex tentationis actu de incertitudine notitiae de Christo apud daemones loqui. Inseruit autem verbum Lucae Evangelistae de scientia daemonum in principio praedicationis Christi, quoniam, licet Lucas dicat illa verba inter narrandum de miraculis Christi, non tamen dicit quod tunc primo didicerunt daemones illum esse Christum. Et propterea illud Lucae verbum, *quia sciebant illum esse Christum,* ad praeteritum tempus inculpabiliter et rationabiliter ab Auctore relatum videtur. Viderunt siquidem daemones et quae ab angelis in die nativitatis Christi dicta sunt; et quae a Pastoribus gesta; et quae a Magis, duce stella; et quae a Simeone et Anna dicta sunt; et postea Christi verba ad matrem in Templo de Patre suo; et dicta a Ioanne Baptista de Christo *. Ex quibus facile erat cognoscere illum esse Christum, absque ulterioribus miraculis: collatione praesertim facta cum prophetiis. Unde, visa tam longa inedia, et quod esuriit, tentavit nosse si Filius Dei esset.

* Matth. c[illegible] Luc. cap. II; [illegible] cap. I, vers[illegible] sqq.

III. In responsione ad tertium, dubium occurrit, an verum sit omnem tentationem ab intrinseco esse peccatum. Videtur quod non. Quia *naturalibus non meremur nec demeremur* *. Concupiscentia autem carnis, et illius delectatio, naturalis est. Nullum ergo peccatum est concupiscentia aut delectatio carnis.

* Cf. Ar[illegible] *thic.* lib. [illegible] II, n. 3. - S. lect. V.

Et confirmatur. Quia certum est in Christo fuisse carnalem delectationem secundum gustum vel tactum, cum comedebat aut bibebat aliquid delectabile, puta bonum panem, bonum vinum, etc. Non ergo omnis delectatio sensibilis est peccatum.

Ad hoc dicitur quod nullus mentis compos dicit quod omnis delectatio secundum carnem seu sensum sit peccatum. Oporteret enim naturam ipsam esse malam, si delectatio naturalis esset mala. Unde in statu innocentiae fuissent delectationes naturales absque peccato ullo. Et in Christo non est dubium quod cum, *fatigatus ex itinere, sedebat super puteum* *, quies illa erat delectabilis fesso corpori. Et similiter *panis suo sano palato erat suavis;* et *oculis lux solis amabilis* *; et sic de aliis. Sed aliud est loqui de concupiscentia et delectatione naturali: et aliud est loqui de concupiscentia et delectatione *adversus spiritum* *. Naturalia siquidem, ut sic, non exorbitant a recta ratione, ac, per hoc, non tendunt adversus spiritum: sed a ratione necesse est declinare eas quae contrariae spiritui sunt. Quocirca concedendum est quod *nonnullum peccatum est cum caro concupiscit adversus spiritum:* ratione concupiscentiae seu delectationis aliquid praeter rationem habentis, et non ratione naturalis appetitus aut delectationis. Tentatio autem ab intrinseco, quia adversus spiritum est, non importat naturales motus absolute, sed praeter rationem.

* Ioan. cap[illegible] vers. 6.

* Cf. Aug[illegible] lib. VII, cap[illegible]

* *Ad Galat.* v, vers. 17.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CHRISTUS DEBUERIT TENTARI IN DESERTO

In Matth., cap. IV.



Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Christus non debuit tentari in deserto. Christus enim tentari voluit propter exemplum nostrum, ut dictum est *. Sed exemplum debet manifeste proponi illis qui sunt per exemplum informandi. Non ergo debuit in deserto tentari.

* Art. praeced.

2. Praeterea, Chrysostomus dicit, *super Matth.* *, quod *tunc maxime instat diabolus ad tentandum, cum viderit solitarios. Unde et in principio mulie-*

* Homil. X[illegible]

rem tentavit sine viro eam inveniens. Et sic videtur, per hoc quod in desertum ivit ut tentaretur, quod tentationi se exposuit. Cum ergo eius tentatio sit nostrum exemplum, videtur quod etiam alii debeant se ingerere ad tentationes suscipiendas. Quod tamen videtur esse periculosum: cum magis tentationum occasiones vitare debeamus.

V. 5. 3. Praeterea, Matth. iv * ponitur secunda Christi tentatio qua *diabolus Christum assumpsit in sanctam Civitatem, et statuit eum super pinnaculum Templi:* quod quidem non erat in deserto. Non ergo tentatus est solum in deserto.

V. 13. Sed contra est quod dicitur Marc. i *, quod *erat Iesus in deserto quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et tentabatur a Satana.*

. praeced., Respondeo dicendum quod, sicut dictum est *, Christus propria voluntate se diabolo exhibuit ad tentandum, sicut etiam propria voluntate se membris eius exhibuit ad occidendum: alioquin diabolus eum advenire [α] non auderet. Diabolus autem magis attentat aliquem cum est solitarius: quia, ut dicitur *Eccle.* iv *, *si quispiam praevaluerit contra unum, duo resistunt ei.* Et inde est quod Christus in desertum exivit, quasi ad campum certaminis, ut ibi a diabolo tentaretur. Unde Ambrosius dicit, *super Luc.* *, quod Christus *agebatur in desertum consilio, ut diabolum provocaret. Nam nisi ille certasset,* scilicet diabolus, *non iste vicisset,* idest Christus. – Addit autem et alias rationes: dicens hoc Christum fecisse *mysterio, ut Adam de exilio liberaret,* qui scilicet de paradiso in desertum eiectus est *; *exemplo, ut ostenderet nobis diabolum ad meliora tendentibus invidere.*

Ad primum ergo dicendum quod Christus proponitur omnibus in exemplum per fidem: secundum illud *Heb.* xii *: *Aspicientes in auctorem fidei et consummatorem, Iesum.* Fides autem, ut dicitur *Rom.* x *, est *ex auditu*, non autem ex visu: quinimmo dicitur, Ioan. xx *: *Beati qui non viderunt et crediderunt.* Et ideo, ad hoc quod tentatio Christi esset nobis in exemplum, non oportet [β] quod ab hominibus videretur, sed sufficiens fuit quod hominibus narraretur.

Ad secundum dicendum quod duplex est tentationis occasio. Una quidem ex parte hominis: puta cum aliquis se peccato propinquum facit, occasiones peccandi non evitans. Et talis occasio tentationis est vitanda: sicut dictum est Lot, *Gen.* xix *: *Ne steteris in omni regione circa Sodomam.*

Alia vero tentationis occasio est ex parte diaboli, qui semper *invidet ad meliora tendentibus*, ut Ambrosius dicit *. Et talis tentationis occasio non est vitanda. Unde dicit Chrysostomus, *super Matth.* *, quod *non solum Christus ductus est in desertum a Spiritu, sed omnes filii Dei habentes Spiritum Sanctum. Non enim sunt contenti sedere otiosi, sed Spiritus Sanctus urget eos aliquod magnum apprehendere opus: quod est esse in deserto quantum ad diabolum, quia non est ibi iniustitia, in qua diabolus delectatur. Omne* [γ] *etiam bonum opus est desertum quantum ad carnem et mundum: quia non est secundum voluntatem carnis et mundi.* Talem autem occasionem tentationis dare diabolo non est periculosum: quia maius [δ] est auxilium Spiritus Sancti, qui est perfecti operis auctor, quam impugnatio diaboli invidentis.

Ad tertium dicendum quod quidam dicunt omnes tentationes factas fuisse in deserto. Quorum quidam dicunt quod Christus ductus est in sanctam Civitatem, non realiter, sed secundum imaginariam visionem. Quidam autem dicunt quod etiam ipsa Civitas sancta, idest Ierusalem, *desertum* dicitur, quia erat derelicta a Deo. – Sed hoc non erat necessarium. Quia Marcus dicit quod in deserto tentabatur a diabolo *: non autem dicit quod solum in deserto.

Marginal references: V. 5. — V. 13. — praeced., — V. 12. — lib. IV, IV, vers. 1. — cap. III, 23 sqq. — s. 2. — 17. — * Vers. 29. — * Vers. 17. — * Vide corp. art., fin. — * Op. Imperf. in Matth., hom. V. - Inter Opp Chrysost. — * Cf. arg. *Sed contra.*

α) *eum advenire.* – *advenire eum* GpD, *ad eum advenire* E, *ad eum venire* FIsD et *a*, *venire ad eum* H et editiones.
β) *oportet.* – *oportuit* F et tertia praeter pG. Pro *hominibus*, *omnibus* primo loco F et tertia praeter P, altero loco *bc*.
γ) *Omne.* – *Esse* BCEFpHI et *b*.
δ) *maius.* – Ed. *a*; *magis.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore unica conclusio: *Christus convenienter tentatus est in deserto.* Probatur tripliciter. Primo, ratione solitudinis. Secundo, ratione mysterii: ut scilicet hominem de mundo deserto liberaret. Tertio, ratione instructionis: ut scilicet doceremur ad meliora tendentibus diabolum invidere. Omnia clara sunt.

II. In responsione ad tertium, perspice diligenter Evangelistas, et invenies manifeste figmenta esse haec quae in littera recitantur de imaginario monte et Templo. Dicitur autem, ad litteram, Christus tentatus in deserto, quia ibi incoepit tentari: ubi et prima tentatio consummata est.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM TENTATIO CHRISTI DEBUERIT ESSE POST IEIUNIUM

In Matth., cap. IV.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod tentatio Christi non debuit esse post ieiunium. Dictum est enim supra * quod Christum non decebat conversationis austeritas. Sed maximae austeritatis fuisse videtur quod quadraginta diebus et quadraginta noctibus nihil comederit: sic enim intelligitur *quadraginta diebus et quadraginta noctibus ieiunasse* α *, quia scilicet *in illis diebus nullum omnino cibum sumpsit*, ut Gregorius dicit *. Ergo non videtur quod debuerit huiusmodi ieiunium tentationi praemittere.

* Qu. XL, art. 2. — * Cf. arg. *Sed cont.* — * Homil. XVI *in Evang.* - Cf. Luc. cap. IV, vers. 2.

2. PRAETEREA, Marci I * dicitur quod *erat in deserto quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et tentabatur a Satana*. Sed quadraginta diebus et quadraginta noctibus ieiunavit. Ergo videtur quod non post ieiunium, sed simul dum ieiunaret, sit tentatus a diabolo.

* Vers. 13.

3. PRAETEREA, Christus non legitur nisi semel ieiunasse. Sed non solum semel fuit tentatus a diabolo: dicitur enim Luc. IV *, quod, *consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus*. Sicut igitur secundae tentationi non praemisit ieiunium, ita nec primae praemittere debuit.

* Vers. 13.

SED CONTRA EST quod dicitur Matth. IV *: *Cum ieiunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit:* et tunc *accessit ad eum tentator*.

* Vers. 2, 3.

RESPONDEO DICENDUM quod convenienter Christus post ieiunium tentari voluit. Primo quidem, propter exemplum. Quia, cum omnibus, sicut dictum est *, immineat se contra tentationes tueri; per hoc quod ipse ante tentationem futuram ieiunavit, docuit quod per ieiunium nos oportet contra tentationes armari. Unde inter *arma iustitiae* Apostolus ieiunia connumerat, II *Cor.* VI *.

* Art. 1. — * Vers. 5, 7.

Secundo, ut ostenderet quod etiam ieiunantes diabolus aggreditur ad tentandum, sicut alios qui bonis operibus vacant. Et ideo, sicut post baptismum *, ita post ieiunium Christus tentatur. Unde Chrysostomus dicit, *super Matth.* *: *Ut discas quam magnum bonum est ieiunium, et qualiter scutum est adversus diabolum; et quoniam post baptismum non lasciviae, sed ieiunio intendere oportet; Christus ieiunavit, non ieiunio indigens, sed nos instruens.*

* Cf. art. 1. — * Homil. XIII.

Tertio, quia post ieiunium secuta est esuries, quae dedit diabolo audaciam eum aggrediendi, sicut dictum est *. *Cum* autem *esuriit Dominus*, ut Hilarius dicit, *super Matth.* *, *non fuit ex subreptione inediae: sed naturae suae hominem dereliquit. Non enim erat a Deo diabolus, sed a carne vincendus*. Unde etiam, ut Chrysostomus dicit *, *non ultra processit in ieiunando quam Moyses et Elias: ne incredibilis videretur carnis assumptio.*

* Art. 1, ad 1. — * Cap. III. — * Homil. XI *in Matth.*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Christum non decuit conversatio austerioris vitae, ut se communem exhiberet illis quibus praedicavit. Nullus autem debet assumere praedicationis officium, nisi prius fuerit purgatus et in virtute perfectus: sicut et de Christo dicitur, *Act.* I *, quod *coepit Iesus facere et docere*. Et ideo Christus statim post baptismum austeritatem vitae assumpsit, ut doceret post carnem edomitam oportere alios ad praedicationis officium transire: secundum illud Apostoli *: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo: ne forte, aliis praedicans* β, *ipse reprobus efficiar*.

* Vers. 1. — * I *ad Cor.*, IX, vers. 27.

AD SECUNDUM DICENDUM quod verbum illud Marci potest sic intelligi quod *erat in deserto quadraginta diebus et quadraginta noctibus*, quibus scilicet ieiunavit: quod autem dicitur, *et tentabatur a Satana*, intelligendum est, non in illis quadraginta diebus et quadraginta noctibus γ, sed post illos; eo quod Matthaeus dicit * quod, *cum ieiunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit*, ex quo sumpsit tentator occasionem accedendi ad ipsum. Unde et quod subditur *, *et angeli ministrabant ei*, consecutive intelligendum esse ostenditur ex hoc quod Matth. IV * dicitur: *Tunc reliquit eum diabolus*, scilicet post tentationem, *et ecce, angeli accesserunt et ministrabant ei*. Quod vero interponit Marcus, *eratque cum bestiis*, inducitur, secundum Chrysostomum *, ad ostendendum *quale erat desertum:* quia scilicet erat invium hominibus et bestiis plenum.

* Cf. arg. *Sed contra*. — * Marc. loc. — * Vers. 11. — * Homil. XII *in Matth.*

Tamen secundum expositionem Bedae *, Dominus tentatur quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Sed hoc intelligendum est, non de illis tentationibus visibilibus quas narrant Matthaeus et Lucas, quae factae δ sunt post ieiunium: sed de quibusdam aliis impugnationibus quas forte illo ieiunii tempore Christus est a diabolo passus.

* *Expos. in M*[arc.] lib. I, ad ca[p. I], vers. 12, 13.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut Ambrosius dicit, *super Luc.* *, recessit diabolus a Christo *usque ad tempus*, quia *postea, non tentaturus, sed aperte pugnaturus advenit*, tempore scilicet passionis. – Et tamen per illam impugnationem videbatur Christum tentare de tristitia et odio proximorum: sicut in deserto de delectatione gulae et contemptu Dei per idololatriam.

* *Exposit.* lib. [IV], ad cap. IV, v. 13.

α) *sic enim... ieiunasse*. – Om. tertia praeter G.
β) *aliis praedicans*. – *cum aliis praedicavero* PsG et c.
γ) *noctibus*. – *quibus ieiunavit* addunt H et editiones.
δ) *factae*. – *manifeste factae* editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Convenienter post ieiunium Christus tentari voluit.* Probatur tripliciter. Omnia clara sunt.

In responsione ad secundum, noli despicere expositionem Bedae de tentationibus aliis ante illas tres nominatas. Quoniam potuit saepe diabolus varias corporeas similitudines formare ad tentandum Christum: sicut legimus quod ad tentandum Antonium tot formavit *.

[* ... *B. Anton.* ... auctore s. ... as., cap. IV, ...]

In responsione ad tertium, habes duas responsiones. Alteram ex Ambrosio: quod diabolus recessit usque ad tempus passionis, per sua membra aperte pugnaturus. – Alteram quod, per sua membra pugnando, rediit etiam tentans de tristitia et odio proximorum. Excitatio quippe tot adversantium et quaerentium eius mortem, tentatio erat Christi ad odio habendum illos, et contristandum de illis persequentibus.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM FUERIT CONVENIENS TENTATIONIS MODUS ET ORDO

In Matth., cap. IV.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod non fuerit conveniens tentationis modus et ordo. Tentatio enim diaboli ad peccandum inducit. Sed si Christus subvenisset corporali fami convertendo lapides in panes, non peccasset: sicut non peccavit cum panes multiplicavit, quod non fuit minus miraculum, ut turbae esurienti subveniret *. Ergo videtur quod nulla fuerit illa tentatio.

[* ... cap. XIV, ... sqq.; cap. ... s. 32 sqq.]

2. Praeterea, nullus persuasor convenienter persuadet contrarium eius quod intendit. Sed diabolus, statuens Christum supra pinnaculum Templi, intendebat eum de superbia seu vana gloria tentare. Ergo inconvenienter persuadet ei ut se mittat deorsum: quod est contrarium superbiae vel vanae gloriae, quae semper quaerit ascendere.

3. Praeterea, una tentatio conveniens est ut sit de uno peccato. Sed in tentatione quae fuit in monte, duo peccata persuasit: scilicet cupiditatem et idololatriam. Non ergo conveniens videtur fuisse tentationis modus.

4. Praeterea, tentationes ad peccata ordinantur. Sed septem sunt vitia capitalia, ut in Secunda Parte * habitum est. Non autem tentat nisi de tribus, scilicet gula et vana gloria et cupiditate. Non ergo videtur sufficiens tentatio [α].

[* ..., quaest. ... art. 4.]

5. Praeterea, post victoriam omnium vitiorum, remanet homini tentatio superbiae vel vanae gloriae: quia *superbia etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant,* sicut dicit Augustinus *. Inconvenienter ergo Matthaeus ultimam ponit tentationem cupiditatis in monte, mediam autem inanis gloriae in Templo: praesertim cum Lucas ordinet e converso.

[* ... gula, al. ... CXI, vel ... *Sancti-* ...]

6. Praeterea, Hieronymus dicit, *super Matth.* *, quod *propositum Christi fuit diabolum humilitate vincere, non potestate.* Ergo non imperiose obiurgando [β] eum repellere debuit: *Vade retro, Satana.*

[* ... ent. lib. ... cap. IV, ...]

7. Praeterea, narratio Evangelii videtur falsum continere. Non enim videtur possibile quod Christus supra pinnaculum Templi statui potuerit quin ab aliis videretur. Neque aliquis mons tam altus invenitur ut inde totus mundus inspici possit, ut sic ex eo potuerint Christo omnia regna mundi ostendi. Inconvenienter igitur videtur descripta Christi tentatio.

Sed contra est Scripturae auctoritas *.

[* Matth. cap. IV, vers. 1-11; Luc. cap. IV, vers. 1-13.]

Respondeo dicendum quod tentatio quae est ab hoste, fit per modum suggestionis, ut Gregorius dicit *. Non autem eodem modo potest aliquid omnibus suggeri: sed unicuique suggeritur aliquid ex his circa quae est affectus. Et ideo diabolus hominem spiritualem non statim tentat de gravibus peccatis: sed paulatim a levioribus incipit, ut postmodum ad graviora perducat. Unde Gregorius, XXXI *Moral.* *, exponens illud *Iob* XXXIX **, *Procul odoratur bellum, exhortationem ducum et ululatum exercitus*, dicit: *Bene duces exhortari dicti sunt, exercitus ululare. Quia prima vitia deceptae menti quasi sub quadam ratione se ingerunt: sed innumera quae sequuntur, dum hanc ad omnem insaniam pertrahunt, quasi bestiali clamore confundunt.*

[* Homil. XVI *in Evang.*-Cf. Mag., II *Sent.*, dist. XXI, cap. *Porro sciendum est.*]

[* Cap. XLV, al. XVII, in vet. XXXII. ** Vers. 25.]

Et hoc idem diabolus observavit in tentatione primi hominis *. Nam primo sollicitavit mentem primi hominis de ligni vetiti esu, dicens, *Gen.* III *: *Cur praecepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradisi?* Secundo, de inani gloria, cum dixit: *Aperientur oculi vestri.* Tertio, perduxit tentationem ad extremam superbiam, cum dixit: *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum.*

[* *Gen.* vers. 1-6.] [* Vers. 1.]

Et hunc etiam tentandi ordinem servavit in Christo. Nam primo tentavit ipsum de eo quod appetunt quantumcumque spirituales viri: scilicet de sustentatione corporalis naturae per cibum. Secundo, processit ad id in quo spirituales viri quandoque deficiunt, ut scilicet aliqua ad ostentationem operentur: quod pertinet ad inanem gloriam. Tertio, perduxit tentationem ad id quod iam non est spiritualium virorum, sed carnalium: scilicet ut divitias et gloriam mundi concupiscant *usque ad contemptum Dei* *. Et ideo in primis duabus tentationibus dixit, *si Filius Dei es:* non autem in tertia, quae non potest spiritualibus

[* Cf. Aug. *de Civ. Dei* lib. XIV, cap. XXVIII.]

α) *sufficiens tentatio.* – *fuisse conveniens nec sufficiens modus tentationis* F, *fuisse sufficiens tentatio* IsG, *sufficiens tentationis modus fuisse* P.

β) *obiurgando.* – *et obiurgando* Plc. – Post *debuit* addunt *dicens* PEFIsG et *c.*

convenire viris, qui sunt per adoptionem filii Dei, sicut et [γ] duae primae.

His autem tentationibus Christus restitit testimoniis legis, non potestate virtutis: *ut hoc ipso et hominem plus honoraret, et adversarium plus puniret, cum hostis generis humani non quasi a Deo, sed quasi ab homine vinceretur*, sicut dicit Leo Papa *.

*Serm. I *de Quadrag.*, cap. III.

Ad primum ergo dicendum quod uti necessariis ad sustentationem non est peccatum gulae: sed quod ex desiderio huius sustentationis homo aliquid inordinatum faciat, ad vitium gulae pertinere potest. Est autem inordinatum quod aliquis, ubi potest haberi recursus ad humana subsidia, pro solo corpore sustentando miraculose sibi cibum quaerere velit. Unde et Dominus filiis Israel miraculose manna praebuit in deserto, ubi aliunde cibus haberi non potuit *. Et similiter Christus in deserto turbas pavit miraculose, ubi aliter cibi haberi non poterant. Sed Christus ad subveniendum fami poterat aliter sibi providere quam miracula faciendo: sicut et Ioannes Baptista fecit, ut legitur Matth. III *; vel etiam ad loca proxima properando. Et ideo reputabat diabolus quod Christus peccaret, si ad subveniendum fami miracula facere attentaret, si esset purus homo.

* *Exod.* cap. XVI.
* Vers. 4.

Ad secundum dicendum quod per humiliationem exteriorem frequenter quaerit aliquis gloriam qua exaltetur circa spiritualia bona. Unde Augustinus dicit, in libro *de Sermone Domini in Monte* *: *Animadvertendum est non in solo rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus lutosis esse posse iactantiam.* Et ad hoc significandum, diabolus Christo suasit ut, ad quaerendum gloriam spiritualem, corporaliter mitteret se deorsum.

* Lib. II, cap. XII.

Ad tertium dicendum quod divitias et honores mundi appetere peccatum est, quando huiusmodi inordinate appetuntur. Hoc autem praecipue manifestatur ex hoc quod pro huiusmodi adipiscendis homo aliquid inhonestum facit. Et ideo non fuit contentus diabolus persuadere cupiditatem divitiarum et honorum, sed induxit ad hoc quod propter huiusmodi adipiscenda Christus eum adoraret: quod est maximum scelus, et contra Deum *. — Nec solum dixit, *si adoraveris me*, sed addidit, *si cadens*: quia, ut dicit Ambrosius *, *habet ambitio domesticum periculum: ut enim dominetur aliis, prius servit; et curvatur obsequio ut honore donetur; et, dum vult esse sublimior, fit remissior.*

*Cf. *Iob* cap. XXXI, vers. 28.
**Exposit. in Luc.* lib. IV, ad cap. IV, vers. 5.

Et similiter etiam in praecedentibus tentationibus ex appetitu unius peccati in aliud peccatum inducere est conatus: sicut ex desiderio cibi conatus est inducere in vanitatem sine causa miracula faciendi; et ex cupiditate gloriae conatus est ducere [δ] ad tentandum Deum per praecipitium.

Ad quartum dicendum quod, sicut dicit Ambrosius, *super Luc.* *, *non dixisset Scriptura quod, consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, nisi in tribus praemissis esset omnium materia delictorum. Quia causae tentationum causae sunt cupiditatum:* scilicet *carnis oblectatio, spes gloriae, et aviditas potentiae.*

* Ibid., ad IV, vers. 13.

Ad quintum dicendum quod, sicut Augustinus dicit, in libro *de Consensu Evang.* *, *incertum est quid prius factum sit: utrum regna terrae prius demonstrata sint ei* [ε], *et postea in pinnaculum Templi locatus sit; aut hoc prius, et illud postea. Nihil tamen ad rem: dum omnia facta esse manifestum sit.* Videntur autem Evangelistae diversum ordinem tenuisse, quia quandoque ex inani gloria venitur ad cupiditatem, quandoque e converso.

* Lib. II, cap.

Ad sextum dicendum quod Christus, cum passus fuisset tentationis iniuriam, dicente sibi diabolo, *Si Filius Dei es, mitte te deorsum,* non est turbatus, nec diabolum increpavit. Quando vero diabolus Dei usurpavit sibi honorem, dicens, *Haec omnia tibi dabo si cadens adoraveris me,* exasperatus est et repulit eum, dicens, *Vade, Satanas:* ut nos illius discamus exemplo nostras quidem iniurias magnanimiter sustinere, Dei autem iniurias nec usque ad auditum sufferre.

Ad septimum dicendum quod, sicut Chrysostomus dicit *, *diabolus sic Christum assumebat* (in pinnaculum Templi) *ut ab omnibus videretur: ipse autem, nesciente diabolo, sic agebat ut a nemine videretur.*

* Op. Imperf. in Matth., hom. ... Inter Opp. Chrysost.

Quod autem dicit, « *Ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum* », *non est intelligendum quod videret ipsa regna vel civitates vel populos, vel aurum vel argentum: sed partes* [ζ] *in quibus unumquodque regnum vel civitas posita est, diabolus Christo digito demonstrabat, et uniuscuiusque regni honores et statum verbis exponebat* *. — Vel, secundum Origenem *, *ostendit ei quomodo ipse per diversa vitia regnabat in mundo.*

* Ibid.
* Hom. X in Luc.

γ) *et.* — Om. P.
δ) *ducere.* — *inducere* Pl.
ε) *sint ei.* — Pl; *sunt ei* GHbc, *sunt* ceteri. — *pinnaculum* E et tertia praeter I; *pinnaculo* sD, *pīgnā* (idest *pinnam*) I, *pinnacula* ceteri.
ζ) *partes.* — *terrae* addunt Plc.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus de modo et ordine. Ordo ad ipsas tentationes inter se respicit: quae prima, quae secunda, quae tertia. Modus et ordo simul ad singulas respiciunt tentationes: quoad modum proponendi, ordinemque deducendi ad intentum.

In corpore fiunt quatuor. Primo, in communi modus ac ordo tentationis ab hoste ponitur. Et modus est per viam suggestionis eorum ad quae homo est affectus. Ordo est ut a levioribus incipiat spirituales tentare; et inde ad graviora; inde ad gravissima. Probaturque auctoritate Gregorii. — Secundo, declarantur haec servata in tentatione primi hominis. — Tertio, applicantur haec ad tentationem Christi. Et redditur inde ratio quare in primis dixit, *si Filius Dei es,* et in tertia non. — Quarto, modus resistendi ponitur: et laudatur et ex honore humani generis, et ex hostis maiore poena.

II. Circa has Christi tentationes, advertendum est quod tentationes erant et incitationes ad peccatum, ut in littera exponitur; et explorationes deitatis in Christo, ut verba tentationis monstrant, *si Filius Dei es.* Ita quod in ordine

ad Filium Dei, sunt explorationes: in ordine ad purum hominem, inductiones sunt ad peccatum. Utroque autem modo sunt tentationes: vel deitatis cognoscendae, vel peccato polluendi. Unde glossa * Matth. IV ** dicit: *Sic tentat ut exploret quod veretur: sic explorat ut tentando decipiat.* Et rursus: *Suadet esuriem pane de lapidibus facto relevare, ut ex mutatione cognoscat virtutem: et, si purus homo esset, panis oblectamento illuderet esuriem patienti.* Et quia ut sunt suggestiones ad peccandum, in littera tractantur, expedit de eis loqui ut sunt explorationes deitatis.

* d. ** ers. 3.

III. Memorans siquidem diabolus Trinitatis sibi ceterisque angelis revelatae per fidem ante casum, et inde coacte credens Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unum esse Deum, sicut etiam Christiani damnati nunc credunt; cum audisset a Gabriele Archangelo, *Filius Altissimi vocabitur* *, et in baptismo Christi, *Hic est Filius meus dilectus* *; vidensque Christum post ieiunium esurire: quod de deitate audierat, *ex superbia ei in dubium venit,* ut Glossa ibidem dicit; et etiam quia *Filius Dei* non solum consubstantialiter, sed alio modo dici potuisset. Exploraturus autem deitatem Christi, ab actu deitatis proprio, scilicet, *Dixit et facta sunt* *, inchoavit: *Dic ut lapides isti panes fiant.* Ita quod non solum ex substantia facti, scilicet lapidis in panem mutatione, sed ex modo faciendi proprio soli Deo, deitatem exploraret: nec ex opere hoc modo tantum, sed ex ipso apposito in testificationem quod Filius Dei esset. Cogitabat enim quod si, pro testimonio quod esset Filius Dei, diceret Christus ut lapis fieret panis, aut fieret panis, aut non. Et si quidem fieret, iam explorata esset Christi deitas apud daemonem (qui perspiciebat suo intellectu an lapis fuisset conversus in panem vere, an apparenter; ex solo imperio, an applicando activa passivis, ut magi coram Pharaone serpentes fecerunt *): cum Deus non possit esse testis mendacii. Si autem non fieret, induxisset Christum ad peccatum, quo attentasset facere miraculum sine necessitate, et non potuisset.

* cap. I, vers. * ...th. cap. III, v. 17. * CXLVIII, vers. 5. * ...od. cap. VII, v. 11, 12.

Et quoniam delusa est eius exploratio et deiecta suggestio inopinata via, scilicet per auctoritatem Scripturae: ideo secundo tentat, explorando similiter et suggerendo, *Si Filius Dei es, mitte te deorsum,* apposita auctoritate Scripturae, ex quo videbat quod Christus Scripturae auctoritate utebatur; similiter cogitans, si id efficeret illaesus ad testandum se Filium Dei, exploratam fore illius deitatem, utpote, absque ulla necessitate, pro solo nutu, miracula in testimonium suae deitatis facientis. Si vero laederetur, iam peccatum haberet in anima et in corpore; et inventum esset quod non esset Dei Filius.

Sed Dominus auctoritate Scripturae omnem eius machinationem delusit. Propter quod diabolus ad occultiorem explorandi modum se transtulit, proponendo apertissima mala sub specie regni: *Haec omnia tibi dabo si cadens adoraveris me.* Haec enim, quantum ex parte explorationis se tenent, non ea ratione proposuit ut, si Filius Dei esset, hoc faceret: sciebat enim valde contrariari Filio Dei hanc adorationem. Sed ea ratione proposuit ut, si Filius Dei esset, non ferret tam nefandam propositionem, sed responderet auctoritative: *Ego debeo a te adorari: et tu praesumis suggerere, « Si cadens adoraveris me ».* Et vel sic exploratam ex eius ore haberet suam deitatem. Et propterea in tertia tentatione non proposuit, *Si Filius Dei es:* sed in mente retinuit quod, *Si Filius Dei es, auctoritative refellendo proposita, manifestabis te Filium Dei.* Sed Dominus, increpationem eius non omittens, ad Scripturam de Deo adorando, tacens de seipso, se contulit. Et sic explorationem omnem delusit: et constantiam, inquantum homo, servavit, ex proposito totius mundi regno non declinando ad quod suggestio illa, ut incitativa ad malum, tendebat. Sciebat enim quod, regnandi gratia, etiam religio violanda a mortalibus est credita *.

* ...num. seq.,

Nec rationi consentaneum videtur ut tentationes istae, quas visibiliter apparens daemon exercuit, ut collocutiones manifestant, his solis verbis quae Matthaeus Evangelista narrat, fuerint contentae: sed multis essent fultae ornataeque verbis, omissis ab Evangelistis substantialia tantum narrantibus.

IV. Circa rationem ordinis harum tentationum in littera ex Gregorio assignatam, dubium occurrit: quia ratio illius ordinis, scilicet ut a levioribus ad graviora conscendat tentatio spiritualium, locum habet quando paulatim hostis vincit spiritualem virum; ex quo enim vicit in minoribus, tentat ad graviora. Sed ubi in minoribus succubuit hostis, non patet sibi aditus ad maiora. Et quia daemon fuit in prima tentatione superatus a Christo, non videtur ad alias processisse ex ratione assignata.

Ad hoc dicitur quod ratio illius ordinis ad tentandum spirituales viros non est solum praesupposito casu in prima tentatione, sed simpliciter et absolute. Nam, si casus intervenit, clare patet ratio processus ad graviora. Si vero casus non intervenit, nihilominus eadem ratione progredi debet tentatio. Quia multi sunt qui in his quae minoris sunt culpae ex suo genere, ut peccata carnis, exhibent se constantes, qui tamen in peccatis spiritualibus, ut vana gloria, debiles inveniuntur. Et rursum qui gloriam non affectant, ad oblatum regnum moventur: iuxta illud Iulii Caesaris *: *Si iusiurandum violandum est, regnandi gratia violandum est.* Non dissonat ergo reddita ratio ordinis tentationum ab ipsa Christi victoria.

* Cf. Tull. *de Offic.* lib. III, cap. XXI (Ed. Teubner); Sueton. *de Vita Caesar.* lib. I, cap. XXX (Ed. Teubner).

V. In responsione ad primum, dubium occurrit, quoniam non recte videtur opinatum quod, si Christus miraculum fecisset convertendo lapidem in panem edendum a seipso, quod peccasset. Nam scriptum est quod de facto miraculose, completa tentatione, pastus est, angelis ministrantibus. Ex hoc enim apparet quod, sicut absque peccato miraculum fecit de ministerio angelorum, ita potuisset de conversione lapidis in panem.

Ad hoc dicitur quod aliud est loqui de Christo: et aliud loqui de puro homine. Nam, de puro homine loquendo, verificatur quod in littera dicitur, scilicet inordinatum esse ut aliquis miraculose cibum habere velit, ubi ad humana subsidia recursus potest haberi. Et ex hac communi ratione putavit diabolus quod Christus, si purus homo esset, peccatum incurreret ad miraculum recurrendo de conversione lapidis in panem. Sed loquendo de Christo, qui est universorum Dominus *, absque omni peccato poterat et convertendo lapidem in panem, et ministerio angelorum, et quovis alio sibi grato modo, cibum habere.

* Cf. *ad Heb.* cap. I, vers. 2.

VI. In responsione ad quintum, miror cur Augustinus dixerit incertum esse ordinem istarum tentationum: cum Lucas, licet tertiam apud Matthaeum secundo recitet, et secundam ultimo referat, non dicit tamen quae illarum prior fuerit, et propterea ex Luca nullus istarum tentationum ordo temporis habetur. Matthaeus autem expresse earum ordinem secundum tempus explicat, ubi dicit: *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum.* Cum enim semel dixisset, *Tunc,* scilicet consummata prima tentatione, *assumpsit eum diabolus in sanctam Civitatem;* et postea subdidit, *Iterum assumpsit in montem:* aperte monstravit per ly *iterum* quod secundo assumpsit in montem qui primo assumpserat in sanctam Civitatem. Ac per hoc patet quod ordo rei gestae fuit quod primo tentatus fuit in deserto, ad quod non est assumptus a diabolo, sed *ductus est a Spiritu Sancto, ut tentaretur a diabolo;* secundo tentatus supra Templum, quo assumptus est a diabolo; et tertio in monte excelso, quo iterum assumptus est a diabolo: nam si haec in monte praecessisset illam supra Templum, non dixisset Matthaeus, *Iterum assumpsit eum diabolus in montem.*

Cum autem audis assumptum Dominum a diabolo, non intelligas portatum super dorsum aut collum diaboli, sed ductum a diabolo. Sic enim etiam Christus *assumpsit Petrum, Iacobum et Ioannem in montem, et transfiguratus est ante eos,* ut dicitur Matth. XVII *.

* Vers. 1, 2.

QUAESTIO QUADRAGESIMASECUNDA

DE DOCTRINA CHRISTI

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

DEINDE considerandum est de doctrina Christi *. Et circa hoc quaeruntur quatuor.

* Cf. qu. XL, Introd.

Primo: utrum Christus debuerit praedicare solum Iudaeis, vel etiam [α] gentibus.

Secundo: utrum in sua praedicatione debuerit turbationes [β] Iudaeorum vitare.

Tertio: utrum debuerit praedicare publice, vel occulte.

Quarto: utrum solum debuerit docere verbo, vel etiam scripto.

De tempore autem quo docere incoepit, supra * dictum est, cum de baptismo eius ageretur.

* Qu. XXXIX, 3.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM CHRISTUS NON SOLUM IUDAEIS, SED ETIAM GENTIBUS DEBUERIT PRAEDICARE

III *Sent.*, dist. I, Expos. litt.; *In Matth.*, cap. X, XV; *Ad Rom.*, cap. XV, lect. I.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus non solum Iudaeis, sed etiam gentibus debuerit praedicare. Dicitur enim Isaiae XLIX *: *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Israel et faeces* [γ] *Iacob convertendas: dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extrema terrae.* Sed lumen et salutem Christus praebuit per suam doctrinam. Ergo videtur parum fuisse si solum Iudaeis, et non gentibus praedicavit.

2. PRAETEREA, sicut dicitur Matth. VII *, *erat docens eos sicut potestatem habens.* Sed maior potestas doctrinae ostenditur in instructione illorum qui penitus nihil audierunt, quales erant gentiles: unde Apostolus dicit, *Rom.* XV *: *Sic praedicavi evangelium, non ubi nominatus est Christus: ne super alienum fundamentum aedificarem.* Ergo multo magis Christus praedicare debuit gentilibus quam Iudaeis.

3. PRAETEREA, utilior est instructio multorum quam unius. Sed Christus aliquos gentilium instruxit: sicut mulierem Samaritanam, Ioan. IV *, et Chananaeam, Matth. XV *. Ergo videtur quod, multo fortius, Christus debuerit multitudini gentium praedicare.

SED CONTRA EST quod Dominus dicit, Matth. XV *: *Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel.* Sed *Rom.* X * dicitur: *Quomodo praedicabunt nisi mittantur?* Ergo Christus non debuit praedicare gentibus [δ].

RESPONDEO DICENDUM quod conveniens fuit praedicationem Christi, tam per ipsum quam per Apostolos, a principio solis Iudaeis exhiberi. Primo quidem, ut ostenderet per suum adventum impleri promissiones antiquitus factas Iudaeis, non autem gentilibus. Unde Apostolus dicit, *Rom.* XV *: *Dico Christum ministrum fuisse Circumcisionis*, idest apostolum et praedicatorem Iudaeorum, *propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum.*

Secundo, ut eius adventus ostenderetur esse a Deo. *Quae enim a Deo sunt, ordinata sunt*, ut dicitur *Rom.* XIII *. Hoc autem debitus ordo exigebat, ut Iudaeis, qui Deo erant propinquiores per fidem et cultum unius Dei, prius quidem [ε] doctrina Christi proponeretur, et per eos transmitteretur ad gentes: sicut etiam et in caelesti hierarchia per superiores angelos ad inferiores divinae illuminationes deveniunt *. Unde super illud Matth. XV *, *Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel,* dicit Hieronymus *: *Non hoc dicit quin ad gentes missus sit: sed quod primum ad Israel missus est.* Unde et Isaiae ult. * dicitur: *Mittam ex eis qui salvati fuerint,* scilicet ex Iudaeis, *ad gentes, et annuntiabunt gloriam meam gentibus.*

Tertio, ut Iudaeis auferret calumniandi materiam. Unde super illud Matth. X *, *In viam gentium ne abieritis*, dicit Hieronymus *: *Oportebat primum adventum Christi nuntiari Iudaeis, ne iustam haberent excusationem, dicentes ideo se Dominum reiecisse, quia ad gentes et Samaritanos Apostolos miserit.*

Quarto, quia Christus per crucis victoriam meruit potestatem et dominium [ζ] super gentes. Unde dicitur *Apoc.* II *: *Qui vicerit, dabo ei potestatem super gentes: sicut et ego accepi a Patre meo.* Et *Philipp.* II *, quod, quia *factus est obediens usque ad mortem crucis, Deus exaltavit illum, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, et omnis lingua*

* Vers. 6. — * Vers. 29. — * Vers. 20. — * Vers. 7 sqq. — * Vers. 22 sqq. — * Vers. 24. — * Vers. 15. — * Vers. 8. — * Vers. 1. — * Dionys. C... Hier. cap. ... — * Cf. Arg. ... contra. — * Comment. ... II. — * Vers. 19. — * Vers. 5. — * Comment. li... — * Vers. 26, 2... — * Vers. 8 sqq.

α) *vel etiam.* – FI; *an etiam* P, *vel* ceteri.
β) *turbationes.* – *turbationem* tertia praeter I.
γ) *faeces.* – *a* et tertia; *sedes.* Pro *extrema, extremum* FI et editiones.
δ) *gentibus.* – *nisi gentilibus* I, *gentibus sed Iudaeis bc, nisi Iudaeis* P.
ε) *quidem.* – Om. P; I legit: *per fidem et multum unius diei doctrina Christi.*
ζ) *et dominium.* – PEG; *et dominium et victoriam* IIbc, *et victoriam et dominium* ceteri.

ei confiteatur. Et ideo ante passionem suam noluit gentibus praedicari suam doctrinam: sed post passionem suam dixit discipulis, Matth. ult. *: *Euntes, docete omnes gentes*. Propter quod, ut legitur Ioan. XII *, cum, imminente passione, quidam gentiles vellent videre Iesum, respondit: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Et, sicut Augustinus dicit ibidem *, *se dicebat granum mortificandum in infidelitate Iudaeorum, multiplicandum in fide populorum*.

* ...rs. 19.
* ...rs. 20 sqq.
* ...ct. LI in ...Evang.

Ad primum ergo dicendum quod Christus fuit in lumen et salutem gentium per discipulos suos, quos ad praedicandum gentibus misit.

Ad secundum dicendum quod non est minoris potestatis, sed maioris, facere aliquid per alios, quam per seipsum. Et ideo in hoc maxime potestas divina in Christo monstrata est, quod discipulis suis tantam virtutem contulit in docendo, ut gentes, quae nihil de Christo audierant, converterent ad ipsum.

Potestas autem Christi in docendo attenditur et quantum ad miracula, per quae doctrinam suam confirmabat; et quantum ad efficaciam persuadendi; et quantum ad auctoritatem loquentis, quia loquebatur quasi dominium habens super legem, cum diceret, *Ego autem dico vobis* *; et etiam quantum ad virtutem η) rectitudinis quam in sua conversatione monstrabat, sine peccato vivendo.

* Matth. cap. v, vers. 22, 28, 32, 34, 39, 44.

Ad tertium dicendum quod, sicut Christus non debuit a principio indifferenter gentilibus suam doctrinam communicare, ut Iudaeis tanquam primogenito populo deditus observaretur; ita etiam non debuit gentiles omnino repellere, ne spes salutis eis praecluderetur. Et propter hoc aliqui gentilium particulariter sunt admissi, propter excellentiam fidei et devotionis eorum.

η) virtutem. – Tertia *(al'veritatem b)*; *veritatem*.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore unica conclusio: *Conveniens fuit Christum, per se et Apostolos, in principio, hoc est, ipso mortaliter vivente, solis Iudaeis praedicare*. Probatur quadrupliciter. Omnia clara sunt.

In responsione ad secundum, extende illa quatuor penes quae potestas Christi in docendo attenditur, scilicet secundum miracula, secundum efficaciam in persuadendo, secundum auctoritatem in modo loquentis, secundum rectitudinem vitae: et adde quintum, secundum excellentiam doctrinae; et sextum, secundum irreprehensibilitatem moralis vitae quam docuit. Excellentia doctrinae eius et manifestando Trinitatis imperium, *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus* *; et in aperiendo caelestia, de felicitate caelesti, de resurrectione, etc., patet. Moralis autem vita, Matth. v *, de actibus excellentissimis virtutum, qui beatitudines vocantur, et de desiderabilibus ab homine, in oratione Dominica, et de modo vivendi, talis tantaque habetur; et deinde per parabolas, aliosque Evangelistas, etc.: ut, experientia teste, videamus Christianam vitam plenam omnis boni moris, inimicam omni vitio, nec in aliquo culpabilem, in nullo superstitiosam, in nullo phantasticam, si secundum Christi doctrinam instituta fuerit.

* Ioan. cap. xvii, vers. 6.
* Matth. cap. v, vi, vii.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CHRISTUS DEBUERIT IUDAEIS SINE EORUM OFFENSIONE PRAEDICARE

IIª IIªᵉ, qu. XLIII, art. 7; *In Matth.*, cap. XV.


Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Christus debuerit Iudaeis sine eorum offensione praedicare *. Quia, ut Augustinus dicit, in libro *de Agone Christiano* *, *in homine Iesu Christo se nobis ad exemplum vitae praebuit Filius Dei*. Sed nos debemus vitare offensionem, non solum fidelium, sed etiam infidelium: secundum illud I *Cor*. x *: *Sine offensione estote Iudaeis et gentibus et Ecclesiae Dei*. Ergo videtur quod etiam Christus in sua doctrina offensionem Iudaeorum vitare debuerit.

* Matth. cap. xiii.
* ... xi.
* ... 32.

2. Praeterea, nullus sapiens debet facere unde effectum sui operis impediat. Sed per hoc quod sua doctrina Christus Iudaeos turbavit, impediebatur effectus doctrinae eius: dicitur enim Luc. XI *, quod, cum Dominus Pharisaeos et scribas reprehenderet, *coeperunt graviter insistere, et os eius opprimere de multis, insidiantes ei et quaerentes aliquid capere ex ore eius ut accusarent eum*. Non ergo videtur conveniens fuisse quod eos in sua doctrina offenderet.

* ... 53, 54.

3. Praeterea, Apostolus dicit, I *Tim*. v *: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem*. Sed sacerdotes et principes Iudaeorum erant illius populi seniores. Ergo videtur quod non fuerint duris increpationibus arguendi.

* ... 1.

Sed contra est quod Isaiae VIII * fuerat prophetatum quod Christus esset *in lapidem offensionis et petram scandali duabus domibus Israel*.

* Vers. 14.

Respondeo dicendum quod salus multitudinis est praeferenda paci quorumcumque singularium hominum. Et ideo, quando aliqui sua perversitate multitudinis salutem impediunt, non est timenda eorum offensio a praedicatore vel doctore, ad hoc quod multitudinis saluti provideat. Scribae autem et Pharisaei et principes Iudaeorum sui malitia plurimum impediebant populi salutem: tum quia repugnabant Christi doctrinae, per quam solam poterat esse salus; tum etiam quia pravis suis moribus vitam populi corrumpebant. Et ideo Dominus, non obstante offensione eorum, publice veritatem docebat, quam illi odiebant, et eorum vitia arguebat. Et ideo dicitur, Matth. XV *, quod, discipulis Domino dicentibus, *Scis quia Iudaei, audito hoc verbo, scandalizati sunt?* respondit: *Sinite illos. Caeci sunt*

* Vers. 12, 14.

duces caecorum. Si caecus caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod homo sic debet esse sine offensione omnibus ut nulli det suo facto vel dicto minus recto occasionem ruinae. *Si tamen de veritate scandalum oritur, magis est sustinendum scandalum quam veritas relinquatur,* ut Gregorius dicit *.

* Homil. VII *in Ezech.*

AD SECUNDUM DICENDUM quod per hoc quod Christus publice scribas et Pharisaeos arguebat, non impedivit, sed magis promovit effectum suae doctrinae. Quia cum eorum vitia populo innotescebant, minus avertebatur a Christo propter verba scribarum et Pharisaeorum, qui semper doctrinae Christi obsistebant.

AD TERTIUM DICENDUM quod illud verbum Apostoli est intelligendum de illis senioribus qui non solum aetate vel auctoritate, sed etiam honestate sunt senes: secundum illud *Num.* XI *, *Congrega mihi septuaginta* [α] *viros de senioribus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint.* Si autem auctoritatem senectutis in instrumentum malitiae vertant publice peccando, sunt manifeste et acriter arguendi: sicut et Daniel dixit, Dan. XIII *: *Inveterate dierum malorum,* etc.

* Vers. 10. α

* Vers. 52.

α) *septuaginta.* – P; *XL* cetera tertia, *XXX* F, *XXI* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS motus est propter publicas reprehensiones exhibitas a Christo Scribis et Pharisaeis, cum eorum scandalo, ut patet in Evangelio.

In corpore unica est conclusio: [*Convenienter*] *Dominus, non obstante Iudaeorum offensione, publice docebat, et vitia eorum redarguebat.* Probatur dupliciter. Primo, ratione. Quando aliqui sua perversitate multitudinis salutem impediunt, non est a praedicatore vel doctore eorum timenda offensio, ut multitudinis saluti provideat. Sed scribae, Pharisaei et principes Iudaeorum sua malitia plurimum impediebant populi salutem. Ergo. – Maior probatur. Quia salus multitudinis praeponenda est paci quorumcumque singularium hominum. – Minor probatur. Tum quia contra doctrinam Christi, per quam solam salus esse potest. Tum quia pravis moribus populi vitam corrumpebant.

Secundo, probatur auctoritate ipsius Christi, Matth. XV: *Sinite illos,* etc.

II. Adverte diligentissime et cautissime quod tota ratio publicae reprehensionis maiorum assignatur salus multitudinis. Et propterea, ubi maiores essent pessimi, et ex eorum reprehensione publica non speratur populi salus, locum non habet imitatio Christi: vana enim esset huiusmodi publica correctio.

Et hoc bene advertant praedicatores, antequam *ponant os in caelum.* Nec omittant distinguere inter maiores corrumpentes multitudinis vitam malis moribus vel exemplariter tantum: vel incitative. Nam maiores qui, palam vel sub aliquo colore, adulterantes vel fornicantes, multitudinem ad haec patranda sollicitarent, sub dicto comprehenduntur canone: ut scilicet, si sit spes salutis ipsius multitudinis, publice arguantur. Hi enim sunt de quibus in responsione ad tertium dicitur quod *auctoritatem senectutis in instrumentum malitiae vertunt publice peccando.*

Illi vero maiores qui suis contenti sunt peccatis publicis, ut concubinarii et huiusmodi, qui revera non simpliciter, sed quantum est ex suo exemplo, aliorum mores corrumpunt: an sint publice arguendi, considerandum est. Nam si ex eorum exemplo multitudo similia facit, essent publice arguendi, si spes est emendationis ipsorum vel plebis, postquam, moniti ad partem, nollent cessare (quod dico, quia isti non ex malitia, sed ex infirmitate peccant). Sed si, moniti, cognita ruina populi ex suo exemplo, non curarent, arguendi cum populo essent publice, cum tali modestia ut salus verisimiliter populi sequi possit: ita tamen ut, si praedicationis officium sibi incumbit ex praelationis debito super illos, non timeat illorum scandalum, quoniam quasi paria sunt corrumpere populi mores sic, et ex malitia; si autem praelatus eorum non est, superiorem illorum deberet prius consulere. Et haec dico, si in specie deberet maiores reprehendere publice ex infirmitate publice concubinas tenentes. Et horum ratio est, quia hic non agitur ex proposito ad malum multitudinis; et multitudini plerumque sufficienter providetur si in genere peccatum illud reprehenditur, et quod non excusantur sequentes mala exempla, et huiusmodi.

Si autem ex eorum publico peccato salus non periclitaretur multitudinis, relinquendi sunt superioribus suis, si habent, vel sibi ipsis corrigendi in speciali. Cessat enim ratio publicae correctionis agendae cum offensione maiorum.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM CHRISTUS OMNIA PUBLICE DOCERE DEBUERIT

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus non omnia publice docere debuit. Legitur enim multa seorsum discipulis dixisse: sicut patet in sermone Caenae *. Unde et Matth. X ** dixit: *Quod in aure audistis in cubilibus, praedicabitur in tectis.* Non ergo omnia publice docuit.

* Ioan. cap. XIII sqq.
** Vers. 27. - Cf. Luc. cap. XII, vers. 3.

2. PRAETEREA, profunda sapientiae non sunt nisi perfectis exponenda [α]: secundum illud I *Cor.* II *: *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Sed doctrina Christi continebat profundissimam sapientiam. Non ergo erat imperfectae multitudini communicanda.

α * Vers. 6.

3. PRAETEREA, idem est veritatem aliquam occultare silentio, et obscuritate verborum. Sed Christus veritatem quam praedicabat, occultabat turbis obscuritate verborum: quia *sine parabolis non loquebatur ad eos,* ut dicitur Matth. XIII *. Ergo pari ratione poterat occultari [β] silentio.

* Vers. 34. β

SED CONTRA EST quod ipse dicit, Ioan. XVIII *: *In occulto locutus sum nihil.*

* Vers. 20.

RESPONDEO DICENDUM quod doctrina alicuius

α) *exponenda.* – *exposita* ABCF.

β) *occultari.* – *occultare* PFIa.

potest esse in occulto tripliciter. Uno modo, quantum ad intentionem docentis, qui intendit suam doctrinam non manifestare multis, sed magis occultare. Quod quidem contingit dupliciter. Quandoque ex invidia docentis, qui vult per suam scientiam excellere, et ideo scientiam suam non vult aliis communicare. Quod in Christo locum non habuit, ex cuius persona dicitur, *Sap.* VII *: *Quam sine fictione didici, et sine invidia communico, et honestatem illius non abscondo.*

Quandoque vero hoc contingit propter inhonestatem eorum quae [γ] docentur: sicut Augustinus dicit, *super Ioan.* *, quod *quaedam sunt mala quae portare non potest qualiscumque pudor humanus.* Unde de doctrina haereticorum dicitur, *Prov.* IX *: *Aquae furtivae dulciores sunt.* Doctrina autem Christi *non est neque de errore neque de immunditia* *. Et ideo Dominus dicit, Marci IV **: *Nunquid venit lucerna,* idest vera et honesta doctrina, *ut sub modio ponatur?*

Alio modo aliqua doctrina est in occulto, quia paucis proponitur. Et sic etiam Christus nihil docuit in occulto: quia omnem doctrinam suam vel turbae toti proposuit, vel omnibus suis discipulis in communi. Unde Augustinus dicit, *super Ioan.* *: *Quis in occulto loquitur, cum* [δ] *coram tot hominibus loquitur? Praesertim si hoc loquitur paucis, quod per eos velit innotescere multis?*

Tertio modo aliqua doctrina est in occulto, quantum ad modum docendi. Et sic Christus quaedam turbis loquebatur in occulto, parabolis utens ad annuntianda spiritualia mysteria, ad quae capienda non erant idonei vel digni. Et tamen melius erat eis vel sic, sub tegumento parabolarum, spiritualium doctrinam audire, quam omnino ea privari. Harum tamen parabolarum apertam et nudam veritatem Dominus discipulis exponebat *, per quos deveniret ad alios, qui essent idonei: secundum illud II *Tim.* II *: *Quae audisti* [ε] *a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.*

[Margin: * Vers. 13. — * Tract. XCVI. — * Vers. 17. — * I ad Thess., cap. II, vers. 3. — ** Vers. 21. — * Tract. CXIII. — * Matth. cap. XIII, vers. 10 sqq. — * Vers. 2.]

Et hoc significatum est *Num.* IV *, ubi mandatur quod filii Aaron involverent vasa sanctuarii, quae Levitae involuta portarent.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Hilarius dicit, *super Matth.* *, exponens illud verbum inductum, *non legimus Dominum solitum fuisse noctibus sermocinari, et doctrinam in tenebris tradidisse: sed hoc dicit, quia omnis sermo eius carnalibus tenebrae sunt, et verbum eius infidelibus nox est. Itaque quod ab eo dictum est, inter infideles cum libertate fidei et confessionis est loquendum.*

Vel, secundum Hieronymum *, comparative loquitur, quia videlicet *erudiebat eos in parvo Iudaeae loco,* respectu totius mundi, in quo erat per [ζ] Apostolorum praedicationem doctrina Christi publicanda.

Ad secundum dicendum quod Dominus non omnia profunda suae sapientiae sua doctrina manifestavit, non solum turbis, sed nec etiam discipulis, quibus dixit, Ioan. XVI *: *Adhuc habeo vobis multa dicere, quae non potestis portare modo.* Sed tamen quaecumque dignum duxit aliis tradere de sua sapientia, non in occulto, sed palam proposuit: licet non ab omnibus intelligeretur. Unde Augustinus dicit, *super Ioan.* *: *Intelligendum est ita dixisse Dominum, « Palam locutus sum mundo », ac si dixisset, « Multi me audierunt ». Et rursus non erat palam: quia non intelligebant.*

Ad tertium dicendum quod turbis Dominus in parabolis loquebatur, sicut dictum est *, quia non erant digni nec idonei nudam veritatem accipere, quam discipulis exponebat.

Quod autem dicitur quod *sine parabolis non loquebatur eis,* secundum Chrysostomum * intelligendum est quantum ad illum sermonem: quamvis alias et sine parabolis multa turbis locutus fuerit. – Vel, secundum Augustinum, in libro *de Quaest. Evang.* *, hoc dicitur, *non quia nihil proprie locutus est: sed quia nullum fere sermonem explicavit ubi non per parabolam aliquid significaverit, quamvis in eo aliqua proprie dixerit.*

[Margin: * Vers. 5 sqq. — * Comment. cap. X. — * *Comment. in Matth.* lib. I, ad loc. cit. — * Vers. 12. — * Tract. CXIII. — * In corpore. — * Homil. XLVII, al. XLVIII, *in Matth.* — * *Lib. Quaest.* XVII *in Evang. sec. Matth.*, qu. XV.]

γ) *quae.* – PFIsG et *a; qui.*
δ) *cum.* – *qui* EF et tertia praeter G.
ε) *audisti.* – PIsF et *a; audistis.*
ζ) *in quo erat per.* – *respectu quorum per* B, *in quorum* C.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore est distinctio trimembris quoad principalia membra. Quia tamen primum subdistinguitur, consurgunt quatuor membra: ac per hoc, quatuor conclusiones, singulae iuxta singula membra.

Distinctio est. Doctrina potest esse in occulto tripliciter. Vel quoad intentionem: et hoc dupliciter, aut ratione invidiae, aut ratione immunditiae. Vel quoad discipulos. Vel quoad modum.

Prima conclusio est: *Doctrina Christi non fuit occulta secundum intentionem ratione invidiae.* – Secunda: *Non fuit occulta ratione immunditiae.* – Tertia: *Non fuit occulta quoad paucitatem discipulorum.* – Quarta: *Fuit occulta quoad modum in quibusdam respectu quorundam, scilicet plebis immediate, quia mediantibus Apostolis revelanda.* – Omnia clara sunt in littera.

II. Et adverte quod, ad litteram, Christus *palam docuit et in occulto nihil,* ut ipse testatus est *: tum quia quidquid docuit, voluit palam fieri; tum quia nihil alienum ab his quae publice docuit, ad partem tradidit. Et sic omnia ad litteram consona inveniuntur: scilicet sermo Caenae *; et domi pluries **; et in monte transfigurationis *; et, *Quod in aure audistis* **; et Nicodemo *** et Samaritanae *; et huiusmodi. Sic enim, secundum communem hominum intellectum, verificantur verba Domini ad Pontificem interrogantem de doctrina eius. Et sic, cognita doctrina eius publice tradita, nihil restabat examinandum, quia nihil alienum a publice tradita doctrina docuit.

[Margin: * Cf. arg. *Sed contra.* — * Ioan. cap. XIII sqq. — ** Matt. cap. XIII, vers. 36 sqq.; Marc. VII, vers. 17 sqq.; cap. IX, vers. 27, 32; cap. X, vers. 10. — * Matth. cap. XVII, vers. 10 sqq. — ** Matth. cap. X, vers. 27; Luc. cap. XII, vers. 3. — *** Ioan. cap. III. — * Ioan. cap. IV, vers. 7 sqq.]

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CHRISTUS DOCTRINAM SUAM DEBUERIT SCRIPTO TRADERE

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus doctrinam suam debuerit scripto tradere. Scriptura enim inventa est ad hoc quod doctrina commendetur memoriae in futurum. Sed doctrina Christi duratura erat in aeternum: secundum illud Luc. XXI * [* Vers. 33.]: *Caelum et terra transibunt: verba autem mea non transibunt* [α]. Ergo videtur quod Christus doctrinam suam debuerit scripto mandare.

2. PRAETEREA, lex vetus in figura Christi praecessit: secundum illud *Heb.* X * [* Vers. 1.]: *Umbram habet* [β] *lex futurorum bonorum.* Sed lex vetus a Deo fuit descripta: secundum illud *Exod.* XXIV * [* Vers. 12.]: *Dabo tibi duas tabulas lapideas, et legem ac mandata quae scripsi.* Ergo videtur quod etiam Christus doctrinam suam scribere debuerit.

3. PRAETEREA, ad Christum, qui venerat *illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent,* ut dicitur Luc. I * [* Vers. 79.], pertinebat erroris occasionem excludere, et viam fidei aperire. Sed hoc fecisset doctrinam suam scribendo: dicit enim Augustinus, in I *de Consens. Evang.* * [* Cap. VII.], quod *solet nonnullos movere cur ipse Dominus nihil scripserit, ut aliis de illo scribentibus necesse sit credere. Hoc enim illi vel maxime pagani quaerunt qui Christum culpare aut blasphemare non audent, eique tribuunt excellentissimam sapientiam, sed tamen tanquam homini. Discipulos vero eius dicunt magistro suo amplius tribuisse quam erat: ut eum Filium Dei dicerent, et Verbum Dei, per quod facta sunt omnia.* Et postea subdit * [* Ibid.]: *Videntur parati fuisse hoc de illo credere quod de se ipse* [γ] *scripsisset: non quod alii de illo pro suo arbitrio praedicassent.* Ergo videtur quod Christus ipse doctrinam suam scripto tradere debuerit.

SED CONTRA EST quod nulli libri ab eo scripti habentur in canone Scripturae.

RESPONDEO DICENDUM conveniens fuisse Christum doctrinam suam non scripsisse. Primo quidem, propter dignitatem ipsius. Excellentiori enim doctori excellentior modus doctrinae debetur. Et ideo Christo, tanquam excellentissimo doctori, hic modus competebat, ut doctrinam suam auditorum cordibus imprimeret. Propter quod dicitur Matth. VII * [* Vers. 29.], quod *erat docens eos sicut potestatem habens.* Unde etiam apud gentiles Pythagoras et Socrates, qui fuerunt excellentissimi doctores, nihil scribere voluerunt. Scripta enim ordinantur [δ] ad impressionem doctrinae in cordibus auditorum sicut ad finem.

Secundo, propter excellentiam doctrinae Christi, quae litteris comprehendi non potest: secundum illud Ioan. ult. * [* Vers. 25.]: *Sunt et alia multa quae fecit Iesus, quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere* [ε] *eos qui scribendi sunt libros.* Quos, sicut Augustinus dicit * [* Tract. C... in Ioan. E...], *non spatio locorum credendum est mundum capere non posse: sed capacitate legentium comprehendi non posse.* Si autem Christus scripto suam doctrinam mandasset, nihil altius de eius doctrina homines existimarent quam quod scriptura contineret.

Tertio, ut ordine quodam ab ipso doctrina ad omnes perveniret: dum ipse scilicet discipulos suos immediate docuit, qui postmodum alios verbo et scripto docuerunt. Si autem ipsemet scripsisset, eius doctrina immediate ad omnes pervenisset. Unde et de Sapientia dicitur, *Prov.* IX * [* Vers. 3.], quod *misit ancillas suas vocare ad arcem.*

Sciendum tamen est, sicut Augustinus dicit, in I *de Consens. Evang.* * [* Cap. IX, X.], aliquos [ζ] gentiles existimasse Christum quosdam libros scripsisse continentes quaedam magica, quibus miracula faciebat: quae disciplina Christiana condemnat. *Et tamen illi qui Christi libros tales se legisse affirmant, nulla talia faciunt qualia illum de libris* [η] *talibus fecisse mirantur. Divino etiam iudicio sic errant ut eosdem libros ad Petrum et Paulum dicant tanquam epistolari titulo praenotatos, eo quod in pluribus locis simul eos cum Christo pictos viderunt. Nec mirum si a pingentibus fingentes decepti sunt. Toto enim tempore quo Christus in carne mortali cum suis discipulis vixit, nondum erat Paulus discipulus eius.*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, in eodem libro * [* Cap. XXX...], *omnibus discipulis suis tanquam membris sui corporis Christus caput est. Itaque, cum illi scripserunt quae ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est quod ipse non scripserit. Quandoquidem membra eius id operata sunt quod, dictante capite, cognoverunt. Quidquid enim ille de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tanquam suis manibus imperavit.*

AD SECUNDUM DICENDUM quod, quia lex vetus in sensibilibus figuris dabatur, ideo etiam convenienter sensibilibus signis scripta fuit. Sed doctrina Christi, quae est *lex Spiritus vitae* * [* Ad Rom. VIII, vers. 2.], scribi debuit, *non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus* [θ], ut Apostolus dicit, II *Cor.* III * [* Vers. 3.].

AD TERTIUM DICENDUM quod illi qui scripturae Apostolorum de Christo credere nolunt [ι], nec ipsi Christo scribenti credidissent, de quo opinabantur quod magicis artibus fecisset miracula.

α) *transibunt.* — Pa; *transient.*
β) *habet.* — *habens* P.
γ) *ipse.* — Editiones; *ille.*
δ) *Scripta enim ordinantur.* — *Scriptura enim ordinatur* Plc.
ε) *capere.* — *posse* addunt Pl.
ζ) *aliquos.* — *a* et tertia; *alios.*
η) *de libris.* — *libris* P. Pro *etiam, enim* Pac.
θ) *carnalibus.* — *spiritualibus* P.
ι) *nolunt.* — *noluerit b, noluerint c, noluerunt* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore duo: primo, respondetur quaesito unica conclusione; secundo, referuntur quaedam ex Augustino *. *Cf. num. iv.

Conclusio est: *Conveniens fuit Christum doctrinam suam non scripsisse.* Probatur tripliciter.

Ubi adverte in prima ratione, ex dignitate doctoris dignissimum modum docendi concludente, duo. Primum est quod modus docendi distinguitur in duos: scilicet verbo, vel scripto. Et excellentior ponitur modus docendi solo verbo, ea ratione, quia immediatius perducit ad finem. Cum enim finis doctoris sit imprimere doctrinam suam in mentibus auditorum, qui solo verbo id facit, excellentiori modo efficit quam qui verbo in scriptis redacto idem efficeret.

Secundum est quod Socratem nihil scripsisse sub proprio nomine intelligendum est. Quoniam traditur ipsum sub Aesopi nomine, Aesopi fabulas scripsisse, coactus, ut ipse aiebat, ad hoc a suo daemone. In cuius signum, Plato, in *Phaedone* *, Socratem introducit moriturum non se continuisse ab Aesopo constructuro fabulam. *Cap. x, xi (Ed.

II. Sed occurrit hic dubium, quia tertia ratio adversatur primae. Nam tertia fundatur super ordine quo Christi doctrina pervenire debet ad omnes, scilicet, mediantibus quibusdam: prima autem fundatur super immediatione inter doctorem et discipulum. Haec enim sibi invicem adversari patet: nam, si immediate, ergo non ordine quodam; et si ordine quodam, ergo non immediate.

Ad hoc dicitur quod utraque ratio vera et efficax est, ad diversos relata. Nam prima ratio respicit doctrinam Christi respectu discipulorum, qui ex proprio Christi ore edocti sunt. Tertia autem respicit doctrinam Christi respectu universorum, quocumque tempore a Christo discunt. Et respectu illorum, immediatio excellentior est: ut prima ratio sonat. Respectu autem universorum, ordo excellentior est ut ad alios mediantibus quibusdam perveniat doctrina: ut tertia assumit ratio. Nulla ergo est controversia inter rationes sane intellectas.

III. In hac conclusione, adverte quod non minima est conclusionis ratio ut Christus, etiam in docendi modo, monstraret se esse verum Deum. Solius quippe esse Dei comprobatur experientia et auctoritate docere universum orbem ea quae religionis atque morum, totiusque vitae, etiam post corporis mortem futurae, absque scriptura propria, revelando ac tradendo quae ab aliis scribenda sunt. Sic enim videmus Deum et naturalia per lumen naturale nos docere, iuxta illud *, *Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?* et respondetur, *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine,* etc., quo lumine sunt illustrati qui bene de natura, de moribus, et huiusmodi, scripserunt: et supernaturalia nobis tradere per lumen infusum, ut credimus de prophetis qui scripserunt. Similiter enim Iesus Christus per seipsum et exterius et interius docuit Apostolos, qui, lumine infuso fulti, scripserunt: *aperuit* enim *illis sensum ut intelligerent Scripturam* *, et Spiritus Sanctus lumine mentes eorum illustravit, ut docerent verbo et scripto reliquos. Decuit ergo Christum nihil scribere, ut ex hoc sua doctrina Dei doctrina monstraretur. *Ps. iv, vers. 6, 7. *Luc. cap. xxiv, vers. 45.

Est etiam ex eodem deitatis capite alia ratio: ut scilicet comprobaret se Deum ex modo docendi, scribendo in cordibus hominum, et non in tabulis materialibus, iuxta illud Ierem. xxxi *, *Ecce, dies veniunt, etc., et scribam in cordibus eorum;* et comprobaret doctrinam suam esse doctrinam *spiritus* et *vitae,* et non *litterae* et *mortis* *. Reservatum sibi quippe Dominus Iesus docendi modum per internum lumen gratiae, tanquam Deo proprium, sciens, non debebat scripturae doctrinam suam credere: quasi, scriptura illa perdita, doctrina sua periisset; quam ipse servaturus per internum est lumen usque in aeternum. *Vers. 31, 33. *II *ad Cor.*, cap. iii, vers. 6, 7.

IV. Deinde ex Augustino quorundam gentilium caecam opinionem refert de scriptis a Christo, tribus adiunctis oppositionibus *. Prima est ex contentis in libro: quia contraria sunt Christianae disciplinae. Secunda est ex utentibus ipsis libris: quia non illa quae Christus fecit, facere possunt. Tertia est ex titulo: quia ad Paulum, qui non erat discipulus. *Cf. num. i.



QUAESTIO QUADRAGESIMATERTIA

DE MIRACULIS A CHRISTO FACTIS IN GENERALI

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

DEINDE considerandum est de miraculis a Christo factis *. Et primo, in generali; secundo, in speciali de singulis miraculorum generibus *; tertio, in particulari de transfiguratione ipsius *.

* Cf. qu. XL, Introd.
* Qu. XLIV.
* Qu. XLV.

Circa primum quaeruntur quatuor.

Primo: utrum Christus debuerit miracula facere.
Secundo: utrum fecerit ea virtute divina.
Tertio: quo tempore incoeperit miracula facere.
Quarto: utrum per miracula fuerit sufficienter ostensa eius divinitas.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM CHRISTUS MIRACULA FACERE DEBUERIT

Cont. Graec. Armen. etc., cap. VII.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus miracula facere non debuit. Factum enim Christi verbo ipsius debuit concordare. Sed ipse dixit, Matth. XVI *: *Generatio mala et adultera signum quaerit: et signum non dabitur ei, nisi signum Ionae Prophetae.* Ergo non debuit miracula facere.

* Vers. 4; cap. XII, vers. 39.

2. PRAETEREA, sicut Christus in secundo adventu venturus est *in virtute magna et maiestate,* ut dicitur Matth. XXIV *; ita in primo adventu venit in infirmitate, secundum illud Isaiae LIII *: *Virum dolorum et scientem infirmitatem.* Sed operatio miraculorum magis pertinet ad virtutem quam ad infirmitatem. Ergo non fuit conveniens ut in primo adventu miracula faceret.

* Vers. 30.
* Vers. 3.

3. PRAETEREA, Christus venit ad hoc ut per fidem homines salvaret: secundum illud *Heb.* XII *: *Aspicientes in auctorem fidei et consummatorem, Iesum.* Sed miracula diminuunt meritum fidei: unde Dominus dicit, Ioan. IV *: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.* Ergo videtur quod Christus non debuerit miracula facere.

* Vers. 2.
* Vers. 48.

SED CONTRA EST quod ex persona adversariorum dicitur, Ioan. XI *: *Quid facimus: quia hic homo multa signa facit?*

* Vers. 47.

RESPONDEO DICENDUM quod divinitus conceditur homini miracula facere, propter duo. Primo quidem, et principaliter, ad confirmandam veritatem quam aliquis docet. Quia enim ea quae sunt fidei humanam rationem excedunt, non possunt per rationes humanas probari, sed oportet quod probentur per argumentum divinae virtutis: ut, dum aliquis facit opera quae solus Deus facere potest, credantur ea quae dicuntur esse a Deo; sicut, cum aliquis defert litteras anulo regis signatas, creditur ex voluntate regis processisse quod in illis continetur. – Secundo, ad ostendendum praesentiam Dei in homine per gratiam Spiritus Sancti: ut dum scilicet homo facit opera Dei, credatur Deus habitare in eo per gratiam. Unde dicitur *Galat.* III *: *Qui tribuit vobis Spiritum, et operatur virtutes in vobis.*

* Vers. 5.

Utrumque autem circa Christum erat hominibus manifestandum: scilicet quod Deus esset in eo per gratiam, non adoptionis, sed unionis; et quod eius supernaturalis doctrina esset a Deo. Et ideo convenientissimum fuit ut miracula faceret. Unde ipse dicit, Ioan. X *: *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Et Ioan. V *: *Opera quae dedit mihi Pater ut faciam, ipsa sunt quae testimonium perhibent de me.*

* Vers. 38.
* Vers. 36.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod hoc quod dicit, *Signum non dabitur ei nisi signum Ionae* [α], sic intelligendum est, ut Chrysostomus dicit *, quod tunc *non acceperunt tale signum quale petebant,* scilicet *de caelo:* non quod nullum signum eis dederit. – Vel, quia *signa faciebat, non propter eos, quos sciebat lapideos esse, sed ut alios emundaret.* Et ideo non eis, sed aliis illa signa dabantur.

* Hom. [...] aliter XLI [...] Matth.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, licet Christus venerit *in infirmitate carnis,* quod manifestatur per passiones, venit tamen *in virtute Dei* *. Quod erat manifestandum per miracula.

* Cf. II *ad* [...] cap. X[...]

AD TERTIUM DICENDUM quod miracula intantum diminuunt meritum fidei, inquantum per hoc ostenditur duritia eorum qui nolunt credere ea quae Scripturis divinis probantur, nisi per miracula. Et tamen melius est eis ut vel per miracula convertantur ad fidem, quam quod omnino in infidelitate permaneant. Dicitur enim I *Cor.* XIV *, quod *signa data sunt infidelibus:* ut scilicet convertantur ad fidem.

* Vers. 22.

α) *Ionae.* – *Prophetae* addunt I et editiones. – *sic* om. Pc.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Convenientissimum fuit Christum miracula facere.* Probatur. Miracula fiunt et ad confirmationem doctrinae supernaturalis; et ad testificandum Deum in faciente miracula. Sed haec praecipue habent locum in Christo. Ergo. – Et confirmatur auctoritate Ioan. v et x. – Omnia clara sunt.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CHRISTUS FECERIT MIRACULA VIRTUTE DIVINA

Supra, qu. XIII, art. 2; III *Sent.*, dist. XVI, qu. I, art. 3; IV, dist. V, qu. I, art. 1, ad 3; *Resp. ad Lector. Venet.*, ad art. XVII; *In Ioan.*, cap. II, lect. I.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Christus non fecerit miracula virtute divina. Virtus enim divina est omnipotens. Sed videtur quod Christus non fuerit omnipotens in miraculis faciendis: dicitur enim Marci VI *, quod *non poterat ibi,* scilicet in patria sua, *ullam virtutem facere.* Ergo videtur quod non fecerit miracula virtute divina.

2. Praeterea, Dei non est orare. Sed Christus aliquando in miraculis faciendis orabat: ut patet in suscitatione Lazari, Ioan. XI *; et in multiplicatione panum, ut patet Matth. XIV *. Ergo videtur quod non fecerit miracula virtute divina.

3. Praeterea, ea quae virtute divina fiunt, non possunt virtute alicuius creaturae fieri. Sed ea quae Christus faciebat, poterant etiam fieri virtute alicuius creaturae: unde et Pharisaei dicebant quod *in Beelzebub, principe daemoniorum, eiiciebat daemonia* *. Ergo videtur quod Christus non fecerit miracula virtute divina.

Sed contra est quod Dominus dicit, Ioan. XIV *: *Pater, in me manens, ipse facit opera.*

Respondeo dicendum quod, sicut in Prima Parte * habitum est, vera miracula sola virtute divina fieri possunt: quia solus Deus potest mutare naturae ordinem, quod pertinet ad rationem miraculi. Unde Leo Papa dicit, in Epistola *ad Flavianum* *, quod, cum in Christo sint [α] duae naturae, *una* earum est, scilicet divina, *quae fulget miraculis; altera,* scilicet humana, *quae succumbit iniuriis;* et tamen *una earum agit cum communicatione alterius:* inquantum scilicet humana natura est instrumentum divinae actionis, et actio humana virtutem accepit [β] a natura divina, sicut supra * habitum est.

Ad primum ergo dicendum quod hoc quod dicitur, *non poterat ibi ullam virtutem facere,* non est referendum ad potentiam absolutam, sed ad id quod potest fieri congruenter: non enim congruum erat ut inter incredulos operaretur miracula. Unde subditur *: *Et mirabatur propter incredulitatem eorum.* Secundum quem modum dicitur *Gen.* XVIII *: *Non* [γ] *celare potero Abraham quae gesturus sum;* et XIX *: *Non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc.*

Ad secundum dicendum quod, sicut Chrysostomus dicit, super illud Matth. XIV *, *Acceptis quinque panibus et duobus piscibus aspiciens in caelum benedixit et fregit: – Oportebat,* inquit [δ], *credi de Christo quoniam a Patre est, et quoniam ei aequalis est. Et ideo, ut utrumque ostendat, nunc quidem cum potestate, nunc autem orans miracula facit. Et in minoribus quidem respicit in caelum, puta in multiplicatione panum: in maioribus autem, quae sunt solius Dei, cum potestate agit, puta quando peccata dimisit, mortuos suscitavit.*

Quod autem dicitur Ioan. XI, quod in suscitatione Lazari *oculos sursum levavit,* non propter necessitatem suffragii, sed propter exemplum hoc fecit. Unde dicit: *Propter populum qui circumstat dixi: ut credant quia tu me misisti.*

Ad tertium dicendum quod Christus alio modo expellebat daemones quam virtute daemonum expellantur. Nam virtute superiorum daemonum ita daemones a corporibus expelluntur quod tamen remanet dominium eorum quantum ad animam: non enim contra regnum suum diabolus agit. Sed Christus daemones expellebat non solum a corpore, sed multo magis ab anima. Et ideo Dominus blasphemiam Iudaeorum [ε] dicentium eum in virtute daemonum daemonia eiicere, reprobavit *: primo quidem, per hoc quod Satanas contra seipsum non dividitur. Secundo, exemplo aliorum, qui daemonia eiiciebant per Spiritum Dei. Tertio, quia daemonium expellere non posset nisi ipsum vicisset virtute divina. Quarto, quia nulla convenientia in operibus nec in effectu erat sibi et Satanae: cum Satanas dispergere cuperet quos Christus colligebat.

Marginalia: * Vers. 5. – * Vers. 41, 42. – * Vers. 19. – * Luc. cap. XI, vers. 15. – * Vers. 10. – * I, qu. CX, art. 4. – * Epist. XXVIII, al. XXIV, cap. IV. – * Qu. XIX, art. 1. – * Vers. 6. – * Vers. 17. – * Vers. 22. – * Vers. 19. – Homil. XLIX, al. L, in Matth. – * Matth. cap. XII, vers. 24 sqq.; Marc. cap. III, vers. 22 sqq.; Luc. cap. XI, vers. 15 sqq.

α) *cum in Christo sint.* – *in Christo sunt* tertia praeter I. Pro *earum est, quarum est* G, *earum* I, om. P.
β) *accepit.* – *accipit* G.
γ) *Non.* – *Num* F et editiones, *Unde* GH.
δ) *inquit.* – Om. P. – *facit* tertia; *fecit.* Pro *respicit, respexit* F.
ε) *Iudaeorum.* – *Pharisaeorum* PI, om. *a.* Cf. qu. XLII art. 2 corp., *Scis quia Iudaei.* – Pro *daemonum, daemonium b, daemoniorum* Pac.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore duo fiunt. Primo, respondetur quaesito: *Christus fecit miracula virtute divina.* Probatur. Quia vera miracula sola virtute divina fieri possunt. – Et confirmatur auctoritate Leonis.

Secundo, respondet tacitae quaestioni: *Quid de humanitate Christi? Nunquid faciebat miracula?* Et dicit quod utraque natura agebat miracula, communione tamen alterius, scilicet divinae. Et declarat modum: et quoad naturas, quia humanitas erat instrumentum divinitatis; et quoad actionem, quia humana actio virtutem accepit a natura divina. Quae ex superius * explanatis clara sunt.

* Qu. xix, 1.

Responsionem quoque ad tertium ex Lucae xi capitulo habes.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM CHRISTUS INCOEPERIT MIRACULA FACERE IN NUPTIIS MUTANDO AQUAM IN VINUM

Supra, qu. xxxvi, art. 4, ad 3; *In Ioan.*, cap. ii, lect. i; cap. xv, lect. v.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod Christus non incoeperit miracula facere in nuptiis, mutando aquam in vinum *. Legitur enim in libro *de Infantia Salvatoris* *, quod Christus in sua pueritia multa miracula fecit. Sed miraculum de conversione aquae in vinum fecit in nuptiis trigesimo vel trigesimoprimo anno suae aetatis. Ergo videtur quod non incoeperit tunc miracula facere.

* Ioan. cap. ii, vers. 1-11.

* Fabric. *Cod. Apocr. Nov. Test.* (Hamburg. 1719). – Cf. qu. xxxvi, art. 4, ad 3.

2. Praeterea, Christus faciebat miracula secundum virtutem divinam. Sed virtus divina fuit in eo a principio suae conceptionis: ex tunc enim fuit Deus et homo. Ergo videtur quod a principio miracula fecerit.

3. Praeterea, Christus post baptismum et tentationem coepit discipulos congregare: ut legitur Matth. iv * et Ioan. i **. Sed discipuli praecipue congregati sunt ad ipsum propter miracula: sicut dicitur Luc. v *, quod Petrum vocavit obstupescentem propter miraculum quod fecerat *in captura piscium*. Ergo videtur quod ante miraculum quod α fecit in nuptiis, fecerit alia miracula.

* Vers. 18 sqq. ** Vers. 35 sqq.

* Vers. 4 sqq.

Sed contra est quod dicitur Ioan. ii *: *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae.*

* Vers. 11.

Respondeo dicendum quod miracula facta sunt a Christo propter confirmationem eius doctrinae, et ad ostendendum virtutem divinam in ipso. Et ideo, quantum ad primum β, non debuit ante miracula facere quam docere inciperet. Non autem debuit incipere docere ante perfectam aetatem: ut supra * habitum est, cum de baptismo eius ageretur.

* Qu. xxxix, art. 3.

Quantum autem ad secundum, sic debuit per miracula divinitatem ostendere ut crederetur veritas humanitatis ipsius. Et ideo, sicut dicit Chrysostomus, *super Ioan.* *, *decenter non incoepit signa facere ex prima aetate: existimassent enim phantasiam* γ *esse incarnationem, et ante opportunum tempus cruci eum tradidissent.*

* Homil. xxi, al. XX.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Chrysostomus dicit, *super Ioan.* *, ex verbo Ioannis Baptistae dicentis *, « Ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans », *manifestum est quod illa signa quae quidam dicunt in pueritia a Christo facta, mendacia et fictiones sunt. Si enim a prima aetate miracula fecisset Christus, nequaquam* δ *neque Ioannes eum ignorasset, neque reliqua multitudo indiguisset magistro ad manifestandum eum.*

* Homil. xvii, al. XVI.
* Ioan. cap. i, vers. 31.

Ad secundum dicendum quod divina virtus operabatur in Christo secundum quod erat necessarium ad salutem humanam, propter quam carnem assumpserat. Et ideo sic miracula fecit virtute divina ut fidei de veritate carnis eius praeiudicium non fieret.

Ad tertium dicendum quod hoc ipsum ad laudem discipulorum pertinet, quod Christum secuti sunt cum *nulla eum miracula facere vidissent:* sicut Gregorius dicit, in quadam Homilia *. Et, ut Chrysostomus dicit *, *maxime tunc signa necessarium erat facere, quando discipuli iam congregati erant et devoti, et attendentes his quae fiebant. Unde subditur: « Et crediderunt in eum discipuli eius »*: non quia tunc primum crediderunt; sed quia tunc *diligentius et perfectius* crediderunt. – Vel discipulos vocat eos *qui futuri erant discipuli:* sicut exponit Augustinus, in libro *de Consensu Evangelistarum* *.

* Homil. V in *Evang.*
* Homil. XXIII, al. XXII, *in Ioan.*, ad illud, *Manifestavit gloriam suam* (Ioan. cap. ii, vers. 11).

* Lib. II, xvii.

α) *miraculum quod.* – Da et tertia praeter H; *miracula quae.*
β) *primum.* – Fa et tertia praeter H; *ipsum.*
γ) *phantasiam.* – *phantāsmatā b, phantasma* Pc, *phantasticam* sD.
δ) *nequaquam.* – Om. P; *neque* om. EsD et *a.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus, occasionem ex Evangelii verbis habens.

In corpore una conclusio: *Christus incoepit miracula facere in nuptiis.* Probatur. Miracula Christi sunt vel ad confirmandam doctrinam eius, vel ad monstrandam eius deitatem facta. Sed propter utrumque debuit in aetate perfecta incipere miracula. Ergo. – Assumptum ex primo articulo patet. – Minor, quoad utramque partem, probatur clare et singillatim in littera.

Ubi scito quod ex huiusmodi ratione licet non habeatur nisi quod miracula Christi incoeperunt in aetate perfecta, quando incoepit docere, hoc est, post baptismum Ioannis, iuxta verbum Petri, *Act.* i *, *Incipiens a baptismo Ioannis:* quia tamen nullum legitur miraculum ante nuptias factum; et Ioannes Baptista toto illo primo anno monstravit eum; et Ioannes Evangelista, in anniversario die, quo nuptias celebratas credit Ecclesia *, dicit, *Hoc initium signorum fecit Iesus,* etc. *; satis rationabiliter affirmatur quod illud fuit primum miraculum simpliciter quod Christus fecit.

* Vers. 22.

* Cf. s. Max. Taurin., Hom. XXIII, aliter *Epiph.* VII.
* Ioan. cap. ii, vers. 11.

Quod etiam confirmatur ex eo quod Ioannes Evangelista non est prosecutus secundum et tertium miraculum in Cana Galilaeae: quod prosequendum erat si primum, non simpliciter sed in Cana Galilaeae, scribere se proposuisset; et non potius initium signorum ab omnibus circumstantiis describere se monstrasset.

Et hoc idem patet ex eo quod subiungit Evangelista: *Et manifestavit gloriam suam.* Non dicit, *in Cana Galilaeae:* sed, simpliciter et absolute, *Et manifestavit gloriam suam;* procul dubio prius latentem, quia miraculis adhuc non claruerat illius natura divina, quae tunc coepit miraculis coruscare.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM MIRACULA QUAE CHRISTUS FECIT FUERINT SUFFICIENTIA AD OSTENDENDAM DIVINITATEM IPSIUS

III *Sent.*, dist. xvi, qu. i, art. 3; I *Cont. Gent.*, cap. vi; IV, cap. lv; *Quodl.* II, qu. iv, art. 1, ad 4; *In Ioan.*, cap. v, lect. vi; cap. xv, lect. v.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod miracula quae Christus fecit, non fuerunt sufficientia ad ostendendam divinitatem ipsius. Esse enim Deum et hominem proprium est Christo. Sed miracula quae Christus fecit, etiam ab aliis sunt facta. Ergo videtur quod non fuerint sufficientia ad ostendendam divinitatem ipsius.

2. Praeterea, virtute divinitatis [α] nihil est maius. Sed aliqui fecerunt maiora miracula quam Christus: dicitur enim Ioan. xiv *: *Qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet: et maiora horum faciet.* Ergo videtur quod miracula quae Christus fecit, non fuerint sufficientia ad ostendendum divinitatem ipsius. (* Vers. 12.)

3. Praeterea, ex particulari non sufficienter ostenditur universale. Sed quodlibet miraculorum Christi fuit quoddam particulare opus. Ergo ex nullo eorum potuit manifestari sufficienter divinitas Christi, ad quam pertinet universalem virtutem habere de omnibus.

Sed contra est quod Dominus dicit, Ioan. v *: *Opera quae dedit mihi Pater ut faciam, ipsa testimonium perhibent de me.* (* Vers. 36.)

Respondeo dicendum quod miracula quae Christus fecit, sufficientia erant ad manifestandum divinitatem ipsius, secundum tria. Primo quidem, secundum ipsam speciem operum, quae transcendebant omnem potestatem creatae virtutis, et ideo non poterant fieri nisi virtute divina. Et propter hoc caecus illuminatus dicebat, Ioan. ix *: *A saeculo non est auditum quia aperuit quis oculos caeci nati. Nisi esset hic a Deo, non posset facere quidquam.* (* Vers. 32, 33.)

Secundo, propter modum miracula faciendi: quia scilicet quasi propria potestate miracula faciebat, non autem orando, sicut alii. Unde dicitur Luc. vi *, quod *virtus de illo exibat et sanabat omnes.* Per quod ostenditur, sicut Cyrillus dicit *, quod *non accipiebat alienam virtutem: sed, cum esset naturaliter Deus, propriam virtutem super infirmos ostendebat. Et propter hoc etiam innumerabilia miracula faciebat.* Unde super illud Matth. viii *, *Eiiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit*, dicit Chrysostomus *: *Intende quantam multitudinem curatam transcurrunt Evangelistae, non unumquemque curatum enarrantes, sed uno verbo pelagus ineffabile miraculorum inducentes.* Et ex hoc ostendebatur quod haberet virtutem coaequalem Deo Patri: secundum illud Ioan. v *: *Quaecumque Pater facit, haec et Filius similiter facit;* et ibidem *: *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat.* (* Vers. 19. * Comment. in ... * Vers. 16. * Homil. XXVII, al. XXVIII, in Matth. * Vers. 19. * Vers. 21.)

Tertio, ex ipsa doctrina qua se Deum dicebat: quae nisi vera esset, non confirmaretur miraculis divina virtute factis. Et ideo dicitur Marci i *: *Quaenam doctrina haec nova? Quia in potestate spiritibus immundis imperat, et obediunt ei?* (* Vers. 27.)

Ad primum ergo dicendum quod haec erat obiectio gentilium. Unde Augustinus dicit, in Epistola *ad Volusianum* *: *Nulla, inquiunt, competentibus signis tantae maiestatis indicia claruerunt. Quia larvalis* [β] *illa purgatio*, qua scilicet daemones effugabat, *debilium cura, reddita vita defunctis, si et alia considerentur, Deo parva sunt.* Et ad hoc respondet Augustinus *: *Fatemur et nos talia quidem fecisse prophetas. Sed et ipse Moyses et ceteri prophetae Dominum Iesum prophetaverunt, et ei gloriam magnam dederunt. Qui propterea talia et ipse facere voluit, ne esset absurdum, quod per illos fecerat, si ipse non faceret. Sed tamen et aliquid proprium facere debuit: nasci de Virgine, resurgere a mortuis, in caelum ascendere. Hoc Deo qui parum putat, quid plus expectet ignoro. Num* [γ], *homine assumpto, alium mundum facere debuit, ut eum esse crederemus per quem factus est mundus? Sed nec maior mundus, nec isti aequalis in hoc fieri posset: si autem minorem faceret infra istum, similiter hoc quoque parum putaretur.* (* Ep. CXXXVII, al. III, cap. iv. * Ibid.)

Quae tamen alii fecerunt, Christus excellentius fecit. Unde super Ioan. xv *, *Si opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit*, etc., dicit Augustinus *: *Nulla in operibus Christi videntur esse maiora quam suscitatio mortuorum: quod scimus etiam antiquos fecisse prophetas. Fecit tamen aliqua Christus quae nemo alius fecit. Sed respondetur nobis et alios fecisse quae nec ipse, nec alius fecit. Sed quod tam multa vitia et malas valetudines vexationesque mortalium tanta potestate sanaret, nullus omnino legitur antiquorum fecisse* [δ]. (* Vers. 24. * Tract. XCI in Ioan. Evang.)

α) *divinitatis.* – *divina* P.
β) *larvalis.* – *carnalis* BHsG et editiones.
γ) *Num.* – Hbc; *Non* Pl, *An in* sG, *Unde* ceteri. Cf. art. 2 γ.
δ) *Sed quod tam... antiquorum fecisse.* – *Sed qui tam... antiquorum* P. Pro *taceatur quod*, *taceam quod* Hbc, *taceam quos* P.

Ut enim taceatur quod iubendo, sicut occurrebant, salvos singulos fecit, Marcus dicit *: « *Quocumque introibat in vicos aut in villas aut in civitates, in plateis ponebant infirmos, et deprecabantur eum ut vel fimbriam vestimenti eius tangerent, et quotquot tangebant eum, salvi fiebant* ». *Haec nemo alius fecit in eis. Sic enim intelligendum est quod ait,* « *in eis* » : *non* « *inter eos* », *aut* « *coram eis* », *sed prorsus* « *in eis* », *quia sanavit eos. Nec tamen alius fecit* [ε], *quicumque in eis talia opera fecit: quoniam quisquis alius homo aliquid eorum fecit, ipso faciente fecit; haec autem ipse, non illis facientibus, fecit.*

* Cap. vi, vers. 56.

Ad secundum dicendum quod Augustinus *, exponens illud verbum Ioannis, inquirit: *Quae sunt* [ζ] *ista opera maiora,* quae credentes in eum erant facturi? *An forte quod aegros, ipsis transeuntibus, etiam eorum umbra sanabat? Maius est enim quod sanet umbra, quam fimbria. Veruntamen, quando ista Christus dicebat, verborum suorum facta et opera commendabat. Cum enim dixit,* « *Pater in me manens ipse facit opera* », *quae opera tunc dicebat, nisi verba* [η] *quae loquebatur? Et eorundem verborum fructus erat fides illorum. Veruntamen, evangelizantibus discipulis, non tam pauci quam illi erant, sed gentes etiam crediderunt. Nonne* * *ab ore ipsius dives ille tristis abscessit: et tamen postea, quod ab illo auditum non fecit unus, fecerunt multi cum per discipulos loqueretur? Ecce, maiora fecit praedicatus a credentibus, quam locutus audientibus.*

* Tract. LXXI *in Ioan.*

* Tract. LXXII.

Verum hoc adhuc movet, quod haec maiora per Apostolos fecit [θ]: *non autem ipsos tantum significans ait,* « *Qui credit in me* ». *Audi ergo:* « *Qui credit in me* [ι], *opera quae ego facio, et ipse faciet* ». *Prius ego facio, deinde et ipse* [κ] *faciet: quia facio ut faciat. Quae opera* [λ], *nisi ut ex impio iustus fiat? Quod utique in illo, sed non sine illo Christus operatur. Prorsus maius hoc esse dixerim quam creare caelum et terram:* « *caelum enim et terra transibunt* », *praedestinatorum autem salus et iustificatio permanebit. – Sed in caelis angeli opera sunt Christi. Nunquid his operibus maiora facit qui cooperatur Christo ad suam iustificationem? Iudicet qui potest utrum maius sit iustos creare, quam impios iustificare. Certe, si aequalis est utrumque potentiae, hoc maioris est misericordiae.*

Sed omnia opera Christi intelligere ubi ait, « *Maiora horum faciet* », *nulla nos necessitas cogit. Horum enim forsitan dixit quae illa hora faciebat. Tunc autem verba fidei faciebat: et utique minus est verba praedicare iustitiae, quod fecit praeter nos, quam impium* [μ] *iustificare, quod ita facit in nobis ut faciamus et nos.*

Ad tertium dicendum quod, quando aliquod particulare opus proprium est alicuius agentis, tunc per illud particulare opus probatur tota virtus agentis: sicut, cum ratiocinari sit proprium hominis, ostenditur aliquis esse homo ex hoc ipso quod ratiocinatur circa quodcumque particulare propositum. Et similiter, cum propria virtute miracula facere sit solius Dei, sufficienter ostensum est Christum esse Deum ex quocumque miraculo quod propria virtute fecit.

ε) *fecit.* – Om. editiones.
ζ) *inquirit: Quae sunt.* – 1a; *inquirit quae sint* P, *dicit inquire quae sunt* F, *inquit quae sunt* ceteri.
η) *verba.* – P; *illa.*
θ) *per Apostolos fecit.* – *non tantum per Apostolos fecit sed etiam per eos qui credunt* (*credebant* H*bc*) *in eum* GH*bc*.
ι) *Audi ergo: Qui credit in me.* – Om. CDGH*bc*, *opera quae ego facio et ipse faciet. Audi ergo et intellige: qui credit in me* P. – *et ipse faciet. Prius ego facio* om. E.
κ) *et ipse.* – P; *ipse* F*bc*, om. ceteri.
λ) *Quae opera.* – *Et* (om. *bc*) *respondens Augustinus dicit: quae opera* GH*bc*. – *nisi* om. 1*a*.
μ) *impium.* – *impios* P. – *facit* P; *fecit.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore unica conclusio: *Miracula quae Christus fecit, sufficientia erant ad manifestandam deitatem ipsius, secundum tria: substantiam, modum et doctrinam.* Probatur singillatim clare.

Ubi adverte quod Auctor breviter pertransit: sed si fuerint haec tria bene considerata, maximam continent efficaciam. Et primum quidem, quoad resurrectionem mortuorum et illuminationem caecorum, constat, sublatis fallaciis, a solo Deo fieri posse. Secundum autem inexcogitabile est quod etiam daemoni conveniat. Tertium autem omnimodam convincit intelligentiam. Ita quod, si haec tria simul ponantur, impossibile est quin Deum fateamur Christum. Quomodo enim usurpanti sibi divinum nomen et rem falso, affuisset Deus in tot operibus deitatis propriis testis mendacii?

II. Adverte, ex lib. I *Contra Gent.*, cap. vi, quod aut conceditur Christum fecisse miracula relata in Evangelio, aut non. Si conceditur, habetur illius deitas: ut patet ex praedictis illis tribus coniunctis. Si non conceditur, tunc habetur etiam illius deitas, ex hoc maximo miraculorum, quod pauperculus, iuvenis, indoctus, ex gente exosa, Iudaeus scilicet, persecutionem cum tot ludibriis et mortem turpissimam passus, derelictus, dicens se Deum, habitus fatuus a suis, a Iudaeis, ab Herode, a Pilato, absque miraculis, promittens mortem et mala omnia, post mortem suam, per pauperes piscatores, indoctos, exosos omnibus, morti obnoxios, etc., absque miraculis, contra totum mundum idola colentem pugnans, superaverit. *Vacate ergo, et videte quoniam Ego sum Deus* *.

* Ps. xlv, 11.

QUAESTIO QUADRAGESIMAQUARTA

DE SINGULIS MIRACULORUM SPECIEBUS

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

Deinde considerandum est de singulis miraculorum speciebus *.

Et primo: de miraculis quae fecit circa spirituales substantias.

Secundo: de miraculis quae fecit circa caelestia corpora.

Tertio: de miraculis quae fecit circa homines.

Quarto: de miraculis quae fecit circa creaturas irrationales.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM MIRACULA QUAE CHRISTUS FECIT CIRCA SPIRITUALES SUBSTANTIAS FUERINT CONVENIENTIA

Ad primum sic proceditur. Videtur quod miracula quae Christus fecit circa spirituales substantias, non fuerint convenientia. Inter spirituales enim substantias, sancti angeli praepollent daemonibus: quia, ut Augustinus dicit, in III *de Trin.* *, *spiritus vitae rationalis desertor atque peccator regitur per spiritum vitae rationalem pium et iustum.* Sed Christus non legitur aliqua miracula fecisse circa angelos bonos. Ergo neque etiam circa daemones aliqua miracula facere debuit.

2. Praeterea, miracula Christi ordinabantur ad manifestandum divinitatem ipsius. Sed divinitas Christi non erat daemonibus manifestanda: quia per hoc impeditum fuisset mysterium passionis eius, secundum illud I *Cor.* II *: *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.* Ergo non debuit circa daemones aliqua miracula fecisse [α].

3. Praeterea, miracula Christi ad gloriam Dei ordinabantur: unde dicitur Matth. IX *, quod *videntes turbae* paralyticum sanatum a Christo, *timuerunt et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.* Sed ad daemones non pertinet glorificare Deum: quia *non est speciosa laus in ore peccatoris,* ut dicitur *Eccli.* XV *. Unde et, sicut dicitur Marci I * et Luc. IV **, *non sinebat daemonia loqui* ea quae ad gloriam ipsius pertinebant. Ergo videtur non fuisse conveniens quod circa daemones aliqua miracula faceret.

4. Praeterea, miracula a Christo facta ad salutem hominum ordinantur. Sed quaedam daemonia ab hominibus eiecta fuerunt cum hominum detrimento. Quandoque quidem corporali: sicut dicitur Marci IX *, quod daemon, ad praeceptum Christi, *exclamans et multum discerpens hominem exiit ab homine, et factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent, Quia mortuus est.* Quandoque etiam cum damno rerum: sicut quando daemones, ad eorum preces, misit in porcos, quos praecipitaverunt in mare; unde cives illius regionis *rogaverunt eum ut transiret a finibus eorum,* sicut legitur Matth. VIII *. Ergo videtur inconvenienter fecisse huiusmodi miracula.

Sed contra est quod Zach. XIII * hoc praenuntiatum fuerat, ubi dicitur: *Spiritum immundum auferam de terra.*

Respondeo dicendum quod miracula quae Christus fecit, argumenta quaedam fuerunt fidei quam ipse docebat. Futurum autem erat ut per virtutem divinitatis eius excluderet daemonum potestatem ab hominibus credituris in eum: secundum illud Ioan. XII *: *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Et ideo conveniens fuit ut, inter alia miracula, etiam obsessos a daemonibus liberaret.

Ad primum ergo dicendum quod homines, sicut per Christum erant a potestate daemonum liberandi, ita per eum erant angelis consociandi: secundum illud *Coloss.* I *: *Pacificans per sanguinem crucis eius quae in caelis et quae in terris sunt.* Et ideo circa angelos alia miracula hominibus demonstrare non conveniebat, nisi ut angeli hominibus apparerent: quod quidem factum est in nativitate ipsius *, et in resurrectione ** et in ascensione *.

Ad secundum dicendum quod, sicut Augustinus dicit, IX *de Civit. Dei* *, *Christus tantum innotuit daemonibus quantum voluit: tantum autem voluit quantum oportuit. Sed innotuit eis, non sicut angelis sanctis, per id quod est vita aeterna: sed per quaedam temporalia suae virtutis effecta.* Et primo quidem, videntes Christum esurire post ieiunium, aestimaverunt eum non esse Filium Dei. Unde, super illud Luc. IV *, *Si Filius Dei es* etc., dicit Ambrosius *: *Quid sibi vult talis sermonis exorsus, nisi quia cognoverat Dei Filium esse venturum, sed venisse per infirmitatem corporis non putavit?* Sed postmodum, visis miraculis, ex quadam suspicatione coniecturavit eum esse Filium

Marginal notes: * qu. XLIII, intr. — * Cap. IV. — * Vers. 8. — * Vers. 8. — * Vers. 9. — * Vers. 34. ** Vers. 41. — * Vers. 24, 25. — * Vers. 31 sqq. — * Vers. 2. — * Vers. 31. — * Vers. 20. — * Luc. cap. II, vers. 9 sqq. ** Matth. cap. XXVIII; Marc. cap. XVI; Luc. cap. XXIV; Ioan. cap. XX, vers. 12, 13. * Act. cap. I, vers. 10, 11. * Cap. XXI. — * Vers. 3. — * Exposit. in Luc. lib. IV.

α) *fecisse.* – *facere* Pl. – Seq. argumentum usque ad *quae ad gloriam* inclus. om. I.

Dei. Unde super illud Marci I *, *Scio quia sis Sanctus Dei,* dicit Chrysostomus * quod *non certam aut firmam adventus Dei habebat notitiam.* Sciebat tamen ipsum esse *Christum in lege promissum*: unde dicitur Luc. IV **: *Quia sciebant ipsum esse Christum.* Quod autem ipsum confitebantur esse Filium Dei, magis erat ex suspicione β quam ex certitudine. Unde Beda dicit, *super Luc.* *: *Daemonia Filium Dei confitentur: et, sicut postea dicitur, « sciebant eum esse Christum ». Quia, cum ieiunio fatigatum eum diabolus videret, verum hominem intellexit: sed, quia tentando non praevaluit, utrum Filius Dei esset, dubitabat. Nunc autem, per signorum potentiam, vel intellexit, vel potius suspicatus est esse Filium Dei. Non ideo igitur Iudaeis eum crucifigere persuasit, quia Christum sive* γ *Dei Filium non esse putavit: sed quia se morte illius non praevidit esse damnandum. De hoc enim « mysterio a saeculis abscondito » dicit Apostolus quod « nemo principum huius saeculi cognovit: si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent ».*

* Vers. 24.
* Victor Antiochen. *Comment. in Marc.*
* Cf. *Quaest. Vet. et Nov. Test.*, qu. LXVI. - Inter Opp. Aug.
** Vers. 41.
* Exposit. lib. II, ad cap. IV, vers. 41. - Cf. *In Marc. Exposit.* lib. I, ad cap. I, vers. 34.

Ad tertium dicendum quod miracula in expulsione daemonum non fecit Christus propter utilitatem daemonum, sed propter utilitatem hominum, ut ipsi eum glorificarent. Et ideo prohibuit eos loqui ea quae ad laudem ipsius pertinebant: primo quidem, propter exemplum. Quia, ut dicit Athanasius *, *compescebat eius sermonem, quamvis vera fateretur, ut nos assuefaciat ne curemus de talibus, etiam si vera loqui videantur. Nefas est enim ut, cum adsit nobis Scriptura divina, instruamur a diabolo*: est enim δ hoc periculosum, quia veritati frequenter daemones immiscent mendacia *. – Vel ε, sicut Chrysostomus ** dicit, *non oportebat eos subripere officii apostolici gloriam. Nec decebat Christi mysterium lingua fetida publicari*: quia « *non est speciosa laus in ore peccatoris* » *. – Tertio quia, ut Beda * dicit, quia *nolebat ex hoc invidiam accendere Iudaeorum.* Unde etiam *ipsi Apostoli iubentur reticere de ipso: ne, divina maiestate praedicata, passionis dispensatio differatur* *.

* Fragment. in Luc. (Migne, *Patrol. Graec.* tom. XXVII).
* Cf. Chrysost. *de Lazaro* Conc. II.
** Cyrill. Alexandrin., *Comm. in Luc.*, ad cap. IV, vers. 41.
* Cf. Theophylact. *Enarr. in Luc.*, cap. IV. - Theophyl. ...
* Beda, *Exposit. in Luc.*, ad cap. IV, vers. 4...

Ad quartum dicendum quod Christus specialiter venerat docere et miracula facere propter utilitatem hominum, principaliter quantum ad animae salutem. Et ideo permisit daemones quos eiiciebat hominibus aliquod nocumentum inferre, vel in corpore vel in rebus, propter animae humanae salutem, ad hominum scilicet instructionem. Unde Chrysostomus dicit, *super Matth.* *, quod Christus *permisit daemonibus in porcos ire, non quasi a daemonibus persuasus,* sed *primo quidem, ut instruat magnitudinem nocumenti daemonum qui hominibus insidiantur; secundo, ut omnes discerent quoniam neque adversus porcos audent* ζ *aliquid facere, nisi ipse concesserit; tertio, ut ostenderet quod graviora in illos homines operati essent quam in illos porcos, nisi essent divina providentia adiuti.*

* Homil. XX... al. XXIX.

Et propter easdem etiam causas permisit eum qui a daemonibus liberabatur, ad horam gravius affligi: a qua tamen afflictione eum continuo liberavit. Per hoc etiam ostenditur, ut Beda dicit *, quod *saepe, dum converti ad Deum post peccata conamur, maioribus novisque antiqui hostis pulsamur insidiis. Quod facit vel ut odium virtutis incutiat: vel expulsionis suae vindicet iniuriam.* Factus est etiam homo sanatus *velut mortuus*, ut Hieronymus dicit *, *quia sanatis dicitur* **, « *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* ».

* *Expos. in ...* lib. III, ad ... IX, vers. 2...
* *Expos. in ...* ibid. - Inter ... Hieron.
** *Ad Co...* cap. III, v...

β) *suspicione.* – *suspicatione* EG, *quadam suspipatione* b, *quadam suspiratione* c, *quadam suspicione* P.
γ) *sive.* – Om. editiones.
δ) *est enim.* – *Secundo propter periculum: est enim* D, *Secundo propter periculum, quia* ed. *a*; cf. not. seq.; *ut cum... est enim* om. E.
ε) *Vel.* – *Secundo quia* P.
ζ) *audent.* – *auderet* Fbc, *auderent* Pa. – Pro *concesserit*, *consenserit* H et editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Conveniens fuit Christum daemones ab obsessis eiicere.* Probatur. Miracula Christi sunt argumentum fidei. Ergo convenienter sunt argumentum daemonis expellendi a genere humano. Ergo conveniens fuit, etc.

Probatur consequentia prima. Quia futurum erat ut daemones a credentibus spiritualiter pellerentur, Ioan. XII. – Secunda consequentia est clara: quia sensibile est argumentum spiritualis.

Vide hic, Novitie, quod Auctor, figurali ratione contentus, non curavit litteralem pro principali ponere, utpote manifestiorem: ut scilicet potestatem suam supra et contra daemones monstraret.

II. In responsione ad secundum, tractatur an Christus fuerit cognitus a daemonibus. Et duae tanguntur quaestiones: an scilicet cognoverint ipsum esse Christum, seu Messiam, in lege promissum; et, an cognoverint ipsum esse verum Deum. Et de prima quaestione tenetur pars affirmativa, auctoritate Lucae Evangelistae, dicentis ex propria persona quod daemones *sciebant ipsum esse Christum.*

De secunda autem quaestione * certitudo non habetur. Quia ex persona daemonum dicitur ibidem, scilicet Luc. IV *: *Tu es Filius Dei.* Daemon autem et *mendax est* **, et explorative locutus videtur. Ad hoc sunt auctoritates Doctorum. – Bedae autem auctoritas caute legenda est: quia in Glossa Ordinaria * truncata affertur; integra autem in *Catena Aurea* *. Ita quod ex Beda unum tantum affirmatum habemus: scilicet quod verbum Apostoli I *ad Cor.* II *, *Si cognovissent,* non refertur ad Christum, nec Dei Filium, sed ad mysterium efficaciae passionis et resurrectionis Christi; scilicet quod eiiciendus ipse diabolus esset, et, breviter, quod Christo danda esset *omnis potestas in caelo et in terra* *. Et revera textus Apostoli capax est istius sensus: ut patet intuenti contextum.

* Cf. num. IV.
* Vers. 41.
** Ioan. cap. VIII, vers. 44.
* In Luc. c... vers. 41.
* Ibid.
* Cf. arg.
* Matth. c... vers. 18.

III. Sed occurrit tunc dubium, quo pacto diabolus, aut sciens aut multum dubitans Christum esse verum Deum, potuit rationabiliter incitare Iudaeos ad mortem Christi. Sciebat enim quod, si esset verus Deus, actum esset de regno ipsius daemonis.

Sed si superbia diaboli consideretur, consentaneum rationi superbiae eius apparebit quod, etiam si scivisset Iesum Christum esse verum Deum, adhuc procurasset ipsius mortem, ut fecit. Ex eo enim quod scientia illa non est scientia evidentiae, sed fidei coactae ex Scripturis et miraculis; ac per hoc, unum sic scitum non generat scientiam alterius, puta effectus (non enim est in hoc sciendi modo sicut in scientia demonstrativa, in qua ex una causa cognita deducuntur omnes illius effectus): cognita deitate,

restabat incognitum quid futurum esset. Nec suberat ratio deducendi pro certo multa excellentia sequenda: quia experientia testabatur multa valde vilia illi deitati adiungi, si ille homo vere erat Deus. Unde rationabiliter, secundum superbiam suam agens, daemon cogitavit pugnare contra ipsum, auferendo illi vitam, honorem, famam, discipulos, etc.: cogitans quod: *Si non est Deus, sed Messias purus homo, iam prostravi eum. Et si est verus Deus, non parum feci, habere hanc victoriam contra ipsum Deum: et postea videbitur quid Deus faciet.* Tutiorem enim partem se putavit eligere, habendo primam victoriam, vincere Deum in hoc mundo, nesciens quid postea sequeretur. Et propterea bene Venerabilis Beda dixit quod, si cognovissent latens mysterium sequentis fructus, nunquam Dominum gloriae crucifixissent: non quin etiam ipsum Deum auderet aggredi, quoniam scriptum est *, *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper;* sed quia proprium damnum vitare voluisset, et noluisset Deum habere tantam gloriam *ut vinceret ipsum diabolum iustitia* *, ut esset Redemptor ac Salvator, ut est. – Haec de Beda.

* ...LXXIII, vers. 23.
* ...A. *de Trin.* ...III, cap. ...V.
* ...h. II.

IV. Sed de quaestione ipsa *, parti affirmativae multum favet conclusio praecedentis articuli. Ita quod, et simpliciter et ad hominem, non parva consurgit quaestio: quo pacto, si miracula Christi, simul cum illius doctrina iuncta, sufficienter illius probant deitatem, daemones, omnium scrutatores et intelligentia vigentes, in dubio deitatis ipsius persistebant.

Ad hoc dicitur quod, quia miracula, etiam doctrinae Christi iuncta', non erant sufficientia ad causandam notitiam evidentiae, sed fidei coactae vel voluntariae; deitatis Christi potuit permanere dubium apud daemones, ex hoc quod non penetrabatur habitudo miraculorum ac doctrinae ad gratiam unionis personalis in Christo.

Quod ex aliquo trium provenire potuit. Vel ex opinione plurium causarum ex quibus procedere possent et miracula et doctrina, tunc non plene manifestata quoad sensum verum, qui post apertus est. Ita quod, licet ipsa miracula ex se sufficerent, non penetranti tamen non erant sufficientia. Latebat autem daemonem huiusmodi habitudo: quia miracula poterant ex alia gratia quam unionis procedere. Et similiter Dei proprietates et nomina, quae de se Christus dicebat, poterat putari quod secundum aliam gratiam quam unionis verificarentur. Habitudo enim miraculorum et doctrinae Christi non erat habitudo evidentiae, sed solius fidei mater, secundum naturalem cognitionem. Et propterea locus semper suspicioni de opposito ignoto relinquitur. Sicut, si videremus mortuum resuscitari, sciremus ex supernaturali quadam virtute hoc fieri: sed qualiter se habeat Deus ad illam virtutem illumque resuscitantem, nesciremus; et, sub dubio hoc relinquentes, miraremur.

Vel ex depravato appetitu daemonum affectione superbiae et invidiae. Quamvis enim tentaret et scrutaretur diabolus, ob proprium amorem, an esset Deus: quia tamen quod miseri vellent, hoc facile credunt, incredibile reddebatur diabolo quod humana natura supra angelicam, etiam beatam, elevaretur, ita ut unus homo esset vere Deus. Praesertim quia nulla naturali, tam humana quam angelica ratione hoc possibile apparebat. Unde, tanquam quoddam inopinabile, a sui adhaesione intellectus hoc avertebat.

Vel, quia Seraphim habent alas ad velandum, ut dicitur Isaiae VI *; divina providentia velatum sic remansit unionis mysterium ut non certiores de eo redderentur daemones donec consummatum esset mysterium redemptionis humanae, ne semper impediretur aut differretur.

* Vers. 2.

Et si omnes tres dictae rationes simul iunctae fuerint, manifestius apparebit ratio dubitandi in daemonibus.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CONVENIENTER FUERINT A CHRISTO FACTA MIRACULA CIRCA CAELESTIA CORPORA

In Matth., cap. XXVII.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter fuerint a Christo facta miracula circa caelestia corpora. Ut enim Dionysius dicit, IV cap. *de Div. Nom.* *, *divinae providentiae non est naturam corrumpere, sed salvare.* Corpora autem caelestia secundum suam naturam sunt incorruptibilia et inalterabilia: ut probatur in I *de Caelo* *. Ergo non fuit conveniens ut per Christum fieret aliqua mutatio circa ordinem caelestium corporum.

* ...lect. XXIII.
* ...III, n. 4; ...Th. lect.

2. Praeterea, secundum motum caelestium corporum temporum cursus designatur [α]: secundum illud *Gen.* I *: *Fiant luminaria in firmamento caeli: et sint in signa et tempora et dies et annos.* Sic ergo, mutato cursu caelestium corporum, mutatur temporum distinctio et ordo. Sed non legitur hoc esse perceptum ab astrologis, *qui contemplantur sidera et computant menses,* ut dicitur Isaiae XLVII *. Ergo videtur quod per Christum non fuerit aliqua mutatio facta circa cursum caelestium corporum.

* ...14.
* ...13.

3. Praeterea, magis competebat Christo facere miracula vivens et docens quam moriens: tum quia, ut dicitur II *ad Cor.* ult. *, *Crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei,* secundum quam miracula faciebat; tum etiam quia eius miracula confirmativa erant doctrinae ipsius. Sed in vita sua non legitur Christus aliquod miraculum circa caelestia corpora fecisse: quinimmo Pharisaeis petentibus ab eo *signum de caelo,* dare renuit, ut habetur Matth. XII * et XVI **. Ergo videtur quod nec in morte circa caelestia corpora aliquod miraculum facere debuit.

* Ve... 4.
* Vers. 38, 39.
** Vers. 1-4.

Sed contra est quod dicitur Luc. XXIII *: *Tenebrae factae sunt in universa terra usque ad horam nonam, et obscuratus est sol.*

* Vers. 44, 45.

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, miracula Christi talia esse debebant ut sufficienter eum Deum esse ostenderent. Hoc autem non ita evidenter ostenditur per transmutationes corporum inferiorum, quae etiam ab aliis causis moveri possunt, sicut per transmutationem cursus caelestium corporum, quae a solo Deo sunt immobiliter ordinata. Et hoc est quod Dionysius dicit, in Epistola *ad Polycarpum* *: *Cognoscere oportet non aliter aliquando posse aliquid perverti caelestis ordinationis et motus, nisi causam haberet ad hoc moventem qui* [β] *facit omnia et mutat*

* Qu. XLIII, art. 4.
* Epist. VII.

α) *designatur.* – *designantur* tertia praeter H.

β) *qui.* – *quae* ed. *a* et tertia praeter I. – An *sacrum* pro *suum* legendum?

secundum suum sermonem. Et ideo conveniens fuit ut Christus miracula faceret etiam circa caelestia corpora.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut corporibus inferioribus naturale est moveri a caelestibus corporibus, quae sunt superiora secundum naturae ordinem; ita etiam naturale est cuilibet creaturae ut transmutetur a Deo secundum eius voluntatem. Unde Augustinus dicit, XXVI *contra Faustum* *, et habetur in Glossa ** *Rom.* xi, super illud *, *Contra naturam insertus es* etc.: *Deus, Creator et Conditor omnium naturarum, nihil contra naturam facit* *: *quia id est cuique rei natura, quod facit.* Et ita non corrumpitur natura caelestium corporum cum eorum cursus immutatur a Deo [γ]: corrumperetur autem si ab aliqua alia causa immutaretur.

* Cap. III. — ** Lomb. — * Vers. 24. — * D. 917.

Ad secundum dicendum quod per miraculum a Christo factum * non est perversus ordo temporum. Nam secundum quosdam, illae tenebrae, vel solis obscuratio, quae in passione Christi accidit, fuit propter hoc quod sol suos radios retraxit, nulla immutatione facta circa motum caelestium corporum, secundum quem tempora mensurantur. Unde Hieronymus dicit, *super Matth.* *: *Videtur luminare maius retraxisse radios suos, ne aut pendentem videret Dominum, aut impii blasphemantes sua luce fruerentur.* – Talis autem retractio radiorum non est sic intelligenda quasi sol in sua potestate habeat radios emittere vel retrahere: non enim ex electione, sed ex natura radios emittit, ut dicit Dionysius, iv cap. *de Div. Nom.* *. Sed sol dicitur retrahere [δ] radios, inquantum divina virtute factum est ut solis radii ad terram non pervenirent.

* Cf. arg. *Sed cont.* — * *Comment.* lib. IV, ad cap. xxvii, vers. 45. — * S. Th. lect. I.

Origenes autem dicit hoc accidisse per interpositionem nubium. Unde, *super Matth.* *, dicit: *Consequens* [ε] *est intelligere quasdam tenebrosissimas nubes multas et magnas concurrisse super Ierusalem et terram Iudaeae; et ideo factae sunt tenebrae profundae a sexta hora usque ad nonam. Arbitror ergo, sicut et cetera signa quae facta sunt in passione,* scilicet *quod velum est scissum, quod terra tremuit,* etc., *in Ierusalem tantummodo facta sunt, ita et hoc: aut si latius voluerit quis extendere ad terram Iudaeae,* propter hoc quod dicitur quod « *tenebrae factae sunt in universa terra* »; *quod intelligitur* [ζ] *de terra Iudaea, sicut in III libro Regum* * *dixit Abdias ad Eliam,* « *Vivit Deus tuus, si* [η] *est gens aut regnum ubi non miserit dominus meus quaerere te* », *ostendens quod eum quaesiverunt in gentibus quae sunt circa Iudaeam.*

* Tract. XXXV. — * Cap. xviii. vers. 10.

Sed circa hoc magis est credendum Dionysio, qui oculata [θ] fide inspexit hoc accidisse per interpositionem lunae inter nos et solem. Dicit enim, in Epistola *ad Polycarpum* *: *Inopinabiliter soli lunam incidentem videbamus,* in Aegypto scilicet existentes, ut ibidem dicitur. Et designat ibi quatuor miracula. Quorum primum est quod naturalis eclipsis solis per interpositionem lunae nunquam accidit nisi tempore coniunctionis solis et lunae. Tunc autem erat luna in oppositione ad solem, quintadecima existens: quia erat Pascha Iudaeorum. Unde dicit: *Non enim erat conventus tempus* [ι]. – Secundum miraculum est quod, cum circa horam sextam luna visa fuisset simul cum sole in medio caeli, in vesperis apparuit in suo loco, idest in oriente, opposita soli. Unde dicit: *Et rursus ipsam vidimus,* scilicet lunam, *a nona hora,* scilicet in qua recessit a sole, cessantibus tenebris, *usque ad vesperam, supernaturaliter restitutam ad diametrum solis,* id est ut diametraliter esset soli opposita. Et sic patet quod non est turbatus consuetus temporum cursus: quia divina virtute factum est et quod ad solem supernaturaliter accederet praeter debitum tempus, et quod, a sole recedens, in locum proprium restitueretur tempore debito. – Tertium miraculum est quod naturaliter [κ] eclipsis solis semper incipit ab occidentali parte et pervenit usque ad orientalem: et hoc ideo quia luna secundum proprium motum, quo movetur ab occidente in orientem, est velocior sole in suo proprio motu; et ideo luna, ab occidente veniens, attingit solem et pertransit ipsum, ad orientem tendens. Sed tunc luna iam pertransiverat solem, et distabat ab eo per [λ] medietatem circuli, in oppositione existens. Unde oportuit quod reverteretur ad orientem versus solem, et attingeret ipsum primo ex parte orientali, procedens versus occidentem. Et hoc est quod dicit: *Eclipsim etiam ipsam ex oriente vidimus inchoatam et usque ad solarem terminum venientem,* quia totum solem eclipsavit, *postea hinc* [μ] *regredientem.* – Quartum miraculum fuit quod in naturali eclipsi ex eadem parte incipit sol prius reapparere ex qua parte incipit prius obscurari: quia scilicet luna, se soli subiiciens, naturali suo motu solem pertransit versus orientem, et ita partem occidentalem solis, quam primo occupat, primo etiam derelinquit [ν]. Sed tunc luna, miraculose ab oriente versus occidentem rediens, non pertransivit solem, ut esset eo occidentalior [ξ]: sed, postquam pervenit ad terminum solis, reversa est versus orientem: et ita partem solis quam ultimo occupavit, primo etiam dereliquit. Et sic ex parte orientali inchoata fuit eclipsis, sed in parte occidentali prius incoepit claritas apparere. Et hoc est quod dicit: *Et rursus vidimus non ex eodem,* idest, non ex eadem parte solis, *et defectum et repurgationem, sed e contra secundum diametrum factam.*

* Epist. V.

γ) *a Deo.* – EF et tertia; om.
δ) *retrahere.* – *retraxisse* P.
ε) *Consequens.* – *Conveniens* ed. *a* et tertia praeter I.
ζ) *intelligitur.* – Pa; *intellexit* GHbc, *intelligit* ceteri.
η) *Deus tuus, si.* – *Dominus Deus tuus quia non* P. – Pro *quaesiverunt, quae fuerunt* H, *quae sciunt b, quaesiverit* Ic, *quaesiverat* P.
θ) *oculata.* – *occulta* BEFHpG et *b*, *occultata* I.
ι) *conventus tempus.* – C; *conventus vel conveniens tempus* ABpD, *conventus tempore* GH, *conveniens tempus* ceteri et margo C a scriptore per *vel.*
κ) *naturaliter.* – *naturalis* tertia. – *solis* om. HpG et *bc*, post *parte* ponunt PsG, utroque loco habet I.
λ) *per.* – *quasi per* H et editiones.
μ) *hinc.* – Om. tertia.
ν) *derelinquit.* – EGHac; *relinquit* FI, *dereliquit* ceteri.
ξ) *occidentalior.* – F; *orientalior.* – Mox *orientem* PF; *occidentem.*

Quintum miraculum addit Chrysostomus, *super Matth.* *, dicens quod *tribus horis tunc tenebrae permanserunt, cum eclipsis solis in momento pertranseat: non enim habet moram, ut sciunt illi qui consideraverunt.* Unde datur intelligi quod luna quieverit sub sole. Nisi forte velimus dicere quod tempus tenebrarum computatur ab instanti quo incoepit sol obscurari, usque ad instans in quo sol totaliter fuit repurgatus.

Sed, sicut Origenes dicit, *super Matth.* *, *adversus hoc filii saeculi huius dicunt: Quomodo hoc factum tam mirabile* [o] *nemo Graecorum aut barbarorum scripsit?* Et dicit quod quidam nomine Phlegon *in Chronicis suis scripsit hoc in principatu Tiberii Caesaris factum: sed non significavit quod fuerit in luna plena.* Potuit ergo hoc contingere quia astrologi ubique terrarum tunc temporis existentes, non sollicitabantur de observanda eclipsi, quia tempus [π] non erat: sed illam obscuritatem ex aliqua passione aeris putaverunt accidere. Sed in Aegypto, ubi raro nubes apparent propter aeris serenitatem, permotus est Dionysius, et socii eius, ut praedicta circa illam obscuritatem observarent.

Ad tertium dicendum quod tunc praecipue oportebat per miracula divinitatem Christi ostendere [ρ], quando in eo maxime apparebat infirmitas secundum humanam naturam. Et ideo in Christi nativitate stella nova in caelo apparuit *. Unde Maximus dicit, in Sermone *Nativitatis* *: *Si praesepe despicis, erige paulisper oculos, et novam in caelo stellam, protestantem mundo nativitatem Dominicam, contuere.*

In passione autem adhuc maior infirmitas circa humanitatem Christi apparuit. Et ideo oportuit ut maiora miracula ostenderentur circa principalia mundi luminaria. Et, sicut Chrysostomus dicit, *super Matth., hoc est signum quod petentibus promittebat dare, dicens, « Generatio prava et adultera signum quaerit: et signum non dabitur ei, nisi signum Ionae Prophetae », crucem significans et resurrectionem. Etenim multo mirabilius est in eo qui* [σ] *crucifixus erat hoc fieri, quam ambulante eo super terram.*

* Homil. LXXXVIII, al. LXXXIX.
* Loc. cit.
* Matth. cap. II.
* Homil. XIII, al. in Nativ. VIII.

o) *mirabile.* – PEFIc; *miraculosum* ed. *a*, *miraculose* ceteri.
π) *tempus.* – Tertia; *tunc tempus* DE, *tunc* ceteri.
ρ) *per... ostendere.* – *ut in Christo per... ostendere* ABC et omisso *ut* DFIa, *ut in Christo per miracula divinitas Christi ostenderetur* E, *in Christo divinitatem per miracula ostendere* cetera tertia.
σ) *qui.* – F et tertia; *quod.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus: propter obscurationem solis tempore passionis.

In corpore unica conclusio: *Conveniens fuit ut Christus miracula faceret etiam circa corpora caelestia.* Probatur. Miracula Christi debebant esse talia ut sufficienter ostenderent eum esse Deum. Et non ita evidenter per miracula circa corpora inferiora sicut circa caelestia, hoc monstratur. Ergo conveniens fuit, etc. – Secunda pars assumpti manifestatur et ex differentia inter causas activas in corpora inferiora, et activas in caelestia; et auctoritate Dionysii.

II. In responsione ad primum, intellige verba Auctoris *cum grano salis;* et sic quod, sicut corpora elementaria habent plures motus naturales, ita quod unus motus est eis naturalis secundum propriam naturam particularem, et alius est eis naturalis secundum quod moventur a superiori, quasi secundum naturam universalem; ut patet de igne, qui, ultra naturalem motum quo fertur sursum, movetur etiam naturaliter motu circulari sequendo caelum; et similiter ferrum, ultra naturalem motum quo fertur deorsum, naturaliter movetur ad adamantem, quasi superiorem sequens naturam: ita corpora caelestia, ultra naturalem inclinationem ad suos cursus, *naturaliter,* hoc est, secundum potentiam obedientialem ad universalem fontem totius naturae, possunt immutari in illud quod Auctor naturae facit. Utrobique enim est proportio inferioris particularis naturae ad superiorem universalem naturam, quamvis diversimode: quia ibi cursus ordoque naturae inditus servatur; hic autem, quia ad *naturam naturantem* ascenditur, nova adiiciuntur. Quae a theologo diversis respectibus et miraculosa, et naturalia appellantur. Pro quanto enim Auctori naturae obediunt, naturalia vocantur: pro quanto supra naturae cursum potestatemque fiunt, in miraculorum ordine sunt.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM CONVENIENTER CIRCA HOMINES CHRISTUS MIRACULA FECERIT

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod inconvenienter circa homines Christus miracula fecit. In homine enim potior est anima quam corpus. Sed circa corpora multa miracula fecit Christus, circa animas vero nulla miracula legitur fecisse: nam neque aliquos incredulos ad fidem virtuose [α] convertit, sed admonendo et exteriora miracula ostendendo; neque etiam aliquos fatuos legitur sapientes fecisse. Ergo videtur quod non convenienter sit [β] circa homines miracula operatus.

2. Praeterea, sicut supra * dictum est, Christus faciebat miracula virtute divina: cuius proprium est subito operari, et perfecte, et absque adminiculo alicuius. Sed Christus non semper subito curavit homines quantum ad corpus: dicitur enim Marci VIII * quod, *apprehensa manu caeci, eduxit eum extra vicum, et exspuens in oculos eius, impositis manibus suis, interrogavit eum si aliquid videret. Et aspiciens ait: Video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterum imposuit manus super oculos eius, et coepit videre, et restitutus est* [γ] *ita ut videret clare omnia.* Et sic patet quod non subito eum curavit, sed primo

* Q. LIII, art. 2.
* Vers. 22 sqq.

α) *virtuose.* – *miraculose* E.
β) *sit.* – P; *fuerit ipse* G, *fuerit* Hbc, (*quod* om.) *fuisse* FI, *fuisset* ceteri.
γ) *est.* – *ei visus* addit tertia praeter H.

quidem imperfecte, et per sputum. Ergo videtur
non convenienter circa homines miracula fecisse.

3. Praeterea, quae se invicem non consequun-
tur, non oportet quod simul tollantur. Sed ae-
gritudo corporalis non semper ex peccato cau-
satur: ut patet per illud quod Dominus dicit,
* Vers. 2, 3. Ioan. ix *: *Neque hic peccavit, neque parentes eius,*
ut caecus nasceretur. Non ergo oportuit ut ho-
minibus corporum curationem quaerentibus pec-
cata dimitteret, sicut legitur fecisse circa paraly-
* Vers. 2. ticum, Matth. ix *: praesertim quia sanatio cor-
poralis, cum sit minus quam remissio peccato-
rum, non videtur esse sufficiens argumentum
quod possit peccata dimittere.

4. Praeterea, miracula Christi facta sunt ad
confirmationem doctrinae ipsius, et testimonium
* Qu. xliii, art. 4. divinitatis eius, ut supra * dictum est. Sed nullus
debet impedire finem sui operis. Ergo videtur
inconvenienter Christus quibusdam miraculose
curatis praecepisse ut nemini dicerent, ut patet
* Vers. 30. ** Vers. 26. Matth. ix * et Marci viii **: praesertim quia qui-
busdam aliis mandavit ut miracula circa se facta
* Vers. 19. publicarent, sicut Marci v * legitur quod dixit ei
quem a daemonibus liberaverat, *Vade in domum*
tuam ad tuos, et nuntia eis quanta Dominus tibi
fecerit.

* Vers. 37. Sed contra est quod dicitur Marci vii *: *Bene*
omnia fecit: et surdos fecit audire, et mutos loqui.

Respondeo dicendum quod ea quae sunt ad fi-
nem, debent fini esse proportionata. Christus au-
tem ad hoc in mundum venerat et docebat, ut
* Vers. 17. homines salvos faceret: secundum illud Ioan. iii *:
Non enim misit Deus Filium suum in mundum
ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per
ipsum. Et ideo conveniens fuit ut Christus, par-
ticulariter homines miraculose curando, osten-
δ deret se esse universalem et spiritualem omnium [δ]
Salvatorem.

Ad primum ergo dicendum quod ea quae sunt
ad finem, distinguuntur ab ipso fine. Miracula
autem a Christo facta ordinabantur, sicut ad fi-
nem, ad rationalis partis salutem, quae consistit
in sapientiae illustratione et hominum iustifica-
tione. Quorum primum praesupponit secundum:
* Vers. 4. quia, ut dicitur *Sap.* i *, *in malevolam animam*
non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore
subdito peccatis. Iustificare autem homines non
conveniebat nisi eis volentibus: hoc enim esset
et contra rationem iustitiae, quae rectitudinem
voluntatis importat; et etiam contra rationem
humanae naturae, quae libero arbitrio ad bonum
ducenda est, non autem per coactionem. Christus
ε ergo virtute divina interius hominem [ε] iustifica-
vit: non tamen eis invitis. Nec hoc ad miracula
pertinet: sed ad miraculorum finem. – Similiter
etiam virtute divina simplicibus discipulis sapien-
* Vers. 15. tiam infudit: unde dicit eis, Luc. xxi *: *Ego dabo*
vobis os et sapientiam cui non poterunt resistere
et contradicere omnes adversarii vestri. Quod qui-
dem, quantum ad interiorem illuminationem,
inter visibilia miracula non numeratur: sed so-
lum quantum ad exteriorem actum, inquantum
scilicet videbant homines eos qui fuerant illite-
rati et simplices, tam sapienter et constanter loqui.
Unde dicitur *Act.* iv *: *Videntes* Iudaei *Petri con-* * Vers. 13.
stantiam et Ioannis, comperto quod homines essent
sine litteris et idiotae, admirabantur. – Et tamen
huiusmodi spirituales effectus, etsi a miraculis
visibilibus distinguantur, sunt tamen quaedam
testimonia doctrinae et virtutis Christi [ζ]: secun- ζ
dum illud *Heb.* ii *: *Contestante Deo signis et* * Vers. 4.
portentis et variis virtutibus, et Spiritus Sancti dis-
tributionibus.

Sed tamen circa animas hominum, maxime
quantum ad immutandas inferiores vires, Chri-
stus aliqua miracula fecit. Unde Hieronymus,
super illud Matth. ix *, *Surgens secutus est eum,* * Vers. 9.
dicit *: *Fulgor ipse et maiestas divinitatis occultae,* * Comment
quae etiam in facie relucebat humana, videntes ad
se trahere poterat ex primo aspectu. – Et super
illud Matth. xxi *, *Eiiciebat omnes vendentes et* * Vers. 12
ementes, dicit idem Hieronymus *: *Mihi inter* * Commen III, ad cap xi vers. 15.
omnia signa quae fecit Dominus hoc videtur esse
mirabilius, quod unus homo, et illo tempore con-
temptibilis, potuerit, ad unius flagelli verbera, tan-
tam eiicere multitudinem. Igneum enim quiddam
atque sidereum radiabat ex oculis eius, et divini-
tatis maiestas lucebat in facie. Et Origenes dicit,
super Ioan. *, *hoc esse maius miraculum eo quo* * Homil.
aqua conversa est in vinum: eo quod illic subsi-
stit inanimata materia, hic vero tot millium homi-
num domantur ingenia. – Et super illud Ioan. xviii *, * Vers. 6
Abierunt retrorsum et ceciderunt in terram, dicit
Augustinus *: *Una vox turbam* [η] *odiis ferocem* * Tract. C Ioan. Ev. η
armisque terribilem, sine telo ullo, percussit, re-
pulit, stravit: Deus enim latebat in carne. – Et
ad idem pertinet quod dicitur Luc. iv *, quod * Vers. 30
Iesus *transiens per medium illorum ibat:* ubi dicit
Chrysostomus * quod *stare in medio insidiantium* * Homil. X aliter XL Ioan.
et non apprehendi, divinitatis eminentiam ostende-
bat. Et quod dicitur Ioan. viii *, *Iesus abscondit* * Vers. 59
se et exivit de Templo: ubi Augustinus * dicit: * Theoph in Ioan. Enarrat. viii.
Non abscondit se in angulo Templi quasi timens,
vel post murum aut columnam divertens: sed, cae-
lica [θ] *potestate se invisibilem insidiantibus consti-* θ
tuens, per medium illorum exivit.

Ex quibus omnibus patet quod Christus, quando
voluit, virtute divina animas hominum immuta-
vit, non solum iustificando et sapientiam infun-
dendo, quod pertinet ad miraculorum finem: sed
etiam exterius alliciendo vel terrendo vel stupe-
faciendo, quod pertinet ad ipsa miracula.

Ad secundum dicendum quod Christus venerat
salvare mundum non solum virtute divina, sed
per mysterium incarnationis ipsius. Et ideo fre-
quenter in sanatione infirmorum non sola pote-

δ) *omnium.* – *hominum* Pl.
ε) *hominem.* – *homines* PIsG.
ζ) *et virtutis Christi.* – *a* et tertia; *Christi et virtutis.*
η) *turbam.* – *turbarum* ABCF; ed. *a* legit: *Una voce turbam adiit ferocem.*
θ) *caelica.* – *divina* tertia praeter I. – *se* P; ante *constituens* ponit E, om. ceteri.

state divina utebatur, curando per modum imperii, sed etiam aliquid ad humanitatem ipsius pertinens apponendo. Unde super illud Luc. IV *, *Singulis manus imponens curabat omnes,* dicit Cyrillus *: *Quamvis, ut Deus, potuisset omnes verbo pellere morbos, tangit tamen eos* [ι], *ostendens propriam carnem efficacem ad praestanda remedia.* – Et super illud Marci VIII *, *Exspuens in oculos eius impositis manibus* etc., dicit Chrysostomus *: *Spuit quidem et manus imponit caeco, volens ostendere quod verbum divinum, operationi adiunctum, mirabilia perficit: manus enim operationis est ostensiva, sputum sermonis ex ore prolati.* – Et super illud Ioan. IX *, *Fecit lutum ex sputo et linivit lutum super oculos caeci,* dicit Augustinus *: *De saliva sua lutum* [κ] *fecit: quia « Verbum caro factum est ».* Vel etiam ad significandum quod ipse erat qui *ex limo terrae* * hominem formaverat: ut Chrysostomus dicit *.

Est etiam circa miracula Christi considerandum quod communiter perfectissima opera faciebat. Unde super illud Ioan. II *, *Omnis homo primum bonum vinum ponit,* dicit Chrysostomus *: *Talia sunt Christi miracula ut multo his quae per naturam fiunt, speciosiora et utiliora fiant.* – Et similiter in instanti infirmis perfectam sanitatem conferebat. Unde super illud Matth. VIII *, *Surrexit et ministrabat illis,* dicit Hieronymus *: *Sanitas quae confertur a Domino, tota simul redit.*

Specialiter autem in illo caeco contrarium fuit propter infidelitatem ipsius: ut Chrysostomus * dicit. – Vel, sicut Beda dicit *, *quem* [λ] *uno verbo totum simul curare poterat, paulatim curat, ut magnitudinem humanae caecitatis ostendat, quae vix, et quasi per gradus ad lucem redeat: et gratiam suam nobis indicet, per quam singula perfectionis incrementa adiuvat.*

Ad tertium dicendum quod, sicut supra * dictum est, Christus miracula faciebat virtute divina. *Dei autem perfecta sunt opera,* ut dicitur *Deut.* XXXII *. Non est autem aliquid perfectum, si finem non consequatur. Finis autem exterioris [μ] curationis per Christum factae est curatio animae. Et ideo non conveniebat Christo ut alicuius corpus curaret, nisi eius curaret animam. Unde super illud Ioan. VII *, *Totum hominem sanum feci in sabbato,* dicit Augustinus *: *Quia curatus est, ut sanus esset in corpore; et credidit, ut sanus esset in anima.*

Specialiter autem paralytico dicitur, *Dimittuntur tibi peccata,* quia, ut Hieronymus dicit, *super Matth.* *, *datur ex hoc nobis intelligentia propter peccata plerasque* [ν] *evenire corporum debilitates: et ideo forsitan prius dimittuntur peccata, ut, causis debilitatis ablatis, sanitas restituatur.* Unde et Ioan. V * dicitur: *Iam noli peccare: ne deterius tibi aliquid contingat.* Ubi, ut [ξ] dicit Chrysostomus *, *discimus quod ex peccato nata erat ei aegritudo.*

Quamvis autem, ut Chrysostomus dicit, *super Matth.* *, *quanto anima est potior corpore, tanto peccatum dimittere maius sit quam corpus sanare: quia tamen illud non est manifestum, facit minus quod est manifestius, ut demonstraret maius et non manifestum.*

Ad quartum dicendum quod, super illud Matth. IX, *Videte ne quis sciat,* dicit Chrysostomus * *non esse hoc contrarium quod hic dicitur, ei quod alteri dicit: « Vade et annuntia gloriam Dei ». Erudit enim nos prohibere eos qui volunt nos propter nos laudare. Si autem ad Deum gloria* [ο] *refertur, non debemus prohibere, sed magis iniungere ut hoc fiat.*

Marginalia: * Vers. 40. — * Comment. in Luc. — * Vers. 23 sqq. — * Victor Antioch. Comm. in Marc. — * Vers. 6. — * Tract. XLIV in Ioan. Evang. — * Gen. cap. II, vers. 7. — * Homil. LVI, al. LV, in Ioan. — * Vers. 10. — * Homil. XXII, al. XXI, in Ioan. — * Vers. 15. — * Comment. lib. I. — * Victor Antioch. Comm. in Marc. — * Cap. VIII, vers. 23 sqq. — * Expos. in Marc. lib. I, ad cap. VIII, vers. 23 sqq. — * Qu. XLIII, art. 2. — * Vers. 4. — * Vers. 23. — * Tract. XXX in Ioan. Evang. — * Comment. lib. I, ad cap. IX, vers. 5, 6. — * Vers. 14. — * Hom. XXXVIII, al. XXXVII, in Ioan. — * Homil. XXIX, al. XXX. — * Homil. XXXII, al. XXXIII, in Matth.

ι) *eos.* – *omnes* P. – *praestanda* P; *impertienda praesetnanda* D, *praesentanda* ceteri.
κ) *lutum.* – P; *sputum.* – *est* PFIsG; ante *factum* D, om. ceteri.
λ) *quem.* – PFGHc; *quae* I, *quod* ceteri. Ante *paulatim* C addit *qui.*
μ) *exterioris.* – PFIsG et *a*; *interioris.* – *curationis* Ea et tertia; *creationis* ceteri.
ν) *plerasque.* – *plerisque* EH et editiones, *pluresque* F.
ξ) *ut.* – *et* I, om. Ga et editiones. – *discimus* P; *diximus.* – Pro *peccato, peccatis* tertia.
ο) *ad Deum gloria.* – *ad Dei gloriam b, ad gloriam Dei* Pc.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore una conclusio: *Convenienter Christus circa homines miracula fecit.* Probatur. Ea quae sunt ad finem, debent consonare fini. Sed adventus, miracula doctrinaeque Christi sunt ad salutem humanam ut finem. Ergo debuerunt ei consonare. Ergo quaedam salutifera circa homines convenerunt miracula ad finem universalis salutis. – Minor patet Ioan. III. – Et omnia clara sunt.

Hic, sicut in mille locis, nota Auctorem nihil sibi arrogare de Sanctorum doctrina: sed singula, cum potuisset complecti proprio nomine, maluit singulis Doctoribus tribuere; ut utrumque doceret, et miracula Christi et humilitatem.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CONVENIENTER FECERIT CHRISTUS MIRACULA CIRCA CREATURAS IRRATIONALES

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter fecerit Christus miracula circa creaturas irrationales. Bruta enim animalia sunt nobiliora plantis. Sed Christus fecit aliquod miraculum circa plantas: puta cum ad verbum eius est siccata ficulnea, ut dicitur Matth. XXI *. Ergo videtur quod Christus etiam circa animalia bruta miracula facere debuisset.

2. Praeterea, poena non iuste infertur nisi pro culpa. Sed non fuit culpa ficulneae quod in ea Christus fructum non invenit, quando non erat tempus fructuum *. Ergo videtur quod inconvenienter eam siccaverit.

Marginalia: * Vers. 19. — * Marc. cap. XI, vers. 13.

3. PRAETEREA, aer et aqua sunt in medio caeli et terrae. Sed Christus aliqua miracula fecit in caelo, sicut supra * dictum est. Similiter etiam in terra: quando in eius passione terra mota est *. Ergo videtur quod etiam in aere et aqua aliqua miracula facere debuerit: ut mare dividere [α], sicut fecit Moyses *; vel etiam flumen, sicut fecerunt Iosue * et Elias **; et ut fierent in aere tonitrua, sicut factum est in monte Sinai quando lex dabatur *, et sicut Elias fecit, III *Reg.* XVIII **.

* Art. 2.
* Matth. cap. XXVII, vers. 51.
* *Exod.* cap. XIV, vers. 21.
* *Iosue* cap. III, vers. 15, 16.
** IV *Reg.*, cap. II, vers. 8.
* *Exod.* cap. XIX, vers. 16.
** Vers. 45.

4. PRAETEREA, opera miraculosa pertinent ad opus gubernationis mundi per divinam providentiam. Hoc autem opus praesupponit creationem. Inconveniens ergo videtur quod Christus in suis miraculis usus est creatione: quando scilicet multiplicavit panes *. Non ergo convenientia videntur fuisse eius miracula circa irrationales creaturas.

* Matth. cap. XIV, vers. 15 sqq.; cap. XV, vers. 32 sqq.

SED CONTRA EST quod Christus est *Dei sapientia* *, de qua dicitur, *Sap.* VIII **, quod *disponit omnia suaviter.*

* I *ad Cor.* cap. I, vers. 24.
** Vers. 1.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, miracula Christi ad hoc ordinabantur quod virtus divinitatis cognosceretur in ipso ad hominum salutem. Pertinet autem ad virtutem divinitatis ut omnis creatura sit ei subiecta. Et ideo in omnibus creaturarum generibus miracula eum facere oportuit, et non solum in hominibus, sed etiam in irrationabilibus creaturis.

* Art. praeced.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod animalia bruta propinque se habent secundum genus ad hominem: unde et in eodem die cum homine facta sunt *. Et quia circa corpora humana multa miracula fecerat, non oportebat quod circa corpora brutorum animalium aliqua miracula faceret: praesertim quia, quantum ad naturam sensibilem et corporalem, eadem ratio est de hominibus et animalibus, praecipue terrestribus. Pisces autem, cum vivant in aqua, magis a natura hominum differunt: unde et alio die sunt facti *. In quibus miraculum Christus fecit in copiosa piscium captura, ut legitur Luc. V * et Ioan. ult. **: et etiam in pisce quem Petrus coepit et in eo invenit staterem *. – Quod autem porci in mare praecipitati sunt *, non fuit operatio divini miraculi, sed operatio daemonum ex permissione divina.

* *Gen.* cap. I, vers. 24 sqq.
* Ibid., vers. 20 sqq.
* Vers. 4 sqq.
** Vers. 6.
* Matth. cap. XVII, vers. 26.
* Matth. cap. VIII, vers. 32.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut Chrysostomus dicit, *super Matth.* *, *cum* [β] *in plantis vel brutis aliquid tale Dominus operatur, non quaeras qualiter iuste siccata est ficus, si tempus non erat, hoc enim quaerere est ultimae dementiae*, quia scilicet in talibus non invenitur culpa et poena: *sed miraculum inspice, et admirare miraculi factorem.* Nec facit Creator iniuriam possidenti, si creatura sua suo arbitrio utatur ad aliorum salutem: sed magis, ut Hilarius dicit, *super Matth.* *, *in hoc* [γ] *bonitatis divinae argumentum reperimus. Nam ubi afferre voluit procuratae per se salutis exemplum, virtutis suae potestatem in humanis corporibus exercuit: ubi vero in contumaces formam severitatis constituebat, futuri speciem damno arboris indicavit.* Et praecipue, ut Chrysostomus dicit *, in ficulnea, *quae est humidissima: ut miraculum maius appareat.*

* Homil. LXVII, al. LXVIII.
* Commen. XXI, num.
* Loc. cit.

AD TERTIUM DICENDUM quod Christus etiam in aqua et in aere fecit miracula quae sibi conveniebant: quando scilicet, ut legitur Matth. VIII *, *imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.* Non autem conveniebat ei qui omnia in statum pacis et tranquillitatis revocare venerat, ut vel turbationem aeris, vel divisionem aquarum faceret. Unde Apostolus dicit, *Heb.* XII *: *Non accessistis ad tractabilem et accessibilem ignem, et turbinem et caliginem et procellam.*

* Vers. 26.
* Vers. 18.

Circa passionem tamen, *divisum est velum* *, ad ostendendum reserationem mysteriorum legis; *aperta sunt monumenta,* ad ostendendum quod per eius mortem mortuis vita daretur; *terra mota est et petrae scissae*, ad ostendendum quod lapidea hominum corda per eius passionem emollirentur, et quod totus mundus virtute passionis eius erat in melius commutandus.

* Matth. XXVII, vers. 51, 52.

AD QUARTUM DICENDUM quod multiplicatio panum non est facta per modum creationis, sed per additionem extraneae materiae in panes conversae *. Unde Augustinus dicit, *super Ioan.* *: *Unde multiplicat de paucis granis segetes, inde in manibus suis multiplicavit quinque panes.* Manifestum est autem quod per conversionem grana multiplicantur in segetes.

* D. 968.
* Tract. XXIV.

α) *ut mare dividere.* – *ut in aere divideretur* pG, *ut in aere divideret* I, *ut mare divideret* H, *in mare ut divideretur* bc, *ut mare divideretur* PsG.

β) *cum.* – PEI; *quod.*
γ) *hoc.* – P; om. – Inferius pro *damno, damnatio* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. – In corpore una conclusio: *Convenienter Christus fecit miracula in creaturis irrationalibus.* Probatur. Miracula Christi fuerunt ad monstrandam illius deitatem pro salute hominum. Sed ad deitatis virtutem spectat subiectio omnium. Ergo conveniens fuit ut in omnibus generibus creaturarum Christus miracula faceret. Ergo in irrationalibus. – Omnia clara sunt.

QUAESTIO QUADRAGESIMAQUINTA

DE TRANSFIGURATIONE CHRISTI

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

Deinde considerandum est de transfiguratione Christi *.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo: utrum conveniens fuerit Christum α transfigurari.

Secundo: utrum claritas transfigurationis fuerit claritas gloriosa.

Tertio: de testibus transfigurationis.

Quarto: de testimonio paternae vocis.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM FUERIT CONVENIENS CHRISTUM TRANSFIGURARI

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non fuerit conveniens Christum transfigurari *. Non enim competit vero corpori ut in diversas figuras mutetur, sed corpori phantastico. Corpus autem Christi non fuit phantasticum, sed verum, ut supra * habitum est. Ergo videtur quod transfigurari non debuit.

2. Praeterea, figura est in quarta specie qualitatis *: claritas autem est in tertia, cum sit sensibilis qualitas *. Assumptio ergo claritatis a Christo *transfiguratio* dici non debet.

3. Praeterea, corporis gloriosi sunt quatuor dotes, ut infra * dicetur: scilicet impassibilitas, agilitas, subtilitas et claritas. Non ergo magis debuit transfigurari secundum assumptionem claritatis, quam secundum assumptionem aliarum dotium.

Sed contra est quod dicitur Matth. xvii *, quod *Iesus transfiguratus est* ante tres discipulorum suorum.

Respondeo dicendum quod Dominus discipulos suos, praenuntiata sua passione, induxerat eos β ad suae passionis sequelam *. Oportet autem ad hoc quod aliquis directe procedat in via, quod finem aliqualiter praecognoscat: sicut sagittator non recte iaciet sagittam nisi prius signum prospexerit in quod iaciendum est. Unde et Thomas dixit, Ioan. xiv *: *Domine, nescimus quo vadis: et quomodo possumus viam scire?* Et hoc praecipue necessarium est quando via est difficilis et aspera, et iter laboriosum, finis vero iucundus. Christus autem per passionem ad hoc pervenit ut gloriam obtineret, non solum animae, quam habuit a principio suae conceptionis, sed etiam corporis: secundum illud Luc. ult. *: *Haec oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam.* Ad quam etiam perducit eos qui vestigia suae passionis sequuntur: secundum illud *Act.* xiv *: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum caelorum.* Et ideo conveniens fuit ut discipulis suis gloriam suae claritatis ostenderet (quod est ipsum transfigurari), cui suos configurabit: secundum illud *Philipp.* iii *: *Reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae.* Unde Beda dicit, *super Marcum* *: *Pia provisione factum est ut, contemplatione semper manentis gaudii ad breve tempus delibata* γ, *fortius adversa tolerarent.*

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Hieronymus dicit, *super Matth.* *, *nemo putet Christum* per hoc quod transfiguratus dicitur, *pristinam formam et faciem perdidisse, vel amisisse corporis veritatem et assumpsisse corpus spirituale vel aereum. Sed quomodo transformatus sit, Evangelista demonstrat, dicens: « Resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix ». Ubi splendor faciei ostenditur, et candor describitur vestium, non substantia tollitur, sed gloria commutatur.*

Ad secundum dicendum quod figura circa extremitatem corporis consideratur: est enim figura *quae termino vel terminis comprehenditur* *. Et ideo omnia illa quae circa extremitatem corporis considerantur, ad figuram quodammodo pertinere videntur. Sicut autem color, ita et claritas corporis non transparentis in eius superficie attenditur. Et ideo assumptio claritatis transfiguratio dicitur.

Ad tertium dicendum quod, inter praedictas quatuor dotes, sola claritas est qualitas ipsius personae in seipsa: aliae vero tres dotes non percipiuntur nisi in aliquo actu vel motu, seu passione. Ostendit igitur Christus in seipso aliqua illarum trium dotium indicia: puta agilitatis, cum supra undas maris ambulavit *; subtilitatis, quando de clauso utero Virginis exivit *; impassibilitatis, quando de manibus Iudaeorum, vel praecipitare vel lapidare eum volentium, illaesus evasit *. Nec tamen propter illas δ transfiguratus dicitur: sed propter solam claritatem, quae pertinet ad aspectum personae ipsius.

* [Cf.] qu. xliii, [pro]oem. — * [Ma]tth. cap. xvii, [vers.] 1-8; Marc. ix, vers. 1-7; [Luc.] cap. ix, vers. [28 s]qq. — * [Q]u. v, art. 1. — * Aristot. *Categ.* cap. vi, n. [14]. — * [Id.] ibid., n. 8. — * [C]f. *Supplem.*, qu. lxxxii sqq. — * [Ve]rs. 2. — * [Ma]tth. cap. xvi, [vers.] 21 sqq. — * [Ve]rs. 5. — * [Ve]rs. 26. — * [Ve]rs. 21. — * Vers. 21. — * Exposit. lib. III, ad cap. viii, vers. 39. — * Comment. lib. III, ad cap. xvii, vers. 2. — * Euclid., *Element.* lib. I, defin. xiv. — * Matth. cap. xiv, vers. 25; Marc. cap. vi, vers. 48; Ioan. cap. vi, vers. 19. — * Cf. qu. xxviii, art. 2. — * Luc. cap. iv, vers. 29, 30; Ioan. cap. viii, vers. 59; cap. x, vers. 31, 39.

α) *Christum.* – PEsG et *a*; *ei bc*, om. ceteri.
β) *eos.* – Om. E.
γ) *delibata.* – P; *demonstrata* Hb, *derivata* ceteri (vel *divinata* A).
δ) *illas.* – *illa* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus ex Evangelio clarus est. – In corpore unica est conclusio: *Conveniens fuit Christum transfigurari.* Probatur, primo. Oportet finem aliqualiter praecognosci ad directe procedendum, in via praesertim difficili, aspera et laboriosa, ad finem iucundum. Sed via discipulorum Christi per passionem est: et finis gloria est similis gloriae Christi, ad quam pervenit per passionem Christus. Ergo conveniens fuit monstrari gloriam Christi, quod est ipsum transfigurari. – Maior declaratur dupliciter: et exemplo sagittatoris; et verbo Thomae. – Minor autem, quoad Christum, Luc. ult.; quoad discipulos, *Act.* xiv, et *ad Philipp.* iii. – Et confirmatur auctoritate Bedae. – Omnia clara sunt.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM ILLA CLARITAS FUERIT CLARITAS GLORIOSA

III *Sent.*, dist. xvi, qu. ii, art. 2; *In Matth.*, cap. xvii.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod illa claritas * non fuit claritas gloriosa. Dicit enim quaedam glossa Bedae, *super* illud Matth. xvii *, *Transfiguratus est coram eis: In corpore,* inquit, *mortali ostendit, non immortalitatem, sed claritatem similem futurae immortalitati.* Sed claritas gloriae est claritas immortalitatis. Non ergo illa claritas quam Christus discipulis ostendit, fuit claritas gloriae.

* Matth. cap. xvii, vers. 1-8; Marc. cap. ix, vers. 1-7; Luc. cap. ix, vers. 28 sqq. * Vers. 2.

2. Praeterea, super illud Luc. ix *, *Non gustabunt mortem nisi videant regnum Dei,* dicit glossa * Bedae: *idest, glorificationem corporis in imaginaria repraesentatione futurae beatitudinis.* Sed imago alicuius rei non est ipsa res. Ergo claritas illa non fuit claritas beatitudinis.

* Vers. 27. * Interlin. sine nom.

3. Praeterea, claritas gloriae non est nisi in corpore humano. Sed claritas illa transfigurationis apparuit non solum in corpore Christi, sed etiam in vestimentis eius, et in nube lucida quae discipulos obumbravit. Ergo videtur quod illa claritas non fuit claritas gloriae.

Sed contra est quod, super illud Matth. xvii *, *Transfiguratus est ante eos,* dicit Hieronymus *: *Qualis futurus est tempore iudicii, talis Apostolis apparuit.* Et super illud Matth. xvi *, *Donec videant Filium Hominis venientem in regno suo,* dicit Chrysostomus *: *Volens monstrare quid est illa gloria in qua postea venturus est, eis in praesenti vita revelavit, sicut possibile erat eos discere: ut neque in Domini morte iam doleant.*

* Vers. 2. * Comment. lib. III. * Vers. 28. * Homil. LVI, al. LVII, *in Matth.*

Respondeo dicendum quod claritas illa quam Christus in transfiguratione assumpsit, fuit claritas gloriae quantum ad essentiam, non tamen quantum ad modum essendi. Claritas enim corporis gloriosi derivatur ab animae claritate *: sicut Augustinus dicit, in Epistola *ad Dioscorum* *. Et similiter claritas corporis Christi in transfiguratione derivata est a divinitate ipsius, ut Damascenus dicit *, et a gloria animae eius **. Quod enim a principio conceptionis Christi gloria animae non redundaret ad corpus, ex quadam dispensatione divina factum est, ut in corpore passibili nostrae redemptionis expleret mysteria, sicut supra * dictum est. Non tamen per hoc adempta est potestas Christo derivandi gloriam animae ad corpus. Et hoc quidem [α] fecit, quantum ad claritatem, in transfiguratione: aliter tamen quam in corpore glorificato. Nam ad corpus glorificatum redundat claritas ab anima sicut quaedam qualitas permanens corpus afficiens. Unde fulgere corporaliter non est miraculosum in corpore glorioso. Sed ad corpus Christi in transfiguratione derivata est claritas a divinitate et anima eius, non per modum qualitatis immanentis et afficientis ipsum corpus: sed magis per modum passionis transeuntis, sicut cum aer illuminatur a sole. Unde ille fulgor tunc in corpore Christi apparens miraculosus fuit: sicut et hoc ipsum quod ambulavit super undas maris *. Unde Dionysius dicit, in Epistola IV, *ad Caium: Super hominem operatur Christus ea quae sunt hominis: et hoc monstrat Virgo supernaturaliter concipiens, et aqua instabilis materialium et terrenorum pedum sustinens gravitatem.*

* D. 349. * Ep. CXVIII, al. LVI, cap. iii. * Orat. de Transfig. D. N. Iesu Christi. ** D. 350. * Qu. xiv, art. 1, ad 2. * Matth. cap. [xiv], vers. 25.

Unde non est dicendum, sicut Hugo de Sancto Victore * dixit, quod Christus assumpserit dotes claritatis in transfiguratione, agilitatis ambulando super mare, et subtilitatis egrediendo de clauso utero Virginis [β]: quia dos nominat quandam qualitatem immanentem corpori glorioso. Sed miraculose habuit ea quae pertinent ad dotes. Et est simile, quantum ad animam, de visione qua Paulus vidit Deum in raptu *: ut in Secunda Parte ** dictum est.

* Innoc. III, *Myster. M[issae]* lib. IV, cap. [...]; Serm. XI[V] *Temp.* * D. 480, 9. ** IIª IIªᵉ, q. clxxv, art. 2.

Ad primum ergo dicendum quod ex illo verbo non ostenditur quod claritas Christi non fuerit claritas gloriae: sed quod non fuit claritas corporis gloriosi, quia corpus Christi nondum erat immortale. Sicut enim dispensative factum est ut in Christo gloria animae non redundaret ad corpus, ita fieri potuit dispensative ut redundaret quantum ad dotem claritatis, et non quantum ad dotem impassibilitatis.

Ad secundum dicendum quod illa claritas dicitur imaginaria fuisse, non quin esset vera claritas gloriae: sed quia erat quaedam imago repraesentans illam gloriae perfectionem secundum quam corpus erit gloriosum.

α) *quidem.* – EII et editiones; *idem.* – Pro *claritatem, gloriae claritatem* PF.

β) *assumpserit... Virginis.* – *assumpsit quatuor dotes: claritatis in transfiguratione, agilitatis ambulando super mare, et* (*et* om. P) *subtilitatis egrediendo de clauso utero Virginis, impassibilitatis* (*et impassibilitatis* P) *in cena, quando dedit corpus suum ad edendum sine hoc quod divideretur (edendum licet illud divideret bc)* tertia praeter I.

Ad tertium dicendum quod, sicut claritas quae erat in corpore Christi repraesentabat futuram claritatem corporis eius, ita claritas vestimentorum eius designat futuram claritatem sanctorum, quae superabitur a claritate Christi, sicut candor nivis superatur a candore γ solis. Unde Gregorius dicit, XXXII *Moral.* *, quod vestimenta Christi facta sunt splendentia, *quia in supernae claritatis culmine sancti omnes ei luce iustitiae fulgentes adhaerebunt. Vestium enim nomine iustos, quos sibi adiunget, significat:* secundum illud Isaiae XLIX *: *His omnibus velut ornamento vestieris* *.

Nubes autem lucida significat Spiritus Sancti gloriam, vel *virtutem paternam,* ut Origenes dicit *, per quam sancti in futura gloria protegentur. – Quamvis etiam convenienter significare posset claritatem mundi innovati, quae erit sanctorum tabernaculum. Unde, Petro disponente tabernacula facere, nubes lucida discipulos obumbravit.

* [cap.] vi, al. vii. — * Vers. 18. — * Cf. Greg. *Moral.* lib. XX, cap. xxix, al. xxii, in vet. xxiii. — * Tract. III *in Matth.*

γ) *candore.* – *splendore* IsH et editiones, *claritate splendore* pH.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus quaerit an illa claritas quae apparuit in Christo, fuerit claritas quae ponitur una ex quatuor dotibus corporis gloriosi: hoc est enim quaerere an fuerit *claritas gloriosa.* Et quaeritur hoc ad differentiam claritatis quae alias apparere potest: ut in nativitate Domini dicitur * quod *claritas Dei circumfulsit illos,* et in resurrectione Domini angeli in claritate candida apparuerunt *. Constat enim huiusmodi claritates non esse claritates corporum gloriosorum. Et propterea hic in quaestionem vertitur an illa claritas Domini in transfiguratione fuerit sicut dictae claritates: an fuerit claritas corporis gloriosi.

II. In corpore duo fiunt: primo, ponitur conclusio et probatur; secundo, ex illa excluditur opinio Hugonis de Sancto Victore *. Conclusio est habens duas partes: *Claritas illa fuit claritas gloriae quantum ad essentiam, et non quantum ad modum essendi.* Probatur primum. Claritas gloriae derivatur ab anima in corpus. Claritas Christi derivata est a deitate et anima in corpus. Ergo. – Maior est Augustini, *ad Dioscorum.* – Minor est Damasceni quoad deitatem. Quoad animam vero, probatur: quia non est adempta Christo potestas derivandi gloriam animae ad corpus, ex dispensatione ne redundaret.

Secunda pars probatur ex differentia inter claritatis modos essendi diversos: scilicet, vel per modum qualitatis permanentis; vel per modum passionis transeuntis. Nam primo modo est claritas gloriae etiam quoad modum essendi: non secundo. Quod manifestatur ex alia differentia: quia corpora gloriosa sunt affecta claritate ita ut naturaliter fulgeant; hoc autem miraculose. Et declaratur modus essendi: sicut lumen in aere. Declaratur miraculum: sicut ambulare super aquas. Et auctoritate Dionysii confirmatur.

Deinde excluditur opinio Hugonis de Sancto Victore, qui in hoc secundo differt quoad verba, quia *dotis* nomine usus est, quae quid fixum sonare videtur. Sed forte quoad rem idem sentit: scilicet quod assumpsit dotem secundum essentiam, non secundum modum essendi, idest non per modum dotis. – Omnia clara sunt in littera.

III. Circa rationem litterae dubium occurrit. Tum quia invalida videtur, ex hoc quod non est adempta Christo potestas derivandi gloriam animae ad corpus, inferendo: Ergo gloria illa derivata est ab anima. A posse namque ad esse non valet argumentum *.

Tum quia, si gloria illa derivata est ab anima in corpus, ergo non est miraculosa, sed naturalis: quoniam pro illo tempore redundantia, prius prohibita, naturalem cursum suum fecit. Et sic totum oppositum videtur: scilicet quod non esse clarum Christi corpus erat miraculosum, quia miraculose suspendebatur redundantia animae ad corpus; fulgere autem erat naturale, quia sibi derelictum fulgebat.

IV. Ad hoc dicitur quod, quia dispensatio est sicut exceptio quaedam a regula generali, ut patet secundum communem usum Ecclesiae; et regulariter anima beata glorificat corpus quod animat, ut Augustinus dicit *; ac per hoc, cum anima Christi fuerit beata ab initio sui, debebat regulariter ipsius corpus gloriosum esse ex naturali redundantia animae beatae ad corpus quod vivificat: – sed quia Christus voluit pati, et *in similitudine carnis peccati* * nobiscum conversari, suspendit actualem redundantiam gloriae in corpus ab anima sua. Et hoc est dispensasse in generali regula redundantiae. Ex qua dispensativa suspensione actualis redundantiae factum est ut corpus remaneret passibile, utpote non dotatum actualiter adhuc ab anima gloria; et ut anima nihil minus potestatis in se haberet quam si, redundando actualiter, communicaret corpori suo gloriam. Nihil enim ex hoc animae ademptum est nisi actualis redundantia ad tempus: ex quo constat non minui ipsius animae secundum se potestatem. Et propterea in littera dicitur quod *non est per dispensationem adempta Christo potestas derivandi gloriam animae ad corpus.* Et quia de facto apparuit gloria in corpore Christi monstrata, ad hoc ut Apostoli viderent vel modicum futurae gloriae post resurrectionem; consequens est ut gloria illa non alia fuerit quam illa quae est ipsius Christi propria, quam constat ab anima derivari. Alioquin, non ostendisset illis gloriam suam, sed aliam: cum tamen Ioannes, qui vidit, dicat *: *Vidimus gloriam eius.* Quocirca quia, posita potestate derivandi, dubium non est quin derivatio secuta fuerit; ideo sufficit Auctori potestatem derivandi declarasse, pro manifesto relinquens quod actualiter derivata est.

Et licet claritas illa, relata ad animam Christi, fuerit non miraculosa, sed naturalis, ut obiiciendo dicitur, quia beata erat anima Christi; relata tamen ad corpus Christi, miraculosa erat, quia corpus illud etiam tunc erat passibile: quod enim corpus passibile fulgeat sicut sol, miraculosum est. Verum, si derivata totaliter fuisset gloria ab anima Christi in corpus, non fuisset gloria miraculosa, sed naturalis: reddidisset siquidem corpus totaliter gloriosum, sicut modo est post resurrectionem. Sed quoniam non nisi per modum cuiusdam passionis claritas illa a naturali quidem fonte animae beatae in corpus descendit, ideo corpus non reddidit gloriosum simpliciter. Et ideo miraculosum fuit ut corpus non gloriosum fulgeret. Concede ergo quod utrumque miraculosum fuit: scilicet et corpus Christi non fulgere; et sic fulgere in transfiguratione. Sed primum spectat ad primum et quasi universale antiquumque miraculum in incarnatione factum, quo suspensa est redundantia gloriae ab anima in corpus Christi, ut haberet corpus passibile, pro nostra salute moriendo, etc. Secundum autem spectat ad speciale miraculum, quo nunc actualiter corpori passibili, etc., praestitum est ut fulgeret. Et ratione huius in littera dicitur quod fuit fulgor Christi miraculosus.

Et per haec patet solutio obiectorum.

V. In responsione ad tertium, Auctor ad mysticam transit rationem, relinquens pro manifesto nihil officere claritati gloriosae corporis Christi si tanta est quod etiam splendidas vestes efficiat, et nubes lucidas reddat, per radiorum suorum emissionem. Haec enim non ad ipsam spectant claritatem, sed ad ipsius effectus. In hoc enim magnitudo lucis corporis Christi ostenditur, et graduata illius participatio: dum vestes propinquiores splendent; nubes autem remotior lucida fit.

* [Lu]c. cap. II, v[ers.] 9. — * [Matth]. cap. xxviii, v[ers.] 3; Marc. ca[p.] xvi, vers. 5; L[uc.] cap. xxiv, v[ers.] 4; Ioan. cap. xx, vers. 12. — * [L]oc. III. — * Aristot. *Pe[riherm]*. cap. xiii, Continuat. Comment. s. Th. lect. x. — * [Loc. cit.] num. II. — * *Ad Rom.*, cap. viii, vers. 3. — * Ioan. cap. I, vers. 14.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM CONVENIENTER INDUCTI FUERINT TESTES TRANSFIGURATIONIS

In Matth., cap. XVII.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non convenienter inducti fuerint testes transfigurationis. Unusquisque enim maxime perhibere potest testimonium de notis. Sed qualis esset futura gloria, tempore transfigurationis Christi nulli homini per experimentum erat adhuc notum, sed solis angelis. Ergo testes transfigurationis magis debuerunt esse angeli quam homines.

2. PRAETEREA, testes veritatis non decet aliqua fictio, sed veritas. Moyses autem et Elias non ibi vere affuerunt, sed imaginarie: dicit enim quaedam glossa * super illud Luc. IX **, *Erant autem Moyses et Elias* etc.: *Sciendum est,* inquit, *non corpus vel animas Moysi vel Eliae ibi apparuisse: sed in subiecta creatura illa corpora fuisse formata. Potest etiam credi ut angelico ministerio hoc factum esset, ut angeli eorum personas assumerent.* Non ergo videtur quod fuerint convenientes testes.

* Ord. Strabi.
** Vers. 30.

3. PRAETEREA, *Act.* X * dicitur quod Christo *omnes prophetae testimonium perhibent.* Ergo non soli Moyses et Elias debuerunt adesse tanquam testes, sed etiam omnes prophetae.

* Vers. 43.

4. PRAETEREA, gloria Christi fidelibus omnibus repromittitur *, quos per suam transfigurationem ad illius gloriae desiderium accendere [α] voluit. Non ergo solos Petrum et Iacobum et Ioannem in testimonium suae transfigurationis assumere debuit, sed omnes discipulos.

* II *ad Cor.*, cap. III, vers. 18; *ad Philipp.*, cap. III, vers. 21.

IN CONTRARIUM EST Evangelicae Scripturae auctoritas *.

* Matth. cap. XVII, vers. 1-8; Marc. cap. IX, vers. 1-7; Luc. cap. IX, vers. 28 sqq.

RESPONDEO DICENDUM quod Christus transfigurari voluit ut gloriam suam hominibus ostenderet, et ad eam desiderandam homines provocaret, sicut supra * dictum est. Ad gloriam autem aeternae beatitudinis adducuntur homines per Christum, non solum qui post eum fuerunt, sed etiam qui eum praecesserunt: unde, eo ad passionem properante, tam *turbae quae sequebantur,* quam *quae praecedebant ei, clamabant, Hosanna,* ut dicitur Matth. XXI *, quasi salutem ab eo petentes. Et ideo conveniens fuit ut de praecedentibus ipsum testes adessent, scilicet Moyses et Elias; et de sequentibus [β], scilicet Petrus, Iacobus et Ioannes; ut *in ore duorum vel trium testium staret hoc verbum* *.

* Art. 1.
* Vers. 9.
* *Deut.* cap. XIX, vers. 15; Matth. cap. XVIII, vers. 16.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Christus per suam transfigurationem manifestavit discipulis corporis gloriam, quae ad solos homines pertinet. Et ideo convenienter non angeli, sed homines pro testibus ad hoc inducuntur.

AD SECUNDUM DICENDUM quod illa glossa dicitur esse sumpta ex libro qui intitulatur *de Mirabilibus Sacrae Scripturae,* qui non est liber authenticus, sed falso adscribitur Augustino *. Et ideo illi glossae non est standum. Dicit enim [γ] Hieronymus, *super Matth.* *: *Considerandum est quod scribis et Pharisaeis de caelo signa poscentibus, dare noluit: hic vero, ut Apostolorum augeat fidem, dat signum de caelo, Elia inde descendente quo conscenderat, et Moyse ab inferis resurgente.* Quod non est sic intelligendum quasi anima Moysi suum corpus resumpserit: sed quod anima eius apparuit per aliquod corpus assumptum, sicut angeli apparent. Elias autem apparuit in proprio corpore, non quidem de caelo empyreo allatus [δ], sed de aliquo eminenti loco, in quem fuerat in curru igneo raptus *.

* D. 812.
* Comment. III, ad cap. [...] vers. 3.
* IV *Reg.* c. [...] vers. 11.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut Chrysostomus dicit, *super Matth.* *, *Moyses et Elias in medium adducuntur propter multas rationes.* Prima est haec. *Quia enim turbae dicebant eum esse Eliam vel Ieremiam aut unum ex prophetis, capita prophetarum secum ducit: ut saltem hinc appareat differentia servorum et Domini.*

* Homil. LV[...] LVII.

Secunda ratio est, *quia Moyses legem dedit, Elias pro gloria Domini aemulator fuit.* Unde per hoc quod simul cum Christo apparent, excluditur calumnia Iudaeorum *accusantium Christum tanquam transgressorem legis, et blasphemum Dei sibi gloriam usurpantem.*

Tertia ratio est, *ut ostendat se habere potestatem mortis et vitae, et esse iudicem mortuorum et vivorum, per hoc quod Moysen iam mortuum, et Eliam adhuc viventem, secum ducit.*

Quarta ratio est quia, sicut Lucas dicit *, « *loquebantur cum eo de excessu, quem completurus erat in Ierusalem* », *idest de passione et morte sua.* Et ideo, *ut super hoc discipulorum animos confirmaret,* inducit eos in medium qui se morti exposuerunt pro Deo: nam Moyses cum periculo mortis se obtulit Pharaoni *, Elias vero regi Achab [ε] *.

* Cap. IX, v[...]
* *Exod.* c. [...] sqq.
* III *Reg.*, [...] XVIII.

Quinta ratio est, *quia volebat ut discipuli eius* [ζ] *aemularentur Moysi mansuetudinem, et zelum Eliae.*

Sextam rationem addit Hilarius *: ut ostenderet scilicet se per legem, quam dedit Moyses, et per prophetas, inter quos fuit Elias praecipuus, esse praedicatum.

* *Commen[...] Matth.*, ca[...]

AD QUARTUM DICENDUM quod alta mysteria non sunt omnibus exponenda immediate, sed per maiores suo tempore ad alios debent devenire.

α) *accendere.* – Ea et tertia; *accedere.*
β) *sequentibus.* – *ipsum* addit tertia. – Ad *vel,* margo P notat *Alias, et.*
γ) *enim.* – *expresse* addunt IsG et editiones.
δ) *allatus.* – *allatum* Ibc, *allato* P. – Pro *in quem, in quo* ed. *a, in quod* ceteri.
ε) *Achab.* – FH et editiones; *Achaz.*
ζ) *eius.* – *sui* P.

Et ideo, ut Chrysostomus dicit *, *assumpsit tres tanquam potiores*. Nam *Petrus excellens fuit in dilectione* quam habuit ad Christum et iterum in potestate sibi commissa *; Ioannes vero in privilegio amoris quo a Christo diligebatur propter suam virginitatem, et iterum propter praerogativam Evangelicae doctrinae *; Iacobus autem propter praerogativam martyrii *. Et tamen hos ipsos noluit hoc quod viderant aliis annuntiare ante resurrectionem: *ne*, ut Hieronymus dicit *, *incredibile esset, pro rei magnitudine; et, post tantam gloriam, sequens crux scandalum faceret;* vel etiam *totaliter impediretur a populo* *; et *ut, cum essent Spiritu Sancto repleti, tunc gestorum spiritualium testes essent* *.

* Comment. in Matth. lib. III, ad cap. XVII, vers. 19.

* Bed. homil. XVIII.

* Hilar. loc. cit. supra.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore unica conclusio: *Convenienter inducti sunt testes transfigurationis.* Probatur. Ad gloriam aeternam per Christum adducuntur homines praecedentes ipsum et sequentes. Ergo convenienter homines duo ex praecedentibus, et tres ex sequentibus, inducti sunt transfigurationis testes.

Antecedens, licet sit clarum, manifestatur tamen ex mysterio turbarum clamantium, etc. – Consequentia autem, quoad transfigurationem, probatur: quia transfiguratio nihil aliud fuit quam quaedam demonstratio gloriae invitativa ad ipsam. Quoad numerum testium, probatur: quia *in ore duorum vel trium*, etc.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CONVENIENTER ADDITUM FUERIT TESTIMONIUM PATERNAE VOCIS DICENTIS, *HIC EST FILIUS MEUS DILECTUS*

In Matth., cap. XVII.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter additum [α] fuerit testimonium paternae vocis dicentis, *Hic est Filius meus dilectus.* Quia, ut dicitur *Iob* XXXIII *, *semel loquitur Deus, et secundo idipsum* [β] *non repetit.* Sed in baptismo hoc ipsum paterna vox fuerat protestata *. Non ergo fuit conveniens quod hoc iterum protestaretur in transfiguratione.

2. Praeterea, in baptismo, simul cum voce paterna, affuit Spiritus Sanctus in specie columbae *. Quod in transfiguratione factum non fuit. Non ergo conveniens videtur fuisse Patris protestatio.

3. Praeterea, Christus docere incoepit post baptismum *. Et tamen in baptismo vox Patris ad eum audiendum homines non induxerat. Ergo nec in transfiguratione inducere debuit.

4. Praeterea, non debent aliquibus dici ea quae ferre non possunt: secundum illud Ioan. XVI *: *Adhuc habeo vobis multa dicere, quae non potestis portare modo.* Sed discipuli vocem Patris ferre non potuerunt: dicitur enim Matth. XVII * quod *audientes discipuli ceciderunt in faciem suam et timuerunt valde.* Ergo non debuit vox paterna ad eos fieri.

In contrarium est auctoritas Evangelicae Scripturae *.

Respondeo dicendum quod adoptio filiorum Dei est per quandam conformitatem imaginis ad Dei Filium naturalem. Quod quidem fit dupliciter: primo quidem, per gratiam viae, quae est conformitas imperfecta; secundo, per gloriam [γ], quae est conformitas perfecta; secundum illud I Ioan. III *: *Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus: scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Quia igitur gratiam per baptismum consequimur, in transfiguratione autem praemonstrata est claritas futurae gloriae, ideo tam in baptismo quam in transfiguratione conveniens fuit manifestare [δ] naturalem Christi filiationem testimonio Patris: quia solus est perfecte conscius illius perfectae generationis, simul cum Filio et Spiritu Sancto.

Ad primum ergo dicendum quod illud verbum referendum est ad aeternam Dei locutionem, qua Deus Pater Verbum unicum protulit sibi coaeternum *. Et tamen potest dici quod idem [ε] corporali voce Deus bis protulerit, non tamen propter idem: sed ad ostendendum diversum modum quo homines participare possunt similitudinem filiationis aeternae.

* Cf. Greg. *Moral.* lib. XXIII, cap. XIX, al. XI.

Ad secundum dicendum quod sicut in baptismo, ubi declaratum fuit mysterium primae regenerationis, ostensa est operatio totius Trinitatis, per hoc quod fuit ibi Filius incarnatus, apparuit Spiritus Sanctus in specie columbae, et Pater fuit ibi declaratus in voce; ita etiam in transfiguratione, quae est sacramentum secundae regenerationis, tota Trinitas apparuit, Pater in voce, Filius in homine, Spiritus Sanctus in nube clara; quia sicut in baptismo dat innocentiam, quae per simplicitatem columbae designatur, ita in resurrectione dabit electis suis claritatem gloriae et refrigerium ab omni malo, quae designantur in nube lucida.

Ad tertium dicendum quod Christus venerat gratiam actualiter dare, gloriam vero verbo promittere. Et ideo convenienter in transfiguratione inducuntur homines ut ipsum audiant, non autem in baptismo.

α) *additum.* – *auditum* P.
β) *idipsum.* – GIsDH editiones et *a; ad ipsum.* Pro *repetit, competit* A.
γ) *gloriam.* – *patriae* addunt PE. – Pro *est, erit* G et editiones.
δ) *manifestare.* – *manifestari* PI. – Pro *quia, qui* GI.
ε) *idem.* – *licet idem* E et tertia. – *bis* om. G et editiones.

Ad quartum dicendum quod conveniens fuit discipulos voce paterna terreri et prosterni, ut ostenderetur quod excellentia illius gloriae quae tunc demonstrabatur, excedit omnem sensum et facultatem mortalium: secundum illud *Exod.* xxxiii *: *Non videbit me homo et vivet.* Et hoc est quod Hieronymus dicit, *super Matth.* *, quod *humana fragilitas conspectum maioris gloriae ferre non sustinet.* Ab hac autem fragilitate sanantur homines per Christum, eos in gloriam adducendo. Quod significatur per hoc quod dixit eis *: *Surgite, nolite timere.*

* Vers. 20.

* Commen. lib. III, ad cap. xvii, vers. 6.

* Matth. cap. xvii, vers. 7.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore unica conclusio: *Convenienter testimonium naturalis Christi filiationis paterna voce auditum est * in transfiguratione, sicut et in baptismo.* Probatur. Adoptio filiorum Dei est per conformitatem imaginis divinae ad naturalem Filium: et hoc vel secundum gratiam, vel gloriam. Ergo conveniens fuit testimonium naturalis filiationis Christi, etc.

Antecedens, quoad primam partem, relinquitur clarum: et patet *ad Rom.* viii *: *Quos praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Quoad secundam et tertiam, manifestatur auctoritate Ioannis Evangelistae. – Consequentia probatur: quia in baptismo datur gratia; in transfiguratione gloria monstrata est. Et manifestatur simul convenientia testimonii ex persona Patris: quia solus novit. – Omnia clara sunt, iuxta subiectam materiam.

* Cf. not. α.

* Vers. 29.



QUAESTIO QUADRAGESIMASEXTA

DE PASSIONE CHRISTI

IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA

* qu. xxvii, ...d.
* ... L.
* ... LI.
* ... LII.

Consequenter considerandum est de his quae pertinent ad exitum Christi de mundo *. Et primo, de passione eius; secundo, de morte *; tertio, de sepultura *; quarto, de descensu ad inferos *.

* ... XLVII.
** ...u. XLVIII.

Circa passionem occurrit triplex consideratio: prima, de ipsa passione; secunda, de causa efficiente passionis *; tertia, de fructu passionis **.

Circa primum quaeruntur duodecim.

Primo: utrum necesse fuerit Christum pati pro liberatione hominum.

Secundo: utrum fuerit alius modus possibilis liberationis humanae.

Tertio: utrum iste modus fuerit convenientior.

Quarto: utrum fuerit conveniens quod in cruce pateretur.

Quinto: de generalitate passionis eius.

Sexto: utrum dolor quem in passione sustinuit, fuerit maximus.

Septimo: utrum tota anima eius pateretur.

Octavo: utrum passio eius impediverit gaudium fruitionis.

Nono: de tempore passionis.

Decimo: de loco.

Undecimo: utrum conveniens fuerit ipsum cum latronibus crucifigi.

Duodecimo: utrum passio ipsius Christi sit divinitati attribuenda.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM FUERIT NECESSARIUM CHRISTUM PATI PRO HUMANI GENERIS LIBERATIONE

III *Sent.*, dist. xvi, qu. i, art. 2; dist. xx, art. 1, qa 3; *Cont. Graec. Armen.* etc., cap. vii.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non fuerit necessarium Christum pati pro humani generis liberatione. Humanum enim genus liberari non poterat nisi a Deo: secundum illud Isaiae xlv *: *Numquid non ego Dominus, et non est ultra Deus absque me? Deus iustus et salvans non est praeter me.* In Deum autem non cadit aliqua necessitas: quia hoc repugnaret omnipotentiae ipsius. Ergo non fuit necessarium Christum pati. (* ...s. 21.)

2. Praeterea, necessarium voluntario opponitur. Sed Christus propria voluntate est passus: dicitur enim Isaiae liii *: *Oblatus est quia ipse voluit.* Ergo non necessarium fuit eum pati. (* ...s. 7.)

3. Praeterea, sicut in Psalmo * dicitur, *universae viae Domini misericordia et veritas.* Sed non videtur necessarium quod pateretur ex parte misericordiae divinae: quae, sicut gratis dona tribuit, ita videtur quod gratis debita relaxet, absque satisfactione. Neque etiam ex parte divinae iustitiae: secundum quam homo aeternam damnationem meruerat. Ergo videtur non fuisse necessarium quod Christus pro liberatione hominum pateretur. (* ... xxiv, vers. ...)

4. Praeterea, angelica natura est excellentior quam humana: ut patet per Dionysium, iv cap. *de Div. Nom.* * Sed pro reparatione angelicae naturae, quae peccaverat, Christus non est passus. Ergo videtur quod nec etiam fuerit necessarium eum pati pro salute humani generis. (* ...Th. lect. i.)

Sed contra est quod dicitur Ioan. iii *: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, sic oportet exaltari Filium Hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Quod quidem de exaltatione in cruce intelligitur *. Ergo videtur quod Christum oportuerit pati. (* Vers. 14, 15. — * Cf. cap. xii, vers. 32, 33.)

Respondeo dicendum quod, sicut Philosophus docet in V *Metaphys.* *, *necessarium* multipliciter dicitur. Uno quidem modo, quod secundum sui naturam impossibile est aliter se habere. Et sic manifestum est quod non fuit necessarium Christum pati: neque ex parte Dei, neque ex parte hominis. (* S. Th. lect. vi. - Did. lib. IV, cap. v, n. 1, 2, 3.)

Alio modo dicitur aliquid necessarium ex aliquo exteriori. Quod quidem si sit causa efficiens vel movens, facit necessitatem coactionis: utpote cum aliquis non potest ire propter violentiam detinentis ipsum. – Si vero illud exterius quod necessitatem inducit, sit finis, dicetur aliquid necessarium ex suppositione finis: quando scilicet finis aliquis aut nullo modo potest esse, aut non potest esse α convenienter, nisi tali fine praesupposito.

Non fuit ergo necessarium Christum pati β necessitate coactionis: neque ex parte Dei, qui Christum definivit pati; neque etiam ex parte ipsius Christi, qui voluntarie passus est.

Fuit autem necessarium necessitate finis. Qui γ quidem potest tripliciter intelligi. Primo quidem, ex parte nostra, qui per eius passionem liberati sumus: secundum illud Ioan. iii *: *Oportet exaltari Filium Hominis, ut omnis qui credit in eum* (* Cf. arg. *Sed contra.*)

α) *aut non potest esse.* – Om. ADEpG. – *tali fine* omnes; *tali* aliquae editiones.

β) *pati.* – EF et tertia praeter I; post *coactionis* ponit *a*, om. ceteri. Pro *necessitate, necessitatem* ABC.

γ) *Qui.* – *Quod* IsG.

non pereat, sed habeat vitam aeternam. – Secundo, ex parte ipsius Christi, qui per humilitatem passionis meruit gloriam exaltationis. Et ad hoc pertinet quod dicitur Luc. ult. *: *Haec oportuit Christum pati, et sic intrare in gloriam suam.* – Tertio, ex parte Dei, cuius definitio est circa passionem Christi praenuntiatam in Scripturis et praefiguratam in observantia veteris Testamenti [δ]. Et hoc est quod dicitur Luc. XXII *: *Filius Hominis secundum quod definitum est vadit;* et Luc. ult. *: *Haec sunt verba quae locutus sum ad vos cum adhuc essem vobiscum: quoniam necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi et prophetis et psalmis de me;* et [ε]: *Quoniam scriptum est quoniam oportebat Christum pati et resurgere a mortuis.*

* Vers. 26.
* Vers. 22.
* Vers. 44, 46.

Ad primum ergo dicendum quod ratio illa procedit de necessitate coactionis ex parte Dei.

Ad secundum dicendum quod ratio illa procedit de necessitate coactionis ex parte hominis Christi.

Ad tertium dicendum quod hominem liberari per passionem Christi, conveniens fuit et misericordiae et iustitiae eius. Iustitiae quidem, quia per passionem suam Christus satisfecit pro peccato humani generis: et ita homo per iustitiam Christi liberatus est. Misericordiae vero, quia, cum homo per se satisfacere non posset pro peccato totius humanae naturae, ut supra * habitum est, Deus ei [ζ] satisfactorem dedit Filium suum: secundum illud *Rom.* III *: *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem ipsius* [η]. Et hoc fuit abundatioris misericordiae quam si peccata absque satisfactione dimisisset. Unde dicitur *Ephes.* II *: *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo.*

* Qu. I, a. 2, ad 2.
* Vers. 24.
* Vers. 4.

Ad quartum dicendum quod peccatum angeli non fuit remediabile *, sicut peccatum hominis: ut ex supra dictis in Prima Parte * patet.

* D. 151.
* Qu. LXIV.

δ) *cuius definitio est... Testamenti.* – *cuius definitionem... Testamenti oportebat* (*necesse erat* E) *impleri* E et tertia praeter I, *cuius definitio est* (*est* om. Ia)... *praenuntiata* (*est* addunt Ia)... *praefigurata... Testamenti* IsD et *a.*

ε) *et: Quoniam... quoniam.* – *quoniam sic scriptum est, et sic* P, quae margine per *Alias* ut nos; *et Quia... quoniam* sI et *a.*

ζ) *ei.* – F et tertia praeter I; om. E, *omnium* ed. *a*, *enim* ceteri.

η) *ipsius.* – *in sanguine ipsius* Pa.

Commentaria Cardinalis Caietani

Consequenter etc. Hic incipit tractatus quintus, de exitu Christi ex hoc mundo *.

* Cf. Prolog., Comment.

Titulus ut sonat sumatur: quoniam in corpore articuli distinguitur.

In corpore distinctio una ponitur, cum tribus conclusionibus *. Distinctio est de *necessario* dupliciter: vel *simpliciter*, vel *ex extrinseco;* et hoc vel *coactionis*, vel *suppositionis;* et hoc vel *sine quo non*, vel *non ita bene.* Ubi vides quod membra principalia distinctionis sunt tria: scilicet necessarium secundum se, vel coactionis, vel suppositionis. Si tamen ultimum membrum subdividatur, erunt quatuor, numerando duos modos necessarii ex suppositione: scilicet, vel quia sine ipso non potest perveniri ad finem, ut navigatio est necessaria ad perveniendum in insulam; vel sine quo non ita bene, ut equitare est necessarium ad eundum ex Bononia Romam, ad quam minus bene pedes posset quis ire. In littera omnes isti modi tanguntur distinguendo: sed, conclusiones ponendo, tria tantum principalia membra considerantur; quia, ut patebit *, sequentibus articulis reservatur discussio subdistinctorum modorum, ad praesentem applicata materiam.

* Cf. num. seq.
* Art. 2, 3.

II. Ponuntur ergo in littera, iuxta tria principalia distinctionis membra praedicta, tres conclusiones. Prima est: *Christum pati non fuit necessarium absolute.* Probaturque statim. Quia tam ex parte Dei, quam ex parte hominis, possibile fuit aliter se habere.

Secunda conclusio est: *Christum pati non fuit necessarium necessitate coactionis.* Probatur. Quia Deus, qui definivit Christum pati, non potest cogi. Et ipse Christus, qui passus est, voluntarie passus est: *oblatus est* enim *quia voluit* *.

* Isaiae cap. LIII, vers. 7.

Tertia conclusio est: *Christum pati fuit necessarium necessitate suppositionis.* Probatur et ex parte nostri: *ut habeamus vitam aeternam*, Ioan. II. Et ex parte Christi: *ut intraret in gloriam suam*, Luc. ultimo. Et ex parte Dei: ut impleretur definitio eius, Luc. XXII et ultimo. – Omnia clara.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM FUERIT POSSIBILIS ALIUS MODUS LIBERATIONIS HUMANAE NATURAE QUAM PER PASSIONEM CHRISTI

III *Sent.*, dist. XX, art. 4, qª 1.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod non fuit possibilis alius modus liberationis humanae naturae quam per passionem Christi. Dixit enim Dominus, Ioan. XII *: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert:* ubi dicit Augustinus * quod *seipsum granum dicebat.* Nisi ergo mortem passus esset, aliter fructum nostrae liberationis non fecisset.

* Vers. 24, 25.
* In Ioan. Evang. tract. LI.

2. Praeterea, Matth. XXVI * Dominus dicit ad Patrem: *Pater mi, si non potest iste calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Loquitur autem ibi de calice passionis. Ergo passio Christi praeterire [α] non poterat. Unde et Hilarius dicit *: *Ideo calix transire non potest nisi illum bibat,*

* Vers. 42.
* Comment. in Matth., cap.

α) *praeterire.* – *praeteriri* F et tertia.

β *quia reparari* [β] *nisi ex eius passione non possumus.*

3. Praeterea, iustitia Dei exigebat ut homo a peccato liberaretur, Christo per passionem suam satisfaciente. Sed Christus suam iustitiam praeterire non potest. Dicitur enim II *ad Tim.* II *: *Si non credimus, ille fidelis permanet: negare seipsum non potest.* Seipsum autem negaret si iustitiam suam negaret: cum ipse sit iustitia *. Ergo videtur quod non fuerit possibile alio modo hominem liberari quam per passionem Christi. (* ...ers. 13.) (* I Cor., cap. I, ...s. 30.)

4. Praeterea, fidei non potest subesse falsum. Sed antiqui Patres crediderunt Christum passurum. Ergo videtur quod non potuerit esse quin Christus pateretur.

Sed contra est quod Augustinus dicit, XIII *de Trin.* *: *Istum modum quo nos per mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Iesum, Deus liberare dignatur, asserimus bonum et divinae dignitati congruum: verum etiam ostendamus alium* γ *modum possibilem Deo fuisse* [γ], *cuius potestati cuncta aequaliter subiacent.* (* ...p. x.)

Respondeo dicendum quod aliquid potest dici possibile vel impossibile dupliciter: uno modo, simpliciter et absolute; alio modo, ex suppositione. Simpliciter igitur et absolute loquendo, possibile fuit Deo alio modo hominem liberare quam per passionem Christi: *quia non est impossibile apud Deum omne verbum*, ut dicitur Luc. I *. Sed ex aliqua suppositione facta, fuit [δ] impossibile. Quia enim impossibile est Dei praescientiam falli et eius voluntatem sive dispositionem cassari *, supposita praescientia et praeordinatione Dei de passione Christi, non erat simul possibile Christum non pati, et hominem alio modo quam per eius passionem liberari. Et est eadem ratio de omnibus his quae sunt praescita et praeordinata a Deo: ut in Prima Parte * habitum est. (* ...rs. 37. δ) (* ...490.) (* Qu. xiv, art. 13; qu. xxii, art. 4; qu. xxiii, art. 6.)

Ad primum ergo dicendum quod Dominus ibi loquitur supposita praescientia et praeordinatione Dei, secundum quam erat ordinatum ut fructus humanae salutis non sequeretur nisi Christo patiente.

Et similiter intelligendum est quod secundo obiicitur: *Si non potest hic calix transire nisi bibam illum:* scilicet, *propter hoc quod et tu ita* [ε] *disposuisti.* Unde subdit: *Fiat voluntas tua.* ε

Ad tertium dicendum quod haec etiam iustitia dependet ex voluntate divina ab humano genere satisfactionem pro peccato exigente. Alioquin [ζ], si voluisset absque omni satisfactione hominem a peccato liberare, contra iustitiam non fecisset. Ille enim iudex non potest, salva iustitia, culpam sive poenam [η] dimittere, qui habet punire culpam in alium commissam, puta vel in alium hominem, vel in totam rempublicam, sive in superiorem principem. Sed Deus non habet aliquem superiorem, sed ipse est supremum et commune bonum totius universi. Et ideo, si dimittat peccatum, quod habet rationem culpae ex eo quod contra ipsum committitur, nulli facit iniuriam: sicut quicumque homo remittit offensam in se commissam absque satisfactione, misericorditer, et non iniuste agit. Et ideo David, misericordiam petens, dicebat *, *Tibi soli peccavi*: quasi dicat, *Potes sine iniustitia mihi dimittere.* ζ η (* Ps. L, vers. 6.)

Ad quartum dicendum quod fides humana, et etiam Scripturae divinae, quibus fides instruitur, innituntur praescientiae et ordinationi [θ] divinae. Et ideo eadem ratio est de necessitate quae provenit ex suppositione eorum, et de necessitate quae provenit ex praescientia et voluntate divina. θ

β) *reparari.* – Tertia praeter pI; *liberari* F, *pati* ceteri.
γ) *alium... fuisse.* – *non alium... defuisse* I et editiones.
δ) *fuit.* – PDsBEG; *sic est* ed. *a*, *fit* et *sit* ceteri.
ε) *et tu ita.* – *tu ita* PFI, *tu* ed. *a*.
ζ) *Alioquin.* – *Nam* P.
η) *sive poenam.* – *sine poena* DsE *a* et tertia.
θ) *ordinationi.* – *praeordinationi* PI.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus statim affert secum quaestionem: quia videtur praeposterus ordo. Nam prius erat quaerendum si erat alius modus possibilis: postea quaerenda erat necessitas alterius eorum. Post necessitatem siquidem conclusam unius modi, quid ad artem de aliis modis possibilibus?

Ad hoc dicitur quod, licet possibile absolute sit communius ac prius necessario; et propterea quaerenda prius esset possibilitas quam necessitas absolute: possibile tamen ut medium ad finem, non est prius necessario ad finem communiter sumpto, hoc est, comprehendente necessarium ad finem tam *sine quo non* quam *propter melius;* sed est posterius eo, utpote species illius. Nam omne medium possibile ad finem, aut est sine quo non, aut propter melius: boni enim aliquid in via ad finem afferre oportet medium omne possibile. Quocirca, postquam Auctor conclusit necessariam esse Christi passionem ad salutem humanam, merito nunc inquirit an fuerit sic necessaria quod sine illa non potuerit haberi libertas humana a peccato. Hoc est quaerere an fuerit possibilis alius modus liberationis humanae. Nam, si non fuerit possibilis alius modus, passio Christi fuit ad libertatem humanam necessaria sicut navigatio ad transeundum in insulam: quia aliter non potest transiri. Et si fuit possibilis alius modus, passio Christi non fuit necessaria ad liberandum genus humanum sicut navigatio ad insulam: quia per illum alium modum potuit nostra liberatio fieri. Ubi videre clare potes quod ordo rectissimus articulorum servatus est: ut primo quaesitum sit an passio Christi fuerit ad salutem nostram necessaria; secundo, quomodo necessaria, an scilicet sine qua non potuisset haberi libertas humana. Et quoniam in hoc articulo concluditur quod passio Christi non est sic necessaria, quoniam potuit alio modo humanum genus liberari; ideo consequenter in tertio articulo quaeretur an passio Christi fuerit convenientius medium ad libertatem humanam quam aliquis alius modus possibilis.

II. In corpore articuli est una distinctio bimembris, cum duabus conclusionibus, iuxta duo membra. Distinctio est. Possibile vel impossibile dupliciter: vel absolute; vel ex suppositione.

Prima conclusio est: *Alio modo quam per passionem Christi hominem liberari fuit possibile simpliciter.* Probatur: *quia non est impossibile apud Deum omne verbum.*

Secunda conclusio est: *Alio modo quam per passionem Christi hominem liberari fuit impossibile, supposita praescientia et definitione Dei facta.* Probatur. Quia impossibile est definitionem et praescientiam Dei falli.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM ALIUS MODUS CONVENIENTIOR FUISSET LIBERATIONIS HUMANAE QUAM PER PASSIONEM CHRISTI

III *Sent.*, dist. XX, art. 4, qu^a 2; *Cont. Graec. Armen.* etc., cap. VII; *In Symb. Apost.*, art. 4; *Ad Heb.*, cap. II, lect. IV.



AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod alius modus convenientior fuisset liberationis humanae quam per passionem Christi. Natura enim in sua operatione imitatur opus divinum: utpote a Deo mota et regulata. Sed natura non facit per duo quod per unum potest facere. Cum ergo Deus potuerit hominem liberare sola propria voluntate, non videtur conveniens fuisse quod ad liberationem humani generis Christi passio adderetur.

2. PRAETEREA, ea quae fiunt per naturam, convenientius fiunt quam ea quae per violentiam fiunt: quia violentum α est *quaedam excisio,* seu casus, *ab eo quod est secundum naturam,* ut dicitur in libro *de Caelo* *. Sed passio Christi mortem violentam induxit. Ergo convenientius fuisset quod Christus naturali morte moriendo hominem liberaret, quam quod pateretur.

* Lib. II, cap. III, n. 1; s. Th. lect. IV. - Cf. lib. III, cap. II, n. 1; s. Th. lect. V.

3. PRAETEREA, convenientissimum videtur quod ille qui violenter et iniuste detinet β, per superioris potentiam spolietur: unde et Isaiae LII * dicitur: *Gratis venundati estis, et sine argento redimemini.* Sed diabolus nullum ius in homine habebat, quem per fraudem deceperat, et per quandam violentiam servituti subiectum detinebat. Ergo videtur convenientissimum fuisse quod Christus diabolum per solam potentiam spoliaret, absque sua passione.

* Vers. 3.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, XIII *de Trin.* *: *Sanandae nostrae miseriae convenientior modus alius non fuit* quam per Christi passionem.

* Cap. x.

RESPONDEO DICENDUM quod tanto aliquis modus convenientior est ad assequendum finem, quanto per ipsum plura concurrunt quae sunt expedientia fini. Per hoc autem quod homo per Christi passionem est liberatus, multa occurrerunt γ ad salutem hominis pertinentia, praeter liberationem a peccato.

Primo enim, per hoc homo cognoscit quantum Deus hominem diligat, et per hoc provocatur ad eum diligendum: in quo perfectio humanae salutis consistit. Unde Apostolus dicit, *Rom.* V *: *Commendat suam caritatem Deus in nobis, quoniam, cum inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est.*

* Vers. 8, 9.

Secundo, quia per hoc dedit nobis exemplum obedientiae, humilitatis, constantiae, iustitiae, et ceterarum virtutum in passione Christi ostensarum: quae sunt necessariae ad humanam salutem. Unde dicitur I Pet. II *: *Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur* δ *vestigia eius.*

* Vers. 21.

Tertio, quia Christus per passionem suam non solum hominem a peccato liberavit, sed etiam gratiam iustificantem et gloriam beatitudinis ei promeruit, ut infra * dicetur.

* Qu. XLVIII, 1; qu. XLIX, 1, 5.

Quarto, quia per hoc est homini indicta ε maior necessitas se immunem a peccato conservandi ζ: secundum illud I *Cor.* VI *: *Empti estis pretio magno: glorificate et portate Deum in corpore vestro.*

* Vers. 20.

Quinto, quia hoc ad maiorem dignitatem η cessit: ut, sicut homo victus fuerat et deceptus a diabolo, ita etiam homo esset qui diabolum vinceret; et sicut homo mortem meruit, ita homo moriendo mortem superaret; ut dicitur I *Cor.* XV *: *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum.*

* Vers. 57.

Et ideo convenientius fuit quod per passionem Christi liberaremur, quam per solam Dei voluntatem.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod natura etiam, ut aliquid convenientius θ faciat, plura ad unum assumit: sicut duos oculos ad videndum. Et idem patet in aliis.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut Chrysostomus dicit *, *Christus non sui mortem, quam non habebat, cum sit vita, sed hominum mortem venerat consumpturus. Unde non propria morte corpus deposuit, sed ab hominibus illatam sustinuit. Sed et, si aegrotavisset corpus eius et in conspectu omnium solveretur, inconveniens erat eum qui aliorum languores sanaret, habere proprium corpus affectum languoribus. Sed et, si absque aliquo morbo* ι *seorsum alicubi corpus deposuisset ac deinde se offerret, non crederetur ei de resurrectione disserenti. Quomodo enim pateret Christi in morte victoria, nisi, coram omnibus eam patiens, per incorruptionem* κ *corporis probasset extinctam?*

* Athanas. *de Incarn. eiusque a adventu*, n. 23.

AD TERTIUM DICENDUM quod, licet diabolus iniuste invaserit hominem, tamen homo propter peccatum iuste erat sub servitute diaboli derelictus a Deo. Et ideo conveniens fuit ut per iustitiam homo a servitute diaboli liberaretur, Christo satisfaciente pro ipso per suam passionem.

α) *violentum.* – *violentia* editiones et *a.*
β) *detinet.* – *detinetur bc, detinet aliquid* P.
γ) *occurrerunt.* – *concurrerunt* F et tertia.
δ) *nobis... sequamur.* – *nobis... sequimini b, vobis... sequamini* PEFGac.
ε) *indicta.* – *induta* BHpD et *b, inducta* PAGc, sed A se corrigit.
ζ) *conservandi.* – *quo* (*qui* P) *se sanguine Christi redemptum cogitat a peccato* addunt EI et editiones.
η) *dignitatem.* – *hominis* addunt EF et tertia.
θ) *convenientius.* – Om. P.
ι) *absque aliquo morbo.* – *absque morbo aliquo* G, *absque morbo* H, *absque morte* editiones. Pro *seorsum alicubi corpus, corpus alicubi seorsum* editiones, om. pG, *seorsum alicubi* sG, *alicubi corpus* H.
κ) *incorruptionem.* – PI; *interemptionem* F, *interruptionem* ceteri.

Fuit etiam hoc conveniens ad vincendam superbiam diaboli, qui est *desertor iustitiae et amator potentiae,* ut Christus *diabolum vinceret et hominem liberaret, non per solam potentiam divinitatis, sed etiam per iustitiam et humilitatem passionis:* ut Augustinus dicit, XIII *de Trinitate* *. * Cap. XIII. XIV.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus monstrat evacuatam iam esse distinctionem factam in primo articulo de *necessario* *. Nam illorum duorum modorum ibi indiscussorum, scilicet necessarium *sine quo nullo modo potest haberi finis,* et *sine quo non ita convenienter,* primum in secundo articulo discussum est, ut patuit in illo; reliquum autem in praesenti articulo discutitur. Comparatur siquidem in hoc titulo passio Christi ad quodcumque aliud medium possibile pro libertate humana, secundum convenientiam: an scilicet ipsa passio Christi sit convenientius medium quam alia. Ex quo enim conclusum fuit quod non est medium necessarium sine quo non, oportebat discutere an sit medium necessarium propter melius: quod nunc fit. * Comment. n. I.

Et scito quod, quemadmodum articulus secundus motus est simpliciter et absolute de medio alio possibili ad talem finem, et non praesupposita definitione Dei de medio hoc, scilicet passionis Christi, et propterea responsum est cum distinctione: ita hic quoque, inter media ad talem finem possibilia simpliciter et absolute, quaeritur quod eorum sit convenientius. Et est quasi quaerere rationes quare tale medium, scilicet passionis Christi, sit potius praeelectum ad talem finem, scilicet liberationis humanae, quam quodcumque aliud medium Deo possibile. Dixi autem, *quasi:* quia hic non discutitur divinae voluntatis ratio; sed ratio seu proportio et convenientia maior medii ad finem.

II. In corpore unica conclusio: *Modus liberationis humanae per passionem Christi est convenientior quam per solam Dei voluntatem.* Probatur. Tanto modus aliquis est convenientior, quanto per ipsum plura concurrunt expedientia ad finem illum. Sed per modum istum multa concurrunt quae non concurrerent si per solam Dei voluntatem liberaremur. Ergo. – Probatur minor ex quinque claris in littera.

Ubi nota quod alii modi liberationis humanae aut essent per creaturam aliquam, aut per solam Dei voluntatem. Et si quidem per aliquam creaturam mediam liberaremur, clare et evidenter constat quod remotius fuisset medium ab efficacia perducendi ad finem, quam passio Christi: quoniam est passio suppositi divini, efficacissimi ad omnia. Et quia hoc erat per se evidens, derelictum est ab Auctore. – Si vero esset per solam Dei voluntatem, expeditius quidem fuisset, utpote sola voluntate Dei concurrente: sed non suavis, totque bonis fultus, fuisset modus liberandi hominem, ut patet ex tot bonis in littera positis. Et propterea Auctor comparavit modum passionis Christi ad modum ex sola Dei voluntate, tanquam prae se ferentem aliquid difficultatis.

III. Circa rationes redditas in littera maioris convenientiae ad liberandum genus humanum per Christi passionem, adverte quod ad duo capita primaria universae reduci videntur: vel ad suavitatem dispositionis; vel ad humanam dignitatem. Nam duci nos in salutem ex commendata Dei caritate, et exemplo Christi, et merito, et pretiositate, et huiusmodi, ad suavem spectat dispositionem nostrae consequendae salutis; quod autem homo seipsum salvet, redimat, pro se pugnet, mereatur, vincat, satisfaciat, triumphet, regnet, iudicet, et huiusmodi, ad nostram spectat dignitatem; ut facile patet dilatando.

IV. In responsione ad secundum, circa illud Chrysostomi *, *Sed et si absque morte corpus alicubi deposuisset,* adverte quod, si ut sonat sumitur, non videtur intelligibile: quoniam sine morte corpus non deponitur; nam, si occultaretur a sensibus nostris, non propterea esset depositum, sed occultatum. Et propterea non de morte ut est separatio animae a corpore, sed de morte ut est resolutio corporis terminata ad separationem animae a corpore, intelligo: quoniam de huiusmodi morte praelocutus est, dicens *inconveniens fuisse si aegrotavisset corpus eius et in conspectu omnium solveretur.* Quasi diceret quod, tam si naturali resolutione obiisset, quam si miraculose ex divina potestate absque praevia dissolutione subito separasset animam a corpore alicubi deponens ipsum, inconveniens fuisset. * Athanasii.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CHRISTUS DEBUERIT PATI IN CRUCE

III *Sent.*, dist. XX, art. 4, qu^a 2, ad 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LV, ad 17; *Compend. Theol.*, cap. CCXXVIII; *In Matth.*, cap. XXVII; *In Ioan.*, cap. III, lect. II; cap. XII, lect. V.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod Christus non debuerit pati in cruce. Veritas enim debet respondere figurae. Sed in figuram [α] Christi praecesserunt omnia sacrificia veteris Testamenti, in quibus animalia gladio necabantur, et postmodum igni cremabantur *. Ergo videtur quod Christus non debuerit pati in cruce, sed magis gladio vel igne. * Levit. cap. ... Heb., cap. ... vers. 11.

2. Praeterea, Damascenus dicit * quod Christus non debuit assumere *detractibiles* [β] *passiones.* Sed mors crucis videtur maxime detractibilis et ignominiosa: unde dicitur *Sap.* II *: *Morte turpissima condemnemus eum.* Ergo videtur quod Christus non debuit pati mortem crucis. * De Fide Orth., ... cap. XI; ... cap. XX. * Vers. 20.

3. Praeterea, de Christo dicitur, *Benedictus qui venit in nomine Domini,* ut patet Matth. XXI *. Sed mors crucis erat mors maledictionis: secundum illud *Deut.* XXI *: *Maledictus a Deo est qui pendet in ligno.* Ergo videtur quod non fuit conveniens Christum crucifigi. * Vers. 9. * Vers. 23.

Sed contra est quod dicitur *Philipp.* II *: *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* * Vers. 8.

Respondeo dicendum quod convenientissimum fuit Christum pati mortem crucis. Primo quidem, propter exemplum virtutis. Dicit enim Augustinus, in libro *Octogintatrium Quaest.* *: *Sapientia Dei hominem, ad exemplum quo recte viveremus, suscepit. Pertinet autem ad vitam rectam ea quae non sunt metuenda, non metuere. Sunt autem ho-* * Qu. XXV.

α) *figuram.* – *figura* PF.
β) *detractibiles.* – *detractabiles* sG et *b*, mox *detractabilis* EG*b*; *detestabiles* et *detestabilis* Pa. Cf. μ et qu. XIV art. 4 ε. Pro *maxime*, *fuisse maxime* Plc, om. H.

mines qui, quamvis mortem ipsam non timeant, genus tamen mortis horrescunt. Ut ergo nullum genus mortis recte viventi homini metuendum esset, illius hominis cruce ostendendum fuit: nihil enim erat, inter omnia genera mortis, illo genere execrabilius et formidabilius.

Secundo, quia hoc genus mortis maxime conveniens erat satisfactioni pro peccato primi parentis, quod fuit ex eo quod, contra mandatum Dei, pomum ligni vetiti sumpsit *. Et ideo conveniens fuit quod Christus, ad satisfaciendum pro peccato illo, seipsum pateretur ligno affigi, quasi restituens quod Adam sustulerat: secundum illud Psalmi *: *Quae non rapui, tunc exsolvebam.* Unde Augustinus dicit, in quodam Sermone *de Passione* *: *Contempsit Adam praeceptum, accipiens ex arbore* [γ]: *sed quidquid Adam perdidit, Christus in cruce invenit.*

* *Gen.* cap. II, vers. 17; cap. III, vers. 6.
* Ps. LXVIII, vers. 5.
* Cf. *Cat. Aur. in Matth.* cap. XXVII, vers. 35, sub nom. Aug.; App. Opp. Aug. Serm. XXXII, al. CI *de Temp.*

Tertia ratio est quia, ut Chrysostomus dicit, in Sermone *de Passione* *, *in excelso ligno, et non sub tecto passus est, ut etiam ipsius aeris natura mundetur. Sed et ipsa terra simile beneficium sentiebat, decurrentis de latere sanguinis stillatione mundata.* Et super illud Ioan. III *, *Oportet exaltari Filium Hominis* [δ]: *« Exaltari » audiens, suspensionem intelligas in altum: ut sanctificaret aerem qui sanctificaverat terram ambulando in ea* *.

* *De Cruce et Latrone* homil. I, II.
* Vers. 14.
* Theophylact., *In Ioan. Enarrat.*

Quarta ratio est quia, per hoc quod in ea [ε] moritur, ascensum nobis parat in caelum, ut Chrysostomus * dicit. Et inde est quod ipse dicit, Ioan. XII *: *Ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.*

* Athanas. *Orat. de Incarn. Verb. eiusque ad nos adventu*, num. 25.
* Vers. 32, 33.

Quinta ratio est quia hoc competit universali salvationi totius mundi. Unde Gregorius Nyssenus dicit * quod *figura crucis, a medio contactu* [ζ] *in quatuor extrema partita, significat virtutem et providentiam eius qui in ea pependit, ubique diffusam.* – Chrysostomus * etiam dicit quod in cruce, *expansis manibus, moritur, ut altera manu veterem populum, altera eos qui ex gentibus sunt, trahat.*

* *In Christi Resurrect.* Orat. I.
* Athanas. loc. cit.

Sexta ratio est quia per hoc genus mortis diversae virtutes designantur. Unde Augustinus dicit, in libro *de Gratia Vet. et Novi Test.* *: *Non frustra tale genus mortis elegit: ut latitudinis et altitudinis et longitudinis et profunditatis,* de quibus Apostolus loquitur *, *magister existeret. Nam latitudo est in eo ligno quod transversum desuper figitur; hoc ad bona opera pertinet, quia ibi extenduntur manus. Longitudo in eo quod ab ipso ligno usque ad terram conspicuum est: ibi enim quodammodo statur, idest, persistitur et perseveratur; quod longanimitati tribuitur. Altitudo est in ea ligni parte quae ab illa quae transversa* [η] *figitur, sursum versus relinquitur, hoc est, ad caput crucifixi: quia bene sperantium superna expectatio est. Iam vero illud ex ligno quod fixum occultatur, unde totum illud exurgit, significat profunditatem gratuitae gratiae.* Et, sicut Augustinus dicit, *super Ioan.* *, *lignum in quo fixa erant membra patientis, etiam cathedra* [θ] *fuit magistri docentis.*

* Ep. CXL, al. CXX, *De Grat. Test. Novi*, cap. XXVI.
* *Ad Ephes.* cap. III, vers. 18.
* Tract. CX

Septima ratio est quia hoc genus mortis plurimis figuris respondet. Ut enim Augustinus dicit, in Sermone *de Passione* *, de diluvio aquarum humanum genus arca lignea liberavit *; de Aegypto Dei populo recedente, Moyses mare virga divisit, et Pharaonem prostravit, et populum Dei redemit *; idem Moyses lignum in aquam misit et amaram aquam in dulcedinem commutavit [ι] *; ex lignea virga de spirituali petra salutaris unda profertur *; et, ut Amalec vinceretur, contra [κ] virgam Moyses expansis manibus extenditur *; et lex Dei arcae Testamenti creditur ligneae *; ut his omnibus ad lignum crucis, quasi per quosdam gradus, veniatur.

* Cf. *Cat. Au[r. in] Matth.*, et Opp. Aug [u]t supra.
* *Gen.* ca[p.] sqq.
* *Exod.* cap vers. 16, 21
* Ibid., cap vers. 25.
* *Exod.* cap vers. 5, 6; cap. XX, ve[rs.] sqq.
* *Exod* cap vers. 9 sqq
* Ibid., cap. vers. 10, 16 *Reg.*, cap. vers. 9.

Ad primum [λ] ergo dicendum quod altare holocaustorum, in quo sacrificia animalium offerebantur, erat factum de lignis, ut habetur *Exod.* XXVII *: et quantum ad hoc veritas respondet figurae. *Non* autem *oportet quod quantum ad omnia: quia iam non esset similitudo, sed veritas,* ut Damascenus dicit, in III libro *. – Specialiter tamen, ut Chrysostomus * dicit, *non caput ei amputatur, ut Ioanni; neque sectus est, ut Isaias: ut corpus integrum et indivisibile morti servet, et non fiat occasio volentibus Ecclesiam dividere.* – Loco autem materialis ignis, fuit in holocausto Christi ignis caritatis.

* Vers. 1; XXXVIII, ve[rs.]
* *De Fide* lib. III, cap
* Athanas. cit. in cor[p.]

Ad secundum dicendum quod Christus detractibiles [μ] passiones assumere renuit quae pertinebant ad defectum scientiae vel gratiae, aut etiam virtutis. Non autem illas quae pertinent ad iniuriam ab exteriori illatam: quinimmo, ut dicitur *Heb.* XII *, *sustinuit crucem confusione contempta.*

* Vers. 2.

Ad tertium dicendum quod, sicut Augustinus dicit, XIV *contra Faustum* *, peccatum maledictum est: et per consequens mors et mortalitas ex peccato proveniens. *Caro autem Christi mortalis fuit, « similitudinem habens carnis peccati ».* Et propter hoc Moyses eam nominat *maledictum:* sicut et Apostolus nominat eam *peccatum*, dicens, II *Cor.* V *: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit,* scilicet per [ν] poenam peccati. *Nec ideo maior invidia est, quia dixit, « maledictus est a Deo ». Nisi enim Deus peccatum odisset, non ad eam suscipiendam atque tollendam Filium suum mitteret. Confitere ergo maledictum suscepisse pro nobis, quem confiteris mortuum esse pro nobis.* Unde et *Galat.* III * dicitur: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.*

* Cap. IV
* Vers. 21
* Vers. 13

γ) *arbore.* – *pomum* addunt F et tertia.
δ) *Hominis.* – *dicit* addunt PEc.
ε) *ea.* – *alto* PI.
ζ) *contactu.* – *tractu* F; *Alias, tractu* margo P. – Pro *in ea, in eam* ABCE, *in eo* ed. *a.*
η) *transversa.* – *transversum* Plc, *(quod ab illo) per transversum (sursum versus coelum relinquitur)* F.
θ) *cathedra.* – FsB et tertia praeter H; *ad cathedram.*
ι) *commutavit.* – *transmutavit* AC, *transmutavit vel commutavit* B.
κ) *contra.* – *circa* tertia praeter I.
λ) *Ad primum.* – Ordinem solutionum *Ad primum* et *Ad secundum* invertunt codices.
μ) *detractibiles.* – *detractabiles* BEGHIb, *detestabiles* Pa.
ν) *per.* – *propter* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Convenientissimum fuit Christum pati mortem crucis.* Probatur in littera rationibus septem. Quibus potest addi octava: quod ideo mortem crucis elegit ut usque ad ultimum quatuor sensuum, scilicet visus, auditus, olfactus et gustus, ac linguae officio uti libere posset; et ad cumulum passionis, videndo, audiendo, odorando, gustandoque contraria, ignominiosa, etc.; et ad consummanda mysteria quae verbis in cruce dictis explevit, et commendando Matrem, et latronem exaudiendo, etc.

II. In responsione ad tertium, memento quod maledictus a Deo quilibet est cui mali aliquid a Deo infertur. Quia enim *ipse dixit et facta sunt* *, sicut benedicere alicui Deum est benefacere illi, ita Deum maledicere alicui est illi malum facere. Et quia Deus *propter scelus populi sui percussit Christum* *, multa mala poenae, et specialiter malum poenae ignominiosissimae crucis, intulit illi; ideo maledixit Christo, dum illi malum fecit. Et propterea Christus, sicut et omnis patiens in cruce, maledictus a Deo dicitur.

* Ps. xxxii, vers. 9; cxlviii, vers. 5.
* Isaiae cap. liii, vers. 8.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM CHRISTUS OMNES PASSIONES SUSTINUERIT

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod Christus omnes passiones sustinuerit *. Dicit enim Hilarius, in X *de Trin.* *: *Unigenitus Dei, ad peragendum mortis suae sacramentum, consummasse in se omne humanarum genus passionum testatur, cum, inclinato capite, emisit spiritum.* Videtur ergo quod omnes passiones humanas sustinuerit.

* ... cap. xxvi, ... Marc. cap. ...; Luc. cap. xxiii; Ioan. xviii, xix.
* ... n. 11.

2. Praeterea, Isaiae lii * dicitur: *Ecce, intelliget servus meus, et exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valde. Sicut obstupuerunt super eum multi, sic inglorius erit inter viros aspectus eius, et forma eius inter filios hominum.* Sed Christus est exaltatus secundum hoc quod habuit omnem gratiam et omnem scientiam: pro quo super eo [α] multi admirantes obstupuerunt. Ergo videtur quod inglorius fuerit sustinendo omnem passionem humanam.

* ... 13, 14.

3. Praeterea, passio Christi ordinata est ad liberationem hominis a peccato, ut supra * dictum est. Sed Christus venit liberare homines ab omni peccatorum genere. Ergo debuit pati omne genus passionum.

* ... 2, 3; qu. ... t. 1.

Sed contra est quod dicitur Ioan. xix *, quod *milites primi quidem fregerunt crura et alterius qui crucifixus est cum eo: ad Iesum autem cum venissent, non fregerunt eius crura.* Non ergo passus est omnem humanam passionem.

* ... 32, 33.

Respondeo dicendum quod passiones humanae possunt considerari dupliciter. Uno modo, quantum ad speciem. Et sic non oportuit Christum omnem humanam passionem pati: quia multae passionum species sibi invicem contrariantur, sicut combustio in igne et submersio in aqua. Loquimur enim nunc de passionibus ab extrinseco illatas: quia passiones ab intrinseco causatas, sicut sunt aegritudines corporales, non decuit eum pati, ut supra * dictum est.

* ... iv, art. 4.

Sed secundum genus, passus est omnem passionem humanam. Quod quidem potest considerari tripliciter. Uno modo, ex parte hominum [β]. Passus est enim aliquid et a gentilibus, et a Iudaeis; a masculis et feminis, ut patet de ancillis accusantibus Petrum. Passus est etiam a principibus, et a ministris eorum, et popularibus: secundum illud Psalmi *: *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum eius.* Passus est etiam a familiaribus et notis: sicut patet de Iuda eum prodente, et Petro ipsum negante.

* Ps. ii, vers. 1, 2.

Alio modo patet idem ex parte eorum in quibus homo potest pati. Passus est enim Christus in suis amicis eum deserentibus; in fama per blasphemias contra eum dictas [γ]; in honore et gloria per irrisiones et contumelias ei illatas; in rebus per hoc quod etiam vestibus spoliatus est; in anima per tristitiam, taedium et timorem; in corpore per vulnera et flagella.

Tertio potest considerari quantum ad corporis membra. Passus est enim Christus in capite pungentium spinarum coronam; in manibus et pedibus fixionem clavorum; in facie alapas et sputa; et in toto corpore flagella. Fuit etiam passus secundum omnem sensum corporeum: secundum tactum quidem, flagellatus et clavis confixus; secundum gustum, felle et aceto potatus; secundum olfactum, in loco fetido cadaverum mortuorum, *qui dicitur calvariae* [δ], appensus patibulo; secundum auditum, lacessitus vocibus blasphemantium et irridentium; secundum visum, *videns matrem et discipulum quem diligebat* flentes.

Ad primum ergo dicendum quod verbum illud Hilarii est intelligendum quantum ad omnia genera passionum: non autem quantum ad omnes species.

Ad secundum dicendum quod similitudo ibi attenditur, non quantum ad numerum passionum et gratiarum, sed quantum ad magnitudinem utriusque: quia sicut sublimatus est in donis gratiarum [ε] super alios, ita deiectus est infra alios per ignominiam passionis.

α) *super eo.* – *sunt eo* CDpB et *a*, *super eum* editiones.
β) *hominum.* – *a quibus passus est* addit P.
γ) *dictas.* – *prolatas* tertia praeter I.
δ) *calvariae.* – *locus* addunt BF.
ε) *gratiarum.* – *gratiae* editiones.

ζ Ad tertium dicendum quod, secundum sufficientiam, una minima passio Christi suffecit ζ ad redimendum genus humanum ab omnibus peccatis. Sed secundum convenientiam, sufficiens fuit quod pateretur omnia genera passionum, sicut iam * dictum est. * In corpor

ζ) *suffecit.* – *sufficit* DF, *sufficiebat* ed. *a*, *suff* seq. spat. H, *sufficeret* *bc*, *suffecisset* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus de passionibus corporalibus ab extrinseco illatis intelligitur: ut in corpore articuli Auctor explicat. Sunt enim duo genera passionum. Quaedam spirituales, ut decipi, privari virtute, et huiusmodi: quae longe fuerunt a Christo, quia derogarent perfectioni animae ipsius. Quaedam corporales. Et hae sunt duplices. Quaedam ab intrinseco, ut aegritudines corporales: et de his non est quaestio, quia non decuit Christum infirmari, sed sat fuit ab intrinseco habere passiones naturales absque aegritudine, ut famem, sitim, lassitudinem, quoad corpus; et tristitiam, timorem et huiusmodi, quoad partem sensitivam animae. Quaedam vero ab extrinseco: sive sint pure corporales, ut flagella, confossio, et huiusmodi; sive aliqualiter spirituales, ut infamari et huiusmodi; et similiter, sive extrinsece, ut spoliari et huiusmodi; sive intus, ut tristari ex sensatis et obiectis. De his enim quae ab extrinseco inferri possunt passionibus absque spirituali damno in anima patientis, quaestio est: ut unico verbo dicatur.

II. In corpore est una distinctio bimembris, cum duabus conclusionibus, iuxta ipsa membra distinctionis, interiecta explicatione tituli. Distinctio est. Passiones humanae ab extrinseco possunt considerari dupliciter: vel secundum species; vel secundum genus.

Prima conclusio: *Non oportuit Christum pati omnem humanam passionem secundum speciem.* Probatur. Quia multae earum sunt contrariae, ut patet.

Secunda conclusio est: *Christus passus est omnem humanam passionem secundum genus.* Probatur tripliciter: et ex parte generalitatis conditionum agentium a quibus, et rerum in quibus, et membrorum secundum quae passus est.

III. Adverte hic primo, quod Auctor summarie pertransit generalitatem passionum Christi. Nam si ad amussim dinumerandae essent omnes conditiones passionum eius et differentiae earum, humanum ingenium forte deficeret. Clare siquidem liquet quod passus est iudicialiter, et extra-iudicialiter; a iudicio ecclesiastico, et saeculari; passus est obiectione superbiae, blasphemiae, seductionis, ambitionis, rebellionis Caesareae, usurpationis divinae; passus est a testibus falsis, et a propria confessione occasionaliter; passus est ut malus, et ut stultus; passus est a viris timoratis secundum legem Dei (utpote non introeuntibus in praetorium, et vacantibus operibus misericordiae actualiter), et a sceleratis; passus est et simpliciter, et comparative ad Barabbam; et, breviter, ad pelagus passionum harum contemplatio ingressum dans, nova semper adiciet.

IV. Adverte secundo quod, ad litteram, Christus generalitatem passionum suscepit ut universum quoad mala deificaret. Ita quod, sicut Verbum divinum, suscipiendo humanam naturam, assumpsit quodammodo totum universum quoad bona, pro quanto in homine omnes creaturae quodammodo inveniuntur, ut in principio huius Libri * declaravimus; ita, suscipiendo mala hominum in generalitate suarum passionum, deificavit totum universum quoad mala: in malo enim hominis omnia mala quodammodo inveniuntur. In cuius signum, etiam malo culpae carnem suam in patribus subiacere voluit, ut, de massa peccatrice corpus sumens, malum culpae etiam quodammodo deificaret *. Ut omnino impletum conspiciamus quod *sic Deus dilexit mundum*, et secundum bona et secundum mala, *ut Filium suum unigenitum daret* *.

Prodest autem malorum huiusmodi tanta dignitas humano generi valde. Quoniam malorum incursus, post Adae peccatum, inevitabilis est et necessarius in via virtutis ambulantibus ad caelestem patriam. Naturaliter autem exosa, fugibilia tristiaque sunt mala: et propterea *arcta* duraque dicitur *via vitae* *. Sed ubi assumpta a Verbo Dei in propria persona mala sunt, deificata procul dubio sunt: et inde reddita sunt *desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum,* cum non habentur, et *dulciora super mel et favum* *, cum habentur; ut gesta martyrum testantur, dicentium: *Hoc est quod semper optavi* *, *Has epulas ego semper optavi, Videor mihi quod super roseos flores incedam* *, etc. Et hinc virtutis via, patiendo mala, facta est humano generi amabilis, desiderabilis atque delectabilis secundum seipsam: sed *animalis homo non percipit quae Dei sunt* *; *palato enim non sano poena est panis, qui sano est suavis, et oculis aegris odiosa lux, quae puris est amabilis* *.

* Qu. I, a... Comment. VII.
* In cuius... caret. om...
* Ioan. c... vers. 16.
* Matth. c... vers. 14.
* Ps. XVIII 11.
* In Offic... Mart., ant. Magnif. ... cund. Ve...
* Mem. s. T... Mart. in s... Vesp. s. L... Mart.
* I ad C... II, vers. 1...
* S. Aug... fess. l. b... XVI.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM DOLOR PASSIONIS CHRISTI FUERIT MAIOR OMNIBUS ALIIS DOLORIBUS

III *Sent.*, dist. XV, qu. II, art. 3, qu[a] 3.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod dolor passionis Christi non fuerit maior omnibus aliis doloribus. Dolor enim patientis augetur secundum gravitatem
α et diuturnitatem passionis α. Sed quidam martyres graviores passiones et diuturniores sustinuerunt quam Christus: sicut patet de Laurentio, qui est assatus in craticula *; et de Vincentio, cuius carnes sunt ungulis ferreis laceratae *. Ergo videtur quod dolor Christi patientis non fuerit maximus.

* Vide Acta s. Laurent., Bolland. die 10 Aug.
* Vide Acta s. Vincent., Bolland. die 22 Ian., cap. II.

2. Praeterea, virtus mentis est mitigativa doloris: in tantum quod Stoici posuerunt *tristitiam in animo* β *sapientis non cadere* *. Et Aristoteles posuit * quod virtus moralis medium tenet in passionibus. Sed in Christo fuit perfectissima virtus mentis. Ergo videtur quod in Christo fuerit minimus γ dolor. γ

* Aug. ... Dei l. c. ... VIII.
* Ethic. cap. VI, n. ... S. Th. l. VII.

3. Praeterea, quanto aliquod patiens est magis sensibile, tanto maior sequitur dolor passionis. Sed anima est sensibilior quam corpus: cum corpus sentiat ex anima. Adam etiam in statu innocentiae videtur corpus sensibilius habuisse

α) *passionis.* – PF*a*; *patientis.*
β) *animo.* – *anima* H*bc*, *animum* Pl.

γ) *fuerit minimus.* – *non fuerit maximus* tertia praeter l.

quam Christus, qui assumpsit corpus humanum cum naturalibus defectibus. Ergo videtur quod dolor animae patientis in purgatorio vel in inferno, vel etiam dolor Adae si passus fuisset, maior fuisset quam dolor passionis Christi.

4. Praeterea, maioris boni amissio causat maiorem dolorem. Sed peccator peccando amittit maius bonum quam Christus patiendo: quia vita gratiae est melior quam vita naturae. Christus etiam [ζ], qui amisit vitam post triduum resurrecturus, minus aliquid videtur amisisse quam illi qui amittunt vitam permansuri in morte. Ergo videtur quod dolor Christi non fuerit maximus dolor.

5. Praeterea, innocentia patientis diminuit dolorem passionis. Sed Christus innocenter est passus: secundum illud Ierem. xi *: *Ego autem quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam.* Ergo videtur quod dolor passionis Christi non fuerit maximus.

6. Praeterea, in his quae Christi sunt, nihil fuit superfluum. Sed minimus dolor Christi suffecisset ad finem salutis humanae: habuisset enim infinitam virtutem ex persona divina. Ergo superfluum fuisset assumere maximum dolorem.

Sed contra est quod habetur *Thren.* i * ex persona Christi: *Attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus.*

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est cum de defectibus assumptis a Christo ageretur, in Christo patiente fuit verus dolor: et sensibilis, qui causatur ex corporali nocivo; et dolor interior, qui causatur ex apprehensione alicuius nocivi, qui tristitia dicitur. Uterque autem dolor in Christo fuit maximus inter dolores praesentis vitae. Quod quidem contingit [ε] propter quatuor.

Primo quidem, propter causas doloris. Nam doloris sensibilis causa fuit laesio corporalis. Quae acerbitatem habuit, tum propter generalitatem passionis, de qua dictum est *: tum etiam ex genere passionis. Quia mors confixorum in cruce est acerbissima: quia configuntur in locis nervosis et maxime sensibilibus, scilicet in manibus et pedibus; et ipsum pondus corporis pendentis continue auget dolorem; et cum [ζ] hoc etiam est doloris diuturnitas, quia non statim moriuntur, sicut hi qui sunt gladio interfecti. – Doloris autem interioris causa fuit, primo quidem, omnia peccata humani generis, pro quibus satisfaciebat patiendo: unde ea quasi sibi adscribit, dicens in Psalmo *: *Verba delictorum meorum.* Secundo, specialiter casus Iudaeorum et aliorum in eius mortem [η] delinquentium: et praecipue discipulorum, qui scandalum passi fuerant in Christi passione. Tertio etiam amissio vitae corporalis, quae naturaliter est horribilis humanae naturae.

Secundo potest magnitudo [θ] considerari ex perceptibilitate patientis. Nam et secundum corpus erat optime complexionatus, cum corpus eius fuerit formatum miraculose operatione Spiritus Sancti: sicut et alia quae per miracula facta sunt, sunt [ι] aliis potiora, ut Chrysostomus dicit * de vino in quod Christus aquam convertit in nuptiis. Et ideo in eo maxime viguit sensus tactus, ex cuius perceptione sequitur dolor. – Anima etiam, secundum vires interiores, efficacissime apprehendit omnes causas tristitiae.

Tertio magnitudo doloris Christi patientis potest considerari ex doloris [κ] puritate. Nam in aliis patientibus mitigatur tristitia interior, et etiam dolor exterior, ex aliqua consideratione rationis, per quandam derivationem seu redundantiam a superioribus viribus ad inferiores. Quod in Christo patiente non fuit: unicuique enim virium *permisit agere quod est sibi proprium,* sicut Damascenus dicit *.

Quarto potest considerari magnitudo doloris Christi patientis ex hoc quod passio illa et dolor a Christo fuerunt assumpta voluntarie, propter finem liberationis hominum a peccato. Et ideo tantam quantitatem doloris assumpsit quae esset proportionata magnitudini fructus qui inde sequebatur.

Ex his igitur omnibus causis simul consideratis manifeste apparet quod dolor Christi fuit maximus.

Ad primum ergo dicendum quod ratio illa procedit ex uno tantum praedictorum, scilicet ex laesione corporali, quae est causa sensibilis doloris. Sed ex aliis causis multo magis dolor Christi patientis augetur, ut dictum est *.

Ad secundum dicendum quod virtus moralis aliter mitigat tristitiam interiorem, et aliter exteriorem dolorem sensibilem. Tristitiam enim interiorem diminuit directe, in ea medium constituendo sicut in propria materia. Medium autem in passionibus virtus moralis constituit, ut in Secunda Parte * habitum est, non secundum quantitatem rei, sed secundum quantitatem proportionis: ut scilicet passio non excedat regulam rationis. Et quia Stoici reputabant quod nulla tristitia esset ad aliquid utilis, ideo credebant quod totaliter a ratione discordaret: et per consequens quod totaliter esset sapienti vitanda. Sed secundum rei veritatem, tristitia aliqua laudabilis est, ut Augustinus probat, in XIV *de Civ. Dei* *: quando scilicet procedit ex sancto amore, ut puta cum aliquis tristatur de peccatis propriis vel alienis. Assumitur etiam ut utilis ad finem satisfactionis pro peccato: secundum illud II *Cor.* vii *: *Quae secundum Deum est tristitia, poenitentiam in salutem stabilem operatur.* Et ideo Christus, ut satisfaceret pro peccatis omnium hominum, assumpsit tristitiam maximam [λ] quantitate absoluta, non tamen excedentem regulam rationis.

Marginal references: * ...19. — * ...rs. 12. — * ...xv, art. 5, 6. — * ...rt. praeced. — * ...s. xxi, vers. 2. — * Homil. XXII, al. XXI, *in Ioan.* — * *De Fide Orth.*, lib. III, cap. xix. – Cf. ibid., cap. xiv, xv. — * In corpore. — * Iª IIae, qu. lxiv, art. 2; IIª IIae, qu. lviii, art. 10. — * Cap. viii, ix. — * Vers. 10.

ζ) *Christus etiam.* – D et tertia; *Sed Christus* F, *Christus ergo* ceteri.
ε) *contingit.* – *convenit* C, *contigit* P.
ζ) *et cum.* – E et tertia; om. (pergit *hic est etiam*) ed. *a*, *etc.* ceteri. – Pro *sunt gladio interfecti, gladio interficiuntur* P.
η) *mortem.* – *morte* P. – Pro *fuerant, fuerunt* Ia, *sunt vel fuerunt* F, *sunt* P.
θ) *magnitudo.* – *doloris* addit *c*, *doloris eius* addit P. Post *patientis* editiones addunt *et secundum animam et secundum corpus.*
ι) *facta sunt, sunt.* – Ed. *a*; *facta sunt fuerunt* PEFI, *facta fuerunt* pG, *sunt facta fuerunt* sG, *facta fuerunt sunt* H, *facta fuerunt sibi bc*, *facta sunt* ceteri.
κ) *doloris.* – *et tristitiae* addit P.
λ) *maximam.* – *quidem* addit tertia.

Dolorem autem exteriorem sensus virtus moralis directe non minuit: quia talis dolor non obedit rationi, sed sequitur corporis naturam. Diminuit tamen ipsum indirecte per redundantiam a superioribus viribus in inferiores. Quod in Christo non fuit, ut dictum est *.

* In corp.; qu. xiv, art. 1, ad 2; qu. xlv, art. 2.

Ad tertium dicendum quod dolor animae separatae patientis pertinet ad statum futurae damnationis, qui [μ] excedit omne malum huius vitae, sicut sanctorum gloria excedit omne bonum praesentis vitae. Unde, cum diximus [ν] Christi dolorem esse maximum, non comparamus ipsum dolori animae separatae.

Corpus autem Adae pati non poterat, nisi peccaret et sic fieret mortale et passibile. Et minus doleret patiens quam corpus Christi, propter rationes praedictas *. – Ex quibus etiam apparet quod etiam si, per impossibile, ponatur quod Adam in statu innocentiae passus fuisset, minor fuisset eius dolor quam Christi.

* In corpore.

Ad quartum dicendum quod Christus non solum doluit pro amissione vitae corporalis propriae: sed etiam pro peccatis omnium aliorum. Qui dolor in Christo excessit omnem dolorem cuiuslibet contriti. Tum quia ex maiori sapientia et caritate processit, ex quibus dolor contritionis augetur. Tum etiam quia pro omnium peccatis simul doluit: secundum illud Isaiae liii *: *Vere dolores nostros ipse tulit.*

* Vers. 4.

Vita autem corporalis Christi fuit tantae dignitatis, et praecipue propter divinitatem unitam, quod de eius amissione etiam ad horam, magis esset dolendum quam de amissione alterius [ξ] hominis per quantumcumque tempus. Unde et Philosophus dicit, in III *Ethic.* *, quod virtuosus plus [ο] diligit vitam suam quanto scit eam esse meliorem: et tamen eam exponit propter bonum virtutis. Et similiter Christus vitam suam maxime dilectam exposuit propter bonum caritatis: secundum illud Ierem. xii *: *Dedi dilectam animam meam in manibus inimicorum eius.*

* Cap. ix, n. ... S. Th. lect. ...

* Vers. 7.

Ad quintum dicendum quod innocentia patientis minuit dolorem passionis quantum ad numerum: quia, dum nocens patitur, dolet non solum de poena, sed etiam de culpa; innocens autem solum de poena. Qui tamen dolor in eo augetur ex innocentia: inquantum apprehendit nocumentum illatum ut magis indebitum. Unde etiam et alii magis sunt reprehensibiles si eis [π] non compatiuntur: secundum illud Isaiae lvii *: *Iustus autem* [ρ] *perit, et non est qui recogitet in corde suo.*

* Vers. 1.

Ad sextum dicendum quod Christus voluit genus humanum a peccatis liberare, non sola potestate, sed etiam iustitia [σ] *. Et ideo non solum attendit quantam virtutem dolor eius haberet ex divinitate unita: sed etiam quantum dolor eius sufficeret secundum naturam humanam, ad tantam satisfactionem.

* Cf. art. 3, ...

μ) *qui.* – *quae* PF.
ν) *diximus.* – *dicimus* FG et editiones.
ξ) *alterius.* – *vitae alterius* P. – *hominis* om. I.
ο) *plus.* – Om. P.
π) *eis.* – *ei* P.
ρ) *autem.* – Om. FHIsG.
σ) *etiam iustitia.* – *in iustitia* C, *iniustitia* AB, *(non solum potestate sed) etiam iustitia* FIa, *iustitia* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus ut sonat intelligendus est.

In corpore duo. Primo, resumuntur duo dolores in Christo: exterior scilicet et interior.

Secundo, respondetur quaesito unica conclusione: *Uterque dolor in Christo fuit maximus super omnes praesentis vitae.* Probatur ex quatuor simul iunctis: scilicet ex causis, ex patiente, ex puritate doloris, et ex quantitate proportionata ad finem.

Ubi videre facile potes quod in nullo alio dolore humano concurrentia adaequare, aut etiam appropinquare possunt ad haec. Et de tertio quidem et quarto constat quod in aliis locum habere non possunt. Secundum quoque, ad perceptionem efficacissimam omnium causarum tristitiae, procul etiam ab aliis est. In primo quoque duo sunt inaccessibilia: scilicet tristitia ex omnibus peccatis humani generis; et amissio corporalis vitae divinae personae et tam excellentis animae.

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM CHRISTUS FUERIT PASSUS SECUNDUM TOTAM ANIMAM

III *Sent.*, dist. xv, qu. ii, art. 1, qu[a] 3; art. 3, qu[a] 2; *De Verit.*, qu. xxvi, art. 3, ad 1; art. 9; *Quodl.* VII, qu. ii; *Compend. Theol.*, cap. ccxxxii.

D septimum sic proceditur. Videtur quod Christus non fuerit passus secundum totam animam. Anima enim patitur, patiente corpore, per accidens, inquantum est *corporis actus* *. Sed anima non est actus corporis secundum quamlibet partem eius: nam intellectus nullius corporis actus est, ut dicitur in III *de Anima* *. Ergo videtur quod Christus non fuerit passus secundum totam animam.

* Aristot. *de Anima* lib. II, cap. 1, n. 4, 5. - S. Th. lect. 1.

* Cap. iv, n. 4, 5. - S. Th. lect. vii.

2. Praeterea, quaelibet potentia animae patitur a suo obiecto. Sed superioris partis rationis obiectum sunt *rationes aeternae,* quibus *inspiciendis et consulendis intendit,* ut Augustinus dicit, XII *de Trin.* * Ex rationibus autem aeternis [α] nullum potuit Christus pati nocumentum: cum in nullo ei contrariarentur. Ergo videtur quod non fuerit passus secundum totam animam.

* Cap. vii.

3. Praeterea, quando passio sensibilis usque

α) *aeternis.* – Ea et tertia; *exterius.*

ad rationem pertingit, tunc dicitur completa passio. Quae in Christo non fuit, ut Hieronymus dicit *, sed solum *propassio*. Unde et Dionysius dicit, in Epistola *ad Ioannem Evangelistam* *, quod *passiones sibi illatas patiebatur secundum iudicare solum*. Non ergo videtur quod Christus secundum totam animam pateretur.

* Comment. in ... lib. IV, ad ... xxvi, vers. 37.
* Epist. X.

4. Praeterea, passio dolorem causat. Sed in intellectu speculativo non est dolor: quia *delectationi quae est ab eo quod est considerare, nulla tristitia opponitur*, ut Philosophus dicit, I *Topic.* * Ergo videtur quod Christus non pateretur secundum totam animam.

* ... xiii, n. 5.

Sed contra est quod in Psalmo * dicitur, ex persona Christi: *Repleta est malis anima mea*: Glossa *: *Non vitiis, sed doloribus, quibus anima carni compatitur, vel malis, scilicet pereuntis populi, compatiendo*. Non autem fuisset anima eius his malis repleta, si non secundum totam animam passus esset. Ergo Christus secundum totam animam passus est.

* ... lxxxvii, ... 4.
* ... et Lomb. ...

Respondeo dicendum quod totum dicitur respectu partium. Partes autem animae dicuntur potentiae eius. Sic ergo dicitur anima tota pati, inquantum patitur secundum suam essentiam: vel inquantum secundum omnes suas potentias patitur.

Sed considerandum est quod aliqua potentia animae potest pati dupliciter. Uno modo, passione propria: quae quidem est secundum quod patitur a suo obiecto, sicut si visus patiatur ex superabundantia visibilis [β]. Alio modo patitur aliqua potentia passione subiecti super quod fundatur: sicut visus patitur patiente sensu tactus in oculo, super quem fundatur visus; puta cum oculus pungitur, aut etiam distemperatur per calorem.

Sic igitur dicendum quod, si intelligamus totam animam ratione suae essentiae, sic manifestum est totam animam Christi passam esse. Nam tota essentia animae coniungitur corpori ita quod *tota est in toto, et tota in qualibet parte eius* *. Et ideo, corpore patiente et disposito ad separationem ab anima, tota anima patiebatur.

* ... de Trin. ... cap. vi.

Si vero intelligamus totam animam secundum omnes potentias eius, sic, loquendo de passionibus propriis potentiarum, patiebatur quidem secundum omnes vires inferiores: quia in singulis viribus inferioribus animae, quae circa temporalia operantur, inveniebatur aliquid quod erat causa doloris Christi, sicut ex supra * dictis patet. Sed secundum hoc superior ratio non patiebatur in Christo ex parte sui obiecti, scilicet Dei, qui non erat animae Christi causa doloris, sed delectationis et gaudii *. – Secundum autem illum modum passionis quo potentia aliqua dicitur pati ex parte sui subiecti [γ], sic omnes potentiae animae Christi patiebantur. Omnes enim potentiae animae Christi [δ] radicantur in essentia eius *, ad quam perveniebat passio, passo corpore, cuius est actus.

* Art. 5.
* Cf. *Sap.* cap. viii, vers. 16.
* D. 199.

Ad primum ergo dicendum quod, licet intellectus, secundum quod est potentia quaedam, non sit corporis actus; essentia tamen animae est corporis actus, in qua radicatur potentia intellectiva, ut in Prima Parte * habitum est.

* Qu. lxxvii, art. 6, 8.

Ad secundum dicendum quod illa ratio procedit de passione quae est ex parte proprii obiecti: secundum quam superior ratio in Christo passa non fuit.

Ad tertium dicendum quod dolor tunc dicitur esse passio perfecta, per quam anima perturbatur, quando passio sensitivae partis pertingit usque ad immutandam rationem a rectitudine sui actus, ut scilicet sequatur passionem, et non habeat [ε] liberum arbitrium super eam. Sic autem passio sensitivae partis non pervenit in Christo usque ad rationem, sed ex parte subiecti, ut dictum est *.

* In corpore.

Ad quartum dicendum quod intellectus speculativus non potest habere dolorem vel tristitiam ex parte sui obiecti, quod est verum absolute consideratum, quod est perfectio eius. Potest tamen ad ipsum pertinere [ζ] dolor, vel causa doloris, per modum iam * dictum.

* Ibid.

β) *superabundantia visibilis.* – *superabundanti visibili* I et editiones.
γ) *subiecti.* – EFHsGI et editiones; *obiecti.*
δ) *Christi.* – Om. PI. Pro *perveniebat, pervenit* P. Pro *passio passo corpore cuius, passio corporis inquantum corporis* GH, *corporis passio cuius* bc.
ε) *habeat.* – Ea et tertia; *habet.*
ζ) *pertinere.* – *pertingere* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus in corpore articuli clarificatur. – In corpore duo fiunt: primo, distinguitur quot sensibus potest intelligi quaestio ista; secundo, respondetur quaesito *.

* ... m. ii, vii.

Distinctio ponitur duplex. Prima, de ly *tota*: scilicet, vel ratione essentiae; vel potentiarum. – Secunda est. Ratione potentiarum, dupliciter: vel secundum actus earum; vel ex parte subiecti.

Ex quibus consurgunt tres quaestionis sensus. Primus est: An anima secundum totam essentiam passa fuerit. – Secundus est: An anima secundum omnium potentiarum passiones proprias passa fuerit. – Tertius est: An anima secundum omnes potentias ex parte subiecti passa fuerit.

II. Prima conclusio est: *Anima Christi tota secundum essentiam passa est.* Probatur. Tota essentia animae coniungitur corpori. Ergo, patiente corpore et disposito ad separationem ab anima, tota anima patiebatur. – Antecedens probatur. Quia est *tota in toto, et tota in qualibet parte.*

Nota hic quod non dicit Auctor quod anima Christi tota secundum essentiam *doluit*, sed dicit quod *passa est*: dolere enim importat actum animalis appetitus; pati autem communius est. Unde argumenta Scoti, in III *Sent.*, dist. xv, contra opinionem dicentem Christi animam secundum essentiam doluisse *, non sunt contra doctrinam hanc: nisi ultimum, scilicet: *In separatione animae a corpore anima fuit facta impassibilis. Ergo.* – Ad hoc enim dicitur quod aliud est loqui de separatione animae: et aliud de separato esse. Nam licet anima in separato esse fuerit impassibilis, quamdiu tamen in separatione fuit, passibilis erat. Et patiebatur dum separaretur: quia abiiciebatur a naturali suo

* Cf. Henric. Gandav. Quodl. VIII, qu. vii.

statu, quo perficiebat corpus. Unde in littera dicitur: *Corpore patiente et disposito ad separationem, tota essentia animae patiebatur*

Secunda conclusio est: *Anima Christi, secundum omnes potentias inferiores, patiebatur passionibus propriis illarum potentiarum.* Probatur. Quia in singulis viribus inferioribus, quae circa temporalia versantur, inveniebatur aliquid quod erat causa doloris: ut patet ex articulo quinto.

Tertia conclusio est: *Ratio superior non patiebatur in Christo ex parte sui obiecti.* Probatur. Quia Deus erat causa animae Christi, non doloris, sed delectationis et gaudii.

III. Circa hanc conclusionem dubium occurrit ex Scoto, in III *Sent.*, dist. xv *, probante quod ratio superior in Christo per proprium actum doluit de passione Christi. Tum quia passio erat contra naturalem appetitum ipsius rationis superioris. Tum quia erat contra conditionatum velle eiusdem. Quidquid autem nobis nolentibus vel naturali voluntate commodi, vel conditionato velle, accidit, sufficiens causa tristitiae est: ut patet de miseria quoad primum, et de proiectione mercis in mare quoad secundum.

* Art. 1, 3.

Amplius, Christus tristatus est de peccatis hominum ut sunt offensae Dei. Sed hoc spectat ad rationem superiorem: quia haec tristitia est *secundum Deum* *, est secundum rationes aeternas consultas, quae sunt, secundum Augustinum, XII *de Trin.* *, obiectum rationis superioris. Ergo.

* II *ad Cor.*, cap. VII, vers. 10.

* Cap. VII.

IV. Ad evidentiam huius scito quod, cum, secundum Augustinum, [*XIV*] *de Civ. Dei,* cap. xv *, tristitia sit *de his quae nobis nolentibus accidunt;* et nostrum nolle quadrupliciter inveniatur; vel per actum elicitum, ut si nolo visitari; vel per naturalem contrarietatem ad voluntatem secundum se, ut nolumus miseriam; vel per naturalem contrarietatem ad voluntatem colligatam appetitui sensitivo, ut nolumus uri; vel per conditionatum actum voluntatis, puta nolleitatem, ut nollemus proiicere merces in mare, quas tamen proiicimus: putavit Scotus, in loco dicto, quodlibet istorum nolle sufficienter causare tristitiam in voluntate, si contra huiusmodi nolle eveniat nobis aliquid sic nolitum.

* Cf. cap. VI.

Minus autem verum invenitur hoc dictum, si perspexerimus quod beatis multa possunt sic nolita evenire, qui tamen tristari non possunt. Voluntas enim cuiusque patris in patria est quod, secundum se, nollet filium damnari: ut patet quia ista nolleitas est secundum amorem naturalem ad filium; et quia in damnatis remanet, ut patet de divite qui petiit ne fratres damnarentur *. Et tamen beatus non tristatur si filius damnatur. Et simile est de iniuriis quae fiunt sanctis circa eorum corpora: sunt enim contra naturalem voluntatem eorum, et tamen non tristantur.

* Luc. cap. XVI, vers. 27 sqq.

V. Quocirca distinguendum est de nolle: quod, sive naturale sive conditionatum sit, dupliciter sumi potest. Vel absolute: hoc est, quantum est ex parte voluntatis, seu boni voliti aut mali noliti. Et taliter nolle non sufficit ad causandam tristitiam: ut ex dictis exemplis patet, et amplius patebit. – Alio modo sumitur nolle secundum praesentem statum volentis seu nolentis: hoc est quod, sive sit naturale sive conditionatum, insit illud nolle secundum praesentem statum quem actu habet ille qui dicitur nolle. Et sic nolle, sive sit naturale sive conditionatum, sufficit ad causandam tristitiam.

Quod ut clarius fiat, dicamus exemplariter differentiam inter voluntatem beati patris, et non beati. Pater siquidem iustus viator respectu miseriae filii praesciti habet nolle, et naturale et conditionatum, non solum ita quod voluntati paternae secundum se absolute sumptae contrariatur miseria filii, et nollet filii damnationem secluso divinae iustitiae ordine; sed etiam ita quod, secundum praesentem statum in quo est, ex amore naturali exit in actum nolendi conditionatum, dicendo, *Pater, si possibile est, transeat calix iste.* Idem autem pater beatus non habet amplius amorem illum primum, ut consonet sibi exire in actum nolleitatis respectu miseriae filii, alioquin non esset beatus, quoniam aliquid vellet quod non haberet: sed in omnibus conforme divinae voluntati suum velle. Et hinc fit ut damnatio filii eveniens tristitiam ingerat patri viatori, et non patri beato. Convenientia siquidem inventa secundum voluntatem absolute, et similiter secundum nolleitatem absolute, in patre viatore et beato; et differentia inventa secundum voluntatem in tali statu; testatur quod non sufficit ad tristitiam voluntas naturalis aut conditionata absolute, sed oportet quod sit secundum praesentem statum. Propterea enim tristor proiiciendo merces, quia secundum praesentem statum habeo nolleitatem perdendi illas: et e contra propterea beati de nullo tristantur, quia de nullo contrario eventuro habent nolleitatem in illo statu.

Et in proposito ideo Christus Dominus, beatus secundum portionem superiorem, non tristabatur de sua passione, quia secundum illam nec nolleitatem illius habebat: sed, tanquam beatus, illam nullo modo refutabat. Unde patet falsum esse quod rationi superiori Christi ut natura, contrariabatur passio Christi: quoniam pars illa, secundum illum statum, non habuit aliquid contrarii. Et similiter falsum est quod habuerit nolleitatem mortis: eadem ratione, quia scilicet beata erat.

VI. Verum, ne iniuria Scoto hinc fiat, scito quod ipse *ratione superiore* utitur aequivoce: pro intellectu scilicet et voluntate respectu quorumcumque, secundum ordinem tamen ad aeterna. Et ideo, quoad quaestionem de ratione superiori et inferiori, in aequivoco cum eo laboratur. Sed quoad nolitionem causantem tristitiam, non est aequivocatio: quoniam, sive in superiori sive in inferiori portione, oportet adesse nolitum secundum praesentem statum; et non sufficit nolitum secundum disconvenientiam ad voluntatem absolute, ut declaratum est *. * Num. p[...]

Veruntamen, ad singula obiecta * respondendo, dicitur quod non est contra naturalem inclinationem superioris appetitus beati passio Christi. Et similiter nec contra velle conditionatum illius. Et similiter nec contra eundem quamvis colligatum corpori: quia non habuit locum redundantia in Christo. * Num. [...]

Ad illud de contritione peccatorum nostrorum, dicitur quod dolor ille est rationis inferioris: quoniam obiectum talis actus est aliquid temporale, scilicet offensa Dei. Nec obstat quod secundum rationes aeternas sit haec tristitia: quoniam ratio inferior regulatur ex ratione superiori, et ab illa sumit principia. Secundum enim obiecta, scilicet temporale vel aeternum, distinguuntur ratio superior et inferior: ut in Prima Parte, qu. LXXIX, art. 9, habes.

VII. Quarta conclusio * est: *Omnes potentiae animae Christi patiebantur ex parte subiecti.* Probatur. Quia omnes radicantur in essentia eius, quae patiebatur, quia actus corporis patientis erat. * Cf. nu[...]

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM ANIMA CHRISTI IN ARTICULO ILLIUS PASSIONIS TOTA FRUERETUR FRUITIONE BEATA

III *Sent.*, dist. xv, qu. II, art. 3, qu^a 2, ad 5; *De Verit.*, qu. x, art. 11, ad 3; qu. XXVI, art. 10; *Quodl.* VII, qu. II; *Compend. Theol.*, cap. CCXXXII.



AD OCTAVUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod anima Christi, in articulo illius passionis, non tota frueretur fruitione beata. Impossibile est enim simul dolere et gaudere: cum dolor et gaudium sint contraria. Sed anima Christi tota patiebatur dolorem in tempore passionis, ut supra * habitum est. Non ergo poterat esse ut tota frueretur. * Art. p[...]

2. Praeterea, Philosophus dicit, in VII *Ethic.* *, quod tristitia, si sit vehemens, non solum impedit delectationem contrariam, sed quamcumque: et e converso. Dolor autem passionis Christi fuit maximus, ut ostensum est *: et similiter delectatio fruitionis est maxima, ut in primo [α] Secundae Partis * habitum est. Non ergo potuit esse quod anima Christi tota simul pateretur et frueretur.

3. Praeterea, fruitio beata est secundum cognitionem et amorem divinorum: ut patet per Augustinum, in I *de Doct. Christ.* * Sed non omnes vires animae attingunt ad cognoscendum et amandum Deum. Non ergo tota anima Christi fruebatur.

Sed contra est quod Damascenus dicit, in III libro *, quod divinitas Christi *permisit carni agere et pati quae propria.* Ergo, pari ratione, cum proprium esset animae Christi, inquantum erat beata, quod frueretur, passio eius fruitionem non impediebat.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est prius *, tota anima potest intelligi et secundum essentiam, et secundum omnes eius potentias. Si autem intelligatur secundum essentiam, sic tota anima fruebatur, inquantum est subiectum superioris partis animae, cuius est frui divinitate: ut, sicut passio ratione essentiae attribuitur superiori parti animae, ita e converso fruitio ratione superioris partis animae attribuatur essentiae.

Si vero accipiamus totam animam ratione omnium potentiarum eius, sic non tota anima fruebatur: nec directe quidem, quia fruitio non potest esse actus cuiuslibet partis animae; nec per redundantiam [β], quia, dum Christus erat viator, non fiebat redundantia gloriae a superiori parte in inferiorem, nec ab anima in corpus. Sed quia nec e converso superior pars animae non [γ] impediebatur circa id quod est sibi proprium, per inferiorem, consequens est quod superior pars animae perfecte fruebatur, Christo patiente.

Ad primum ergo dicendum quod gaudium fruitionis non contrariatur directe dolori passionis: quia non sunt de eodem. Nihil enim [δ] prohibet contraria eidem inesse non secundum idem. Et sic gaudium fruitionis potest pertinere ad superiorem partem rationis per proprium actum: dolor autem passionis secundum suum subiectum. Ad essentiam vero animae pertinet dolor passionis [ε] ex parte corporis, cuius est forma: gaudium vero fruitionis ex parte potentiae, cui subiicitur.

Ad secundum dicendum quod verbum illud Philosophi habet veritatem ratione redundantiae quae naturaliter fit ab una potentia animae in aliam. Sed hoc [ζ] in Christo non fuit, ut supra * dictum est.

Ad tertium dicendum quod ratio illa procedit de totalitate animae quantum ad eius potentias.

Marginal references: * ...xiv, n. 6. – S. Th. lect. xiv. — * ...t. 6. — * Q. xxxiv, art. 3. — * Cap. iv, x, xxii. — * De Fide Orth., lib. III, cap. xix. – Ibid. cap. xiv. — * ... praeced. — * In corpore; art. 6.

α) *primo.* – *prima* ed. *a*, *principio* Plc. *Partis* om. F.
β) *redundantiam.* – *gloriae* addit tertia.
γ) *non.* – Om. editiones.
δ) *enim.* – *etiam* GI, *autem* editiones.
ε) *secundum suum... passionis.* – E et tertia; om.
ζ) *hoc.* – *haec* PG.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus ex praecedente, et in corpore.

In corpore distinctio repetitur posita in praecedenti articulo, de totalitate animae.

Deinde respondetur quaesito tribus conclusionibus. Prima est: *Anima Christi tota secundum essentiam fruebatur.* Probatur. Quia tota essentia est subiectum portionis superioris, quae fruebatur. – Et declaratur a simili praecedentis articuli: ut sicut portio superior dicta est pati propter essentiam patientem, ita e contra essentia fruitur ratione partis superioris fruentis.

Secunda conclusio est: *Anima Christi, totalitate potentiarum, non tota fruebatur.* Probatur. Quia nec directe, quia non quaelibet pars animae capax est fruitionis; nec per redundantiam, quia in Christo, quandiu fuit viator, non erat redundantia.

Tertia conclusio est: *Superior pars animae proprio actu fruebatur, Christo patiente.* Probatur. Quia non impediebatur a coaeva sibi fruitione per inferiorem partem patientem.

ARTICULUS NONUS

UTRUM CHRISTUS FUERIT CONVENIENTI TEMPORE PASSUS

In Matth., cap. xxvii; *In Ioan.*, cap. xiii, lect. i.

Ad nonum sic proceditur. Videtur quod Christus non fuerit convenienti tempore passus. Passio enim Christi figurabatur per immolationem agni paschalis: unde et Apostolus dicit, I *Cor.* v *: *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Sed agnus paschalis immolabatur *quartadecima die ad vesperam*, ut dicitur *Exod.* xii *. Ergo videtur quod Christus tunc debuerit pati. Quod patet esse falsum: nam tunc pascha cum suis discipulis celebravit, secundum illud Marc. xiv *, *Prima die azymorum, quando pascha immolabant;* sequenti autem die passus fuit *.

2. Praeterea, passio Christi dicitur eius exaltatio: secundum illud Ioan. iii *: *Oportet exaltari Filium Hominis.* Ipse autem Christus dicitur *Sol Iustitiae:* ut patet Malach. ultimo *. Ergo videtur quod debuit pati hora sexta, quando sol est in maxima sua exaltatione. Cuius contrarium videtur per id quod dicitur Marc. xv *: *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum.*

3. Praeterea, sicut sol in hora sexta maxime

Marginal references: * Vers. 7. — * Vers. 6. — * Vers. 12. — * Matth. cap. xxvii, vers. 1. — * Vers. 14. — * Vers. 2. — * Vers. 25.

exaltatur quolibet die, ita in solstitio aestivali maxime exaltatur quolibet anno. Debuit ergo Christus magis pati circa tempus solstitii aestivalis, quam circa tempus aequinoctii vernalis.

4. Praeterea, per praesentiam Christi in mundo mundus illuminabatur: secundum illud Ioan. ix * [* Vers. 5.]: *Quandiu sum in mundo, lux mundi sum.* Conveniens igitur fuisset humanae saluti ut diutius in hoc mundo vixisset, ita quod non pateretur in iuvenili aetate, sed magis in senili.

Sed contra est quod dicitur Ioan. xiii * [* Vers. 1.]: *Sciens Iesus quod venit hora eius ut transeat de hoc mundo ad Patrem.* Et Ioan. ii * [* Vers. 4.] dicit: *Nondum venit hora mea.* Ubi dicit Augustinus * [* In Ioan. Evang. tract. VIII.]: *Ubi tantum fecit quantum sufficere iudicavit, venit hora eius: non necessitatis, sed voluntatis; non conditionis, sed potestatis* [α]. Convenienti igitur tempore passus est.

Respondeo dicendum quod, sicut supra * [* Art. 1.] dictum est, passio Christi subiecta erat eius voluntati. Voluntas autem eius regebatur divina sapientia, quae *omnia* convenienter et *suaviter disponit,* ut dicitur *Sap.* viii * [* Vers. 1.]. Et ideo dicendum est quod convenienti tempore passio Christi celebrata est. Unde et in libro *Quaest. Nov. et Vet. Test.* * [* Qu. lv. - Inter Opp. Aug.], dicitur [β]: *Omnia propriis locis et temporibus gessit Salvator.*

Ad primum ergo dicendum quod quidam dicunt Christum fuisse passum quartadecima luna, quando Iudaei pascha immolabant. Unde et Ioan. xviii * [* Vers. 28.] dicitur quod Iudaei *non introierunt in praetorium* Pilati ipso die passionis, *ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha.* Ubi Chrysostomus dicit * [* Hom. LXXXIII, al. LXXXII, *in Ioan.*] quod *tunc Iudaei faciebant pascha: ipse vero ante unam diem celebravit pascha, reservans suam occisionem sextae feriae, quando vetus pascha fiebat.* Cui videtur consonare quod dicitur Ioan. xiii * [* Vers. 1-5.], quod *ante diem festum Paschae, Christus, facta cena, pedes discipulorum lavit.*

Sed contra hoc videtur esse quod dicitur Matth. xxvi * [* Vers. 17.], quod *prima die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere pascha?* Ex quo patet [γ], *cum primus dies azymorum dicatur quartusdecimus dies mensis primi, quando agnus immolabatur et luna plenissima est,* ut Hieronymus dicit * [* *Comment. in Matth.* lib. IV, ad hunc loc.], quartadecima luna Christum cenam fecisse, et quintadecima eum passum fuisse. Et hoc expressius manifestatur per id quod dicitur Marc. xiv * [* Vide in arg.], *Primo die azymorum, quando pascha immolabant,* etc.; et Luc. xxii * [* Vers. 7.], *Venit dies azymorum, in quo necesse erat occidi pascha.*

Et ideo quidam dicunt quod Christus die convenienti, idest [δ] quartadecima luna, pascha cum discipulis suis manducavit, *demonstrans quod usque ad ultimum diem non erat contrarius* [ε] *legi,* ut Chrysostomus dicit, *super Matth.* * [* Homil. LXXXI, al. LXXXII.]: sed Iudaei, occupati circa procurationem mortis Christi, contra legem celebrationem paschae in crastinum distulerunt. Et propter hoc de his dicitur quod in die passionis Christi noluerunt intrare praetorium, *ut non contaminarentur, sed manducarent pascha* * [* Vide sup. in hac resp.].

Sed nec illud videtur esse consonum verbis Marci dicentis: *Primo die azymorum, quando pascha immolabant.* Simul ergo Christus et Iudaei vetus pascha celebraverunt. Et, sicut Beda dicit, *super Marc.* * [* Exposit. in Marc. lib. VI, ad xxii, vers.], *licet Christus, qui est pascha nostrum, sit crucifixus sequenti die, hoc est quintadecima luna; attamen nocte qua agnus immolabatur, corporis sanguinisque sui discipulis tradens mysteria celebranda, et a Iudaeis tentus et alligatus* [ζ], *ipsius immolationis, hoc est passionis suae, sacravit exordium.*

Cum autem dicitur, Ioan. xiii * [* Vide sup. in hac resp.], *ante diem festum Paschae,* intelligitur hoc fuisse quartadecima luna, quod tunc evenit feria quinta: nam, luna existente quintadecima, erat dies solemnissimus Paschae apud Iudaeos. Et sic eundem diem quem Ioannes nominat *ante diem festum Paschae,* propter distinctionem naturalem dierum, Matthaeus nominat *primam diem azymorum:* quia, secundum ritum Iudaicae festivitatis, solemnitas incipiebat a vespera praecedentis diei. – Quod autem dicitur eos comesturos esse pascha in quintadecima luna, intelligendum est quod ibi pascha non dicitur agnus paschalis, qui immolatus fuerat decimaquarta luna: sed dicitur cibus paschalis, idest azymi panes, quos oportebat comedi a mundis.

Unde Chrysostomus ibi * [* Hom. LXXXIII, al. LXXXII *in Ioan.*, super xviii, vers.] aliam expositionem ponit: quod *pascha* potest accipi pro *toto festo* Iudaeorum, quod septem diebus agebatur.

Ad secundum dicendum quod, sicut Augustinus dicit, in libro *de Consensu Evang.* * [* Lib. III, xiii.], « *hora erat quasi sexta* », *cum traditus esset Dominus crucifigendus a Pilato, ut Ioannes dicit* * [* Cap. xix, 14.], *Non enim erat plena* [η] *sexta, sed* « *quasi sexta* »: *idest, peracta quinta, et aliquid de sexta esse coeperat, donec, completa sexta, Christo pendente in cruce, tenebrae fierent. Intelligitur autem fuisse hora tertia cum clamaverunt Iudaei ut Dominus crucifigeretur: et veracissime demonstratur tunc eos crucifixisse quando clamaverunt. Ergo, ne quisquam cogitationem tanti criminis a Iudaeis aversus in milites converteret,* « *Erat* », *inquit* * [* Marc. cap. xv, vers. 25.], « *hora tertia, et crucifixerunt eum* »: *ut illi potius eum crucifixisse inveniantur qui hora tertia ut crucifigeretur clamaverunt.*

Quanquam non desint qui « *parasceve* », *quam Ioannes commemorat, dicens,* « *Erat autem parasceve hora quasi sexta* », *horam diei tertiam velint intelligi. Parasceve quippe interpretatur* « *praeparatio* ». *Verum autem pascha, quod in passione Domini celebratur, incoepit praeparari ab hora noctis nona, quando scilicet omnes principes sacerdotum dixerunt,* « *Reus est mortis* ». *Ab illa ergo hora noctis usque ad Christi crucifixionem*

α) *non conditionis, sed potestatis.* – Om. tertia, *non conditionis sed voluntatis* ceteri.

β) *Unde et... dicitur.* – *Unde Augustinus... dicitur* ς, ita P sed *dicit.*

γ) *patet.* – Ed. *a; patet quod.* Ante *ut Hieronymus dicit* G addit *restat igitur,* post illud *constat igitur* Hbc, *constat* P.

δ) *idest.* – *in* P.

ε) *contrarius.* – EFa et tertia praeter I; *contrarium.*

ζ) *et alligatus.* – *alligatus* GH, *ac ligatus* P.

η) *plena.* – *plene* Psl; pro *quasi sexta, quasi media* Hbc.

occurrit « hora parasceve sexta », secundum Ioannem; et « hora diei tertia », secundum Marcum.

Quidam tamen dicunt quod haec diversitas ex peccato scriptoris contingit apud Graecos [θ]: nam figurae quibus tria et sex repraesentantur, satis sunt propinquae apud eos.

Ad tertium dicendum quod, sicut dicitur in libro *de Quaest. Nov. et Vet. Test.* *, *tunc voluit Dominus passione sua mundum redimere et reformare, quando eum creaverat, idest in aequinoctio. Et tunc dies super noctem increscit: quia per passionem Salvatoris a tenebris ad lucem perducimur.* Et quia perfecta illuminatio erit in secundo adventu Christi, ideo tempus secundi adventus aestati comparatur, Matth. xxiv *, ubi dicitur: *Cum ramus eius iam tener fuerit et folia nata, scitis quia prope est aestas. Ita et vos, cum videritis haec omnia, scitote quia prope est et* [ι] *in ianuis.* Et tunc etiam erit maxima Christi exaltatio.

* [...]l. lv. - Inter [...] Aug.
* [...]rs 32, 33.

Ad quartum dicendum quod Christus in iuvenili aetate pati voluit propter tria. Primo quidem, ut ex hoc magis suam dilectionem commendaret, quod vitam suam pro nobis dedit quando erat in perfectissimo statu. – Secundo, quia non conveniebat ut in eo appareret naturae diminutio, sicut nec morbus, ut supra * dictum est. – Tertio ut, in iuvenili aetate moriens et resurgens, futuram resurgentium qualitatem in seipso Christus praemonstraret. Unde dicitur *Ephes* iv *: *Donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.*

* Qu. xiv, art. 4.
* Vers. 13.

θ) *contingit apud Graecos.* – *apud Graecos contigit* (*contingit* P) editiones.

ι) *et.* – Om. F.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Christus est convenienti tempore passus.* Probatur dupliciter. Primo. Passio Christi subiecta erat eius voluntati. Ergo. – Probatur consequentia. Quia voluntas Christi regebatur divina sapientia *suaviter omnia disponente.*

Secundo, auctoritate Augustini.

II. In responsione ad primum, nota quod moderni Latini adhuc non quiescunt circa quotum lunae diem quando Christus mortuus est. Adduntque super argumenta Graecorum sanctitatem diei quintidecimi. Nam quintadecima luna illius mensis erat celebris, ita quod *nihil operis* erat licitum in ea, *exceptis his quae ad vescendum sunt,* ut patet *Exod.* xii *. Constat autem in illa feria sexta qua Christus passus est, licita fuisse opera quae in festis fuissent illicita: ut patet tum ex operibus Iudaeorum, qui illo die iudiciales actus in Christum exercuerunt *; tum ex actibus Ioseph et Nicodemi, qui sepelierunt Christum *, quod non fuisse licitum sabbato patet ex eo quod propter parasceven festinata sepultura est, ut Augustinus notavit *, et ex eo quod mulieres sanctae sabbato se continuerunt ab officio circa Christum sepultum *. Unde volunt verba Ioannis Evangelistae *, *Erat autem parasceve Paschae,* ad litteram intelligi quod erat vigilia Paschae.

* [...]s. 16.
* [...]tth. cap. [...] vers. 1.
* [...]n. cap. xix, [...]38 sqq.
* [...]an. Evang., [...] CXX.
* [...] cap. xxiii, [...]56.
* [...] xix, vers. [...]

III. Ad evidentiam huius, considerandum est quod non solum certa incertis praeponenda sunt, sed ex certis ea quae ambigua videntur interpretanda sunt: et non e contra. Quocirca certitudo scripta a tribus Evangelistis, Matthaeo, Marco et Luca, de *primo die azymorum,* qui quintadecima luna est, quod scilicet fuit dies Veneris in qua Christus passus est, debet praeponi incertis, hoc est, varie exponibilibus verbis Ioannis Evangelistae: non quoad veritatem et falsitatem, quia omnia sunt vera; sed quoad securitatem sensus litteralis. Verba siquidem illorum non possunt exponi ad litteram nisi intelligendo diem illum Veneris fuisse lunam quintamdecimam: quia expresse dicunt primum diem azymorum inchoatum vespere praecedente, vocantes diem Iovis ad vesperam diem azymorum. Verba autem Ioannis Evangelistae possunt aliter interpretari quam quod sabbato fuerit quintadecima luna: ut patet ex expositione Doctorum. Igitur fatendum est ipsum diem Veneris fuisse quintamdecimam lunam.

Et confirmatur hoc, quia idem Ioannes Evangelista ibidem appellat unum idemque tempus *parasceven Paschae*, et *Pascha.* Dicit enim de illo die Veneris, *Erat autem parasceve Paschae* *: et de eodem introducit Pilatum dicentem, *Est autem vobis consuetudo ut dimittam vobis unum in Pascha* *. Si enim tam proprie Ioannes *Paschae* nomine utitur ut isti autumant, non debuit idem tempus dici Pascha et parasceve Paschae: quoniam constat quod, tam stricte loquendo, aliud est tempus Paschae, et aliud parasceves Paschae. Vocavit ergo utrobique Pascha *solemnitatem paschalem:* sicut etiam Lucas, *Act.* xii *, expresse totam solemnitatem paschalem Pascha vocat, tractans de Petro occidendo: *Erant autem dies azymorum,* et subdit: *volens post Pascha producere eum.*

* Cap. xix, vers. 14.
* Cap. xviii, vers. 39.
* Vers. 3, 4.

IV. Ad obiectionem novam ex celebritate festivitatis illius diei *, dicitur quod, quia praeceptum de observatione illius festi excipiebat spectantia ad praeparationem ciborum, quae tamen erant prohibita in sabbato *, colligitur fuisse licita illo die quae sabbato non licuissent: nam lex sub una exceptione comprehendit omnia similia. Et propterea ex hoc ipso quod in die primo Paschae poterant parari necessaria ad cibum, consequens est quod etiam licita fuerunt omnia quae occurrens necessitas naturae et pietatis exegisset. Ac per hoc, opus sepulturae, maxime pietatis gratia, ut fuit circa Christum, licitum fuit. Actus vero iudiciales, cum non sint inter opera servilia, prohibitos in veteri lege nescio: legimus enim Petrum captum inter dies azymorum, et propter tempus illud, in quo tamen licebat operari, reservatus est occisioni post Pascha *. Veruntamen, quidquid sit de hoc, sicut Caiphas prudens est habitus consulendo quod *expedit unum hominem mori pro populo* *, facile potuit dispensare, quia periculum erat in mora, ut actus iudiciales circa Christum licite se exercere crederent in primo die azymorum: praesertim cum actus hi, non ex lege, sed statutis eorum, vel consuetudine et reverentia quadam, prohibiti forte fuerint.

* Num. ii.
* *Exod.* cap. xvi, vers. 23 sqq.; cap. xxxv, vers. 3.
* *Act.* loc. cit.
* Ioan., cap. xi, vers. 49 sqq.

ARTICULUS DECIMUS

UTRUM CONVENIENTI LOCO CHRISTUS PASSUS FUERIT

Supra, qu. xxxv, art. 7, ad 1; infra, qu. lxxxiii, art. 3, ad 1; *In Matth.*, cap. ii; *In Ioan.*, cap. xix, lect. iii.



AD DECIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non convenienti loco Christus passus fuerit. Christus enim passus est secundum carnem humanam, quae quidem concepta fuit ex Virgine in Nazareth *, et nata in Bethlehem *. Ergo videtur quod non in Ierusalem, sed in Nazareth vel in Bethlehem pati debuerit.

(* Luc. cap. i, vers. 26 sqq. — * Matth. cap. ii, vers 1; Luc. cap. ii, vers. 4 sqq.)

2. PRAETEREA, veritas debet respondere figurae. Sed passio Christi figurabatur per sacrificia veteris legis. Sed huiusmodi sacrificia offerebantur in Templo. Ergo et Christus in Templo pati debuit, et non extra portam civitatis.

3. PRAETEREA, medicina debet morbo respondere. Sed passio Christi fuit medicina contra peccatum Adae. Adam autem non fuit sepultus in Ierusalem, sed in Hebron: dicitur enim *Iosue* xiv *: *Nomen Hebron antea vocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi in terra* [α] *Enacim situs erat.*

(* Vers. 15.)

SED CONTRA EST quod dicitur Luc. xiii *: *Non capit prophetam perire extra Ierusalem* [β]. Convenienter igitur in Ierusalem passus est [γ].

(* Vers. 33.)

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dicitur in libro *Octoginta trium Quaest.* *, *omnia propriis locis et temporibus gessit Salvator:* quia, sicut omnia [δ] sunt in manu eius, ita etiam omnia loca. Et ideo, sicut convenienti tempore Christus passus est, ita etiam convenienti loco.

(* *Quaest. Vet. et Nov. Test.*, qu. lv. - Inter Opp. Aug.)

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Christus convenientissime in Ierusalem passus est. Primo quidem, quia Ierusalem erat locus a Deo electus ad sacrificia sibi offerenda *. Quae quidem figuralia sacrificia figurabant Christi passionem, quod est verum sacrificium: secundum illud *Ephes.* v *: *Tradidit semetipsum hostiam et oblationem in odorem suavitatis.* Unde Beda dicit, in quadam Homilia *, quod, *appropinquante hora passionis, Dominus appropinquare voluit loco passionis,* scilicet in [ε] Ierusalem, quo pervenit ante quinque dies paschae, sicut agnus paschalis ante quinque dies paschae, idest decima luna, secundum praeceptum legis *, ad locum immolationis ducebatur.

(* *Deut.* cap. xii, vers. 5 sqq. — * Vers. 2. — * Homil. XXIII, *in Dom. Palm.* — * *Exod.* cap. xii, vers. 3, 6.)

Secundo, quia virtus passionis eius ad totum mundum diffundenda erat, in medio terrae habitabilis pati voluit, idest in Ierusalem. Unde dicitur in Psalmo *: *Deus autem, Rex noster ante saecula, operatus est salutem in medio terrae:* idest in Ierusalem, quae [ζ] dicitur esse *terrae umbilicus* *.

(* Ps. lxxiii, vers. 12. — * Hieron. *Comment. in Ezech.* lib. II, ad cap. v, vers. 5 sqq.)

Tertio, quia hoc maxime conveniebat humilitati eius: ut scilicet, sicut turpissimum genus mortis elegit, ita etiam ad eius humilitatem pertinuit quod in loco tam celebri confusionem pati non recusavit. Unde Leo Papa dicit, in Sermone quodam *Epiphaniae* *: *Qui servi susceperat formam, Bethlehem praeelegit nativitati, Ierusalem passioni.*

(* Serm. X *in Epiph.* I, ii.)

Quarto, ut ostenderet a principibus populi exortam esse iniquitatem occidentium ipsum. Et ideo in Ierusalem, ubi principes morabantur, voluit pati. Unde dicitur *Act.* iv *: *Convenerunt in ista civitate adversus puerum sanctum tuum Iesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus, cum gentibus et populis Israel.*

(* Vers. 27.)

AD SECUNDUM DICENDUM quod Christus non in Templo aut in civitate, sed extra portam passus est, propter tria. Primo quidem, ut veritas responderet figurae. Nam vitulus et hircus, qui solemnissimo sacrificio ad expiationem totius multitudinis offerebantur, extra castra comburebantur: ut praecipitur *Levit.* xvi *. Unde dicitur *Heb.* xiii *: *Quorum animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur* [η] *extra castra. Propter quod et Iesus, ut sanctificaret suum populum, extra portam passus est.*

(* Vers. 27. — * Vers. 11.)

Secundo, ut per hoc daret exemplum nobis exeundi a mundana conversatione. Unde ibidem * subditur: *Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes.*

(* Vers. 13.)

Tertio, ut Chrysostomus dicit, in Sermone *de Passione* *, *noluit Dominus pati sub tecto, non in Templo Iudaico, ne Iudaei subtraherent sacrificium salutare, ne putares pro illa tantum plebe oblatum. Et ideo foras civitatem, foras muros, ut scias sacrificium esse commune quod totius terrae est oblatio, quod communis est purificatio.*

(* *De Cru... Latrone* I, 1. - Cf. ho...)

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut Hieronymus dicit, *super Matth.* *, *quidam exposuit* [θ] « *calvariae locum* », *in quo sepultus est Adam: et ideo sic appellatum quia ibi antiqui hominis sit conditum caput. Favorabilis interpretatio, et mulcens aures populi: nec tamen vera. Extra urbem enim, et foris portam, loca sunt in quibus truncantur capita damnatorum; et « calvariae », idest « decollatorum », sumpsere nomen. Propterea autem ibi crucifixus est Iesus, ut ubi prius erat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla martyrii. Adam vero*

(* Comment. IV, ad cap. ..., vers. 33.)

α) *in terra.* – *inter* sl et *bc*; *Alias, inter* margo P. – Pro *erat, est* PG, om. H. P addit: *Ergo videtur quod Christus in Hebron, et non in Hierusalem, pati debuerit.*

β) *Ierusalem.* – *Sed Christus erat propheta* addit tertia praeter I.

γ) *Convenienter... est.* – *Ergo convenienti (inconvenienti b, in inconvenienti c) loco (in Ierusalem extra portam* addit sG) *passus est* GH*bc*, *Convenienter ergo passus est in Ierusalem* P.

δ) *omnia.* – *tempora* addunt F*a* et tertia.

ε) *in.* – Om. Hsl. – Pro *quinque, sex* utroque loco P, altero loco GH*bc*.

ζ) *quae.* – Ia et editiones; *qui.*

η) *corpora cremantur.* – Tertia praeter G; *etiam corpora cremabantur.* – Pro *suum populum, per suum sanguinem populum* tertia praeter G.

θ) *exposuit.* – Tertia; *exponunt.*

sepultum [ι] *iuxta Hebron, in libro Iesu filii Nave legimus.*

Magis autem Christus crucifigendus erat in loco communi damnatorum quam iuxta sepulcrum Adae, ut ostenderetur quod crux Christi non solum erat in remedium contra peccatum personale Adae, sed etiam contra peccatum totius mundi.

ι) *sepultum* – EF; post *legimus* ponit *a*, utroque loco habent ABCD et G qui omittit *in libro*; sG legit *Adam vero sepultum iuxta Hebron ubi Iesum filium Nave sepultum legimus*; cetera tertia *Adam vero sepultum iuxta Hebron* (*et Arbee* addit P) *in Iesu* (*XIIII Iosue in fine* addunt *bc*) *filii Nave* (addunt *scriptum* pl, *scriptura* sl, *volumine* P) *legitur* (*legimus* PI).

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Christus in loco convenienti passus est.* Probatur. Quia omnia propriis locis et temporibus gessit, quia omnia loca et tempora in manu eius sunt. Ergo.

In responsione ad secundum et tertium, adverte quod, ad litteram, Christus passus est extra portam in loco damnatorum, ut mors sua turpior redderetur, dum in loco publicae ignominiae ac maxime patulo passus est.

ARTICULUS UNDECIMUS

UTRUM FUERIT CONVENIENS CHRISTUM CUM LATRONIBUS CRUCIFIGI

In Matth., cap. XXVII; *In Ioan.*, cap. XIX, lect. III.

Ad undecimum sic proceditur. Videtur quod non fuerit conveniens Christum cum latronibus crucifigi *. Dicitur enim II *Cor.* VI *: *Quae participatio iustitiae cum iniquitate?* Sed *Christus factus est nobis iustitia a Deo* *; iniquitas autem pertinet ad latrones. Non ergo fuit conveniens ut Christus simul cum latronibus crucifigeretur.

* Matth. cap. XXVII, vers. 38; Marc. cap. XV, vers. 27, 28; Luc. cap. XXIII, vers. 33, sqq.; Ioan. XIX, vers. 18.
* II Cor., cap. VI, vers. 14.
* I Cor., cap. I, vers. 30.

2. Praeterea, super illud Matth. XXVI *, *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo*, dicit Origenes *: *Mori cum Iesu pro omnibus moriente, hominum non erat.* Et Ambrosius dicit, super illud Luc. XXII *, *Paratus sum tecum et in carcerem et in mortem ire: Passio*, inquit, *Domini aemulos habet, pares non habet.* Multo igitur minus conveniens [α] videtur quod Christus simul cum latronibus pateretur.

* Vers. 35.
* Tract. XXXV in Matth.
* Vers. 33. – Exposit. lib. X.

3. Praeterea, Matth. XXVII * dicitur quod *latrones qui crucifixi erant* [β], *improperabant ei.* Sed Luc. XXIII * dicitur quod unus eorum qui crucifixi erant cum Christo, ei dicebat: *Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum.* Ergo videtur quod, praeter latrones blasphemantes, fuerit cum eo crucifixus alius non blasphemans. Et sic videtur inconvenienter ab Evangelistis narratum quod Christus fuerit cum latronibus crucifixus.

* Vers. 44.
* Vers. 42.

Sed contra est quod Isaiae LIII * fuerat prophetatum: *Et cum sceleratis reputatus est.*

* Vers. 12.

Respondeo dicendum quod Christus inter latrones crucifixus est, alia quidem ratione quantum ad intentionem Iudaeorum, alia vero quantum ad Dei ordinationem. Quantum enim ad intentionem Iudaeorum, duos latrones utrinque crucifixerunt, sicut dicit Chrysostomus *, *ut eorum suspicionis fieret particeps. Sed non ita evenit. Nam de illis nil dicitur: huius autem ubique crux honoratur. Reges* *, *diademata deponentes, assumunt crucem: in purpuris, in diadematibus, in armis, in mensa sacrata, ubique terrarum crux emicat.*

* Homil. LXXXVII, al. LXXXVIII, in Matth.
* Lib. contra Iudaeos etc., quod Christus sit Deus, num. 8.

Quantum vero ad Dei ordinationem, Christus cum latronibus crucifixus est, quia, ut Hieronymus dicit, *super Matth.* *, *sicut pro nobis maledictum crucis factus est Christus, sic, pro omnium salute, inter noxios quasi noxius crucifigitur.*

* Comment. lib. IV, ad cap. XXVII, vers. 33.

Secundo, ut dicit Leo Papa, in Sermone *de Passione* *, *duo latrones unus ad dexteram alius ad sinistram crucifiguntur, ut in ipsa patibuli specie demonstraretur* [γ] *illa quae in iudicio ipsius omnium hominum facienda est discretio.* Et Augustinus dicit, *super Ioan.* *: *Ipsa crux, si attendas, tribunal fuit. In medio enim iudice constituto, unus, qui credidit, liberatus; alius, qui insultavit* [δ], *damnatus est. Iam significabat quid facturus est de vivis et mortuis, alios positurus ad dextram et alios ad sinistram.*

* Serm. LV, al. de Pass. IV, cap. I.
* Tract. XXXI.

Tertio, secundum Hilarium *, *duo latrones laevae ac dextrae affiguntur, omnem humani generis diversitatem* [ε] *vocari ad sacramentum passionis Domini ostendentes. Sed quia per diversitatem fidelium atque infidelium fit omnium secundum dextram et sinistram divisio, unus ex duobus, ad dextram situs, fidei iustificatione salvatur.*

* Comment. in Matth., cap. XXXIII.

Quarto quia, ut Beda dicit, *super Marc.* *, *latrones qui cum Domino crucifixi sunt, significant eos qui, sub fide et confessione Christi, vel agonem* [ζ] *martyrii vel quaelibet arctioris disciplinae instituta subeunt. Sed qui hoc pro aeterna gloria gerunt, dextri latronis fide designantur: qui vero humanae laudis intuitu, sinistri latronis mentem imitantur et actus.*

* Exposit. lib. IV, ad cap. XV, vers. 27.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Christus debitum mortis non habuit, sed mortem volun-

α) *conveniens.* – P; om.
β) *erant.* – *cum eo* I, *erant cum eo* P. – Statim pro *crucifixi erant*, *crucifixus erat* tertia praeter I.
γ) *demonstraretur.* – GH*abc*; *devitaretur* ACDE, *demonstraret* B, *designaretur* F, *monstraretur* PI.
δ) *insultavit.* – PFsB; *exaltavit* ADpBC et *a*, *exultavit* EsC et cetera tertia.
ε) *diversitatem.* – *universitatem* P.
ζ) *agonem.* – PFH; *agone.* – Pro *quaelibet*, *qualibet* CE*a*, *qualis* E.

tarie subiit ut sua virtute vinceret mortem, ita etiam non habuit meritum ut cum latronibus poneretur, sed voluit cum iniquis deputari ut sua virtute iniquitatem destrueret. Unde Chrysostomus dicit, *super Ioan.* *, quod *latronem in cruce convertere et in paradisum inducere, non minus fuit quam concutere* [η] *petras.*

* Homil. LXXXV, al. LXXXIV.

Ad secundum dicendum quod non conveniebat quod cum Christo aliquis alius pateretur ex eadem causa. Unde Origenes ibidem subdit: *Omnes fuerant in peccatis, et omnes opus habebant ut pro eis alius moreretur, non ipsi pro aliis.*

Ad tertium dicendum quod, sicut Augustinus dicit, in libro *de Consensu Evang.* *, possumus intelligere Matthaeum *posuisse pluralem numerum pro singulari*, cum dixit, *latrones improperabant ei.*

* Lib. III, c. XVI.

Vel potest dici, secundum Hieronymum *, quod *primum uterque blasphemaverit; deinde, visis signis, unus eorum crediderit.*

* Comment. in Matth. lib. IV, ad cap. XXVII, vers. 44.

η) *concutere.* – Tertia; *conterere* F, *contundere* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una distinctio, cum duabus conclusionibus. Distinctio est: *Alia ratione secundum intentionem Iudaeorum, et alia secundum divinam electionem, Christus inter latrones crucifixus est.*

Prima conclusio: *Christus crucifixus est inter latrones, secundum intentionem Iudaeorum, ut crederetur etiam malus inter malos punitus:* hoc est, convenienter quidem ad malam eorum intentionem, quia medium consonum fini malo; sed inconvenienter quantum ad eventum, quia oppositum evenit, dum Christi crux adoratur, et ab illorum crucibus sic discernitur. Et vere totum oppositum evenit. Putaverunt Iudaei confundere crucem Christi cum crucibus impiorum, dum, simul cum impiis crucifixus, sicut alii pertransiret: sed evenit ut Christi crux fulserit ita quod etiam alias memorabiles, quamvis non venerabiles, reddiderit, ut experientia testatur.

Secunda conclusio: *Christus, secundum Dei ordinationem, inter latrones convenienter crucifixus est.* Probatur quadrupliciter. – Omnia clara sunt.

ARTICULUS DUODECIMUS

UTRUM PASSIO CHRISTI SIT EIUS DIVINITATI ATTRIBUENDA

IV *Cont. Gent.*, cap. LV, ad 14; *In Symb. Apost.*, art. 4; I *ad Cor.*, cap. II, lect. II.

Ad duodecimum sic proceditur. Videtur quod passio Christi sit eius divinitati attribuenda [α]. Dicitur enim I *Cor.* II *: *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.* Sed Dominus gloriae est Christus secundum divinitatem. Ergo passio Christi competit ei secundum divinitatem.

* Vers. 8.

2. Praeterea, principium salutis humanae est ipsa divinitas: secundum illud Psalmi *: *Salus autem iustorum a Domino.* Si ergo passio Christi ad eius divinitatem non pertineret, videtur quod non posset esse nobis fructifera.

* Ps. XXXVI, vers. 39.

3. Praeterea, Iudaei puniti sunt pro peccato occisionis Christi tanquam homicidae ipsius Dei: quod magnitudo poenae demonstrat. Hoc autem non esset, si passio ad divinitatem non pertineret. Ergo passio Christi ad divinitatem pertinuit.

Sed contra est quod Athanasius dicit, in Epistola *ad Epictetum* *: *Natura Deus manens Verbum est impassibile.* Sed impassibile non potest pati. Passio ergo Christi non pertinebat ad eius divinitatem.

* Num. 6.

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, unio humanae naturae et divinae facta est in persona et hypostasi et supposito, manente tamen distinctione naturarum: ut scilicet sit eadem persona et hypostasis divinae et humanae naturae, salva tamen utriusque naturae proprietate *. Et ideo, sicut supra ** dictum est, supposito divinae naturae attribuenda est passio, non ratione divinae naturae, quae est impassibilis, sed ratione humanae naturae. Unde in Epistola Synodali Cyrilli dicitur [β] *: *Si quis non confitetur Dei Verbum passum carne et crucifixum carne, anathema sit.* Pertinet ergo passio Christi ad suppositum divinae naturae ratione naturae passibilis assumptae, non autem ratione divinae naturae impassibilis.

* Qu. II, art. 1, ad argg.; art. 2, 3, 6.

* Cf. Damasc. de Fide Orth. lib. III, cap. ...
** Qu. XVI, a. ...

* Act. Concil. Ephes. part I, cap. XXVI, anath. ...

Ad primum ergo dicendum quod Dominus gloriae dicitur crucifixus, non secundum quod Dominus est gloriae, sed secundum quod erat homo passibilis.

Ad secundum dicendum quod [γ], sicut dicitur in quodam sermone Ephesini Concilii *, quod *mors Christi, tanquam facta mors Dei,* scilicet per unionem in persona, *destruxit mortem: quoniam* [δ] *Deus et homo erat* qui patiebatur. *Non enim natura Dei laesa est: nec mutatione sua suscepit passiones.*

* Act. part ... cap. X, hom. ... Theodot. A...

Ad tertium dicendum quod, sicut subditur ibidem *, *non purum hominem crucifixerunt Iudaei, sed Deo intulerunt praesumptiones. Pone enim Principem loqui per verbum, et hoc formari per litteras in charta aliqua, et dirigi civitatibus: et aliquis inobediens chartam disrumpat. Ad mortis sententiam*

* Cf. resp. praeced.

α) *attribuenda.* – PEFI; *attribuenda sive adscribenda* ABCa, *adscribenda* DGHbc.
β) *Cyrilli dicitur.* – *Cyrillus dicit* tertia praeter I.
γ) *quod.* – Om. *b*; mox repetitum om. P.
δ) *quoniam.* – *quando* GHabc. Pro *Deus, Dominus* ABCE. Post *laesa est* addit *sed humana* tertia praeter I. – *suscepit* PGI; *succidit* E, *succedunt* F, *succedit* ceteri.

deducetur, non tanquam chartam discerpens [ε]*, sed tanquam verbum imperiale disrumpens. Non ergo securus sit Iudaeus, tanquam purum hominem crucifigens. Quod enim videbat, quasi charta erat: quod autem in ea celabatur, imperiale Verbum erat, natum ex natura, non prolatum per linguam.*

ε) *chartam discerpens.* – DEI; *discerpens* ABC*a*, *chartam disrumpens* FGH et editiones. Pro *verbum*, *etiam verbum* AB, *et verbum* pE, ⁊ *verbum* pI. Pro *natura*, *Maria* sI.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus quaerit an sit dicendum, *Deus passus est*, ex eo quod Christus passus est. Hoc est enim quaerere, *Si passio Christi sit deitati adscribenda.*

In corpore una est conclusio: *Passio Christi attribuenda est supposito divino, non ratione divinae, sed humanae naturae.* Probatur. Unio naturae utriusque facta est in persona, salva utriusque naturae proprietate. Ergo, etc. – Et confirmatur auctoritate Cyrilli, etc.



QUAESTIO QUADRAGESIMASEPTIMA

DE CAUSA EFFICIENTE PASSIONIS CHRISTI

IN SEX ARTICULOS DIVISA

DEINDE considerandum est de causa efficiente passionis Christi *. (* Cf. qu. XLVI, Introd.)

Et circa hoc quaeruntur sex.

Primo: utrum Christus fuerit ab aliis occisus, vel a seipso.

Secundo: ex quo motivo seipsum passioni tradiderit.

Tertio: utrum Pater tradiderit eum ad patiendum.

Quarto: utrum fuerit conveniens ut per manus gentium pateretur, vel potius a Iudaeis.

Quinto: utrum occisores eius eum cognoverint.

Sexto: de peccato eorum qui Christum occiderunt.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM CHRISTUS FUERIT AB ALIO OCCISUS, AN A SEIPSO

Quodl. I, qu. II, art. 2; *Compend. Theol.*, cap. CCXXX; *In Ioan.*, cap. II, lect. III; cap. X, lect. IV.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus non fuerit ab alio occisus, sed a seipso. Dicit enim ipse, Ioan. X *: *Nemo a me tollit animam meam, sed ego pono eam.* Ille autem dicitur aliquem occidere qui animam eius tollit. Non est ergo Christus ab aliis occisus, sed a seipso. (* Vers. 18.)

2. PRAETEREA, illi qui ab aliis occiduntur, paulatim, debilitata natura, deficiunt. Et maxime hoc apparet in crucifixis: ut enim dicit Augustinus, in IV *de Trin.* *, *longa morte cruciabantur ligno suspensi.* In Christo autem non hoc accidit: nam *clamans voce magna emisit spiritum*, ut dicitur Matth. XXVII *. Non ergo Christus est ab aliis occisus, sed a seipso. (* Cap. XIII.) (* Vers. 50.)

3. PRAETEREA, illi qui ab aliis occiduntur, per violentiam moriuntur: et ita non voluntarie, quia violentum opponitur voluntario. Sed Augustinus dicit, in IV *de Trin.* *, quod *spiritus Christi non deseruit carnem invitus: sed quia voluit, quando voluit, et quomodo voluit.* Non ergo Christus est ab aliis occisus, sed a seipso. (* Loc. cit.)

SED CONTRA est quod dicitur Luc. XVIII *: *Postquam flagellaverint* [α], *occident eum.* (* Vers. 33.)

RESPONDEO DICENDUM quod aliquid potest esse causa alicuius effectus dupliciter. Uno modo, directe ad illud agendo [β]. Et hoc modo persecutores Christi eum occiderunt: quia sufficientem causam mortis ei intulerunt, cum intentione occidendi ipsum et effectu subsequente; quia scilicet ex illa causa est mors subsecuta.

Alio modo dicitur aliquis causa alicuius indirecte, scilicet quia non impedit, cum impedire possit: sicut si dicatur aliquis alium perfundere quia non claudit [γ] fenestram, per quam imber ingreditur. Et hoc modo ipse Christus fuit causa passionis et mortis. Poterat enim suam passionem et mortem impedire. Primo quidem, adversarios reprimendo: ut eum aut non vellent, aut non possent interficere. Secundo, quia spiritus eius habebat potestatem conservandi naturam carnis suae, ne a quocumque laesivo inflicto opprimeretur. Quod quidem habuit anima Christi quia erat Verbo Dei coniuncta in unitate personae: ut Augustinus dicit, in IV *de Trin.* * Quia ergo anima Christi non repulit a proprio corpore nocumentum illatum, sed voluit quod natura corporalis illi nocumento succumberet, dicitur suam animam posuisse, vel voluntarie [δ] mortuus esse. (* Loc. cit.)

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, cum dicitur, *Nemo tollit animam meam a me,* intelligitur, *me invito.* Quod enim aliquis ab invito aufert, qui resistere non potest, id proprie dicitur *tolli.*

AD SECUNDUM DICENDUM quod, ut Christus ostenderet quod passio illata per violentiam eius animam non eripiebat, naturam corporalem in eius fortitudine conservavit, ut etiam in extremis positus voce magna clamaret. Quod inter alia miracula mortis eius computatur. Unde dicitur Marci XV *: *Videns autem centurio qui ex adverso stabat, quia sic clamans exspirasset, ait: Vere homo hic Filius Dei erat.* (* Vers. 39.)

Fuit etiam et mirabile in Christi morte quod velocius mortuus fuit aliis qui simili poena [ε] afficiebantur. Unde dicitur Ioan. XIX *, quod eorum qui cum Christo erant [ζ] *fregerunt crura,* ut cito morerentur: *ad Iesum autem cum venissent, invenerunt eum mortuum,* unde *non fregerunt eius* (* Vers. 32.)

α) *flagellaverint.* – *flagellaverunt* CDEFGa. – *occident* PHI; *occiderit* b, *occiderint* c, om. D, *occiderunt* ceteri.
β) *agendo.* – Tertia; *agendum.*
γ) *claudit.* – *clausit* PI.
δ) *voluntarie.* – P; *voluntarius.*
ε) *poena.* – *passione* P.
ζ) *erant.* – *crucifixi erant* P. Pro *invenerunt eum mortuum unde, ut viderunt eum iam mortuum* P.

crura. Et Marci xv * dicitur quod *Pilatus mirabatur si iam obiisset*. Sicut enim eius voluntate natura corporalis conservata est in suo vigore usque ad extremum, sic etiam, quando voluit, subito cessit nocumento illato.

* vers. 44.

Ad tertium dicendum quod Christus simul et violentiam passus est, ut moreretur, et tamen voluntarie mortuus fuit: quia violentia corpori eius illata est, quae tamen tantum corpori eius praevaluit quantum ipse voluit.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus occasionem sumpsit ex Evangelio, in quo Christus dicit: *Nemo tollit animam meam a me*.

In corpore articuli una ponitur distinctio bimembris: iuxta quae membra respondetur quaesito duabus conclusionibus, cum corollario. Distinctio est. Causa alicuius dupliciter: directe agendo; vel indirecte, scilicet, non prohibendo cum posset.

Prima conclusio: *Christus fuit ab aliis, non a seipso occisus, directe*. Probatur. Quia persecutores eius intulerunt intentione et opere efficaci illi mortem.

Secunda conclusio est: *Christus fuit causa mortis suae indirecte, scilicet, non prohibendo cum posset*. Probatur haec ultima particula, in qua tota difficultas consistit, scilicet: *cum posset*. Probatur autem dupliciter. Et ex parte occidentium: quia poterat reprimere, vel in voluntate vel potestate. – Et ex parte animae suae: quia spiritus eius habebat potestatem conservandi naturam carnis suae. Probatur: quia erat unita Verbo, auctoritate Augustini.

Corollarium est: *Christus dicitur voluntarie mortuus*. Probatur. Quia non repulit nocumentum a corpore anima, sed voluit corpus succumbere.

II. Circa secundam conclusionem dubium occurrit ex Scoto, in III *Sent.*, dist. xvi, qu. ii, tenente quod anima Christi non habuit potestatem praeservandi corpus suum a morte: et propterea non est mortuus voluntarie causaliter, sed affective. Quia non fuit indirecte causa mortis suae, ut Auctor dicit, sed complacuit sibi sua mors: sicut etiam sancti martyres dicuntur voluntarie mori. Arguit autem ad hoc dupliciter *. Ex parte quidem corporis: quia corpus Christi erat necessario passivum mortis ab illis activis, scilicet flagellis, clavis, etc.

* num. v.

Ex parte vero animae: quia, si potuisset praeservare corpus ab omni extrinseca violentia, tenebatur se custodire in corpore; ac per hoc, non custodiens peccasset. – Probatur sequela. Quia quilibet homo tenetur se custodire a malis: quia tenetur, post Deum et animas, diligere proprium corpus ex caritate.

III. Dubium secundo occurrit de ratione conclusionis *. Quoniam nec unio animae Christi ad Verbum manifestat animam Christi habuisse hanc potestatem. – Nec auctoritas Augustini ita hoc tradit ut non possit glossari quod intendit de voluntate secundum affectum, et non secundum causam. Sicut etiam Auctor superius, in qu. xiii, art. 3, ad 1, glossat Damascenum, *Esurivit, sitivit, mortuus est Christus, quia voluit*: glossa, *voluntate divina*. Quae tamen Auctor hic humanae Christi voluntati tribuit.

* num. vi.

IV. Ad evidentiam horum, sciendum est quod de anima Christi dupliciter loqui possumus. Scilicet secundum virtutem, naturalem vel gratuitam, in ea manentem: qua scilicet ipsa dicitur potens. Et sic anima Christi non poterat praeservare corpus suum a laesivis, nisi gloriam animae derivando in corpus et reddendo illud impassibile: quod fuisset contra mysterium nostrae redemptionis, et contra ordinem incarnationis, quo ab initio definitum est ut, anima existente gloriosa, corpus maneret passibile, suspensa, ut supra * dictum est, redundantia gloriae in corpus. Discurrendo quippe per omnes gratias infusas manentes in anima Christi, liquido apparet nullam in ea fuisse potentiam aliam ad praeservandum corpus a laesivis approximatis.

* [qu.] xiv, art. 1, [a]d[.]; qu. xlv, [a]rt[.].

Alio modo loqui possumus de anima Christi ut est instrumentum coniunctum deitatis. Et sic, ut superius in qu. xiii, art. 2 et 3, dixit Auctor, potestatem habuit faciendi omnia miracula ordinabilia in finem incarnationis: hoc est, omnes mutationes creaturarum praeter spectantes ad creationem et huiusmodi. Et sic loquitur hic Auctor de anima Christi. Ita quod intendit quod anima Christi, ut organum Verbi, poterat et voluntates persecutorum immutare, et potestatem eorum impedire, sicut poterat alia miracula *in caelo et in terra* facere *. Et similiter poterat conservare carnem suam ne laederetur a flagellis, clavis et quibuscumque laesivis: sicut potuit servare Petrum super aquas ambulantem *, etc. Et huius ratio in secundo dubio reddetur *.

* Matth. cap. xxviii, vers. 18.
* Matth. cap. xiv, vers. 29 sqq.
* Num. vi.

V. Ad obiectionem ergo Scoti primam *, dicitur quod peccat secundum *non-causam ut causam*. Concesso siquidem toto argumento, nihil aliud habetur nisi quod corpus Christi necessario passum est ab extrinsecis conferendo activa ad passivum, scilicet corpus et animam, secundum se. Cum his enim stat quod anima illa, ut organum Verbi, potuisset, si voluisset, impedire passionem.

* Num. ii.

Ad secundam dicitur quod solvit seipsam. Quia ex quo homo plus animam propriam quam proprium corpus tenetur diligere, constat quod non peccat, sed bene facit, qui, cum possit, non custodit proprium corpus a laesivis propter salutem animarum. Christus autem *Pastor bonus* fuit, *ponens animam*, hoc est vitam suam, *pro ovibus suis* *.

* Ioan. cap. x, vers. 11.

VI. Ad secundum dubium * dicitur quod, quia a Catholicis acceptatur quod anima Christi fuit organum coniunctum Verbi Dei, consentaneum rationi est ut quod singulariter et ineffabiliter assumptum est organum, ad omnia effectum sit organum ad quae potest instrumentaliter concurrere. Nam sicut caput est Christus etiam angelorum; et in scientia et gratia et virtutibus praelatus est omnibus: ita etiam potentia instrumentali super omnia sit quae possunt divino organo fieri. Omnia enim quae excellentia sunt, et non dedecent Christi animam sed consonant conditioni eius, credenda sunt inesse illi. Et sic ex unione animae Christi ad Verbum manifestatur rationabiliter potestas haec, scilicet praeservandi proprium corpus a laesivis, in anima Christi ut organum est Verbi.

* Num. iii.

Et licet glossari forte possit Augustinus, ad planum tamen sensum ex contextu recurrendum est, et ille tenendus, quidquid glossent alii.

Quod autem Auctor divinae voluntati ibi tribuerit quod hic humanae, non est mirum: quia ipsemet ibi, in art. 3, regulam generalem tradidit interpretandi dicta de potestate instrumentali animae Christi; scilicet quod, quia instrumentum non propria, sed principalis agentis potestate agit, ideo opera animae Christi pure organice attribuuntur deitati. Et propterea utrumque est verum: scilicet quod Christus esurivit, sitivit, mortuus est, quia voluit voluntate divina, ut causa principali; et quod Christus esurivit, sitivit, mortuus est, voluntate humana ut causa potente instrumentaliter impedire et non impediente. Et primum, ut clarius et principalius, ab omnibus affirmatur: secundum a sapientibus intelligitur in Evangelio traditum cum dicitur *: *Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam*. Hoc verbum nullus martyrum, quantumcumque voluntarius ad mortem, potest vere dicere: sed proprium fuit Christo. Ergo non sola voluntas complacentiae, sed causativa mortis, in Christo fuit.

* Ioan. cap. x, vers. 18.

VII. In responsione ad secundum, adverte quod duplex est modus dicendi de clamore Christi in cruce. Primus est quod Christus, permittens corpus pati ac debilitari usque ad mortem secundum violentiam illati suo corpori tormenti, speciali miraculo fortitudinem ad clamandum effecit. – Secundus est quod Christus permisit quidem corpus pati, et, nihil minuendo de passione, miraculose conservavit fortitudinem naturae ad clamandum, ita quod conservatio fortitudinis fuit miraculosa: qua conservatione

desinente, statim passio effectum mortis habuit; *clamans* enim *exspiravit* *.

* Marc. cap. xv, vers. 39. - Cf. Luc. cap. xxiii, vers. 46.

Primus modus facilior est, sed multiplicat miracula. Quoniam, ut patet Matth. xxvii *, bis Christus clamavit: ac per hoc, duobus miraculis opus fuit. – Secundus autem modus, quem sequitur Auctor in littera, unico contentus est miraculo, scilicet conservatione fortitudinis usque ad extremum: ex illa enim pluries clamare potuit. Et altior est: quia, ut in littera dicitur, ad hoc Christus conservavit fortitudinem, ut monstraret quod *nemo tollit animam suam* a corpore suo, sed *ipse ponit eam*.

* Vers. 46, 50.

VIII. In eadem responsione, circa celeritatem mortis Christi quia voluit, considerandum est quod celeritas illa fuit et naturalis, et voluntaria. Nam ex parte corporis, naturale fuit quod Christus moreretur antequam latrones morerentur. Tum quia longe plura passus fuerat. Tum quia delicatioris erat complexionis. Tum quia corpus ieiuniis, vigiliis atque laboribus debilitatum habebat. Tum potissime quia passio eius erat pura, scilicet sine redundantia consolationis. Latrones enim consolabantur: alter spe, alter saltem sua sorte contentus.

Ex parte vero deitatis, et animae instrumentaliter, fuit voluntaria. Quia, quandiu voluit conservare fortitudinem patientis, fortis fuit: quam primum autem noluit conservare, reliquit ipsum corpus sibi; et sic statim, ex illatis passionibus directe, a sua vero voluntate indirecte, non prohibendo cum posset, secuta est mors, non expectata latronum morte.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CHRISTUS FUERIT EX OBEDIENTIA MORTUUS

IV *Cont. Gent.*, cap. lv, ad 14, 16; *Compend. Theol.*, cap. ccxxvii; *In Ioan.*, cap. xiv, lect. viii; *Ad Rom.*, cap. v, lect. v; *Ad Philipp.*, cap. ii, lect. ii.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Christus non fuerit ex obedientia mortuus. Obedientia enim respicit [α] praeceptum. Sed non legitur Christo fuisse praeceptum quod ipse pateretur. Non ergo ex obedientia passus fuit.

2. Praeterea, illud dicitur ex obedientia aliquis facere quod facit ex necessitate praecepti. Christus autem non ex necessitate, sed voluntarie passus fuit. Non ergo passus est ex obedientia.

3. Praeterea, caritas est excellentior virtus quam obedientia. Sed Christus legitur ex caritate passus: secundum illud *Ephes.* v *: *Ambulate in dilectione: sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis.* Ergo passio Christi magis debet attribui caritati quam obedientiae.

* Vers. 2.

Sed contra est quod dicitur *Philipp.* ii *: *Factus est obediens Patri usque ad mortem.*

* Vers. 8.

Respondeo dicendum quod convenientissimum fuit quod Christus ex obedientia pateretur. Primo quidem, quia hoc conveniebat iustificationi humanae: ut, *sicut per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius hominis obedientiam iusti constituantur multi,* ut dicitur *Rom.* v *.

* Vers. 19.

Secundo, hoc fuit conveniens reconciliationi Dei ad homines, secundum illud *Rom.* v *: *Reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius:* inquantum scilicet ipsa mors Christi fuit quoddam sacrificium acceptissimum Deo, secundum illud *Ephes.* v *: *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Obedientia vero omnibus sacrificiis antefertur: secundum illud I *Reg.* xv *: *Melior est obedientia quam victimae* [β]. Et ideo conveniens fuit ut sacrificium passionis et mortis Christi ex obedientia procederet.

* Vers. 10.
* Vers. 2.
* Vers. 22.

Tertio, hoc conveniens fuit eius victoriae, qua de morte et auctore mortis triumphavit. Non enim miles vincere potest nisi duci obediat. Et ita homo Christus victoriam obtinuit per hoc quod Deo fuit obediens: secundum illud *Proverb.* xxi *: *Vir obediens loquitur* [γ] *victorias.*

* Vers. 28.

Ad primum ergo dicendum quod Christus mandatum accepit a Patre ut pateretur: dicitur enim Ioan. x *: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam: et hoc mandatum accepi a Patre meo,* scilicet ponendi animam et sumendi. Ex quo, ut Chrysostomus dicit *, non est intelligendum quod *prius expectaverit audire, et opus fuerit ei discere* [δ]: *sed voluntarium monstravit processum, et contrarietatis* ad Patrem *suspicionem destruxit.*

* Vers. 18.
* Homil. LIX, in Ioan.

Quia tamen in morte Christi lex vetus consummata est, secundum illud quod ipse moriens dixit, Ioan. xix *, *Consummatum est;* potest intelligi quod patiendo omnia veteris legis praecepta implevit. Moralia quidem, quae in praeceptis caritatis fundantur, implevit inquantum passus est et ex dilectione Patris, secundum illud Ioan. xiv *, *Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio, surgite, eamus hinc,* scilicet ad locum passionis; et etiam ex dilectione proximi, secundum illud *Galat.* ii *, *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* – Caeremonialia vero praecepta legis, quae ad sacrificia et oblationes praecipue ordinantur, implevit Christus sua passione inquantum omnia antiqua sacrificia figurae fuerunt illius veri sacrificii quod Christus obtulit moriendo pro nobis. Unde dicitur *Coloss.* ii *: *Nemo vos iudicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi aut neomeniae: quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi,* eo scilicet quod Christus comparatur ad illa sicut corpus ad umbram. – Praecepta vero iudicialia legis, quae praecipue ordinantur ad satisfaciendum iniuriam passis, implevit Christus sua passione, quoniam, ut in Psalmo * dicitur, *quae non rapuit, tunc* [ε] *exsolvit,* permittens se li-

* Vers. 30.
* Vers. 31.
* Vers. 20.
* Vers. 16.
* Ps. LXVIII, 5.

α) *respicit.* – P; *recipit.*
β) *Melior... victimae.* – sG et editiones; *Obedientia plus valet quam victima* ed. *a*, om. ceteri.
γ) *loquitur.* – *loquetur* I.
δ) *discere.* – P; *dicere.*
ε) *tunc.* – Om. tertia.

gno affigi pro pomo quod de ligno homo rapuerat contra Dei mandatum.

Ad secundum dicendum quod obedientia, etsi importet necessitatem respectu eius quod praecipitur, tamen importat voluntatem respectu impletionis praecepti. Et talis fuit obedientia Christi. Nam ipsa passio et mors, secundum se considerata, naturali voluntati repugnabat: volebat tamen Christus Dei voluntatem circa hoc implere, secundum illud Psalmi *: *Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui.* Unde dicebat, Matth. xxvi *: *Si non potest transire a me calix iste nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* (* Ps. xxxix, vers. 9. * Vers. 42.)

Ad tertium dicendum quod eadem ratione Christus passus est ex caritate, et obedientia: quia etiam praecepta caritatis nonnisi [ζ] ex obedientia implevit; et obediens fuit ex dilectione ad Patrem praecipientem.

ζ) *nonnisi.* – Om. tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Convenientissimum fuit ut Christus ex obedientia pateretur.* Probatur tripliciter. Omnia clara sunt in littera.

Memento colligere ex responsione ad primum et tertium quod Christus sua passione adimplevit legem totam: caritate quidem et obedientia summa, omnia praecepta moralia; sacrificio summo sui ipsius, omnia caeremonialia; satisfactione summa tantae poenae, omnia iudicialia. Et si his iunxeris quod in his tribus clauduntur mandata omnia iuris divini, iuris naturalis et iuris positivi secundum genus, videbis quod Christus in sua passione *implevit omnem iustitiam* * omnis generis iuris et praecepti. (* Matth. cap iii, vers. 15.)

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM DEUS PATER TRADIDERIT CHRISTUM PASSIONI

III *Sent.*, dist. xx, art. 5, qu[a] 1; IV *Cont. Gent.*, cap. lv, ad 16; *In Ioan.*, cap. iii, lect. iii; *Ad Rom.*, cap. viii, lect. vi.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod Deus Pater non tradiderit Christum passioni. Iniquum enim et crudele esse videtur quod innocens passioni et morti tradatur. Sed, sicut dicitur *Deut.* xxxii *, *Deus fidelis et absque ulla iniquitate.* Ergo Christum innocentem non tradidit passioni et morti.

2. Praeterea, non videtur quod aliquis a seipso, et ab alio morti tradatur. Sed *Christus tradidit semetipsum pro nobis* *: secundum quod dicitur Isaiae liii *: *Tradidit in mortem animam suam.* Non ergo videtur quod Deus Pater eum tradiderit.

3. Praeterea, Iudas vituperatur ex eo quod tradidit Christum Iudaeis: secundum illud Ioan. vi *: *Unus ex vobis diabolus est: quod dicebat propter Iudam, qui eum erat traditurus.* Similiter etiam vituperantur Iudaei, qui eum tradiderunt Pilato: secundum quod ipse dicit, Ioan. xviii *: *Gens tua et pontifices tui tradiderunt te mihi.* Pilatus autem *tradidit ipsum ut crucifigeretur:* ut habetur Ioan. xix *. *Non est autem conventio* [α] *iustitiae cum iniquitate,* ut dicitur II *Cor.* vi *. Ergo videtur quod Deus Pater Christum non tradiderit passioni.

Sed contra est quod dicitur *Rom.* viii *: *Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est *, Christus passus est voluntarie ex obedientia Patris. Unde secundum tria Deus Pater tradidit Christum passioni. Uno quidem modo, secundum quod sua aeterna voluntate praeordinavit passionem Christi ad humani generis liberationem: secundum illud quod dicitur Isaiae liii *: *Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum;* et iterum *: *Dominus voluit conterere eum in infirmitate.* – Secundo, inquantum inspiravit ei voluntatem patiendi pro nobis, infundendo ei caritatem. Unde ibidem * sequitur: *Oblatus est quia voluit* [β]. – Tertio, non protegendo eum a passione, sed exponendo persequentibus. Unde, ut legitur Matth. xxvii *, pendens in cruce Christus dicebat: *Deus meus, ut quid dereliquisti me?* quia scilicet potestati persequentium eum exposuit, ut Augustinus dicit [γ] *. (* Vers. 10. * Vers. 7. * Vers. 46. * Cf. Epist. CXL, al. CXX, *ad Honorat.*, cap. x.)

Ad primum ergo dicendum quod innocentem hominem passioni et morti tradere contra eius voluntatem, est impium et crudele. Sic autem Deus Pater Christum non tradidit, sed inspirando ei voluntatem patiendi pro nobis. In quo ostenditur et *Dei severitas* *, qui peccatum sine poena dimittere noluit, quod significat Apostolus dicens, *Proprio Filio suo non pepercit* *: et *bonitas eius* **, in eo quod, cum homo sufficienter satisfacere non posset per aliquam poenam quam pateretur, ei satisfactorem dedit, quod significavit Apostolus dicens, *pro nobis omnibus tradidit illum.* Et *Rom.* iii * dicit: *Quem,* scilicet Christum, *per fidem propitiatorem proposuit Deus in sanguine ipsius.* (* *Ad Rom.* cap. xi, vers. 22. * Cf. arg. *Sed contra.* ** *Ad Rom.* cap. xi, vers. cit. * Vers. 25.)

Ad secundum dicendum quod Christus, secundum quod Deus, tradidit semetipsum in mortem eadem voluntate et actione qua et Pater tradidit eum. Sed inquantum homo, tradidit semetipsum voluntate a Patre inspirata. Unde non est contrarietas in hoc quod Pater tradidit Christum, et ipse tradidit semetipsum.

Ad tertium dicendum quod eadem actio diversimode iudicatur in bono vel in malo, secundum

α) *conventio.* – *participatio* P.
β) *voluit.* – *ipse* I, *ipse voluit* ed. *a.*
γ) *dicit.* – *de Gratia Novi Testamenti* addit P.

* Ioan. cap. III, vers. 16; *Ad Ephes.* cap. V, vers. 2.

quod ex diversa radice procedit. Pater enim tradidit Christum, et ipse seipsum, ex caritate *: et ideo laudantur. Iudas autem tradidit ipsum ex cupiditate *, Iudaei ex invidia **, Pilatus ex timore mundano, quo timuit Caesarem *: et ideo ipsi vituperantur.

* Matth. ca[p. XXVI], vers. 14 s[qq.] ** Matth. [cap.] XXVII, ver[s.] * Ioan. ca[p. XIX], vers. 12 s[qq.]

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Deus Pater tradidit tripliciter Christum passioni.* Probatur. Christus passus est ex obedientia Patris. Ergo. – Et declaratur conclusio quoad omnia membra: scilicet, ordinationem, inspirationem, non-protectionem. Haec enim tria inferuntur ex obedientia ordinate: nam obedientia huiusmodi infert in praeceptore institutionem, in obediente inspirationem, in executore permissionem.

II. In responsione ad primum, nota quod illa propositio, *Innocentem hominem passioni et morti tradere invitum est impium et crudele,* intelligitur absolute: et non in ordine ad Deum, cuius sunt vita et mors, qui potest absque impietate et crudelitate innocentem invitum tradere passioni et morti; sicut potest pro libito talem annihilare. Utitur autem Auctor propositione ista tractando de Deo, ut ostendat quod traditio Christi in mortem ab ipso Deo non est secundum se absolute iniusta, quia non invitus, sed voluntarius traditus est in mortem, sponte obediens Deo ad hoc. Decuitque Deum non omnipotentia sua uti in traditione huiusmodi, qui definierat *vinci diabolum non potentia sed iustitia* *. Et propterea usus est suavi dispositione, tradendo Christum voluntarium ad huiusmodi obedientiam.

* Aug. d[e Trin.] lib. XIII, c[ap.] XIV.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM FUERIT CONVENIENS CHRISTUM PATI A GENTILIBUS



Ad quartum sic proceditur. Videtur quod non fuerit conveniens Christum pati a gentilibus. Quia enim per mortem Christi homines erant a peccato liberandi, conveniens videretur ut paucissimi in morte eius peccarent. Peccaverunt autem in morte eius Iudaei, ex quorum persona dicitur, Matth. XXI *: *Hic est heres: venite, occidamus eum.* Ergo videtur conveniens fuisse quod in peccato occisionis Christi gentiles non implicarentur.

* Vers. 38.

2. Praeterea, veritas debet respondere figurae. Sed figuralia sacrificia veteris legis non gentiles, sed Iudaei offerebant. Ergo neque passio Christi, quae fuit verum sacrificium, impleri debuit per manus gentilium.

3. Praeterea, sicut dicitur Ioan. V *, *Iudaei quaerebant Christum interficere, non solum quia solvebat sabbatum, sed etiam quia Patrem suum dicebat Deum, aequalem se Deo faciens.* Sed haec videbantur [α] esse solum contra legem Iudaeorum: unde et ipsi dicunt, Ioan. XIX *: *Secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Videtur ergo conveniens fuisse quod Christus non a gentilibus, sed a Iudaeis pateretur: et falsum esse quod dixerunt *, *Nobis non licet interficere quemquam,* cum multa peccata secundum legem morte puniantur, ut patet *Levit.* XX.

* Vers. 18. * Vers. 7. * Ioan. cap. XVIII, vers. 31.

Sed contra est quod ipse Dominus dicit, Matth. XX *: *Tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum.*

* Vers. 19.

Respondeo dicendum quod in ipso modo passionis Christi praefiguratus est effectus ipsius. Primo enim passio Christi effectum salutis habuit in Iudaeis, quorum plurimi in morte Christi baptizati sunt, ut patet *Act.* II * et IV **. Secundo vero, Iudaeis praedicantibus, effectus passionis Christi transivit ad gentes *. Et ideo conveniens fuit ut Christus a Iudaeis pati inciperet, et postea, Iudaeis tradentibus, per manus gentilium eius passio finiretur.

* Vers. 4[1]. ** Vers. [4]. * Ibid. c[ap.]

Ad primum ergo dicendum quod, quia [β] Christus, ad ostendendam abundantiam caritatis suae, ex qua patiebatur, in cruce positus veniam persecutoribus postulavit *; ut huius petitionis fructus ad Iudaeos et gentiles perveniret, voluit Christus ab utrisque pati.

* Luc. ca[p. XXIII], vers. 34.

Ad secundum dicendum quod passio Christi fuit sacrificii oblatio inquantum Christus propria voluntate mortem sustinuit ex caritate. Inquantum autem a persecutoribus est passus, non fuit sacrificium, sed peccatum gravissimum.

Ad tertium dicendum quod, sicut Augustinus dicit *, Iudaei dicentes: *Nobis non licet interficere quemquam,* intellexerunt *non sibi licere interficere quemquam propter festi diei sanctitatem, quam celebrare iam coeperant.*

* *In Ioan.* tract. C[XIV].

Vel hoc dicebant, ut Chrysostomus dicit *, quia volebant eum occidi, non tanquam transgressorem legis, sed tanquam publicum hostem, quia regem se fecerat *: de quo non erat eorum iudicare. Vel quia non licebat eis crucifigere, quod cupiebant, sed lapidare: quod in Stephano fecerunt *.

* Hom. L[XXXIII], al. LXX[XII], *in Ioan.* * Luc. c[ap. XXIII], vers. 2; I[oan.] XIX, vers. * *Act.* c[ap. VII], vers. 5[7].

Vel melius dicendum est quod per Romanos, quibus erant subiecti, erat eis potestas occidendi interdicta.

α) *haec videbantur.* – *hoc videbatur* F et tertia praeter I, *hoc videtur* et om. *esse* ed. *a.*

β) *quia.* – Om. EF et tertia praeter I; post *postulavit* addunt *et* Ga, *et ideo* FH et editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore unica conclusio: *Conveniens fuit ut Christi passio a Iudaeis inciperet, et, mediantibus ipsis, per gentiles finiretur.* Probatur. Convenienter effectus passionis praefiguratus est in modo ipsius passionis. Sed fructus inchoavit in Iudaeis, et per ipsos pervenit ad gentiles. Ergo conveniens modus fuit ut Christi passio a Iudaeis inciperet, et per ipsos a gentilibus finiretur.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM PERSECUTORES CHRISTI EUM COGNOVERINT

III *Sent.*, dist. XIX, art. 1, qu^a 2, ad 5; *In Matth.*, cap. XXI; I *ad Cor.*, cap. II, lect. II.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod persecutores Christi eum cognoverunt. Dicitur enim Matth. XXI *, quod *agricolae, videntes filium, dixerunt intra se: Hic est heres, venite, occidamus eum.* Ubi dicit Hieronymus *: *Manifestissime* [α] *Dominus probat his verbis Iudaeorum principes non per ignorantiam, sed per invidiam Dei Filium crucifixisse. Intellexerunt enim esse illum cui Pater per prophetam dicit: Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam.* Ergo videtur quod cognoverunt eum esse Christum, vel Filium Dei.

2. PRAETEREA, Ioan. XV * Dominus dixit: *Nunc autem et viderunt et oderunt et me et Patrem meum.* Quod autem videtur, manifeste cognoscitur. Ergo Iudaei, cognoscentes Christum, ex causa odii ei passionem intulerunt.

3. PRAETEREA, in quodam Sermone Ephesini Concilii * dicitur: *Sicut qui chartam imperialem disrumpit* [β], *tanquam Imperatoris disrumpens verbum, ad mortem adducitur: sic crucifigens Iudaeus quem viderat, poenas dabit tanquam in ipsum Deum Verbum praesumptiones iniiciens.* Hoc autem non esset si eum Dei Filium esse non cognoverunt: quia ignorantia eos excusasset. Ergo videtur quod Iudaei crucifigentes Christum cognoverunt eum esse Filium Dei.

SED CONTRA EST quod dicitur I *Cor.* II *: *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.* Et *Act.* III * dicit Petrus, Iudaeis loquens: *Scio quod per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri.* Et Dominus, in cruce pendens, dixit *: *Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.*

RESPONDEO DICENDUM quod apud Iudaeos quidam erant maiores, et quidam minores. Maiores quidem, qui eorum *principes* dicebantur, cognoverunt [γ], ut dicitur in libro *Quaest. Nov. et Vet. Test.* *, sicut et daemones cognoverunt, *eum esse Christum promissum in lege: omnia enim signa videbant in eo quae dixerant futura prophetae. Mysterium autem divinitatis eius ignorabant:* et ideo Apostolus dixit quod, *si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.*

Sciendum tamen quod eorum ignorantia non eos excusabat a crimine: quia erat quodammodo ignorantia affectata. Videbant enim evidentia signa ipsius divinitatis: sed ex odio et invidia Christi ea pervertebant, et verbis eius, quibus se Dei Filium fatebatur, credere noluerunt. Unde ipse de eis dicit, Ioan. XV *: *Si non venissem, et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Et postea subdit *: *Si opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Et sic ex persona eorum accipi potest quod dicitur *Iob* XXI *: *Dixerunt Deo: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.*

Minores vero, idest populares, qui mysteria Scripturae non noverant, non plene cognoverunt ipsum esse nec Christum nec Filium Dei: licet aliqui eorum etiam [δ] in eum crediderint. Multitudo tamen non credidit. Et si aliquando dubitarent [ε] an ipse esset Christus, propter signorum multitudinem et efficaciam doctrinae, ut habetur Ioan. VII *: tamen postea decepti fuerunt a suis principibus * ut eum non crederent neque Filium Dei neque Christum. Unde et Petrus eis dixit *: *Scio quod per ignorantiam hoc fecistis, sicut et principes vestri:* quia scilicet per [ζ] principes seducti erant.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod illa verba dicuntur ex persona colonorum vineae, per quos significantur rectores illius populi, qui eum cognoverunt esse heredem, inquantum cognoverunt eum esse Christum promissum in lege.

Sed contra hanc responsionem videtur esse quod illa verba Psalmi *, *Postula a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam,* eidem dicuntur cui dicitur *, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Si ergo cognoverunt eum esse illum cui dictum est, *Postula a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam,* sequitur quod cognoverunt eum esse Filium Dei. – Chrysostomus * etiam, ibidem, dicit quod *cognoverunt eum esse Filium Dei.* – Beda etiam dicit, super illud Luc. XXIII *, *Quia nesciunt quid faciunt: Notandum,* inquit, *quod non pro eis orat qui, quem Filium Dei intellexerunt, crucifigere quam confiteri maluerunt.*

Sed ad hoc potest responderi quod cognoverunt eum esse Filium Dei, non per naturam, sed per excellentiam gratiae singularis.

Possumus tamen dicere quod etiam verum Dei Filium cognovisse dicuntur, quia evidentia signa huius rei habebant, quibus tamen assentire propter odium et invidiam noluerunt, ut eum cognoscerent esse Filium Dei.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ante illa verba praemittitur, *Si opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit, peccatum non haberent:* et postea subditur, *Nunc autem viderunt, et oderunt et me et Patrem meum.* Per quod ostenditur quod, videntes opera Christi mirifica, ex odio processit quod eum Filium Dei non cognoverunt.

AD TERTIUM DICENDUM quod ignorantia affectata

Marginalia (left): * Vers. 38. — * Comment. lib. III. — * Vers. 24. — * Part. III, cap. x, Serm. II Theodoti Ancyr. — * Vers. 8. — * Vers. 17. — * Luc. cap. XXIII, vers. 34. — * Qu. LXVI. – Inter Opp. Aug.

Marginalia (right): * Vers. 24. — * Vers. 14. — * Vers. 31, 41 sqq. — * Matth. cap. XXVII, vers. 20. — * Cf. arg. Sed cont. — * Ps. II, vers. 8. — * Ibid., vers. 7. — * Op. Imperf. in Matth., hom. XL. - Inter Opp. Chrysost. — * Vers. 34. - Exposit. lib. VI. — * Vers. 22.

α) *Manifestissime.* – *Manifeste* P. Pro *his, ex* editiones. Post *enim* P addit *eum.*

β) *disrumpit.* – *discerpserit* H et editiones, *discerpit* D, *serpsit* I. Pro *disrumpens, discerpens* E. – *dabit* F et tertia; *dabat.* – *praesumptiones* E et tertia praeter H; *praesumptionis.*

γ) *cognoverunt.* – Om. tertia. – *Quaest.* PsG; om.

δ) *aliqui eorum etiam.* – *enim aliqui eorum* P.

ε) *dubitarent.* – *non dubitarent* I, *dubitaverunt* editiones.

ζ) *per.* – Ed. *a* et tertia praeter pI; *s* expunctum A, om. ceteri.

non excusat a culpa, sed magis videtur culpam aggravare: ostendit enim hominem sic vehementer esse affectum ad peccandum quod vult ignorantiam incurrere ne peccatum vitet. Et ideo Iudaei peccaverunt, non solum hominis Christi, sed tanquam Dei crucifixores.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus ut sonat: de hominibus tamen, quia de daemonibus iam * dictum est.

* Qu. xli, art. 1, ad 1; qu. xliv, art. 1, ad 2.

In corpore una est distinctio bimembris, cum conclusionibus appositis iuxta membra. Distinctio est quod apud Iudaeos quidam erant maiores, quidam minores *.

* Cf. num. vi.

De maioribus tres conclusiones ponuntur. Prima est quod *cognoverunt ipsum esse Messiam.* – Secunda, quod *non cognoverunt ipsum esse Deum.* – Tertia, quod *ignorantia ista non excusavit peccatum eorum.*

Prima conclusio probatur auctoritate et ratione: quia videbant omnia signa dicta de Messia. Secunda probatur auctoritate eadem, adiuncto verbo Apostoli, *Si cognovissent.* Et hae conclusiones, cum suis probationibus, ab Auctore recitative afferuntur: ut patet in littera.

Tertia autem conclusio ipsius Auctoris est. Et probatur. Quia eorum ignorantia erat affectata: quia videbant testimonia deitatis Christi sufficientia, sed ipsi ex pravo affectu pervertebant illa et doctrinam abiiciebant, nolentes credere. Probatur Ioan. xv, etc.

II. Adverte hic quod, licet testimonia deitatis Christi essent secundum se sufficientia ad causandam fidem, voluntariam vel coactam, hominibus qui praesentes fuerunt testimoniis illis, scilicet miraculorum sic factorum ad confirmationem doctrinae qua dicebat se Deum: tamen gratia unionis personalis non erat usquequaque clara, tam hominibus quam daemonibus, antequam mysterium hoc fuisset apertum. Nam etsi sciebatur quod Messias erat Deus et Filius Dei, non tamen intelligebatur in quo sensu verificaretur quod esset Deus aut Dei Filius: an per unionis personalis gratiam; an per aliquam excellentiam singularissimam. Quae dubitatio sublata videtur post Christi passionem quoad daemones; et resurrectionem, quoad homines, quando *aperuit discipulis sensum ut intelligerent Scripturas* *; et amplius per Spiritus Sancti adventum, qui promissus fuit doctor *omnis veritatis,* Ioan. xiv *. Principes autem Iudaeorum [non propter] ignorantiam suam, non ex ambiguitate modi possibilis ad verificandam Christi deitatem, sed ex pravitate affectus, insurrexerunt in Iesum, quocumque modo fuerit Deus. Et ideo reos seipsos constituerunt omnis excellentiae quae in illo homine erat: ac per hoc, deitatis. Ex eo enim quod non curarunt attendere testimoniis operum et verborum Christi, sed persequi illum elegerunt, ignorantiam pro excusatione allegare non potuerunt. Et hoc est quod Dominus dicit, Ioan. xv: *Si non venissem,* etc., ut in littera affertur.

* Luc. cap. xxiv, vers. 45.
* Vers. 17, 26; cap. xvi, vers. 13.

III. Sed occurrit simile dubium de prima conclusione *, scilicet quod maiores cognoverunt Iesum esse Christum. Nam signa et testimonia apparentia quod Iesus esset Christus, licet in se fuerint sufficientia ad hoc testificandum, et videntes illa ad confirmationem professionis Christi debebant credere illum esse Christum; quia tamen de Christo multa excellentia et maxima praedicta erant quae in Iesu non apparebant, quia in secundo adventu implenda sunt; et maiores ignorabant istos duos adventus, et putabant Christum in primo adventu regnaturum et redempturum temporaliter Israel: ideo videntur etiam ignorasse ipsum esse Christum, ignorantia tamen affectata.

* Num. i.

Et confirmatur haec ignorantia. Quia etiam discipuli Domini, ab ipso eruditi, credentes ipsum esse Christum, putabant quod in primo adventu esset temporaliter redempturus Israel: dicunt enim, *Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israel* *. – Paulus quoque Apostolus dicit se ignoranter peccasse *paternarum traditionum aemulatione* *: significans quod maiores, qui eum docuerant *, ignorabant Iesum esse Christum. Unde statim, ingressus in synagogas, praedicabat, *affirmans quoniam hic est Christus* *.

* Luc. cap. xxiv, vers. 21.
* *Ad Galat.*, cap. i, vers. 14.
* *Act.* cap. xxii, vers. 3.
* *Act.* cap. ix, vers. 22.

Ipse quoque Dominus *, ante principes Iudaeorum constitutus, cum, adiuratus, confessus esset se esse Christum, subdidit de secundo adventu glorioso, ut excluderet ab eis excusationem suae ignorantiae. Debebant enim inquirere quomodo hic secundus adventus futurus esset: et sic de regno Christi fuissent edocti, etc. Sed ipsi, *nolentes intelligere* *, dixerunt: *Blasphemavit, Reus est mortis,* etc. Ubi apparet eorum affectata caecitas. Si enim blasphemia est hominem esse Christum Filium Dei, cur ergo, expectando talem futurum Messiam, a Iesu inquiritis an ipse sit? Nunquid Christus blasphemus esse debet? Si autem non est blasphemia Christo, sed huic pauperi Iesu, quem audistis post tot miracula suscitasse Lazarum *; – audite quod hic pauper veniet gloriosus *cum potestate* *, etc.: et discite quod paupertas et abiectio non facit illum blasphemum, sed testem veritatis. Sed depravatus affectus declinavit ad execrandum hominem.

* Matth. xxvi, vers 3 sqq.
* Ps. xxxv, 4.
* Ioan. ca[p.] vers. 46, 4[7].
* Luc. cap[.] vers 27.

IV. Ad hoc potest dici quod inter maiores erat latitudo: et quod illi maiores qui perspicacius Scripturas noverant, et miracula doctrinamque Christi viderant, noverant illum esse Christum, quia, ut dicitur Matth. xxi *, dixerunt, *Hic est heres;* alii autem maiores, qui non sciebant tot, ignorare potuerunt. Nulli tamen excusati ob ignorantiam fuerunt: quia in promptu habebant unde poterant cognoscere testimonia Christi, et certificari de dubiis quoad excellentiam, ab ipso quem vita, doctrina, Scripturae, miraculaque tot commendabant. – Si quis autem putat omnes maiores cognovisse ipsum esse Christum: dicere potest quod cognoverunt ipsum esse Christum, quamvis non cognoverint qualiter Christi officium consummaturus esset.

* Vers. 38.

V. Mihi videtur, salvo meliori iudicio, distinguendum inter illud quod Iudaeorum principes potuerunt ac debuerunt cognoscere, et id quod de facto cognoverunt. Et dicendum quod potuerunt ac debuerunt cognoscere Iesum esse Christum: et quod de facto non cognoverunt Iesum esse Christum. Et primum satis patere potest ex testimoniis miraculorum et doctrinae: haec enim duo Dominus ipse allegat, Ioan. xv *: *Si non venissem, et locutus eis non fuissem,* quoad doctrinam testificantem de se; et, *si opera non fecissem quae nemo alius fecit,* etc., quoad miracula.

* Vers. 22.

Secundum autem suadetur ex eo quod omnia dicta de Christo non cognoverunt impleri in ipso. Prophetatum enim erat de ipso quod erat futurus Rex Israel, et redempturus ex captivitate Israel, etc. Unde Magi dixerunt: *Ubi est qui natus est Rex Iudaeorum?* * Et hoc licet modo cognoscatur quod de Christo in secundo adventu intelligitur temporaliter, in primo autem spiritualiter tantum; ante Christi tamen resurrectionem non erat haec distinctio cognita: ut patet ex eo quod nec ipsi Apostoli, a Domino edocti, cognoscebant hoc; dicitur enim, Luc. xviii *, quod, cum Dominus praedixisset mortem et resurrectionem suam, *ipsi nihil horum intellexerunt.* Et Ioannes Evangelista de seipso etiam testatur quod in die resurrectionis *credidit,* et quod *nondum sciebat Scripturam* de resurrectione Christi *. Discipuli quoque euntes in Emmaus dixerunt: *Nos sperabamus,* procul dubio Iesu vivente, *quod ipse esset redempturus Israel* *, quod spectat ad regnum eius. Et ad hoc spectant alia dubitando inducta *. Quia ergo distinctio ista duorum adventuum Christi erat ignota, principes Iudaeorum, malitia affectus proprii in Christum velati, reliqua ex Scriptura et signis et doctrina testimonia tanquam insufficientia abiecerunt: cum tamen essent sufficientissima, et secundum adventum explicantia et promittentia. Quin potius, quia Christus rex erat futurus, tanquam usurpatione tituli regii, ex hoc ipso quod Christum se dicebat Iesus, accusarunt eum coram Pilato *: et ex hoc tandem obtinuerunt sententiam mortis illius *. Et licet non co-

* Matth. c[ap.] vers. 2.
* Vers. 34.
* Ioan. cap[.] vers. 8, 9.
* Luc. cap[.] vers. 2[1].
* Num. iii.
* Luc. cap[.] vers. 2.
* Ioan. cap[.] vers. 12 sq[q].

gnoverint Iesum esse Christum, ignorantia affectata illos velante, dicuntur tamen cognovisse, quia in promptu erat unde cognoscerent, tam ex debito et ex facultate eorum, quam ex praesentia cognoscibilis toties oblata, simul cum Doctore tam claro.

[...] num. II, In corpore. VI. De minoribus vero Iudaeorum * tria dicuntur. Primum est quod *non cognoverunt Iesum esse Christum, nec Filium Dei.* – Secundum est quod *multitudo non credidit in eum: quamvis aliqui in illum crediderint.* – Tertium est quod *multitudo seducta fuit a principibus.*

Ratio primi ponitur: quia non sciebant mysteria Scripturarum. – Secundum patet ex Evangelio. – Tertium colligitur ex Evangelio Ioannis VII, et *Act.* III. Ubi ly *per ignorantiam* non subauditur replicari ad principes: quia ly *sicut* non denotat ibi similitudinem in causa facti, scilicet ignorantia, sed in facto tantum. Ita quod non est sensus, *Scio quod per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri per ignorantiam fecerunt:* tunc enim esset assimilatio in facto et causa facti. Sed est sensus, *Scio quod per ignorantiam imitati estis principum vestrorum factum:* sic enim est similitudo imitativa facti tantum.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM PECCATUM CRUCIFIGENTIUM CHRISTUM FUERIT GRAVISSIMUM

III *Sent.*, dist. XIX, art. 1, qu^a 2, ad 5; *In Symb. Apost.*, art. 4.

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod peccatum crucifigentium Christum non fuerit gravissimum. Non enim est gravissimum peccatum quod excusationem habet. Sed ipse Dominus excusavit peccatum crucifigentium eum, dicens *: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Non ergo peccatum eorum fuit gravissimum. *[...] cap. XXIII, 34.*

[...]s. 11. 2. PRAETEREA, Dominus dixit Pilato, Ioan. XIX *: *Qui tradidit me tibi, maius peccatum habet.* Ipse autem Pilatus fecit Christum crucifigi per suos ministros. Ergo videtur fuisse maius peccatum Iudae proditoris peccato crucifigentium Christum.

[...] IX, n. 6; [...] XI, n. 3. – [...] lect. XIV, [...] IX, n. 3. – [...] lect. XIV. [...] 1; art. 2, qu. XLVI, [...] 3. PRAETEREA, secundum Philosophum, in V *Ethic.* *, *nullus patitur iniustum volens:* et, sicut ipse ibidem * dicit, *nullo patiente iniustum, nullus facit iniustum.* Ergo volenti nullus facit iniustum. Sed Christus voluntarie est passus, ut supra * habitum est. Non ergo iniustum fecerunt crucifixores Christi. Et ita eorum peccatum non est gravissimum.

[...]s. 32. SED CONTRA EST quod super illud Matth. XXIII *, *Et vos implete mensuram patrum vestrorum,* dicit Chrysostomus *: *Quantum ad veritatem, excesserunt mensuram patrum suorum. Illi enim homines occiderunt: isti Deum crucifixerunt.* *[...] Imperf. [...]th., hom. XLV.*

[...] praeced. RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est *, principes Iudaeorum cognoverunt Christum: et si aliqua ignorantia fuit in eis, fuit ignorantia affectata, quae eos non poterat excusare. Et ideo peccatum eorum fuit gravissimum: tum ex genere peccati; tum ex malitia voluntatis.

Minores autem Iudaei gravissime peccaverunt quantum ad genus peccati: in aliquo tamen diminuebatur eorum peccatum propter eorum ignorantiam. Unde super illud Luc. XXIII *, *Nesciunt quid faciunt,* dicit Beda *: *Pro illis rogat qui nescierunt quod fecerunt* [α], *zelum Dei habentes, sed non secundum scientiam.* *Cf. arg. 1. * Exposit. lib. VI.*

Multo autem magis fuit excusabile peccatum gentilium per quorum manus Christus crucifixus est, qui legis scientiam non habebant.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod excusatio illa Domini non refertur ad principes Iudaeorum, sed ad minores de populo, sicut dictum est *. *In corpore.*

AD SECUNDUM DICENDUM quod Iudas tradidit Christum, non Pilato, sed principibus sacerdotum, qui tradiderunt eum Pilato: secundum illud Ioan. XVIII *: *Gens tua et pontifices tui tradiderunt te mihi.* Horum tamen omnium peccatum fuit maius quam Pilati, qui timore Caesaris Christum occidit; et etiam quam peccatum militum, qui mandato praesidis Christum crucifixerunt; non ex cupiditate, sicut Iudas, nec ex invidia et odio, sicut principes sacerdotum. *Vers. 35.*

AD TERTIUM DICENDUM quod Christus voluit quidem suam passionem, sicut et Deus eam voluit: iniquam tamen actionem Iudaeorum noluit [β]. Et ideo occisores Christi ab iniustitia non excusantur. – Et tamen ille qui occidit hominem, iniuriam facit non solum homini [γ], sed etiam Deo et reipublicae: sicut etiam et ille qui occidit seipsum, ut Philosophus dicit, in V *Ethic.* * Unde David damnavit illum ad mortem qui *non timuerat mittere manum ut occideret christum Domini,* quamvis eo petente, ut legitur II *Reg.* I *. *Cap. XI, n. 3. – S. Th. lect. XVII. * Vers. 6 sqq.*

α) *quod fecerunt.* – *quid fecerunt* EFGH, *quid facerent* P.
β) *noluit.* – *non voluit* P, *voluit* ed. *a* quae *iniquam* legit *nunquam.*
γ) *homini.* – *occiso* addunt E et tertia praeter G.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS ut sonat. – In corpore tres conclusiones, iuxta tria genera hominum crucifigentium Christum, scilicet principes Iudaeorum, populum Iudaeorum, et gentiles. Prima conclusio: *Peccatum principum fuit gravissimum ex genere peccati, et ex malitia voluntatis.* – Secunda: *Peccatum aliorum Iudaeorum fuit gravissimum ex genere peccati, minus tamen ex circumstantia ignorantiae.* – Tertia est: *Peccatum gentilium fuit gravissimum ex genere peccati, multo autem magis excusabile ex ignorantia legis et Scripturarum.*

Ubi videre potes ideo peccatum crucifixionis Christi esse gravissimum ex suo genere, quia ex suo genere fuit occisio non solum hominis tam excellentis innocentiae, etc., sed etiam Dei. Genus enim peccati ex obiecto, seu materia circa quam est, sumitur. Illa autem occisio constat quod secundum rem ad Verbum incarnatum terminata est: persona enim illa crucifixa est, mortua est. Maior autem et minor gravitas huius gravissimi secundum se peccati, attenditur ex parte ipsorum peccantium, ignoranter vel scienter, ex maiori vel minori malitia peccantium.

II. In responsione ad secundum, quia indecisum ibi relinquitur an peccatum Iudae fuerit gravius peccato principum Iudaeorum, quaeritur quod eorum fuerit gravius.

Et dicendum est quod peccatum Iudae fuit gravius. Quia ipse in maiori erat gradu constitutus, utpote Apostolus. Et non solum viderat miracula Christi, sed fecerat miracula in nomine Christi, accepta ab ipso potestate, sicut ceteri Apostoli *. Et confessus est Iesum esse Christum, Matth. XVI *, approbando responsionem Petri pro omnibus discipulis, *Tu es Christus*, etc. Et, breviter, supra malitiam communem sibi et principibus, habuit excellentem ingratitudinem: et supra genus peccati addidit turpitudinem proditionis. Ob quam in Psalmo gravius peccatum monstratur, cum dicitur *: *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo unanimis, dux meus* (quantum ad Ioculos *) *et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.*

* Matth. cap. x, vers. 1.
* Vers. 13 sqq.
* Ps. LIV, v. 13 sqq.
* Ioan. cap. vers. 6.



QUAESTIO QUADRAGESIMAOCTAVA

DE MODO EFFICIENDI PASSIONIS CHRISTI

IN SEX ARTICULOS DIVISA

Deinde considerandum est de effectu passionis Christi *. Et primo, de modo efficiendi; secundo, de ipso effectu *.

*.. qu. XLVI, Prod. *Qu. XLIX.

Circa primum quaeruntur sex.

Primo: utrum passio Christi causaverit nostram salutem per modum meriti.

Secundo: utrum per modum satisfactionis.

Tertio: utrum per modum sacrificii.

Quarto: utrum per modum redemptionis.

Quinto: utrum esse Redemptorem sit proprium Christi.

Sexto: utrum causaverit effectum nostrae salutis per modum efficientiae.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM PASSIO CHRISTI CAUSAVERIT NOSTRAM SALUTEM PER MODUM MERITI

Infra, art. 6, ad 3; *De Verit.*, qu. XXVI, art. 6, ad 4[m] *in contrarium.*

Ad primum sic proceditur. Videtur quod passio Christi non causaverit nostram salutem per modum meriti. Passionum enim principia non sunt in nobis. Nullus autem meretur vel laudatur nisi per id cuius principium est in ipso. Ergo passio Christi nihil est operata per modum meriti.

2. Praeterea, Christus ab initio suae conceptionis meruit et sibi et nobis, ut supra * dictum est. Sed superfluum est iterum [α] mereri id quod alias meruerat. Ergo Christus per suam passionem non meruit nostram salutem.

*..u. XXXIV, art. — α

3. Praeterea, radix merendi est caritas. Sed caritas Christi non fuit magis augmentata in passione quam ante. Ergo non magis meruit salutem nostram patiendo quam ante fecerat.

Sed contra est quod, super illud *Philipp.* II *, *Propter quod et Deus exaltavit illum* etc., dicit Augustinus *: *Humilitas passionis claritatis est meritum: claritas humilitatis est praemium.* Sed ipse clarificatus est non solum in seipso, sed etiam in suis fidelibus, ut ipse dicit, Ioan. XVII *. Ergo videtur quod ipse meruit salutem suorum fidelium.

*..ers. 9. — *..oan. Evang. ..CIV. — *..ers. 10.

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, Christo data est gratia non solum sicut singulari personae, sed inquantum est caput Ecclesiae, ut scilicet ab ipso redundaret ad membra. Et ideo opera Christi hoc modo se habent tam ad se quam ad sua membra, sicut se habent opera alterius hominis in gratia constituti ad ipsum. Manifestum est autem quod quicumque in gratia constitutus propter iustitiam patitur, ex hoc ipso meretur sibi salutem: secundum illud Matth. v *: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Unde Christus non solum per suam passionem sibi, sed etiam omnibus suis membris meruit salutem.

*..u. VII, art. 1, 9; ..u. VIII, art. .. — * Vers 10.

Ad primum ergo dicendum quod passio inquantum huiusmodi, habet principium ab exteriori. Sed secundum quod eam aliquis voluntarie sustinet, habet principium ab interiori [β].

Ad secundum dicendum quod Christus a principio suae conceptionis meruit nobis salutem aeternam: sed ex parte nostra erant impedimenta quaedam, quibus impediebamur consequi effectum praecedentium meritorum. Unde, ad removendum illa impedimenta, oportuit Christum pati, ut supra * dictum est. * Qu. XLVI, art. 3.

Ad tertium dicendum quod passio Christi habuit aliquem effectum quem non habuerunt praecedentia merita, non propter maiorem caritatem, sed propter genus operis, quod erat conveniens tali effectui: ut patet ex rationibus supra * inductis de convenientia passionis Christi. * Ibid.

α) *iterum. – aliquem iterum* P. – *alias* EG; *ante* H et editiones, *aliud* ed. *a, alius* ceteri.

β) *quod passio... ab interiori. – quod passio inquantum huiusmodi non est meritoria quia habet principium ab exteriori. Sed inquantum est acceptata per voluntatem* (*Sed... sustinet* ut nos P) *sic est ab interiori principio* (*sic est ab interiori principium b, sic habet ab interiori principium c, sic habet principium ab interiori* P) *et hoc modo est meritoria* tertia praeter I, qui habet usque ad *ab exteriori* ut nos et cetera om. Post *exteriori* et *interiori* F addit *parte.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est recolentibus in quo consistit meriti ratio: scilicet quod vindicet sibi ex debito praemium *. Et propterea passionem Christi operari nostram salutem per modum meriti, est operari sic ut secundum iustitiam debeatur sibi nostra salus.

*.. I[am] II[ae], q. CXIV, art. 1.

In corpore articuli unica est conclusio affirmative respondens quaesito: *Christus per suam passionem non solum sibi meruit, sed omnibus suis membris salutem.* Probatur. Christo data est gratia non solum ut singulari personae, sed etiam ut capiti Ecclesiae. Ergo opera Christi ita se habent tam ad se quam ad sua membra, sicut opera alterius in gratia constituti ad seipsum. Ergo Christus per

suam passionem non solum meruit sibi, sed omnibus membris suis salutem.

Antecedens patet ex supra dictis. – Prima consequentia, ut evidens per se, relinquitur nota ex terminis. Et vere sic est penetrantibus corpus mysticum Christi esse sicut unum eundemque hominem. – Secunda autem consequentia probatur ex eo quod quilibet constitutus in gratia, patiens propter iustitiam, meretur sibi salutem. Quod probatur Matth. v: *Beati qui persecutionem.*

II. In responsione ad primum, vide quod, licet facile potuisset dici quod non est superfluum pluries mereri idem, quoniam est ex pluribus meritis facere sibi idem praemium debitum, et constat quotidie hoc contingere, dum quilibet in gratia constitutus quolibet actu meritorio meretur vitam aeternam: ut doceret tamen Auctor necessitatem meriti per passionem Christi ultra meritum per alios Christi actus, dixit quod passio Christi addit supra priora merita, quia per ipsam meruit Christus tollere impedimenta nostrae salutis. Meruit enim tollere et culpam omnem et poenam tam naturae nostrae, quam singulorum membrorum suorum.

III. In responsione ad ultimum, adverte quod, ultra utilitates numeratas in art. 3 qu. xlvi, quas intulit passio Christi ex ipso genere operis, est unus effectus inferius * explicatus ab Auctore: scilicet quod, quia patiens subtrahit a se quod suum est propter amorem illius pro quo patitur, per hoc efficit ut sibi ex ipso operis genere debeatur illorum salus pro quibus se sua salute privavit. * Cf. qu. x art. 1.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM PASSIO CHRISTI CAUSAVERIT NOSTRAM SALUTEM PER MODUM SATISFACTIONIS

Infra, art. 6, ad 3; III *Sent.*, dist. xx, art. 3; IV *Cont. Gent.*, cap. lv, ad 23, 24.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod passio Christi non causaverit nostram salutem per modum satisfactionis. Eiusdem enim videtur esse satisfacere cuius est peccare: sicut patet in aliis poenitentiae partibus; eiusdem enim est conteri et confiteri cuius est peccare. Sed Christus non peccavit: secundum illud I Pet. ii *: *Qui peccatum non fecit.* Ergo ipse non satisfecit propria passione. * Vers. 22.

2. Praeterea, nulli satisfit per maiorem offensam. Sed maxima offensa fuit perpetrata in Christi passione: quia gravissime peccaverunt qui eum occiderunt, ut supra * dictum est. Ergo videtur quod per passionem Christi non potuit Deo satisfieri. * Qu. xlvii, art. 6.

3. Praeterea, satisfactio importat aequalitatem quandam ad culpam: cum sit actus iustitiae. Sed passio Christi non videtur esse aequalis omnibus peccatis humani generis: quia Christus non est passus secundum divinitatem, sed secundum carnem, secundum illud I Pet. iv *, *Christo igitur passo in carne;* anima autem, in qua est [α] peccatum, potior est quam caro. Non ergo Christus sua passione satisfecit pro peccatis nostris. * Vers. 1.

Sed contra est quod ex persona eius dicitur in Psalmo *: *Quae non rapui, tunc exsolvebam.* Non autem exsolvit qui perfecte non satisfecit [β]. Ergo videtur quod Christus patiendo satisfecerit perfecte pro peccatis nostris. * Ps. lxviii, vers. 5.

Respondeo dicendum quod ille proprie satisfacit pro offensa qui exhibet offenso id quod aeque vel magis diligit quam oderit offensam. Christus autem, ex caritate et obedientia patiendo, maius aliquid Deo exhibuit quam exigeret recompensatio totius offensae humani generis. Primo quidem, propter magnitudinem caritatis ex qua patiebatur. Secundo, propter dignitatem vitae suae, quam pro satisfactione ponebat, quae erat vita Dei et hominis. Tertio, propter generalitatem passionis et magnitudinem doloris assumpti, ut supra * dictum est. Et ideo passio Christi non solum sufficiens, sed etiam superabundans satisfactio fuit pro peccatis humani generis: secundum illud I Ioan. ii *: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* * Qu. xlvi, art. 6. * Vers. 2.

Ad primum ergo dicendum quod caput et membra sunt quasi una persona mystica. Et ideo satisfactio Christi ad omnes fideles pertinet sicut ad sua membra. Inquantum etiam duo homines sunt unum in caritate, unus pro alio satisfacere potest, ut infra * patebit. Non autem est similis ratio de confessione et contritione: quia satisfactio consistit in actu exteriori, ad quem assumi possunt instrumenta; inter quae computantur etiam amici *. * Cf. *Suppl.* qu. xiii, art. * Cf. Aristot. *Ethic.* lib. I, cap. viii, n. 16; S. Th. lect. xii.

Ad secundum dicendum quod maior fuit caritas Christi patientis quam malitia crucifigentium. Et ideo plus potuit Christus satisfacere sua passione quam crucifixores offendere occidendo: in tantum quod passio Christi sufficiens fuit, et superabundans, ad satisfaciendum pro peccatis crucifigentium [γ] ipsum.

Ad tertium dicendum quod dignitas carnis Christi non est aestimanda solum secundum carnis naturam, sed secundum personam assumentem, inquantum scilicet erat caro Dei: ex quo habebat dignitatem infinitam.

α) *est.* – Tertia praeter I; *non est.*
β) *satisfecit.* – *satisfacit* P.
γ) *crucifigentium.* – *occidentium* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus ex ipsa satisfactionis ratione: *facere* siquidem *satis* est facere aequale seu sufficiens debito. Praesupponit namque satisfactio debitum pro quo satisfaciendum est: et, debito praesupposito, tunc satisfit quando aliquid exhibetur aequivalens debito, vel excedens illud. In proposito, quia de debito humani generis constat, quoniam et offendit Deum et obnoxium erat aeternae poenae, quaeritur an passio Christi salvaverit nos per modum satisfactionis: hoc est, per modum recompensantis aequale ad minus debito humani generis.

In corpore una est conclusio responsiva quaesito affirmative: *Passio Christi non solum sufficiens, sed supera-*

bundans satisfactio fuit pro peccatis humani generis. Probatur. Ille proprie satisfacit offenso qui illi exhibet quod aeque vel magis diligit quam oderit offensam. Sed Christus patiendo Deo magis exhibuit quam exigeret offensa totius humani generis. Ergo. – Probatur minor tripliciter. Et confirmatur et minor et conclusio auctoritate Ioannis Evangelistae.

II. Adverte hic quod aliquid exhibitum offenso dupliciter potest satisfacere. Primo, ex gratia offensi acceptantis illud exhibitum pro sufficienti, quamvis illud in se non esset sufficiens pro satisfactione: sicut si rex pro iniuria sibi facta acceptet solam petitionem veniae. Alio modo, ex sufficientia ipsius rei exhibitae: quia scilicet illud exhibitum est secundum se tantae bonitatis, amabilitatis, dignitatis et excellentiae, ut adaequet offensam vel excedat; sicut si pro offensa deberetur libra argenti, et daretur libra auri.

In proposito est sermo de satisfactione secundo modo, hoc est, secundum se. Ita quod sensus maioris est quod ille proprie satisfacit qui exhibet offenso quod secundum se est magis ab offenso dilectum quam exosa offensa. Et hunc sensum manifestat minor, dicens quod Christus plus exhibuit patiendo quam offensae recompensatio exigebat: manifeste enim hic comparantur secundum se offensa et passio Christi. Unde concluditur quod Christi passio secundum se est satisfactio superabundans pro peccatis humani generis, et ideo acceptata a Deo: et non e contra, quia acceptata, ideo sufficiens. Et hoc probant rationes litterae.

III. In responsione ad primum, dubium occurrit circa rationem redditam quare potest unus pro alio satisfacere, et non conteri aut confiteri. Assignatur siquidem in littera ratio, *quia satisfactio est actus exterior.* Contra quam in promptu est obiectio quod confessio quoque est actus exterior: et propterea, si ratio est valida, inferet etiam quod unus potest confiteri pro alio. Et quia hoc non est verum, sequitur quod ratio nihil valet.

Ad dubium hoc dicitur quod aequivocatio hic accidit de actu exteriori. Nam actus exterior dupliciter dicitur. Vel ut distinguitur absolute contra interiorem: ut videre est actus exterior, imaginari est actus interior. Et secundum hunc sensum procedit obiectio: sic enim confessio est actus exterior. – Alio modo sumitur actus exterior secundum medium. Et sic distinguitur contra actum secundum medium interius, hoc est, rationis tantum. Ut enim in moralibus patuit *, dupliciter invenitur medium in actibus nostris: vel medium rationis tantum; vel medium rei. Et medium rei exterius dicitur, quia in aequalitate rei ad rem consistit: medium autem rationis interius quodammodo dicitur, quia in proportione intraneae rationis in ordine ad operantem consistit.

* Iª IIªᵉ, quaest. LXIV, art. 2; IIª IIªᵉ, qu. LVIII, art. 10.

Quia autem satisfactio in aequalitate rei ad rem consistit, oportet enim ipsam adaequare debitum, ut patet; ideo dicitur hic quod consistit in actu exteriori secundum medium. Et in hoc differt confessio a satisfactione in proposito. Et hinc provenit, ut Auctor dicit, quod satisfacere potest quis per alium. Quoniam ad aequale externum solvendum adhiberi possunt externa instrumenta, inter quae sunt amici, non minus quam pecuniae: satisfactio autem externam sonat adaequationem; est enim facere *satis,* idest *sufficiens.*

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM PASSIO CHRISTI FUERIT OPERATA PER MODUM SACRIFICII

Supra, qu. XLVII, art. 4, ad 2; infra, art. 6, ad 3; qu. XLIX, art. 4; *Ad Ephes.*, cap. V, lect. 1; *Ad Heb.*, cap. VII, lect. 1.

AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod passio Christi non fuerit operata per modum sacrificii. Veritas enim debet respondere figurae. Sed in sacrificiis veteris legis, quae erant figurae Christi, nunquam offerebatur caro humana: quinimmo haec sacrificia nefanda habebantur, secundum illud Psalmi *: *Effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum et filiarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.* Ergo videtur quod passio Christi sacrificium dici non possit.

* ...v, vers 38.

2. PRAETEREA, Augustinus dicit, in X *de Civ. Dei* *, quod *sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, idest sacrum signum, est.* Sed passio Christi non est signum, sed magis significatum per alia signa. Ergo videtur quod passio Christi non sit sacrificium.

* ...v.

3. PRAETEREA, quicumque offert sacrificium, aliquid sacrum facit: ut ipsum nomen *sacrificii* demonstrat. Illi autem qui Christum occiderunt, non fecerunt aliquod sacrum, sed magnam malitiam perpetraverunt. Ergo passio Christi magis fuit maleficium quam sacrificium.

SED CONTRA EST quod Apostolus dicit, *Ephes.* V *: *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.*

* ...V, 2.

RESPONDEO DICENDUM quod sacrificium proprie dicitur aliquid factum in honorem proprie Deo debitum, ad eum placandum. Et inde est quod [α] Augustinus dicit, in X *de Civ. Dei* *: *Verum sacrificium est omne opus quod agitur ut sancta societate* [β] *Deo inhaereamus, relatum scilicet ad illum finem boni quo veraciter beati esse possumus.* Christus autem, ut ibidem subditur, *seipsum obtulit in passione pro nobis:* et hoc ipsum opus, quod voluntarie passionem sustinuit, fuit Deo maxime acceptum, utpote ex caritate proveniens. Unde manifestum est quod passio Christi fuit verum sacrificium. Et, sicut ipse postea subdit in eodem libro *, *huius veri sacrificii multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca Sanctorum: cum hoc unum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur;* et, *cum quatuor considerentur in omni sacrificio,* ut Augustinus dicit in IV *de Trin.* *, scilicet *cui offeratur, a quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur, idem ipse qui* [γ] *unus verusque mediator per sacrificium pacis reconciliat nos Deo, unum cum illo maneret cui offerebat, unum in se faceret pro quibus offerebat, unus ipse esset qui offerebat, et quod offerebat.*

* Cap. VI.
* Cap. XX.
* Cap. XIV.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, licet veritas respondeat figurae quantum ad aliquid, non tamen quantum ad omnia: quia oportet quod ve-

α) *est quod.* – PF; *est ut.* An solum *ut* legendum?
β) *sancta societate.* – *caritate* H et editiones.
γ) *ipse qui.* – *ipse quod* F, *ipsemet* GHbc, *ipseque* I, *ipse* et mox *reconcilians* P.

ritas figuram excedat. Et ideo convenienter figura huius sacrificii, quo caro Christi [δ] offertur pro nobis, fuit caro, non hominum, sed aliorum animalium significantium carnem Christi. Quae est perfectissimum sacrificium. Primo quidem quia, ex eo quod est humanae naturae caro, congrue pro hominibus offertur, et ab eis sumitur sub Sacramento. Secundo quia, ex eo quod erat passibilis et mortalis, apta erat immolationi. Tertio quia, ex hoc quod erat sine peccato, efficax erat ad emundanda peccata. Quarto quia, ex eo quod erat caro ipsius offerentis, erat Deo accepta propter caritatem suam carnem offerentis.

* Cap. xiv. Unde Augustinus dicit, in IV *de Trin.* *: *Quid tam congruenter ab hominibus sumeretur quod pro eis offerretur, quam humana caro? Et quid tam aptum huic immolationi quam caro mortalis? Et quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalium quam sine contagione carnalis concupiscentiae caro nata in utero et ex utero virginali? Et quid tam grate offerri et suscipi posset quam caro sacrificii nostri, corpus effectum sacerdotis nostri?*

Ad secundum dicendum quod Augustinus ibi loquitur de sacrificiis visibilibus figuralibus. Et tamen [ε] ipsa passio Christi, licet sit aliquid significatum per alia sacrificia figuralia, est tamen signum alicuius rei observandae a nobis: secundum illud I Pet. iv *: *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desiit a peccatis; ut iam non hominum desideriis, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis.* * Vers. 1.

Ad tertium dicendum quod passio Christi ex parte occidentium ipsum fuit maleficium: sed ex parte ipsius ex caritate patientis fuit sacrificium. Unde hoc sacrificium ipse Christus obtulisse dicitur, non autem illi qui eum occiderunt.

δ) *Christi.* – Tertia; om.

ε) *tamen.* – *etiam* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore tria. Primo, respondetur quaesito una conclusione: *Passio Christi fuit verum sacrificium.* Probatur. Omne opus quod agitur ut caritate inhaereamus Deo, relatum ad ipsum Deum, est verum sacrificium. Sed Christus, sustinendo voluntarie passionem, egit opus acceptissimum, etc. Ergo. – Maior probatur: et auctoritate Augustini; et quia id proprie dicitur sacrificium quod fit in honorem Deo proprie debitum, ad eum placandum.

Secundo, monstratur excellentia huius sacrificii, ex eo quod figuratum est per reliqua sacrificia.

Tertio, monstratur summa huius sacrificii excellentia ex concursu omnium quatuor requisitorum ad sacrificium in unum: quia scilicet Christus est qui offert; et est Deus, cui offertur; et est qui offertur; et est pro quo, hoc est, pro cuius corpore mystico offertur.

II. In responsione ad tertium, attende quod, iuxta diversam sacrificii naturam, diversimode invenitur *facere sacrum.* In sacrificiis enim consistentibus in agere, invenitur facere sacrum ad extra: ut patet in sacrificiis animalium et Altaris. Sed in sacrificiis quae consistunt in pati, invenitur facere sacrum secundum actionem interiorem, qua sponte offert Deo suum pati. Et sic Christus fecit sacrum actione interiori: occisores autem eius fecerunt actione exteriori, non sacrum, sed sacrilegium maximum.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM PASSIO CHRISTI FUERIT OPERATA NOSTRAM SALUTEM PER MODUM REDEMPTIONIS

Infra, art. 6, ad 3; III *Sent.*, dist. xix, art. 4, qu^a 1; *Ad Rom.*, cap. iii, lect. iii.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod passio Christi non fuerit operata nostram salutem per modum redemptionis. Nullus enim emit vel redimit quod suum esse non desiit. Sed homines nunquam desierunt esse Dei [α]: secundum illud Psalmi *: *Domini est terra et plenitudo eius, orbis terrarum et universi qui habitant in eo.* Ergo videtur quod Christus non redemerit nos sua passione. * Ps. xxiii, vers. 1.

2. Praeterea, sicut Augustinus dicit, XIII *de Trin.* *, *diabolus a Christo iustitia superandus fuit.* Sed hoc exigit iustitia, ut ille qui invasit dolose rem alienam, debeat privari: quia *fraus et dolus nemini debet patrocinari,* ut etiam iura humana dicunt *. Cum ergo diabolus creaturam Dei, scilicet hominem, dolose deceperit et sibi subiugaverit, videtur quod non debuit homo per modum redemptionis ab eius eripi potestate. * Cap. xiii. * Cap. *Ex tenore, de Rescriptis*; cap. *Ex litteris, de Dolo et Contum.*; cap. *Tuae Fraternitatis discretio, de Clericis non resid.*

3. Praeterea, quicumque emit aut redimit aliquid, pretium solvit ei qui possidebat. Sed Christus non solvit sanguinem suum, qui dicitur esse pretium redemptionis nostrae *, diabolo, qui nos captivos tenebat. Non ergo Christus sua passione nos redemit. * Cf. ar... contra

Sed contra est quod dicitur I Pet. i *: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis: sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati et incontaminati, Christi.* Et *Galat.* iii * dicitur: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Dicitur autem pro nobis factus maledictum, inquantum pro nobis passus est in ligno, ut supra * dictum est. Ergo per passionem suam nos redemit. * Vers. 1... * Vers. 1... * Qu. xlvi... ad 3.

Respondeo dicendum quod per peccatum dupliciter homo obligatus erat. Primo quidem, ser-

α) *Dei.* – I et editiones; *filii Dei.* Cf. γ.

vitute peccati: quia *qui facit peccatum, servus est peccati*, ut dicitur Ioan. VIII *; et II *Pet.* II **: *A quo quis superatus est, huic et servus addictus* [β] *est.* [* Vers. 34. ** Vers. 19.] Quia igitur diabolus hominem superaverat inducendo eum ad peccatum, homo servituti diaboli addictus erat. – Secundo, quantum ad reatum poenae, quo homo erat obligatus secundum Dei iustitiam. Et haec [γ] est servitus quaedam: ad servitutem enim pertinet quod aliquis patiatur quod non vult, cum liberi hominis sit uti seipso ut vult.

Igitur, quia [δ] passio Christi fuit sufficiens et superabundans satisfactio pro peccato et reatu generis humani, eius passio fuit quasi quoddam pretium, per quod liberati sumus ab utraque obligatione. Nam ipsa satisfactio qua quis satisfacit sive pro se sive pro alio, pretium quoddam dicitur quo se [ε] redimit a peccato et poena: secundum illud Dan. IV *: *Peccata tua eleemosynis redime.* [* Vers. 24.] Christus autem satisfecit, non quidem pecuniam dando aut aliquid huiusmodi, sed dando id quod fuit maximum, seipsum [ζ], pro nobis. Et ideo passio Christi dicitur esse nostra redemptio.

Ad primum ergo dicendum quod homo dicitur esse Dei [η] dupliciter. Uno modo, inquantum subiicitur potestati eius. Et hoc modo nunquam homo desiit Dei esse: secundum illud Dan. IV *: *Dominatur Excelsus in regno hominum, et cuicumque voluerit, dabit illud.* [* Vers. 22, 29.] – Alio modo, per unionem caritatis ad eum: secundum quod dicitur *Rom.* VIII *: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* [* Vers. 9.]

Primo igitur modo, nunquam homo desiit esse Dei. Secundo modo, desiit esse Dei per peccatum. Et ideo, inquantum fuit a peccato liberatus, Christo passo satisfaciente, dicitur per passionem Christi esse redemptus.

Ad secundum dicendum quod homo peccando obligatus erat et Deo et diabolo. Quantum enim ad culpam, Deum offenderat, et diabolo se subdiderat, ei consentiens. Unde ratione culpae non erat factus servus Dei: sed potius, a Dei servitute recedens, diaboli servitutem incurrerat, Deo iuste hoc permittente propter offensam in se commissam. Sed quantum ad poenam, principaliter homo erat Deo obligatus, sicut summo iudici, diabolo autem tanquam tortori: secundum illud Matth. V *: *Ne forte tradat te adversarius tuus iudici, et iudex tradat te ministro, « idest angelo poenarum crudeli »*, ut Chrysostomus dicit *. [* Vers. 25.] [* Op. Imperf. in Matth., homil. XI. - Inter Opp. Chrys.] Quamvis igitur diabolus iniuste, quantum in ipso erat, hominem, sua fraude deceptum, sub servitute teneret, et quantum ad culpam et quantum ad poenam: iustum tamen erat hoc hominem pati, Deo hoc permittente quantum ad culpam, et ordinante quantum ad poenam. Et ideo per respectum ad Deum iustitia exigebat quod homo redimeretur: non autem per respectum ad diabolum.

Ad tertium dicendum quod, quia redemptio requirebatur ad hominis liberationem per respectum ad Deum, non autem per respectum ad diabolum; non erat pretium solvendum diabolo, sed Deo. Et ideo Christus sanguinem suum, qui est pretium nostrae redemptionis, non dicitur obtulisse diabolo, sed Deo.

β) *huic et servus addictus.* – *huius et servus* P.
γ) *haec.* – *hic etiam* P.
δ) *Igitur, quia.* – *Quia igitur* P. – Post *reatu* H et editiones addunt *poenae.*
ε) *se.* – *seipsum* I, *seipsum (se b) vel alium* H et editiones.
ζ) *seipsum.* – *scilicet seipsum* F, *seipsum scilicet* tertia praeter I.
η) *Dei.* – *filius Dei* sE; item secundo loco; tertio E.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore duo fiunt. Primo, manifestatur status servilis generis humani quoad duo, culpam scilicet et poenam. – Secundo, respondetur quaesito una conclusione, scilicet: *Passio Christi est nostra redemptio.*

Primum declaratur: quoad peccatum et diabolum suggestorem, auctoritatibus; quoad poenam vero, ratione clara in littera.

Conclusio probatur. Passio Christi fuit sufficiens et superabundans satisfactio pro peccatis et pro reatu generis humani. Ergo fuit quasi pretium quo liberati sumus ab utraque servitute. Ergo fuit nostra redemptio. – Prima consequentia probatur. Quia satisfactio habet rationem pretii redemptivi. Probatur auctoritate Dan. IV. – Secunda consequentia clara est ex se. Et amplius declaratur: quia pretium oblatum a Christo fuit, non pecunia, sed ipsemet patiens.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM ESSE REDEMPTOREM SIT PROPRIUM CHRISTI

III *Sent.*, dist. XIX, art. 4, qu[a] 2.



Ad quintum sic proceditur. Videtur quod esse Redemptorem non sit proprium Christi. Dicitur enim in Psalmo *: *Redemisti me, Domine Deus veritatis.* [* Ps. XXX, vers. 6.] Sed esse Dominum Deum veritatis convenit toti Trinitati. Non ergo est proprium Christo.

2. Praeterea, ille dicitur redimere qui dat pretium redemptionis. Sed Deus Pater dedit Filium suum redemptionem pro peccatis nostris: secundum illud Psalmi *: *Redemptionem misit Dominus populo suo;* Glossa *: *idest Christum, qui dat redemptionem captivis.* [* Ps. CX, vers. 9.] [* Interlin. et Lomb.] Ergo non solum Christus, sed etiam Deus Pater nos redemit.

3. Praeterea, non solum passio Christi, sed etiam aliorum sanctorum, proficua fuit ad nostram salutem: secundum illud *Coloss.* I *: *Gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro cor-* [* Vers. 24.]

pore eius, quod est Ecclesia. Ergo non solum Christus debet dici Redemptor, sed etiam alii sancti.

* Vers. 13.

SED CONTRA EST quod dicitur *Galat.* III *: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Sed solus Christus factus est pro nobis maledictum. Ergo solus Christus debet dici noster Redemptor.

RESPONDEO DICENDUM quod ad hoc quod aliquis redimat, duo requiruntur: scilicet actus solutionis, et pretium solutum. Si enim aliquis solvat pro redemptione alicuius rei pretium, si [α] non est suum, sed alterius, non dicitur ipse redimere principaliter, sed magis ille cuius est pretium. Pretium autem redemptionis nostrae est sanguis Christi, vel vita eius corporalis, quae *est in sanguine* *, quam ipse Christus exsolvit. Unde utrumque istorum ad Christum pertinet immediate inquantum est homo: sed ad totam Trinitatem sicut ad causam primam et remotam, cuius erat et ipsa vita Christi sicut primi auctoris, et a qua inspiratum fuit ipsi homini Christo ut pateretur pro nobis. Et ideo esse immediate Redemptorem est proprium Christi inquantum est homo: quamvis ipsa redemptio possit attribui toti Trinitati sicut primae causae.

* *Levit.* cap. XVII, vers. 11, 14.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Glossa * sic exponit: *Tu, Deus veritatis, redemisti me in Christo clamante: « In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum ».* Et sic redemptio immediate pertinet ad hominem Christum: principaliter autem ad Deum.

* Lomb.

AD SECUNDUM DICENDUM quod pretium redemptionis nostrae homo Christus solvit immediate: sed de mandato Patris sicut primordialis auctoris.

AD TERTIUM DICENDUM quod passiones sanctorum proficiunt Ecclesiae, non quidem per modum redemptionis, sed per modum exhortationis et exempli: secundum illud II *Cor.* I *: *Sive tribulamur pro vestra exhortatione et salute.*

* Vers. 6.

α) *si.* – *quod* IsG et editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS ut sonat sumendus est: ita quod Christus sumitur ut distinguitur a Patre et Spiritu Sancto, et ab aliis sanctis. Et est sermo de redemptione universali humani generis, quam dictum est in praecedenti articulo esse effectum passionis Christi.

In corpore sunt duae conclusiones. Prima est: *Esse Redemptorem immediate est proprium Christi inquantum homo.* Secunda est: *Redemptio potest attribui toti Trinitati ut primae causae.* Probantur ambae simul. Utrumque horum, scilicet actus solutionis et pretium solutum, pertinet immediate ad Christum inquantum homo, et ad totam Trinitatem ut primam causam. Ergo.

Assumptum pro prima parte probatur: quia pretium nostrae redemptionis est vita corporalis Christi, quam ipse Christus exsolvit. Pro secunda vero: quia vita corporalis Christi erat Trinitatis ut primae causae; et ipsa Trinitas inspiravit animae Christi ut poneret vitam suam pro nobis. – Consequentia autem probatur. Quia ad hoc quod aliquis redimat, duo requiruntur: et quod ipse solvat; et quod solvat de suo. Et primum quidem patet: quia alioquin non redimeret. Secundum autem probatur: quia si de alieno redimeret, magis redimeret dominus pretii quam ille solvens; ut patet in his qui de eleemosynis redimunt captivos.

II. Adverte hic quod convenientium Christo mediante humana natura, duplex est differentia. Quaedam enim sunt dispositiones essendi aut patiendi, ut esse calidum, mansuetum, flagellatum, crucifixum, tristem, et huiusmodi. Et haec omnino sunt propria Christo ut distinguitur a Patre et Spiritu Sancto.

Quaedam vero sunt actiones: ut docere, sanare, redimere, salvare, etc. Et de his aliter est dicendum secundum rem: et aliter secundum nominum appellationem. Nam secundum rem, dicendum est quod actio dupliciter sumitur: scilicet causaliter, vel personaliter. Et hoc est dictu actionem Christi sumi posse vel secundum quod est actio a suis efficientibus exiens: – et sic quaelibet talis Christi actio est effective a tota Trinitate mediate, et ab humanitate Christi immediate. Tota siquidem Trinitas salvavit genus humanum, et sanavit infirmos, suscitavit mortuos, etc.: ita quod, infra limites causalitatis stando, non magis Verbum quam Pater et Spiritus Sanctus salvavit, sanavit, docuit, etc., quia *indivisa sunt opera Trinitatis ad extra* *. – Alio autem modo, scilicet personaliter sumptae huiusmodi actiones, hoc est, ut terminantur ad hypostasim cuius sunt, uno dico ut causae, sed ut hypostasis seu personae: – sic sunt propriae Filio, ita quod nec Patri nec Spiritui Sancto conveniunt. Ita enim personaliter Filius Dei docebat, sanabat, redimebat, salvabat, per assumptam humanam naturam, quod nec Pater nec Spiritus Sanctus personaliter haec operabatur: nam ille homo docens, sanans, salvans, redimens, etc., erat Filius Dei, et non Pater nec Spiritus Sanctus nec Trinitas.

* Aug. Ep. CLXIV, aliter XCIX, *ad Evod.*, cap. VI; *de Trin.* lib. I, cap. IV, V; lib. IV, cap. XXI; *Enchirid.* cap. XXXVIII.

Secundum vero nominum denominationem, considerandum est an nomen de quo quaeritur importet principaliter actionem ut exeuntem a causa; an actionem ut respicit hypostasim cuius est; an utrumque. Illa enim quae principaliter respiciunt causam, inter communia toti Trinitati computanda videntur: ut mortuos suscitare, miracula facere, et reliquae actiones quas Christus, licet mediante humana natura exercuit, principaliter tamen ratione deitatis. – Illa vero quae determinant hypostasim principaliter, inter propria computanda sunt: ut praedicare, ambulare, admirari, videre, et huiusmodi. – Quae autem medio modo et ad causam et personam referri indifferenter aut quasi indifferenter se permittunt, distinctione digna sunt. Et in horum numero locasse videtur Auctor redemptionem: motus, ut puto, auctoritate glossae allegatae in littera * super illud, *Redemisti me, Domine Deus veritatis.*

* In resp. ad 1.

Posset tamen dici quod redemptio de qua est sermo, gratia materiae determinat sibi personam Christi. Quoniam materia eius est sanguis, seu vita corporea Christi, non qualitercumque, sed passioni mortique exposita. Constat siquidem haec omnia propria esse Christo. Ac per hoc, dicendum est absolute quod esse Redemptorem humani generis est proprium Christo: quoniam ipse personaliter, ita quod nec Pater nec Spiritus Sanctus, solvit; et de suo personaliter, ita quod nec Patris nec Spiritus Sancti personaliter. Et glossa et similia intelligenda sunt causaliter. Nec discrepat hoc a litterae doctrina, quae ad causalitatem attendit. Et potes, si vis, distinguere: dicendo quod redimere causaliter est proprium Christo immediate, ut in littera dicitur, quia ut a prima causa mediate est commune Trinitati; redimere autem personaliter est proprium Christo, quia, personaliter loquendo, sola Christi persona, et de solius suae personae pretio, redemit genus humanum, ut patet ex dictis.

III. In responsione ad tertium, dubium occurrit circa illud: *Passiones sanctorum proficiunt Ecclesiae non per modum redemptionis.* Tum quia hoc est contra ipsum Aucto-

rem in IV *Sent.*, dist. xx *, ubi thesaurum Ecclesiae, ex quo indulgentiae efficaciam habent, passiones sanctorum continere dicit. Tum quia hoc idem Clemens VI, in Extravaganti de Iubilaeo quinquagenario *, expresse dicit. Constat autem passiones per indulgentiam applicatas, per modum satisfactionis, ac per hoc redemptionis, proficere Ecclesiae. Igitur.

Ad hoc dicitur quod sententia huius litterae non est contra doctrinam de efficacia indulgentiarum ex thesauro meritorum Christi et sanctorum. Quam esse Romanae Ecclesiae doctrinam, et ab omnibus amplectendam, nuperrime Sanctissimus Dominus noster Leo Decimus, per suam decretalem ad me, nunc in Germania legatum, significavit in haec verba, adhibitis censuris contra praedicantes oppositum, ut quidam iam coeperant: *Per praesentes tibi significandum duximus Romanam Ecclesiam, quam reliquae tanquam matrem sequi tenentur, tradidisse Romanum Pontificem, Petri Clavigeri successorem et Iesu Christi in terris Vicarium, potestate clavium, quarum est aperire regnum caelorum tollendo illius in Christi fidelibus impedimenta* (culpam scilicet et poenam pro actualibus peccatis debitam: culpam quidem, mediante sacramento poenitentiae; poenam vero temporalem pro actualibus peccatis secundum divinam iustitiam debitam, mediante ecclesiastica indulgentia), *posse pro rationalibus causis concedere eisdem Christi fidelibus, qui caritate iungente membra sunt Christi, sive in hac vita sint sive in purgatorio, indulgentias ex superabundantia meritorum Christi et sanctorum; ac, tam pro vivis quam pro defunctis Apostolica auctoritate indulgentiam concedendo, thesaurum meritorum Iesu Christi et sanctorum dispensare, et per modum absolutionis indulgentiam ipsam conferre, vel per modum suffragii illam transferre consuevisse; ac propterea omnes, tam vivos quam defunctos, qui veraciter omnes indulgentias huiusmodi consecuti fuerint, a tanta temporali poena secundum divinam iustitiam pro peccatis suis actualibus debita liberari, quanta concessae et acquisitae indulgentiae aequivalet. Et ita ab omnibus teneri et praedicari debere, sub excommunicationis latae sententiae poena, a qua illam incurrentes ab alio quam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, nequeant absolutionis beneficium obtinere, auctoritate Apostolica, earundem tenore praesentium, decernimus.* Haec ibi.

Sed intendit Auctor de passionibus sanctorum absolute. Ita quod inter passiones Christi et sanctorum multiplex in proposito traditur hic differentia. Prima est in verbo *passiones*. Nam passiones Christi absolute redimunt Ecclesiam: passiones autem sanctorum non absolute, ut hic dicitur, sed superflue tantum satisfaciunt pro nobis; ut in IV *Sent.* et in dicta extravagante continetur. – Secunda est in verbo *redemptionis*. Quoniam passio Christi redimit simpliciter, quia a servitute culpae et poenae: passiones vero sanctorum non nisi secundum quid redimunt, scilicet a poena quadam, scilicet temporali pro actuali peccato debita. – Tertia est in verbo *proficiunt*. Quia passio Christi prodest Ecclesiae per modum redemptionis, etiam si nulla clavis Ecclesiae intercedat: sed passiones sanctorum non pro me satisfaciunt nisi clavium auctoritate mihi applicentur.

Tot ergo limitationibus opus cum sit ad verificandum quod aliquae passiones sanctorum prosunt Ecclesiae per modum redemptionis; ac per hoc, affirmativa non nisi secundum quid sit vera: potuit absque ullo veritatis praeiudicio negativa simpliciter et absolute asseri, dicendo quod *passiones sanctorum non prosunt Ecclesiae per modum redemptionis.* Et cum veritate istius negativae stare iam patet doctrinam de efficacia indulgentiarum ex meritis sanctorum.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM PASSIO CHRISTI FUERIT OPERATA NOSTRAM SALUTEM PER MODUM EFFICIENTIAE

Infra, qu. XLIX, art. 1; *Ad Rom.*, cap. IV, lect. III.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod passio Christi non fuerit operata nostram salutem per modum efficientiae. Causa enim efficiens nostrae salutis est magnitudo divinae virtutis: secundum illud Isaiae LIX *: *Ecce, non est abbreviata manus eius, ut salvare non possit.* Christus autem *crucifixus est ex infirmitate,* ut dicitur II *Cor.* XIII *. Non ergo passio Christi efficienter operata est salutem nostram.

2. Praeterea, nullum agens corporale efficienter agit nisi per contactum: unde etiam et Christus tangendo mundavit leprosum *, *ut ostenderet carnem suam salutiferam virtutem habere*, sicut Chrysostomus * dicit. Sed passio Christi non potuit contingere omnes homines. Ergo non potuit efficienter operari omnium hominum salutem.

3. Praeterea, non videtur eiusdem esse [α] operari per modum meriti, et per modum efficientiae: quia ille qui meretur, expectat effectum ab alio. Sed passio Christi operata est nostram salutem per modum meriti *. Non ergo per modum efficientiae.

Sed contra est quod dicitur I *Cor.* I *, quod *verbum crucis his qui salvi fiunt est virtus Dei.* Sed virtus Dei efficienter operatur nostram salutem. Ergo passio Christi in cruce efficienter operata est nostram salutem.

Respondeo dicendum quod duplex est efficiens: principale, et instrumentale. Efficiens quidem principale humanae salutis Deus est. Quia vero humanitas Christi est *divinitatis instrumentum*, ut supra * dictum est, ex consequenti omnes actiones et passiones Christi instrumentaliter operantur, in virtute divinitatis, ad salutem humanam. Et secundum hoc, passio Christi efficienter causat salutem humanam.

* Qu. II, art. 6, arg. 4; qu. XIII, art. 2, 3; qu. XIX, art. 1; qu. XLIII, art. 2.

Ad primum ergo dicendum quod passio Christi, relata ad Christi carnem, congruit infirmitati assumptae: relata vero ad divinitatem, consequitur ex ea infinitam virtutem, secundum illud I *Cor.* I *: *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus;* quia scilicet ipsa infirmitas Christi, inquantum est Dei, habet virtutem excedentem omnem virtutem humanam.

* Vers. 25.

Ad secundum dicendum quod passio Christi, licet sit corporalis, habet tamen spiritualem virtutem ex divinitate unita. Et ideo per spiritualem contactum efficaciam sortitur: scilicet per

---

α) *esse.* – Om. ABC, margo A habet a prima manu.

β * Ad Rom., cap. III, vers. 25.

fidem et fidei sacramenta [β], secundum illud Apostoli *: *Quem proposuit propitiatorem per fidem in sanguine eius.*

Ad tertium dicendum quod passio Christi, secundum quod comparatur ad divinitatem eius, agit per modum efficientiae; inquantum vero comparatur ad voluntatem animae Christi, agit per modum meriti; secundum vero quod consideratur in ipsa carne Christi, agit per modum satisfactionis, inquantum per eam liberamur a reatu poenae; per modum vero redemptionis, inquantum per eam liberamur a servitute culpae; per modum autem sacrificii, inquantum per eam reconciliamur Deo, ut infra * dicetur. * Qu. seq.

β) *sacramenta. – sacramentum* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus ut sonat. – In corpore est una distinctio bimembris, cum duabus conclusionibus, iuxta ipsa membra.

Distinctio est. Causa efficiens duplex: principalis, vel instrumentalis.

Prima conclusio est: *Causa efficiens principalis nostrae salutis est Deus.*

Secunda est: *Passio Christi est causa efficiens instrumentalis nostrae salutis.* Probatur haec. Humanitas Christi est deitatis instrumentum. Ergo omnes actiones et passiones Christi operantur instrumentaliter, virtute deitatis, ad salutem humanam. Ergo passio Christi efficienter causat nostram salutem.

II. Adverte hic, et pro responsione ad secundum, quod passio Christi, ut Auctor dicit *, tenet locum medicinae. Et quemadmodum medicina corporaliter adhibita infirmo instrumentaliter sanat, ita passio Christi spirituali contactu fidei, seu fidei sacramentis, adhibita nobis, sanat nos etiam instrumentaliter. Differentia autem est quia medicina corporea adhibita fit instrumentum naturae ipsius infirmi: medicina autem passionis venit instrumentum deitatis, et sola adhibitione per fidem seu sacramenta eget ad hoc ut nos sanet. * Qu. seq. ad 3.



QUAESTIO QUADRAGESIMANONA

DE EFFECTIBUS PASSIONIS CHRISTI

IN SEX ARTICULOS DIVISA

DEINDE considerandum est de ipsis effectibus passionis Christi *. (* qu. XLVIII, ...)

Et circa hoc quaeruntur sex.

Primo: utrum per passionem Christi simus liberati a peccato.

Secundo: utrum per eam simus liberati a potestate diaboli.

Tertio: utrum per eam simus liberati a reatu poenae.

Quarto: utrum per eam simus Deo reconciliati.

Quinto: utrum per eam sit nobis aperta ianua caeli.

Sexto: utrum per eam Christus [α] adeptus fuerit exaltationem. α

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM PER PASSIONEM CHRISTI SIMUS LIBERATI A PECCATO

Infra, qu. LXIX, art. 1, ad 2, 3; III *Sent.*, dist. XIX, art. 1; Exposit. litt.; *Compend. Theol.*, cap. CCXXXIX; *In Symb. Apost.*, art. 4.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod per passionem Christi non simus liberati a peccato. Liberare enim a peccato est proprium Dei: secundum illud Isaiae XLIII *: *Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me.* Christus autem non est passus secundum quod Deus, sed secundum quod homo. Ergo passio Christi non liberavit nos [β] a peccato. (* Vers. 25.) β

2. PRAETEREA, corporale non agit in spirituale. Sed passio Christi corporalis est: peccatum autem non est nisi in anima, quae est spiritualis creatura. Ergo passio Christi non potuit nos mundare a peccato.

3. PRAETEREA, nullus potest liberari a peccato quod nondum commisit, sed quod in posterum est commissurus. Cum igitur multa peccata post Christi passionem sint commissa, et tota die committantur, videtur quod per passionem Christi non simus liberati a peccato.

4. PRAETEREA, posita causa sufficienti, nihil aliud requiritur ad effectum inducendum. Requiruntur autem adhuc alia ad remissionem peccatorum: scilicet baptismus et poenitentia. Ergo videtur quod passio Christi non sit sufficiens causa remissionis peccatorum.

5. PRAETEREA, *Proverb.* X * dicitur: *Universa delicta operit caritas;* et XV * dicitur: *Per misericordiam et fidem purgantur peccata.* Sed multa sunt alia de quibus habemus fidem, et quae sunt provocativa caritatis. Ergo passio Christi non est propria causa remissionis peccatorum. (* Vers. 12. * Vers. 27.)

SED CONTRA EST quod dicitur *Apoc.* I *: *Dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* (* Vers. 5.)

RESPONDEO DICENDUM quod passio Christi est propria causa remissionis peccatorum, tripliciter. Primo quidem, per modum provocantis ad caritatem. Quia, ut Apostolus dicit, *Rom.* V *: *Commendat Deus suam caritatem in nobis, quoniam, cum inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Per caritatem autem consequimur veniam peccatorum: secundum illud Luc. VII *: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* (* Vers. 8, 9. * Vers. 47.)

Secundo, passio Christi causat remissionem peccatorum per modum redemptionis. Quia enim ipse est caput nostrum, per passionem suam, quam ex caritate et obedientia sustinuit, liberavit nos, tanquam membra sua, a peccatis, quasi per pretium suae passionis: sicut si homo per aliquod opus meritorium quod manu exerceret, redimeret se a peccato quod pedibus commisisset. Sicut enim naturale corpus est unum, ex membrorum diversitate consistens, ita tota Ecclesia, quae est mysticum corpus Christi, computatur quasi una persona cum suo capite, quod est Christus.

Tertio, per modum efficientiae: inquantum caro, secundum quam Christus passionem sustinuit, est *instrumentum divinitatis* *, ex quo eius passiones et actiones operantur in virtute divina ad expellendum peccatum. (* Damascen. *de Fide Orth.*, lib. III, cap. XV.)

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, licet Christus non sit passus secundum quod Deus, tamen caro eius est divinitatis instrumentum. Et ex hoc passio eius habet quandam divinam virtutem ad expellendum peccatum [γ], ut dictum est *. γ (* In corpore.)

AD SECUNDUM DICENDUM quod passio Christi, licet sit corporalis, sortitur tamen quandam spiritualem virtutem ex divinitate, cuius caro ei unita est instrumentum. Secundum quam quidem virtutem passio Christi est causa remissionis peccatorum.

α) *Christus.* – PE; om.

β) *Ergo... nos.* – *Ergo per passionem Christi non sumus liberati* H et tertia.

γ) *ad expellendum peccatum.* – *dimittendi peccata* tertia praeter I.

Ad tertium dicendum quod Christus sua passione a peccatis nos liberavit causaliter, idest, instituens causam nostrae liberationis, ex qua possent quaecumque peccata quandocumque remitti, vel praeterita vel praesentia vel futura: sicut si medicus faciat medicinam ex qua possint etiam [δ] quicumque morbi sanari, etiam in futurum.

Ad quartum dicendum quod, quia passio Christi praecessit ut causa quaedam universalis remissionis peccatorum, sicut dictum est * [* Resp. ad 3.], necesse est quod singulis adhibeatur ad deletionem propriorum peccatorum. Hoc autem fit per baptismum et poenitentiam et alia sacramenta * [* D. 982.], quae habent virtutem ex passione Christi, ut infra * [* Qu. LXII, 5.] patebit.

Ad quintum dicendum quod etiam per fidem applicatur nobis passio Christi ad percipiendum fructum ipsius: secundum illud *Rom.* III * [* Vers. 25.]: *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius.* Fides autem per quam a peccato mundamur, non est fides informis, quae potest esse etiam cum peccato, sed est fides formata per caritatem: ut sic passio Christi nobis applicetur non solum quantum ad intellectum, sed etiam quantum ad affectum. Et per hunc etiam modum peccata dimittuntur ex virtute passionis Christi.

δ) *etiam.* – Om. PFI.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus intelligitur de liberatione per passionem Christi ut causam, non qualemcumque, sed propriam: ut patet ex ultimo argumento.

In corpore unica conclusio: *Passio Christi est propria causa remissionis peccatorum, tribus modis.* Probatur singillatim quoad singulos modos. Littera est satis clara.

Adverte quod, cum passio Christi dicitur causa propria remissionis peccatorum, intelligitur ita propria quod sola ipsa est per quam veniam consequimur peccatorum omnes, praeteriti, praesentes et futuri. Sine fide enim passionis Christi, explicite vel implicite, impossibile est, secundum potentiam ordinariam, hominem remissionem peccatorum consequi.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM PER PASSIONEM CHRISTI SIMUS LIBERATI A POTESTATE DIABOLI

Supra, qu. XLVIII, art. 4; III *Sent.*, dist. XIX, art. 2; *Ad Heb.*, cap. II, lect. IV.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod per passionem Christi non simus liberati a potestate diaboli. Ille enim non habet potestatem super aliquos, in quibus nihil sine permissione alterius facere potest. Sed diabolus nunquam potuit aliquid in nocumentum hominum facere nisi ex permissione divina: sicut patet *Iob* I et II quod, potestate divinitus accepta, eum primo in rebus, et postea in corpore laesit. Et similiter Matth. VIII * [* Vers. 31, 32.] dicitur quod daemones, nisi Christo concedente, non potuerunt porcos intrare. Ergo diabolus nunquam habuit in hominibus potestatem. Et ita per passionem Christi non sumus a potestate diaboli liberati.

2. Praeterea, diabolus potestatem suam in hominibus exercet tentando et corporaliter vexando. Sed hoc adhuc in hominibus operatur, post Christi passionem. Ergo non sumus per passionem Christi ab eius potestate liberati.

3. Praeterea, virtus passionis Christi in perpetuum durat: secundum illud *Heb.* X * [* Vers. 14.]: *Una oblatione consummavit sanctificatos in sempiternum* [α]. Sed liberatio a potestate diaboli nec est ubique, quia in multis partibus mundi adhuc sunt idololatrae [β]: nec etiam erit semper, quia tempore Antichristi maxime suam potestatem exercebit [γ] in hominum nocumentum, de quo dicitur, II *ad Thess.* II * [* Vers. 9.], quod *eius adventus erit secundum operationem Satanae in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis.* Ergo videtur quod passio Christi non sit causa liberationis humani generis a potestate diaboli.

Sed contra est quod Dominus dicit, Ioan. XII * [* Vers. 31.], passione imminente: *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras, et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Est autem exaltatus a terra per crucis passionem * [* Ibid. vers.]. Ergo per eius passionem diabolus est a potestate hominum eiectus.

Respondeo dicendum quod circa potestatem quam diabolus in homines exercebat ante Christi passionem, tria sunt consideranda. Primum quidem est ex parte hominis, qui suo peccato meruit ut in potestatem traderetur diaboli, per cuius tentationem fuerat superatus. – Aliud autem est ex parte Dei, quem homo peccando offenderat, qui, per suam iustitiam, hominem reliquerat potestati diaboli. – Tertium autem est ex parte ipsius diaboli: qui sua nequissima voluntate hominem a consecutione salutis impediebat.

Quantum igitur ad primum, homo est a potestate diaboli liberatus per passionem Christi, inquantum passio Christi est causa remissionis pec-

α) *sempiternum.* – *Similiter etiam ubique extenditur* addunt H et editiones.

β) *idololatrae.* – F et tertia; *idololatriae.*

γ) *exercebit.* – *diabolus* addunt H et editiones.

catorum, ut dictum est [δ] *. – Quantum autem ad secundum, dicendum quod [ε] passio Christi nos a potestate diaboli liberavit, inquantum nos Deo reconciliavit, ut infra * dicetur. – Quantum vero ad tertium, passio Christi nos a diabolo liberavit, inquantum in passione Christi excessit modum potestatis sibi traditae a Deo, machinando in mortem Christi, qui non habebat meritum mortis, cum esset absque peccato. Unde Augustinus dicit, in XIII *de Trin.* *: *Iustitia Christi diabolus victus est: quia, cum in eo nihil morte dignum inveniret, occidit eum tamen; et utique iustum est ut debitores quos tenebat, liberi dimittantur, in eum credentes quem sine ullo debito occidit.*

(Margin: δ; * Art. praeced.; ε; * Art. 4.; * Cap. XIV.)

Ad primum ergo dicendum quod non dicitur sic diabolus in homines potestatem habuisse quasi posset eis nocere Deo non permittente. Sed quia iuste permittebatur nocere hominibus, quos tentando ad suum consensum perduxerat.

Ad secundum dicendum quod diabolus etiam nunc quidem potest, Deo permittente, homines tentare quantum ad animam, et vexare quantum ad corpus: sed tamen praeparatum est homini remedium ex passione Christi, quo se potest tueri contra hostis impugnationes, ne deducatur in interitum mortis aeternae. Et quicumque ante passionem Christi diabolo resistebant, per fidem passionis Christi hoc facere poterant: licet, passione Christi nondum peracta, quantum ad aliquid nullus potuerit [ζ] diaboli manus evadere, ut scilicet non descenderet in infernum. A quo, post passionem Christi, se possunt homines eius virtute tueri. ζ

Ad tertium dicendum quod Deus permittit diabolo posse decipere homines certis [η] personis, temporibus et locis, secundum occultam rationem iudiciorum suorum. Semper tamen per passionem Christi est paratum hominibus remedium se tuendi contra [θ] nequitias daemonum, etiam tempore Antichristi. Sed si aliqui hoc remedio uti negligant, nil deperit efficaciae passionis Christi. η θ

δ) *ut dictum est.* – Om. H et editiones.
ε) *dicendum quod.* – Om. *a.*
ζ) *quantum... potuerit.* – *Quantum autem... potuerit* H, *Quantum autem... poterat* editiones.
η) *certis.* – *in certis* H et editiones. – *personis* om. I.
θ) *contra.* – P; *propter contra b*; *propter* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore primo distinguitur triplex causa diabolicae potestatis in actu super homines ante Christi passionem: scilicet peccatum hominis, offensa Dei, iniquitas diaboli.

Secundo, singillatim secundum singulas causas monstratur liberatio per passionem Christi sub diversis rationibus: scilicet, inquantum remissiva peccati, quoad primum; inquantum reconciliativa Dei, quoad secundum; inquantum praesumptuose illata a diabolo, quoad tertium.

II. Sed occurrit hic novitiorum dubium, quomodo diabolus, machinando in mortem Christi, excessit modum potestatis sibi traditae a Deo: cum diabolus non potuisset inferre Christo, per ministerium Iudaeorum, Pilati et suorum, passionem aut mortem, nisi Deo potestatem dante; ut patet de tentatione Iob *; multo minus enim potuit in Christum quam in Iob.

(Margin: * Arg. 1.)

Et confirmatur. Quia, cum semper diabolus inique utatur potestate sibi data, aut semper ex parte sua excedit modum potestatis, aut nunquam: quia nunquam facit plus quam sibi permittatur facere.

III. Ad hoc dicitur quod non est hic sermo de potestate diaboli absolute, de qua procedunt obiectiones ingerentes dubium: sed de potestate illa quam divina iustitia ob peccata humana diabolo super hominem reliquerat, de qua in littera dicitur, *Homo suo peccato meruit ut in potestatem traderetur diaboli,* et rursus, *Deus per suam iustitiam hominem reliquerat potestati diaboli.* Infra huius siquidem potestatis latitudinem non cadit actio aliqua contra Iesum Christum, qui omnino expers erat demeriti illius quo homines sub diabolica erant relicti potestate. Excessit ergo diabolus, ut minister divinae iustitiae contra hominem, limites potestatis suae, dum contra Christum processit: quamvis non excesserit vires potestatis sibi permissae simpliciter et absolute. Unde, licet semper inique utatur sua potestate, sive absolute sive ut minister iustitiae, quia ex iniqua voluntate exequitur iustitiam, non ut iustitiam exequatur, sed ut suam impleat malam voluntatem; incitando tamen et procurando contra Christi vitam corpoream, singulari modo excessit. Quia contra alios divinae sententiae opus iustum ex demerito patientium, originali saltem peccato, exercebat, quamvis inique: contra Christum nulla erat ratio saeviendi, in quo nullum omnino erat demeritum.

IV. In responsione ad tertium, nota materiam articuli tertii: et solutionem, cum dictis in ea, pro curiosis et admirantibus de tanta libertate ac potestate diaboli in mundo apparente. Regnat enim in terra plus quam Christus: in tantum crevit secta Machometi, et Christianorum iniquitas.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM PER PASSIONEM CHRISTI HOMINES FUERINT LIBERATI A POENA PECCATI

Supra, qu. XLVIII, art. 6, ad 3; III *Sent.*, dist. XIX, art. 3; *In Symb. Apost.*, art. 4.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod per passionem Christi non fuerunt homines liberati a poena peccati. Praecipua enim poena peccati est aeterna damnatio. Sed illi qui damnati erant in inferno pro suis peccatis, non sunt per Christi passionem liberati: quia *in inferno nulla est redemptio* *. Ergo videtur quod passio Christi non liberavit homines a poena.

(Margin: * Orat. De... resp. VII.)

2. Praeterea, illis qui sunt liberati a reatu poenae, non est aliqua poena iniungenda. Sed poenitentibus iniungitur poena satisfactoria. Non ergo per passionem Christi sunt homines liberati a reatu poenae.

* Vers. 23. 3. Praeterea, mors est poena peccati: secundum illud *Rom.* vi *: *Stipendia peccati mors.* Sed adhuc post passionem Christi homines moriuntur. Ergo videtur quod per passionem Christi non sumus a reatu poenae liberati [α].

* Vers. 4. Sed contra est quod dicitur Isaiae liii *: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.*

Respondeo dicendum quod per passionem Christi liberati sumus a reatu poenae dupliciter. Uno modo, directe: inquantum scilicet passio Christi fuit sufficiens et superabundans satisfactio pro peccatis totius humani generis. Exhibita autem satisfactione sufficienti, tollitur reatus poenae. – Alio modo, indirecte: inquantum scilicet passio Christi est causa remissionis peccati, in quo fundatur reatus poenae.

Ad primum ergo dicendum quod passio Christi sortitur effectum suum in illis quibus applicatur per fidem et caritatem, et per fidei sacramenta. Et ideo damnati in inferno, qui praedicto modo passioni Christi non coniunguntur, effectum eius percipere non possunt.

* Art. 1, ad 4, 5; Iª IIªᵉ, qu. lxxxv, art. 5, ad 2. Ad secundum dicendum quod, sicut dictum est *, ad hoc quod consequamur effectum passionis Christi, oportet nos ei configurari. Configuramur autem ei in baptismo sacramentaliter: secundum illud *Rom.* vi *: *Consepulti sumus ei per baptismum in mortem.* Unde baptizatis nulla poena satisfactoria imponitur: quia sunt totaliter liberati per satisfactionem Christi. Quia vero *Christus semel tantum pro peccatis nostris mortuus est,* ut dicitur I Pet. iii *, ideo non potest homo secundario configurari morti Christi per sacramentum baptismi. Unde oportet quod illi qui post baptismum peccant, configurentur Christo patienti per aliquid poenalitatis vel passionis quam in seipsis sustineant. Quae tamen multo minor sufficit quam esset condigna peccato, cooperante satisfactione Christi.

* Vers. 4. (ad Rom. vi) — * Vers. 18. (I Pet. iii)

Ad tertium dicendum quod satisfactio Christi habet effectum in nobis inquantum incorporamur ei ut membra capiti, sicut supra * dictum est. Membra autem oportet capiti esse conformia [β]. Et ideo, sicut Christus primo quidem habuit gratiam in anima cum passibilitate corporis, et per passionem ad gloriam immortalitatis pervenit; ita et nos, qui sumus membra eius, per passionem ipsius liberamur quidem a reatu cuiuslibet poenae, ita tamen quod primo recipimus in anima *Spiritum adoptionis filiorum* *, quo adscribimur ad hereditatem gloriae immortalitatis, adhuc corpus passibile et mortale habentes; postmodum vero, *configurati passionibus et morti Christi* *, in gloriam immortalem perducimur; secundum illud Apostoli, *Rom.* viii *: *Si filii Dei* [γ], *et heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, ut simul glorificemur.*

* Art. 1; qu. xlviii, art. 1, 2, ad 1. — * Ad Rom., viii, vers. 15. — * Ad Philip. iii, vers. 10. — * Vers. 17.

α) *Ergo... liberati.* – *Ergo per passionem Christi non sunt homines liberati a reatu poenae* H et editiones; *homines moriuntur... Christi* om. A.

β) *esse conformia* – *conformari* editiones.

γ) *Dei.* – Om. PHI. Pro *simul glorificemur, et simul glorificemur* Ib, *et conglorificemur* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Per passionem Christi liberati sumus a reatu poenae dupliciter: scilicet directe, et indirecte.* Probatur quoad primam partem: quia passio Christi est satisfactio superabundans pro poena totius mundi. Quoad secundam: quia passio Christi liberavit a peccato, quo homo meretur poenam.

Adverte hic quod liberatio primo modo respicit poenam temporalem, sive hic sive in alia vita debitam. Liberatio vero secundo modo respicit poenam aeternam, a qua per passionem Christi liberamur, dum a servitute peccati originalis et mortalis redimimur. Utrique siquidem peccato debetur poena aeterna: sed, ablato tam originali quam mortali peccato, tollitur ex consequenti reatus aeternae poenae peccatum concomitans.

II. In responsione ad secundum, nota calcem responsionis, et percipe quanta sit vis poenitentiae sacramentalis, quae scilicet a sacerdote imponitur in sacramento poenitentiae. Operatur siquidem ultra vires suas, dum parva, innixa satisfactioni Christi, sufficiens invenitur ac si esset maior.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM PER PASSIONEM CHRISTI SIMUS DEO RECONCILIATI

III *Sent.*, dist. xix, art. 5, quª 1; *In Symb. Apost.*, art. 4.



Ad quartum sic proceditur. Videtur quod per passionem Christi non simus Deo reconciliati. Reconciliatio enim non habet locum inter amicos. Sed Deus semper dilexit nos: secundum illud *Sap.* xi *: *Diligis omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti.* Ergo passio Christi non reconciliavit nos Deo.

* Vers. 25.

2. Praeterea, non potest idem esse principium et effectus: unde gratia, quae est principium merendi, non cadit sub merito. Sed dilectio Dei est principium passionis Christi: secundum illud Ioan. iii *: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret.* Non ergo videtur quod per passionem Christi simus reconciliati Deo, ita quod de novo nos amare inciperet.

* Vers. 16.

3. Praeterea, passio Christi impleta est per homines Christum occidentes, qui ex hoc graviter Deum offenderunt. Ergo passio Christi magis est causa indignationis quam reconciliationis Dei.

Sed contra est quod Apostolus dicit, *Rom.* v *: *Reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius.* * Vers. 10.

Respondeo dicendum quod passio Christi est causa reconciliationis nostrae ad Deum dupliciter. Uno modo, inquantum removet peccatum, per quod homines constituuntur inimici Dei, se-

* Vers. 9. cundum illud *Sap.* xiv *: *Similiter odio sunt Deo* * Ps. v, vers. 7. *impius et impietas eius;* et in Psalmo *: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.*

Alio modo, inquantum est Deo sacrificium acceptissimum. Est enim hoc proprie sacrificii effectus, ut per ipsum placetur Deus: sicut cum homo offensam in se commissam remittit propter aliquod obsequium acceptum quod ei ex- * Vers. 19. hibetur. Unde dicitur I *Reg.* xxvi *: *Si Dominus incitat te adversum me, odoretur sacrificium.* Et similiter tantum bonum fuit quod Christus voluntarie passus est, quod propter hoc bonum in natura humana inventum, Deus placatus est super omni offensa generis humani, quantum ad eos qui Christo passo coniunguntur secundum * Art. 1, ad 4; a. 3, ad 1; qu. xlviii, art. 6, ad 3. modum praemissum *.

Ad primum ergo dicendum quod Deus diligit omnes homines quantum ad naturam, quam ipse fecit. Odit tamen eos [α] quantum ad culpam, quam contra eum homines committunt: α secundum illud *Eccli.* xii *: *Altissimus odio habet peccatores.* * Vers. 3.

Ad secundum dicendum quod Christus [β] non dicitur quantum ad hoc nos Deo reconciliasse, β quod de novo nos amare inciperet: cum scriptum sit, Ierem. xxxi *: *In caritate perpetua dilexi te.* * Vers. 3. Sed quia per passionem Christi est sublata [γ] odii causa: tum propter ablutionem peccati; γ tum propter recompensationem acceptabilioris boni.

Ad tertium dicendum quod, sicut occisores Christi homines fuerunt, ita et Christus occisus. Maior autem fuit caritas Christi patientis quam iniquitas occisorum. Et ideo passio Christi magis valuit ad reconciliandum Deum [δ] toti humano δ generi, quam ad provocandum iram.

α) *Odit tamen eos.* – *Sed odit eos* Hbc, *Sed odit omnes* P.
β) *Christus.* – *passio* pF, *passio Christi* ElpGsF et editiones.
γ) *sublata.* – *sublevata* GHb.
δ) *Deum.* – sDE et tertia praeter l; *Deo;* ed. *a* prosequitur *totum genus humanum;* ut ed. *a* margo P per *Alias.* – Pro *iram, ad iram* PsG et *c, iram toti generi humano* ed. *a.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Passio Christi est causa nostrae reconciliationis ad Deum dupliciter: scilicet, redimendo a peccato, et ut sacrificium.* Omnia clara sunt in littera.

In responsione ad secundum, declaratur quomodo intelligitur Deum placatum: ex parte scilicet nostri. Mutatio enim in nobis, non in Deo inventa est, ex qua Deus placatus dicitur.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM CHRISTUS SUA PASSIONE APERUERIT NOBIS IANUAM CAELI

Supra, qu. xxxix, art. 5, ad 3; III *Sent.*, dist. xviii, art. 6, qu^a 2, 3; dist. xxii, qu. iii, art. 1, ad 4; IV, dist. iv, qu. ii, art. 2, qu^a 6; *In Symb. Apost.*, art. 4.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod Christus sua passione non aperuerit nobis ianuam caeli. Dicitur enim *Proverb.* * Vers. 18. xi *: *Seminanti iustitiam merces fidelis.* Sed merces iustitiae est introitus regni caelestis. Ergo videtur quod sancti Patres, qui operati sunt opera iustitiae, fideliter consecuti essent introi- α tum regni caelestis [α], etiam absque Christi passione. Non ergo passio Christi est causa apertionis ianuae regni caelestis.

2. Praeterea, ante passionem Christi, Elias ra- * Vers. 11. ptus est in caelum, ut dicitur IV *Reg.* ii *. Sed effectus non praecedit causam. Ergo videtur quod apertio ianuae caelestis non sit effectus passionis Christi.

* Vers. 16. 3. Praeterea, sicut legitur Matth. iii *, Christo baptizato *aperti sunt caeli.* Sed baptismus praecessit passionem. Ergo apertio caeli non est effectus passionis Christi.

* Vers. 13. 4. Praeterea, Mich. ii * dicitur: *Ascendit pandens iter ante eos.* Sed nihil aliud videtur pandere iter caeli quam eius ianuam aperire. Ergo videtur quod ianua caeli sit nobis aperta, non per passionem, sed per ascensionem Christi.

* Vers. 19. Sed contra est quod Apostolus dicit, *Heb.* x *: *Habemus fiduciam in introitu sanctorum,* scilicet caelestium, *in sanguine Christi.*

Respondeo dicendum quod clausio ianuae est obstaculum quoddam prohibens homines ab ingressu. Prohibebantur autem homines ab ingressu regni caelestis propter peccatum: quia, sicut dicitur Isaiae xxxv *, *via illa sancta vocabitur* [β], *et* * Vers. 8. β *non transibit per eam pollutus.* Est autem duplex peccatum impediens ab ingressu regni caelestis. Unum quidem commune totius humanae naturae, quod est peccatum primi Parentis. Et per hoc peccatum praecludebatur homini aditus regni caelestis: unde legitur *Gen.* iii * quod, post * Vers. 24. peccatum primi hominis, *collocavit Deus cherubim, et flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitae.* – Aliud autem est peccatum speciale uniuscuiusque personae, quod per proprium actum committitur uniuscuiusque hominis.

Per passionem autem Christi liberati sumus non solum a peccato communi totius humanae naturae, et quantum ad culpam et quantum ad reatum poenae, ipso solvente pretium pro nobis: sed etiam a peccatis propriis singulorum qui communicant eius passioni per fidem et carita-

α) *Ergo videtur... caelestis.* – E et tertia (excepto quod in E *consecuti* margine additur ab antiquo correctore, et quod H pro *fideliter* legit *fidei* et om. *caelestis*); om. Cf. solutionem.
β) *vocabitur.* – PFIsG; *vocatur.*

tem et fidei sacramenta. Et ideo per passionem Christi aperta est nobis ianua regni caelestis. Et hoc est quod Apostolus dicit, *Heb.* IX *, quod *Christus, assistens Pontifex futurorum bonorum, per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa.* Et hoc significatur *Num.* XXXV *, ubi dicitur quod homicida *manebit ibi*, scilicet in civitate refugii, *donec sacerdos magnus, qui oleo sancto unctus est, moriatur*; quo mortuo, poterit in domum suam redire.

* Vers 11, 12.
* Vers. 25 sqq.

Ad primum ergo dicendum quod sancti Patres, operando opera iustitiae, meruerunt introitum regni caelestis per fidem passionis Christi, secundum illud *Heb.* XI *, *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam*: per quam etiam unusquisque a peccato purgabatur quantum pertinet ad emundationem propriae personae. Non tamen alicuius fides vel iustitia sufficiebat ad removendum impedimentum quod erat per reatum totius humanae creaturae. Quod quidem remotum est pretio sanguinis Christi. Et ideo ante passionem Christi nullus intrare poterat regnum caeleste, adipiscendo scilicet beatitudinem aeternam, quae consistit in plena Dei fruitione.

* Vers. 33.

Ad secundum dicendum quod Elias sublevatus est in caelum aereum: non autem in caelum empyreum, qui est locus beatorum *. Et similiter nec Henoch: sed [γ] raptus est ad paradisum terrestrem *, ubi cum Elia simul creditur vivere usque ad adventum Antichristi *.

* Cf. Part I, LXVI, art. 3; I Sent., dist. ..., cap. Iam o... sum est.
* Cf. s. Irenaeus, Contra Haer. lib. V, cap. ...
* Gen. cap. ... vers. 24; ... cap. XLIV, ... 16; cap. XL... vers. 10; Ma... cap. IV, vers. 6; Apoc. cap. ... vers. 3 sqq.

Ad tertium dicendum quod, sicut supra * dictum est, Christo baptizato aperti sunt caeli, non propter ipsum Christum, cui semper caelum patuit: sed ad significandum quod caelum aperitur baptizatis baptismo Christi, qui habet efficaciam ex passione ipsius.

* Qu. XXXIX, 5.

Ad quartum dicendum quod Christus sua passione meruit nobis introitum regni caelestis, et impedimentum removit: sed per suam ascensionem nos quasi in possessionem regni caelestis introduxit. Et ideo dicitur quod *ascendens pandit* [δ] *iter ante eos.*

γ) *nec Henoch: sed.* – *Henoch* HIbc, *etiam Henoch* PG.

δ) *ascendens pandit.* – *ascendit pandens* editiones, *ascendit pandit* B.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus ex consuetudine Ecclesiae utentis ista parabolica locutione. Vocat enim *caeli ianuam*, per similitudinem ad ianuae fructum, qui est impedire vel expeditam reddere penetrationem interiorum, fruitionis divinae consecutionem. Ita quod aperiri caeli ianuam est *expeditam facere consecutionem aeternae beatitudinis*, quae nulli ante Christi passionem concessa est.

In corpore articuli una est conclusio: *Per passionem Christi aperta est ianua regni caelestis.* Probatur dupliciter. Primo. Tollere peccata humana quoad culpam et poenam omnem, est aperire ianuam regni caelorum. Sed Christus per suam passionem abstulit omne peccatum quoad omnia. Ergo. – Maior probatur ab opposito: quia clausio regni caelorum nihil aliud est quam obstaculum peccati quo impedimur a caelo. Probatur auctoritate Isaiae. – Minor probatur auctoritate Apostoli.

Secundo, manifestatur conclusio ex figura effectus mortis summi sacerdotis legalis.

II. Adverte hic tria. Primo, quod clausio regni caelorum est privatio divinae fruitionis post hanc vitam, non qualiscumque, sed ex tali orta et fulta causa, scilicet ex peccato. Et propterea aperire caelum nihil aliud est quam tollere peccatum tam quoad culpam quam quoad poenam. Sublato siquidem sic peccato, manifestum est quod tollitur fruitionis divinae privatio ut poena peccati. Ac per hoc simpliciter tollitur: quia non nisi ut poenam retinebat privationem illam divina benignitas.

Secundo, quod Christus sua passione liberavit membra sua ab omni et culpa et poena: quoniam, ut Apostolus dicit *, abundantius est Christi donum quam fuerit Adae damnum. Sed, ut experientia testatur, et ex calce praecedentis articuli * habes, liberatio ista ordine quodam in executionem mandatur, configurando nos ipsi Christo. Quo fit ut Christus liberaverit nos ab omni poena peccati tam originalis quam actualis: sed nos ordine quodam, et media configuratione ad Christum, consequimur immunitatem a culpa et poena totaliter.

* Ad Rom., cap. v, vers. 15 sqq.
* Art. 3, ad 2, 3.

Pro quo, et responsione ad primum, nota tertio quod, quia primus homo peccavit non solum ut singularis persona, sed etiam ut principium humanae naturae, ideo peccatum originale erat dupliciter mundandum: et ex ea parte qua singularum est personarum; et ex ea parte qua totius humanae naturae seminaliter ab Adam descendentis. Et quoad personalia quidem, olim per circumcisionem vel aliquod sacrificium, et nunc per baptismum purgatur humanum genus ab originali peccato. Ad secundum autem nec circumcisio olim, nec baptismus postea suffecit: ut patet de baptizatis baptismo Christi mortuis ante Christi passionem; nullus enim illorum liber fuit a poena clausurae regni caelorum. Haec enim poena, sicut et mors corporalis, ex peccato originali ut naturae est, consecuta est: et ad utramque abolendam passio Christi fuit necessaria. Quamvis diversimode ab hac et illa nos eripuerit. Quoniam a spirituali poena privationis divinae fruitionis sic nos liberavit quod statim exhibuit effectum. Et inde est quod modo baptizati, si moriuntur, statim beati sunt: beneficium siquidem hoc est baptismi, non simpliciter, sed ratione status, quo scilicet Christi passio consummata est. Et quia baptismus ad hoc institutus est ut esset sacramentum in tali statu (quamvis inchoative parum ante coeperit), ideo baptismo attribuitur aperire caelestem ianuam: quod praefiguratum est cum Christo baptizato *caeli aperti sunt* *. Sed immortalitatis beneficium non statim exhibuit: quamvis tunc fecerit cum *mortem nostram moriendo destruxit* *. Sed, media conformitate nostra ad ipsum morientem, immortalitatem longe excellentiorem illa quae fuit in statu innocentiae, nobis exhibebit in tempore resurrectionis: cum hoc etiam quod in capite nostro, ipso scilicet Christo homine, iam immortalitatem corporis consecuti sumus per ipsius passionem.

* Cf. resp. a...
* Praefat. ... Temp. Pasc. Cf. II Tim., I, vers. 10.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM CHRISTUS PER SUAM PASSIONEM MERUERIT EXALTARI

Supra, qu. xix, art. 3; qu. xlvi, art. 1; infra, qu. liv, art. 2; qu. lix, art. 3; III *Sent.*, dist. xviii, art. 4, qu^a 3; *De Verit.*, qu. xxvi, art. 6, ad 4 *in contrar.*; *Compend. Theol.*, cap. ccxl.



D SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus per suam passionem non meruit exaltari. Sicut enim cognitio veritatis est proprium Deo, ita et sublimitas: secundum illud Psalmi *: *Excelsus super omnes gentes Dominus, et super caelos gloria eius.* Sed Christus, secundum quod homo, habuit cognitionem omnis veritatis non ex aliquo merito praecedenti, sed ex ipsa unione Dei et hominis: secundum illud Ioan. I *: *Vidimus gloriam eius quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.* Ergo neque exaltationem habuit ex merito passionis, sed ex sola unione.

* [...] cxii, vers. 4. — * [...]rs. 14.

2. Praeterea, Christus meruit sibi a primo instanti suae conceptionis, ut supra * habitum est. Non autem maior caritas fuit in eo tempore passionis quam ante. Cum ergo caritas sit merendi principium, videtur quod non magis meruit per passionem suam exaltationem quam ante.

* [...] xxxiv, art. 3.

3. Praeterea, gloria corporis resultat ex gloria animae: ut Augustinus dicit, in Epistola *ad Dioscorum* *. Sed Christus per passionem suam non meruit exaltationem quantum ad gloriam animae: quia anima eius fuit beata a primo instanti suae conceptionis. Ergo neque etiam per passionem meruit exaltationem quantum ad gloriam corporis.

* [...] cxviii, al. [...] cap. iii.

Sed contra est quod dicitur *Philipp.* II *: *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltavit illum.*

* V[...]s. 8, 9.

Respondeo dicendum quod meritum importat quandam aequalitatem iustitiae: unde Apostolus dicit [α] *: *Ei qui operatur, merces imputatur secundum debitum.* Cum autem aliquis ex sua iniusta voluntate sibi attribuit plus quam debeatur, iustum est ut diminuatur etiam quantum ad id quod sibi debebatur: sicut, *cum furatur quis unam ovem, reddet quatuor*, ut dicitur *Exod.* XXII *. Et hoc dicitur mereri, inquantum per hoc punitur cuius est [β] iniqua voluntas. Ita etiam, cum aliquis sibi ex iusta voluntate subtrahit quod debebat habere, meretur ut sibi amplius aliquid superaddatur, quasi merces iustae voluntatis. Et inde est quod, sicut dicitur Luc. XIV *, *qui se humiliat, exaltabitur.*

* [...] Rom., cap. [...]rs. 4. — * [...]s. 1. — * [...]s. 11.

Christus autem in sua passione seipsum humiliavit infra suam dignitatem, quantum ad quatuor. Primo quidem, quantum ad passionem et mortem, cuius debitor non erat. – Secundo, quantum ad locum: quia corpus eius positum est in sepulcro, anima in inferno. – Tertio, quantum ad confusionem et opprobria quae sustinuit. – Quarto, quantum ad hoc quod est traditus humanae potestati: secundum quod ipse dicit Pilato, Ioan. XIX *: *Non haberes in me potestatem, nisi datum tibi fuisset desuper.*

* Vers. 11.

Et ideo per suam passionem meruit exaltationem quantum ad quatuor. Primo quidem, quantum ad resurrectionem gloriosam. Unde dicitur in Psalmo *: *Tu cognovisti sessionem meam*, idest humilitatem meae passionis *, *et resurrectionem meam.* – Secundo, quantum ad ascensionem in caelum. Unde dicitur *Ephes.* IV *: *Descendit primo in inferiores partes terrae: qui autem descendit, ipse est et qui ascendit super omnes caelos.* – Tertio, quantum ad consessum paternae dexterae, et manifestationem divinitatis ipsius: secundnm illud Isaiae LII *: *Exaltabitur et elevabitur, et sublimis erit valde: sicut obstupuerunt super eum multi, sic inglorius erit inter viros aspectus eius.* Et *Philipp.* II * dicitur: *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen*, ut scilicet ab omnibus nominetur Deus, et omnes sibi reverentiam exhibeant sicut Deo. Et hoc est quod subditur *: *ut in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum.* – Quarto, quantum ad iudiciariam potestatem. Dicitur enim *Iob* XXXVI *: *Causa tua quasi impii iudicata est: iudicium causamque recipies.*

* Ps. cxxxviii, vers. 2. — * Cf. Gloss. Interlin. et Lomb. — * Vers. 9, 10. — * Vers. 13, 14. — * Vers. 8, 9. — * Vers. 10. — * Vers. 17.

Ad primum ergo dicendum quod principium merendi est ex parte animae: corpus autem est instrumentum meritorii actus. Et ideo perfectio animae Christi, quae fuit merendi principium, non debuit in eo acquiri per meritum, sicut perfectio corporis, quod fuit passioni subiectum, et per hoc fuit ipsius meriti instrumentum.

Ad secundum dicendum quod per priora merita Christus meruit exaltationem ex parte ipsius animae, cuius voluntas caritate et aliis virtutibus informabatur. Sed in passione meruit suam exaltationem, per modum cuiusdam recompensationis, etiam ex parte corporis: iustum enim est ut corpus, quod fuerat ex caritate passioni subiectum, acciperet recompensationem in gloria.

Ad tertium dicendum quod dispensatione quadam factum est in Christo ut gloria animae, ante passionem, non redundaret ad corpus, ad hoc quod gloriam corporis honorabilius obtineret, quando eam per passionem meruisset. Gloriam autem animae differri non conveniebat: quia anima immediate uniebatur Verbo, unde decens erat ut gloria repleretur ab ipso Verbo. Sed corpus uniebatur Verbo mediante anima.

α) *dicit.* – Addunt *Rom. IV* sCG, *quod* Ic, *Rom. IV quod* P. | β) *cuius est.* – *eius* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus ut sonat. – In corpore duo. Primo, declaratur in communi quid importet meritum, et quomodo intelligatur tam in malo quam in bono; secundo, descendit ad propositum in speciali de Christo *.

* Cf. num. III.

Quoad primum, dicit in communi meritum importare quandam iustitiae, non gratiae, aequalitatem. Et hoc probat auctoritate Apostoli. – Ubi non mireris, Novitie, si a merito transitur ad mercedem: quia merces merito respondet ut praemium debitum.

Exemplis deinde declaratur qualiter meriti aequalitas secundum iustitiam exerceatur tam in malis quam in bonis. Et in malis quidem, rationi adiungit exemplum de iusta aequalitate circa demeritum furti, cum auctoritate sacrae Scripturae. Et inde infertur simile: proportionaliter fieri iustam aequalitatem circa meritum boni.

II. Ubi adverte quod in istis iustitiis interveniunt duo: scilicet res exterior, et voluntas interior; verbi gratia, ovis furto ablata, et voluntas ducens ad furtum. Si consideretur res exterior, puta ovis, duntaxat, sufficit ad aequalitatem iustitiae ut restituatur ipsa ovis: sic enim inaequalitas rei facta per furem reducitur ad pristinam aequalitatem, ut patet. Sed si super hoc consideretur iniqua voluntas furis, qua voluit, contempta iustitia publica et proximi, plus habere quam sibi debetur, et propterea abstulit ovem alienam: sic, ad hoc ut haec iniquitas voluntatis, iuncta operi, ad aequalitatem reducatur, iustum est ut minus habeat de suo qui plus quam debebatur sibi usurpavit de alieno. Et propterea pro una ablata ove reddere tenetur quatuor: unam pro aequalitate rei extra, et tres pro aequalitate iniqui actus. Et quia tam demeritum quam meritum principaliter consistit in voluntate, ideo Auctor in littera, tractans de merito Christi, ad aequalitatem quae principaliter respicit actiones et passiones quatenus sunt voluntariae, se convertit: et tam in malis quam in bonis iustitiae aequalitatem consideravit prout iusta vel iniusta voluntas minus vel plus de sibi debitis voluit cum effectu, ut patet in littera; et hinc ad Christi meritum descendit.

III. Quoad secundum, praesupposita maiore ex declarata ratione meriti, monstrat subsumendo *Christum per suam passionem meruisse quatuor*. – Omnia clara sunt in littera.



QUAESTIO QUINQUAGESIMA

DE MORTE CHRISTI

IN SEX ARTICULOS DIVISA

qu. XLVI, ...d.

Deinde considerandum est de morte Christi *. Et circa hoc quaeruntur sex.

Primo: utrum conveniens fuerit Christum mori.

Secundo: utrum per mortem fuerit separata unio divinitatis et carnis [α].

Tertio: utrum fuerit separata unio divinitatis et animae.

Quarto: utrum Christus in triduo mortis fuerit homo.

Quinto: utrum corpus eius fuerit idem numero vivum et mortuum.

Sexto: utrum mors eius aliquid sit operata ad nostram salutem.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM FUERIT CONVENIENS CHRISTUM MORI

Infra, qu. LII, art. 1; III *Sent.*, dist. XX, art. 3; IV *Cont. Gent.*, cap. LV; *Quodl.* II, qu. I, art. 2; *Compend. Theol.*, cap. CCXXVII; *Cont. Graec. Armen.* etc., cap. VII.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non fuerit conveniens Christum mori. Illud enim quod est primum principium in aliquo genere, non disponitur per id quod est contrarium illi generi: sicut ignis, qui est principium caloris, nunquam potest esse frigidus. Sed Filius Dei est principium et fons omnis vitae: secundum illud Psalmi *: *Apud te est fons vitae.* Ergo videtur quod non fuerit conveniens Christum mori.

* ...xxxv, vers. 10.

2. Praeterea, maior est defectus mortis quam morbi: quia per morbum pervenitur ad mortem. Sed non fuit conveniens Christum aliquo morbo languescere, ut Chrysostomus * dicit. Ergo etiam non fuit conveniens Christum mori.

* ...anas. *Orat. ...carn. Verb.* ...hum. 22, 23. ... qu. XLVI, ...rt., ad 2.

3. Praeterea, Dominus dicit, Ioan. X *: *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.* Sed oppositum non perducit ad oppositum. Ergo videtur quod non fuit conveniens Christum mori.

* ...s. 10.

Sed contra est quod dicitur Ioan. XI *: *Expedit ut moriatur unus homo pro populo, ut non tota gens pereat:* quod quidem Caiphas prophetice dixit, ut Evangelista testatur *.

* ...s. 50. * ...s. 51.

Respondeo dicendum quod conveniens fuit Christum mori *. Primo quidem, ad satisfaciendum pro humano genere, quod erat morti adiudicatum propter peccatum, secundum illud *Gen.* II *: *Quacumque die comederitis, morte moriemini.* Est autem conveniens satisfaciendi pro alio modus cum aliquis se subiicit poenae quam alius meruit. Et ideo Christus mori voluit, ut, moriendo, pro nobis satisfaceret: secundum illud I Pet. III *: *Christus semel pro peccatis nostris* [β] *mortuus est.*

* ...904. * ...s. 17. * ...s. 18.

Secundo, ad ostendendum veritatem naturae assumptae. Sicut enim Eusebius dicit *, *si aliter, post conversationem cum hominibus, evanescens subito evolaret fugiens mortem, ab omnibus compararetur phantasmati.*

* ...*de Laudib. Con...antini*, cap. XV.

Tertio ut, moriendo, nos a timore mortis liberaret. Unde dicitur *Heb.* II *, quod *communicavit carni et sanguini, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.* * Vers. 14, 15.

Quarto ut, corporaliter moriendo *similitudini peccati* *, idest poenalitati, daret nobis exemplum moriendi spiritualiter peccato. Unde dicitur *Rom.* VI *: *Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos existimate mortuos esse peccato, viventes autem Deo.*

* Cf. *ad Rom.*, cap. VIII, vers. 3. * Vers. 10, 11.

Quinto ut, a mortuis resurgendo, virtutem suam ostenderet, qua mortem superavit, et nobis spem resurgendi a mortuis daret. Unde Apostolus dicit, I *Cor.* XV *: *Si Christus praedicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam in vobis dicunt quod resurrectio mortuorum non erit?* * Vers. 12.

Ad primum ergo dicendum quod Christus est fons vitae secundum quod Deus, non autem secundum quod homo. Mortuus autem est non secundum quod Deus, sed secundum quod homo. Unde Augustinus * dicit, *contra Felicianum* **: *Absit ut Christus sic senserit mortem ut, quantum est in se vita, vitam perdiderit. Si enim hoc ita esset, vitae fons aruisset. Sensit igitur mortem participatione humani affectus, quem sponte susceperat: non naturae suae perdidit potentiam, per quam cuncta vivificat.*

* Vigil. Tapsens. ** Al. *de Fide Trinit.*, cap. XIV, al. XX. - Inter Opp. Aug.

Ad secundum dicendum quod Christus non sustinuit mortem ex morbo provenientem, ne videretur ex necessitate mori propter infirmitatem

---

α) *unio divinitatis et carnis.* – *divinitas a carne* P et ita statim *divinitas ab anima.*

β) *nostris.* – IsG *a* et editiones; om.

naturae. Sed sustinuit mortem ab exteriori illatam, cui se spontaneum obtulit, ut mors eius voluntaria ostenderetur.

Ad tertium dicendum quod unum oppositorum per se non ducit ad aliud, sed quandoque per accidens: sicut frigidum quandoque per accidens calefacit. Et hoc modo Christus per suam mortem nos perduxit ad vitam, quia de γ sua morte mortem nostram destruxit: sicut ille qui poenam pro alio sustinet, removet poenam eius. γ

γ) *quia de.* – *quia* sG, *quod de b, dum* PFI.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore una conclusio: *Conveniens fuit Christum mori.* Probatur quinque rationibus. Omnia clara sunt.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM IN MORTE CHRISTI FUERIT SEPARATA DIVINITAS A CARNE

Infra, qu. LIII, art. 1, ad 2; III *Sent.*, dist. II, qu. II, art. 1, qu^a^ 1, ad 1, 2; qu^a^ 3, ad 4; art. 3, qu^a^ 2, ad 1; dist. XXI, qu. I, art. 1, qu^a^ 1; *De Spirit. Creat.*, art. 3, ad 5; Quodl. II, qu. I, art. 1.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod in morte Christi fuerit separata divinitas a carne. Ut enim dicitur Matth. XXVII *, Dominus, in cruce pendens, clamavit: *Deus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* Quod exponens Ambrosius, dicit *: *Clamat homo separatione divinitatis moriturus. Nam, cum divinitas morte* α *libera sit, utique mors ibi esse non poterat nisi vita discederet: quia vita divinitas est.* Et sic videtur quod in morte Christi sit divinitas separata a carne.

* Vers. 46.
* Exposit. in Luc. lib. X, ad cap. XXIII, vers. 46.
α

2. Praeterea, remoto medio, separantur extrema. Sed divinitas unita est carni mediante anima, ut supra * habitum est. Ergo videtur quod, cum in morte Christi anima sit separata a carne, quod per consequens divinitas sit a carne separata.

* Qu. VI, art. 1.

3. Praeterea, maior est virtus vivificativa Dei quam animae. Sed corpus mori non poterat nisi anima separata. Ergo videtur quod multo minus mori poterat nisi separata divinitate.

Sed contra, ea quae sunt humanae naturae, non dicuntur de Filio Dei nisi ratione unionis, ut supra * habitum est. Sed de Filio Dei dicitur id quod convenit corpori Christi post mortem, scilicet esse sepultum: ut patet in symbolo Fidei, ubi dicitur quod *Filius Dei conceptus est et natus ex Virgine, passus, mortuus et sepultus.* Ergo corpus Christi non fuit separatum in morte a divinitate.

* Qu. XVI, art. 4, 5.

Respondeo dicendum quod id quod per gratiam Dei conceditur, nunquam absque culpa revocatur: unde dicitur *Rom.* XI *, quod *sine poenitentia sunt dona Dei et vocatio.* Multo autem maior est gratia unionis, per quam divinitas unita est carni Christi in persona, quam gratia adoptionis, qua alii sanctificantur: et etiam magis permanens ex sui ratione, quia haec gratia ordinatur ad unionem personalem, gratia autem adoptionis ad quandam unionem affectualem. Et tamen videmus quod gratia adoptionis nunquam perditur sine culpa. Cum igitur in Christo nullum fuerit peccatum, impossibile fuit quod solveretur unio divinitatis a carne ipsius. Et ideo, sicut ante mortem caro Christi unita fuit secundum personam et hypostasim Verbo Dei, ita et remansit unita post mortem: ut scilicet non esset alia hypostasis Verbi Dei et carnis Christi post mortem, ut Damascenus dicit, in III libro *.

* Vers. 29.
* De Fide O lib. III, cap. …

Ad primum ergo dicendum quod derelictio illa non est referenda ad solutionem unionis personalis: sed ad hoc quod Deus Pater eum exposuit passioni. Unde *derelinquere* ibi non est aliud quam non protegere a persequentibus.

Vel dicit se derelictum quantum ad illam orationem qua dixerat, *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste:* ut Augustinus exponit, in libro *de Gratia Novi Testamenti* *.

* Al. Ep. (olim CXX *Honorat.*, ca …

Ad secundum dicendum quod Verbum Dei dicitur esse unitum carni mediante anima, inquantum caro per animam pertinet ad humanam naturam, quam Filius Dei assumere intendebat: non autem ita quod anima sit quasi medium ligans unita. Habet autem caro ab anima quod pertineat ad humanam naturam, etiam postquam anima separatur ab ea: inquantum scilicet in carne mortua remanet, ex divina ordinatione, quidam ordo ad resurrectionem β. Et ideo non tollitur unio divinitatis ad carnem. β

Ad tertium dicendum quod anima habet vim vivificandi formaliter. Et ideo, ea praesente et unita formaliter, necesse est corpus esse vivum. Divinitas autem non habet vim vivificandi formaliter, sed effective: non enim potest esse corporis forma. Et ideo non est necesse quod, manente unione divinitatis ad carnem, caro sit viva: quia Deus non ex necessitate agit, sed ex voluntate.

α) *morte.* – *a morte* P.

β) *ad resurrectionem.* – *resurrectionem* c, *resurrectionis* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Caro Christi remansit unita Verbo Dei post mortem.* Probatur ratione et auctoritate. Ratio est. Donum quod per gratiam Dei conceditur, nunquam revocatur sine culpa. Sed gratia unionis est maius donum, et permanentius ex sua ratione, quam gratia adoptionis, quae nunquam perditur sine culpa. Ergo. – Maior probatur auctoritate Apostoli. – Minor, quoad primam partem comparationis: quia maius est esse Deum personaliter quam esse sanctum. Quoad secundam vero: quia unio personalis est permanentior quam unio affectualis.

Auctoritas est Damasceni.

II. Adverte hic quod illa maior, *Nullum donum divinae gratiae perditur sine culpa,* locum habet in donis permanentibus: non autem in his donis quae solum consistunt in quodam fieri, ut donum prophetiae, vel assistentia, ut gratia miraculorum, quae altero duorum modorum conceditur. Haec enim, quia non sunt dona permanentia, perduntur, hoc est, non semper habentur, absque culpa, ut patet, et absque Dei poenitentia. Et propterea Auctor, utens illa maiore ex auctoritate Apostoli, subsumpsit, non positivam, ut subsumendum expectabatur, sed comparativam respectu doni gratiae adoptionis, quam constat non cessare sine culpa; et comparavit illam et quoad maioritatem simpliciter, et quoad maioritatem secundum illud quod requiritur ad propositum, hoc est secundum permanentiam: ut hinc scires quod maior habet locum in hac materia, quia gratia unionis est de genere donorum permanentium; et quod multo magis habet locum in proposito, tum quia est excellentius donum quam gratia adoptionis, tum quia est permanentius.

III. Et de prima quidem excellentia, licet a quibusdam dubitetur *, si quis tamen libraverit rationem allatam, scilicet: Gratia unionis constituit unitum esse personaliter Deum, gratia autem adoptionis constituit esse sanctum: sed longe maius est esse Deum personaliter quam esse sanctum, – manifeste videre poterit sententiam hanc esse veram. In cuius signum, cum communicasset se Deus secundum naturalem similitudinem beneficio creationis; et postea secundum supernaturalem similitudinem beneficio adoptionis; et haec duo fuerunt communia angelo et homini: ad ultimum reservavit, tanquam summum, communicare se personaliter, et hoc soli homini. Et ex hoc homo constitutus est supra angelos: ut Apostolus, *ad Hebraeos* *, probat.

* [Sc]ot. III *Sent.*, [dist.] VII, qu. III, [a]d 2. – Cf. su[p]ra qu. XXXIV, [a. ...], Comment. n. II.

* Cap. I, vers. 4 sqq.

De altera autem excellentia, scilicet quoad permanentiam, manifestum clare est considerantibus quod esse personale est esse substantiale. Nam cum dicitur, *Iesus est Dei Filius,* enuntiatur substantia secundum esse substantiale de substantia: cum autem dicimur nos Dei filii, enuntiatur accidens de substantia mediante etiam accidente, scilicet affectiva parte, in qua consummatur gratia adoptionis; quoniam non nisi divina fruitione, ad quam ordinata est, consummatur. Quanto ergo ex propria ratione permanentius est esse quam operari; et esse substantiale quam accidentale; et esse substantiale divinum hypostatice quam esse accidentale divinum adoptive: tanto permanentius divinae gratiae donum est unio personalis carnis ad Verbum Dei, quam gratia adoptionis filiorum Dei.

IV. In responsione ad tertium, percipe quod Auctor respondet et ad comparativam inter Deum et animam in vivificando, per hoc quod secundum diversa causarum genera utrique convenit vivificare, ac per hoc comparatio inefficax est et sophistice infert: et respondet tacitae quaestioni, prosequendo modum vivificandi effective convenientem Deo, per hoc quod Deus non necessitate naturae, sed voluntarie vivificat. Et intendit per hoc quod, licet deitas personaliter fuerit praesens carni Christi post mortem, et haberet maximam virtutem vivificandi effective; non propterea sequitur quod effective tunc vivificaret carnem Christi, quia non vivificat naturali necessitate, sed voluntarie. Anima autem praesens carni et vivificat formaliter, et ex necessitate naturae.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM IN MORTE CHRISTI FUERIT SEPARATIO DIVINITATIS AB ANIMA

III *Sent.*, dist. XXI, qu. I, art. I, qu[a] 2; qu[a] 3, ad 3; *Quodl.* II, qu. I, art. I.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod in morte Christi fuerit separatio divinitatis ab anima. Dicit enim Dominus, Ioan. X *: *Nemo tollit animam meam a me: sed ego pono eam, et iterum sumo eam.* Non autem videtur quod corpus animam ponere possit, eam a se separando: quia anima non subiicitur potestati corporis, sed potius e converso. Et sic videtur quod Christo secundum quod est Verbum Dei, conveniat animam suam ponere. Hoc autem est eam a se separare. Ergo per mortem anima eius fuit a divinitate separata.

* [Vers.] 18.

2. Praeterea, Athanasius * dicit *maledictum qui totum hominem quem assumpsit Dei Filius, denuo assumptum vel liberatum, tertia die a mortuis resurrexisse non confitetur.* Sed non potuit totus homo denuo assumi, nisi aliquando fuerit totus homo a Dei Verbo separatus. Totus autem homo componitur ex anima et corpore. Ergo aliquando fuit facta separatio divinitatis et a corpore et ab anima.

* [Vigi]l. Tapsens. [de T]rinit., al. de [Unit]ud. Fidei [...] lib. VI.

3. Praeterea, propter unionem ad totum hominem Filius Dei vere dicitur homo. Si igitur, soluta unione animae et corporis per mortem, Verbum Dei remansit unitum animae, sequeretur quod vere dici potuisset Filium Dei esse animam [α]. Hoc autem est falsum: quia, cum anima sit forma corporis, sequeretur quod Verbum Dei fuerit corporis forma, quod est impossibile. Ergo in morte Christi anima fuit a Verbo Dei separata.

4. Praeterea, anima et corpus, ab invicem separata, non sunt una hypostasis, sed duae. Si igitur Verbum Dei remansit unitum tam animae quam corpori Christi, separatis eis ab invicem per mortem Christi, videtur sequi quod Verbum Dei, durante morte Christi, fuerit duae hypostases. Quod est inconveniens. Non ergo post mortem Christi remansit anima Verbo unita.

α) *animam.* – Tertia praeter pGH; *anima.*

* De Fide Orth., lib. III, cap. XXVII. β

Sed contra est quod dicit Damascenus, in III libro *: *Etsi Christus mortuus est ut homo, et sancta eius anima ab incontaminato* [β] *divisa est corpore; sed divinitas inseparabilis ab utrisque permansit, ab anima dico et corpore.*

* Qu. VI, art. 1.

Respondeo dicendum quod anima unita est Verbo Dei immediatius et per prius quam corpus: cum corpus unitum sit Verbo Dei mediante anima, ut supra * dictum est. Cum igitur Verbum Dei non sit separatum in morte a corpore, multo minus separatum est ab anima. Unde, sicut de Filio Dei praedicatur id quod convenit corpori ab anima separato, scilicet esse sepultum; ita de eo in Symbolo * dicitur quod *descendit ad inferos*, quia anima eius, a corpore separata, descendit ad inferos.

* Apostolorum.

* In Ioan. Evang. tract. XLVII, n. 9 sqq.

Ad primum ergo dicendum quod Augustinus *, exponens illud verbum Ioannis, inquirit, cum Christus sit *Verbum et anima et caro, utrum ex eo quod est Verbum, ponat animam; an ex eo quod est anima; an* iterum *ex eo quod est caro.* Et dicit quod, *si dixerimus quod Verbum Dei animam posuit, sequeretur quod aliquando anima illa separata est a Verbo. Quod est falsum. Mors enim corpus ab anima separavit: a Verbo autem animam separatam non dico. Si vero dixerimus quod anima ipsa se ponat, sequitur quod ipsa a se separatur. Quod est absurdissimum* [γ]. Relinquitur ergo quod *ipsa caro animam suam ponit et iterum eam sumit, non potestate sua, sed potestate Verbi inhabitantis carnem:* quia, sicut supra * dictum est, per mortem non est separata divinitas Verbi a carne.

γ

* Art. praec.

Ad secundum dicendum quod in verbis illis Athanasius non intellexit quod totus homo denuo sit assumptus, idest, omnes partes eius: quasi Verbum Dei partes humanae naturae deposuerit per mortem. Sed quod iterato totalitas naturae assumptae sit in resurrectione redintegrata per iteratam unionem animae et corporis.

Ad tertium dicendum quod Verbum Dei, propter unionem humanae naturae, non dicitur humana natura: sed dicitur *homo,* quod est *habens humanam naturam.* Anima autem et corpus sunt partes essentiales humanae naturae. Unde propter unionem Verbi ad utrumque eorum non sequitur quod Verbum Dei sit anima vel corpus: sed quod est *habens animam* vel *corpus.*

* Loc. cit. δ ε ζ

Ad quartum dicendum quod, sicut Damascenus dicit, in III libro *, *quod in morte Christi est separata anima a carne, non est una* [δ] *hypostasis in duas hypostases divisa. Et corpus enim et anima* [ε] *secundum idem ex principio in Verbi hypostasi habuerunt existentiam: et in morte, invicem divisa, singula eorum manserunt* [ζ] *unam hypostasim Verbi habens. Quare una Verbi hypostasis Verbi et animae et corporis exstitit hypostasis. Nunquam enim neque anima neque corpus propriam habuerunt hypostasim, praeter Verbi hypostasim. Una enim semper Verbi hypostasis, et nunquam duae.*

β) *incontaminato.* – PEFGI*b*; *omni contaminato.* Pro *divisa, diversa,* et pro *sed divinitas, divinitas tamen* P.

γ) *sequitur... absurdissimum.* – *sequitur quod anima ipsa a se separata sit quod est absurdum* editiones.

δ) *una.* – Tertia; *unica* AB*a*, *unita* EF, alterutrum CD.

ε) *Et corpus enim et anima.* – *Et corpus eius et anima* F, *corpus Christi et anima* GH, *corpus scilicet et anima (Sed idem) bc, Nam et corpus et anima Christi* P.

ζ) *singula eorum manserunt.* – *singulum eorum mansit* P; *singulum* etiam I; pro *habens,* quod *b* om., corrector nostri exemplaris editionis *a* super marginem scribit *habentia.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *In morte Christi non fuit separata deitas ab anima.* Probatur dupliciter. Primo, ratione. Verbum Dei non est separatum in morte a corpore. Ergo multo minus ab anima. Probatur sequela: quia anima unita est Verbo immediatius quam corpus. – Deinde auctoritate Symboli: quia *descendit ad inferos.* – Omnia clara sunt ex supra * dictis.

* Qu. VI, art. 1. – Cf. Comment.

II. In responsione ad primum, adverte quod responsio, secundum expositionem Augustini, intelligit nomine animae ipsam animae substantiam secundum seipsam: et ideo versatur inter angustias distinctionum. Planior autem sensus Evangelici textus est intelligere animae nomine ipsam quidem animam, non ut in se quaedam substantia est, sed ut substantialiter animat. Sic enim anima formaliter sumitur: et absque omni quaestione liquet quod ipse Dei Filius, qui loquitur dicens, *Ego pono animam meam,* posuit animam suam tollendo animationem illius, tollitur siquidem animare per hoc ipsum quod anima separatur a corpore; et iterum sumpsit eam, dum iterum iunxit animam corpori; ponere enim animam formaliter, hoc est, ut animam, nihil aliud est quam mori. Et in hoc sensu pluries invenitur nominata anima: ut est illud *, *Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis;* et illud *, *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.*

* Ioan. cap. X, vers. 11. * Ibid. cap. XII, vers. 25.

Tu autem qui sermonis formalis non es capax, aut ad plebem loqueris, potes, eandem sententiam servando, glossare *animam,* hoc est, *vitam corporalem.* Sic enim Filius Dei *posuit animam suam,* hoc est, vitam suam: et *iterum sumpsit eam.* Et similiter, *Pastor bonus ponit vitam suam pro* etc.: et sic de aliis. Hoc in idem redit: quia in ipsa animatione, qua anima animat corpus, consistit vita corporea cuiusque hominis.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CHRISTUS IN TRIDUO MORTIS FUERIT HOMO

III *Sent.*, dist. XXII, qu. I, art. 1; *Quodl.* II, qu. I, art. 1; III, qu. II, art. 2; *Compend. Theol.*, cap. CCXXIX.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus in triduo mortis fuerit homo. Dicit enim Augustinus, in I *de Trin.* *: *Talis erat illa susceptio, quae Deum hominem faceret et hominem Deum.* Sed illa susceptio non cessavit per mortem. Ergo videtur quod per mortem non desiit esse homo.

2. PRAETEREA, Philosophus dicit, in IX *Ethic.* *, quod *unusquisque homo est suus intellectus.* Unde et, post mortem animam Petri alloquentes, dicimus: *Sancte Petre, ora pro nobis.* Sed post mortem Filius Dei non fuit separatus ab anima intellectuali. Ergo in illo triduo Filius Dei fuit homo.

3. PRAETEREA, omnis sacerdos est homo. Sed in illo triduo mortis Christus fuit sacerdos: aliter enim non verum esset quod dicitur in Psalmo *: *Tu es sacerdos in aeternum.* Ergo Christus in illo triduo fuit homo.

SED CONTRA, remoto superiori, removetur inferius. Sed vivum, sive animatum, est superius ad animal et ad hominem: nam animal est substantia animata sensibilis. Sed in illo triduo mortis corpus Christi non fuit vivum neque animatum. Ergo non fuit homo.

RESPONDEO DICENDUM quod Christum vere fuisse mortuum est articulus fidei *. Unde asserere omne id per quod tollitur veritas mortis Christi, est error contra fidem. Propter quod in Epistola Synodali Cyrilli * dicitur: *Si quis non confitetur Dei Verbum passum carne, et crucifixum carne, et quod mortem gustavit carne, anathema sit.* Pertinet autem ad veritatem mortis hominis vel animalis quod per mortem desinat esse homo vel animal: mors enim hominis vel animalis provenit ex separatione animae, quae complet rationem animalis vel hominis. Et ideo dicere Christum in triduo mortis hominem fuisse, simpliciter et absolute loquendo, erroneum est. Potest tamen dici quod Christus in triduo fuit *homo mortuus.*

Quidam tamen confessi sunt Christum in triduo hominem fuisse, dicentes quidem verba erronea, sed sensum erroris non habentes in fide: sicut Hugo de Sancto Victore *, qui ea ratione dixit Christum in triduo mortis fuisse hominem, quia dicebat animam esse hominem. Quod tamen est falsum, ut in Prima Parte * ostensum est.

Magister etiam Sententiarum, in XXII distinctione * III libri, posuit quod Christus in triduo mortis fuit homo, alia ratione: quia credidit quod unio animae et carnis non esset de ratione hominis, sed sufficit ad hoc quod aliquid sit homo, quod habeat animam humanam et corpus, sive coniuncta sive non coniuncta. Quod etiam patet esse falsum ex his quae dicta sunt in Prima Parte *, et ex his quae dicta [α] sunt * circa modum unionis.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Verbum Dei suscepit animam et carnem unitam: et ideo illa susceptio fecit Deum hominem et hominem Deum. Non autem cessavit illa susceptio per separationem Verbi ab anima vel a carne: cessavit tamen unio carnis et animae.

AD SECUNDUM DICENDUM quod homo dicitur esse suus intellectus, non quia intellectus sit totus homo, sed quia intellectus est principalior pars hominis, in quo virtualiter existit [β] tota dispositio hominis: sicut si rector civitatis dicatur tota civitas, quia in eo consistit tota dispositio civitatis.

AD TERTIUM DICENDUM quod esse sacerdotem convenit homini ratione animae, in qua est ordinis character. Unde per mortem homo non perdit ordinem sacerdotalem. Et multo minus Christus, qui est totius sacerdotii origo.

* [Cap. XIII.]
* [Cap. IV, n. 3; … lect. IV. – … cap. VIII, n. 6; … lect. IX.]
* [Ps. CIX, vers. 4.]
* [… 306.]
* [Act. Conc. Eph. … cap. XXVI, … Cyrill., anath. …]
* De Sacrament. lib. II, part. I, cap. XI.
* Qu. LXXV, art. 4.
* Cap. *Hic quaeritur.*
* Cf. qu. LXXVI, art. 1.
* Qu. II, art. 5.

α) *dicta.* – *supra dicta* P.

β) *existit.* – *consistit* HsG et editiones; *in quo... hominis* om. BE.

Commentaria Cardinalis Caietani

IN titulo *Christus* significat personam divini Verbi secundum eam dispositionem quam de facto habebat in triduo illo, scilicet quod erat unita animae et corpori Christi separatis ab invicem.

In corpore tria fiunt. Primo, respondetur quaesito una conclusione: *Dicere Christum in triduo mortis hominem fuisse, simpliciter et absolute loquendo, erroneum est.* Probatur. Ad veritatem mortis hominis vel animalis pertinet quod desinat esse homo vel animal. Ergo dicere Christum in triduo mortis hominem, etc. – Antecedens probatur. Quia mors consistit in separatione animae, quae complet rationem hominis et animalis. – Consequentia probatur. Quia asserere omne illud per quod tollitur veritas mortis Christi, est error contra fidem. Quod probatur: quia articulus fidei est de morte Christi; et auctoritate Cyrilli.

Secundo, dicitur quod *potest dici Christum in triduo fuisse hominem mortuum.* Et in promptu ratio est: quia ly *mortuus* est conditio diminuens; sicut ly *pictus* aut *lapideus.*

Tertio, excusantur Hugo et Magister Sententiarum. – Omnia clara sunt ex ante dictis.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM FUERIT IDEM NUMERO CORPUS CHRISTI VIVENTIS ET MORTUI

Quodl. II, qu. I, art. 1; III, qu. II, art. 2, ad 1; IV, qu. v.

AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non fuit idem numero corpus Christi viventis et mortui. Christus enim vere mortuus fuit, sicut et alii homines moriuntur. Sed corpus cuiuscumque alterius hominis non est simpliciter idem numero mortuum et vivum: quia differunt essentiali differentia. Ergo neque corpus Christi est idem numero mortuum et vivum simpliciter [α].

α

2. PRAETEREA, secundum Philosophum, in V *Metaphys.* *, quaecumque sunt diversa specie, sunt diversa etiam numero. Sed corpus Christi vivum et mortuum fuit diversum specie: quia non dicitur oculus aut caro mortui nisi aequivoce, ut patet per Philosophum, et in II *de Anima* * et VII *Metaphys.* ** Ergo corpus Christi non fuit simpliciter idem numero vivum et mortuum.

* S. Th. lect. VIII. - Did. lib. IV, cap. VI, n. 15.

* Cap. I, n. 9. - S. Th. lect. II.
** S. Th. lect. X; Did. lib. VI, cap. X, n. 11. - Cf. *de Partibus Animal.* lib. I, cap. 1; *de Animal. Generat.* lib. II, cap. 1.

3. PRAETEREA, mors est corruptio quaedam. Sed illud quod corrumpitur corruptione substantiali, postquam corruptum est, iam non est: quia corruptio est *mutatio de esse in non esse* *. Corpus igitur Christi, postquam mortuum fuit, non remansit idem numero: cum mors sit substantialis corruptio.

* Aristot. *Physic.* lib. V, cap. I, n. 14; S. Th. lect. I.

SED CONTRA EST quod Athanasius dicit, in Epistola *ad Epictetum* *: *Circumciso corpore, et potato et manducante et laborante, et in ligno affixo, erat impassibile et incorporeum Dei Verbum: hoc erat in sepulcro positum.* Sed corpus Christi vivum fuit circumcisum et in ligno affixum: corpus autem Christi mortuum fuit positum in sepulcro. Ergo hoc idem corpus quod fuit vivum, fuit et mortuum *.

* Num. 5. - Ed. Migne.

* D. 906.

RESPONDEO DICENDUM quod hoc quod dico *simpliciter*, potest dupliciter accipi. Uno modo, *quod* [β] *simpliciter* idem est quod *absolute*: sicut *simpliciter dicitur quod nullo addito dicitur*, ut Philosophus dicit *. Et hoc modo corpus Christi mortuum et vivum simpliciter fuit idem numero. Dicitur enim aliquid esse idem numero simpliciter, quia est supposito idem. Corpus autem Christi vivum et mortuum fuit supposito idem: quia non habuit aliam hypostasim vivum et mortuum, praeter hypostasim Dei Verbi, ut supra * dictum est. Et hoc modo loquitur Athanasius in auctoritate inducta *.

β

* *Topic.* lib. II, cap. XI, n. 4.

* Art. 2.

* Arg. *Sed cont.*

Alio modo, *simpliciter* idem est quod *omnino* vel *totaliter*. Et sic corpus Christi mortuum et vivum non fuit simpliciter idem numero. Quia non fuit totaliter idem: cum vita sit aliquid de essentia corporis viventis, est enim praedicatum essentiale, non accidentale; unde consequens est quod corpus quod desinit esse vivum, non totaliter idem remaneat *.

* D. 404. 1[...]

Si autem diceretur quod corpus Christi mortuum totaliter idem remaneret, sequeretur quod non esset corruptum, corruptione dico mortis. Quod est haeresis Gaianitarum [γ], ut Isidorus dicit *, et habetur in Decretis, XXIV, qu. III **. Et Damascenus dicit, in III libro *, quod *corruptionis nomen duo significat: uno modo, separationem animae a corpore, et alia huiusmodi; alio modo, perfectam dissolutionem in elementa. Ergo incorruptibile dicere corpus Domini, secundum Iulianum et Gaianum, secundum primum corruptionis modum, ante resurrectionem, est impium: quia* corpus Christi *non esset consubstantiale nobis; nec in veritate mortuum esset; nec secundum veritatem salvati essemus. Secundo autem modo, corpus Christi fuit incorruptum.*

γ

* *Etym.* lib. V[...] cap. V, n. 6[...]
** Can. *Quia autem.*
* *De Fide Or*[...] lib. III, cap. XX[...]

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod corpus mortuum cuiuscumque alterius hominis non remanet unitum alicui hypostasi permanenti, sicut corpus mortuum Christi. Et ideo corpus mortuum cuiuscumque alterius hominis non est idem simpliciter, sed secundum quid: quia est idem secundum materiam, non autem idem secundum formam. Corpus autem Christi remanet idem simpliciter, propter identitatem suppositi, ut dictum est *.

* In corpor[...]

AD SECUNDUM DICENDUM quod, quia [δ] idem numero dicitur aliquid secundum suppositum, idem autem specie est idem secundum formam, ubicumque suppositum subsistit in una sola natura, oportet quod, sublata unitate speciei, auferatur unitas numeralis. Sed hypostasis Verbi Dei subsistit in duabus naturis. Et ideo, quamvis in aliis [ε] non remaneat corpus idem secundum speciem humanae naturae, remanet tamen in Christo idem numero secundum suppositum Verbi Dei.

δ

ε

AD TERTIUM DICENDUM quod corruptio et mors non competit Christo ratione suppositi, secundum quod suppositum [ζ] attenditur unitas numeralis: sed ratione naturae humanae, secundum quam invenitur in corpore Christi differentia mortis et vitae.

ζ

α) *simpliciter.* – Om. GHIb, ante *idem* ponit P, post *idem* I, post *numero* c.
β) *quod.* – *secundum quod* P.
γ) *Gaianitarum.* – PsC; *Galanitarum;* ita mox *Galanum.*
δ) *quia.* – P; om.
ε) *in aliis.* – Om. I, post *naturae* ponit G, *in Christo* P; mox *in Christo* om. PGI.
ζ) *suppositum.* – *in supposito bc,* om. PI; *numeralis* om. PI; *humanae* et *in corpore Christi* om. tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus ut sonat. – In corpore ponitur una distinctio bimembris, cum conclusionibus duabus, iuxta numerum membrorum. Distinctio est. *Simpliciter* sumitur duabus significationibus: vel ut significat *nullo addito;* vel ut significat *totaliter.*

Prima conclusio est: *Sumendo « simpliciter » primo modo, corpus Christi vivum et mortuum fuit idem numero simpliciter.* Probatur: quia fuit idem suppositaliter. Et sic loquitur Athanasius.

Secunda conclusio est: *Sumendo « simpliciter » secundo modo, corpus Christi vivum et mortuum non fuit idem numero simpliciter.* Probatur primo. Quia vita est de essentia corporis viventis: quia est praedicatum essentiale, et non accidentale. – Probatur secundo, ex opposito. Quia, si diceretur remansisse totaliter idem, sequeretur quod non esset corruptum corruptione mortis: quod est haeresis Gaianitarum. Et ad hoc afferuntur auctoritates.

II. Adverte hic quod Auctoris doctrina procedit ex supposita unitate formae substantialis in homine. Tenentes enim plures formas in homine, puta formam corporeitatis aut mixti, cui superadditur anima, evaderent consequentiam in littera factam, dicendo quod in morte Christi facta est separatio animae a corpore, et sic fuit ibi corruptio mortis: sed corpus remansit cum illamet corporeitatis forma quam prius habebat; et propterea corpus Christi, inquantum corpus, remansit totaliter idem numero. Et dicere hoc nulla est haeresis. Et ad philosophiam declinandum esset si hoc esset discutiendum. Hanc siquidem viam tenet Scotus *. Qui addit aliud, manifeste alienum a philosophia: scilicet quod fuit corruptio tunc sine generatione. Corruptus quippe fuit homo separatione animae a corpore: et nihil genitum est. * IV *Sent.*, dist. xi, qu. iii. art. 2 principal., art. 2.

Contra hos non loquitur littera: quae de unitate numerali corporis Christi vivi et mortui tractat, et veritatem per se notam tradit. Nam, si corpus Christi remansisset omnino idem quod prius, oporteret quod remansisset vivum eadem vita: alioquin, aut vita nihil illius fuisset nisi accidens; aut non totaliter remansisset idem, deficiente aliqua eius substantia, scilicet vita. Quocirca Scotus corpus Christi tenet omnino idem quatenus est corpus: et non quatenus erat vivum. Auctor autem aliam formam genitam in Christi corpore tenet, scilicet formam cadaveris, per quam erat corpus: quia naturalis ordo habet ut semper *corruptio unius sit generatio alterius* *. Immo prius natura intenditur generatio quam corruptio. Et unam tantum in composito formam, iuxta Peripateticam doctrinam bene perspectam, novimus. * Arist. *de Gen. et Corrupt.* lib. 1, cap. iii, n. 7. – S. Th. lect. vii.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM MORS CHRISTI ALIQUID OPERATA FUERIT AD NOSTRAM SALUTEM

Infra, qu. li, art. 1, ad 2; qu. lvi, art. 1, ad 4; *Ad Rom.*, cap. iv, lect. iii.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod mors Christi nihil operata fuerit ad nostram salutem. Mors enim est privatio quaedam: est enim privatio vitae. Sed privatio, cum non sit res aliqua, non habet aliquam virtutem agendi. Ergo non potuit aliquid operari ad nostram salutem.

2. Praeterea, passio Christi operata est ad nostram salutem per modum meriti *. Sic autem non potuit operari mors Christi: nam in morte separatur anima a corpore, quae est merendi principium. Ergo mors Christi non est operata aliquid ad nostram salutem. * qu. xlviii,

3. Praeterea, corporale non est causa spiritualis. Sed mors Christi fuit corporalis. Non ergo potuit esse causa spiritualis nostrae salutis.

Sed contra est quod Augustinus dicit, in IV *de Trin.* *: *Una mors nostri Salvatoris*, scilicet corporalis, *duabus mortibus nostris,* idest animae et corporis, *saluti fuit.* * ... iii.

Respondeo dicendum quod de morte Christi dupliciter loqui possumus: uno modo, secundum quod est in fieri; alio modo, secundum quod est in facto esse. Dicitur autem mors esse in fieri, quando aliquis per aliquam passionem, vel naturalem vel violentam, tendit in mortem. Et hoc modo, idem est loqui de morte Christi et de passione ipsius. Et ita, secundum hunc modum, mors Christi est causa salutis nostrae, secundum illud quod de passione supra * dictum est. * Qu. xlviii.

Sed in facto esse mors consideratur secundum quod iam facta est separatio corporis et animae. Et sic nunc [α] loquimur de morte Christi. Hoc autem modo mors Christi non potest esse causa salutis nostrae per modum meriti, sed solum per modum efficientiae: inquantum scilicet nec per mortem divinitas separata est a carne Christi, et ideo quidquid contigit [β] circa carnem Christi, etiam anima separata, fuit nobis salutiferum virtute divinitatis unitae.

Consideratur autem proprie alicuius causae effectus secundum similitudinem causae. Unde, quia mors est quaedam privatio vitae propriae, effectus mortis Christi attenditur circa remotionem eorum quae contrariantur nostrae saluti, quae quidem sunt mors animae et mors corporis. Et ideo per mortem Christi dicitur esse destructa in nobis et mors animae, quae est per peccatum, secundum illud Rom. iv *, *Traditus est,* scilicet in mortem, *propter delicta nostra;* et mors corporis, quae consistit in separatione animae, secundum illud I *Cor.* xv *: *Absorpta est mors in victoria.* * Vers. 25. * Vers. 54.

Ad primum ergo dicendum quod mors Christi est operata salutem nostram ex virtute divinitatis unitae, et non ex sola ratione mortis.

Ad secundum dicendum quod mors Christi, se-

α) *nunc.* – PF; *modo* ed. *a, non* ceteri.

β) *contigit.* – F et editiones; *contingit.*

cundum quod consideratur in facto esse, etsi non fuerit ad nostram salutem operata per modum meriti, fuit tamen operata per modum efficientiae, ut dictum est *.

* In corpore.

Ad tertium dicendum quod mors Christi fuit quidem corporalis, sed corpus illud fuit instrumentum divinitatis sibi unitae, operans in virtute eius etiam mortuum.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus ut sonat. – In corpore una distinctio bimembris, cum conclusionibus tribus. Distinctio est de morte: vel in fieri; vel in facto esse.

Prima conclusio est: *De morte Christi in fieri idem est iudicium quod de passione Christi.* Declaratur. Quia mors in fieri fuit ipsa passio Christi.

Secunda conclusio est: *Mors Christi in facto esse non potuit operari salutem nostram per modum meriti, sed efficientiae.* Prima pars in littera non probatur. – Secunda probatur. Per mortem deitas non est separata a carne. Ergo quidquid circa carnem Christi ab anima separatam contigit, fuit nobis salutiferum virtute deitatis unitae.

Tertia conclusio est: *Mors Christi operata est destructionem utriusque nostrae mortis, scilicet animae et corporis.* Probatur. Mors Christi fuit privatio propriae vitae. Ergo effectus eius proprie est remotio nostrorum impedimentorum aeternae vitae. Ergo est remotio utriusque mortis nostrae. – Prima consequentia probatur. Quia consideratur proprie alicuius causae effectus secundum similitudinem causae. – Secunda vero: quia utraque mors contrariatur aeternae nostrae saluti consummatae. – Et confirmatur conclusio auctoritatibus.

II. Adverte hic quod mors in facto esse se tenet ex parte corporis: non enim dicitur anima mortua, sed corpus dicitur et est mortuum. Et quia corpus Christi mortuum erat inanimatum; et meritum principaliter consistit in actu animae: ideo Auctor in littera pro constanti, pro per se noto reliquit primam partem secundae conclusionis, scilicet quod mors Christi in facto esse non profuit meritorie; erat enim in corpore mortuo, in quo nullum erat principium merendi. Et quia erat in illo corpore mortuo principium efficiendi, scilicet deitas, ideo asseritur quod efficere potuit. Ex eo namque quod deitas corpore Christi ut instrumento utebatur, consecutum est ut corpore illo affecto privatione vitae usa est ut organo ad causandam in nobis destructionem utriusque mortis, iuxta illud *: *Qui mortem nostram moriendo destruxit.*

* Praefat. M[...] Temp. Pasch[...]

III. Sed occurrunt hic duo dubia. Primum est: An mors Christi in facto esse fuerit meritoria ex parte animae.

Secundum est: Quomodo salvatur similitudo inter effectum et causam, in tertia conclusione: cum potius videatur oppositum?

Ad primum dicitur quod mors in facto esse sumi potest dupliciter: primo, secundum se solam; alio modo, ut terminat fieri. Et mors quidem ut terminat fieri, cadit sub merito uno et eodem sub quo cadit suum fieri: uno enim et eodem actu martyr vult se occidi et occisum esse. Et sic *pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum eius* *. Et sic mors Christi fuit meritoria. – Sed littera non loquitur sic de morte Christi: sed primo modo, scilicet secundum se solam, prout est separata anima a corpore. Et sic ex nulla parte invenitur ratio meriti: cum nec actus elicitus, nec actus imperatus animae sit mors in facto esse sumpta secundum se sola; quamvis ipsa ut terminat voluntarium mori, cadat sub actu imperato (extendendo actum imperatum ad pati voluntarium), et ideo, ut dictum est, sit meritoria.

* Ps. cxv, vers[...] al. 6.

Ad secundum dubium dicitur quod non est hic quaerenda omnimoda similitudo: cum nec etiam exigatur effectum assimilari causae instrumentali. Sed sufficit, iuxta subiectam materiam, intelligere effectum appropriatum mortis Christi, quae consistit in privatione vitae propriae propter vivificandum nos, esse privationem, non vitae, sed contrariorum vitae nostrae, ut per huiusmodi destructionem ad finem, scilicet ad vitam nostram, nos perducat.



QUAESTIO QUINQUAGESIMAPRIMA

DE SEPULTURA CHRISTI

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

* qu. xlvi, ...od. DEINDE considerandum est de sepultura Christi *.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo: utrum conveniens fuerit Christum sepeliri.

Secundo: de modo sepulturae eius.

Tertio: utrum corpus eius fuerit in sepulcro resolutum.

Quarto: De tempore quo iacuit in sepulcro.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM FUERIT CONVENIENS CHRISTUM SEPELIRI

Infra, qu. lii, art. 4; *Compend. Theol.*, cap. ccxxxiv; I *ad Cor.*, cap. xv, lect. I.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod non fuerit conveniens Christum sepeliri. De Christo enim dicitur in Psalmo *: *Factus est sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber.* Sed in sepulcro includuntur corpora mortuorum: quod videtur libertati esse contrarium. Ergo non videtur fuisse conveniens quod corpus Christi sepeliretur. [* ... lxxxvii, ...s. 5, 6.]

2. PRAETEREA, nihil circa Christum fieri debuit quod non esset salutiferum nobis. Sed in nullo videtur ad salutem hominum pertinere quod Christus fuit sepultus. Ergo non fuit conveniens Christum sepeliri.

3. PRAETEREA, inconveniens esse videtur quod Deus, qui est *super caelos excelsos* [α] *, in terra sepeliretur. Sed illud quod convenit corpori Christi mortuo, attribuitur Deo, ratione unionis. Ergo inconveniens videtur Christum fuisse sepultum. [* ..., cap. xi, ...18; cap. xxii; ...12; Ps. cxii, ...4.]

SED CONTRA EST quod Dominus dicit, Matth. xxvi *, de muliere quae eum inunxit: *Opus bonum operata est in me:* et postea subdit *: *Mittens unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* [* ...s. 10.] [* ...s. 12.]

RESPONDEO DICENDUM quod conveniens fuit Christum sepeliri. Primo quidem, ad comprobandum veritatem mortis: non enim aliquis in sepulcro ponitur, nisi quando iam de veritate mortis constat. Unde et Marci xv * legitur quod Pilatus, antequam concederet Christum sepeliri, diligenti inquisitione cognovit eum mortuum esse. [* ...s. 44, 45.]

Secundo, quia per hoc quod Christus de sepulcro resurrexit, datur spes resurgendi per ipsum his qui sunt in sepulcro: secundum illud Ioan. v*: *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent.* [* ...s. 25, 28.]

Tertio, ad exemplum eorum qui per mortem Christi spiritualiter moriuntur peccatis, qui scilicet *absconduntur a conturbatione hominum**. Unde dicitur *Coloss.* iii *: *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Unde et baptizati, qui per mortem Christi moriuntur peccatis, quasi consepeliuntur Christo per immersionem: secundum illud *Rom.* vi *: *Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem.* [* Ps. xxx, vers. 21.] [* Vers. 3.] [* Vers. 4.]

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Christus etiam [β] sepultus ostendit se inter mortuos liberum fuisse, in hoc quod per inclusionem sepulcri non potuit impediri quin ab eo resurgendo exiverit.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut Christi mors efficienter operata est nostram salutem, ita etiam et eius sepultura. Unde Hieronymus dicit, *super Marc.* *: *Sepultura Christi resurgimus.* Et Isaiae liii, super illud *, *Dabit impios pro sepultura,* dicit Glossa *: *idest: Gentes, quae sine pietate erant, Deo Patrique dabit, quia mortuus et sepultus eos acquisivit.* [* Comment. in s. Marc., cap. xiv, vers. fin. - Inter Opp. Hieron.] [* Vers. 9.] [* Ord. sine nom.]

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut dicitur in quodam Sermone Concilii Ephesini *, *nihil horum quae salvant homines, iniuriam Deo facit: quae ostendunt eum, non passibilem, sed clementem.* Et in alio Sermone eiusdem Concilii legitur *: *Nihil putat iniuriam Deus quod est occasio salutis hominibus. Tu quidem non ita vilem Dei naturam arbitreris, tanquam quae aliquando subiecta possit esse iniuriis.* [* Act. part. III, cap. ix, Theodot. Ancyran. homilia I.] [* Ibid., cap. x, Theodot. Ancyr. homil. II.]

α) *excelsos.* – *excelsus* PIsG.

β) *etiam.* – Om. H et editiones. Pro *ostendit, fatetur* post *fuisse* editiones. – *exiverit* P; *exiret* F, *exivit* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. – In corpore una conclusio: *Conveniens fuit Christum sepeliri.* Probatur tripliciter. Omnia sunt clara.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CONVENIENTI MODO CHRISTUS FUERIT SEPULTUS

In Matth., cap. XXVII; *In Ioan.*, cap. XIX, lect. VI.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur non convenienti modo Christum fuisse sepultum *. Sepultura enim eius respondet morti ipsius. Sed Christus fuit passus mortem abiectissimam: secundum illud *Sap.* II *: *Morte turpissima condemnemus eum.* Ergo inconveniens videtur fuisse quod Christo exhibita fuit honorabilis sepultura, inquantum a magnatibus fuit tumulatus, scilicet a Ioseph ab Arimathaea, qui erat *nobilis decurio,* ut habetur Marci XV *, et a Nicodemo, qui erat *princeps Iudaeorum,* ut habetur Ioan. III *.

* Matth. cap. XXVII, vers. 57 sqq.; Marc. cap. XV, vers. 42 sqq.; Luc. cap. XXIII, vers. 50 sqq.; Ioan. cap. XIX, vers. 38 sqq. — * Vers. 20. — * Vers. 43. — * Vers. 1.

2. PRAETEREA, circa Christum non debuit aliquid fieri quod esset superfluitatis exemplum. Videtur autem superfluitatis fuisse quod ad sepeliendum Christum *Nicodemus venit ferens mixturam myrrhae et aloes quasi libras centum,* ut dicitur Ioan. XIX *: praesertim cum mulier *praevenerit corpus eius ungere in sepulturam,* ut dicitur Marci XIV *. Non ergo fuit hoc convenienter circa Christum factum.

* Vers. 39. — * Vers. 8.

3. PRAETEREA, non est conveniens ut aliquod factum sibi ipsi dissonum sit. Sed sepultura Christi fuit simplex ex una parte, quia scilicet *Ioseph involvit corpus eius in sindone munda,* ut dicitur Matth. XXVII *, *non* autem *auro aut gemmis aut serico,* ut Hieronymus * ibidem dicit: ex alia vero parte videtur fuisse ambitiosa, inquantum eum *cum aromatibus* sepelierunt *. Ergo videtur non fuisse conveniens modus sepulturae Christi.

* Vers. 59. — * Comment. lib. IV. — * Ioan. cap. XIX, vers. 40.

4. PRAETEREA, *quaecumque scripta sunt,* et praecipue de Christo, *ad nostram doctrinam scripta sunt,* ut dicitur *Rom.* XV *. Sed quaedam scribuntur in Evangeliis circa sepulcrum quae in nullo videntur ad nostram doctrinam pertinere: sicut quod fuit sepultus *in horto*, quod *in monumento alieno,* et *novo,* et *exciso in petra.* Inconveniens igitur fuit modus sepulturae Christi.

* Vers. 4.

SED CONTRA EST quod dicitur Isaiae XI *: *Et erit sepulcrum eius gloriosum.*

* Vers. 10.

RESPONDEO DICENDUM quod modus sepulturae Christi ostenditur esse conveniens quantum ad tria. Primo quidem, quantum ad confirmandam fidem mortis et resurrectionis ipsius. – Secundo, ad commendandam pietatem eorum qui eum sepelierunt. Unde Augustinus dicit, in I *de Civ. Dei* *: *Laudabiliter commemorantur in Evangelio qui corpus eius, de cruce acceptum, diligenter atque honorifice tegendum* [α] *sepeliendumque curarunt.* – Tertio, quantum ad mysterium, per quod informantur illi qui *Christo consepeliuntur in mortem* *.

* Cap. XIII. — α — * Ad Rom. cap. VI, vers. 4.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, circa mortem Christi, commendantur patientia et constantia ipsius qui mortem est passus: et tanto magis, quanto mors fuit abiectior. Sed in sepultura honorifica consideratur virtus morientis, qui, contra intentionem occidentium, etiam mortuus honorifice sepelitur: et praefiguratur devotio fidelium, qui erant Christo mortuo servituri.

AD SECUNDUM DICENDUM quod in hoc quod Evangelista dicit * quod sepelierunt eum *sicut mos est Iudaeis sepelire,* sicut Augustinus dicit, *super Ioan.* *, *admonuit in* [β] *huiusmodi officiis quae mortuis exhibentur, morem cuiusque gentis esse servandum. Erat autem* * *illius gentis consuetudo ut mortuorum corpora variis aromatibus condirentur, ut diutius servarentur illaesa.* Unde et in III *de Doct. Christ.* * dicitur quod *in omnibus talibus non usus rerum, sed libido utentis in culpa est.* Et postea subdit: *Quod in aliis personis plerumque flagitium est, in divina vel prophetica persona magnae* [γ] *cuiusdam rei signum est.* Myrrha enim et aloes, propter sui amaritudinem, significant poenitentiam, per quam aliquis in seipso Christum conservat absque corruptione peccati. Odor autem aromatum significat bonam famam.

* Ioan. cap. [XIX], vers. 40. — * Tract. CX[XI]. — β — * *Cat. Aur.* [in] *Ioan.* cap. [XIX], sub nom. A[ug.]. — * Cap. XII. — γ

AD TERTIUM DICENDUM quod myrrha et aloes adhibebantur corpori Christi ut immune a corruptione servaretur: quod videbatur ad quandam necessitatem pertinere. Unde datur nobis exemplum ut licite possimus aliquibus pretiosis uti medicinaliter pro necessitate nostri corporis conservandi.

Sed involutio corporis pertinebat ad solam quandam decentiam honestatis. Et in talibus, simplicibus debemus esse contenti. Per hoc tamen significabatur, ut Hieronymus dicit *, quod *ille in sindone munda involvit Iesum, qui mente pura eum susceperit.* Et hinc, ut Beda dicit, *super Marc.* *, *Ecclesiae mos obtinuit ut sacrificium Altaris non in serico neque in panno tincto, sed in lino terreno celebretur: sicut corpus Domini est in sindone munda sepultum.*

* *Comment.* [in] *Matth.* lib. [IV], ad loc. ci[t.] arg. — * Exposit. l[ib. IV], ad cap. XV, [vers.] 46.

AD QUARTUM DICENDUM quod Christus sepelitur *in horto,* ad significandum quod per mortem et sepulturam ipsius liberamur a morte, quam incurrimus per peccatum Adae in horto Paradisi commissum.

Ideo autem *Salvator in aliena ponitur sepultura,* ut Augustinus dicit, in quodam Sermone *, *quia pro aliorum moriebatur salute: sepulcrum autem mortis est habitaculum.* – Per hoc etiam considerari potest paupertatis abundantia pro nobis susceptae. Nam qui domum in vita non habuit *, post mortem quoque in alieno sepulcro reconditur, et nudus existens a Ioseph operitur.

* In App. S[erm.] CCXLVIII, [de] *Temp.* CXX[XIII]. — * Matth. cap. [VIII], vers. 20; [Luc.] cap. IX, ver[s. 58].

In *novo* autem ponitur monumento, ut Hie-

α) *tegendum.* – DEFI et editiones; *regendum.*

β) *in.* – Editiones; om.

γ) *magnae.* – *maxime* tertia praeter I.

* Comment. in Matth. lib. IV, cap. XXVII, vers. 60. ronymus dicit *, *ne, post resurrectionem, ceteris corporibus remanentibus, surrexisse alius fingeretur. Potest autem et novum sepulcrum Mariae virginalem uterum demonstrare.* – Per hoc etiam datur intelligi quod per Christi sepulturam omnes *innovamur*, morte et corruptione destructa.

In monumento autem *deciso in petra* conditus est, ut Hieronymus dicit * (* Ibid., ad vers.), *ne, si ex multis lapidibus aedificatum fuisset, tumuli fundamentis suffossis, sublatus furto diceretur.* Unde et *saxum magnum* quod appositum fuit, *ostendit non absque auxilio plurimorum sepulcrum potuisse reserari* * (* Hieronym. loc.). – *Si etiam sepultus fuisset in terra, dicere poterant:* « *Suffoderunt terram, et furati sunt eum* », sicut Augustinus dicit * (* Cf. Cat. Aur. in Matth. cap. XXVII, sub nom. Aug.). – Significatur autem mystice per hoc, ut Hilarius dicit * (* Comment. in Matth., cap. XXXIII.), quod *per Apostolorum doctrinam in pectus duritiae gentilis, quodam doctrinae opere excisum, Christus infertur: rude scilicet ac novum, nullo antea ingressu timori Dei pervium. Et quia nihil oporteat praeter eum in pectora nostra penetrare, lapis ostio advolvitur.*

Et, sicut Origenes dicit * (* In Matth. tract. XXXV, in fine.), *non fortuito scriptum est:* « *Ioseph involvit corpus Christi sindone munda, et posuit in monumento novo* », et quod « *advolvit lapidem magnum* »: *quia omnia quae sunt circa corpus Iesu, munda sunt, et nova, et valde magna.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus *modi* nomine utitur pro conditionibus observatis in sepeliendo corpus Christi.

In corpore una conclusio: *Modus sepulturae Christi fuit conveniens, quantum ad tria.* Omnia clara sunt.

In responsione ad ultimum, adde quod excisio sepulcri in petra, immobile sepulcrum reddens, ad perpetuitatem testimonii de morte Christi apud terrigenas spectat. Nec solum testari illud videmus mortem Christi, sed virtutem, qua ipsum sepulcrum inter hostes fidei *gloriosum* servatur * (* Isaiae cap. XI, vers. 10.). Fuit enim et est tot saeculis in manibus infidelium.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM CORPUS CHRISTI IN SEPULCRO FUERIT INCINERATUM

Infra, qu. LIII, art. 1, ad 1; III *Sent.*, dist. XXI, qu. 1, art. 2; *Compend. Theol.*, cap. CCXXXIV; *In Ioan.*, cap. II, lect. III.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod corpus Christi in sepulcro fuerit incineratum. Sicut enim mors est poena peccati primi Parentis, ita etiam incineratio: dictum est enim primo homini post peccatum: *Pulvis es, et in pulverem reverteris*, ut dicitur *Gen.* III * (* vers. 19.). Sed Christus mortem sustinuit ut nos a morte liberaret. Ergo etiam incinerari debuit corpus eius, ut nos ab incineratione liberaret.

2. Praeterea, corpus Christi fuit eiusdem naturae cum corporibus nostris. Sed corpora nostra statim post mortem resolvi incipiunt et ad putrefactionem [α] disponuntur: quia, exhalante calido naturali, supervenit calor extraneus, qui putrefactionem causat. Ergo videtur quod similiter in corpore Christi acciderit.

3. Praeterea, sicut dictum est * (* Art. 1.), Christus sepeliri voluit ut daret hominibus spem resurgendi etiam de sepulcris. Ergo etiam incinerationem pati debuit, ut spem resurgendi incineratis post incinerationem daret.

Sed contra est quod in Psalmo * (* Ps. xv, vers. 10.) dicitur: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem:* quod Damascenus exponit, in III libro * (* De Fide Orth., lib. III, cap. XXVIII.), de corruptione quae est per resolutionem in elementa.

Respondeo dicendum quod non fuit conveniens corpus Christi putrefieri, vel quocumque modo incinerari. Quia putrefactio cuiuscumque corporis provenit ex infirmitate naturae illius corporis, quae non potest amplius corpus continere in unum. Mors autem Christi, sicut supra * (* Qu. L, art. 1, ad 2.) dictum est, non debuit esse cum [β] infirmitate naturae, ne crederetur non esse voluntaria. Et ideo non ex morbo, sed ex passione illata voluit mori, cui se obtulit sponte. Et ideo Christus, ne mors eius naturae infirmitati adscriberetur, noluit corpus suum qualitercumque putrefieri, aut qualitercumque resolvi: sed, ad ostensionem virtutis divinae, voluit corpus illud incorruptum permanere. Unde Chrysostomus dicit * (* Cont. Iud. et Gent., quod Christus sit Deus, num. 9 (Ed. Migne).) quod, *viventibus aliis hominibus, his scilicet qui egerunt strenue, arrident propria gesta: his autem pereuntibus, pereunt. Sed in Christo est totum contrarium: nam ante crucem, omnia sunt maesta et infirma; ut autem crucifixus est, omnia clariora sunt facta, ut noscas non purum hominem crucifixum.*

Ad primum ergo dicendum quod Christus, cum non esset subiectus peccato, neque morti erat obnoxius neque incinerationi. Voluntarie tamen mortem sustinuit propter nostram salutem, propter [γ] rationes supra * (* Qu. L, art. 1.) dictas. Si autem corpus eius fuisset putrefactum vel resolutum, magis hoc fuisset in detrimentum humanae salutis: dum non crederetur in eo esse virtus divina. Unde ex persona eius in Psalmo * (* Ps. XXIX, vers. 10.) dicitur: *Quae utilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionem?* Quasi dicat: *Si corpus meum putrescat, perdetur effusi sanguinis utilitas* * (* Cf. Gloss. Ord. Aug.).

Ad secundum dicendum quod corpus Christi, quantum ad conditionem naturae passibilis, putrefactibile fuit: licet non quantum ad meritum

α) *putrefactionem.* – *putredinem* editiones.
β) *cum.* – Om. H, *ex* cetera tertia.
γ) *propter.* – *secundum* PEIsG.

putrefactionis, quod est peccatum. Sed virtus divina corpus Christi a putrefactione reservavit [δ], sicut et resuscitavit a morte.

Ad tertium dicendum quod Christus de sepulcro resurrexit virtute divina, quae nullis terminis coarctatur. Et ideo hoc quod a sepulcro surrexit, sufficiens argumentum fuit quod homines erant resuscitandi virtute divina non solum de sepulcris, sed etiam de quibuscumque cineribus.

δ) *reservavit. – praeservavit* PI.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore unica conclusio: *Non fuit conveniens corpus Christi putrefieri aut incinerari.* Probatur dupliciter. Primo. Putrefactio provenit ex infirmitate naturae illius corporis non potentis corpus amplius in unum continere. Ergo Christus, ne mors eius infirmitati naturae adscriberetur, noluit corpus suum resolvi. – Antecedens patet. – Consequentia probatur. Quia mors Christi non debuit esse ex infirmitate naturae, sed voluntaria. In cuius signum, non morbo, sed passione voluntarie suscepta mortuus est.

Secundo probatur quia, ad ostensionem divinae virtutis, voluit corpus suum incorruptum permanere. Et ad hoc affertur auctoritas Chrysostomi.

II. Circa primam rationem dubium occurrit, quia impertinens videtur. Nam, sive in corpore Christi fuerit aliqua putrefactio sive non, constabat quod ex violenta passione, non ex naturae infirmitate mortuus erat: quia passus est in cruce iuvenis.

Ad hoc dicitur quod putrefactio cadaveris attestatur infirmitati naturae praesentis et praeteritae. Nam corpora ita compacta ut naturalis complexio vigorosa sit, et viva et mortua putrefactivis resistunt magis aliis. Et propterea, si putrefactio cadaveris accidisset in Christi corpore, testimonium infirmitatis naturae in Christo monstraretur, tanquam impotentis prius amplius tenere corpus vivum, et postea incorruptum: et consequenter quod mors Christi accidisset etiam si noluisset. Et sic imputrefactio corporis mortui non est impertinens, sed idoneum testimonium voluntariae mortis: et putrefactio fuisset testis mortis non voluntariae, sed necessariae ex debilitate naturae. Ex supra * dictis namque patet quod Christus, licet crucifixus, mortuus tamen est quia voluit: in cuius signum, *clamans exspiravit* *.

* Qu. xlvii, a
* Marc. cap. vers. 39.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CHRISTUS FUERIT IN SEPULCRO SOLUM UNA DIE ET DUABUS NOCTIBUS

III *Sent.*, dist. xxi, qu. ii, art. 2, ad 5, 6; *Compend. Theol.*, cap. ccxxxvi; *In Matth.*, cap. xii; I *ad Cor.*, cap. xv, lect. i.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod Christus non fuerit in sepulcro solum una die et duabus noctibus *. Dicit enim ipse, Matth. xii *: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita Filius Hominis erit in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus.* Sed in corde terrae fuit in sepulcro existens. Non ergo fuit in sepulcro solum una die et duabus noctibus.

* Matth. cap. xxviii, vers. 1; Marc. cap. xvi, vers. 1, 2; Luc. cap. xxiv, vers. 1; Ioan. cap. xx, vers. 1.
* Vers. 40.

2. Praeterea, Gregorius dicit, in Homilia Paschali *, quod, *sicut Samson abstulit media nocte portas Gazae, ita Christus media nocte, auferens portas inferni, resurrexit.* Sed postquam resurrexit, non fuit in sepulcro. Ergo non fuit in sepulcro duabus noctibus integris.

* Homil. XXI *in Evang.*

3. Praeterea, per mortem Christi lux praevaluit tenebris. Sed nox ad tenebras pertinet: dies autem ad lucem. Ergo convenientius fuit quod corpus Christi fuerit in sepulcro duabus diebus et una nocte, quam e converso.

Sed contra est quod, sicut Augustinus dicit, in IV *de Trin.* *, *a vespere sepulturae usque ad diluculum resurrectionis triginta sex horae sunt:* idest, *nox tota cum die tota et nocte tota.*

* Cap. vi.

Respondeo dicendum quod ipsum tempus quo Christus in sepulcro mansit, effectum mortis eius repraesentat. Dictum est enim supra * quod per mortem Christi liberati sumus a duplici morte, scilicet a morte animae et a morte corporis. Et hoc significatur per duas noctes quibus Christus in sepulcro permansit. Mors autem eius, quia non fuit ex peccato proveniens sed ex caritate suscepta, non habuit rationem noctis, sed diei. Et ideo significatur per diem integram qua [α] Christus fuit in sepulcro. Et sic conveniens fuit quod Christus una die et duabus noctibus esset in sepulcro.

* Qu. l, art. 6.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut Augustinus dicit, in libro *de Consensu Evang.* *, *quidam, modum Scripturae* [β] *nescientes, noctem voluerunt animadvertere tres illas horas, a sexta usque ad nonam, quibus sol obscuratus est; et diem, tres horas alias quibus iterum terris est redditus, idest* [γ] *a nona usque ad eius occasum. Sequitur enim nox futura sabbati: qua cum suo die computata, erunt iam duae noctes et duo dies. Post sabbatum autem, sequitur nox primae* [δ] *sabbati, idest illucescentis diei Dominici, in qua tunc Dominus resurrexit. Et ita adhuc non constabit ratio trium dierum et trium noctium. Restat ergo ut hoc inveniatur illo Scripturarum usitato loquendi modo quo a parte totum intelligitur:* ita scilicet * quod unam noctem et unam diem accipiamus pro uno die naturali. Et sic primus dies computatur ab extrema parte sui, qua Christus in sexta feria est mortuus et sepultus; secunda autem dies est inte-

* Lib. III, xxiv.
* Cf. ibid., et *Trin.* loc. supra.

α) *integram qua.* – H; *integrum quo* CF et editiones, *integram quo* ceteri.
β) *Scripturae.* – *sepulturae* F, *locutionis sepulturae* E, *lcōis Scripturae* I; *locutionis Scripturae* P. Pro *animadvertere, annumerare* P.
γ) *idest.* – PI; *et.* – *enim* P; om. – Pro *futura, futuri* P; *sabbati* om. EH.
δ) *primae.* – *primi* Pc. – *idest* P; *scilicet* ed. *a*, om. ceteri.

gra cum viginti quatuor horis nocturnis et diurnis; nox autem sequens pertinet ad tertium diem. *Sicut enim * primi dies, propter futurum hominis lapsum, a luce in noctem; ita isti, propter hominis reparationem, a tenebris computantur in lucem.*

* De Trin. loc. supra.

Ad secundum [ε] dicendum quod, sicut Augustinus dicit, in IV *de Trin.* *, Christus in diluculo resurrexit, in quo aliquid lucis apparet, et adhuc tamen aliquid remanet tenebrarum noctis [ζ]: unde de mulieribus dicitur, Ioan. xx *, quod, *cum tenebrae adhuc essent, venerunt ad monumentum.* Ratione ergo harum tenebrarum, Gregorius dicit Christum media nocte surrexisse: non quidem divisa nocte in duas partes aequales, sed infra illam noctem. Illud enim diluculum et pars noctis et pars diei dici potest, propter communicantiam [η] quam habet cum utroque.

* De Consensu Evang. lib. III, cap. xxiv, num.

* Vers. 1.

Ad tertium dicendum quod in tantum lux in morte Christi praevaluit, quod [θ] significatur per unam diem, quod tenebras duarum noctium, idest duplicis mortis nostrae, removit, ut dictum est *.

* In corpore.

ε) *Ad secundum.* – Ordinem solutionum ad secundum et ad tertium invertunt omnes praeter P; C habet *Ad tertium* et tunc *Ad secundum,* sed corrigitur!

ζ) *tenebrarum noctis.* – Tertia; *noctis et tenebrarum* sB, *noctis tenebrarum* ceteri.

η) *communicantiam.* – *convenientiam* E et tertia praeter I.

θ) *quod.* – *qui* E, *quae* tertia.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Conveniens fuit quod Christus duabus noctibus et una die esset in sepulcro.* Probatur. Tempus quo Christus fuit in sepulcro, effectum mortis eius repraesentat. Sed effectus est duplex nostra mors tenebrosa destructa: et ipsa mortis eius lux est causa. Ergo convenienter una die et duabus noctibus mansit in sepulcro. Omnia clara sunt.

II. In responsione ad primum, adverte quod auctoritas Ecclesiae indubie credentis Christum surrexisse prima sabbati in mane vel circa (et inde diem resurrectionis Dominicum nominavit), elidit omnes novitates praesumentium hoc in dubium revocare et exponere Evangelistas suo sensu. Et propterea tales non audiendi, sed vitandi sunt a piis Ecclesiae auribus.

III. In eadem responsione, adverte, Novitie, quod quilibet trium naturalium dierum mortis Christi numeratur accipiendo noctem pro prima parte eius: sexta feria enim incipit a nocte terminante diem Iovis, et similiter sabbatum incipit a nocte terminante feriam sextam, et similiter Dominica incipit a nocte in qua Christus surrexit. Dies vero creationis mundi numerantur incipiendo a die ut a prima parte, ita quod mane incipit dies, et durat usque ad aliud mane exclusive: secunda siquidem pars eius est nox. Et hoc notatur cum dicitur *: *Factum est vespere et mane dies unus:* a termino enim lucis diurnae dixit, *Et factum est vespere,* et a termino nocturnarum tenebrarum subiunxit, *et mane;* ita quod ipse ordo numerandi manifestat lucem priorem tenebris computatam. Ratio autem horum contrariorum ordinum in littera hac redditur satis clara.

* Gen. cap. 1, vers. 5.

IV. In responsione ad ultimum, percipe, Novitie, quod, sicut dicimus, *Media vita in morte sumus* *, et non propterea limitamus nos, quasi dividamus vitam in duas partes aequales; et similiter gesta in claro die dicimus facta *media die;* et submersos in mari dicimus *in medio mari* submersos, non dividendo mari in duas partes aequales: ita resurrectionem, in quacumque parte noctis factam, dicimus *media nocte* factam, absque divisione noctis in duas partes aequales.

* Antiph. ad *Nunc dimittis* in Complet. Sabb. ante Dom. III Quadrag.



QUAESTIO QUINQUAGESIMASECUNDA

DE DESCENSU CHRISTI AD INFEROS

IN OCTO ARTICULOS DIVISA

Deinde considerandum est de descensu Christi ad inferos *.

* Cf. qu. xlvi, Introd.

Et circa hoc quaeruntur octo.

Primo: utrum conveniens fuerit Christum ad inferos descendere.

Secundo: in quem infernum descenderit.

Tertio: utrum totus fuerit in inferno.

Quarto: utrum aliquam moram ibi contraxerit [α].

Quinto: utrum sanctos Patres ab inferno liberaverit.

Sexto: utrum ab inferno liberaverit damnatos.

Septimo: utrum liberaverit pueros in peccato originali defunctos.

Octavo: utrum liberaverit homines de purgatorio.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM FUERIT CONVENIENS CHRISTUM AD INFERNUM DESCENDERE

III *Sent.*, dist. xxii, qu. ii, art. 1, qu^a 1; *Compend. Theol.*, cap. ccxxxv; *In Symb. Apost.*, art. 5.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non fuerit conveniens Christum ad infernum descendere. Dicit enim Augustinus, in Epistola *ad Evodium* *: *Nec ipsos quidem inferos uspiam Scripturarum in bono appellatos potui reperire.* Sed anima Christi non descendit ad aliquod malum: quia nec animae iustorum ad aliquod malum descendunt. Ergo videtur quod non fuerit conveniens Christum ad inferos descendere.

* Ep. cliv, al. xcix, cap. iii. – Cf. Ep. clxxxvii, al. lvii, cap. ii.

2. Praeterea, descendere ad inferos non potest Christo convenire secundum divinam naturam, quae est omnino immobilis: sed solum convenire potest ei secundum naturam assumptam. Ea vero quae Christus fecit vel passus est in natura assumpta, ordinantur ad humanam salutem. Ad quam non videtur necessarium fuisse quod Christus descenderit [β] ad inferos: quia per passionem suam, quam in hoc mundo sustinuit, nos liberavit a culpa et poena, ut supra * dictum est. Non igitur fuit conveniens quod Christus ad infernum descenderet.

* Qu. xlix, art. 1, 3.

3. Praeterea, per mortem Christi separata est anima a corpore eius, quod quidem positum fuerat in sepulcro, ut supra * habitum est. Non videtur autem quod secundum animam solam ad infernum descenderit: quia anima, cum sit incorporea, non videtur quod localiter possit moveri; hoc enim est corporum, ut probatur in VI *Physic.* *; descensus autem motum corporalem importat. Non ergo fuit conveniens quod Christus ad infernum descenderet.

* Qu. praeced.

* Cap. iv, n. 1; cap. x, n. 1 sqq. – S. Th. lect. v, xii.

Sed contra est quod dicitur in Symbolo *: *Descendit ad inferos.* Et Apostolus dicit, *Ephes.* iv *: *Quod autem ascendit, quid est nisi quia descendit primum ad inferiores partes terrae?* Glossa *: *idest ad inferos.*

* Apostolorum.

* Vers. 9.

* Interlin.

Respondeo dicendum quod conveniens fuit Christum ad infernum descendere. Primo quidem, quia ipse venerat poenam nostram portare, ut nos a poena eriperet: secundum illud Isaiae liii *: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Ex peccato autem homo incurrerat non solum mortem corporis, sed etiam descensum ad inferos. Et ideo, sicut fuit conveniens eum mori ut nos liberaret a morte, ita conveniens fuit eum descendere ad inferos ut nos a descensu ad inferos liberaret. Unde dicitur Osee xiii *: *Ero mors tua, o mors! Ero morsus tuus, inferne!*

* Vers. 4.

* Vers. 14.

Secundo, quia conveniens erat ut, victo diabolo per passionem, vinctos eius eriperet, qui detinebantur in inferno: secundum illud Zach. ix *: *Tu quoque in sanguine testamenti tui vinctos tuos emisisti de lacu.* Et *Coloss.* ii * dicitur: *Exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter.*

* Vers. 11.

* Vers. 15.

Tertio ut, sicut potestatem suam ostendit in terra vivendo et moriendo, ita etiam potestatem suam ostenderet in inferno, ipsum visitando et illuminando; unde dicitur in Psalmo *: *Attollite portas, principes, vestras,* Glossa *: *idest: Principes inferni, auferte potestatem vestram, qua usque nunc homines in inferno detinebatis;* et sic *in nomine Iesu omne genu flectatur,* non solum *caelestium,* sed etiam [γ] *infernorum,* ut dicitur *Philipp.* ii *.

* Ps. xxiii, v. 7, 9.

* Ord. Aug.

* Vers. 10.

Ad primum ergo dicendum quod nomen infernorum sonat in malum poenae, non autem in malum culpae. Unde decuit Christum in infernum descendere, non tanquam ipse esset debi-

α) *contraxerit. – traxerit* H et tertia. Cf. art. iv α.
β) *descenderit. – descenderet* H.
γ) *caelestium, sed etiam. – terrestrium sed caelestium et* G, *caelestium et terrestrium sed etiam* F.

tor poena, sed ut eos qui erant poenae obnoxii, liberaret.

δ AD SECUNDUM DICENDUM quod passio Christi fuit quaedam [δ] causa universalis humanae salutis, tam vivorum quam mortuorum. Causa autem universalis applicatur ad singulares effectus per aliquid speciale. Unde, sicut virtus passionis Christi applicatur viventibus per sacramenta configurantia nos passioni Christi, ita etiam applicata est mortuis per descensum Christi ad inferos. Propter quod signanter dicitur Zach. IX *, quod *eduxit vinctos de lacu in sanguine testamenti sui,* idest per virtutem passionis suae. * Loc. cit. in corp.

AD TERTIUM DICENDUM quod anima Christi non descenderit ad inferos eo genere motus [ε] quo corpora moventur: sed eo genere motus quo angeli moventur, sicut in Prima Parte * habitum est. ε * Qu. LIII, art. 1.

δ) *quaedam.* – *quasi quaedam* Plc.

ε) *motus.* – EF et tertia; om. Altero loco om. I.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. – In corpore una conclusio: *Conveniens fuit Christum ad inferos descendere.* Probatur tripliciter. Prima ratio completur ex responsione ad primum. Secunda ratio completur ex responsione ad secundum.

Responsio ad tertium, de motu angelorum, satis in commentariis Primae Partis * tractata est. * Qu. LII., art. 1.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CHRISTUS DESCENDERIT ETIAM AD INFERNUM DAMNATORUM

III *Sent.*, dist. XXII, qu. II, art. 1, qu^a 2.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus descenderit etiam ad infernum damnatorum. Dicitur enim ex ore divinae Sapientiae, *Eccli.* XXIV *: *Penetrabo omnes inferiores partes terrae.* Sed inter partes inferiores terrae computatur etiam infernus damnatorum: secundum illud Psalmi *: *Introibunt in inferiora terrae.* Ergo Christus, qui est *Dei Sapientia* *, etiam usque ad infernum damnatorum descendit. [* ...rs. 45.] [* ...XII, vers. 10.] [* I Cor., cap. ...s. 24.]

2. PRAETEREA, *Act.* II * dicit Petrus quod *Deus Christum suscitavit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* Sed dolores non sunt in inferno Patrum: neque etiam in inferno puerorum, qui non puniuntur poena sensus propter peccatum actuale, sed solum poena damni propter peccatum originale. Ergo Christus descendit in infernum damnatorum, vel etiam in purgatorium, ubi homines puniuntur poena sensus pro peccatis actualibus. [* ...s. 24.]

3. PRAETEREA, I Pet. III * dicitur quod *Christus his qui in carcere conclusi erant, spiritu [α] veniens praedicavit, qui increduli fuerant aliquando:* quod, sicut Athanasius dicit, in Epistola *ad Epictetum* *, intelligitur de descensu Christi ad inferos. Dicit enim quod *corpus Christi fuit in sepulcro positum, quando ipse perrexit praedicare his qui in custodia erant spiritibus, sicut dixit Petrus.* Constat autem quod increduli erant in inferno damnatorum. Ergo Christus ad infernum damnatorum descendit. [* ...s. 19, 20.] α [* ...n. 5.]

4. PRAETEREA, Augustinus dicit, in Epistola *ad Evodium* *: *Si in illum Abrahae sinum Christum mortuum venisse sacra Scriptura dixisset non nominato inferno eiusque doloribus, miror si quisquam eum ad inferos descendisse asserere auderet. Sed quia evidentia testimonia et infernum commemorant et dolores, nulla causa occurrit cur illo credatur venisse Salvator, nisi ut ab eisdem doloribus salvos faceret.* Sed locus dolorum est infernus damnatorum. Ergo Christus in infernum damnatorum descendit. [* ...CLXIV, al. ...C, cap. III.]

5. PRAETEREA, sicut Augustinus dicit, in quodam Sermone *de Passione* [β] *, Christus ad infernum descendens *omnes iustos qui originali peccato adstricti tenebantur, absolvit.* Sed inter illos erat etiam Iob: qui de seipso dicit, *Iob* XVII *: *In profundissima inferni descendent omnia mea.* Ergo Christus etiam usque ad profundissimum inferni descendit. β * In Append. Serm. CLX, al. *de Temp.* CXXXVII, *de Pasch.* II. * Vers. 16.

SED CONTRA EST quod de inferno damnatorum dicitur, *Iob* X *: *Antequam vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine,* etc. [γ] Nulla autem est *conventio lucis ad tenebras:* ut dicitur II *Cor.* VI *. Ergo Christus, qui est lux, ad illum infernum damnatorum non descendit. * Vers. 21. γ * Vers. 14.

RESPONDEO DICENDUM quod dupliciter dicitur aliquid alicubi esse. Uno modo, per suum effectum. Et hoc modo Christus in quemlibet infernum [δ] descendit: aliter tamen et aliter. Nam in infernum damnatorum habuit hunc effectum quod, descendens ad inferos, eos de sua incredulitate et malitia confutavit. Illis vero qui detinebantur in purgatorio, spem gloriae consequendae dedit. Sanctis autem Patribus, qui pro solo peccato originali detinebantur in inferno, lumen aeternae gloriae infudit. δ

Alio modo dicitur aliquid esse alicubi per suam essentiam. Et hoc modo anima Christi

α) *spiritu.* – *spiritualiter* b.
β) *Passione.* – *Resurrectione* P; ita saepius.
γ) *etc.* – Om. GIIab, *ubi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat* Plc.

δ) *infernum.* – E; *infernum damnatorum* ABCFa, *damnatorum* D, *(quaelibet) inferiorum* pG, *(quemlibet) inferorum* sG, *(qualibet) inferiorum* Hb, *infernorum* Plc.

descendit solum ad locum inferni in quo iusti detinebantur: ut quos ipse per gratiam interius visitabat secundum divinitatem, eos etiam secundum animam visitaret et loco. Sic autem in una parte inferni existens, effectum suum aliqualiter ad omnes inferni partes derivavit, sicut, in uno loco terrae passus, totum mundum sua passione liberavit.

Ad primum ergo dicendum quod Christus, qui est Dei Sapientia, *penetravit omnes inferiores partes terrae,* non localiter, secundum animam omnes circumeundo; sed effectum suae potentiae aliqualiter ad omnes extendendo [ε]. Ita tamen quod solos iustos illuminavit: sequitur enim: *Et illuminabo* [ζ] *omnes sperantes in Domino.*

Ad secundum dicendum quod duplex est dolor. Unus de passione poenae, quam patiuntur homines pro peccato actuali: secundum illud Psalmi *: *Dolores inferni circumdederunt me.* – Alius autem dolor est de dilatione speratae gloriae: secundum illud *Proverb.* XIII *: *Spes quae differtur, affligit animam.* Quem quidem dolorem etiam patiebantur sancti Patres in inferno. Ad quod significandum Augustinus, in Sermone *de Passione* *, dicit quod *lacrymabili obsecratione Christum orabant.*

* Ps. XVII, vers. 6.
* Vers. 12.
* Cit. in arg. 5.

Utrosque autem dolores Christus solvit ad infernum descendens: aliter tamen et aliter. Nam dolores poenarum solvit praeservando ab eis: sicut medicus dicitur solvere morbum a quo praeservat per medicinam *. Dolores autem causatos ex dilatione gloriae actualiter solvit, gloriam praebendo.

* D. 1054.

Ad tertium dicendum quod illud quod ibi dicit Petrus, a quibusdam refertur ad descensum Christi ad inferos, sic exponentes verbum illud: *His qui in carcere conclusi erant,* idest in inferno, *spiritu,* idest secundum animam, *Christus veniens praedicavit, qui increduli fuerant aliquando.* Unde et Damascenus dicit, in III libro *, quod, *sicut his qui in terra sunt evangelizavit, ita et his qui in inferno:* non quidem ut incredulos ad fidem converteret, sed *ut eorum infidelitatem confutaret.* Quia et ipsa praedicatio nihil aliud intelligi potest quam manifestatio divinitatis eius, quae manifestata est infernalibus per virtuosum descensum Christi ad inferos.

* De Fide Orth., lib. III, cap. XXIX.

Augustinus tamen melius exponit, in Epistola *ad Evodium* *: ut referatur, non ad descensum Christi ad inferos, sed ad operationem divinitatis eius, quam exercuit a principio mundi. Ut sit sensus quod *his qui in carcere conclusi erant,* viventes scilicet in corpore mortali, quod est quasi quidam carcer animae, *spiritu* suae divinitatis *veniens praedicavit,* per internas inspirationes, et etiam exteriores admonitiones per ora iustorum: *his,* inquam, *praedicavit qui increduli fuerant aliquando,* Noe scilicet praedicanti, *quando expectabant Dei patientiam,* per quam differebatur poena diluvii. Unde subdit: *in diebus Noe, cum fabricaretur arca.*

* Ep. CLXIV, al. XCIX, cap. IV.

Ad quartum dicendum quod *sinus Abrahae* potest secundum duo considerari. Uno modo, secundum quietem quae ibi erat a poena sensibili. Et quantum ad hoc non competit ei nec nomen inferni, nec sunt ibi aliqui dolores. Alio modo potest considerari quantum ad privationem gloriae speratae. Et secundum hoc habet rationem inferni et doloris. Et ideo nunc dicitur sinus Abrahae illa requies beatorum: non tamen dicitur infernus, nec dicuntur nunc in sinu Abrahae esse dolores.

Ad quintum dicendum quod, sicut Gregorius ibidem * dicit, *ipsa superiora loca inferni « profundissimum infernum » vocat. Si enim, quantum ad celsitudinem caeli, aer iste caliginosus infernus est; quantum ad eiusdem aeris altitudinem, terra, quae inferius iacet, et infernus intelligi, et profundum potest. Quantum vero ad eiusdem terrae altitudinem, illa loca inferni quae superiora sunt aliis receptaculis inferni, hoc modo inferni profundissimi appellatione significantur.*

* Moral. lib. [...] cap. XLVII [...] XVII; in vet[...]

ε) *extendendo.* – F et tertia; *ostendendo.* | ζ) *illuminabo.* – Pl; *illuminabit.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus plus quaerit quam exprimat. Quaerit enim in quem inferni locum Christus descendit, ut patet in divisione articulorum: explicat autem specialiter de inferno damnatorum, tanquam de magis difficili.

In corpore distinctionem bimembrem facit de esse alicubi dupliciter, vel secundum effectum, vel secundum substantiam: et iuxta singula membra singulis conclusionibus respondet quaesito *.

* Cf. num. seq.

II. Prima conclusio: *Christus secundum effectum descendit in quemlibet infernorum locum.* Et declaratur in tribus.

Occurrit autem statim hic dubium: quia non est sufficienter probata conclusio ex tribus locis inferni. Nam datur quartus locus, scilicet limbus puerorum qui sine aliquo fidei signo decesserunt. Si ergo Christus descendit secundum effectum in quemlibet, oportet et quod in limbum puerorum aliquem effectum habuerit; et quod Auctor defecerit, relinquendo hunc quartum locum.

Ad hoc dicitur quod, quia sub ordine damnatorum comprehenditur tota pars sinistra Christi Iudicis *, ideo etiam Auctor sub inferno damnatorum comprehendit etiam infernum puerorum: unusque effectus fuit communis omnibus, quamvis diversimode. Confutati enim sunt omnes de malitia et incredulitate: sed infantes de sola malitia originalis peccati et incredulitate, quia nec propria nec parentum fide incredulitatem evaserunt.

* Matth. cap. XXV, vers. 33 sqq.

Secunda conclusio est: *Anima Christi descendit secundum substantiam ad solum infernum Patrum.* Manifestatur dupliciter. Primo, ex convenientia cum effectu ibi: ut scilicet visitaret loco secundum animam quos visitabat interius satiando deitate. – Secundo, ex similitudine ad passionem: ut sicut in una parte terrae, etc.

III. Occurrit hic unum dubium. Quia effectus Christi patientis omnes sunt effectus non solius deitatis, sed humanitatis Christi. Et similiter effectus Christi descendentis ad inferos debent esse non solius deitatis. In littera autem ponitur effectus unus infusio luminis aeternae gloriae. Constat enim Deum immediate infundere lumen gloriae animabus. Ergo.

Ad hoc dicitur quod etiam ipsum lumen gloriae consequimur ex virtute passionis Christi, quae ex hoc ipso

et nobis et illis aperuit caelum, quod utrisque impedimenta illius luminis abstulit. Et quia, ut in praec. art. resp. ad 2 dicitur, virtus passionis Christi applicata est ad Sanctos mediante descensu Christi ad inferos, sicut ad nos mediis sacramentis; ideo ad infusionem luminis gloriae in Sanctis operatus est descensus animae Christi applicando ad eos virtutem suae mortis, hoc est, exequendo substantiali praesentia ablationem poenae qua privabantur lumine gloriae; et sic deitas immediate eos beavit. Quibus tamen animam Christi instrumentaliter ipsum gloriae lumen contulisse non est impossibile. Ad beatitudinem enim sufficit quod deitas immediate beet obiective: nam cum hoc stat quod effective mediate beat, et causando, mediante Christi anima instrumentaliter, lumen gloriae; et, mediante ipso lumine ac anima beati, actum beatitudinis.

IV. In eodem secundo articulo dubium occurrit propter Durandum, in III *Sent.*, dist. xxii, qu. i, art. 3 *: an descensus Christi ad inferos fuerit secundum substantiam animae, vel solummodo secundum effectum. Durandus enim, cuius studium fuit contradicere divo Thomae, cum cogeretur concedere Christi ad inferos descensum secundum animam, et nollet communi concordare doctrinae tradenti ipsam Christi animam fuisse praesentem in inferno, finxit modum quendam quo sola voce affirmaret Christi animam descendisse ad infernum: scilicet, non per substantiae animae praesentiam definitivam, sed solummodo per effectum.

* ... dist. xxii, ... iii.

Probatque primo partem negativam, sic. Anima Christi non descendit ad inferos eo motus genere quo angelus movetur de loco ad locum *. Ergo, etc. – Assumptum probatur. Quia angelum moveri de loco ad locum est successive operari in diversis locis. Hoc autem non potest convenire animae separatae: quia anima separata in nullo corpore seu loco potest operari, quia determinata est ex natura animae ad non operandum in loco nisi mediante proprio corpore, quo caret cum separata est.

* ... art. praec.,

Deinde probat partem affirmativam tripliciter. Primo, quia motus animae separatae est, non per motum subiective in ipsa anima, sed per effectum. Quod probatur: quia hoc modo movetur angelus.

Secundo, quia in istanti mortis Christi Patres in limbo fuerunt beati. Descensus autem animae Christi non fuisset in instanti mortis consummatus, si secundum locum fuisset.

Tertio, quia sic Christus fuit in inferno cum Patribus sicut etiam fuit eodem die in paradiso cum latrone. Sed esse in paradiso cum latrone non significat locum aliquem acquisitum animae Christi. Ergo nec esse in inferno significat locum animae Christi. – Et si dicatur distinguendo de paradiso spirituali, vel corporali: – ita quoque distinguam de inferno, et dicam Christum descendisse ad infernum spiritualem cum beatificavit Patres, ratione termini a quo, scilicet carentiae divinae visionis; et fuisse cum eisdem in paradiso spirituali ratione termini ad quem, scilicet fruitionis beatae.

Et subdit Durandus quod, *licet hoc sit probabiliter dictum, et satis videatur salvare articulum fidei et dictum Scripturae: non tamen est pertinaciter asserendum. Nec nos negamus alium modum esse forsitan tutiorem: fatemur tamen nos ignorare illum.* Quae videtur apposuisse timens erroneam esse positionem dictam.

V. Ad huius evidentiam, tria agenda sunt: primo, narrabitur veritas; secundo, unde scitur *; tertio, respondebitur obiectis *. Quoad primum, quia anima separata habet modum essendi similem angelis, pro quanto est per se subsistens sine corpore; et habet esse in loco non circumscriptive, sed definitive, sicut angelus: ideo sicut, in communi loquendo, angelum dicimus esse in loco pro quanto non solum effectus eius, sed substantia eius est in loco, hoc est, *ita ibi quod non alibi* *; ita animam separatam in loco aliquo esse dicimus non ratione solius effectus, sed quia ipsa eius substantia est ita ibi quod non alibi.

* ... num. seq.
* ... num. vii.
* ... Damascen. ... de Orth., ... cap. xiii.

Unde, ad propositum deveniendo, anima Christi in triduo mortis fuit in inferno non ratione solius effectus, sed ratione definitivae praesentiae substantiae suae ad locum inferni. Ita quod esse in loco inferni erat nonnulla poenalitas, quam anima Christi pro nostra salute sustinebat: quam poenalitatem humanae naturae propter originale peccatum Petrus Apostolus, *Act.* ii *, dolores inferni appellavit, dum dicit de Christo, *quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni.* – Haec de primo.

* Cf. arg. 2.

VI. Quoad secundum *, ex Symbolo Apostolorum clare habetur quod Christus *descendit ad inferos:* et ex contextu ipsius Symboli clare patet quod de reali praesentia ipsius Christi, et non effectus eius, intelligitur. Quoniam per modum historiae interponitur antecedentibus et consequentibus, et non aliter intellectis quam de simili reali praesentia: ut patet cum praeponitur, *crucifixus, mortuus et sepultus,* et cum subiungitur, *surrexit a mortuis, ascendit in caelos.* Cum enim de reliquis nulla sit quaestio, neque de hoc intermedio debet esse quaestio quin de reali praesentia substantiae Christi intelligatur.

* Cf. num. praeced. init.

Accedit ad haec sacri expositio Concilii Generalis sub Innocentio III, Extra, *de Sum. Trin. et Fid.*, cap. *Firmiter credimus*, ubi dicitur de Christo: *Descendit ad inferos, resurrexit a mortuis, et ascendit in caelum: sed descendit in anima, et resurrexit in carne, ascenditque pariter in utroque.* Ubi clare ponitur descensus in anima: et non dixit, *in effectu animae.* Et rursus, sicut vere caro quae ceciderat a vita, resurrexit in seipsa, et non in effectu, ita descendit vere in anima, et non in effectu. Et iterum, sicut cum dicitur quod *ascendit pariter in utroque,* scilicet anima et carne, de ipsis, et non de eorum effectibus intelligitur; ita, cum dicitur, *descendit in anima,* de ipsa anima, et non de eius effectu intelligendum est. Et si per haec verba non significatur descensus Christi in anima secundum ipsam substantiam animae, dicant, quaeso, isti opinantes quibus verbis uti debuerunt Patres in Concilio ad significandum ipsius animae in seipsa descensum ad inferos. Ideo enim apposuerunt ad articulum fidei exponendum quod *descendit in anima,* ne liceret putari quod descendit Christus non personaliter in naturae humanae anima, quam habebat, sed solum secundum effectum.

Urget quoque valde auctoritas Psalmi xv *, iuxta expositionem Petri Apostoli, *Act.* ii *, ubi Christus dicit: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Ad litteram enim, nomen loci seu poenae oportet esse *infernum.* Tum quoniam expresse dicitur quod in eo non est derelicta anima Christi, sicut nec caro corrupta est in sepulcro. Tum quoniam, ibidem *, huic eidem inferno attribuit Petrus Apostolus non solum dolores, sed quod non poterat violentare Christum, cum dicit: *Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo,* scilicet inferno. Haec enim duo, scilicet quod Christus non poterat detineri ab inferno, et quod Christus secundum animam non est derelictus in inferno, manifeste convincunt animam Christi, et non solum eius effectum, fuisse in inferno. Et ipsa commemoratio non-derelictionis in inferno inter divina beneficia Christo collata, dum dicitur, *Non relinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem,* manifeste monstrat poenalitatem aliquam in Christi anima ex hoc quod erat in inferno, a qua liberandam Propheta praedixerat. Et si haec omnia ad solum effectum in inferno productum ab anima Christi applicentur, videbis quantum aberraverit positio Durandi.

* Vers. 10.
* Vers. 27, 31.
* Vers. 24.

Taceo quod fatemur Christum triduo in inferno fuisse; et, iuxta Ecclesiae vocem in benedictione Cerei, *ab inferis ascendisse,* et *solam illam noctem novisse tempus et horam in qua Christus ab inferis resurrexit.* Haec enim non possunt de spirituali inferno intelligi: quoniam spiritualis infernus abiectus est in principio effectus quem anima Christi fecit in animabus Patrum, nam statim abiecta est carentia divinae visionis. Ac per hoc, dato quod possit colorari descensus ad infernum per effectum quia in principio attigit infernum spiritualem in Patribus, qui est carentia divinae visionis, ut terminum a quo; non potest tamen colorari quod triduo fuerit in inferno spirituali, nec quod, cum resurrexit, ascendit ab inferis.

Praetereo quod, spectando ad effectum mortis Christi mediante anima, non posset solum dici quod Christus descendit in inferos, sed etiam quod ascendit in caelum, et quod ad multa alia loca iverit, in quibus triduo illo meritum animae Christi effectum habuit. Nam ad caelum spirituale ivit, beatificando latronem et alios; ad Ierusalem ivit, contritionem et spem discipulis dando; et sic de aliis quae possent fingi.

Ex quibus, et communi Ecclesiae ac Doctorum sensu, dicta positio non pro opinione, sed pro errore habenda est. – Haec de secundo.

* Cf. num. v, init. ** Num. iv. VII. Quoad tertium *, respondendo obiectis **, dicitur ad primum quod, licet, in communi loquendo de animabus separatis, non possit separata anima operari operatione quae est vere motus in corpore seu loco aliquo; ad specialem tamen ordinem divinae praedestinationis et providentiae pertinentis ad id genus descendendo, possunt animae separatae agere et pati in corporibus et locis secundum idem genus motus quo moveri dicuntur angeli. Et, ad specialissima descendendo, cum anima Christi fuerit a principio suae creationis super omnes angelos; et potuerit in omnes mutationes tam naturales quam miraculosas, ut superius * patuit: vane obiicitur impotentia animarum separatarum respectu alieni corporis, cum de anima Christi est sermo. * Qu. xiii, art. 2.

* Num. iii, *Deinde.* Ad primum autem secundo loco adductum *, dicitur quod *motum angeli esse per effectum, et non per motum in ipso existentem,* potest dupliciter intelligi. Primo, quod solus effectus migret, aut quasi migret, de loco ad locum. Et iuxta hunc sensum procedit argumentum. Sed falsum assumit: quoniam non solus effectus, sed etiam angelus ipse migrat de loco ad locum. – Alio modo intelligitur quod in angelo non est subiective motus localis de quo in physicis tractatur, sed ratione effectus, idest virtualis contactus, movetur. Et sic verum dicitur: sed non infert, *Ergo per solum effectum est in loco,* nisi tanquam rationem essendi in loco. Ita quod, sicut corpus ratione quantitatis est in loco circumscriptive, et tamen ipsum corpus circumscribitur loco; ita angelus seu anima ratione contactus virtualis est in loco definitive, et tamen ipsa substantia animae seu angeli definitur loco, ita quod est *ibi et non alibi.* Et sic anima Christi, licet ratione contactus virtualis fuerit in loco inferni, ipsa tamen substantia eius ita erat ibi, idest in loco inferni, ubi erant et animae sanctorum Patrum, quod non alibi.

Ad secundum dicitur falsum esse quod in instanti mortis Christi non potuerit anima Christi esse in limbo Patrum praesentialiter. Quoniam non inconvenit quod in toto tempore praecedenti instans mortis, quod est primum non-esse humanitatis compositae ex anima et corpore, – animam Christi fuisse in corpore, et in illo instanti fuisse in inferno. Ita quod terminus a quo, scilicet esse in corpore, seu recessus a corpore, non mensuratur instanti, sed tempore immediate praecedenti: et accessus ad terminum ad quem mensuratur instanti, quia in eo idem est fieri et factum esse. Et de his diffuse dictum est in Primo Libro *, cum de motu angelorum tractaretur. * Qu. liii.

Ad tertium dicitur quod similitudo de paradiso et inferno nihil valet in proposito. Quoniam constat *paradisum* metaphorice sumi, cum dictum est, *Hodie mecum eris in paradiso:* nam *paradisus* proprie significat *hortum*, seu *delicias,* quorum neutrum potest ibi proprie intelligi, sed tantum metaphorice. *Infernus* autem proprie sumitur secundum consuetudinem Scripturae: iuxta illud *Gen.* xxxvii *, *Descendam ad filium meum lugens in infernum;* et *ad Ephes.* iv *, *Descendit primum ad inferiores partes terrae:* Glossa *, *ad inferos.* – Haec de tertio. * Vers. 35. * Vers. 9. * Interlin.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM CHRISTUS FUERIT TOTUS IN INFERNO

III *Sent.*, dist. xxii, qu. 1, art. 2, ad 6.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod Christus non fuit totus in inferno. Corpus enim Christi est aliqua [α] pars eius. Sed corpus Christi non fuit in inferno. Ergo totus Christus non fuit in inferno.

2. Praeterea, nihil cuius partes ab invicem separatae sunt, potest dici *totum*. Sed corpus et anima, quae sunt partes humanae naturae, fuerunt ab invicem separata post mortem, ut supra * dictum est. Descendit autem ad infernum mortuus existens. Non ergo potuit esse totus in inferno. * Qu. l, art. 3, 4.

3. Praeterea, illud *totum* dicitur esse in loco [β] *cuius nihil est extra* locum illum *. Sed aliquid Christi erat extra infernum: quia et corpus erat in sepulcro, et divinitas ubique. Ergo Christus non fuit totus in inferno. * Cf. Aristot. *Physic.* lib. III, cap. vi, n. 8. - S. Th. lect. xi.

Sed contra est quod Augustinus dicit, in libro *de Symbolo* *: *Totus Filius apud Patrem, totus in caelo, totus in terra, totus in utero Virginis, totus in cruce, totus in inferno, totus in paradiso quo latronem introduxit.* * Lib. (al. Serm.) III, *ad Catechum.*, cap. vii. - Op. dub.

Respondeo dicendum quod, sicut patet ex his quae in Prima Parte * dicta sunt, masculinum genus refertur ad hypostasim vel personam, neutrum autem genus pertinet ad naturam *. In morte autem Christi, licet anima fuerit separata a corpore, neutrum tamen fuit separatum a persona Filii Dei, ut supra * dictum est. Et ideo, in illo triduo mortis Christi, dicendum est quod totus Christus fuit in sepulcro, quia tota persona fuit ibi per corpus sibi unitum; et similiter totus fuit in inferno, quia tota persona Christi fuit ibi ratione animae sibi unitae; totus etiam Christus tunc erat ubique, ratione divinae naturae. * Qu. xxxi, art. 2, ad 4. * D. 598. * Qu. l, ar[t.]

Ad primum ergo dicendum quod corpus quod tunc erat in sepulcro, non est pars personae increatae, sed naturae assumptae. Et ideo per hoc quod corpus Christi non fuit in inferno, non excluditur quin totus Christus fuerit [γ]: sed ostenditur quod non fuit ibi totum quod pertinet ad humanam naturam.

Ad secundum dicendum quod ex anima et corpore unitis constituitur totalitas humanae naturae, non autem totalitas divinae personae. Et ideo, soluta unione animae et corporis per mortem, remansit totus Christus: sed non remansit humana natura in sua totalitate.

Ad tertium dicendum quod persona Christi est

α) *aliqua.* – Om. H et editiones.
β) *loco.* – *aliquo loco* P.
γ) *fuerit.* – *fuit ibi* ed. *a.*

tota in quolibet loco, sed non totaliter: quia nullo loco circumscribitur. Sed nec omnia loca simul accepta eius immensitatem comprehendere possunt. Quinimmo ipse sua immensitate omnia comprehendit. Hoc autem locum habet in his quae corporaliter et circumscriptive sunt in loco, quod, si totum sit alicubi, nihil eius sit extra. Sed hoc in Deo locum non habet. Unde Augustinus dicit, in Sermone *de Symbolo* *: *Non per diversa tempora vel loca dicimus ubique Christum esse totum, ut modo ibi totus sit, et alio tempore alibi totus: sed ut semper ubique sit totus.* * Loc. cit.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus sicut sonat intelligitur. – In corpore una est conclusio, habens multas partes, scilicet: *In illo triduo Christus fuit totus in sepulcro, in inferno, et ubique.* Probatur. In morte Christi, licet anima fuerit separata a corpore, neutrum tamen fuit separatum a persona Filii Dei. Ergo Christus totus, etc. – Probatur consequentia. Quia masculinum genus refertur ad personam, neutrum autem ad naturam. – Clara sunt omnia in littera.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CHRISTUS ALIQUAM MORAM CONTRAXERIT IN INFERNO

III *Sent.*, dist. XXII, qu. II, art. 1, qu[a] 3.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod Christus nullam moram contraxit [α] in inferno. Christus enim ad hoc in infernum descendit ut ex eo homines liberaret. Sed hoc statim ab eo factum est in ipso suo descensu: *facile enim est in conspectu Dei subito honestare pauperem,* ut dicitur *Eccli.* XI *. Ergo videtur quod nullam moram in inferno contraxit. * Vers. 23.

2. Praeterea, Augustinus dicit, in Sermone *de Passione* *, quod *sine aliqua mora, ad imperium Domini ac Salvatoris, omnes « ferrei confracti sunt vectes ».* Unde ex persona angelorum concomitantium Christum dicitur *: *Tollite portas, principes, vestras.* Ad hoc autem Christus illuc descendit ut vectes inferni confringeret. Ergo Christus in inferno nullam moram contraxit. * In Append. Serm. CLX, *de Temp.* LXXXVII, *de Pasch.* II. * Ps. XXIII, vers. 9.

3. Praeterea, Luc. XXIII * dicitur quod Dominus, in cruce pendens, dixit latroni: *Hodie mecum eris in paradiso:* ex quo patet quod eadem die Christus fuit in paradiso. Non autem secundum corpus, quod positum fuit in sepulcro. Ergo secundum animam, quae ad infernum descenderat. Et ita videtur quod non contraxit moram in inferno. * Vers. 43.

Sed contra est quod Petrus dicit, *Act.* II *: *Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* Ergo videtur quod usque ad horam resurrectionis mansit in inferno. * Vers. 24.

Respondeo dicendum quod sicut Christus, ut nostras poenas in se susciperet, voluit corpus suum in sepulcro poni, ita etiam voluit animam suam ad infernum descendere. Corpus autem eius mansit in sepulcro per diem integrum et duas noctes ad comprobandum veritatem mortis suae. Unde etiam tantundem credendum est animam eius fuisse in inferno: ut simul anima eius educeretur de inferno, et corpus de sepulcro.

Ad primum ergo dicendum quod Christus [β], ad infernum descendens, sanctos ibi existentes liberavit, non quidem statim educendo eos de loco inferni, sed in ipso inferno eos luce gloriae illustrando. Et tamen conveniens fuit ut tandiu anima eius remaneret in inferno quandiu corpus manebat in sepulcro.

Ad secundum dicendum quod *vectes inferni* dicuntur impedimenta quibus sancti Patres de inferno exire prohibebantur, reatu culpae primi Parentis. Quos Christus statim descendens ad inferos, virtute suae passionis et mortis confregit *. Et tamen voluit in inferno aliquandiu remanere, propter rationem praedictam *. * Cf. Isaiae cap. XLV, vers. 2. * In corpore.

Ad tertium dicendum quod illud verbum Domini est intelligendum, non de paradiso terrestri corporeo, sed de paradiso spirituali, in quo esse dicuntur quicumque divina gloria perfruuntur. Unde latro loco quidem cum Christo ad infernum descendit, ut cum Christo esset, quia dictum est ei, *mecum eris in paradiso:* sed praemio in paradiso fuit, quia ibi divinitate Christi fruebatur, sicut et alii sancti.

α) *contraxit.* – *contraxerit* G, *traxit* E, *traxerit* editiones; P infra primo et tertio loco *traxerit,* secundo *traxit.*

β) *Christus.* – *statim* addunt EF et tertia; mox *statim* om. Pc.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore unica conclusio: *Credendum est animam Christi fuisse in inferno quandiu corpus eius fuit in sepulcro.* Probatur ex proportionali similitudine: quia utrumque effecit, scilicet descensum ad inferos et positionem corporis in sepulcro, ut nostras in se poenas susciperet. Ex hoc enim convenientissime sequitur ut ambae simul terminentur poenae.

Adverte hic quod poenalitates Christi usque ad resurrectionem eius duraverunt: ut manifeste patet de poena separationis animae a corpore; hanc enim constat sustinuisse Christum usque ad resurrectionem suam. Unde convenientissime Auctor ex duratione poenalitatis quam in corpore suscepit sepulto, arguit aequalem durationem poenalitatis susceptae in anima ex vilitate loci inferni.

II. Cum autem audis poenalitates Christi in resurrectione sua terminatas, intellige de poenis intrinsecis, hoc est ipsum Christum afficientibus, et non poenis externis. Hae enim non sunt in illius resurrectione terminatae: nam

usque ad consummationem saeculi infamiae poenam in mentibus hominum non paucorum dignatur sufferre, dum a magna orbis terrarum parte habetur purus homo; cum tamen sibi debeatur *ut in eius nomine omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum* *. Et sicut ceteras poenas suscepit sponte propter nostram salutem, ita et hanc mira dispensatione sustinet, non solum ut *suaviter disponatur* * regimen ac salus hominum, sed ut suavissimo exemplo abstrahamur a tam communi appetitu futurae nostrae memoriae, seu immortalitatis famae. Nam ex eo quod Christus iugem, usque ad consummationem saeculi, vult sustinere infamiam, et haberi seductor, etc., exemplum dedit nobis despiciendi huiusmodi immortalitatem famae. Et debemus caput nostrum in hoc, sicut et in ceteris, imitari, si membra esse illius cupimus.

* *Ad Philipp.*, cap. II, vers. 10.
* *Sap.* cap. VIII, vers. 1.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM CHRISTUS, DESCENDENS AD INFEROS, SANCTOS PATRES INDE LIBERAVERIT

III *Sent.*, dist. XXII, qu. II, art. 2, qu[a] 1; *Compend. Theol.*, cap. CCXXXV; *In Symb. Apost.*, art. 5; *Ad Ephes.*, cap. IV, lect. III.

D QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus, descendens ad inferos, sanctos Patres inde non liberaverit. Dicit enim Augustinus, in Epistola *ad Evodium* *: *Illis iustis qui in sinu erant Abrahae cum Christus in inferna* [α] *descenderet, nondum quid contulisset inveni, a quibus eum, secundum beatificam praesentiam suae divinitatis, nunquam video recessisse.* Multum autem eis contulisset si eos ab inferis liberasset. Non ergo videtur quod Christus sanctos Patres ab inferis liberaverit.

* Ep. CLXIV, al. XCIX, cap. III. α

2. PRAETEREA, nullus in inferno detinetur nisi propter peccatum. Sed sancti Patres, dum adhuc viverent, per fidem Christi iustificati fuerant a peccato. Ergo non indigebant liberari ab inferno, ad inferos Christo descendente.

3. PRAETEREA, remota causa, removetur effectus. Sed causa descendendi ad inferos est peccatum: quod fuit remotum per passionem Christi, ut supra * dictum est. Non ergo per descensum Christi ad inferos sancti Patres sunt de inferno educti.

* Qu. XLIX, art. 1.

SED CONTRA EST quod Augustinus dicit, in Sermone *de Passione* *, quod Christus, quando ad inferna [β] descendit, *portam inferni et « vectes ferreos » confregit, et omnes iustos, qui originali peccato adstricti tenebantur, absolvit.*

* In Append. Serm. CLX, al. *de Temp.* CXXXVII, *de Pasch.* II. β

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, Christus, descendens ad inferos, operatus est in virtute suae passionis. Per passionem autem Christi liberatum est genus humanum, non solum a peccato, sed etiam a reatu poenae, ut supra * dictum est. Dupliciter autem homines reatu poenae erant adstricti. Uno modo, pro peccato actuali, quod quilibet in sua persona commiserat. Alio modo, pro peccato totiùs humanae naturae, quod a primo Parente in omnes originaliter devenit, ut dicitur *Rom.* V *. Cuius quidem peccati poena est mors corporalis et exclusio a vita gloriae, ut patet ex his quae dicuntur *Gen.* II * et III **: nam Deus hominem de paradiso post peccatum eiecit, cui ante peccatum mortem fuerat comminatus si peccaret. Et ideo Christus, descendens ad inferos, virtute suae passionis ab hoc reatu sanctos absolvit, quo erant a vita gloriae exclusi, ut non [γ] possent Deum per essentiam videre, in quo consistit perfecta hominis beatitudo, ut in Secunda Parte * dictum est. Per hoc autem sancti Patres detinebantur in inferno, quod eis ad vitam gloriae, propter peccatum primi Parentis, aditus non patebat. Et sic Christus, descendens ad inferos, sanctos Patres ab inferis liberavit. Et hoc est quod dicitur Zach. IX *: *Tu vero in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu in quo non erat aqua.* Et *Coloss.* II * dicitur quod, *exspolians principatus et potestates,* scilicet « *infernales, auferendo Isaac* [δ] *et Iacob et ceteros iustos* », *traduxit eos,* idest, « *longe ab hoc regno tenebrarum ad caelum duxit* », ut Glossa * ibidem dicit.

* Art. praeced., ad 2.
* Qu. XLIX, art. 1, 3.
* Vers. 12 sqq.
* Vers. 17. ** Vers. 3, 19, 23 sq.
γ
* I[a] II[ae], qu. III, art. 8.
* Vers. 11.
* Vers. 15.
δ
* Ord. et Inter.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Augustinus ibi loquitur contra quosdam qui aestimabant antiquos iustos, ante adventum Christi, in inferno doloribus poenarum fuisse subiectos. Unde, parum ante verba inducta, praemittit dicens: *Addunt quidam hoc beneficium antiquis etiam sanctis fuisse concessum, ut, Dominus cum in infernum venisset, ab illis* [ε] *doloribus solverentur. Sed quonam modo intelligatur Abraham, in cuius sinum pius etiam pauper ille susceptus est, in illis fuisse doloribus, ego quidem non video.* Et ideo, cum postea subdit *se nondum invenisse quid descensus Christi ad inferos antiquis iustis contulerit,* intelligendum est quantum ad absolutionem a doloribus poenarum. Contulit tamen eis quantum ad adeptionem gloriae: et per consequens solvit eorum dolorem quem patiebantur ex dilatione gloriae. Ex cuius tamen spe magnum gaudium habebant: secundum illud Ioan. VIII *: *Abraham, Pater vester, exultavit ut videret diem meum.* Et ideo subdit: *A quibus eum, secundum beatificam praesentiam* [ζ] *suae divinitatis, nunquam video recessisse:* inquantum scilicet, etiam ante adventum Christi, erant beati in spe, licet nondum essent perfecte beati in re.

ε
* Vers. 56.
ζ

AD SECUNDUM DICENDUM quod sancti Patres, dum adhuc viverent, liberati fuerunt per fidem Christi ab omni peccato tam originali quam actuali, et reatu poenae actualium peccatorum: non tamen a reatu poenae originalis peccati, per quem excludebantur a gloria, nondum soluto pretio re-

α) *inferna.* – *infernum* DEFG, *inferno* Hbc. – *beatificam* editiones; *beneficia* IpH, *beneficam* ceteri. Cf. ζ.
β) *inferna.* – *inferos* editiones. – *ferreos* om. tertia praeter H.
γ) *non.* – Om. PsI et *c*.
δ) *Isaac.* – *Abraham Isaac* P.
ε) *ab illis.* – *illis* EI, *et* H, *a* editiones. – *pius* om. Pc.
ζ) *beatificam praesentiam.* – P; *beneficam praesentiam* CGa et per *Alias* margo P, *beneficiā praesentiam* H, *beneficia praesentia* ceteri.

demptionis humanae. Sicut etiam nunc fideles Christi liberantur per baptismum a reatu actualium peccatorum, et a reatu originalis quantum ad exclusionem a gloria: remanent tamen adhuc obligati reatu originalis peccati quantum ad necessitatem corporaliter moriendi; quia renovantur secundum spiritum, sed nondum secundum carnem, secundum illud *Rom.* VIII *: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter iustificationem.* Vers. 10.

Ad tertium dicendum quod statim, Christo mortem patiente, anima eius ad infernum descendit, et suae passionis fructum exhibuit sanctis in inferno detentis: quamvis ex loco illo non exierint, Christo apud inferos commorante, quia ipsa Christi praesentia pertinebat ad cumulum gloriae.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus ut sonat. – In corpore una est conclusio: *Christus, descendens ad inferos, sanctos Patres inde liberavit.* Probatur. Per passionem Christi liberatum est genus humanum non solum a peccato, sed ab omni reatu utriusque poenae, scilicet pro peccato actuali et pro peccato originali. Ergo Christus, descendens ad inferos, absolvit sanctos a reatu quo erant a vita gloriae exclusi. Ergo, descendens ad inferos, sanctos Patres inde liberavit.

Prima consequentia probatur, ex parte ipsius descensus, quia Christus descendens ad inferos operatus est in virtute suae passionis: ex parte vero poenae, quia poena originalis peccati erat mors corporalis et exclusio a vita gloriae, ut patet ex his quae habentur *Gen.* II et III. – Consequentia autem secunda probatur. Quia per hoc sancti Patres retinebantur in inferno, quod eis ad vitam gloriae aditus non patebat, propter peccatum primi Parentis. – Et confirmatur conclusio auctoritatibus Zachariae et Apostoli.

Adverte hic quod Auctor mystica utitur expositione circa exclusionem hominis a paradiso, dum eiectionem Adae a terrestri paradiso significare intelligit exclusionem hominis a spirituali paradiso caelestis patriae.

II. In responsione ad primum, adverte quod cum hoc quod sancti Patres in limbo immunes essent a poena sensus, stat dolor seu afflictio ex spe dilata. Quia huiusmodi dolor spectat ad poenam damni, contra quam dividitur poena sensus: ita quod, cum negatur ab eis poena sensus, intelligitur de poena sensus distincta contra poenam damni et per se concomitantia illam. Nec est mirum quietem sanctorum Patrum inquietudinem hanc habuisse admixtam: cum sanctorum animae in patria caelesti nonnihil inquietudinis habeant, qua suspirant ad corporum resurrectionem; ita ut dictum sit illis: *Sustinete adhuc modicum tempus, donec adimpleatur numerus fratrum vestrorum, Apoc.* VI *. Utrorumque siquidem inquietudo imperfectionis cuiusdam in eis existentis testis est. * Vers. 11.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM CHRISTUS ALIQUOS DAMNATOS AB INFERNO LIBERAVERIT

III *Sent.*, dist. XXII, qu. II, art. 1, qu[a] 2; *Compend. Theol.*, cap. CCXXXV; *In Symb. Apost.*, art. 5.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod Christus aliquos damnatos ab inferno liberavit. Dicitur enim Isaiae XXIV *: *Congregabuntur congregatione unius fascis in lacum, et claudentur in carcerem, et post multos dies visitabuntur.* Loquitur autem ibi de damnatis, qui *militiam caeli* adoraverant *. Ergo videtur quod etiam damnati, Christo descendente ad inferos, sunt visitati. Quod ad eorum liberationem videtur pertinere. [Vers. 22.] [Cf. vers. 21; Hieron. Comment. in Isaiam, VIII, ad loc.]

2. Praeterea, super illud Zach. IX *, *Tu autem in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu in quo non erat aqua,* dicit Glossa *: *Tu eos liberasti qui tenebantur vincti carceribus, ubi nulla misericordia eos refrigerabat, quam dives ille petebat.* Sed soli damnati includuntur carceribus absque misericordia. Ergo Christus liberavit aliquos de inferno damnatorum. [Vers. 11.] [Interlin.]

3. Praeterea, potentia Christi non fuit minor in inferno quam in hoc mundo: utrobique enim operatus est per potentiam suae divinitatis. Sed in hoc mundo de quolibet statu aliquos liberavit. Ergo etiam in inferno liberavit aliquos etiam de statu damnatorum.

Sed contra est quod dicitur Osee XIII *: *Ero mors tua, O mors! Morsus tuus, inferne!* Glossa *: *Electos educendo, reprobos vero ibidem relinquendo.* Sed soli reprobi sunt in inferno damnatorum α. Ergo per descensum Christi ad inferos non sunt aliqui de inferno damnatorum liberati. [Vers. 14.] [Interlin.]

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, Christus, descendens ad inferos, operatus est in virtute suae passionis. Et ideo eius descensus ad inferos illis solis liberationis contulit β fructum qui fuerunt passioni Christi coniuncti per fidem caritate formatam, per quam peccata tolluntur. Illi autem qui erant in inferno damnatorum, aut penitus fidem passionis Christi non habuerant, sicut infideles: aut, si fidem habuerant, nullam conformitatem habebant ad caritatem Christi patientis. Unde nec a peccatis suis erant mundati. Et propter hoc descensus Christi ad inferos non contulit eis liberationem a reatu poenae infernalis. [* Art. 4, ad 2; art. 5.]

Ad primum ergo dicendum quod, Christo descendente ad inferos, omnes qui erant in quacumque parte inferni, sunt aliqualiter visitati: sed quidam ad suam consolationem et liberationem; quidam autem ad suam confutationem et γ confusionem, scilicet damnati. Unde ibidem subditur *: *Et erubescet luna, et confundetur sol,* etc. * Vers. 23.

Potest etiam hoc referri ad visitationem qua visitabuntur in die iudicii, non ut liberentur, sed

α) *damnatorum.* – *damnati* tertia praeter G.
β) *contulit.* – PFH; *attulit* EI, *obtulit* ceteri.
γ) *confutationem et.* – Om. G; *et confusionem* om. H*b*. – Pro *scilicet, sicut* Pa, *scilicet sicut* ceteri.

ut condemnentur amplius: secundum illud Sophon. I *: *Visitabo super viros defixos in faecibus suis.*

• Vers. 12.

Ad secundum dicendum quod, cum dicitur in Glossa, *ubi nulla misericordia eos refrigerabat,* intelligendum est quantum ad refrigerium perfectae liberationis. Quia sancti Patres ab illis inferni carceribus ante Christi adventum non poterant liberari.

Ad tertium dicendum quod non fuit propter Christi impotentiam quod non sunt aliqui liberati de quolibet statu infernalium, sicut de quolibet statu mundanorum: sed propter diversam utrorumque conditionem. Nam homines quandiu hic [δ] vivunt, possunt ad fidem et caritatem converti: quia in hac vita non sunt homines confirmati in bono vel in malo, sicut post exitum ab hac vita.

δ) *hic.* – Om. tertia praeter I.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Christus, descendens ad inferos, nullum damnatum ab inferno liberavit.* Probatur. Christus, descendens ad inferos, operatus est in virtute suae passionis. Ergo liberationis fructum illis solis contulit qui passioni Christi fuerunt coniuncti per fidem caritate formatam. Ergo damnatis non contulit liberationis fructum.

Prima consequentia probatur. Quia per illam tantum peccata tolluntur. – Secunda autem: quia damnati aut erant infideles, aut sine conformitate ad caritatem Christi patientis, ac per hoc, in peccatis suis.

ARTICULUS SEPTIMUS

UTRUM PUERI QUI CUM ORIGINALI PECCATO DECESSERANT, FUERINT PER DESCENSUM CHRISTI LIBERATI

III *Sent.*, dist. XXII, qu. II, art. 2, qu^a 3; *In Symb. Apost.*, art. 5.

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod pueri qui cum originali peccato decesserant, fuerint per descensum Christi liberati [α]. Non enim tenebantur in inferno nisi pro peccato originali: sicut et sancti Patres. Sed sancti Patres sunt ab inferno liberati per Christum, ut supra * dictum est. Ergo et pueri similiter per Christum sunt ab inferno liberati.

• Art. 5.

2. Praeterea, Apostolus dicit, *Rom.* V *: *Si unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum, in gratia unius hominis Iesu Christi, in plures abundavit.* Sed propter peccatum primi Parentis pueri cum solo peccato originali decedentes in inferno detinentur. Ergo multo magis per gratiam Christi sunt ab inferno liberati.

• Vers. 15.

3. Praeterea, sicut baptismus operatur in virtute passionis Christi, ita et descensus Christi ad inferos, ut ex dictis * patet. Sed pueri per baptismum liberantur a peccato originali et ab inferno. Ergo similiter liberati sunt per descensum Christi ad inferos.

• Art. 4, ad 2; art. 5, 6.

Sed contra est quod Apostolus dicit, *Rom.* III *, quod *Deus proposuit Christum propitiatorem per fidem in sanguine eius.* Sed pueri qui cum solo peccato originali decesserant, nullo modo fuerant participes fidei [β]. Ergo non perceperunt fructum propitiationis Christi, ut per ipsum ab inferno liberarentur.

• Vers. 25.

Respondeo dicendum quod, sicut supra * dictum est, descensus Christi ad inferos in illis solis effectum [γ] habuit qui per fidem et caritatem passioni Christi coniungebantur, in cuius virtute descensus Christi ad inferos liberatorius erat. Pueri autem qui cum originali decesserant, nullo modo fuerant coniuncti passioni Christi per fidem et dilectionem: neque enim fidem propriam habere potuerant, quia non habuerant usum liberi arbitrii; neque per fidem parentum aut per aliquod fidei sacramentum fuerant a peccato originali mundati. Et ideo descensus Christi ad inferos huiusmodi pueros non liberavit ab inferno.

• Art. praeced.

Et praeterea per hoc sancti Patres ab inferno sunt liberati quia sunt ad gloriam divinae visionis admissi, ad quam nullus potest pervenire nisi per gratiam, secundum illud *Rom.* VI *: *Gratia Dei vita aeterna.* Cum igitur pueri cum originali decedentes gratiam non habuerint, non fuerunt ab inferno liberati.

• Vers. 23.

Ad primum ergo dicendum quod sancti Patres, etsi adhuc tenerentur adstricti reatu originalis peccati inquantum respicit humanam naturam, tamen liberati erant per fidem Christi ab omni macula peccati: et ideo capaces erant illius liberationis quam Christus attulit descendens ad inferos. Sed hoc de pueris dici non potest, ut ex supra * dictis patet.

• In corpore.

Ad secundum dicendum quod, cum Apostolus dicit, *gratia Dei in plures abundavit,* ly *plures* non est accipiendum comparative, quasi plures numero sint salvati per gratiam Christi quam damnati per peccatum Adae: sed absolute, ac si diceret quod gratia unius Christi abundavit *in multos*, sicut et peccatum unius Adae pervenit

α) *liberati.* – *ab inferno* addunt I et editiones.
β) *fidei.* – *Christi* addit tertia. – *liberarentur* PsG et *a*; *liberentur.*
γ) *effectum.* – *liberationis* addit P.

ad multos. Sed sicut peccatum Adae ad eos tantum pervenit qui per seminalem rationem carnaliter ab eo descenderunt, ita gratia Christi ad illos tantum pervenit qui spirituali regeneratione eius membra sunt facti. Quod non competit pueris decedentibus cum originali peccato.

Ad tertium dicendum quod baptismus adhibetur hominibus δ in hac vita, in qua homo potest transmutari de culpa in gratiam. Sed descensus Christi ad inferos exhibitus fuit animabus post hanc vitam, ubi non sunt capaces transmutationis praedictae. Et ideo per baptismum pueri liberantur a peccato originali et ab inferno: non autem per descensum Christi ad inferos.

δ) *hominibus.* – PIsC; *omnibus.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una est conclusio, dupliciter probata. Conclusio est: ***Christus, descendens ad inferos, non liberavit pueros qui cum peccato originali decesserant.*** Prima probatio est. Descensus Christi ad inferos in solis illis effectum liberationis habuit qui per fidem et caritatem coniuncti erant passioni Christi. Sed pueri habentes peccatum originale non erant sic coniuncti Christo: quia nec per propriam fidem et caritatem, nec in fide parentum, aut per aliquod fidei sacramentum purgati erant. Ergo.

Secunda probatio est. Liberatio ab inferno est admissio ad gloriam. Sed pueri cum originali non potuerunt admitti ad gloriam. Ergo. – Maior manifestatur in liberatione sanctorum Patrum. – Minor probatur. Quia nullus admittitur ad gloriam nisi praehabuerit gratiam, *ad Rom.* vi. Sed pueri tales non habebant gratiam. Ergo.

II. In responsione ad tertium, perspice quod Auctor semper firmat doctrinam suam super suavi dispositione qua Christus, Aeterna Sapientia, *disponens omnia suaviter* *, mutabilibus de malo in bonum hominibus in hac vita, baptismum omnium liberatorium instituit: immutabilibus autem hominibus in alia vita, descensum suum ad inferos non omnium liberatorium, sed eorum tantum qui prius hoc meruerant, applicavit. * *Sap.* cap. viii, vers. 1.

ARTICULUS OCTAVUS

UTRUM CHRISTUS SUO DESCENSU AD INFEROS LIBERAVERIT ANIMAS A PURGATORIO

III *Sent.*, dist. xxii, qu. ii, art. 2, qu^a 4.

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod Christus suo descensu ad inferos liberaverit animas a purgatorio. Dicit enim Augustinus, in Epistola *ad Evodium* *: *Quia evidentia testimonia et infernum commemorant et dolores, nulla causa occurrit cur illo credatur venisse Salvator, nisi ut ab eisdem doloribus salvos faceret. Sed utrum omnes quos in eis invenit, an quosdam, quos illo beneficio dignos iudicavit, adhuc requiro* α. *Tamen venisse Christum apud inferos, et in eorum doloribus constitutis hoc beneficium praestitisse, non dubito.* Non autem praestitit beneficium liberationis damnatis: sicut supra * dictum est. Praeter eos autem nulli sunt in doloribus poenalibus constituti nisi illi qui sunt in purgatorio. Ergo Christus animas de purgatorio liberavit.

[margin: * Cl.xiv, al. x, cap. iii. — * ... 6.]

2. Praeterea, ipsa animae β Christi praesentia non minorem effectum habuit quam sacramenta ipsius. Sed per sacramenta Christi liberantur animae a purgatorio: et praecipue per Eucharistiae sacramentum, ut infra * dicetur. Ergo multo magis per praesentiam Christi ad inferos descendentis sunt animae a purgatorio liberatae.

[margin: * ... Supplem., ... lxxi, art. 9.]

3. Praeterea, Christus quoscumque curavit in hac vita, totaliter curavit: ut Augustinus dicit, in libro *de Poenitentia* *. Et Ioan. vii ** Dominus dicit: *Totum hominem salvum feci in sabbato.* Sed Christus eos qui in purgatorio erant, liberavit a reatu poenae damni, quo excludebantur a gloria. Ergo etiam liberavit eos a reatu poenae purgatorii.

[margin: * ... de Vera et Falsa Poenit., c. ix. – Inter ... Aug. ** ... vers. 23.]

Sed contra est quod Gregorius dicit, XIII *Moral.* *: *Dum Conditor ac Redemptor noster, claustra inferni penetrans, electorum exinde animas eduxit, nos illo ire non patitur, unde iam alios descendendo liberavit.* Patitur autem nos ire ad purgatorium. Ergo, descendens ad inferos, animas a purgatorio non liberavit. * Cap. xliii, al. xv; in vet. xx.

Respondeo dicendum quod, sicut saepe dictum est *, descensus Christi ad inferos liberatorius fuit in virtute passionis ipsius. Passio autem eius non habuit γ temporalem virtutem et transitoriam, sed sempiternam: secundum illud *Heb.* x *: *Una oblatione consummavit sanctificatos in sempiternum.* Et sic patet quod non habuit tunc maiorem efficaciam passio Christi quam habeat nunc. Et ideo illi qui fuerunt tales quales nunc sunt qui in purgatorio detinentur, non fuerunt a purgatorio liberati per descensum Christi ad inferos. Si qui autem inventi sunt ibi tales quales etiam nunc virtute passionis Christi a purgatorio liberantur, tales δ nihil prohibet per descensum Christi ad inferos a purgatorio esse liberatos.

[margin: * Art. 4, ad 2; art. 5, 6, 7. — * Vers. 14.]

Ad primum ergo dicendum quod ex illa auctoritate Augustini non potest concludi quod omnes illi qui in purgatorio erant, fuerint a purgatorio liberati, sed quod aliquibus eorum fuerit hoc

α) *requiro.* – Tertia praeter pG; *requirit.* – Pro *Tamen venisse, Tamen fuisse* GHbc, *Fuisse tm̄ fuisse* pI, *Fuisse tm̄* sI, *Fuisse tamen* P.
β) *animae.* – *autem* bc, om. PI. – Pro *sacramenta, sacramentum* primo loco BCEFHbc, altero BCF.
γ) *habuit.* – *habet* Pc.
δ) *tales.* – Om. editiones. – *esse* PF; *fuisse* post *inferos* I, om. ceteri.

beneficium collatum: illis scilicet qui iam sufficienter purgati erant; vel etiam qui, dum adhuc viverent, meruerunt per fidem et dilectionem, et [ε] devotionem ad mortem Christi, ut, eo descendente, liberarentur a temporali purgatorii poena.

Ad secundum dicendum quod virtus Christi operatur in sacramentis per modum sanationis et expiationis cuiusdam. Unde sacramentum Eucharistiae liberat homines a purgatorio inquantum est quoddam sacrificium satisfactorium pro peccato. Descensus autem Christi ad inferos non fuit satisfactorius. Operabatur tamen in virtute passionis, quae fuit satisfactoria, ut supra * habitum est: sed erat satisfactoria in generali, cuius virtutem oportebat applicari ad unumquemque per aliquid specialiter ad ipsum pertinens *. Et ideo non oportet quod per descensum Christi ad inferos omnes fuerint a purgatorio liberati.

* Qu. XLVIII, art. 2.

* Qu. XLIX, art. ad 4, 5.

Ad tertium dicendum quod illi defectus a quibus Christus simul in hoc mundo homines liberabat, erant personales, proprie ad unumquemque pertinentes. Sed exclusio a gloria Dei erat quidam defectus generalis pertinens ad totam humanam naturam. Et ideo nihil prohibet eos qui erant in purgatorio, per Christum esse liberatos ab exclusione a gloria, non autem a reatu poenae purgatorii, qui pertinet ad proprium defectum. Sicut e converso sancti Patres, ante Christi adventum, liberati sunt a propriis defectibus, non autem a defectu communi, sicut supra * dictum est.

* Art. praec. ad 1; qu. 2 art. 5, ad 1.

ε) *dilectionem, et.* – Om. PID.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore duae sunt conclusiones. Prima est: *Animae in purgatorio tunc tales quales sunt illae quae nunc ibi detinentur, non fuerunt per Christi descensum liberatae.* – Secunda est: *Animae in purgatorio tales tunc quales sunt quae nunc liberantur, fuerunt per Christi descensum liberatae.*

Probatur utraque simul. Passio Christi non habet transitoriam, sed sempiternam virtutem. Ergo non habuit tunc maiorem efficaciam quam nunc. Ergo, etc.

Antecedens probatur, *ad Heb.* x. – Secunda vero consequentia probatur. Quia descensus Christi ad inferos fuit in virtute passionis suae liberatorius.

II. Adverte hic quod Auctor, certa sectatus, quid efficaciae Christi descensus ad inferos in purgatorio tradit: addens in responsione ad primum alterum genus tunc purgatorum. Ita quod duo ponit genera liberatorum a purgatorio in descensu Christi: scilicet et illos qui tunc purgationem suam impleverant exsolvendo debitas poenas; et illos qui, licet absolute adhuc fuissent in purgatorio permansuri, tanta tamen fuit eorum devotio ad Christi mortem seu redemptionem, ut meruerint in hac vita positi quod, Christo descendente ad inferos, plenae liberationis fructum reciperent. Et secundum hoc, rationabiliter dicitur quod Christus, descendens ad inferos, multos in purgatorio existentes qui non tam cito fuissent liberati, ex speciali gratia descensus sui liberavit. Consentaneum siquidem est ut multae personae propinquae tempori mortis Christi, ante ipsum mortuae, praeparatae sint a Deo cum simili devotione: ut sicut nascens Simeonem et Annam perfectos invenit *, et Pastores et Magos praeparatos ut digni essent consolatione nativitatis suae *, ita moriens non solum Patres sanctos perfectos, sed etiam in purgatorio speciali devotione praeparatos invenit, qui digni essent consolari ex descensu ad inferos liberatorio.

* Luc. cap. II, vers. 25 sqq.
* Matth. cap. II; Luc. cap. II, 8 sqq.



QUAESTIO QUINQUAGESIMATERTIA

DE RESURRECTIONE CHRISTI

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

Consequenter considerandum est de his quae pertinent ad exaltationem Christi *. Et primo, de eius resurrectione; secundo, de eius ascensione *; tertio, de sessione ad dexteram Patris *; quarto, de iudiciaria potestate **.

Circa primum occurrit quadruplex consideratio: quarum prima est de ipsa Christi resurrectione; secunda, de qualitate resurgentis *; tertia, de manifestatione resurrectionis *; quarta, de eius causalitate *.

* Qu. xxvii, Ibid. — * Qu. lvii. — * Qu. lviii. ** Qu. lix. — * Qu. liv. — * Qu. lv. — * Qu. lvi.

Circa primum quaeruntur quatuor.

Primo: de necessitate resurrectionis eius.
Secundo: de tempore.
Tertio: de ordine.
Quarto: de causa.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM FUERIT NECESSARIUM CHRISTUM RESURGERE

III *Sent.*, dist. xxi, qu. ii, art. 1.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non fuerit necessarium Christum resurgere. Dicit enim Damascenus, in IV libro *: *Resurrectio est secunda* [α] *eius quod dissolutum est et cecidit animalis surrectio.* Sed Christus non cecidit per peccatum, nec corpus eius est dissolutum: ut ex supra * dictis patet. Non ergo proprie convenit sibi *resurgere.*

2. Praeterea, quicumque resurgit, ad aliquid altius promovetur: quia *surgere* est sursum moveri. Sed corpus Christi remansit post mortem divinitati unitum, et ita non potuit in aliquid altius promoveri. Ergo non competebat sibi resurgere.

3. Praeterea, ea quae circa humanitatem Christi sunt acta, ad nostram salutem ordinantur. Sed sufficiebat ad salutem nostram passio Christi, per quam sumus liberati a culpa et poena, ut ex supra * dictis patet. Non ergo fuit necessarium quod Christus a mortuis resurgeret.

Sed contra est quod dicitur Luc. ult. *: *Oportebat Christum pati et resurgere a mortuis.*

Respondeo dicendum quod necessarium fuit Christum resurgere, propter quinque. Primo quidem, ad commendationem divinae iustitiae, ad quam pertinet exaltare illos qui se propter Deum humiliant: secundum illud Luc. i *: *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.* Quia igitur Christus, propter caritatem et obedientiam Dei, se humiliavit usque ad mortem crucis *, oportebat quod exaltaretur a Deo usque ad gloriosam resurrectionem. Unde ex eius persona dicitur in Psalmo *: *Tu cognovisti,* idest « *approbasti* », *sessionem meam,* idest « *humilitatem et passionem* », *et resurrectionem meam,* idest « *glorificationem in resurrectione* »: sicut Glossa * exponit.

Secundo, ad fidei nostrae instructionem. Quia per eius resurrectionem confirmata est fides nostra circa divinitatem Christi: quia, ut dicitur II *Cor.* ult. *, *etsi crucifixus est ex infirmitate nostra* [β], *sed vivit ex virtute Dei.* Et ideo I *Cor.* xv * dicitur: *Si Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra, inanis est et fides nostra.* Et in Psalmo *: *Quae utilitas erit in sanguine meo,* idest « *in effusione sanguinis mei* », *dum descendo* [γ], « *quasi per quosdam gradus malorum* », *in corruptionem?* « *Quasi dicat: Nulla. Si enim statim non resurgo, corruptumque fuerit corpus meum, nemini annuntiabo, nullum lucrabor* »: ut Glossa * exponit.

Tertio, ad sublevationem nostrae spei. Quia, dum videmus Christum resurgere, qui est caput nostrum, speramus et nos resurrecturos. Unde dicitur I *Cor.* xv *: *Si Christus praedicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis quoniam resurrectio mortuorum non est?* Et *Iob* xix * dicitur: *Scio,* scilicet per certitudinem fidei, *quod Redemptor meus,* idest Christus, *vivit,* a mortuis resurgens, *et* ideo *in novissimo die de terra surrecturus sum: reposita est haec spes mea in sinu meo.*

Quarto, ad informationem vitae fidelium: secundum illud *Rom.* vi *: *Quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus.* Et infra *: *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur: ita et vos existimate mortuos esse peccato, viventes autem Deo.*

Quinto, ad complementum nostrae salutis. Quia sicut propter hoc [δ] mala sustinuit moriendo ut nos liberaret a malis, ita glorificatus est resurgendo ut nos promoveret ad bona: se-

* De Fide Orth., IV, cap. xxvii. — * Qu. xv, art. 1; qu. li, art. 3. — * Qu. xlix, art. — * Vers. 46. — * Vers. 52. — * 904. — * Ps. cxxxviii, vers. 2. — * Interlin. et ... — * Vers. 4. — * Vers. 14. — * Ps. xxix, vers. 10. — * Interlin., Ord. Aug. et Lomb. — * Vers. 12. — * Vers. 25, 27. — * Vers. 4. — * Vers. 9, 11.

α) *est secunda.* – Tertia; *secunda est.* – Pro *animalis surrectio, animalis resurrectio* Bla, *iterata resurrectio* F, *ab elementis resurrectio* ed. *a.*

β) *nostra.* – Om. P. Cf. art. iv corp.

γ) *dum descendo.* – EF et tertia; *descendendo.*

δ) *sicut propter hoc.* – *sicut* (om. F) *per hoc quod* omnes; F addit *et humiliatus est* post *moriendo,* ante illud P addit *humiliatus est.*

* Vers. 25. cundum illud *Rom.* IV *: *Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram.*

Ad primum ergo dicendum quod, licet Christus non ceciderit per peccatum [ε], cecidit tamen per mortem: quia sicut peccatum est casus a iustitia, ita mors est casus a vita. Unde ex persona Christi potest intelligi quod dicitur Mich. VII *: *Ne laeteris, inimica mea, super me, quia cecidi: consurgam.* (* Vers. 8.)

Similiter etiam, licet corpus Christi non fuerit dissolutum per incinerationem, ipsa tamen separatio animae a corpore dissolutio quaedam fuit.

Ad secundum dicendum quod divinitas erat carni Christi post mortem unita unione personali: non autem unione naturae, sicut anima unitur corpori ut forma ad constituendam humanam naturam. Et ideo per hoc quod corpus eius unitum est animae, promotum est in altiorem statum naturae: non autem in altiorem statum personae.

Ad tertium dicendum quod passio Christi operata est nostram salutem, proprie loquendo, quantum ad remotionem malorum: resurrectio autem quantum ad inchoationem et exemplar bonorum.

ε) *peccatum.* – PIsG; *peccatum nostrum.* – *per mortem* F et tertia praeter H; *propter mortem.* Cf. art. IV β.

Commentaria Cardinalis Caietani

Consequenter etc. Hic incipit ultimus tractatus de Christo, de pertinentibus scilicet ad eius exaltationem *. (* Cf. Prolog., Comment.)

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Necessarium fuit Christum resurgere.* Probatur quinque rationibus. Omnia clara sunt in littera.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM FUERIT CONVENIENS CHRISTUM TERTIA DIE RESURGERE

Supra, qu. LI, art. 4; III *Sent.*, dist. XXI, qu. II, art. 2; IV, dist. XLIII, art. 3, qu^a 1, ad 1; *Compend. Theol.*, cap. CCXXXVI; *In Symb. Apost.*, art. 5; *In Psalm.* XV; *In Ioan.*, cap. II, lect. III.



Ad secundum sic proceditur. Videtur quod non fuerit conveniens Christum tertia die resurgere. Membra enim debent capiti conformari. Sed nos, qui sumus membra Christi, non resurgimus a morte tertia die, sed nostra resurrectio differtur usque ad finem mundi. Ergo videtur quod Christus, qui est caput nostrum, non debuit tertia die resurgere, sed debuit eius resurrectio differri usque ad finem mundi.

* Vers. 24. 2. Praeterea, *Act.* II * dicit Petrus quod *impossibile erat Christum detineri ab inferno* et morte. Sed quandiu aliquis est mortuus, detinetur a morte. Ergo videtur quod Christi resurrectio non debuerit differri usque ad tertiam diem, sed statim eodem die resurgere: praecipue cum glossa super * inducta dicat *nullam esse utilitatem in effusione sanguinis Christi si non statim resurgeret.* (* Art. praeced.)

3. Praeterea, dies incipere videtur ab ortu solis, qui sua praesentia diem causat. Sed ante ortum solis Christus resurrexit: dicitur enim Ioan. XX *, quod *una sabbati Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebrae essent, ad monumentum:* et tunc [α] Christus iam resurrexerat, quia sequitur: *et vidit revolutum lapidem a monumento.* Ergo non resurrexit Christus tertia die. (* Vers. 1.)

Sed contra est quod dicitur Matth. XX *: *Tradent eum gentibus ad illudendum* [β] *et flagellandum et crucifigendum: et tertia die resurget.* (* Vers. 19.)

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est *, resurrectio Christi necessaria fuit ad instructionem fidei nostrae. Est autem fides nostra et de divinitate et de humanitate Christi: non enim sufficit alterum sine altero credere, ut ex praedictis * patet. Et ideo, ad hoc quod confirmaretur fides divinitatis [γ] ipsius, oportuit quod cito resurgeret, et eius resurrectio non differretur usque ad finem mundi: ad hoc autem quod confirmaretur fides de veritate humanitatis et mortis eius, oportuit moram esse inter mortem et resurrectionem; si enim statim post mortem resurrexisset, videri posset quod eius mors vera non fuerit, et per consequens nec resurrectio vera. Ad veritatem autem mortis Christi manifestandam, sufficiebat quod usque ad tertiam diem eius resurrectio differretur: quia non contingit quin infra hoc tempus, in homine qui mortuus videtur cum vivat, appareant aliqua indicia vitae. (* Art. praeced.; * Qu. XXXVI, 4. – Cf. II^a II^ae qu. II, art.)

Per hoc etiam quod tertia die resurrexit, commendatur perfectio ternarii, qui est *numerus omnis rei,* utpote habens *principium, medium et finem,* ut dicitur in I *de Caelo* *. (* Cap. I, n. – S. Th. lect.)

Ostenditur etiam, secundum mysterium, quod Christus *una sua morte,* quae fuit lux propter iustitiam, corporali scilicet [δ], *duas nostras mortes destruxit* *, scilicet corporis et animae, quae sunt tenebrosae propter peccatum: et ideo una die integra et duabus noctibus permansit in morte, ut Augustinus dicit, in IV *de Trin.* * (* Aug. de ... lib. IV, cap; * Cap. VI.)

Per hoc etiam significatur quod per resurrectionem Christi tertium tempus incipiebat. Nam primum fuit ante legem; secundum sub lege;

α) *tunc.* – *tamen* tertia. – Pro *revolutum lapidem, revolutum (a monumento) lapidem bc, lapidem sublatum* P.
β) *illudendum.* – PDEFa; *deludendum.*

γ) *divinitatis.* – *de veritate divinitatis* P.
δ) *corporali scilicet.* – *scilicet* sE, *scilicet corporali* PGHI, *scilicet corporalem bc*, om. *a.*

tertium sub gratia. — Incipit [ε] etiam in Christi resurrectione tertius status Sanctorum. Nam primus fuit sub figuris legis; secundus, sub veritate fidei; tertius erit in aeternitate gloriae, quam Christus resurgendo inchoavit.

Ad primum ergo dicendum quod caput et membra conformantur in natura, sed non in virtute: excellentior est enim virtus capitis quam membrorum. Et ideo, ad demonstrandam excellentiam virtutis Christi, conveniens fuit ipsum tertia die resurgere, aliorum resurrectione dilata usque ad finem mundi.

Ad secundum dicendum quod detentio coactionem quandam importat. Christus autem nulla necessitate mortis tenebatur adstrictus, sed erat *inter mortuos liber* *. Et ideo aliquandiu in morte mansit, non quasi detentus, sed propria voluntate: quandiu iudicavit hoc esse necessarium ad instructionem fidei nostrae. Dicitur autem statim fieri quod fit brevi interposito tempore.

* Ps. LXXXVII, vers. 6.

Ad tertium dicendum quod, sicut supra * dictum est, Christus resurrexit circa diluculum, illucescente iam die, ad significandum quod per suam resurrectionem nos ad lucem gloriae inducebat: sicut mortuus est advesperascente iam die et tendente [ζ] in tenebras, ad ostendendum quod per suam mortem destrueret tenebras culpae et poenae. Et tamen dicitur tertia die resurrexisse, accipiendo diem pro die naturali, quae continet spatium viginti quatuor horarum. Et, sicut dicit Augustinus, in IV *de Trin.* *, *nox usque ad diluculum quo Domini resurrectio declarata est, ad tertium pertinet diem. Quia Deus, « qui dixit de tenebris lumen* [η] *clarescere », ut per gratiam novi Testamenti et participationem resurrectionis Christi audiremus, « Fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino », insinuat nobis quodammodo quod a nocte dies sumat initium. Sicut enim primi dies, propter futurum hominis lapsum, a luce in noctem: ita isti, propter hominis reparationem, a tenebris ad lucem computantur.*

* Qu. LI, art. 4, ad 2. — * Cap. VI.

Et ita patet quod, etiam si media nocte surrexisset, posset dici die tertia eum surrexisse, intelligendo de die naturali. Nunc autem, cum in diluculo [θ] surrexerit, potest dici quod die tertia surrexit, etiam accipiendo diem artificialem, quae causatur ex praesentia solis: quia iam sol incipiebat aerem illustrare. Unde et Marci ult. * dicitur quod mulieres venerunt ad monumentum, *orto iam sole.* Quod non est contrarium ei quod Ioannes dicit, *cum adhuc tenebrae essent*, ut Augustinus dicit, in libro *de Consensu Evang.* *: *quia, die surgente, reliquiae tenebrarum tanto magis extenuantur, quanto magis oritur lux;* quod autem dicit Marcus, « *orto iam sole,* » *non sic accipiendum est tanquam iam* [ι] *sol ipse videretur super terram, sed tanquam eo proximo veniente in has partes.*

* Vers. 2. — * Lib. III, cap. XXIV, num. 65.

ε) *Incipit.* — *Incoepit* P.
ζ) *tendente.* — *recedente* editiones. — Pro *in*, *ad* FI.
η) *lumen.* — *lucem* P.
θ) *in diluculo.* — *diluculo* P.
ι) *iam.* — Om. BCDF, post *ipse* ponit E. — Pro *eo*, *ex* G, *de* P. Pro *veniente*, *adveniente* PI.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. — In corpore unica conclusio: *Conveniens fuit Christum resurgere tertio die.* Probatur una ratione litterali, et quatuor mysticis. Et omnia clare patent in littera.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM CHRISTUS PRIMO RESURREXERIT

IV *Sent.*, dist. XLIII, art. 3, qu[a] 1, ad 3; *Compend. Theol.*, cap. CCXXXVI, CCXXXIX; *In Matth.*, cap. XXVII; I *ad Cor.*, cap. XV, lect. III; *Ad Coloss.*, cap. I, lect. V.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod Christus non primo [α] resurrexit. Nam in veteri Testamento per Eliam et Elisaeum aliqui resuscitati leguntur *: secundum illud *Heb.* XI *: *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos.* Similiter etiam Christus, ante passionem suam, tres mortuos suscitavit *. Non ergo Christus fuit primus resurgentium.

* III Reg., cap. XVII, vers. 19 sqq.; IV Reg., cap. IV, vers. 32 sqq. — * Vers. 35. — * Matth. cap. IX, vers. 18 sqq.; Luc. cap. VII, vers. 11 sqq.; Ioan. cap. XI.

2. Praeterea, Matth. XXVII *, inter alia miracula quae in passione Christi acciderunt, narratur quod *monumenta aperta sunt, et multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerunt.* Non ergo Christus fuit primus resurgentium.

* Vers. 52.

3. Praeterea, sicut Christus per suam resurrectionem est causa nostrae resurrectionis, ita per suam gratiam est causa [β] nostrae gratiae: secundum illud Ioan. I *: *De plenitudine eius omnes accepimus.* Sed alii prius tempore gratiam habuerunt quam Christus: sicut omnes Patres veteris Testamenti. Ergo etiam aliqui prius ad resurrectionem corporalem pervenerunt quam Christus.

* Vers. 16.

Sed contra est quod dicitur I *Cor.* XV *: *Christus resurrexit a mortuis primitiae dormientium:* Glossa *: *quia prius tempore et dignitate surrexit.*

* Vers. 20. — * Interlin. — Cf. Gloss. Interlin. ad vers. 23.

Respondeo dicendum quod resurrectio est reparatio a morte in vitam. Dupliciter autem aliquis eripitur a morte. Uno modo, solum a morte in actu: ut scilicet aliquis vivere incipiat qualitercumque postquam mortuus fuerat. Alio modo, ut aliquis liberetur non solum a morte, sed etiam a necessitate et, quod plus est, a possibilitate

α) *primo.* — Om. pBCD, *primus* sBCD non in scriptorum manu.
β) *causa.* — Om. BCDE.

moriendi. Et haec est vera et perfecta resurrectio. Quia quandiu aliquis vivit subiectus necessitati moriendi, quodammodo mors ei dominatur: secundum illud *Rom.* VIII *: *Corpus quidem*[γ] *mortuum est propter peccatum.* Illud etiam quod possibile est esse, secundum quid[δ] dicitur esse, idest potentialiter. Et sic patet quod illa resurrectio qua quis eripitur solum ab actuali morte, est resurrectio imperfecta.

* Vers. 10.

Loquendo ergo de resurrectione perfecta, Christus est primus resurgentium: quia ipse resurgendo primo pervenit ad vitam penitus immortalem; secundum illud *Rom.* VI *: *Christus, resurgens ex mortuis, iam non moritur.* Sed resurrectione imperfecta quidam alii surrexerunt ante Christum: ad praemonstrandum quasi in quodam signo resurrectionem ipsius.

* Vers. 9.

Et sic patet responsio ad primum. Quia et illi qui suscitati sunt in veteri Testamento, et illi qui suscitati sunt a Christo, sic redierunt ad vitam ut iterum morerentur.

Ad secundum dicendum quod de illis qui resurrexerunt cum Christo, duplex est opinio. Quidam enim asserunt quod redierunt ad vitam tanquam non iterum morituri: quoniam maius illis esset tormentum si iterum morerentur, quam si non resurgerent. Et secundum hoc, intelligendum erit, sicut Hieronymus dicit, *super Matth.* *, quod *non ante resurrexerunt quam resurgeret Dominus.* Unde et Evangelista dicit * quod, *exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam Civitatem et apparuerunt multis.*

* Comment. lib. IV, ad cap. XXVII, vers. 52, 53.
* Vers. 53.

Sed Augustinus, in Epistola *ad Evodium* *, hanc opinionem commemorans, dicit: *Scio quibusdam videri morte Domini Christi iam talem resurrectionem praestitam iustis, qualis nobis in fine promittitur. Quod*[ε] *si non iterum, repositis corporibus, dormierunt, videndum est quomodo intelligatur Christus « primogenitus a mortuis », si eum in illam resurrectionem tot praecesserunt. Quod si respondetur hoc dictum esse per anticipationem, ut monumenta illo terrae motu aperta intelligantur cum Christus in cruce penderet, resurrexisse autem iustorum corpora non tunc, sed cum ille prior resurrexisset: sed adhuc restat quod moveat quomodo Petrus non de David sed de Christo asseruit fuisse praedictum carnem eius non vidisse corruptionem, scilicet*[ζ] *per hoc quod apud eos erat monumentum David; et sic illos non convincebat, si corpus David ibi iam non erat; quia, etsi ante in recenti sua morte resurrexisset, nec caro eius vidisset corruptionem, posset monumentum illud manere. Durum autem videtur ut David non fuerit in illa resurrectione iustorum, si eis iam aeterna donata est*[η], *cuius Christus ex semine commendatur. Periclitabitur etiam illud quod ad Hebraeos de iustis antiquis dicitur, « ne sine nobis perficerentur », si iam in illa resurrectionis incorruptione constituti sunt quae nobis perficiendis in fine promittitur.*

* Ep. CLXIV, al. XCIX, cap. III.

Sic ergo Augustinus sentire videtur quod resurrexerint iterum morituri. Ad quod etiam videtur pertinere quod Hieronymus dicit, *super Matth.* *, quod, *sicut Lazarus resurrexit, sic et multa corpora Sanctorum resurrexerunt, ut Dominum ostenderent resurgentem.* Quamvis hoc in Sermone *de Assumptione** sub dubio relinquat. Rationes tamen Augustini multo efficaciores videntur.

* Loc. cit.
* Epist. IX, *Paulam et Eustoch.*-Inter Op. Hieron.

Ad tertium dicendum quod, sicut ea quae praecesserunt Christi adventum, fuerunt praeparatoria ad Christum, ita gratia est dispositio ad gloriam. Et ideo ea quae sunt gloriae, sive quantum ad animam, sicut perfecta Dei fruitio, sive quantum ad corpus, sicut resurrectio gloriosa, prius tempore debuit[θ] esse in Christo, sicut in auctore gloriae. Gratiam vero conveniebat prius esse in his quae ordinabantur ad Christum.

γ) *quidem.* – F et tertia; *quod.*
δ) *secundum quid.* – E et tertia; *secundum quod* (sed A om. *secundum quid dicitur esse*).
ε) *Quod.* – *Qui* PI.
ζ) *scilicet.* – F; om. EsC et tertia, *sed* ceteri.
η) *est.* – F et tertia; *sunt* ed. *a*, om. ceteri. Pro *Periclitabitur*, *Periclitatur* BCDE. Pro *etiam illud quod, illud quod* G, *et illud quod* Hb, *etiam illud* ABCpDE, *etiam illud* (*ad Hebr. ubi de*) ed. *a*.
θ) *debuit.* – *debuerunt* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo ly *primo* significat ordinem temporis. Ita quod sensus est: Utrum Christus ante omnes alios resurrexerit, ita quod nullus ante eum resurrexerit.

In corpore ponitur una distinctio bimembris, de resurrectione perfecta vel imperfecta; et iuxta singula membra singulae conclusiones. Altera est: *Multi ante Christum surrexerunt resurrectione imperfecta:* ut patet de Lazaro et aliis resuscitatis ante ipsum. – Altera est: *Christus primo resurrexit resurrectione perfecta:* quia primo venit ad vitam penitus immortalem. – Omnia clara sunt in littera.

II. In responsione ad secundum, circa diversam opinionem de resurrectione illorum qui cum Christo surrexerunt, rationabile videtur quod surrexerint perfecte ad vitam, scilicet penitus immortalem, ut beatitudo corporis in Christo haberet socios. Minus enim corporalis felicitas aliquid habere videtur si desit corporalis societas. Est enim homo secundum vitam corpoream animal sociale, non solum propter indigentiam necessariorum ad vitam, ut in hoc mundo contingit; sed etiam propter naturalem delectationem in ipsa corporali conversatione consistentem.

Rationes autem in littera ex beato Augustino disputatae ad oppositum, facile solutionem recipiunt. Nam verbum Petri Apostoli * et a Hieronymo contra fertur **: quod scilicet Petrus dixit, *cuius sepulcrum apud nos est,* quasi non ausus fuerit dicere, *cuius corpus apud nos est.* Et efficax invenitur testimonium Petri: quia ex hoc quod sepulcrum David tanto tempore apud eos perseveravit ut continens ipsum David (hoc enim significat sepulcrum eius), ita quod nulla fuit unquam in tanto tempore ambiguitas quin David perseveraret in suo sepulcro, consequens est quod non de ipso David dictum fuerit, *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Consistit ergo testimonium Petri in hoc, quod sepulcrum David, inquantum sepulcrum David, tanto tempore apud nos perseveravit: licet forte tunc, Christo resurgente, corpus eius amplius ibi non esset.

* *Act.* cap. II, vers. 29.
** Loc. cit. fine resp.

Verbum autem Apostoli Pauli *, *ut non sine nobis consummarentur,* et potest referri ad consummationem beatitudinis substantialis, qua modo consummati sunt omnes sancti in patria. Et hoc litterae videtur sufficere: quia lo-

* *Ad Heb.* cap. XI, vers. 40.

quitur de caelesti patria ut distinguitur contra viae pere-
vers. 13 sqq. grinationem *. – Et potest nihilominus dici quod verbum Apostoli est generale ad Patres veteris Testamenti. Veritati autem regulae generalis non adversatur paucorum exceptio ex speciali gratia. – Potest et tertio dici quod illi qui perfecte surrexerunt cum Christo, non sunt *sine nobis consummati,* quia nostro tempore sunt consummati: scilicet tempore revelatae gratiae et inchoatae gloriae.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CHRISTUS FUERIT CAUSA SUAE RESURRECTIONIS

In Symb. Apost., art. 5; *In Psalm. XL; In Ioan.*, cap. II, lect. III; *Ad Rom.*, cap. IV, lect. III; I *ad Cor.*, cap. XV, lect. II.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus non fuerit causa suae resurrectionis. Quicumque enim suscitatur ab alio, non est suae resurrectionis causa. Sed Christus est suscitatus ab alio: se-
Vers. 24. cundum illud *Act.* II *: *Quem Deus suscitavit, so-*
Vers. 11. *lutis doloribus inferni;* et *Rom.* VIII *: *Qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora nostra,* etc. Ergo Christus non est causa suae resurrectionis.

2. PRAETEREA, nullus dicitur mereri, vel ab alio petit, aliquid cuius ipse est causa. Sed Christus sua passione meruit resurrectionem: sicut
Tract. CIV. Augustinus dicit, *super Ioan.* *, quod *humilitas passionis meritum est gloriae resurrectionis.* Ipse
α etiam petit [α] a Patre se resuscitari: secundum
Ps. XL, vers. 11. illud Psalmi *: *Tu autem, Domine, miserere mei et resuscita me.* Ergo Christus non fuit causa suae resurrectionis.

3. PRAETEREA, sicut Damascenus probat, in
De Fide Orth., l. IV, cap. XXVII. IV libro *, resurrectio non est animae, sed cor-
β poris, quod per [β] mortem cadit. Corpus autem non potuit sibi animam unire, quae est eo nobilior. Ergo id quod resurrexit in Christo, non potuit esse causa suae resurrectionis.

Vers. 17, 18. SED CONTRA EST quod Dominus dicit, Ioan. X *: *Nemo tollit animam meam a me: sed ego pono eam, et iterum sumo eam.* Sed nihil est aliud resurgere quam iterato animam sumere. Ergo vi-
γ detur quod Christus propria virtute resurrexit [γ].
Q. L, art. 2, 3. RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, per mortem non fuit separata divinitas nec ab anima Christi, nec ab eius carne. Potest igitur tam anima Christi mortui, quam eius caro, considerari dupliciter: uno modo, ratione divinitatis; alio modo, ratione ipsius naturae creatae. Secundum igitur unitae divinitatis virtutem, et corpus resumpsit animam, quam deposuerat; et anima resumpsit corpus, quod dimiserat [δ]. Et hoc δ
est quod de Christo dicitur II *Cor.* ult. *, quod, * Vers. 4.
etsi crucifixus est ex infirmitate nostra, sed vivit ex virtute Dei.

Si autem consideremus corpus et animam Christi mortui secundum virtutem naturae creatae, sic non potuerunt sibi invicem reuniri, sed oportuit Christum resuscitari a Deo.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod eadem est divina virtus et operatio Patris et Filii. Unde haec duo sese consequuntur, quod Christus sit suscitatus divina virtute Patris, et sui ipsius.

AD SECUNDUM DICENDUM quod Christus orando petiit et meruit suam resurrectionem, inquantum homo: non autem inquantum Deus.

AD TERTIUM DICENDUM quod corpus secundum naturam creatam non est potentius anima Christi: est tamen ea potentius secundum virtutem divinam. Quae etiam rursus, secundum divini-
tatem unitam, est potentior [ε] corpore secundum ε
naturam creatam. Et ideo secundum virtutem divinam corpus et anima mutuo se resumpserunt: non autem secundum virtutem naturae creatae.

α) *etiam petit.* – *autem petit* FHbc, *petit* BCDpE, *etiam petiit* P.
β) *per.* – PsH; *post.* Cf. art. 1 ε. – Pro *potuit*, *potest* G et editiones.
γ) *resurrexit.* – HIa; *non surrexit* ACpD, *surrexit* BEsD, *resurrexerit* FG et editiones.
δ) *dimiserat.* – *Et sic Christus propria virtute resurrexit* addunt PI.
ε) *potentior.* – PF; *potentius.*

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS de causa effectiva quaerit. – In corpore ponitur una distinctio bimembris, cum duabus conclusionibus secundum membra. Distinctio est. Tam anima quam caro Christi mortui potest considerari dupliciter: vel ratione suae naturae; vel ratione deitatis coniunctae.

Prima conclusio est: *Tam anima quam caro Christi ratione deitatis causavit ipsam resurrectionem.* Et probatur ex auctoritate Apostoli. Secunda conclusio est: *Nec anima nec caro Christi virtute suae naturae causavit resurrectionem, sed sic oportuit Christum resuscitari a Deo.* Et ideo utrumque invenitur in sacra Scriptura: scilicet et quod Christus resurrexit ex virtute; et quod Christus suscitatus est a Deo, et petit et meruit resurrectionem, etc. Omnia clara sunt in littera.

QUAESTIO QUINQUAGESIMAQUARTA

DE QUALITATE CHRISTI RESURGENTIS

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

DEINDE considerandum est de qualitate Christi resurgentis *. [* Cf. qu. LIII, Introd.]

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo: utrum post resurrectionem Christus habuerit verum corpus.

Secundo: utrum resurrexit cum corporis integritate.

Tertio: utrum corpus eius fuerit gloriosum.

Quarto: de eius [α] cicatricibus in corpore apparentibus.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM CHRISTUS POST RESURRECTIONEM HABUERIT VERUM CORPUS

Art. seq., qu. LV, art. 6.



AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus post resurrectionem non habuerit verum corpus. Verum enim corpus non potest simul esse cum alio corpore in eodem loco. Sed corpus Christi post resurrectionem fuit simul cum alio corpore in eodem loco: intravit enim ad discipulos *ianuis clausis,* ut dicitur Ioan. xx *. [* Vers. 26.] Ergo videtur quod Christus post resurrectionem non habuerit verum corpus.

2. PRAETEREA, verum corpus non evanescit ab aspectu intuentium, nisi forte corrumpatur. Sed corpus Christi *evanuit ab oculis* discipulorum eum intuentium, ut dicitur Luc. ult. * [* Vers. 31.] Ergo videtur quod Christus post resurrectionem non habuerit verum corpus.

3. PRAETEREA, cuiuslibet veri corporis est determinata figura. Sed corpus Christi apparuit discipulis *in alia effigie,* ut patet Marci ult. * [* Vers. 12.] Ergo videtur quod Christus post resurrectionem non habuerit verum corpus humanum.

SED CONTRA EST quod dicitur Luc. ult. * [* Vers. 37.], quod, Christo discipulis apparente, *conturbati et conterriti, existimabant se spiritum videre,* scilicet [β] ac si non haberet verum corpus, sed phantasticum. Ad quod removendum, ipse postea subdit * [* Vers. 39.]: *Palpate et videte: quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Non ergo habuit corpus phantasticum, sed verum.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut Damascenus dicit, in IV libro * [* De Fide Orth., lib. IV, cap. XXVII.], *illud resurgere dicitur quod cecidit.* Corpus autem Christi per mortem cecidit [γ]: inquantum scilicet fuit ab eo anima separata, quae erat eius formalis perfectio. Unde oportuit, ad hoc quod esset vera Christi resurrectio, ut idem corpus Christi [δ] iterato eidem animae uniretur. Et quia veritas naturae corporis est ex forma, consequens est quod corpus Christi post resurrectionem et verum corpus fuerit, et eiusdem naturae cuius fuerat prius. Si autem eius corpus fuisset phantasticum, non fuisset vera resurrectio, sed apparens.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod corpus Christi post resurrectionem, non ex miraculo, sed ex conditione gloriae, sicut quidam dicunt, clausis ianuis ad discipulos introivit, simul cum alio corpore in eodem loco existens. Sed utrum hoc facere [ε] possit corpus gloriosum ex aliqua proprietate sibi indita, ut simul cum alio corpore in eodem loco existat, inferius discutietur, ubi agetur de resurrectione communi * [* Cf. Suppl. qu. LXXXIII, a]. Nunc autem, quantum ad propositum sufficit, dicendum est quod non ex natura corporis, sed potius ex virtute divinitatis unitae, illud corpus ad discipulos, licet verum esset, ianuis clausis introivit. Unde Augustinus dicit, in quodam Sermone Paschali * [* Serm. CCXI In dieb. Pasc. XVIII.], quod quidam sic disputant: *Si corpus erat, si hoc surrexit de sepulcro quod pependit in ligno, quomodo per ostia clausa intrare potuit?* Et respondet: *Si comprehendis modum, non est miraculum. Ubi deficit ratio, ibi est fidei aedificatio.* Et *super Ioan.* * [* Tract. CX], dicit: *Moli corporis ubi divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt: ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente virginitas matris inviolata permansit.* Et idem [ζ] dicit Gregorius, in quadam Homilia *de Octava Paschae* * [* Homil. X in Evang.].

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut dictum est * [* Qu. LIII, a], Christus resurrexit ad immortalem gloriae vitam. Haec est autem dispositio corporis gloriosi, ut sit *spirituale,* idest subiectum spiritui, ut Apostolus dicit, I *Cor.* xv * [* Vers. 44.]. Ad hoc autem quod sit omnino corpus subiectum spiritui, requiritur

---

α) *eius.* – Post *corpore* ponit P, ante cetera tertia.
β) *scilicet.* – Om. tertia praeter pl.
γ) *Corpus autem... cecidit.* – PEI; *per mortem autem corpus Christi (um oe scilicet fuit)* pG, *per mortem. Corpus autem Christi per mortem cecidit (inquantum scilicet fuit)* sG.
δ) *Christi.* – Om. BCDEF, om. ceteri.
ε) *facere.* – *habere* PI.
ζ) *idem.* – FsD et tertia; *ibidem* E, *ideo* ceteri; post *Paschae* ed. a addit: *illud enim corpus Domini intravit ad discipulos ianuis clausis quod videlicet ad humanos oculos per nativitatem suam clauso exiit utero virginis.*

quod omnis actio corporis subdatur spiritus voluntati. Quod autem aliquid videatur, fit per actionem visibilis in visum: ut patet per Philosophum, in II *de Anima* *. Et ideo quicumque habet corpus glorificatum, in potestate sua habet videri quando vult, et, quando non vult, non videri. Hoc tamen Christus habuit non solum ex conditione corporis gloriosi, sed etiam ex virtute divinitatis: per quam fieri potest ut etiam corpora non gloriosa miraculose non videantur; sicut praestitum fuit miraculose beato Bartholomaeo, ut, *si vellet, videretur, non autem videretur si non vellet* *. Dicitur ergo quod Christus ab oculis discipulorum evanuit, non quia corrumperetur aut resolveretur in aliqua invisibilia, sed quia sua voluntate desiit ab eis videri, vel eo praesente, vel etiam eo abscedente [η] per dotem agilitatis.

* Cap. VII, n. 5, 6. - Th. lect. XV.
* Fabric. *Cod. Apoc. Nov. Test., Post. Hist.* lib. III, cap. II. - Hamburg. 1719.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut Severianus dicit, in Sermone Paschali *. *Nemo putet Christum sua resurrectione sui vultus effigiem commutasse.* Quod est intelligendum quantum ad lineamenta membrorum: quia nihil inordinatum et deforme fuerat in corpore Christi, per Spiritum Sanctum concepto, quod in resurrectione corrigendum esset. Accepit tamen in resurrectione gloriam claritatis. Unde idem [θ] subdit: *Sed mutatur effigies dum efficitur ex mortali immortalis: ut hoc sit acquisivisse vultus gloriam, non vultus substantiam perdidisse.*

* S. Petr. Chrysolog., Sermon. LXXXII.

Nec tamen illis discipulis in specie gloriosa apparuit: sed, sicut in potestate eius erat ut corpus suum videretur vel non videretur, ita in potestate eius erat ut [ι] ex eius aspectu formaretur in oculis intuentium vel forma gloriosa, vel non gloriosa, aut etiam commixta, vel qualitercumque se habens. Modica tamen differentia sufficit ad hoc quod aliquis videatur in aliena effigie apparere.

η) *abscedente.* – sG; *absente* HpG et *b*, *asce^te velociter* E, *abscondente velociter* F, *absente velociter c*, *abscedente velociter* Pl, *abscondente* ceteri.

θ) *idem.* – *ibidem* Cc, *idem ibidem* P.

ι) *corpus suum... erat ut.* – E et tertia praeter I; ita et F addito *scilicet* post *corpus* et post *ita*; om. ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

In titulo *verum* sumitur ut distinguitur contra *apparens*, ita quod apparentia excluditur non solum a corpore, sed a natura tali, scilicet humana. Idemque est quaerere an habuerit verum corpus: et, *an habuerit in veritate corpus humanum.*

In corpore est una conclusio: *Corpus Christi post resurrectionem fuit verum corpus eiusdem naturae cuius fuerat prius.* Probatur dupliciter. Primo. Illud resurgere dicitur quod cecidit. Ergo oportuit ut idem corpus Christi eidem animae uniretur in resurrectione. Ergo corpus Christi post resurrectionem fuit verum eiusdem naturae corpus. – Antecedens, ex Damasceni auctoritate; prima consequentia probatur ex ratione resurrectionis; secunda autem ex hoc quod veritas naturae corporis est ex forma.

Secundo, probatur conclusio ex opposito. Si corpus Christi fuisset phantasticum, non fuisset vera, sed apparens illius resurrectio.

Reliqua, in responsionibus argumentorum tacta, inferius in propriis locis * tractanda sunt.

* Cf. *Supplem.*, qu. LXXXIII, art. 2; qu. LXXXV, art. 3.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CORPUS CHRISTI RESURREXERIT GLORIOSUM

Compend. Theol., cap. CCXXXVIII.

AD SECUNDUM [α] SIC PROCEDITUR. Videtur quod corpus Christi non resurrexerit gloriosum. Corpora enim gloriosa sunt fulgentia: secundum illud Matth. XIII *: *Fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum.* Sed corpora fulgida [β] videntur secundum rationem lucis, non autem secundum rationem coloris. Cum ergo corpus Christi visum fuerit sub coloris specie, sicut et prius videbatur, videtur quod non fuerit gloriosum.

* Vers. 43.

2. PRAETEREA, corpus gloriosum est incorruptibile. Sed corpus Christi non videtur fuisse incorruptibile [γ]. Fuit enim palpabile: sicut ipse dicit, Luc. ult. *, *Palpate et videte.* Dicit autem Gregorius, in quadam Homilia *, quod *corrumpi necesse est quod palpatur, et palpari non potest quod non corrumpitur.* Non ergo corpus Christi fuit gloriosum.

* Vers. 39.
* Homil. XXVI in Evang.

3. PRAETEREA, corpus gloriosum non est animale, sed spirituale: ut patet I *Cor.* XV *. Sed corpus Christi videtur animale fuisse post resurrectionem: quia cum discipulis manducavit et bibit, ut legitur Luc. ult. *, et Ioan. ult. ** Ergo videtur quod corpus Christi non fuerit gloriosum.

* Vers. 35 sqq.
* Vers. 41 sqq.
** Vers. 9 sqq.

SED CONTRA EST quod Apostolus dicit, *Philipp.* III *: *Reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae.*

* Vers. 21.

RESPONDEO DICENDUM quod corpus Christi in resurrectione fuit gloriosum. Et hoc apparet triplici ratione. Primo quidem, quia resurrectio Christi fuit exemplar et causa nostrae resurrectionis, ut habetur I *Cor.* XV *. Sancti autem in resurrectione habebunt corpora gloriosa: sicut dicitur ibidem *: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Unde, cum causa sit potior causato et exemplar exemplato, multo magis corpus Christi resurgentis fuit gloriosum.

* Vers. 12 sqq.
* Vers. 43.

Secundo, quia per humilitatem passionis me-

α) *Ad Secundum.* – Hunc articulum P ponit tertio loco, secundum ordinem quaesitorum in Introductione. Cf. tamen art. 3 corp. init. *sicut supra dictum est.*

β) *fulgida.* – *fulgentia* H et editiones, *lucida* ed. *a.*

γ) *Sed... incorruptibile.* – Om. BCDI; pro *videtur fuisse*, *erat* E.

ruit gloriam resurrectionis. Unde et ipse dicebat *, *Nunc anima mea turbata est*, quod pertinet ad passionem: et postea subdit *, *Pater, clarifica nomen tuum*, in quo petit gloriam resurrectionis.

* Ioan. cap. XII, vers. 27.
* Vers. 28.

Tertio quia, sicut supra * habitum est, anima Christi a principio suae conceptionis fuit gloriosa per fruitionem divinitatis perfectam [δ]. Est autem dispensative factum, sicut supra * dictum est, ut ab anima gloria non redundaret in corpus, ad hoc quod mysterium nostrae redemptionis sua passione impleret. Et ideo, peracto hoc mysterio passionis et mortis Christi, anima Christi statim in corpus, in resurrectione resumptum, suam gloriam derivavit. Et ita factum est corpus illud gloriosum.

* Qu. XXXIV, art. 4.
* Qu. XIV, art. 1, ad 2; qu. XLV, art. 2.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod omne quod recipitur in aliquo, recipitur in eo secundum modum recipientis *. Quia igitur gloria corporis derivatur ab anima *, ut Augustinus dicit, in Epistola *ad Dioscorum* *, fulgor seu claritas corporis gloriosi est secundum colorem humano corpori naturalem: sicut vitrum diversimode coloratum recipit splendorem ex illustratione solis secundum modum sui coloris. Sicut autem in potestate hominis glorificati est ut corpus eius videatur vel non videatur, sicut dictum est *; ita in potestate eius est quod claritas eius videatur vel non videatur. Unde potest in suo colore sine aliqua claritate videri. Et hoc modo Christus discipulis post resurrectionem suam apparuit.

* Cf. lib. *de Causis*, prop. X, XII, XX, XXIV.
* D. 340.
* Ep. CXVIII, al. LVI, cap. III.
* Art. 1, ad 2.

AD SECUNDUM DICENDUM quod corpus aliquod dicitur esse palpabile, non solum ratione resistentiae, sed ratione spissitudinis suae. Ad rarum autem et spissum sequuntur grave et leve, calidum et frigidum, et alia huiusmodi contraria, quae sunt principia corruptionis corporum elementarium *. Unde corpus quod est palpabile [ε] humano tactu, est naturaliter corruptibile. Si autem sit aliquod corpus resistens tactui quod non sit dispositum secundum praedictas qualitates, quae sunt propria obiecta tactus humani, sicut est corpus caeleste, tale corpus non potest dici palpabile. Corpus autem Christi vere post resurrectionem fuit ex elementis compositum, habens in se tangibiles qualitates, secundum quod requirit natura corporis humani: et ideo naturaliter erat palpabile. Et si nihil aliud habuisset supra corporis humani naturam, fuisset etiam corruptibile. Habuit autem aliquid aliud quod ipsum incorruptibile reddidit: non quidem naturam caelestis corporis, ut quidam dicunt, de quo infra * magis inquiretur; sed gloriam redundantem ab anima beata; quia, ut Augustinus dicit, *ad* [ζ] *Dioscorum* *, *tam potenti natura Deus fecit animam ut ex eius plenissima beatitudine redundet in corpus plenitudo sanitatis, idest incorruptionis vigor*. Et ideo, sicut dicit Gregorius, ibidem *, *ostenditur corpus Christi post resurrectionem fuisse eiusdem naturae, sed alterius gloriae.*

* Cf. Arist. *Physic.* lib. V, cap. VII, n. 2; S. Th. lect. X
* Cf. *Supple*. qu. LXXXII, art
* Loc. cit.
* Loc. cit. in s

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, XIII *de Civ. Dei* *, *Salvator noster, post resurrectionem, iam quidem in spirituali carne, sed tamen vera, cibum ac potum cum discipulis sumpsit, non * alimentorum indigentia, sed ea qua hoc poterat potestate.* Ut enim Beda dicit, *super Luc.* *, *aliter absorbet aquam terra sitiens, aliter solis radius calens: illa indigentia, iste potentia.* Manducavit ergo post resurrectionem, *non quasi cibo indigens, sed ut eo modo naturam corporis resurgentis adstrueret* *. Et propter hoc, non sequitur quod fuerit eius corpus animale, quod est indigens cibo.

* Cap. XXII.
* Lib. XXII, c. XIX.
* Exposit. lib. ad cap. XXIV, v. 41.
* Ibid.

δ) *perfectam.* – *perfecta* ABC (DE?); F legit: *Perfecta* (*est* expungitur) *autem dispensatione factum fuit sicut,* scriptore inter scribendum correctorem agente, ut solet.

ε) *palpabile.* – Fa et tertia; *impalpabile.* Pro *corruptibile, incorruptibile* BE.

ζ) *ad.* – *in epistola ad* Pl.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. – In corpore unica conclusio: *Corpus Christi in resurrectione fuit gloriosum.* Probatur tripliciter: et rationes clare patent in littera.

In responsione ad secundum, adverte quod Auctor loquitur de raro et denso univocatione servata. Quod dico propterea quia densitas ponitur etiam in corporibus caelestibus *: non eiusdem tamen rationis cum densitate inferiorum. Est enim stella densior pars sui orbis: nihil tamen est commune univocum corruptibili et incorruptibili corpori. Unde caelum resisteret tactui, si quis ad orbem lunae pertransire vellet, ibi existens: non tamen sentiretur tactu densitas eius, sed tantum tactui resisteret pars densa quantum pars minus densa. Et propterea in littera dicitur quod corpus ratione suae spissitudinis palpabile, est naturaliter corruptibile.

* Cf. Aristot. II *de Caelo*, cap. VII, n. 1. – S. Th. lect. X, n. 3, 13.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM CORPUS CHRISTI RESURREXERIT INTEGRUM

Quodl. V, qu. III, art. 1; *In Ioan.*, cap. XX, lect. VI.

AD TERTIUM [α] SIC PROCEDITUR. Videtur quod corpus Christi non resurrexerit integrum. Sunt enim de integritate humani corporis caro et sanguis. Quae Christus non videtur habuisse: dicitur enim I *Cor.* XV *: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Christus autem resurrexit in gloria regni Dei. Ergo videtur quod non habuerit carnem et sanguinem.

* Vers. 50.

2. PRAETEREA, sanguis est unus de quatuor humoribus. Si ergo Christus habuit sanguinem, pari ratione habuit alios humores, ex quibus causatur corruptio in corporibus animalium. Sic ergo sequeretur quod corpus Christi fuerit corruptibile. Quod est inconveniens. Non igitur habuit carnem et sanguinem.

3. PRAETEREA, corpus Christi quod resurrexit, in caelum ascendit. Sed aliquid de sanguine eius in quibusdam ecclesiis reservatur pro reliquiis. Non ergo resurrexit Christi corpus cum integritate omnium suarum partium.

SED CONTRA EST quod Dominus dicit, Luc. ult.*, post resurrectionem discipulis loquens: *Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.*

* Vers. 39.

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut supra * dictum est, corpus Christi in resurrectione fuit *eiusdem naturae, sed alterius gloriae.* Unde quidquid ad naturam corporis humani pertinet, totum fuit in corpore Christi resurgentis. Manifestum est autem quod ad naturam corporis humani pertinent carnes et ossa et sanguis, et alia huiusmodi. Et ideo omnia ista in corpore Christi resurgentis fuerunt. Et etiam integraliter, absque omni diminutione: alioquin non fuisset perfecta resurrectio, si non fuisset redintegratum quidquid per mortem ceciderat *. Unde et Dominus fidelibus suis promittit dicens, Matth. X *: *Vestri autem et capilli capitis omnes numerati sunt.* Et Luc. XXI * dicitur: *Capillus de capite vestro non peribit.*

* Art. praeced., 2. ex Greg.
* Damasc. cit. ... 1.
* Vers. 30.
* Vers. 18.

Dicere autem quod corpus Christi carnem et ossa non habuerit, et alias huiusmodi partes humano corpori naturales, pertinet ad errorem Eutychii, Constantinopolitanae urbis episcopi *, qui dicebat quod *corpus nostrum in illa resurrectionis gloria erit impalpabile, et ventis aereque subtilius;* et quod Dominus, *post confirmata corda discipulorum palpantium, omne illud quod in eo palpari potuit, in subtilitatem aliquam redegit.* Quod ibidem [β] improbat Gregorius, quia corpus Christi post resurrectionem immutatum non fuit: secundum illud *Rom.* VI *: *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur.* Unde et ille quae [γ] dixerat, in morte retractavit *. Si enim inconveniens est ut Christus alterius naturae corpus in sua conceptione acciperet, puta caeleste, sicut Valentinus asseruit *; multo magis inconveniens est quod in resurrectione alterius naturae corpus reassumpserit [δ]: quia corpus in resurrectione resumpsit ad vitam immortalem, quod in conceptione acceperat [ε] ad vitam mortalem.

* Greg. *Moral.* XIV, cap. LVI, ... XXIX; in vet.
* Vers. 9.
* Cf. Greg. loc. prox. cit.
* Cf. Aug. *de Haeres.*, num. XI.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod *caro et sanguis* ibi non accipitur pro natura carnis et sanguinis: sed vel pro culpa carnis et sanguinis, sicut Gregorius dicit, in XIV *Moral.* *; vel pro corruptione carnis et sanguinis, quia, ut Augustinus dicit, *ad Consentium, de Resurrectione Carnis* *, *non ibi erit* [ζ] *corruptio et mortalitas carnis et sanguinis.* Caro ergo secundum substantiam possidet regnum Dei: secundum quod dictum est *, *Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Caro autem cum secundum corruptionem intelligitur, non possidebit. Unde continuo additum est in verbis Apostoli: *neque corruptio incorruptelam.*

* Loc. cit.
* Ep. CCV, al. CXLVI, cap. II.
* Cf. arg. *Sed contra.*

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, in eodem libro *, *fortassis, accepta occasione sanguinis, urgebit* [η] *nos molestior persecutor, et dicet: Si sanguis* in corpore Christi resurgentis *fuit, cur non et pituita,* idest phlegma; *cur non et fel flavum*, idest cholera, *et fel nigrum*, idest melancholia; *quibus quatuor humoribus naturam carnis temperari etiam medicinae disciplina testatur? Sed, quodlibet quisque addat, corruptionem addere caveat: ne suae fidei sanitatem castitatemque corrumpat. Valet enim divina potentia de ista visibili atque tractabili natura corporum, quibusdam manentibus, auferre quas voluerit qualitates: ut absit labes,* scilicet corruptionis, *adsit effigies; adsit motio, absit fatigatio; adsit vescendi potestas, absit esuriendi necessitas.*

* Cap. I.

AD TERTIUM DICENDUM quod totus sanguis qui de corpore Christi fluxit, cum ad veritatem humanae naturae pertineat, in Christi corpore resurrexit. Et eadem ratio est de omnibus particulis ad veritatem et integritatem humanae naturae pertinentibus. Sanguis autem ille qui in quibusdam ecclesiis pro reliquiis observatur [θ], non fluxit de latere Christi: sed miraculose dicitur effluxisse de quadam imagine Christi percussa *.

* *Act. Conc. Nic.* II, part. I, act. IV; Serm. s. Athan. *de Imag. Dom.* - Vide Bellarmin. *de Script. Ecclesiast.*, s. Athan.

α) *Ad Tertium.* – Cf. art. praec. α.
β) *ibidem.* – Librine an terrae locus, scilicet Constantinopolis, intelligendus et *improbabat* legendum? *in I Moralium* sG. – *quia* PBCsH; *dicens quod* FsG, *quod* ceteri.
γ) *ille quae.* – PsH; *ille quod* CDsG et *a*, *illud quod* I, *ille qui* ceteri. Ante *retractavit* F addit *non.*
δ) *reassumpserit.* – *resumpserit* F et tertia praeter sH.
ε) *acceperat.* – *assumpserat* H et editiones.
ζ) *erit.* – *erat* editiones. – *et mortalitas* DIsCG*a* et editiones; *et immortalitas* ABpC, *immortalitas* EH, *sed immortalitas* F, *mortalitas* pG.
η) *urgebit.* – *urgebat* EHpBCI. – Pro *persecutor, perscrutator* PI.
θ) *observatur.* – *conservatur* I et editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus ut sonat. – In corpore una conclusio: *Corpus Christi resurrexit integrum, scilicet cum carnibus et ossibus, etc.* Probatur dupliciter. Primo, ostensive. Corpus Christi in resurrectione fuit *eiusdem naturae et alterius gloriae.* Ergo totum habuit quidquid pertinet ad naturam corporis humani. Ergo omnia ista fuerunt in corpore Christi. – Secunda consequentia probatur. Quia haec omnia pertinent ad naturam humani corporis. – Deinde probatur quod haec omnia integraliter fuerunt in Christo. Quia aliter non fuisset resurrectio perfecta, si non fuisset integratum quidquid per mortem ceciderat. Et confirmatur auctoritate Domini: *Capillus de capite vestro non peribit,* etc.

Secundo, probatur conclusio ab opposito. Quia dicere corpus Christi caruisse partibus naturalibus humano corpori, pertinet ad errorem Eutychii, duo dicentis. Primum est: *Corpus nostrum in resurrectione erit impalpabile, ventis aereque subtilius.* Alterum est: *Christus, post confirmata corda discipulorum palpantium, omne quod erat in eo palpabile, in subtilitatem aliquam redegit.* Contra quod secundum dictum rationem Gregorii Auctor affert primo; et ipsius Eutychii revocationem deinde; et demum arguit ex errore Valentini.

Clara sunt in littera omnia intelligentibus quod omnis mutatio species quaedam mortis est.

II. In responsionibus argumentorum, et in corpore, duae magnae quaestiones restant. Prima est, quae indecisa videtur, propter varias opiniones: *An totus sanguis Christi in passione effusus resurrexerit cum eo.* – Secunda est nova: *An, Christo resurgente, oportuerit sanguinem secum reassumere.*

Primae quaestionis Auctor tenet partem affirmativam in littera, in responsione ad tertium, quoad sanguinem in passione effusum: ea ratione, quia erat de veritate humanae naturae. Et in corpore articuli adiungitur quod, si non fuisset integratum quidquid per mortem ceciderat, non fuisset resurrectio perfecta *. [* Cf. num. VI.]

Secundae autem quaestionis non solus Auctor, sed communis et theologorum et Ecclesiae sententia partem tenet affirmativam *. [* Cf. num. seq.]

III. Sed, ut ab hac ordiar, occurrit mihi magnum de ea dubium, et argumentum ducens ad partem negativam. Ad cuius intellectum, recolere oportet ex doctrina Pauli Apostoli, I *ad Cor.* XV *, quod corpus nostrum hic est *animale, resurget autem spirituale:* et, secundum Augustinum *, tandiu corpus est animale quandiu indiget alimento, et per oppositum tunc est spirituale cum non indiget amplius alimento. Ex qua doctrina habetur quod corpus Christi surrexit, non animale, sed spirituale, hoc est, non indigens alimento. [* Vers. 44.] [* *De Civ. Dei* lib. XIII, cap. XXIII.]

Sub hac autem theologica traditione subsumitur ex philosophia quod sanguis in corpore humano nihil aliud est quam alimentum humani corporis: ut expresse Aristoteles, in II *de Partibus Animal.*, cap. III, dicit, ponens sanguinem esse *ultimum alimentum* in corpore animalium, et *alimenti gratia datum animalibus* a natura. Ergo corpus Christi resurgens non indiguit sanguine: eiusdem enim rationis est indigere alimento interiori, vel exteriori. Unde idem est dicere corpus Christi post resurrectionem indigere sanguine, et indigere alimento: quod est esse animale, et non spirituale. Et cum alimentum, quantumcumque ultimum, non sit actu pars animalis, sed potentia totum *, sequitur quod sanguis non sit pars animalis, et consequenter nec hominis: et quod sanguis non est de integritate humanae naturae, quoniam integrum est cui nulla partium deest. Et quia verum non addit rem aliquam supra ens, eandem enim rem significat *aurum* quam significat *aurum verum,* et sic de aliis; ideo sequitur quod nullus sanguis est de veritate humanae naturae, quia non est de integritate eius. – Nec obstat quod exsangues effecti morimur, aut mortui sumus. Attestatur enim hoc ad dictam philosophiam quod sanguis est de necessitate requisitus ad vitam animalium habentium sanguinem; quoniam, ut in II *de Anima* * dicitur, *tandiu vivunt quandiu aluntur.* [* Cf. Aristot. *de Gen. et Corrupt.* lib. I, cap. V, n. 15, 16, 17. – S. Th. lect. XVI, XVII.] [* Cap. II, n. S. Th. lect. II]

Iungendo ergo philosophiam theologiae, dicendum videtur quod sanguis pertinet ad necessitatem humani corporis secundum vitam animalem, quia est ultimum alimentum: et non pertinet ad necessitatem humani corporis spiritualis, quale fuit corpus Christi in resurrectione. Et secundum hoc, cum dicitur, *Totum quod per mortem cecidit, resurrexit, si perfecta est resurrectio,* intelligendum est de toto quod est de necessitate corporis humani in statu seu vita spirituali: et non de toto necessario ad corpus humanum in statu seu vita animali.

In oppositum autem est communis Ecclesiae sensus: et in sacramento Altaris vinum conversum in Christi sanguinem, quem fatemur in Christi corpore esse.

IV. Ad hanc quaestionem dicitur quod sanguis, licet sit pars in potentia respectu carnis et membrorum, est tamen cum hoc etiam pars in actu respectu totius animalis, ita quod est et materia transiens partium posteriorum, et materia permanens respectu totius: sicut elementa in mundo sunt partes in potentia et materia transiens respectu mixtorum, et sunt partes in actu et materia permanens respectu universi. Probaturque hoc ex eo quod triplex compositio in animali invenitur, ut habetur in II *de Partibus Animal.* *: prima est compositio ex elementis, seu eorum virtutibus; secunda est ex partibus similaribus, puta carne, osse, nervo; tertia est ex partibus heterogeneis, ut manu, capite, etc. Ad primam autem compositionem spectat compositio animalis ex humoribus, quorum unus est sanguis. Et propterea, quemadmodum componentia tam in secunda quam in tertia compositione sunt partes in actu animalis, ita componentia in prima compositione affirmanda sunt quod sunt partes in actu animalis. Et ideo, licet in resurrectione non sit opus sanguine ut est pars in potentia, est tamen opus illo ut est pars in actu: alioquin non resurgeret homo integer; deficeret enim sibi aliqua partium eius in actu. [* Cap. I.]

V. * Haec responsio est apud me ambigua: quia non video necessitatem ponendi sanguinem et alios humores esse partes in actu animalis. Compositio siquidem animalis ex humoribus sufficienter salvari videtur si sit compositio ex humoribus ut materia transeunte. Substantialis siquidem animalis integritas, si fomento non egeret, ex solis partibus aliis, scilicet membris, et carnibus, ossibus, etc., constare videtur: humores autem ministrari videntur a natura ut partes solidae conserventur, et non ut ipsi secundum se integrent animal. Cuius oppositum invenitur in elementis, quae secundum se ex prima intentione naturae sunt de integritate universi, ut patet in I *Cael.* *, et quasi per accidens sunt materia mixtorum. Et ideo, nisi allata in oppositum obstarent, rationabilius forte diceretur in resurrectione non resumi humores. Quia tamen *non oportet sapere nisi ad sobrietatem* *, indubie credendum est, sanctae matris Ecclesiae doctrinam sequendo, sanguinem vere esse in Christi corpore post resurrectionem, quamvis ratio naturalis de hoc non appareat certa. [* Totum num om. P.] [* Cf. Cap. S. Th. lect. III] [* *Ad Rom.*, XII, vers. 3.]

VI. De prima autem quaestione *, nec conclusionis nec mediorum video certitudinem. Nam ratio theologica ducit ad partem affirmativam: ut in littera habes, et in Quolib. V, qu. III, art. I. Ratio autem naturalis ad partem potius ducere videtur negativam. Quoniam nihil prohibet in Christo fuisse, passionis tempore, sanguinem nutrimentalem, qui non est in resurrectione assumptus. Quoniam non est maior ratio quare tunc non fuerit in Christo sanguis nutrimentalis, et alias fuerit; et rursus, quare in ipso tunc non, et in aliis hominibus eiusdem aetatis sic; et rursus, quare tunc patiendo non, et, si non fuisset tunc passus, fateremur in eo sanguinem nutrimentalem. Si autem in Christo tunc fuit nutrimentalis sanguis, constat [* Num. II.]

quod tunc effusus fuit: cum natura meliorem, quantum potuerit, in finem reservaverit.

Non cogere autem argumenta haec, sanguineus sudor Christi in cruciatu propassionis effusus, cum ante passionem post cenam oraret *, significat. Nam sudor ille sanguineus, cum non ex aegritudinali dispositione processerit (ut Aristoteles, in III *de Historiis Animal.* *, provenire ponit ex mala dispositione sanguinis; et in III *de Partibus Animal.* *, contigisse narrat quibusdam propter *laxum fluxumque corpus*): tum quia Christum non decuit aegritudo aliqua; tum quia operationes ipsius Christi statim subsecutae attestantur sanitati, et non aegritudini, nam statim surgens ab oratione, ut Lucas ait *, venit ad discipulos, ut prius, et, allocutus eos de vigilia, etc., monstravit se non mutatum a tanto decursu sudoris sanguinei, ut immutari debuisset si aegritudinalis sudor fuisset: – ille, inquam, sudor sanguineus fuit humor sanguineus adhuc crudus, hoc est, non redactus adhuc perfecte in sanguinem qui pars est hominis. Et huiusmodi crudus humor vocatur *sanguis nutrimentalis*. Et quoniam, ut Evangelista testatur, tanta fuit eius quantitas ut *decurreret in terram*, videtur quod totus sanguis nutrimentalis qui inveniendus fuisset in Christo tempore passionis, praeeffusus fuerit in propassionis sudore. Dico autem, *qui inveniendus fuisset tempore passionis*, et non, *qui inventus est tunc*, scilicet tempore orationis: quoniam non oportet fateri totum nutrimentalem sanguinem per sudorem emissum; quoniam aliquid illius remanens potuit nocte et mane decoqui perfecte, ita ut nihil nutrimentalis sanguinis inveniretur in Christo tempore passionis, cum effusus sanguis est.

Luc. cap. XXII, vers. 44. — Cap. XIX, n. 3. — Cap. V. — Loc. cit. vers. 45, 46.

Sed quia haec magis divinare quam affirmare possumus, ideo nullus pertinax in propria opinione inveniatur, nullus dubia pro certis affirmet, sed, pie dubitando, devotionem suam prosequatur.

Certum tamen, et absque haesitatione qualibet constat Christi sanguinem nutrimentalem, qui dicitur in terra inveniri, etiam si in passione effusus sit, non esse unitum Verbo Dei personaliter: quoniam nunquam fuit actu pars sanguinis qui est de veritate humanae naturae.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CORPUS CHRISTI CUM CICATRICIBUS RESURGERE DEBUERIT

III *Sent.*, dist. XXI, qu. II, art. 4, qu^a 3; *Compend. Theol.*, cap. CCXXXVIII; *In Ioan.*, cap. XX, lect. VI.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod corpus Christi cum cicatricibus resurgere non debuerit. Dicitur enim I *Cor.* XV *, quod *mortui resurgent incorrupti*. Sed cicatrices et vulnera ad quandam corruptionem pertinent et defectum. Non ergo fuit conveniens ut Christus, qui resurrectionis auctor est, cum cicatricibus resurgeret.

Vers. 52.

2. Praeterea, corpus Christi integrum resurrexit, sicut dictum est *. Sed aperturae vulnerum contrariantur integritati corporis: quia per eas discontinuatur corpus. Non ergo videtur fuisse conveniens quod in Christi corpore aperturae vulnerum remanerent: etsi remanerent ibi quaedam vulnerum insignia, quae sufficiebant ad aspectum, ad quem Thomas credidit, cui dictum est *: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti.*

Art. praeced. — Ioan. cap. XX, vers. 29.

3. Praeterea, Damascenus dicit, in IV libro *, quod *post resurrectionem de Christo dicuntur quaedam vere quidem, non autem* [α] *secundum naturam, sed secundum dispensationem, ad certificandum quod ipsum quod passum est corpus resurrexit, ut cicatrices.* Cessante autem causa, cessat effectus. Ergo videtur quod, certificatis discipulis de sua resurrectione, cicatrices ulterius non habuit. Sed non conveniebat immutabilitati gloriae quod aliquid assumeret quod in eo perpetuo non remaneret. Videtur ergo quod non debuerit corpus cum cicatricibus in resurrectione resumere.

De Fide Orth., lib. IV, cap. XVIII.

Sed contra est quod Dominus dicit Thomae, Ioan. XX *: *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam et mitte in latus meum* [β].

Vers. 27.

Respondeo dicendum quod conveniens fuit animam Christi in resurrectione corpus cum cicatricibus resumere. Primo quidem, propter gloriam ipsius Christi. Dicit enim Beda, *super Luc.* *, quod non ex impotentia curandi cicatrices servavit, sed *ut in perpetuum victoriae suae circumferat triumphum.* Unde et Augustinus dicit, in XXII *de Civ. Dei* *, quod *fortassis in illo regno in corporibus martyrum videbimus vulnerum cicatrices quae pro Christi nomine pertulerunt: non enim deformitas in eis, sed dignitas erit; et quaedam, quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit.*

* Exposit. lib. VI, ad cap. XXIV, vers. 40. — * Cap. XIX, al. XX.

Secundo, ad confirmandum corda discipulorum circa *fidem suae resurrectionis* *. — * Bed. loc. cit.

Tertio, *ut Patri, pro nobis supplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit, semper ostendat* *. — * Ibid.

Quarto, *ut sua morte redemptis quam misericorditer sint adiuti, propositis eiusdem mortis indiciis, insinuet* *. — * Ibid.

Postremo, *ut in iudicio quam iuste damnentur, ibidem annuntiet* [γ] *. Unde, sicut Augustinus dicit, in libro *de Symbolo* *: *Sciebat Christus quare cicatrices in suo corpore servaret. Sicut enim demonstravit* [δ] *Thomae non credenti nisi tangeret et videret, ita etiam inimicis vulnera demonstraturus est sua, ut convincens eos Veritas dicat: « Ecce hominem quem crucifixistis. Videtis vulnera quae infixistis. Agnoscitis latus quod pupugistis. Quoniam per vos, et propter vos apertum est: nec tamen intrare voluistis ».*

* Ibid. — * Lib., al. Serm., II, cap. VIII, *ad Catechum.*-Inter Opp. Aug.

Ad primum ergo dicendum quod cicatrices illae quae in corpore Christi permanserunt, non pertinent ad corruptionem vel defectum: sed ad maiorem cumulum gloriae, inquantum sunt quaedam virtutis insignia. Et in illis locis vulnerum quidam specialis [ε] decor apparebit.

α) *quidem, non autem.* – I; *qui non autem* ABCD, *quaedam autem non* E, *quaedam non* F, *quae non sunt* ed. *a*, *quae non habuit* cetera tertia.

β) *meum.* – *et noli esse incredulus sed fidelis* addunt PI.

γ) *annuntiet.* – *denuntiet* PI.

δ) *demonstravit.* – PEFsCGI; *demonstraret.*

ε) *specialis.* – Ia et editiones; *spiritualis.*

Ad secundum dicendum quod illa apertura vulnerum, quamvis sit cum quadam solutione continuitatis, totum tamen hoc recompensatur per maiorem decorem gloriae: ut corpus non sit minus integrum, sed magis perfectum. Thomas autem non solum vidit, sed etiam vulnera tetigit: quia, ut dicit Leo Papa *, *suffecit sibi ad fidem propriam vidisse quod viderat; sed nobis operatus est ut tangeret quem videbat.*

* Cf. App. Opp. Aug., Sermon. CLXII, al. LVI, *de Temp.* CLXI.

Ad tertium dicendum quod Christus in suo corpore voluit cicatrices vulnerum remanere, non solum ad certificandum discipulorum fidem, sed etiam propter alias rationes. Ex quibus apparet quod semper in eius corpore cicatrices illae remanebunt. Quia, ut Augustinus dicit, *ad Consentium de Resurrectione Carnis* *: *Domini corpus in caelo esse credo ut erat quando ascendit in caelum.* Et Gregorius, XIV *Moral.* *, dicit quod, *si quid* [ζ] *in corpore Christi post resurrectionem potuit immutari, contra veridicam Pauli sententiam, post resurrectionem Dominus rediit in mortem. Quod quis dicere vel stultus praesumat, nisi qui veram carnis resurrectionem denegat?* Unde patet quod cicatrices quas Christus post resurrectionem in suo corpore ostendit, nunquam postmodum ab illo corpore sunt remotae.

* Ep. CCV, CXLVI, cap.

* Cap. LVI, xxix; in vet. xx

ζ) *si quid.* – PElb; *si* F, *sicut* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus, prout communiter in Ecclesia cicatrices Christi intelliguntur: scilicet ut cum foraminibus sumuntur.

In corpore unica est conclusio: *Conveniens fuit animam Christi reassumere corpus cum cicatricibus.* Probatur quinque rationibus, quae patent in littera.

Ubi adverte quod Auctor, Augustinum sequens, rationem cicatricum Christi non ex parte corporis, sed animae, reddit: quoniam non ad pulchritudinem corporis, sed animae, spectant. Ut enim in responsione ad secundum dicitur, *apertura illa vulnerum recompensatur per maiorem decorem:* in quo monstratur quod ex parte corporis recompensatione eget. – Reliqua clara sunt in littera.



QUAESTIO QUINQUAGESIMAQUINTA

DE MANIFESTATIONE RESURRECTIONIS

IN SEX ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. LIII, Introd.

DEINDE considerandum est de manifestatione resurrectionis *.

Et circa hoc quaeruntur sex.

Primo: utrum resurrectio Christi omnibus hominibus [α] manifestari debuerit, an solum quibusdam specialibus hominibus.

Secundo: utrum fuisset conveniens quod, eis videntibus, resurgeret.

Tertio: utrum post resurrectionem debuerit cum suis discipulis conversari.

Quarto: utrum fuerit conveniens quod suis discipulis in aliena effigie appareret.

Quinto: utrum resurrectionem suam argumentis manifestare debuerit.

Sexto: de sufficientia illorum argumentorum.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM RESURRECTIO CHRISTI DEBUERIT OMNIBUS MANIFESTARI

Supra, qu. XXXVI, art. 2; *Compend. Theol.*, cap. CCXXXVIII; I *ad Cor.*, cap. XV, lect. I.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod resurrectio Christi debuerit omnibus manifestari. Sicut enim publico peccato debetur poena publica, secundum illud I *Tim.* V *, *Peccantem coram omnibus argue;* ita merito publico debetur praemium publicum. Sed *claritas resurrectionis est praemium humilitatis passionis:* ut Augustinus dicit, *super Ioan.* * Cum ergo passio Christi fuerit omnibus manifestata, eo publice patiente, videtur quod gloria resurrectionis ipsius omnibus manifestari debuerit.

* Vers. 20.
* Tract. CIV.

2. PRAETEREA, sicut passio Christi ordinatur ad nostram salutem, ita et eius resurrectio: secundum illud *Rom.* IV *: *Resurrexit propter iustificationem nostram.* Sed illud quod ad communem utilitatem pertinet, omnibus debet manifestari. Ergo resurrectio Christi omnibus debuit manifestari, et non specialiter quibusdam.

* Vers. 25.

3. PRAETEREA, illi quibus manifestata est resurrectio, fuerunt resurrectionis testes: unde dicitur *Act.* III *: *Quem Deus suscitavit a mortuis: cuius nos testes sumus.* Hoc autem testimonium ferebant publice praedicando. Quod quidem non convenit mulieribus: secundum illud I *Cor.* XIV *: *Mulieres in ecclesiis taceant;* et I *Tim.* II *: *Docere mulieri non permitto.* Ergo videtur quod inconvenienter resurrectio Christi manifestata fuerit primo mulieribus quam hominibus [β] communiter.

* Vers. 15.
* Vers. 34.
* Vers. 12.

SED CONTRA EST quod dicitur *Act.* X *: *Quem Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo.*

* Vers. 40, 41.

RESPONDEO DICENDUM quod eorum quae cognoscuntur, quaedam cognoscuntur communi lege naturae; quaedam autem cognoscuntur ex speciali munere gratiae, sicut ea quae divinitus revelantur. Quorum quidem, ut Dionysius dicit, in libro *Caelest. Hier.* *, haec est lex divinitus instituta, ut a Deo immediate superioribus revelentur, quibus mediantibus deferantur ad inferiores: sicut patet in ordinatione caelestium spirituum. Ea vero quae pertinent ad futuram gloriam, communem hominum cognitionem excedunt: secundum illud Isaiae LXIV *: *Oculus non vidit, Deus, absque te, quae preparasti diligentibus te.* Et ideo huiusmodi ab homine non cognoscuntur nisi divinitus revelata: sicut Apostolus dicit, I *Cor.* II *: *Nobis revelavit Deus per Spiritum suum.* Quia igitur Christus resurrexit gloriosa resurrectione, ideo eius resurrectio non omni populo manifestata est, sed quibusdam, quorum testimonio deferretur in aliorum notitiam.

* Cap. IV.
* Vers. 4. - Cf. I *ad Cor.*, cap. II, vers. 9.
* Loc. cit. vers. 10.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod passio Christi peracta est in corpore adhuc habente naturam passibilem, quae communi lege nota est omnibus. Et ideo passio Christi omni populo immediate manifestari potuit. Resurrectio autem Christi facta est *per gloriam Patris,* ut Apostolus dicit, *Rom.* VI *. Et ideo immediate manifestata est, non omnibus, sed quibusdam.

* Vers. 4.

Quod autem publice peccantibus publica poena imponitur *, intelligendum est de poena praesentis vitae. Et similiter publica merita publice praemiari oportet, ut alii provocentur. Sed poenae et praemia futurae vitae non publice omnibus manifestantur: sed specialiter illis qui ad hoc praeordinati sunt a Deo.

* D. 988.

AD SECUNDUM DICENDUM quod resurrectio Christi, sicut est ad communem omnium salutem, ita in notitiam omnium pervenit: non quidem sic quod immediate omnibus manifestaretur; sed quibus-

α) *hominibus.* – Om. P. Pro *specialibus hominibus, spiritualibus hominibus* bc, *specialibus personis* I, *specialiter personis* P.

β) *hominibus.* – *omnibus* CsDE *a* et tertia praeter G.

dam, per quorum testimonium deferretur ad omnes.

Ad tertium dicendum quod mulieri non permittitur publice docere in ecclesia: permittitur autem ei privatim domestica aliquos [γ] admonitione instruere. Et ideo, sicut Ambrosius dicit, *super Luc.* *, *ad eos femina mittitur qui domestici sunt:* non autem mittitur ad hoc quod resurrectionis testimonium ferat ad populum.

* Exposit. lib. X, ad cap. xxiv, num. 165.

Ideo autem primo mulieribus apparuit, ut mulier, quae primo initium [δ] mortis ad hominem detulit, primo etiam initia [ε] resurgentis Christi in gloria nuntiaret. Unde Cyrillus dicit *: *Femina, quae quondam* [ζ] *fuit mortis ministra, venerandum resurrectionis mysterium prima percepit et nuntiat. Adeptum est igitur femineum genus et ignominiae absolutionem, et maledictionis repudium.*

* Comment. in Ioan. Evang. lib. XII, ad cap. xx, vers. 17.

Simul etiam per hoc ostenditur quod, quantum ad statum gloriae pertinet, nullum detrimentum patietur sexus femineus *, sed, si maiori caritate fervebunt, maiori etiam gloria ex visione divina potientur: eo quod mulieres, quae Dominum arctius amaverunt, in tantum ut ab eius sepulcro, *discipulis etiam recedentibus, non recederent* *, primo viderunt Dominum in gloriam [η] resurgentem.

* D. 175.

* Cf. Greg. hom. XXV *in Evang.*

γ) *domestica aliquos.* – *aliquos domestica* PEI; F ponit *aliquos* post *admonitione.*

δ) *initium.* – *meritum* pG, *nuntium* PHIsG et *b.*

ε) *primo etiam initia.* – F; *prima etiam vita* ABCD, *post etiam vitam* E, *prima etiam vitam* Ga, *primo etiam vitam* H et editiones, *postea etiam vita* pI, *postea etiam vitam* sI.

ζ) *quondam.* – PI; *quodammodo.* – *venerandum* tertia praeter G *venerandae.* – Pro *percepit, percipit* PsG.

η) *gloriam.* – *gloria* ed. *a* et tertia praeter G.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus de manifestatione facta Christi discipulis quaerit, an talis manifestatio debuerit fieri omnibus publice, sicut publice manifestata est passio.

In corpore primo ponitur una distinctio bimembris, scilicet: Eorum quae cognoscuntur, quaedam communi lege, quaedam solo gratiae mumere sunt cognoscibilia.

Deinde ponitur conclusio responsiva: *Christi resurrectio non debuit omni populo manifestari, sed quibusdam, per quos ab aliis crederetur.* Probatur. Quia Christus resurrexit ad vitam gloriosam. Ergo, etc. – Consequentia probatur ex differentia inter dicta duo genera cognoscibilium, consistente in hoc quod primum genus exponitur cognoscendum omnibus: secundum autem, secundum legem divinam, gradatim per quosdam ad alios derivatur. Constat autem vitam gloriosam sub secundo genere contineri. – Et clare patent omnia in littera.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM CONVENIENS FUERIT QUOD DISCIPULI VIDERENT CHRISTUM RESURGERE

In Matth., cap. xxviii.

Ad secundum sic proceditur. Videtur conveniens fuisse quod discipuli viderent Christum resurgere. Ad discipulos enim pertinebat resurrectionem Christi testificari: secundum illud *Act.* iv *: *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi, Domini nostri.* Sed certissimum est testimonium de visu. Ergo conveniens fuisset ut ipsam resurrectionem Christi viderent.

* Vers. 33.

2. Praeterea, ad certitudinem fidei habendam, discipuli ascensionem Christi viderunt: secundum illud *Act.* i *: *Videntibus illis, elevatus est.* Sed similiter oporteret [α] de resurrectione Christi certam fidem habere. Ergo videtur quod, discipulis videntibus, debuerit Christus resurgere.

* Vers. 9.

3. Praeterea, resurrectio Lazari quoddam indicium fuit futurae resurrectionis Christi. Sed, discipulis videntibus, Dominus Lazarum suscitavit *. Ergo videtur quod etiam Christus resurgere debuerit, discipulis videntibus.

* Ioan. cap. xi.

Sed contra est quod dicitur Marci ult. *: *Resurgens Dominus mane prima sabbati, apparuit primo Mariae Magdalenae.* Sed Maria Magdalena non vidit eum resurgere: sed, cum eum quaereret in sepulcro, audivit ab angelo, *Surrexit Dominus* [β]*: non est hic* *. Ergo nullus vidit eum resurgere.

* Vers. 9.

* Ibid. vers. 6.

Respondeo dicendum quod, sicut Apostolus dicit, *Rom.* xiii *, *quae a Deo sunt, ordinata sunt.* Est autem hic ordo divinitus institutus, ut ea quae supra homines sunt, hominibus per angelos revelentur: ut patet per Dionysium, iv cap. *Cael. Hier.* Christus autem resurgens non rediit ad vitam communiter omnibus notam, sed ad vitam quandam immortalem et Deo conformem: secundum illud *Rom.* vi *: *Quod enim vivit, vivit Deo.* Et ideo ipsa Christi resurrectio non debuit immediate ab hominibus videri, sed eis ab angelis nuntiari [γ]. Unde Hilarius dicit, *super Matth.* *, quod *ideo angelus prior* [δ] *resurrectionis est index, ut quodam famulatu paternae voluntatis resurrectio nuntiaretur.*

* Vers. 1.

* Vers. 10.

* Comment. cap. xxxiii, num. 9.

Ad primum ergo dicendum quod Apostoli potuerunt testificari Christi resurrectionem etiam de visu: quia Christum post resurrectionem viventem oculata [ε] fide viderunt, quem mortuum sciverant. Sed sicut ad visionem beatam pervenitur per auditum fidei, ita ad visionem Christi resurgentis pervenerunt homines per ea quae prius ab angelis audierunt.

α) *oporteret.* – *oportebat* sG, *oportet* PI.

β) *Dominus.* – Om. PI.

γ) *nuntiari.* – EIsFG et editiones; *revelari* sD, (omisso *videri*) *manifestari* ed. *a*, om. ABCpD; *sed... nuntiari* om. HpFG.

δ) *prior.* – PI; *primus* BGa, *prius* ceteri.

ε) *oculata.* – F et tertia praeter G; *occultata* ABE, *occulta* CDGa.

Ad secundum dicendum quod ascensio Christi, quantum ad terminum a quo, non transcendebat hominum communem notitiam, sed solum quantum ad terminum ad quem. Et ideo discipuli potuerunt videre ascensionem Christi quantum ad terminum a quo, idest secundum quod elevabatur a terra. Non autem viderunt ipsam quantum ad terminum ad quem: quia non viderunt quomodo reciperetur in caelo. Sed resurrectio Christi transcendebat communem notitiam et quantum ad terminum a quo, secundum quod anima rediit ab inferis et corpus de sepulcro clauso exivit; et quantum ad terminum ad quem, secundum quod est adeptus vitam gloriosam. Et ideo non debuit resurrectio fieri sic quod ab homine videretur.

Ad tertium dicendum quod Lazarus resuscitatus est ut rediret ad vitam qualem ζ prius habuerat, quae communem notitiam hominum non transcendit. Et ideo non est similis ratio. ζ

ζ) *qualem.* – *quam* tertia praeter I.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est. – In corpore unica est conclusio: *Resurrectio Christi non debuit ab hominibus immediate videri, sed eis ab angelis nuntiari.* Probatur. Ordo divinitus institutus exigit ut ea quae sunt supra homines cognoscibilia, hominibus per angelos revelentur: ut patet ex Dionysio. Sed resurrectio Christi est huiusmodi. Ergo. – Et confirmatur auctoritate Hilarii.

II. In responsione ad secundum, adde quod ascensio Christi, quantum ad terminum ad quem, excedentem cognitionem humanam, manifestata est discipulis ab angelis dicentibus: *Hic Christus qui assumptus est a vobis in caelum* *. * Act. cap. I, vers. 11.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM CHRISTUS POST RESURRECTIONEM DEBUERIT CONTINUE CUM DISCIPULIS CONVERSARI

III *Sent.*, dist. XXII, qu. III, art. 2, qu^a^ 3; *In Ioan.*, cap. XX, lect. VI; cap. XXI, lect. I.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod Christus post resurrectionem debuerit continue cum discipulis conversari. Ad hoc enim Christus discipulis post resurrectionem apparuit, ut eos de fide resurrectionis certificaret, et consolationem perturbatis afferret, secundum illud Ioan. xx *: *Gavisi sunt discipuli, viso Domino.* Sed magis fuissent certificati et consolati si eis continue α suam praesentiam exhibuisset. Ergo videtur quod continue cum eis debuerit conversari. [* ...s. 20.] [α]

2. Praeterea, Christus resurgens a mortuis non statim ascendit in caelum, sed post *dies quadraginta,* ut habetur *Act.* I *. Illo autem tempore intermedio in nullo alio loco potuit convenientius esse quam ubi discipuli eius erant pariter congregati. Ergo videtur quod continue cum eis conversari debuerit. [* ...s. 3.]

3. Praeterea, ipso die resurrectionis Dominicae quinquies Christus apparuisse legitur, ut Augustinus dicit, in libro *de Consensu Evang.* *: primo quidem, *mulieribus ad monumentum* *; secundo, *eisdem regredientibus* β *a monumento in itinere* *; *tertio, Petro* **; *quarto, duobus euntibus in castellum* *; *quinto, pluribus in Ierusalem, ubi non erat Thomas* *. Ergo etiam γ videtur quod et aliis diebus ante suam ascensionem ad minus pluries debuit apparere. [* ... III, cap. ... num. 83. — * ...c. cap. XVI, ...; Ioan. cap. ... vers. 14 sqq. — β — * ...atth. cap. ..., vers. 8, 9. — * ...c. cap. XXIV, 34. — * ...c. cap. XVI, ...2; Luc. cap. ... vers. 13 sqq. — * ...n. cap. XX, ... 19 sqq. — γ]

4. Praeterea, Dominus ante passionem eis dixerat, Matth. xxvi *: *Postquam resurrexero, praecedam vos in Galilaeam.* Quod etiam angelus, et ipsemet Dominus, post resurrectionem mulieribus dixit *. Et tamen antea in Ierusalem ab eis visus est: et ipsa die resurrectionis, ut dictum est *; et etiam die octava, ut legitur Ioan. xx **. Non ergo videtur quod convenienti modo post resurrectionem cum discipulis fuerit conversatus. [* ...s. 32.] [* Matth. cap. XXVIII, vers. 7, 10.] [* Arg. praeced. — ** Vers. 26.]

Sed contra est quod Ioan. xx * dicitur, quod *post dies octo* Christus discipulis apparuit. Non ergo continue conversabatur cum eis. [* Ibid.]

Respondeo dicendum quod circa resurrectionem Christi duo erant discipulis declaranda: scilicet ipsa veritas resurrectionis; et gloria resurgentis. Ad veritatem autem resurrectionis manifestandam, sufficit quod pluries apparuit δ, et cum eis familiariter est locutus, et comedit et bibit, et se eis palpandum praebuit *. Ad gloriam autem resurrectionis ε manifestandam, noluit continue conversari cum eis, sicut prius fecerat, ne videretur ad talem vitam resurrexisse qualem prius habuerat. Unde Luc. ult. * dicit eis: *Haec sunt verba quae locutus sum ad vos cum adhuc essem vobiscum.* Tunc quidem erat cum eis praesentia corporali: sed ante cum eis fuerat, non solum corporali praesentia, sed etiam per similitudinem mortalitatis. Unde Beda, supradicta verba exponens, dicit *: « *Cum adhuc essem vobiscum* »: *idest,* « *Cum adhuc essem in carne mortali, in qua estis et vos* ». *Tunc quidem in eadem carne resuscitatus erat: sed cum illis in eadem mortalitate non erat.* [δ] [* Cf. art. 6.] [ε] [* Vers. 44.] [* Exposit. lib. VI.]

Ad primum ergo dicendum quod frequens Chri-

α) *continue.* – Editiones et *a*; *convenienter.*
β) *regredientibus.* – *egredientibus* P. – Post *duobus* Pc addunt *discipulis.*
γ) *etiam.* – F et tertia; *non* ABDsC, om. EpC et *a.*
δ) *apparuit.* – Tertia et *a*; *apparuerit.* – *est locutus* H et editiones; *locutus* ACDpG et *a*, *locutus est* BFI, *locutus fū* E, *locutus fuerit* sG.
ε) *resurrectionis.* – *resurgentis* Pc.

sti apparitio sufficiebat ad certificandum discipulos de veritate resurrectionis: conversatio autem continua eos potuisset ducere in errorem, si [ζ] ad similem vitam eum resurrexisse crederent quam prius habuerat. – Consolationem autem de continua sui praesentia eis in alia vita repromisit: secundum illud Ioan. XVI *: *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.*

Ad secundum dicendum quod Christus non ideo non continue conversabatur cum discipulis quia reputaret se alibi convenientius esse: sed quia hoc discipulis instruendis convenientius iudicabat, si non continue conversaretur cum eis, ratione praedicta *. Incognitum autem est quibus in locis intermedio tempore corporaliter esset *: cum hoc Scriptura non tradat, et *in omni loco sit dominatio eius* *.

Ad tertium dicendum quod ideo prima die frequentius apparuit, quia per plura indicia erant admonendi, ut a principio fidem resurrectionis reciperent. Postquam autem iam eam receperant, non oportebat eos, iam certificatos, tam frequentibus apparitionibus instrui. Unde in Evangelio non legitur quod post primum diem eis apparuit nisi quinquies. Ut enim [η] Augustinus dicit, in libro *de Consensu Evang.* *, post primas quinque apparitiones, *sexto* eis apparuit *ubi vidit eum Thomas* *; *septimo, ad mare Tiberiadis, in captione piscium* *; *octavo, in monte Galilaeae, secundum Matthaeum* *; *nono, quod dicit Marcus* **, *novissime recumbentibus, quia iam non erant in terra cum eo convivaturi; decimo, in ipso die* [θ], *non iam in terra, sed elevatum in nube, cum in caelum ascenderet* *. *Sed non omnia scripta sunt: sicut Ioannes fatetur* *. *Crebra enim erat eius cum illis conversatio, priusquam ascendisset in caelum:* et hoc ad consolationem ipsorum. Unde et I *Cor.* XV * dicitur quod *visus est plus quam quingentis fratribus simul, deinde visus est Iacobo:* de quibus apparitionibus in Evangelio non habetur mentio.

Ad quartum dicendum quod, sicut Chrysostomus dicit *, exponens illud quod dicitur Matth. XXVI, *Postquam resurrexero, praecedam vos in Galilaeam: Non*, inquit, *in longinquam quandam regionem, ut eis appareat, vadit, sed in ipsa gente, et in ipsis fere regionibus* in quibus cum eo plurimum fuerant conversati: *ut et hinc crederent quoniam qui crucifixus est, ipse est et qui* [ι] *resurrexit.* Propter hoc etiam *in Galilaeam se ire dicit, ut a timore Iudaeorum liberarentur.*

Sic ergo, ut Ambrosius dicit, *super Luc.* *, *Dominus mandaverat discipulis ut in Galilaea eum viderent: sed illis ob metum intra conclave residentibus primum ipse se obtulit. Nec hoc* * *est promissi transgressio: sed potius festinata ex benignitate impletio. Postea vero* *, *confirmatis animis, illos Galilaeam petisse* [κ]. *Vel nihil obstat si dicamus pauciores intra conclave, quamplures in monte fuisse.* Ut enim Eusebius dicit *, *duo Evangelistae, scilicet Lucas et Ioannes, solis undecim hunc scribunt apparuisse in Ierusalem: ceteri vero duo in Galilaeam properare non solum undecim, sed universis discipulis et fratribus dixerunt angelum et Salvatorem iussisse* [λ]. De quibus Paulus meminit, dicens *: « Deinde apparuit plus quam quingentis fratribus simul ». *Est autem verior solutio quod prius in Ierusalem latitantibus semel aut bis visus est, ad eorum consolationem. In Galilaea vero non clam, aut semel aut bis, sed cum multa potestate ostensionem sui fecit, « praebens se eis viventem, post passionem in signis multis », ut Lucas testatur in Actibus.*

Vel, sicut dicit Augustinus, in libro *de Consensu Evang.* *, *quod ab angelo et Domino dictum est*, quod praecederet eos in Galilaeam, *prophetice accipiendum est.* In *Galilaea* enim, *secundum « transmigrationis » significationem, intelligendum occurrit quia de populo Israel transmigraturi erant ad gentes: quibus Apostoli praedicantes non crederentur* [μ], *nisi ipse viam in cordibus hominum praepararet. Et hoc intelligitur: « Praecedet vos in Galilaeam ». Secundum autem illud quod Galilaea interpretatur « revelatio », non iam in forma servi intelligendum est, sed in illa in qua aequalis est Patri, quam promisit dilectoribus suis, quo nos praecedens non deseruit.*

* Vers. 22.
* In corp. et ad 1.
* D. 181, 244.
* Ps. CII, vers. 22.
* Lib. III, cap. XXV, num. 83, 84.
* Ioan. cap. XX, vers. 26 sqq.
* Ioan. cap. XXI, vers. 1 sqq.
* Cap. XXVIII, vers. 16, 17.
** Cap. XVI, vers. 14.
* Marc. loc. prox. cit. vers. 19; Luc. cap. XXIV, vers. 50, 51. – Cf. *Act.* cap. I, vers. 9.
* Ioan. cap. XX, vers. 30; cap. XXI, vers. 25.
* Vers. 6, 7.
* Hom. LXXXII, al. LXXXIII, *in Matth.*
* Exposit. lib... in fine.
* Cf. *Cat. ... in Luc.*, cap. ... vers. 36, ... *Graeci.*
* Ambros. prox. cit.
* Euseb. Pa... phil., Supp... menta *Qua... tion. ad Mar...* qu. x. – Mi... *Patr. Graec...* XXII, 1003.
* I *ad Cor.* XV, vers. 6.
* Lib. III, XXV, num. ...

ζ) *si.* – *ut* F et tertia.
η) *Ut enim.* – P; *Sicut* CF, *Unde ut* ed. *a*, *Ut sicut* ceteri.
θ) *die.* – *Ascensionis* addit P. Pro *elevatum, elevatus* P.
ι) *et qui.* – *qui* ACDGIa, *qui et* F.
κ) *illos Galilaeam petisse.* – *illi Galilaeam petierunt* P. Pro *quamplures, sed plures* F, *et complures* P.
λ) *iussisse.* – PDHpl et *a*; *vississe* A, *dixisse* Bsl, *vidisse* CF, *visibile* E, *visisse* vel *iusisse* G, *misisse bc.*
μ) *crederentur.* – (P)GH; *crederetur* l, *crederent* ceteri; P legit: *intelligendum occurrit quod Christi gratia de populo Israel transmigratura erat ad... crederentur nisi eis ipse Dominus viam* etc.; *Dominus* etiam El.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Christus post resurrectionem non debuit continue cum discipulis conversari.* Probatur. Duo erant discipulis declaranda: scilicet veritas resurrectionis; et gloria resurgentis. Sed primum non exigebat continuam conversationem: secundo autem nocere poterat continua conversatio. Ergo.

Minor declaratur in littera quoad singulas partes. – Et confirmatur auctoritate verborum Christi in Evangelio, et expositionis Bedae: quae ad hoc tendunt ut monstrent quod continua conversatio cum discipulis erat de pertinentibus ad vitam mortalem; hoc enim significat Christus dicens, *Cum adhuc essem vobiscum.*

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CHRISTUS DEBUERIT DISCIPULIS IN ALIA EFFIGIE APPARERE

III *Sent.*, dist. XXI, qu. II, art. 4, qu^a 1, ad 3.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus non debuerit discipulis in alia effigie apparere. Non enim potest apparere secundum veritatem nisi quod est. Sed in Christo non fuit nisi una effigies. Si ergo Christus in alia [α] apparuit, non fuit apparitio vera, sed ficta. Hoc autem [β] est inconveniens: quia, ut Augustinus dicit, in libro *Octoginta trium Quaest.* *, *si fallit* [γ], *Veritas non est; est autem Veritas Christus.* Ergo videtur quod Christus non debuit discipulis in alia effigie apparere.

2. PRAETEREA, nihil potest in alia effigie apparere quam habeat, nisi oculi intuentium aliquibus praestigiis detineantur. Huiusmodi autem praestigia, cum fiant magicis artibus, non conveniunt Christo: secundum illud II *Cor.* VI *: *Quae conventio Christi ad Belial?* Ergo videtur quod non debuit in alia effigie apparere.

3. PRAETEREA, sicut per sacram Scripturam nostra fides certificatur, ita discipuli certificati sunt de fide resurrectionis per Christi apparitiones. Sed, sicut Augustinus dicit, in Epistola *ad Hieronymum* *, si vel unum mendacium in sacra Scriptura recipiatur, infirmabitur tota sacrae Scripturae auctoritas. Ergo, si vel in una apparitione Christus discipulis apparuit aliter quam esset, infirmabitur quidquid [δ] post resurrectionem viderunt in Christo. Quod est inconveniens. Non ergo debuit in alia effigie apparere.

SED CONTRA EST quod dicitur Marci ult. *: *Post haec, duobus ex eis ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam.*

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est *, resurrectio Christi manifestanda fuit hominibus per modum quo eis divina revelantur. Innotescunt autem divina hominibus [ε] secundum quod diversimode sunt affecti. Nam illi qui habent mentem bene dispositam, secundum veritatem divina percipiunt. Illi autem qui habent mentem non bene dispositam, divina percipiunt cum quadam confusione dubietatis vel erroris: *animalis* enim *homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei*, ut dicitur I *Cor.* II *. Et ideo Christus quibusdam, ad credendum dispositis, post resurrectionem apparuit in sua effigie. Illis autem in alia effigie apparuit qui iam videbantur circa fidem tepescere: unde dicebant: *Nos sperabamus quia ipse esset redempturus Israel* *. Unde Gregorius dicit, in Homilia *, quod *talem se eis exhibuit in corpore qualis apud illos erat in mente. Quia enim adhuc in eorum cordibus peregrinus erat a fide, ire se longius finxit*, scilicet ac si esset peregrinus.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, in libro *de Quaestionibus Evang.* *, *non omne quod fingimus, mendacium est. Sed quando id fingimus quod nihil significat, tunc est mendacium. Cum autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis. Alioquin omnia quae a sapientibus et sanctis viris, vel etiam ab ipso Domino, figurate dicta sunt, mendacia reputabuntur* [ζ], *quia, secundum usitatum intellectum, non consistit veritas in talibus dictis. Sicut autem dicta, ita etiam finguntur facta sine mendacio, ad aliquam rem significandam.* Et ita factum est hic, ut dictum est *.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, in libro *de Consensu Evang.* *, *Dominus poterat transformare* [η] *carnem suam, ut alia re vera esset effigies ab illa quam solebant intueri: quandoquidem et ante passionem suam transformatus est in monte, ut facies eius clauresceret sicut sol. Sed non ita nunc factum est. Non enim* [θ] *incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum a Satana fuisse, ne agnosceretur Iesus.* Unde Luc. ult. * dicitur quod *oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.*

AD TERTIUM DICENDUM quod ratio illa sequeretur si ab alienae effigiei aspectu non fuissent reducti ad vere videndum Christi effigiem. Sicut enim Augustinus ibidem * dicit, *tantum* [ι] *a Christo facta est permissio,* ut scilicet praedicto modo oculi eorum tenerentur, *usque ad sacramentum panis: ut, unitate corporis eius participata, removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus possit agnosci.* Unde ibidem * subditur quod « aperti sunt oculi eorum et cognoverunt eum »: *non quod ante clausis oculis ambularent; sed inerat aliquid quo non sinerentur agnoscere quod videbant, quod scilicet caligo et aliquis humor solet efficere.*

Margin notes: * ...xiv. — * ...rs. 15. — * ...XXVIII, al. ... cap. III. – Ep. XL, al. ... cap. III. — * ...rs. 12. — * ...1, 2. — * ...rs. 14. — * Luc. cap. XXIV, vers. 21. — * Homil. XXIII in Evang. — * Lib. II, qu. LI. — * In corpore. — * Lib. III, cap. XXV, num. 72. — * Vers. 16. — * Loc. cit. in resp. ad 2. — * Luc. cap. XXIV, vers. 31.

α) *alia.* – *effigie* addunt PI.
β) *Hoc autem.* – Ed. *a; Et hoc* sG et *c, Quod* PFI, *Hoc* ceteri.
γ) *fallit.* – *Christus* addunt PsG.
δ) *quidquid.* – *discipuli* addit tertia.
ε) *hominibus.* – *diversimode* addunt PEI.
ζ) *reputabuntur.* – *deputabuntur* tertia praeter sG.
η) *transformare.* – P; *sufferre* I, *se transferre per* sG, *transferre* ceteri. – *ut alia* E et tertia; *alia ut* F, *in alia* ceteri. – *in monte* PFI*ac*; *in montem.*
θ) *enim.* – *autem* P. Pro *fuisse, factum fuisse* P.
ι) *tantum.* – *alias tamen* margo P. – *permissio* FIsG et editiones; *promissio.*

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus ex Evangelio, in quo narratur Christus visus modo ut hortulanus *, modo ut peregrinus **. In corpore unica conclusio: *Christus quibusdam, ad credendum dispositis, convenienter apparuit in sua effigie: quibusdam autem, minus dispositis, convenienter apparuit in alia effigie.* Probatur. Resurrectio Christi reve-

Margin notes: * ...an. cap. XX, v. 15. — ** Luc. cap. XXIV, v. 18.

landa erat hominibus secundum modum quo eis divina revelantur. Sed divina diversimode affectis diversimode revelantur: quia bene dispositi percipiunt secundum veritatem; et non bene dispositi percipiunt secundum quandam confusionem dubietatis seu erroris. Ergo.

Minor probatur. Quia *animalis homo non percipit ea quae Dei sunt.* – Indispositio quorundam discipulorum probatur ex Evangelio: *Nos autem sperabamus,* etc. – Et confirmatur ratio auctoritate Gregorii.

II. In responsione ad secundum, adverte quod duae rationes hactenus allatae sunt in littera circa erroneam visionem qua Christus corporali visu non cognoscebatur in propria, quam retinebat, effigie. Altera affertur hic ex parte videntis, quae tangitur ab Evangelista: *Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.* Et haec attribuitur operationi diaboli ab Augustino. – Altera est posita in quaestione praecedente, art. 1, ad 3, et tenet se ex parte actionis obiecti: quia scilicet corpus gloriosum, eo quod spirituale est, in potestate sua habet agere in visum secundum aliquid sui, et secundum aliquid non; puta immutare visum secundum quaedam lineamenta sua, et secundum quaedam non; et similiter secundum quendam colorem, et secundum quendam non; et sic facile apparet visui alia effigies corporis, in se tamen immutati. Et hanc causam rationabile est fuisse in errore Magdalenae existimantis hortulanum, de qua non est scripta causa ex parte oculorum.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM CHRISTUS VERITATEM RESURRECTIONIS DEBUERIT ARGUMENTIS DECLARARE

III *Sent.*, dist. XXI, qu. II, art. 3; *Compend. Theol.*, cap. CCXXXVIII.



AD QUINTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus veritatem resurrectionis non debuerit argumentis declarare. Dicit enim Ambrosius *: *Tolle argumenta ubi fides quaeritur.* Sed circa resurrectionem Christi quaeritur fides. Non ergo habent [α] locum argumenta.

* De Fide, ad Gratian. lib. I, cap. V, al. cap. XIII, num. 84. — α

2. PRAETEREA, Gregorius dicit *: *Fides non habet meritum cui humana ratio praebet experimentum.* Sed ad Christum non pertinebat meritum fidei evacuare. Ergo ad eum non pertinebat resurrectionem per argumenta confirmare.

* Homil. XXVI in Evang.

3. PRAETEREA, Christus in mundum venit ut per eum homines beatitudinem adipiscantur: secundum illud Ioan. X *: *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.* Sed per huiusmodi ostensiones argumentorum videtur humanae beatitudini impedimentum praestari: dicitur enim Ioan. XX *, ex ore ipsius Domini [β]: *Beati qui non viderunt, et crediderunt.* Ergo videtur quod Christus non debuerit per aliqua argumenta resurrectionem suam manifestare.

* Vers. 10. — * Vers. 29. — β

SED CONTRA EST quod dicitur *Act.* I *, quod *apparuit discipulis Christus per dies quadraginta in multis argumentis, loquens de regno Dei.*

* Vers. 3.

RESPONDEO DICENDUM quod argumentum dupliciter dicitur. Quandoque dicitur argumentum quaecumque *ratio rei dubiae faciens fidem* *. Quandoque autem dicitur argumentum aliquod sensibile signum quod inducitur ad alicuius veritatis manifestationem: sicut etiam Aristoteles aliquando in libris suis utitur nomine argumenti *. Primo igitur modo accipiendo argumentum, Christus non probavit discipulis suam resurrectionem per argumenta. Quia talis probatio argumentativa procedit [γ] ex aliquibus principiis: quae si non essent nota discipulis, nihil per ea eis manifestaretur, quia ex ignotis non potest aliquod fieri notum; si autem essent eis nota, non transcenderent rationem humanam, et ideo non essent efficacia ad fidem resurrectionis adstruendam, quae rationem humanam excedit; oportet enim principia ex eodem genere assumi, ut dicitur in I *Posteriorum* *. – Probavit autem eis resurrectionem suam per auctoritatem sacrae Scripturae, quae est fidei fundamentum, cum dixit: *Oportet impleri omnia quae scripta sunt in lege et psalmis et prophetis de me,* ut habetur Luc. ult. *

* Tull. *Topicor.* cap. II, n. 6. – Ed. Teubner. — * Cf. Arist. *Prior. Analyt.* lib. II, cap. XXIX, n. 10; *Rhetor.* lib. I, cap. II, n. 16 sqq.; *de Rhetor. ad Alexand.*, cap. VII, n. 1. — γ — * Cap. VII. – S. Thom. lect. XV. — * Vers. 44 sq.

Si autem accipiatur secundo modo argumentum, sic Christus dicitur suam resurrectionem argumentis declarasse, inquantum per quaedam evidentissima [δ] signa se vere resurrexisse ostendit. Unde et in graeco, ubi nos habemus *in multis argumentis* *, loco *argumenti* ponitur *tekmerium* [ε], quod est *signum evidens ad probandum.*

δ — * Cf. arg. *contra.* — ε

Quae quidem signa resurrectionis Christus ostendit discipulis propter duo. Primo quidem, quia non erant corda eorum disposita ad hoc quod de facili fidem resurrectionis acciperent. Unde ipse dicit eis, Luc. ult. *: *O stulti, et tardi corde ad credendum.* Et Marci ult. *, *exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis.* – Secundo, ut per huiusmodi signa eis ostensa efficacius eorum testimonium redderetur: secundum illud I Ioan. I *: *Quod vidimus et audivimus, et manus nostrae contractaverunt, hoc testamur.*

* Vers. 25. — * Vers. 14. — * Vers. 1, 2.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Ambrosius ibi loquitur de argumentis secundum rationem humanam procedentibus: quae invalida sunt ad ea quae sunt fidei ostendenda, sicut ostensum est *.

* In corpore.

AD SECUNDUM DICENDUM quod meritum fidei est ex hoc quod homo ex mandato Dei credit quod non videt. Unde illa sola ratio meritum excludit quae facit videri per scientiam id quod credendum [ζ] proponitur. Et talis est ratio demonstrativa. Huiusmodi autem rationes Christus non induxit ad resurrectionem suam declarandam.

ζ

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut dictum est *,

* Resp. ad 2.

α) *habent.* – *ibi* addunt I et editiones.
β) *ex ore ipsius Domini.* – Om. tertia praeter I.
γ) *procedit.* – *processisset* tertia.
δ) *evidentissima.* – *evidentia* tertia praeter I.
ε) *tekmerium.* – *eklinlium* A, *tekimlium* B, *pekimlium* C, spat. vac. D, *peculium* E, *pekilnium* F, *rekmilium* G, *tekmilium* pl, *cekinulium* H, *tekmirium* sI, *cekimlium* ed. *a*, *pekinium* *b*, *tekmiriis* *c*, *tecmirion* P.
ζ) *credendum.* – *credendum esse* F, *credendo* II et editiones.

meritum beatitudinis quod causat fides, non totaliter excluditur nisi homo nollet credere nisi ea quae videt: sed quod aliquis ea quae non videt, credat per aliqua signa visa, non totaliter fidem evacuat nec meritum eius. Sicut et Thomas, cui dictum est *, « *Quia vidisti me, credidisti* », *aliud vidit, et aliud credidit* *: vidit vulnera, et credidit Deum. Est autem perfectioris fidei qui non requirit huiusmodi auxilia ad credendum. Unde, ad arguendum defectum fidei in quibusdam, Dominus dicit, Ioan. IV *: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.* Et secundum hoc, potest intelligi quod illi qui sunt tam prompti animi ut credant Deo etiam signis non visis, sunt beati per comparationem ad illos qui non crederent η nisi talia viderent.

[Margin: *Ioan. cap. xx, vers. 29. — *Greg. homil. XXVI in Evang. — *Vers. 48.]

η) *crederent.* – *credunt* H et editiones. Pro *viderent, videant* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus in principio corporis ab ipso Auctore declaratur.

In corpore, primo declaratur duplex acceptio *argumenti*: scilicet prout est *ratio rei dubiae faciens fidem*; vel prout est *sensibile signum ad manifestandam veritatem.*

Secundo, respondetur quaesito sumendo argumentum primo modo, duplici conclusione. Prima est: *Christus non probavit discipulis resurrectionem suam per argumenta.* Secunda est: *Christus probavit eis resurrectionem suam per argumentum tale, hoc est secundum quid, scilicet per sacram Scripturam.* Prima conclusio probatur: quia deerant principia argumenti nota discipulis. Secunda probatur ex Evangelio, Luc. ult. Ubi scito quod pluries post resurrectionem usus est Dominus hoc argumento: scilicet, cum discipulis euntibus in Emmaus *; et cum Apostolis *, *aperiendo illis sensum ut intelligerent Scripturas,* et in verbis allatis in littera.

[Margin: *Luc. cap. xxiv, vers. 25 sqq. — *Ibid., vers. 44 sqq.]

Tertio, respondetur quaesito accipiendo argumentum secundo modo, una conclusione: *Christus suam resurrectionem multis argumentis convenienter declaravit.* Probatur dupliciter quare hoc fecerit: et ex parte eorum; et ex parte officii praedicandi.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM ARGUMENTA QUAE CHRISTUS INDUXIT SUFFICIENTER MANIFESTAVERINT VERITATEM RESURRECTIONIS EIUS

III *Sent.*, dist. XXI, qu. II, art. 3, 4; *Compend. Theol.*, cap. CCXXXVIII.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod argumenta quae Christus induxit *, non sufficienter manifestaverunt veritatem resurrectionis eius. Nihil enim ostendit Christus discipulis post resurrectionem quod etiam angeli, hominibus apparentes, vel non ostenderint, vel non ostendere potuerint. Nam angeli frequenter in humana effigie se hominibus ostenderunt, et cum eis loquebantur et conversabantur et comedebant, ac si essent homines veri: sicut patet *Gen.* XVIII, de angelis quos Abraham suscepit hospitio; et in libro *Tobiae*, de angelo qui eum *duxit et reduxit.* Et tamen angeli non habent vera corpora naturaliter sibi unita: quod requiritur ad resurrectionem. Non ergo signa quae Christus discipulis exhibuit, fuerunt sufficientia ad resurrectionem eius manifestandam.

[Margin: *Matth. cap. XXVIII; Marc. cap. XVI; Luc. cap. XXIV; Ioan. cap. XX, XXI; Act. cap. I, vers. 3.]

2. Praeterea, Christus resurrexit resurrectione gloriosa, idest, habens simul humanam naturam cum gloria. Sed quaedam Christus ostendit discipulis quae videntur esse contraria naturae humanae, sicut quod *ab oculis eorum evanuit* *, et quod ad eos *ianuis clausis* intravit *: quaedam autem videntur fuisse contraria gloriae, puta quod manducavit et bibit *, quod etiam habuit vulnerum cicatrices *. Ergo videtur quod illa argumenta non fuerunt sufficientia, neque convenientia, ad fidem resurrectionis ostendendam.

[Margin: *Luc. cap. XXIV, vers. 31. — *Ioan. cap. XX, vers. 19, 26. — *Luc. cap. XXIV, vers. 43; Ioan. cap. XXI, vers. 12 sqq.; Act. cap. I, vers. 4; cap. X, vers. 41. — *Luc. cap. XXIV, vers. 39, 40; Ioan. cap. XX, vers. 20, 27.]

3. Praeterea, corpus Christi non erat tale post resurrectionem ut tangi deberet ab homine mortali: unde ipse dixit Magdalenae, Ioan. XX *: *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Non ergo fuit conveniens quod, ad manifestandam veritatem suae resurrectionis, seipsum discipulis palpabile exhibuerit α *.

[Margin: *Vers. 17. — *Luc. cap. XXIV, vers. 39, 40; Ioan. cap. XX, vers. 20, 27.]

4. Praeterea, inter dotes glorificati corporis praecipua videtur esse claritas *. Quam tamen in resurrectione nullo argumento ostendit. Ergo videtur quod insufficientia fuerint illa argumenta ad manifestandam qualitatem resurrectionis Christi β.

[Margin: *Cf. *Supplem.* qu. LXXXV, art. 1.]

Sed contra est quod Christus, qui est *Dei Sapientia* *, *suaviter* et convenienter *disponit omnia,* ut dicitur *Sap.* VIII *.

[Margin: *I *ad Cor.*, cap. I, vers. 24. — *Vers. 1.]

Respondeo dicendum quod Christus resurrectionem suam dupliciter manifestavit: scilicet testimonio; et argumento seu signo. Et utraque manifestatio in suo genere fuit sufficiens.

Est enim usus duplici testimonio ad manifestandam suam resurrectionem discipulis, quorum neutrum potest refelli. Quorum primum est testimonium angelorum, qui mulieribus resurrectionem annuntiaverunt: ut patet per omnes Evan-

α) *palpabilem exhibuerit.* – *palpabilem praebuit* I, *palpandum exhiberet* cetera tertia.

β) *Christi.* – P (margine notans: *Argumentum suppletum*) addit: *Praeterea, angeli in testes resurrectionis inducti ex ista* (pro *ipsa?*) *dissonantia Evangelistarum insufficientes videntur. Nam apud Matthaeum angelus super lapidem revolutum, apud Marcum vero intus angelus describitur visus a mulieribus ingressis monumentum. Et rursus ab istis unus, a Ioanne duo sedentes, a Luca vero duo stantes describuntur. Inconvenientia ergo videntur testimonia resurrectionis.*

gelistas. – Aliud autem est testimonium Scripturarum, quas ipse proposuit ad ostensionem suae resurrectionis, ut dicitur Luc. ult. *.

Argumenta etiam fuerunt sufficientia ad ostendendam veram resurrectionem, et etiam gloriosam. Quod autem fuerit vera resurrectio, ostendit uno modo ex parte corporis. Circa quod tria ostendit. Primo quidem, quod esset corpus verum et solidum: non corpus phantasticum, vel rarum, sicut est aer. Et hoc ostendit per hoc quod corpus suum palpabile praebuit. Unde ipse dicit, Luc. ult. *: *Palpate et videte: quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* – Secundo, ostendit quod esset corpus humanum, ostendendo eis veram effigiem, quam oculis intuerentur. – Tertio, ostendit eis quod esset idem numero corpus quod prius habuerat, ostendendo eis vulnerum cicatrices. Unde legitur Luc. ult. *: *Dixit eis: Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum.*

Alio modo ostendit eis veritatem suae resurrectionis ex parte animae iterato corpori unitae. Et hoc ostendit per opera triplicis vitae. Primo quidem, per opus vitae nutritivae: in hoc quod cum discipulis manducavit et bibit, ut legitur Luc. ult. * – Secundo, per opera vitae sensitivae: in hoc quod discipulis ad interrogata respondebat *, et praesentes salutabat **, in quo ostendebat se et videre et audire. – Tertio, per opera vitae intellectivae: in hoc quod cum eo loquebantur, et de Scripturis disserebant γ *.

Et ne quid deesset ad perfectionem manifestationis, ostendit etiam se habere divinam naturam: per miraculum quod fecit in piscibus capiendis *; et ulterius per hoc quod, eis videntibus, ascendit in caelum *; quia, ut dicitur Ioan. III **, *nemo ascendit in caelum nisi qui descendit de caelo, Filius Hominis, qui est in caelo.*

Gloriam etiam suae resurrectionis ostendit discipulis, per hoc quod ad eos *ianuis clausis* intravit *: secundum quod Gregorius dicit, in Homilia *: *Palpandam carnem Dominus praebuit, quam clausis ianuis introduxit, ut esse post resurrectionem ostenderet corpus suum et eiusdem naturae, et alterius gloriae.* – Similiter etiam ad proprietatem gloriae pertinebat quod subito *ab oculis discipulorum evanuit*, ut dicitur Lucae ultimo *: quia per hoc ostendebatur quod in potestate eius erat videri et non videri, quod pertinet ad conditionem corporis gloriosi, ut supra * dictum est.

Ad primum ergo dicendum quod singula δ argumentorum non sufficerent ad manifestandam Christi resurrectionem: omnia tamen simul accepta perfecte Christi resurrectionem manifestant; maxime propter Scripturae testimonium, et angelorum dicta, et ipsius Christi assertionem miraculis confirmatam. Angeli autem apparentes ε non asserebant se homines esse: sicut asseruit Christus vere se hominem esse.

Et tamen aliter Christus manducavit, et aliter angeli. Nam quia corpora ab angelis assumpta non erant corpora viva vel animata, non erat vera comestio, licet esset vera cibi contritio et traiectio in interiorem partem corporis assumpti: unde et angelus dixit, *Tobiae* XII *: *Cum essem vobiscum, videbar quidem manducare et bibere vobiscum: sed ego cibo invisibili utor.* Sed quia corpus Christi vere fuit animatum, vera fuit eius comestio. Ut enim Augustinus dicit, XIII *de Civ. Dei* *, *non potestas, sed egestas edendi corporibus resurgentium aufertur.* Unde, sicut Beda dicit *, *Christus manducavit potestate, non egestate.*

Ad secundum dicendum quod, sicut dictum est *, argumenta quaedam inducebantur a Christo ad probandum veritatem humanae naturae; quaedam vero ad probandum gloriam resurgentis. Conditio autem naturae humanae, secundum quod in se consideratur, quantum scilicet ad statum praesentem, contrariatur conditioni gloriae: secundum illud I *Cor.* XV *: *Seminatur in infirmitate, et surget in virtute.* Et ideo ea quae inducuntur ad ostendendam conditionem gloriae, videntur habere contrarietatem ad naturam, non simpliciter, sed secundum statum praesentem; et e converso. Unde Gregorius dicit, in Homilia *, quod *duo mira, et iuxta humanam rationem sibi valde contraria, Dominus ostendit, dum post resurrectionem corpus suum et incorruptibile, et tamen palpabile demonstravit.*

Ad tertium dicendum quod, sicut Augustinus dicit, *super Ioan.* *, quod hoc Dominus dixit, « *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum* » ζ, *ut in illa femina figuraretur Ecclesia de gentibus, quae in Christum non credidit nisi cum ascendisset ad Patrem. Aut sic in se credi voluit Iesus, hoc est, sic se spiritualiter tangi, quod ipse et Pater unum sunt. Eius quippe intimis sensibus quodammodo ascendit ad Patrem, qui sic in eo profecerit ut Patri agnoscat aequalem.* Haec autem *carnaliter adhuc in eum credebat, quem sicut hominem flebat.* – Quod autem Maria alibi * legitur Christum tetigisse, quando simul cum aliis mulieribus « *accessit et tenuit pedes* η », *quaestionem non facit*, ut Severianus * dicit. *Siquidem illud de figura est, hoc de sexu: illud de divina gratia, hoc de humana natura.*

Vel, sicut Chrysostomus dicit *, *volebat haec mulier adhuc cum Christo conversari sicut et ante passionem. Prae gaudio nihil magnum cogitabat: quamvis caro Christi multo melior fuerit facta resurgendo.* Et ideo dixit, *Nondum ascendi ad Patrem meum:* quasi dicat: *Non aestimes me iam terrenam vitam agere. Quod enim in terris me vi-*

* Vers. 25 sqq.; 44 sqq. — * Vers. 39. — * Vers. 38, 39. — * Vers. 30, 43. — * Ioan. cap. XXI, vers. 21, 22; *Act.* cap. I, vers. 6 sqq. — ** Luc. cap. XXIV, vers. 36; Ioan. cap. XX, vers. 10, 26. — * Luc. cap. XXIV, vers. 25 sqq., 44 sqq.; *Act.* cap. I, vers. 3. — * Ioan. cap. XXI, vers. 6. — * Luc. cap. XXIV, vers. 51; *Act.* cap. I, vers. 9. — ** Vers. 13. — * Ioan. cap. XX, vers. 26. — * Homil. XXVI *in Evang.* — * Vers. 31. — * Qu. LIV, art. 1, ad 2; art. 2, ad 1.

* Vers. 18, ... — * Cap. XXII. — * *Exposit. in* ... lib. VI, ad ... XXIV, vers. 4... — * In corpore ... — * Vers. 43. — * Homil. X... *in Evang.* — * Tract. CX... — * Matth. ca... XXVIII, vers. ... — * Chrysol. Se... LXXVI. — * Hom. LXXX... al. LXXXV, *Ioan.* – Cf. ... *Aur. in Ioan.* c... XX, vers. 17, ... nom. *Chryso*...

γ) *cum eo... disserebant.* – *eis* (*cum eis* I) *loquebatur et de Scripturis disserebat* tertia.

δ) *singula.* – *licet singula* E et tertia praeter H. – Post *manifestandam* PI addunt *perfecte*. Pro *omnia tamen*, *tamen omnia* editiones.

ε) *apparentes.* – sCE et tertia; *asserentes.*

ζ) *quod hoc Dominus... meum.* – Fa; *quod hoc quod Dominus... meum sicut dictum est* E, *hoc quod Dominus... meum sic dictum est* P, *quod hoc quod Dominus... meum* ceteri.

η) *pedes.* – *eius pedes* H, *pedes eius* G et editiones. – *de sexu* PpE; *decessu* ABD, *de cessu* C, *de sensu* FsE, *de excessu* cetera tertia, *deesse* ed. *a*. – *de* ante *divina* E et tertia; om.

des, hoc est quia nondum ascendi ad Patrem meum: sed in promptu est quod ascendam. Unde subdit: *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum.*

AD QUARTUM DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, *ad* ^θ^ *Orosium* *, *clarificata carne Dominus resurrexit: sed noluit in ea clarificatione discipulis suis apparere, quia non possent oculis* ^ι^ *talem claritatem perspicere. Si enim, antequam moreretur pro nobis et resurgeret, quando transfiguratus est in monte, discipuli sui eum videre non potuerunt; quanto magis, clarificata carne Domini, eum videre non potuerunt!*

* Dialog. LXV quaest., qu. XIV. Inter Opp. Aug.

Est etiam considerandum quod post resurrectionem Dominus hoc praecipue volebat ostendere, quod idem ipse esset qui mortuus fuerat. Quod multum poterat impedire si eis sui corporis claritatem ostenderet. Nam immutatio quae fit secundum aspectum, maxime ostendit diversitatem eius quod videtur: quia sensibilia communia, inter quae est unum et multa, vel idem et diversum, maxime diiudicat visus. Sed ante passionem, ne infirmitatem passionis eius discipuli despicerent, maxime ^κ^ intendebat Christus eis gloriam maiestatis suae ostendere: quam maxime demonstrat claritas corporis. Et ideo, ante passionem, gloriam suam praemonstravit ^λ^ discipulis per claritatem: post resurrectionem autem, per alia indicia.

AD QUINTUM DICENDUM quod, sicut Augustinus dicit, in libro *de Consensu Evang.* *, *possumus intelligere unum angelum visum a mulieribus, et* ^μ^ *secundum Matthaeum et secundum Marcum, ut eas ingressas in monumentum accipiamus, in aliquod scilicet spatium quod erat aliqua maceria communitum* ^ν^, *atque ibi vidisse angelum sedentem supra lapidem revolutum a monumento, sicut dicit Matthaeus; ut hoc sit « sedentem* ^ξ^ *a dextris », quod dicit Marcus. Deinde, dum introspicerent locum in quo iacebat* ^ο^ *corpus Domini, visos ab eis duos angelos,* primo quidem *sedentes, ut dicit Ioannes;* et post *eis assurrexisse* ^π^, *ut stantes viderentur, ut dicit Lucas.*

* Lib. III, cap. XXIV, num. 67, 69.

θ) *ad.* – *in libro ad* G, *in Dialogo ad* P.
ι) *oculis.* – *oculis corporis* sG, *oculi bc, oculis suis* P. Pro *perspicere, prospicere* EFIa et editiones. Pro *clarificata, glorificata* Pc.
κ) *maxime.* – Om. H et editiones.
λ) *praemonstravit.* – *demonstravit* P.
μ) *et.* – Om. P. Pro *et secundum Marcum, et Marcum* H et editiones, om. AD.
ν) *maceria communitum.* – P; *materia* E, *materia communitum* H, *materia ommunitum* Ibc, *materia communiter* compendio vel plene ceteri.
ξ) *supra lapidem... sedentem.* – Om. omnes; ut nos, omisso *sedentem* primo loco, margo P.
ο) *iacebat.* – *iacuerat* P. Ante *duos* PI addunt *alios.*
π) *post eis assurrexisse.* – *postea consurrexisse* G, *postea* (*post* pl) *eos surrexisse* HsI et editiones, *post eos resurrexisse* pl, *postea assurrexisse* ed. *a.*

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. – In corpore est una conclusio responsiva quaesito: *Utraque manifestatio resurrectionis, scilicet per testimonium et per argumentum, idest signum sensibile, fuit sufficiens in suo genere: hoc est, altera in genere testimonii, altera in genere signi sensibilis.* Et intellige sufficientiam ad causandam certitudinem fidei, non certitudinem scientiae.

Manifestatur conclusio quoad primam partem: primo, de testimonio angelorum; secundo, de testimonio Scripturarum. – Ubi, quoad testimonium angelorum, potes addere quod in die ascensionis angeli testimonium perhibuerunt resurrectioni Christi, annuntiando illius locum et secundum adventum *: ita quod testimonium angelorum habemus non solum per mulieres, sed ad ipsos discipulos immediate.

* Act. cap. 1, vers. 10, 11.

Secunda autem pars conclusionis declaratur quoad duo ostensa: primo, quoad veram resurrectionem; secundo, quoad gloriam illius; satis ordinate in littera. In qua clara sunt omnia.



QUAESTIO QUINQUAGESIMASEXTA

DE CAUSALITATE RESURRECTIONIS CHRISTI

IN DUOS ARTICULOS DIVISA

DEINDE considerandum est de causalitate resurrectionis Christi *. Et circa hoc quaeruntur duo.

[* Cf. qu. LIII, Introd.]

Primo: utrum resurrectio Christi sit causa nostrae resurrectionis.

Secundo: utrum sit ^α causa nostrae iustificationis.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM RESURRECTIO CHRISTI SIT CAUSA RESURRECTIONIS CORPORUM

III *Scnt.*, dist. XXI, qu. II, art. 2, ad 1; IV, dist. XLIII, art. 2, qu^a 1; dist. XLIX, *Expos. Litt.*; IV *Cont. Gent.*, cap. LXXIX; *De Verit.*, qu. XXIX, art. 4, ad 1; *Compend. Theol.*, cap. CCXXXIX; *In Iob*, cap. XIX, lect. II; I *ad Cor.*, cap. XV, lect. II; I *ad Thess.*, cap. IV, lect. II.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod resurrectio Christi non sit causa resurrectionis corporum. Posita enim causa sufficienti, necesse est effectum poni. Si ergo resurrectio Christi est causa sufficiens resurrectionis corporum, statim, eo resurgente, omnes mortui resurgere debuerunt.

2. PRAETEREA, causa resurrectionis mortuorum est divina iustitia; ut scilicet corpora simul praemientur vel puniantur cum animabus, sicut communicaverunt in merito vel peccato; ut dicit Dionysius, ult. cap. *Eccles. Hier.* *, et etiam Damascenus, in IV libro *. Sed iustitiam Dei necesse esset impleri, etiam si Christus non resurrexisset. Ergo, etiam Christo non resurgente, mortui resurgerent. Non ergo resurrectio Christi est causa resurrectionis corporum.

[* Cap. VII. — * De Fide Orth., lib. IV, cap. XXVII.]

3. PRAETEREA, si resurrectio Christi sit causa resurrectionis corporum, aut esset causa exemplaris; aut causa effectiva; aut causa meritoria. Sed non est causa exemplaris. Quia resurrectionem corporum Deus operabitur: secundum illud Ioan. V *: *Pater suscitat mortuos*. Deus autem non indiget inspicere ad aliquod exemplar extra se. – Similiter etiam non est causa effectiva. Quia causa efficiens non agit nisi per contactum, vel spiritualem vel corporalem. Manifestum est autem quod resurrectio Christi non agit per contactum corporalem ^β ad mortuos qui resurgent, propter distantiam temporis et loci. Similiter etiam nec per ^γ contactum spiritualem, qui est per fidem et caritatem: quia etiam infideles et peccatores resurgent. – Neque etiam est ^δ causa meritoria. Quia Christus resurgens iam non erat viator: et ita non erat in statu merendi. – Et ita nullo modo resurrectio Christi videtur esse causa nostrae resurrectionis.

[* Vers. 21.]

4. PRAETEREA, cum mors sit privatio vitae, nihil videtur esse aliud destruere mortem quam reducere vitam, quod pertinet ad resurrectionem. Sed Christus *moriendo mortem nostram destruxit* *. Ergo mors Christi est causa nostrae resurrectionis. Non ergo eius resurrectio.

[* Praefat. M[issae] Temp. Pasc[h.]]

SED CONTRA EST quod, super illud I *Cor.* XV *, *Si Christus praedicatur quod resurrexit a mortuis* etc., dicit Glossa *: *Qui est efficiens causa* ^ε *nostrae resurrectionis.*

[* Vers. 12. — * Interlin.]

RESPONDEO DICENDUM quod *illud quod est primum in quolibet genere, est causa omnium eorum quae sunt post*, ut dicitur in II *Metaphys.* * Primum autem in genere nostrae ^ζ resurrectionis fuit resurrectio Christi, sicut ex supra * dictis patet. Unde oportet quod resurrectio Christi sit causa nostrae resurrectionis. Et hoc est quod Apostolus dicit, I. *Cor.* XV *: *Christus resurrexit a mortuis primitiae dormientium: quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum.*

[* Averr. text. Cf. Did. lib. … cap. I, n. 5; s… lect. II. — * Qu. LIII, ar[t. …] — * Vers. 20, …]

Et hoc rationabiliter. Nam principium humanae vivificationis est Verbum Dei, de quo dicitur in Psalmo *, *Apud te est fons vitae:* unde et ipse dicit, Ioan. V *: *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat.* Habet autem hoc naturalis ordo rerum divinitus institutus, ut quaelibet causa primo operetur in id quod est sibi propinquius, et per id operetur in alia magis remota: sicut ignis primo calefacit aerem propinquum ^η, per quem calefacit corpora distantia; et ipse Deus primo illuminat substantias sibi propinquas, per quas illuminat magis remotas, ut Dionysius dicit, XIII cap. *Cael. Hier.* Et ideo Verbum Dei primo attribuit vitam immortalem corpori sibi naturaliter unito, et per ipsum operatur resurrectionem in omnibus aliis.

[* Ps. XXXV, v. 10. — * Vers. 21.]

α) *sit.* – *resurrectio Christi sit* H et editiones.

β) *vel spiritualem... contactum corporalem.* – EF et tertia (excepto quod F incipit *ad mortuos vel*, quod EI in fine habent *corporalem contactum*, Hb *tactum corporalem*, et quod omnes pro *non agit per* legunt *non habet*; sed cf. γ); om.

γ) *per.* – Om. tertia.

δ) *est.* – PFGsI et *a*; *ex.*

ε) *efficiens causa.* – *causa sufficiens* P.

ζ) *nostrae.* – (H?)sD et editiones; *verae.*

η) *propinquum.* – *sibi propinquum* editiones.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut dictum est *, resurrectio Christi causa est nostrae resurrectionis per virtutem Verbi uniti. Quod quidem operatur secundum voluntatem. Et ideo non oportet quod statim sequatur effectus, sed secundum dispositionem Verbi Dei: ut scilicet primo conformemur Christo patienti et morienti in hac vita passibili et mortali, deinde perveniamus ad participandum [θ] similitudinem resurrectionis *.

* In corpore.
* Ad Rom. cap. vi, vers. 5.

Ad secundum dicendum quod iustitia Dei est causa prima resurrectionis nostrae: resurrectio autem Christi est causa secundaria, et quasi instrumentalis. Licet autem virtus principalis agentis non determinetur ad hoc instrumentum determinate, tamen, ex quo per hoc instrumentum operatur, instrumentum illud est causa effectus [ι]. Sic igitur divina iustitia, quantum est de se, non est obligata ad resurrectionem nostram causandam per resurrectionem Christi: potuit enim alio modo nos Deus liberare quam per Christi passionem et resurrectionem, ut supra * dictum est. Ex quo tamen decrevit hoc modo nos liberare, manifestum est quod resurrectio Christi est causa nostrae resurrectionis.

* Qu. xlvi, art. 2.

Ad tertium dicendum quod resurrectio Christi non est, proprie loquendo, causa meritoria nostrae resurrectionis: sed est causa efficiens et exemplaris. Efficiens quidem, inquantum humanitas Christi, secundum quam resurrexit, est quodammodo instrumentum divinitatis ipsius, et operatur in virtute eius, ut supra * dictum est. Et ideo, sicut alia quae Christus in sua humanitate fecit vel passus est, ex virtute divinitatis eius sunt nobis salutaria, ut supra * dictum est; ita et resurrectio Christi est causa efficiens nostrae resurrectionis virtute divina, cuius proprium est mortuos vivificare. Quae quidem virtus praesentialiter attingit omnia loca et tempora. Et talis contactus virtualis sufficit ad rationem huius efficientiae. Et quia, ut dictum est *, primordialis causa resurrectionis humanae est divina iustitia, ex qua Christus habet *potestatem iudicium facere inquantum Filius Hominis est* *, virtus effectiva resurrectionis eius se extendit non solum ad bonos, sed etiam ad malos, qui sunt eius iudicio subiecti.

* Qu. xiii, art. 2, 3; Qu. xix, art. 1; Qu. xliii, art. 2.
* Qu. xlviii, art. 6.
* Resp. ad 2.
* Ioan. cap. v, vers. 27.

Sicut autem resurrectio corporis Christi, ex eo quod corpus illud est personaliter Verbo unitum, est *prima tempore*, ita etiam est [κ] *prima dignitate et perfectione*, ut Glossa * dicit, I *Cor.* xv **. Semper autem id quod est perfectissimum, est exemplar quod imitantur minus perfecta [λ] secundum suum modum. Et ideo resurrectio Christi est exemplar [μ] nostrae resurrectionis. Quod quidem necessarium est, non ex parte resuscitantis, qui non indiget exemplari: sed ex parte resuscitatorum, quos oportet illi resurrectioni conformari, secundum illud *Philipp.* iii *: *Reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae.* Licet autem efficientia resurrectionis Christi se extendat ad resurrectionem tam bonorum quam malorum, exemplaritas tamen eius se extendit proprie solum ad bonos, qui sunt facti conformes filiationis ipsius, ut dicitur *Rom.* viii *.

* Interlin. et Lomb.
** Vers. 20, 23.
* Vers. 21.
* Vers. 29.

Ad quartum dicendum quod, secundum rationem efficientiae, quae dependet ex virtute divina, communiter [ν] tam mors Christi quam etiam resurrectio est causa tam destructionis mortis quam reparationis vitae. Sed secundum rationem exemplaritatis, mors Christi, per quam recessit a vita mortali, est causa destructionis mortis nostrae: resurrectio vero eius, per quam inchoavit vitam immortalem, est causa reparationis vitae nostrae. Passio tamen Christi est insuper causa meritoria, ut supra * dictum est.

* Qu. xlviii, art. 1.

θ) *participandum.* – *percipiendum* tertia praeter I; *Alias participandam* margo P. Post *resurrectionis* E et tertia addunt *ipsius.*
ι) *effectus.* – *efficiens* F et tertia praeter I.
κ) *est.* – EF et tertia; *ex.*
λ) *quod imitantur minus perfecta.* – *eius quod est minus perfectum* tertia praeter I.
μ) *exemplar.* – Ed. *a*; *causa exemplaris* E et tertia, *exemplaris causa* F, *exemplaris* ceteri.
ν) *communiter.* – P; *convenienter.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una est conclusio: *Resurrectio Christi est causa nostrae resurrectionis.* Probatur tripliciter. Primo, ratione: *Primum in quolibet genere,* etc. Secundo, auctoritate Apostoli. Tertio, ex consonantia Verbi incarnati. Omnia clara et distincta sunt in littera.

II. In responsione ad tertium, adverte quod humanitas Christi, quia est organum coniunctum personaliter Verbo Dei, est velut universale instrumentum Dei ad miracula facienda, ut ex superius * dictis habetur. Determinatur autem ad esse instrumentum ad hoc vel illud opus miraculosum, per aliquam ipsius conditionem. Ita quod ex hoc quod passa est, intelligimus communicatam sibi, per quandam appropriationem, virtutem remissivam peccatorum; et ex hoc quod resurrexit, communicata similiter est sibi virtus resuscitativa mortuorum; et sic de aliis similibus instrumentalibus actionibus quae humanitati Christi tribuuntur instrumentaliter, Deo autem principaliter. Sic enim resurrectio Christi dicitur causa nostrae resurrectionis: quoniam per ipsam, ut dictum est, Christus homo instrumentum efficax constitutus est ad resuscitandos homines in vitam aeternam.

* Qu. xiii, art. 2.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM RESURRECTIO CHRISTI SIT CAUSA RESURRECTIONIS ANIMARUM

III *Sent.*, dist. XXI, qu. II, art. 2, ad 1; IV, dist. XLIX, *Expos. Litt.*; IV *Cont. Gent.*, cap. LXXXIX; *De Verit.*, qu. XXVII, art. 3, ad 7; qu. XXIX, art. 4, ad 1; *Compend. Theol.*, cap. CCXXXIX.

AD SECUNDUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod resurrectio Christi non sit causa resurrectionis animarum. Dicit enim Augustinus, *super Ioan.* * [* Tract. XXIII.], quod *corpora resurgunt per dispensationem humanam, sed animae resurgunt per substantiam Dei.* Sed resurrectio Christi non pertinet ad substantiam Dei, sed ad dispensationem humanam. Ergo resurrectio Christi, etsi sit causa resurrectionis corporum, non tamen videtur esse causa resurrectionis animarum.

2. PRAETEREA, corpus non agit in spiritum. Sed resurrectio Christi pertinet ad corpus eius, quod cecidit per mortem. Ergo resurrectio Christi non est causa resurrectionis animarum.

3. PRAETEREA, quia resurrectio Christi est causa resurrectionis corporum, omnium corpora resurgent: secundum illud I *Cor.* XV * [* Vers. 51.]: *Omnes quidem resurgemus.* Sed non omnium animae resurgent: quia quidam *ibunt in supplicium aeternum,* ut dicitur Matth. XXV * [* Vers. 46.]. Ergo resurrectio Christi non est causa resurrectionis animarum.

4. PRAETEREA, resurrectio animarum fit per remissionem peccatorum. Sed hoc factum est per Christi passionem: secundum illud *Apoc.* I * [* Vers. 5.]: *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Ergo resurrectionis animarum magis est causa Christi passio quam eius resurrectio.

SED CONTRA EST quod Apostolus dicit, *Rom.* IV * [* Vers. 25.]: *Resurrexit propter iustificationem nostram:* quae nihil aliud est quam resurrectio animarum. Et super illud Psalmi * [* Ps. XXIX, vers. 6.], *Ad vesperum demorabitur fletus,* dicit Glossa * [* Lomb.] quod *resurrectio Christi causa est resurrectionis nostrae et animae in praesenti, et corporis in futuro.*

RESPONDEO DICENDUM quod, sicut dictum est * [* Art. praeced., ad 3.], resurrectio Christi agit in virtute divinitatis. Quae quidem se extendit non solum ad resurrectionem corporum, sed etiam ad resurrectionem animarum: a Deo enim est et quod anima vivit per gratiam, et quod corpus vivit per animam. Et ideo resurrectio Christi habet instrumentaliter virtutem effectivam non solum respectu resurrectionis corporum, sed etiam respectu resurrectionis animarum.

Similiter autem habet rationem exemplaritatis respectu resurrectionis animarum. Quia Christo resurgenti debemus etiam secundum animam conformari: *ut sicut,* secundum Apostolum, *Rom.* VI * [* Vers. 4.], *Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus;* et sicut ipse *resurgens ex mortuis iam non moritur, ita et nos existimemus nos mortuos esse peccato* * [* Vers. 8, 9, 11.], ut iterum nos [α] *vivamus cum illo.*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod Augustinus dicit resurrectionem animarum fieri per Dei substantiam, quantum ad participationem: quia scilicet participando divinam bonitatem animae fiunt iustae et bonae [β], non autem participando quamcumque creaturam. Unde, cum dixisset, *Animae resurgunt* [γ] *per substantiam Dei,* subdit: *Participatione enim Dei fit anima beata, non participatione animae sanctae.* Sed participando gloriam corporis Christi, efficientur [δ] corpora nostra gloriosa.

AD SECUNDUM DICENDUM quod efficacia [ε] resurrectionis Christi pertingit ad animas, non per propriam virtutem ipsius corporis resurgentis, sed per virtutem divinitatis, cui personaliter unitur.

AD TERTIUM DICENDUM quod resurrectio animarum pertinet ad meritum, quod est effectus iustificationis [ζ]: sed resurrectio corporum ordinatur ad poenam vel praemium, quae sunt effectus iudicantis. Ad Christum autem non pertinet iustificare omnes, sed iudicare. Et ideo omnes resuscitat secundum corpus, sed non [η] secundum animam.

AD QUARTUM DICENDUM quod in iustificatione animarum duo concurrunt: scilicet remissio culpae, et novitas vitae per gratiam. Quantum ergo ad efficaciam [θ], quae est per virtutem divinam, tam passio Christi quam resurrectio est causa iustificationis quoad utrumque. Sed quantum ad exemplaritatem, proprie passio et mors Christi est causa remissionis culpae, per quam morimur peccato: resurrectio autem est causa novitatis vitae, quae est per gratiam sive iustitiam. Et ideo Apostolus dicit, *Rom.* IV * [* Vers. 25.], quod *traditus est,* scilicet in mortem, *propter delicta nostra,* scilicet tollenda, *et resurrexit propter iustificationem nostram.* Sed passio Christi est etiam causa meritoria, ut dictum est * [* Art. praeced. ad 4; qu. XLVIII, art. 1.].

α) *nos.* – sE et *a;* om. F et tertia praeter I, *non* ceteri. Pro *cum illo, illo* I, *in illo* cetera tertia.
β) *iustae et bonae.* – *bonae et iustae* tertia praeter I.
γ) *resurgunt.* – *resurgent* BFGa.
δ) *efficientur.* – *efficiuntur* E et tertia praeter I.
ε) *efficacia.* – *efficientia* PFI.
ζ) *iustificationis.* – *iustificatoris* PG; *Alias iustificationis* margo P.
η) *non.* – *omnes* addunt PI.
θ) *efficaciam.* – *efficīam* AC, *efficiam* E, *efficientiam* PIpC.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus est intelligenti resurrectionem animae esse a morte peccati. Mors enim animae peccatum est, et vita eius est gratia Dei.

In corpore sunt duae conclusiones. Prima est: *Resurrectio Christi habet virtutem instrumentaliter effectivam respectu resurrectionis animarum, et non solum corporum.* Probatur. Resurrectio Christi agit in virtute deitatis, extendentis se non solum ad vitam corporum, sed animae. Ergo.

Adverte hic quod consequentia seu ratio ista praesupponit supra * dicta de potentia seu omnipotentia humanitatis Christi: quod scilicet extendat se potestas eius instrumentalis ad quaecumque mirabilia opera, exceptis his quae spectant ad primam rerum creationem, etc., ut ibi latius patuit. Supposita enim adaequatione organi, gratia materiae subiectae, tenet argumentum: Virtus deitatis ut principalis extendit se ad vitam corporum et animarum, Ergo virtus instrumentalis humanitatis extendit se ad eadem.

* Qu. xiii, art. 2.

Secunda conclusio est: *Resurrectio Christi est causa exemplaris resurrectionis animarum.* Probatur. Quia Christo resurgenti debemus etiam secundum animam conformari. Et hoc declaratur auctoritate Apostoli quoad duo: scilicet novitatem vitae; et quoad vitationem ulterioris mortis.



QUAESTIO QUINQUAGESIMASEPTIMA

DE ASCENSIONE CHRISTI

IN SEX ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. LIII, Introd.

Deinde considerandum est de ascensione Christi *.

Et circa hoc quaeruntur sex.

Primo: utrum fuerit conveniens Christum ascendere.

Secundo: secundum quam naturam conveniat sibi ascensio.

Tertio: utrum propria virtute ascenderit.

Quarto: utrum ascenderit super omnes caelos corporeos.

Quinto: utrum ascenderit super omnes spirituales creaturas.

Sexto: de effectu ascensionis.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM FUERIT CONVENIENS CHRISTUM ASCENDERE

III *Sent.*, dist. XXII, qu. III, art. 1; *Compend. Theol.*, cap. CCXL; *In Symb. Apost.*, art. 6.

* Cap. XII, n. 4 sqq. - S.Th. lect. XVIII.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non fuerit conveniens Christum ascendere. Dicit enim Philosophus, in II *de Caelo* *, quod *illa quae optimo modo se habent, possident suum bonum sine motu.* Sed Christus optime se habuit: quia et secundum naturam divinam est summum bonum; et secundum humanam naturam est summe glorificatus. Ergo suum bonum habet sine motu. Sed ascensio est quidam motus. Ergo non fuit conveniens quod Christus ascenderet.

2. Praeterea, omne quod movetur, movetur propter aliquid melius. Sed Christo non fuit melius esse in caelo quam in terra: nihil enim accrevit sibi per hoc quod fuit in caelo, neque quantum ad animam neque quantum ad corpus. Ergo videtur quod Christus non debuit in caelum ascendere.

* Vers. 22.

3. Praeterea, Filius Dei humanam naturam assumpsit ad nostram salutem. Sed magis fuisset salutare hominibus quod semper conversaretur nobiscum in terris: ut ipse dixit discipulis suis, Luc. XVII *: *Venient dies quando desideretis videre unum diem Filii Hominis, et non videbitis.* Videtur ergo quod non fuerit conveniens Christum ascendere in caelum.

* Cap. LVI, al. XXIX; in vet. XXXI.

* Vers. 17.

4. Praeterea, sicut Gregorius dicit, in XIV *Moral.* *, corpus Christi in nullo mutatum fuit post resurrectionem. Sed non immediate post resurrectionem ascendit in caelum: quia ipse dicit post resurrectionem, Ioan. XX *: *Nondum ascendi ad Patrem meum.* Ergo videtur quod nec post quadraginta dies ascendere debuerit.

* Ibid.

Sed contra est quod Dominus dicit, Ioan. XX *: *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum.*

Respondeo dicendum quod locus debet esse proportionatus locato. Christus autem per [α] resurrectionem vitam immortalem et incorruptibilem inchoavit. Locus autem in quo nos habitamus, est locus generationis et corruptionis: sed locus caelestis est locus incorruptionis. Et ideo non fuit conveniens quod Christus post resurrectionem remaneret in terris, sed conveniens fuit quod ascenderet in caelum. α

* Vers. 6.

* Cf. cap. XIV; de Nat. Boni, cap. I; Enarrat. in Ps. CXXI, vers. 3; Serm. CLXXXII, aliter de Verb. Apost. XXX, cap. III.

Ad primum ergo dicendum quod illud optime se habens [β] quod sine motu possidet suum bonum, est Deus, qui est omnino immutabilis, secundum illud Malach. III *: *Ego Dominus, et non mutor.* Qualibet autem creatura est aliquo modo mutabilis: ut patet per Augustinum, VIII *super Gen. ad litt.* * Et quia natura assumpta a Filio Dei remansit creata [γ], ut patet ex his quae supra * dicta sunt, non est inconveniens si ei aliquis motus attribuatur. β γ

* Qu. II, art. 7; qu. XVI, art. 8, 10; qu. XX, art. 1.

* Ps. XV, vers. 10.

* Lomb.

Ad secundum dicendum quod per hoc quod Christus ascendit in caelum, nihil ei accrevit quantum ad ea quae sunt de essentia gloriae, sive secundum corpus sive secundum animam: tamen accrevit ei aliquid quantum ad loci decentiam, quod est ad bene esse gloriae. Non quod corpori eius aliquid aut perfectionis aut conservationis acquireretur [δ] ex corpore caelesti: sed solummodo propter quandam decentiam. Hoc autem aliquo modo pertinebat ad eius gloriam. Et de hac decentia gaudium quoddam habuit: non quidem quod tunc de novo de hoc gaudere inciperet quando in caelum ascendit; sed quia novo modo de hoc gavisus est, sicut de re impleta. Unde super illud Psalmi *, *Delectationes in dextera tua usque in finem,* dicit Glossa *: *Delectatio et laetitia erit mihi in consessu tuo humanis obtutibus subtracto.* δ

α) *per.* – *post* FH et editiones; *Alias per* margo P.

β) *habens.* – PCDIsBE; *habet.* Pro *est Deus qui, talis est enim Deus qui* GIIbc, *quod est Deus qui* ed. *a*, *est ipse Deus quia* PI.

γ) *creata.* – *increata* F, *creatura* PH.

δ) *Non quod corpori... acquireretur.* – *Non quod corpus... acquireret* PI.

Ad tertium dicendum quod, licet praesentia corporalis Christi fuerit [ε] subtracta fidelibus per ascensionem, praesentia tamen divinitatis ipsius semper adest fidelibus: secundum quod ipse dicit, Matth. ult. * [Vers. 20.]: *Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus* [ζ] *usque ad consummationem saeculi. Qui* enim *ascendit in caelos, non deserit adoptatos*, ut Leo Papa dicit * [De Resurrect. serm. II, cap. III.].

Sed ipsa ascensio Christi in caelum, qua corporalem suam praesentiam nobis subtraxit, magis fuit utilis nobis quam praesentia corporalis fuisset. Primo quidem, propter fidei augmentum, quae est de non visis. Unde ipse Dominus dicit [η], Ioan. XVI * [Vers. 8.], quod Spiritus Sanctus adveniens *arguet mundum de iustitia*, scilicet *eorum qui credunt*, ut Augustinus dicit, *super Ioan.* * [Tract. XCV, num. 2, 3.]: *ipsa quippe* [θ] *fidelium comparatio infidelium est vituperatio.* Unde subdit * [Vers. 10.], « *Quia ad Patrem vado, et iam non videbitis me* »: *beati enim qui non vident, et credunt. Erit itaque* [ι] *nostra iustitia de qua mundus arguitur: « quoniam in me, quem non videbitis, credetis ».*

Secundo, ad spei sublevationem. Unde ipse dicit, Ioan. XIV * [Vers. 3.]: *Si abiero et praeparavero vobis locum, iterum veniam, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi ego sum, et vos sitis.* Per hoc enim quod Christus humanam naturam assumptam in caelo collocavit, dedit nobis spem illuc perveniendi: quia *ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilae*, ut dicitur Matth. XXIV * [Vers. 28.]. Unde et Mich. II * [Vers. 13.] dicitur: *Ascendit pandens iter ante eos.*

Tertio, ad erigendum [κ] caritatis affectum in caelestia. Unde dicit Apostolus, *Coloss.* III * [Vers. 1, 2.]: *Quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quae sursum sunt* [λ] *sapite, non quae super terram.* Ut enim dicitur Matth. VI * [Vers. 21.], *ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Et quia Spiritus Sanctus est amor nos in caelestia rapiens, ideo Dominus dicit discipulis, Ioan. XVI * [Vers. 7.]: *Expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Quod exponens Augustinus, *super Ioan.* * [Tract. XCIV, num. 4, 5.], dicit: *Non potestis capere Spiritum quandiu secundum carnem nosse persistitis Christum. Christo autem discedente* [μ] *corporaliter, non solum Spiritus Sanctus, sed et Pater et Filius illis affuit spiritualiter.*

Ad quartum dicendum quod, licet Christo resurgenti in vitam immortalem congrueret locus caelestis, tamen ascensionem distulit, ut veritas resurrectionis comprobaretur. Unde dicitur *Act.* I * [Vers. 3.], quod *post passionem suam praebuit seipsum vivum discipulis in multis argumentis per dies quadraginta.* Ubi dicit glossa quaedam * [Ord.] quod, *quia quadraginta* [ν] *horas mortuus fuerat, quadraginta diebus se vivere confirmat. Vel per quadraginta dies tempus* [ξ] *praesentis saeculi, quo Christus in Ecclesia conversatur, potest intelligi: secundum quod* [ο] *homo constat ex quatuor elementis, et eruditur contra transgressionem decalogi.*

ε) *fuerit.* – P; *fuisset.*
ζ) *omnibus diebus.* – Om. tertia.
η) *dicit.* – *discipulis suis* addunt PI.
θ) *quippe.* – EGH*a* et editiones; *quidem* I, *quidem quippe* ceteri.
ι) *itaque.* – *igitur* HpG et editiones. Pro *nostra, vestra* PAsG. Pro *arguitur, arguetur* PG. – *videbitis credetis* PI*a*; *videbitis creditis* GH, *videtis creditis* ceteri.
κ) *erigendum.* – *dirigendum* GH*bc*.
λ) *quaerite... sursum sunt.* – E et tertia; om.
μ) *discedente.* – PA; *descendente* BCEI, *discendente* D, *ascendente* FGH*abc*.
ν) *quadraginta.* – *per quadraginta* tertia praeter I, qui pro *horas, horis.*
ξ) *tempus.* – *typus* pI; *alias typus* margo P.
ο) *secundum quod.* – FH; *vel quia* sD, *sive qui* E, *scilicet quia* I, *quia* editiones, *scilicet quod* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Conveniens fuit Christum non remanere in terris, sed ascendere in caelum.* Probatur. Locus debet esse proportionatus locato, etc. Clare patet in littera.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM ASCENDERE IN CAELUM CONVENIAT CHRISTO SECUNDUM NATURAM DIVINAM

III *Sent.*, dist. XXII, qu. III, art. 1, ad 2; *Compend. Theol.*, cap. CCXL.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod ascendere in caelum conveniat Christo secundum naturam divinam. Dicitur enim in Psalmo * [Ps. XLVI, vers. 6.]: *Ascendit Deus in iubilatione;* et *Deut.* XXXIII * [Vers. 26.]: *Ascensor caeli auxiliator tuus.* Sed ista dicuntur de Deo etiam ante Christi incarnationem. Ergo Christo convenit ascendere in caelum secundum quod Deus.

2. Praeterea, eiusdem est ascendere in caelum cuius est descendere de caelo: secundum illud Ioan. III * [Vers. 13.]: *Nemo ascendit in caelum nisi qui de caelo descendit;* et *Ephes.* IV * [Vers. 10.]: *Qui descendit, ipse est et qui ascendit.* Sed Christus descendit de caelo, non secundum quod homo, sed secundum quod Deus: non enim humana eius natura ante in caelo fuerat, sed divina. Ergo videtur quod Christus ascendit in caelum secundum quod Deus.

3. Praeterea, Christus sua ascensione ascendit ad Patrem. Sed ad Patris aequalitatem non pervenit secundum quod homo: sic enim dicit, *maior* [α] *me est,* ut habetur Ioan. XIV * [Vers. 28.]. Ergo vi-

---

α) *dicit, maior.* – *Deus maior* I, *dicit Pater maior* EG et editiones; *me* om. A.

detur quod Christus ascendit secundum quod Deus.

* Vers. 9. SED CONTRA EST quod, *Ephes.* IV, super illud *, *Quod autem ascendit, quid est nisi quia descendit* [β], dicit Glossa * (* Lomb.): *Constat quod secundum humanitatem Christus descendit et ascendit.*

RESPONDEO DICENDUM quod ly *secundum quod* [γ] duo potest notare: scilicet conditionem ascendentis, et causam ascensionis. Et si quidem designet conditionem ascendentis, tunc ascendere non potest convenire Christo secundum conditionem divinae naturae. Tum quia nihil est deitate altius, quo possit ascendere. Tum etiam quia ascensio est motus localis, qui divinae naturae non competit, quae est immobilis et inlocalis. Sed per hunc modum ascensio competit Christo secundum humanam naturam, quae continetur loco, et motui subiici potest. Unde sub hoc sensu poterimus dicere quod Christus ascendit in caelum secundum quod homo, non secundum quod Deus.

Si vero ly *secundum quod* designet causam ascensionis, cum etiam [δ] Christus ex virtute divinitatis in caelum ascenderit, non autem ex virtute humanae naturae, dicendum erit quod Christus ascendit in caelum, non secundum quod homo, sed secundum quod Deus. Unde Augustinus dicit, in Sermone *de Ascensione* * (* In App. Serm. CLXXVI, olim. *de Temp.* CLXXVI, al. LVIII.): *De nostro fuit quod Filius Dei pependit in cruce: de suo quod ascendit.*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod auctoritates illae prophetice dicuntur de Deo secundum quod erat incarnandus [ε].

Potest tamen dici quod ascendere, etsi non proprie conveniat divinae naturae, potest tamen ei metaphorice convenire: prout scilicet dicitur *in corde* [ζ] *hominis ascendere* * (* Cf. Ps. LXXXIII, vers. 6.), quando cor hominis se subiicit et humiliat Deo. Et eodem modo metaphorice dicitur ascendere respectu cuiuslibet creaturae, ex eo quod eam subiicit sibi.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ipse idem est qui ascendit et qui descendit. Dicit enim Augustinus, in libro *de Symbolo* * (* Lib., al. Serm. IV *de Symb.*, *Catechum.*-Inter dub. Aug.): *Quis est qui descendit? Deus homo* [η]. *Quis est qui ascendit? Idem ipse Deus homo.*

Descensus tamen duplex attribuitur Christo. Unus quidem, quo dicitur descendisse de caelo. Qui quidem attribuitur Deo homini secundum quod Deus. Non enim est iste descensus intelligendus secundum motum localem: sed secundum *exinanitionem*, qua, *cum in forma Dei esset, servi formam suscepit* * (* *Ad Philipp.* cap. II, vers. 6, 7.). Sicut enim dicitur exinanitus, non ex eo quod suam plenitudinem amitteret [θ], sed ex eo quod nostram parvitatem suscepit; ita dicitur descendisse de caelo, non quia caelum deseruerit, sed quia naturam terrenam assumpsit in unitatem personae.

Alius autem est descensus quo *descendit in inferiores partes terrae*, ut dicitur *Ephes.* IV * (* Vers. 9.). Qui quidem est descensus localis. Unde competit Christo secundum conditionem humanae naturae.

AD TERTIUM DICENDUM quod Christus dicitur ad Patrem ascendere, inquantum ascendit ad consessum paternae dexterae. Quod quidem convenit Christo aliqualiter secundum divinam naturam, aliqualiter autem secundum humanam, ut infra * (* Qu. LVIII, art.) dicetur.

β) *descendit.* – *et descendit* P.
γ) *secundum quod.* – *quod b, secundum* PGH, *secundum duo (duo potest)* F. – Pro *notare, nominare* GH*b*.
δ) *etiam.* – *tunc* pG, om. cetera tertia.
ε) *incarnandus.* – sD et tertia; *incarnatus.*
ζ) *corde.* – *cor* P.
η) *homo.* – E et tertia; om.
θ) *amitteret.* – *amiserit* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS ut sonat sumendus est. – In corpore ponitur una distinctio bimembris, cum suis conclusionibus. Distinctio est circa ly *secundum quod*: et conclusiones sunt clarae.

Ubi nota in hac materia quod, sicut suppositum divinum passum est secundum naturam humanam ut ly *secundum* dicit conditionem patientis; ita persona Filii Dei est ille qui ascendit in caelum secundum naturam humanam ut naturam ascendentem, et secundum naturam divinam ut causam ascensionis.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM CHRISTUS ASCENDERIT PROPRIA VIRTUTE

Compend. Theol., cap. CCXL.



AD TERTIUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus non ascenderit propria virtute. Dicitur enim Marci ult. * (* Vers. 19.) quod *Dominus Iesus, postquam locutus est discipulis, assumptus est in caelum.* Et *Act.* I * (* Vers. 9.) dicitur quod, *videntibus illis, elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Sed illud quod assumitur et elevatur, ab alio videtur moveri. Ergo Christus non propria virtute, sed aliena, ferebatur in caelum.

2. PRAETEREA, corpus Christi fuit terrenum: sicut et corpora nostra. Corpori autem terreno contra naturam est ferri sursum. Nullus autem motus est propria virtute eius quod contra naturam movetur. Ergo Christus non ascendit in caelum propria virtute.

3. PRAETEREA, propria virtus Christi est virtus divina. Sed motus ille non videtur fuisse ex virtute divina: quia, cum virtus divina sit infinita, motus ille fuisset in instanti; et sic non potuis-

set *videntibus discipulis elevari in caelum,* ut dicitur *Act.* I * [Cf. arg. 1.]. Ergo videtur quod Christus non ascenderit propria virtute.

SED CONTRA EST quod dicitur Isaiae LXIII * [Vers. 1.]: *Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae.* Et Gregorius dicit, in Homilia *Ascensionis* * [Homil. XXIX in Evang.]: *Notandum est quod Elias in curru legitur ascendisse: ut videlicet aperte demonstraretur quia homo purus adiutorio indigebat alieno. Redemptor autem noster non curru, non angelis sublevatus legitur: quia qui fecerat omnia, super omnia sua virtute ferebatur.*

RESPONDEO DICENDUM quod in Christo est duplex natura, divina scilicet et humana. Unde secundum utramque naturam potest accipi propria virtus eius. Sed secundum humanam naturam potest accipi duplex virtus Christi. Una quidem naturalis, quae procedit ex principiis naturae. Et tali virtute manifestum est quod Christus [α] non ascendit. Alia autem virtus in humana natura [β] est virtus gloriae. Secundum quam Christus in caelum ascendit.

Cuius quidem virtutis rationem quidam * [Alex. Halens. Sum. Theol. p. III, qu. XIII, memb. 2.] accipiunt ex natura quintae essentiae, quae est lux, ut dicunt, quam ponunt esse de compositione humani corporis, et per eam [γ] elementa contraria conciliari in unum. Ita quod in statu huius mortalitatis natura elementaris in corporibus humanis dominatur: et ideo, secundum naturam elementi praedominantis, corpus humanum naturali virtute deorsum fertur. In statu autem gloriae praedominabitur natura caelestis: secundum [δ] cuius inclinationem et virtutem corpus Christi, et alia sanctorum corpora, feruntur in caelum. — Sed de hac opinione et in Prima Parte * [Qu. LXXVI, art.] habitum est; et infra magis agetur, in tractatu de resurrectione communi * [Cf. Supplem. qu. LXXXIV, art. 1.].

Hac autem opinione praetermissa, alii assignant rationem praedictae virtutis ex parte animae glorificatae, ex cuius redundantia glorificabitur corpus, ut Augustinus dicit, *ad Dioscorum* * [Epist. CXVIII, al. LVI, cap. III.]. Erit enim tanta obedientia corporis gloriosi ad animam beatam ut, sicut Augustinus dicit, XXII *de Civ. Dei* * [Cap. XXX.], *ubi volet* [ε] *spiritus, ibi erit protinus corpus: nec volet aliquid quod nec spiritum possit decere nec corpus.* Decet autem corpus gloriosum et immortale esse in loco caelesti, sicut dictum est * [Art. 1.]. Et ideo ex virtute animae volentis corpus Christi ascendit in caelum.

Sicut autem corpus efficitur gloriosum [ζ], ita, ut Augustinus dicit, *super Ioan.* * [Tract. XXIII, num. 5.], *participatione Dei fit anima beata.* Unde prima origo ascensionis in caelum est [η] virtus divina. Sic igitur Christus ascendit in caelum propria virtute: primo quidem, virtute divina; secundo, virtute [θ] animae glorificatae moventis corpus prout vult.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut Christus dicitur propria virtute surrexisse, et tamen est suscitatus a Patre, eo quod est eadem virtus Patris et Filii; ita etiam Christus propria virtute ascendit in caelum, et tamen a Patre est elevatus et assumptus.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ratio illa probat quod Christus non ascenderit in caelum propria virtute quae est humanae naturae naturalis. Ascendit tamen in caelum propria virtute quae est virtus divina; et propria virtute quae est animae beatae. Et licet ascendere sursum sit contra naturam humani corporis secundum statum praesentem, in quo corpus non est omnino subiectum spiritui; non tamen erit contra naturam neque violentum [ι] corpori glorioso, cuius tota natura est omnino subiecta spiritui.

AD TERTIUM DICENDUM quod, etsi virtus divina sit infinita, et infinite operetur quantum est ex parte operantis, tamen effectus virtutis eius recipitur in rebus secundum earum capacitatem, et secundum Dei dispositionem. Corpus autem non est capax ut in instanti localiter moveatur: quia oportet quod commetiatur se spatio, secundum cuius divisionem dividitur tempus, ut probatur VI *Physic.* * [Cap. IV, n. 6, 8. — S. Th. lect. VI.] Et ideo non oportet quod corpus motum a Deo moveatur in instanti: sed movetur ea velocitate qua Deus disponit.

α) *Christus.* — *in caelum* addunt PI.
β) *natura.* — *Christi* addunt E et tertia.
γ) *eam.* — FsG *a* et editiones; om. pG, *ea* ceteri.
δ) *secundum.* — Om. C, *in* GH*bc*, *per* PDF.
ε) *volet.* — *esse* addunt H*bc*. Pro *erit protinus, protinus erit* P. Post *aliquid* addunt *spiritus* PEIsG et *c*. Pro *spiritum, spiritui* ABC.
ζ) *gloriosum.* — *anima beata* addit sC, *participatione animae* addit P. *Sicut autem... ascendit in caelum* om. E.
η) *est.* — F*a* et tertia; *fuit* B, om. ACD; pro E cf. ζ.
θ) *virtute.* — PFIsG et *ac*; om.
ι) *violentum.* — PFGsCD *a* et editiones; *violenter* HpE, *violentus* ceteri.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. — In corpore articuli conclusio est: *Christus ascendit in caelum propria virtute: primo quidem, divina; secundo autem, animae glorificatae moventis corpus prout vult.* Declaratur conclusio, distinguendo in Christo naturam, divinam scilicet et humanam; et subdistinguendo virtutem humanam in virtutem naturae et virtutem gloriae; et, exclusa virtute naturali, afferendo duas opiniones de radice virtutis gloriae, scilicet vel ex parte lucis caelestis, vel ex parte beatitudinis animae. Et, praetermissa prima opinione, quia beatitudo animae in Dei participatione consistit, infertur conclusio quoad omnes sui partes clarissima, ita quod expositione non eget.

Adverte hic quod, cum dicitur Christum propria virtute glorificatae animae ascendisse in caelum, non intelligitur nisi de ipso locali motu ascensionis. Utrum enim virtute glorificatae animae potuerit motu illo penetrare caelos, alia quaestio est, inferius * [Cf. Supplem. qu. LXXXIII, art. 2.] tractanda.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CHRISTUS ASCENDERIT SUPER OMNES CAELOS

III *Sent.*, dist. XXII, qu. II, art. 1, quª 2, ad 2; qu. III, art. 3, quª 1; IV *Cont. Gent.*, cap. LXXXVII.

AD QUARTUM [α] SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christus non ascenderit super omnes caelos. Dicitur enim in Psalmo *: *Dominus in templo sancto suo: Dominus, in caelo sedes eius.* Quod autem est in caelo, non est supra caelum. Ergo Christus non ascendit super omnes caelos.

* Ps. x, vers. 5.

2. PRAETEREA, duo corpora non possunt esse in eodem loco. Cum igitur non sit transitus de extremo in extremum nisi per medium, videtur quod Christus non potuisset ascendere super omnes caelos nisi caelum divideretur. Quod est impossibile [β].

3. PRAETEREA, *Act.* I * dicitur quod *nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Sed nubes non possunt elevari supra caelum. Ergo Christus non ascendit super omnes caelos.

* Vers. 9.

4. PRAETEREA, ibi credimus Christum in perpetuum permansurum quo ascendit. Sed quod contra naturam est, non potest esse sempiternum: quia id quod est secundum naturam, est ut in pluribus et frequentius. Cum ergo contra naturam sit corpori terreno esse supra caelum, videtur quod corpus Christi supra caelum non ascenderit.

SED CONTRA EST quod dicitur *Ephes.* IV *: *Ascendit super omnes caelos, ut adimpleret omnia.*

* Vers. 10.

RESPONDEO DICENDUM quod, quanto aliqua corpora perfectius participant bonitatem divinam, tanto sunt superiora corporali ordine, qui est ordo localis. Unde videmus quod corpora quae sunt magis formalia, sunt naturaliter superiora, ut patet per Philosophum, in IV *Physic.* *, et in II *de Caelo* *: per formam enim unumquodque corpus participat divinum esse, ut patet in I *Physic.* * Plus autem participat de divina bonitate corpus per gloriam quam quodcumque corpus naturale per formam suae naturae. Et inter cetera corpora gloriosa, manifestum est quod corpus Christi maiori refulget gloria. Unde convenientissimum est sibi quod sit supra omnia corpora constitutum in alto *. Et ideo, super illud *Ephes.* IV *, *Ascendens in altum*, dicit Glossa *: *Loco et dignitate.*

* Cf. cap. v, n. 3, 6. - S. Th. lect. VII, VIII.
* Cap. IV, n. 9; cap. XIII, n. 3. - S. Th. lect. VI, XX.
* Cap. IX, n. 3. - S. Th. lect. XV.
* D. 243, 329.
* Vers. 8.
* Interlin.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod sedes Dei dicitur esse in caelo, non sicut in continente, sed magis sicut in contento. Unde non oportet aliquam partem caeli eo superiorem esse, sed ipsum esse super omnes caelos *: sicut et in Psalmo ** dicitur: *Elevata est magnificentia tua super caelos* [γ], *Deus.*

* D. 330.
** Ps. VIII, vers. 2

AD SECUNDUM [δ] DICENDUM quod, quamvis de natura corporis non sit quod possit esse in eodem loco cum alio corpore, tamen potest hoc Deus facere per miraculum quod in eodem loco possint esse [ε]: sicut et fecit *corpus Christi ut* [ζ] *de clauso utero Beatae Virginis exiret*, et quod *intravit ianuis clausis*, sicut dicit beatus Gregorius *. Corpori ergo Christi convenire potest [η] esse cum alio corpore in eodem loco, non ex proprietate corporis, sed per virtutem divinam assistentem et hoc operantem.

* Homil. XXV in Evang.

AD TERTIUM DICENDUM quod nubes illa non praebuit adminiculum Christo ascendenti per modum vehiculi: sed apparuit in signum divinitatis, secundum quod gloria Dei Israel apparebat super tabernaculum in nube *.

* Exod cap. x[l], vers. 32; Num. cap. IX, vers. 1[5].

AD QUARTUM DICENDUM quod corpus gloriosum non habet ex principiis suae naturae quod possit in caelo aut supra caelum esse: sed habet hoc ex anima beata, ex qua recipit gloriam. Et sicut motus gloriosi corporis sursum non est violentus *, ita nec quies violenta. Unde nihil prohibet eam esse sempiternam.

* Cf. art. praec. ad 2.

α) *Ad quartum.* – Articulum Quartum om. D.

β) *Praeterea, duo corpora... impossibile.* – Pro hoc argumento I (solus inter collatos) ponit aliud: *Praeterea, super omnes caelos non est aliquis locus, ut probatur in I de Caelo. Sed omne corpus oportet esse in loco. Ergo corpus Christi non ascendit super omnes caelos.* Pc cum Brixiensi (Q) et Ambrosiano (R) utrumque habent, illud ut secundum, nostrum ut tertium; cf. δ et notam codicum illorum: *Item qu. LVII art. IV fuit deletum de originali* (s. Thomae scilicet) *secundum argumentum hic appositum* (argumentum I) *cum sua solutione, et loco eius fuit additum argumentum* (nostrum) *cum sua solutione quod hic tenet tertium locum, nec est fratris Thomae.*

γ) *caelos.* – PI; *caelos omnes* pA, *omnes omnes caelos* B, *omnes caelos* ceteri.

δ) *Ad secundum.* – I pro hac solutione ponit aliam, suo secundo argumento respondentem; cf. α. PQRc utramque solutionem habent: *Ad secundum dicendum quod locus habet rationem continentis. Unde primum continens* (haec tria verba om. I) *habet rationem primi locantis, quod est primum coelum. Intantum igitur corpora indigent esse in loco per se inquantum indigent contineri a corpore caelesti. Corpora igitur* (*autem* PI) *gloriosa, et maxime corpus Christi, non indigent continentia tali* (*indiget tali continentia* P), *quia nihil recipit a corporibus caelestibus* (*sed a Deo mediante anima* addunt PI). *Unde nihil prohibet corpus Christi esse extra totam continentiam caelorum corporeorum* (*caelestium corporum* PI) *et non esse in loco continente* (*continentiae* R). *Nec tamen oportet quod extra caelum sit vacuum, quia non est in loco* (*est ibi locus* PI). *Nec est ibi aliqua potentia susceptiva alicuius corporis, sed potentia perveniendi illuc est in Christo. Quod autem Aristoteles probat II* (*I* P) *de Caelo quod extra caelum non est corpus, intelligendum est de corporibus in solis naturalibus constitutis, ut per probationes (probationem c) apparet. Ad tertium* etc. (nobis *Ad secundum* etc.).

ε) *possint esse.* – *possunt esse* E, *possit esse simul cum alio* sG, *cum alio possit esse* H, *possit esse cum alio corpore* P.

ζ) *sicut et fecit corpus Christi ut.* – *sicut corpus Christi* C, *sicut etiam fecit quod corpus Christi* G, *sicut etiam fecit cōrpus Christi (...exire)* H, *sicut et fecit ut corpus Christi* editiones. – Post *clausis* tertia (I abest) addit *ad discipulos.*

η) *Corpori... potest.* – *Corpus* (*Corpori* H) *ergo Christi convenienter potest* Habc, *Corpus ergo Christi simul potest* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus ut sonat intelligendus est. – In corpore una est conclusio: *Convenientissimum est Christo quod sit super omnia corpora constitutus in alto*. Probatur. Quanto aliqua corpora perfectius participant bonitatem divinam, tanto sunt superiora localiter. Sed corpus Christi gloriosum perfectius participat, etc.

II. Adverte hic Auctorem opinari Christum secundum corpus esse supra caelos omnes sic quod planta pedis eius est supra superficiem convexam supremi caeli. Hoc enim concludit et ratio in corpore allata, quod quanto corpus est perfectius, tanto est superius secundum locum: et hoc expresse explicatur in responsione ad secundum, dicendo: *Nihil prohibet corpus Christi esse extra totam continentiam caelorum corporeorum, et non esse in loco continente* *. Et hoc ideo dictum sit ut sciant dicentes corpus Christi sic esse supra omnes caelos quod est in suprema parte supremi caeli, quod non sequuntur doctrinam Auctoris. Ex hoc enim sequitur manifeste quod non est superius supremo caelo, et quod non est *extra totam continentiam caelorum corporeorum*: quorum primum contrariatur corpori articuli, secundum autem responsioni ad secundum.

* Cf. not. 3.

III. Sed occurrit hic Durandus, in III *Sent.*, dist. XXII, art. ult., obiiciens contra hanc positionem, quia sequeretur quod Christus nec se nec alia videret corporali visione: quia visio fit per diaphanum medium, quod supra convexum supremi caeli non invenitur.

Ad hoc dicitur quod, sicut supra naturae ordinem corpus Christi locatur supra convexum caeli supremi, ita supra naturae ordinem exercetur ibi visio corporalis absque diaphano medio continuo usque ad oculum.

Mirum est autem de sic obiicientibus ad concludendum. Dicant, quaeso, quomodo tam Christus quam alii sancti post resurrectionem, si infra convexum caeli continentur, auditionem corporalem exercebunt: cum auditus fiat per medium aerem, qui ibi non est. Nec caelum supplet vicem aeris: quoniam non inquantum diaphanus aer mediat in auditu, ut patet ex hoc quod absque diaphano in actu audimus, in tenebris constitutis nobis et sonante et sono. Et rursus *caeli quasi aere fusi sunt* *, ut non possint percuti, etc. Mittamus haec supernaturalia futuri saeculi scientiae futuri saeculi.

* *Iob*, cap. XXXVII, vers. 18.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM CORPUS CHRISTI ASCENDERIT SUPER OMNEM CREATURAM SPIRITUALEM

Ad Ephes., cap. I, lect. VII.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod corpus Christi non ascenderit super omnem creaturam spiritualem. Eorum enim quae non dicuntur secundum rationem unam, non potest convenienter fieri comparatio. Sed locus non eadem ratione attribuitur corporibus et spiritualibus creaturis: ut patet ex his quae dicta sunt in Prima Parte *. Ergo videtur quod non possit dici corpus Christi ascendisse super omnem creaturam spiritualem.

* Qu. VIII, art. 2, ad 1, 2; qu. LII, art. 1.

2. Praeterea, Augustinus dicit, in libro *de Vera Relig.* *, quod omni corpori spiritus praefertur. Sed nobiliori rei sublimior debetur locus. Ergo videtur quod Christus non ascenderit super omnem spiritualem creaturam.

* Cap. LV. - Cf. Epist. CXL., alias CXX, *ad Honoratum*, cap. XXIII.

3. Praeterea, in omni loco est aliquod corpus: cum nihil sit vacuum in natura. Si ergo nullum corpus obtinet altiorem locum quam spiritus in ordine naturalium corporum, nullus locus erit supra omnem spiritualem creaturam. Non ergo corpus Christi potuit ascendere super omnem spiritualem creaturam.

Sed contra est quod dicitur *Ephes.* I *: *Constituit illum super omnem principatum et potestatem, et supra omne nomen quod nominatur sive in hoc saeculo sive in futuro.*

* Vers. 20, 21.

Respondeo dicendum quod tanto alicui rei debetur altior locus, quanto est nobilior: sive debeatur ei locus per modum contactus corporalis, sicut corporibus; sive per modum contactus spiritualis, sicut spiritualibus substantiis. Exinde enim spiritualibus substantiis debetur secundum quandam congruentiam locus caelestis, qui est supremus locorum, quia illae substantiae sunt supremae in ordine substantiarum. Corpus autem Christi, licet, considerando conditionem [α] naturae corporeae, sit infra spirituales substantias; considerando tamen dignitatem unionis qua est personaliter Deo coniunctum, excellit dignitatem omnium spiritualium substantiarum. Et ideo, secundum praedictae congruentiae rationem, debetur sibi locus altior ultra omnem creaturam * etiam spiritualem. Unde et Gregorius dicit, in Homilia *Ascensionis* *, quod *qui fecerat omnia, super omnia sua virtute ferebatur.*

* D. 243.

* Homil. XXIX *in Evang.*

Ad primum ergo dicendum quod, licet alia ratione attribuatur locus corporali et spirituali substantiae, tamen hoc est in utraque ratione commune, quod digniori rei attribuitur superior locus.

Ad secundum dicendum quod ratio illa procedit de corpore Christi secundum conditionem naturae corporeae, non autem secundum rationem unionis.

Ad tertium dicendum quod comparatio ista potest attendi vel secundum rationem locorum: et sic nullus locus est tam altus quod excedat dignitatem spiritualis substantiae; secundum quod procedit obiectio. Vel secundum dignitatem eorum quibus attribuitur locus. Et sic corpori Christi debetur ut sit supra spirituales creaturas.

α) *conditionem.* – *conditiones* editiones.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus intelligendus est *cum grano salis:* prout respondendo apparet. Hoc est, quod ponitur ibi locatum pro loco: ita quod per ly *omnem creaturam spiritualem* intelligimus *locum omnis creaturae spiritualis.* Secutus est enim Auctor usitatum modum loquendi, quo consuevimus dicere aliquem episcopum vel principem *ascendisse super tales et tales,* qui ascendit ad locum superiorem locis talium et talium. Unde sensus tituli est: An locus quo ascendit Christus, sit superior locis in quibus sunt quaecumque spirituales creaturae.

In corpore una conclusio: *Corpori Christi debetur locus altior ultra omnem creaturam, etiam spiritualem.* Probatur. Tanto altior locus rei debetur, quanto est nobilior. Sed corpus Christi secundum dignitatem personalem excellit omnes substantias spirituales. Ergo, etc.

II. Circa hanc comparationem dubium occurrit, quoniam vana videtur. Nam supra convexum, seu in superficie convexa caeli empyrei, non datur locus altior aut minus altus: cum sit perfecte sphaericum. Constat autem illic esse angelos beatos *: et corpus Christi illic esse conclusum est ex articulo praecedenti. * Cf. Mag. II *Sent.*, dist. II, cap. *Iam ostensum est.*

Ad hoc dicitur quod, licet secundum longitudinem diametri a centro ad circumferentiam nulla pars convexae superficiei corporis perfecte sphaerici sit altior alia, ut patet ex eo quod omnes lineae ductae a centro ad circumferentiam sunt aequales; et secundum hunc sensum procedit dubium: si tamen eadem superficies convexa consideretur ut ordinata ad aliquid unum in ea agendum, verbi gratia, ad exercendum actum iudicii, sic unus locus, seu una pars eius, invenitur altior altera, iuxta approximationem ad solium principis; sumitur enim pars illa solii ut altior, et reliquae ut inferiores sunt. Et sic divina sapientia superficiem caeli empyrei, quamvis secundum se fecerit aequalem, secundum tamen quod venit in usum habitationis creaturarum beatarum, disposuit unam partem quasi solium, et reliquas in ordine ad illam superiores vel inferiores. Et sic Christus, secundum corpus in parte illa solii stans, in suprema parte supremoque loco residere dicitur: et reliquae creaturae beatae hinc et inde inferiores partes tenent.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM ASCENSIO CHRISTI SIT CAUSA NOSTRAE SALUTIS

Supra, qu. XLIX, art. 5, ad 4; *Ad Ephes.*, cap. IV, lect. III.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod ascensio Christi non sit causa nostrae salutis. Christus enim fuit causa nostrae salutis inquantum salutem nostram meruit. Sed per ascensionem nihil nobis meruit: quia ascensio pertinet ad praemium exaltationis eius; non est autem idem meritum et praemium, sicut nec via et terminus. Ergo videtur quod ascensio Christi non fuit causa nostrae salutis.

2. Praeterea, si ascensio Christi est causa nostrae salutis, maxime hoc videtur quantum ad hoc quod ascensio eius sit causa nostrae ascensionis. Sed hoc collatum est nobis per eius passionem: quia, ut dicitur *Heb.* X *, *habemus fiduciam in introitu Sanctorum per sanguinem ipsius.* Ergo videtur quod ascensio Christi non fuit causa nostrae salutis. * Vers. 19.

3. Praeterea, salus per Christum nobis collata est sempiterna: secundum illud Isaiae LI *: *Salus autem mea in sempiternum erit.* Sed Christus non ascendit in caelum ut ibi in sempiternum esset: dicitur enim *Act.* I *: *Quemadmodum vidistis eum ascendentem in caelum, ita veniet.* Legitur etiam multis sanctis se demonstrasse in terris post suam ascensionem: sicut de Paulo legitur *Act.* IX. Ergo videtur quod eius ascensio non sit causa nostrae salutis. * Vers. 6. * Vers. 11.

Sed contra est quod ipse dicit, Ioan. XVI *: *Expedit vobis ut ego vadam:* idest, *ut recedam a vobis per ascensionem.* * Vers. 7.

Respondeo dicendum quod ascensio Christi est causa nostrae salutis dupliciter: uno modo, ex parte nostra; alio modo, ex parte ipsius. Ex parte quidem nostra, inquantum per Christi ascensionem mens nostra movetur in ipsum. Quia per eius ascensionem, sicut supra * dictum est, primo quidem datur locus fidei; secundo, spei; tertio, caritati. Quarto etiam, per hoc reverentia nostra augetur ad ipsum, dum iam non existimamus eum sicut hominem terrenum, sed sicut Deum caelestem: sicut et Apostolus dicit, II *Cor.* V *: *Etsi cognovimus secundum carnem Christum,* « *idest, mortalem, per quod putavimus eum tantum hominem* », ut Glossa * exponit: *sed nunc iam non novimus.* * Art. 1, ad 3. * Vers. 16. * Lomb.

Ex parte autem sua, quantum ad ea quae ipse fecit ascendens propter nostram salutem. Et primo quidem, viam nobis praeparavit ascendendi in caelum: secundum quod ipse dicit, Ioan. XIV *: *Vado parare vobis locum;* et Mich. II *: *Ascendit pandens iter ante eos.* Quia enim ipse est caput nostrum, oportet illuc sequi membra quo caput praecessit: unde dicitur Ioan. XIV *: *Ut ubi sum ego, et vos sitis.* Et in huius signum, animas sanctorum quas de inferno eduxerat, in caelum traduxit, secundum illud Psalmi *: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem:* quia scilicet eos qui fuerant a diabolo captivati, secum duxit in caelum, quasi in locum peregrinum humanae naturae, bona captione captivos, utpote per victoriam acquisitos. * Vers. 2. * Vers. 13. * Vers. 3. * Ps. LXVII, vers. 19. - Cf. *Ad Eph.*, cap. IV, vers. 8.

Secundo quia, sicut pontifex in veteri Testamento intrabat sanctuarium ut assisteret Deo pro populo, ita et Christus intravit in caelum *ad interpellandum pro nobis*, ut dicitur *Heb.* VII *. * Vers. 25. - Cf. cap. IX, vers. 24.

Ipsa enim repraesentatio sui ex natura humana, quam in caelum [α] intulit, est quaedam interpellatio pro nobis: ut, ex quo Deus humanam naturam sic exaltavit in Christo, etiam eorum misereatur pro quibus Filius Dei humanam naturam assumpsit.

Tertio ut, in caelorum sede quasi Deus et Dominus constitutus, exinde divina dona hominibus mitteret: secundum illud *Ephes.* IV *: *Ascendit super omnes caelos ut adimpleret omnia,* scilicet *donis suis,* secundum Glossam *.

Vers. 10.

Interlin. et Amb.

Ad primum ergo dicendum quod ascensio Christi est causa nostrae salutis, non per modum meriti, sed per modum efficientiae: sicut supra * de resurrectione dictum est.

Qu. LVI, art. 1, ad 3, 4.

Ad secundum dicendum quod passio Christi est causa nostrae ascensionis in caelum, proprie loquendo, per remotionem peccati prohibentis, et per modum meriti. Ascensio autem Christi est directe causa ascensionis nostrae, quasi inchoando ipsam in capite nostro, cui oportet membra coniungi.

Ad tertium dicendum quod Christus, semel ascendens in caelum, adeptus est sibi et nobis in perpetuum ius et dignitatem mansionis caelestis. Cui tamen dignitati non derogat si ex aliqua dispensatione Christus quandoque corporaliter ad terram descendat: vel ut ostendat se omnibus, sicut in iudicio; vel ut ostendat se alicui specialiter, sicut Paulo, ut habetur *Act.* IX. Et ne aliquis credat hoc factum fuisse, non Christo ibi corporaliter praesente, sed aliqualiter apparente, contrarium apparet per hoc quod ipse Apostolus dicit, I *Cor.* XV *, ad confirmandam resurrectionis fidem: *Novissime omnium, tanquam abortivo, visus est et mihi:* quae quidem visio veritatem resurrectionis non probaret nisi ipsum verum corpus [β] visum fuisset ab eo.

* Vers. 8.

α) *quam in caelum.* – PsG; *quam caelo* Da, *quam caelis* El, *qua in caelum bc, quam caelum* ceteri.

β) *ipsum verum corpus.* – *verum corpus* HpG et *bc, ipsum verum corpus Christi* I, *verum Christi corpus* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Ascensio Christi est causa nostrae salutis, et ex parte nostra, et ex parte ipsius.* Probatur quoad primam partem, quadrupliciter: et deinde quoad secundam, tripliciter. Omnia clara et ordinata sunt in littera.

II. In responsione ad tertium, adverte, propter importunos, quod Christum corporaliter visum fuisse a Paulo non est vertendum in dubium: quoniam verba ipsius Pauli, *Novissime autem tanquam abortivo* etc., hoc convincunt, ad litteram. Sed an ista visio fuerit tunc cum dixit, *Saule, Saule, quid me persequeris?* *, dubitari ab aliquibus videtur: nec ulla dubium ratio fovet nisi quia volunt dubitare. Auctor * autem, quia nulla alia corporalis apparitio Christi ad Paulum in sacra Scriptura invenitur nisi illa quae fuit in sua conversione, illam dicit esse qua Christus in proprio corpore sibi apparuit. Constat autem ex Scriptura illam fuisse corporalem: et rationabile est Scripturam Scriptura exponere; irrationabile autem apparitiones pro voluntate multiplicare. *Indisciplinati* quoque *est quaerere in omnibus certitudinem demonstrativam* *: sed, ut philosophi etiam tradiderunt *, *iuxta subiectam materiam certitudo amplectenda est.*

Act. cap. IX, vers. 4.

* Cf. Arist. *Ethic.* lib. I, cap. III, n. 4. – S. Th. lect. III.
* Cf. ibid., et cap. VII, n. 18, s. Th. lect. XI; lib. II, cap. II, n. 3, s. Th. lect. II.



QUAESTIO QUINQUAGESIMAOCTAVA

DE SESSIONE CHRISTI AD DEXTERAM PATRIS

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA

* Cf. qu. LIII, Introd.

DEINDE considerandum est de sessione Christi ad dexteram Patris *.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo: utrum Christus sedeat ad dexteram Patris.

Secundo: utrum hoc conveniat sibi secundum divinam naturam.

Tertio: utrum conveniat sibi secundum humanam [α].

Quarto: utrum hoc sit proprium Christi.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM CHRISTO CONVENIAT SEDERE AD DEXTERAM DEI PATRIS

III *Sent.*, dist. XXII, qu. III, art. 3, qa 2; *Compend. Theol.*, cap. CCXLVI; *In Symb. Apost.*, art. 6; *Ad Ephes.*, cap. I, lect. VII; *Ad Heb.*, cap. VIII, lect. I.

AD PRIMUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod Christo non conveniat [β] sedere ad dexteram Dei Patris. Dextera enim et sinistra sunt differentiae positionum corporalium. Sed nihil corporale convenit Deo: quia *Deus spiritus est,* ut habetur Ioan. IV *. Ergo videtur quod Christus non sedeat ad dexteram Patris.

* Vers. 24.

2. PRAETEREA, si aliquis sedet ad dexteram alicuius, ille sedet ad sinistram eius. Si ergo Christus sedet ad dexteram Patris, sequitur quod Pater sedeat ad sinistram Filii. Quod est inconveniens.

3. PRAETEREA, sedere et stare videntur oppositionem habere. Sed Stephanus dicit, *Act.* VII *: *Ecce, video caelos apertos, et Filium Hominis stantem a dextris virtutis Dei.* Ergo videtur quod Christus non sedeat ad dexteram Patris.

* Vers. 55.

SED CONTRA EST quod dicitur Marci ult. *: *Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, ascendit in caelum, et sedet a dextris Dei.*

* Vers. 19.

RESPONDEO DICENDUM quod in nomine *sessionis* duo possumus intelligere: videlicet quietem, secundum illud Luc. ult. *, *Sedete hic in civitate;* et etiam regiam vel iudiciariam potestatem, secundum illud *Proverb.* XX *, *Rex qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Utroque igitur modo Christo convenit sedere ad dexteram Patris. Uno quidem modo, inquantum aeternaliter manet incorruptibilis in beatitudine Patris, quae eius dextera dicitur, secundum illud Psalmi *: *Delectationes in dextera tua usque in finem.* Unde Augustinus dicit, in libro *de Symbolo* *: « *Sedet ad dexteram Patris* »: *Sedere* « *habitare* » *intelligite: quomodo dicimus de quocumque homine, « In illa patria sedit per tres annos ». Sic ergo credite Christum habitare in dextera Dei Patris: beatus enim est, et ipsius beatitudinis nomen est « dextera Patris ».*

* Vers. 49.
* Vers. 8.
* Ps. XV, vers. 11.
* Lib. I, al. Serm. I, *de Symb., ad Catechum.*, cap. IV.

Alio modo dicitur Christus sedere in dextera Patris, inquantum Patri conregnat, et ab eo habet iudiciariam potestatem: sicut ille qui considet regi ad dexteram, assidet ei in regnando et iudicando. Unde Augustinus dicit, in alio Sermone *de Symbolo* *: *Ipsam dexteram intelligite potestatem quam accepit ille homo susceptus a Deo, ut veniat iudicaturus qui prius venerat iudicandus.*

* Lib. II, al. Serm. II, *de Symb., ad Catechum.*, cap. VII. - Op. dub.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod, sicut Damascenus dicit, in IV libro *, *non localem dexteram Patris dicimus. Qualiter enim qui incircumscriptibilis est, localem adipiscetur dexteram? Dextera enim et sinistra eorum quae circumscribuntur sunt. Dexteram autem Patris dicimus gloriam et honorem divinitatis.*

* *De Fide Orth.* lib. IV, cap. II.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ratio illa procedit secundum quod sedere ad dexteram intelligitur corporaliter. Unde Augustinus dicit, in quodam sermone *de Symbolo* *: *Si carnaliter acceperimus quod Christus sedet ad dexteram Patris, ille erit ad sinistram. Ibi autem,* idest in aeterna beatitudine, *omnis dextera est: quia nulla ibi est miseria.*

* Lib. I, al. Serm. I, *de Symb., ad Catechum.*, cap. IV.

AD TERTIUM DICENDUM quod, sicut Gregorius dicit, in Homilia *Ascensionis* *, *sedere iudicantis est: stare vero pugnantis vel adiuvantis. Stephanus ergo, in labore certaminis positus, stantem vidit quem adiutorem habuit. Sed hunc post ascensionem Marcus sedere describit: quia post assumptionis* [γ] *suae gloriam, iudex in fine videbitur.*

* Homil. XXIX *in Evang.*

α) *humanam.* – *naturam humanam* ed. *a*, *humanam naturam* EF et tertia praeter I.

β) *conveniat.* – Tertia; *conveniebat.*

γ) *assumptionis.* – *ascensionis* tertia praeter I.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus ut sonat. – In corpore articuli distinguit Auctor duos sensus quaesiti: et respondet unica conclusione, scilicet: *Utroque modo Christo convenit sedere ad dexteram Patris.* Distinctio est explicite de ly *sedere:* quod significat vel quietem; vel regiam seu iudiciariam dignitatem. Immiscetur quoque distinctio de ly *dextera:* quod significat vel beatitudinem Patris; vel iudiciariam seu regiam potestatem. Declaraturque conclusio: et firmatur auctoritatibus Augustini.

II. Adverte pro tota hac materia duo. Primum est quod tam *sedere* quam *dextera* sumitur, non proprie, sed metaphorice: ut clare patet in littera. Si tamen de positione Christi inquantum homo quaeratur, an stet vel sedeat in caelo: dicendum est quod stat. Et ratio est, quoniam positiones corporis dupliciter assumi possunt: vel in ordine ad officia humana; vel in ordine ad naturam. Et licet secundum officia diversi conveniant homini situs, quoniam pugnantis est stare, iudicantis sedere, etc., secundum tamen naturam unus est naturalis situs, scilicet stare: sedere enim, cubare, et huiusmodi, infirmitatis seu imbecillitatis naturae sunt. Unde, cum Christus ad vitam impassibilem resurrexerit, naturali situ propriae naturae in sua fortitudine, quae est stare, utitur.

III. Secundum est quod *sedere* metaphorice sumptum in proposito importat vel quiescere seu habitare; vel regiam seu iudiciariam, non potestatem, sed dignitatem. Et in hoc differt a tertia significatione *dexterae* metaphorice sumptae. *Dextera* enim Patris sumitur tertio modo pro regia seu iudiciaria potestate: *sedere* autem pro dignitate, ut patet in sequenti articulo. Nec obstat quod in hoc articulo dicitur quod *sessio* secunda significatione significat *regiam vel iudiciariam potestatem.* Procedens enim Auctor naturali doctrinae ordine de confusis ad distincta, usus est hic *potestatis* nomine prout confundit in se *dignitatem:* explicaturus in sequenti articulo distincte dignitatem seorsum a potestate, et illam *sessioni,* hanc *dexterae* attributurus.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM SEDERE AD DEXTERAM DEI PATRIS CONVENIAT CHRISTO SECUNDUM QUOD DEUS

III *Sent.*, dist. XXII, qu. III, art. 3, qª 2; *Compend. Theol.*, cap. CCXL; *Ad Heb.*, cap. I, lect. II, VI; cap. VIII, lect. I; cap. X, lect. I.



Ad secundum sic proceditur. Videtur quod sedere ad dexteram Dei Patris non conveniat Christo secundum quod Deus. Christus enim, secundum quod est Deus, est *dextera* Patris *. Sed non videtur idem esse dextera alicuius, et ille qui sedet ad dexteram eius. Ergo Christus, secundum quod est Deus, non sedet ad dexteram Patris.

[* Aug. *Enarr. in Psalm.* LXXXIX, vers. 12; Gloss. Lomb. ex Cassiod., ibid.]

2. Praeterea, Marci ult. * dicitur quod *Dominus Iesus assumptus est in caelum, et sedet a dextris Dei.* Christus autem non est assumptus in caelum secundum quod Deus. Ergo etiam neque secundum quod Deus, sedet a dextris Dei.

[* Vers. 19.]

3. Praeterea, Christus, secundum quod Deus, est aequalis Patri et Spiritui Sancto. Si ergo Christus, secundum quod Deus, sedet ad dexteram Patris, pari ratione et Spiritus Sanctus sedebit ad dexteram Patris et Filii, et ipse Pater ad dexteram Filii [α]. Quod nusquam invenitur.

Sed contra est quod Damascenus dicit*, quod *dexteram Patris dicimus gloriam et honorem divinitatis, in qua Dei Filius exstitit ante saecula ut Deus et Patri consubstantialis.*

[* De Fide Orth., lib. IV, cap. II.]

Respondeo dicendum quod, sicut ex praedictis * patet, nomine *dexterae* tria intelligi possunt: uno modo, secundum Damascenum, *gloria divinitatis;* alio modo, secundum Augustinum, *beatitudo Patris;* tertio modo, secundum eundem, *iudiciaria potestas. Sessio* autem, ut dictum est *, vel habitationem, vel regiam vel iudiciariam dignitatem designat. Unde *sedere ad dexteram Patris* nihil aliud est quam simul cum Patre habere gloriam divinitatis, et beatitudinem, et iudiciariam potestatem, et hoc immutabiliter et regaliter. Hoc autem convenit Filio secundum quod Deus. Unde manifestum est quod Christus, secundum quod Deus, sedet ad dexteram Patris: ita tamen quod haec praepositio *ad,* quae transitiva est, solam distinctionem personalem importat et originis ordinem, non autem gradum naturae vel dignitatis, qui nullus est in divinis personis, ut in Prima Parte * habitum est.

[* Art. praeced., corp. et resp. ad 1; cf. hic arg. *Sed contra.*] [* Art. praeced.] [* Qu. XLII, art. 3, 4.]

Ad primum ergo dicendum quod Filius dicitur *dextera* Patris appropriate, per modum quo etiam dicitur * *virtus* Patris. Sed dextera Patris secundum tres significationes praedictas * est aliquid commune tribus personis.

[* I *ad Cor.*, cap. I, vers. 24.] [* In corpore.]

Ad secundum dicendum quod Christus, secundum quod homo, assumptus est ad divinum honorem, qui in praedicta sessione designatur. Sed tamen ille honor divinus convenit Christo, inquantum est Deus, non per aliquam assumptionem, sed per aeternam originem.

Ad tertium dicendum quod nullo modo potest dici quod Pater sedeat ad dexteram Filii vel Spiritus Sancti: quia Filius et Spiritus Sanctus trahunt originem a Patre, et non e converso. Sed Spiritus Sanctus proprie potest dici sedere ad dexteram Patris vel Filii secundum sensum praedictum *: licet secundum quandam appropriationem attribuatur Filio, cui appropriatur aequalitas, sicut Augustinus dicit * quod *in Patre est unitas, in Filio aequalitas, in Spiritu Sancto unitatis aequalitatisque connexio.*

[* Ibid.] [* *De Doctr. Christian.* lib. I, cap. V.]

α) *et ipse... Filii.* – Om. Hbc; *et Spiritus Sancti* addunt PE.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Christus, secundum quod Deus, sedet ad dexteram Patris.* Probatur. Sedere ad dexteram Patris nihil aliud est quam simul cum Patre gloriam deitatis, et beatitudinem, et iudiciariam potestatem, immutabiliter et regaliter habere. Ergo.

Antecedens declaratur ponendo tres significationes *dexterae,* et duas *sessionis.* – Consequentia probatur. Quia totum illud convenit Christo secundum quod Deus.

Et quia ponitur in conclusione illa praepositio *ad,* dicendo *ad dexteram,* ideo Auctor subiungit quod in hac conclusione ly *ad* duo denotat: distinctionem personalem solam, et solum ordinem orginis. Ex eo enim quod ly *ad* praepositio transitiva est, ac per hoc, accessum quendam unius ad alterum in hac materia designat; et huiusmodi accessus, secundum rem, sine distinctione et ordine nequit intelligi; et cum inter personas divinas nulla sit distinctio nisi personalis, et nullus sit ordo nisi originis: consequens necessario fuit ut ly *ad* solam personalem distinctionem, solumque originis ordinem importaret.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM SEDERE AD DEXTERAM PATRIS CONVENIAT CHRISTO SECUNDUM QUOD HOMO

Locis cit. art. praeced.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod sedere ad dexteram Patris non conveniat Christo secundum quod homo. Ut enim Damascenus dicit *, *dexteram Patris dicimus gloriam et honorem divinitatis.* Sed honor et gloria divinitatis non convenit Christo secundum quod homo. Ergo videtur quod Christus, secundum quod homo, non sedeat ad dexteram Patris.

* De Fide Orth., lib. IV, cap. II.

2. Praeterea, sedere ad dexteram regnantis subiectionem excludere videtur: quia qui sedet ad dexteram regnantis, quodammodo illi conregnat. Christus autem, secundum quod homo, est *subiectus Patri,* ut dicitur I *Cor.* XV *. Ergo videtur quod Christus, secundum quod homo, non sit ad dexteram Patris.

* Vers. 28.

3. Praeterea, *Rom.* VIII, super illud *, *Qui est ad dexteram Dei,* exponit Glossa *: *idest, aequalis Patri in honore quo Deus Pater est; vel, ad dexteram Patris, idest in potioribus bonis Dei.* Et super illud *Heb.* I *, *Sedet ad dexteram Dei in excelsis,* Glossa *: *idest, ad aequalitatem Patris, super omnia et loco et dignitate.* Sed esse aequalem Deo non convenit Christo secundum quod homo: nam secundum hoc ipse dicit, Ioan. XIV *: *Pater maior me est.* Ergo videtur quod sedere ad dexteram Patris non conveniat Christo secundum quod homo.

* Vers. 34. * Lomb. * Vers. 3. * Interlin. * Vers. 28.

Sed contra est quod Augustinus dicit, in Sermone *de Symbolo* *: *Ipsam dexteram intelligite potestatem quam accepit ille homo susceptus a Deo, ut veniat iudicaturus qui prius venerat iudicandus.*

* Lib. II, al. Serm. II, *de Symb., ad Catechum.,* cap. VII. – Op. dub. Aug.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est *, nomine *dexterae Patris* intelligitur vel ipsa gloria divinitatis ipsius, vel beatitudo aeterna eius, vel potestas iudiciaria et regalis. Haec autem praepositio *ad* quendam ad dexteram accessum [α] designat, in quo designatur convenientia cum quadam distinctione, ut supra * dictum est. Quod quidem potest esse tripliciter. Uno modo, ut sit convenientia in natura et distinctio in persona. Et sic Christus, secundum quod Filius Dei, sedet ad dexteram Patris, quia habet eandem naturam cum Patre. Unde praedicta conveniunt essentialiter Filio sicut et Patri. Et hoc est esse in aequalitate Patris.

* Art. praeced. * Ibid. – Cf. Part I, qu. XCIII, art. 1.

Alio modo, secundum gratiam unionis: quae importat e converso distinctionem naturae et unitatem personae. Et secundum hoc Christus, secundum quod homo, est Filius Dei, et per consequens sedens ad dexteram Patris: ita tamen quod ly *secundum quod* non designet conditionem naturae, sed unitatem suppositi, ut supra * expositum est.

* Qu. XVI, a. 10, 11.

Tertio modo potest praedictus accessus intelligi secundum gratiam habitualem, quae abundantior est in Christo prae omnibus aliis creaturis, in tantum quod ipsa natura humana in Christo est beatior ceteris creaturis, et super omnes alias creaturas habens regiam et iudiciariam potestatem.

Sic igitur, si ly *secundum quod* designet conditionem naturae, Christus, secundum quod Deus, sedet *ad dexteram Patris,* idest *in aequalitate Patris* *. Secundum autem quod homo, sedet *ad dexteram Patris,* idest [β] *in bonis paternis potioribus prae ceteris creaturis,* idest *in maiori beatitudine,* et *habens iudiciariam potestatem.* – Si vero ly *secundum quod* designet unitatem suppositi, sic etiam, secundum quod homo, sedet ad dexteram Patris *secundum aequalitatem honoris:* inquantum scilicet eodem honore veneramur ipsum Filium Dei cum eadem [γ] natura assumpta, ut supra * dictum est.

* Cf. arg. 3. * Qu. XXV, art.

Ad primum ergo dicendum quod humanitas Christi, secundum conditiones [δ] suae naturae, non habet gloriam vel honorem deitatis: quem tamen habet ratione personae cui unitur. Unde ibidem Damascenus subdit: *In qua,* scilicet gloria deitatis, *Dei Filius existens ante saecula ut Deus*

α) *ad dexteram accessum.* – *accessum ad dexteram* PIsG, *accessum* sDE, *accessum (ad dexteram designat* margine) F.

β) *idest.* – EHsG et editiones; om. (F om. *idest in... creaturis idest*). Pro *bonis paternis, donis Patris* I.

γ) *eadem.* – Om. PEI.

δ) *conditiones.* – An *conditionem* legendum? – Pro *quem, quam* PFIsG et *ac, quod b.*

et Patri consubstantialis sedet, conglorificata ei [ε] *carne eius. Adoratur enim una hypostasis una adoratione cum carne eius, ab omni creatura.*

Ad secundum dicendum quod Christus, secundum quod homo, subiectus est Patri prout ly *secundum quod* designat conditionem naturae. Et secundum hoc, non competit ei sedere ad dexteram Patris secundum rationem aequalitatis, secundum quod est homo. Sic autem competit ei sedere ad dexteram Patris secundum quod per hoc designatur excellentia beatitudinis, et iudiciaria potestas super omnem creaturam.

Ad tertium dicendum quod esse in aequalitate Patris non pertinet ad ipsam naturam humanam Christi, sed solum ad personam assumentem. Sed esse in potioribus bonis Dei, secundum quod importat excessum aliarum creaturarum, convenit etiam ipsi naturae assumptae.

ε) *conglorificata ei.* – *glorificata* E, *glorificata ei* I, *cum glorificata ei* (eī H) FH, *cum glorificata* bc, *conglorificata* P. – Ad *Adoratur* margo P: *Al. Adoratur enim cum sua carne ab omni creatura.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore tria fiunt: primo, resumitur quid importet *sedere ad dexteram Patris,* ponderando maxime id quod insinuat ly *ad;* secundo, fit una distinctio trimembris, iuxta triplicem modum convenientiae et distinctionis; tertio, distinctionem bimembrem, scilicet naturae vel suppositi determinabilis per ly *secundum quod,* ponens, tres conclusiones declarat.

Circa primum, adverte quod Auctor non resumit omnia: sed facientia ad suum propositum. Praetermittit enim *ordinem:* quem in responsione ad tertium praecedentis articuli tanti fecit ut propterea negandum omnino dixerit Patrem sedere ad dexteram Filii.

Circa secundum, adverte quod in secundo membro Auctor utitur illa propositione quae tamen *magis est* Qu. xvi, art. 11. *neganda quam affirmanda,* iuxta doctrinam superius * habitam. Utitur enim propositione illa, *Christus, secundum quod homo, est Filius Dei.* Quam tamen vallavit ante et post ita ut nulli errandi occasio praeberetur: ut patet in littera.

Circa tertium, adverte quod prima conclusio: *Christus, secundum quod Deus, sedet ad dexteram Patris,* respondet primo dictis in secunda parte huius corporis. – Secunda autem conclusio: *Christus, secundum quod homo, sedet ad dexteram Patris, prout ly homo stat pro natura,* respondet tertio loco dictis in secunda parte corporis. Tertia vero conclusio: *Christus, secundum quod homo, sedet ad dexteram Patris, ut ly homo denotat unitatem suppositi,* respondet secundo dictis in secunda parte corporis.

Coactus est autem Auctor ad has distinctiones ut dignitatem Christi hominis, et auctoritates sane intellectas salvaret.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM SEDERE AD DEXTERAM PATRIS SIT PROPRIUM CHRISTI

III *Sent.*, dist. xxii, qu. iii, art. 3, qu^a 3.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod sedere ad dexteram Patris non sit proprium Christi. Dicit enim Apostolus, Vers. 6. *Ephes.* ii *, quod *resuscitavit* [α] *nos, et consedere fecit in caelestibus in Christo Iesu.* Sed resuscitari non est proprium Christi. Ergo pari ratione etiam nec *sedere ad dexteram Dei in* Ad Heb., cap. i, vers. 3. *excelsis* *.

2. Praeterea, sicut Augustinus dicit, in libro Lib. I, al. Serm. de Symb., ad catechum., cap. *de Symbolo* *, *Christum sedere ad dexteram Patris, hoc est habitare in eius beatitudine.* Sed hoc multis aliis convenit. Ergo videtur quod sedere ad dexteram Patris non sit proprium Christi.

3. Praeterea, ipse dicit, Vers. 21. *Apoc.* iii *: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno eius.* Sed per hoc sedet Christus ad dexteram Patris, quod sedet in throno eius. Ergo etiam et alii qui vincunt, sedent ad dexteram Patris.

4. Praeterea, Vers. 23. Matth. xx * Dominus dicit: *Sedere ad dexteram vel sinistram meam* [β], *non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* Hoc autem frustra diceretur nisi esset aliquibus paratum. Non ergo sedere ad dexteram soli Christo convenit.

Sed contra est quod dicitur *ad Heb.* i *: *Ad quem aliquando dixit angelorum* [γ], « *Sede a dextris meis* »: *idest* *, « *in potioribus meis* » [δ], *vel* « *mihi secundum divinitatem aequalis?* » Quasi dicat: *Ad nullum.* Sed angeli sunt superiores aliis creaturis. Ergo multo minus ulli [ε] alii convenit sedere ad dexteram Patris quam Christo. * Vers. 13. * Gloss. Lomb.

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est *, Christus dicitur sedere ad dexteram Patris, inquantum secundum divinam naturam est in aequalitate Patris, secundum autem humanam naturam in excellenti possessione divinorum bonorum prae ceteris aliis creaturis. Utrumque autem soli Christo convenit. Unde nulli alii, nec angelo nec homini, convenit sedere ad dexteram Patris, nisi soli Christo. * Art. praeced.

Ad primum ergo dicendum quod, quia Christus est caput nostrum, illud quod collatum est Christo, est etiam nobis in ipso collatum. Et propter hoc, quia ipse iam resuscitatus est, dicit Apostolus quod Deus nos quodammodo ei *con-*

α) *resuscitavit.* – *Deus conresuscitavit* P.

β) *vel sinistram meam.* – *meam vel sinistram* PBI, *meam et sinistram* ed. *a.*

γ) *aliquando dixit angelorum.* – *angelorum dixit aliquando* P.

δ) *in potioribus meis.* – *potioribus meis* E, *in potioribus* pG, *in potioribus bonis* sG, *in bonis potioribus meis* Hbc, *in meis bonis potioribus* P.

ε) *minus ulli.* – I; *magis nulli* P, *minus nulli* ceteri.

resuscitavit, qui tamen in nobis ipsis nondum sumus resuscitati, sed resuscitandi, secundum illud *Rom.* VIII *: *Qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora nostra.* Et secundum eundem modum loquendi subdit Apostolus quod *consedere nos fecit in caelestibus:* scilicet in hoc ipso quod caput nostrum, quod est Christus, ibi sedet.

* Vers. 11.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, quia dextera est divina beatitudo, *sedere in dextera* non significat simpliciter esse in beatitudine, sed habere beatitudinem cum quadam dominativa potestate, et quasi propriam et naturalem. Quod soli Christo convenit, nulli autem alii creaturae. – Potest tamen dici quod omnis sanctus qui est in beatitudine, est *ad dexteram Dei constitutus* *. Unde et dicitur Matth. XXV *, quod *statuet oves a dextris.*

* Cf. II *ad Cor.*, cap. IV, vers. 14; *Ad Ephes.*, cap. I, vers. 20; Ep. Iud., vers. 4.
* Vers. 33.

AD TERTIUM DICENDUM quod per *thronum* significatur iudiciaria potestas, quam Christus habet a Patre. Et secundum hoc, dicitur *sedere in throno Patris.* Alii autem sancti habent eam a Christo. Et secundum hoc, dicuntur *in throno Christi sedere:* secundum illud Matth. XIX *: *Sedebitis et vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.*

* Vers. 28.

AD QUARTUM DICENDUM quod, sicut Chrysostomus dicit, *super Matth.* *, *locus ille,* idest consessus dexterae, *invius est omnibus non solum hominibus, sed etiam angelis. Sicut enim praecipuum Unigeniti ponit Paulus, dicens: « Ad quem autem angelorum dixit unquam, Sede a dextris meis? »* Dominus ergo, *non quasi existentibus* quibusdam qui sessuri sint, *sed condescendens interrogantium supplicationi* ζ, *respondit. Hoc enim unum solum quaerebant, prae aliis stare apud ipsum.*

* Homil. LXV al. LXVI, *in Matth.*

Potest tamen dici quod petebant filii Zebedaei excellentiam habere prae aliis in participando iudiciariam potestatem eius. Unde non petebant quod sederent ad dexteram vel sinistram Patris, sed ad dexteram vel sinistram Christi *.

* Loc. cit. in arg. vers. 21.

ζ) *supplicationi.* – *suspicioni* I; *Alias suspicationi* margo P.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. – In corpore una conclusio: *Sedere ad dexteram Patris est proprium Christi.* Probatur. Sedere ad dexteram Patris, secundum divinam quidem naturam, est esse in aequalitate Patris: secundum autem humanam, est esse in excellentissima possessione paternae hereditatis. Sed utrumque soli Christo convenit. Ergo. – Reliqua clara sunt in littera.



QUAESTIO QUINQUAGESIMANONA

DE IUDICIARIA POTESTATE CHRISTI

IN SEX ARTICULOS DIVISA

Deinde considerandum est de iudiciaria potestate Christi * [* Cf. qu. LIII, introd.].

Et circa hoc quaeruntur sex.

Primo: utrum iudiciaria potestas sit attribuenda Christo.

Secundo: utrum conveniat sibi secundum quod est homo.

Tertio: utrum fuerit eam ex merito [α] adeptus.

Quarto: utrum eius potestas iudiciaria sit universalis respectu omnium hominum.

Quinto: utrum, praeter iudicium quod agit in hoc tempore, sit expectandus ad universale iudicium futurum [β].

Sexto: utrum eius iudiciaria potestas etiam ad angelos se extendat.

De executione autem finalis iudicii convenientius agetur cum considerabimus de his quae pertinent ad finem mundi * [* Cf. Supplem., qu. LXXXVIII sqq.]. Nunc autem sufficit ea sola tangere quae pertinent ad Christi dignitatem.

ARTICULUS PRIMUS

UTRUM IUDICIARIA POTESTAS SIT SPECIALITER ATTRIBUENDA CHRISTO

IV *Sent.*, dist. XLVII, qu. I, art. 2, qu[a] 3; dist. XLVIII, qu. I, art. 1, ad 4; *In Symb. Apost.*, art. 7; *In Ioan.*, cap. V, lect. IV.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod iudiciaria potestas non sit specialiter attribuenda Christo. Iudicium enim aliquorum videtur pertinere ad dominum: unde dicitur *Rom.* XIV * [* Vers. 4.]: *Tu quis es, qui iudicas alienum servum?* Sed esse Dominum creaturarum est commune toti Trinitati. Non ergo debet Christo specialiter attribui iudiciaria potestas.

2. Praeterea, Daniel VII * [* Vers. 9.] dicitur: *Antiquus Dierum sedit;* et postea subditur * [* Vers. 10.]: *Iudicium sedit et libri aperti sunt.* Sed Antiquus Dierum intelligitur Pater: quia, ut Hilarius dicit * [* De Trin. lib. II, num. I.], *in Patre est aeternitas.* Ergo iudiciaria potestas magis est attribuenda Patri quam Christo.

3. Praeterea, eiusdem videtur [γ] iudicare cuius est arguere. Sed arguere pertinet ad Spiritum Sanctum: dicit enim Dominus, Ioan. XVI * [* Vers. 8.]: *Cum autem venerit ille,* scilicet Spiritus Sanctus, *arguet mundum de peccato et de iustitia et de iudicio.* Ergo iudiciaria potestas magis debet attribui Spiritui Sancto quam Christo.

Sed contra est quod dicitur *Act.* X * [* Vers. 42.] de Christo: *Hic est qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum.*

Respondeo dicendum quod ad iudicium faciendum tria requiruntur. Primo quidem, potestas subditos coercendi: unde dicitur *Eccli.* VII * [* Vers. 6.]: *Noli quaerere fieri iudex, nisi valeas virtute rumpere* [δ] *iniquitates.* Secundo, requiritur rectitudinis zelus, ut scilicet aliquis non ex odio vel livore, sed ex amore iustitiae iudicium proferat: secundum illud *Proverb.* III * [* Vers. 12.]: *Quem enim diligit Dominus, corripit: et quasi pater in filio complacet sibi.* Tertio, requiritur sapientia, secundum quam formatur iudicium: unde dicitur *Eccli.* X * [* Vers. 1.]: *Iudex sapiens iudicabit populum suum.* Prima autem duo praeexiguntur ad iudicium: sed proprie tertium est secundum quod accipitur forma iudicii, quia ipsa ratio iudicii est lex sapientiae vel veritatis, secundum quam iudicatur.

Et quia Filius est *Sapientia genita* * [* Aug. *de Trin.* lib. VII, cap. II.], et Veritas a Patre procedens et ipsum perfecte repraesentans, ideo proprie iudiciaria potestas attribuitur Filio Dei. Unde Augustinus dicit, in libro *de Vera Relig.* * [* Cap. XXXI.]: *Haec est incommutabilis illa Veritas quae lex omnium artium recte dicitur, et ars omnipotentis Artificis. Ut autem nos, et omnes animae rationales, secundum veritatem de inferioribus recte iudicamus, sic de nobis, quando eidem cohaeremus, sola ipsa Veritas iudicat. De ipsa vero nec Pater: non enim minus est quam ipse. Et ideo quae Pater iudicat, per ipsam iudicat.* Et postea concludit: « *Pater* » *ergo* « *non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio* ».

Ad primum ergo dicendum quod ex [ε] illa ratione probatur quod iudiciaria potestas sit communis toti Trinitati: quod et verum est. Sed tamen per quandam appropriationem iudiciaria potestas attribuitur Filio, ut dictum est * [* In corpore.].

Ad secundum dicendum quod, sicut Augustinus dicit, in VI *de Trin.* * [* Cap. X.], Patri attribuitur aeternitas [ζ] propter commendationem principii, quod etiam importatur in ratione aeternitatis. Ibidem

---

α) *merito.* – *meritis* P.

β) *expectandus ad... futurum.* – *expectandus aliud... futurum* pG, *expectandum aliud... futurum per ipsum* PlsG.

γ) *videtur.* – *esse* addit tertia praeter G.

δ) *rumpere.* – *irrumpere* BFsI et editiones.

ε) *ex.* – HsGI *a* et editiones; om. EF, *lex* ceteri. – Pro *et verum*, *etiam verum* BEF, *manifestum* F, *verum* P.

ζ) *aeternitas.* – E et tertia praeter pG; *potestas aeternitas* F, *paternitas* ceteri. – Pro *etiam importatur in*, *ibi importatur* bc, *importatur in* P.

*

etiam Augustinus dicit quod Filius est *ars Patris.* Sic igitur auctoritas iudicandi attribuitur Patri inquantum est principium Filii; sed ipsa ratio iudicii attribuitur Filio, qui est ars et sapientia Patris: ut scilicet, sicut Pater fecit omnia per Filium suum inquantum est ars eius, ita etiam iudicat [η] omnia per Filium suum inquantum est sapientia et veritas eius. Et hoc significatur in Daniele, ubi primo dicitur quod *Antiquus Dierum sedit*, et postea subditur * quod *Filius Hominis pervenit usque ad Antiquum Dierum, et dedit ei potestatem et honorem et regnum:* per quod datur intelligi quod auctoritas iudicandi est apud Patrem, a quo Filius accepit potestatem iudicandi.

* Vers. 13, 14.

Ad tertium dicendum quod, sicut Augustinus dicit, *super Ioan.* *, ita dixit Christus quod Spiritus Sanctus « *arguet mundum de peccato* », *tanquam diceret: Ille diffundet in cordibus vestris caritatem. Sic enim, timore depulso, arguendi habebitis libertatem.* Sic ergo Spiritui Sancto attribuitur iudicium, non quantum ad rationem iudicii, sed quantum ad affectum iudicandi quem homines habent.

* Tract. XCV, num. 1.

η) *iudicat.* – *iudicet* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una conclusio: *Iudiciaria potestas proprie atribuitur Christo.* Probatur. Trium requisitorum ad iudicium, scilicet potestatis, rectitudinis zeli, et sapientiae, tertium est secundum quod accipitur forma iudicii. Sed Filius est Sapientia genita, et Veritas a Patre procedens. Ergo iudiciaria potestas proprie attribuitur Filio Dei.

Maior declaratur discurrendo per illa tria. – Et probatur: quia ipsa ratio iudicii est lex sapientiae et veritatis. – Et confirmatur auctoritate Augustini.

ARTICULUS SECUNDUS

UTRUM IUDICIARIA POTESTAS CONVENIAT CHRISTO SECUNDUM QUOD EST HOMO

IV *Sent.*, dist. XLVIII, qu. 1, art. 1; IV *Cont. Gent.*, cap. XCVI; *Quodl.* X, qu. 1, art. 2; *Compend. Theol.*, cap. CCXLI; *In Symb. Apost.*, art. 7; *In Matth.*, cap. XXV; *In Ioan.*, cap. V, lect. IV, V.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod iudiciaria potestas non conveniat Christo secundum quod est homo. Dicit enim Augustinus, in libro *de Vera Relig.* *, quod iudicium attribuitur Filio inquantum est ipsa lex primae veritatis. Sed hoc pertinet ad Christum secundum quod est Deus. Ergo iudiciaria potestas non convenit Christo secundum quod est homo, sed secundum quod est Deus.

* Cap. XXXI.

2. Praeterea, ad iudiciariam potestatem pertinet praemiare bene agentes, sicut et punire malos. Sed praemium bonorum operum est beatitudo aeterna, quae non datur nisi a Deo: dicit enim Augustinus, *super Ioan.* *, quod *participatione Dei fit anima beata, non autem participatione animae sanctae.* Ergo videtur quod iudiciaria potestas non conveniat Christo secundum quod est homo, sed secundum quod est Deus.

* Tract. XXIII, num. 5.

3. Praeterea, ad iudiciariam Christi potestatem pertinet iudicare occulta cordium: secundum illud I *ad Cor.* IV *: *Nolite ante tempus iudicare, quousque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium.* Sed hoc pertinet ad solam virtutem divinam: secundum illud Ierem. XVII *: *Pravum est cor hominis et inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus, scrutans corda et probans renes, qui do unicuique iuxta viam suam.* Ergo iudiciaria potestas non convenit Christo secundum quod est homo, sed secundum quod est Deus.

* Vers. 5.
* Vers. 9, 10.

Sed contra est quod dicitur Ioan. V *: *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius Hominis est.*

* Vers. 27.

Respondeo dicendum quod Chrysostomus, *super Ioan.* *, sentire videtur quod iudiciaria potestas non conveniat Christo secundum quod est homo, sed solum secundum quod est Deus. Unde auctoritatem Ioannis inductam * sic exponit: *Potestatem dedit ei iudicium facere. Quia* [α] *Filius Hominis est, nolite mirari hoc* *. *Non enim propterea suscepit iudicium quoniam homo est: sed quia ineffabilis Dei Filius est, propterea iudex est. Quia vero ea quae dicebantur erant maiora quam secundum hominem, ideo, hanc opinionem solvens, dixit: Ne miremini quia Filius Hominis est: etenim ipse est etiam Filius Dei.* Quod quidem probat per resurrectionis effectum: unde subdit: *Quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei.*

* Homil. XXXIX, aliter XXXVIII, num. 3.
* In arg. Sed contra.
* Vers. 28.

Sciendum tamen quod, quamvis apud Deum remaneat primaeva auctoritas iudicandi, hominibus tamen committitur a Deo iudiciaria potestas respectu eorum qui eorum iurisdictioni subiiciuntur. Unde dicitur *Deut.* I *: *Quod iustum est iudicate:* et postea subditur *: *Quia Dei est iudicium,* cuius scilicet auctoritate vos iudicatis. Dictum est autem supra * quod Christus, etiam in natura humana, est caput totius Ecclesiae, et quod *sub pedibus eius Deus omnia subiecit* *. Unde et ad eum pertinet, etiam secundum naturam humanam, habere iudiciariam potestatem. Propter

* Vers. 16.
* Vers. 17.
* Qu. VIII, art. 1, 4; qu. XX, art. 1 ad 3.
* Ps. VIII, vers. 8; ad Heb. cap. II, vers. 8.

α) *Quia.* – *ut postea subditur quia* sG, *ut (et* b*) postea subdatur quia*, Ib, *et postea subditur quia* Pc.

quod videtur auctoritatem praedictam Evangelii sic esse intelligendam [β]: *Potestatem dedit ei iudicium facere quia Filius Hominis est,* non quidem propter conditionem naturae, quia sic [γ] omnes homines huiusmodi potestatem haberent, ut Chrysostomus obiicit *: sed hoc pertinet ad gratiam capitis, quam Christus in humana natura accepit.

* Loc. cit.

Compètit autem Christo hoc modo secundum humanam naturam iudiciaria potestas, propter tria. Primo quidem, propter convenientiam et affinitatem ipsius ad homines. Sicut enim Deus per causas medias, tanquam propinquiores effectibus, operatur; ita iudicat per hominem Christum homines, ut sit suavius iudicium hominibus. Unde Apostolus dicit, *Heb.* IV *: *Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia per similitudinem* [δ], *absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae eius.*

* Vers. 15, 16.

Secundo, quia *in finali iudicio,* ut Augustinus dicit, *super Ioan.* *, *erit resurrectio corporum mortuorum, quae suscitat Deus per Filium Hominis,* sicut *per eundem Christum suscitat animas* inquantum est *Filius Dei.*

* Tract. XIX, num. 15. - Cf. tract. XXIII, num. 6.

Tertio quia, ut Augustinus dicit, in libro *de Verbis Domini* *, *rectum erat ut iudicandi viderent iudicem. Iudicandi autem* [ε] *erant boni et mali. Restabat ut in iudicio forma servi et bonis et malis ostenderetur, forma Dei solis bonis servaretur.*

* Serm. CXXVII, *de Verb. Dom.* XIV, cap. VII.

Ad primum ergo dicendum quod iudicium pertinet ad veritatem sicut ad regulam iudicii: sed ad hominem qui est veritate imbutus pertinet secundum quod est unum quodammodo cum ipsa veritate, quasi quaedam lex et quaedam *iustitia animata* *. Unde et ibidem Augustinus introduxit [ζ] quod dicitur I *Cor.* II *: *Spiritualis iudicat omnia.* Anima autem Christi prae ceteris creaturis magis fuit unita veritati et magis ea repleta: secundum illud Ioan. I *: *Vidimus eum plenum gratiae et veritatis.* Et secundum hoc, ad animam Christi maxime pertinet omnia iudicare.

* Aristot. *Ethic.* lib. V, cap. IV, n. 7. - S. Th. lect. VI.
* Vers. 15.
* Vers. 14.

Ad secundum dicendum quod solius Dei est sui participatione animas beatas facere. Sed adducere homines ad beatitudinem, inquantum est caput et auctor salutis eorum, Christi est [η]: secundum illud *Heb.* II *: *Qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari.*

* Vers. 10.

Ad tertium dicendum quod cognoscere occulta cordium et diiudicare per se quidem pertinet ad solum Deum: sed ex refluentia divinitatis ad animam Christi, convenit ei etiam cognoscere et diiudicare occulta cordium, ut supra * dictum est, cum de scientia Christi ageretur. Et ideo dicitur *Rom.* II *: *In die cum iudicabit Deus occulta hominum per Iesum Christum.*

* Qu. X, art. 2.
* Vers. 16.

β) *videtur... intelligendam.* – *Augustinus auctoritatem praedictam et* (*et* om. DE et tertia) *Evangelii sic esse* (*sic dicit* I, *sic dicit esse* F*a* et cetera tertia) *intelligendam* omnes; sed quia s. Augustinus quae sequuntur non habet, error veterum codicum potius in verbo *Augustinus* pro *videtur* vel *patet,* situs esse videtur quam in omissione verbi *dicit.* An pro veterum *et Evangelii* legendum *ex Evangelio?*

γ) *sic.* – Om. Pc.

δ) *per similitudinem.* – *pro similitudine* I; *Al. pro similitudine* margo P.

ε) *autem.* – P; om. *b, enim* ceteri.

ζ) *introduxit.* – *introducit* PI.

η) *Christi est.* – Om. I, *convenit Christo* ante *inquantum* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore tria fiunt. Primo, recitatur opinio Chrysostomi, qui aliter punctuat textum Evangelii quam nos. Ipse enim illa verba, *quia Filius Hominis est,* non coniungit cum praecedentibus, scilicet, *potestatem dedit ei iudicium facere:* sed coniungit ea cum sequentibus, scilicet, *nolite mirari hoc.* Ita quod, apud Chrysostomum, concluditur prima sententia ibi, *potestatem dedit ei iudicium facere,* et inchoat secunda sententia ibi, *Quia Filius Hominis est,* et concluditur ibi, *nolite mirari hoc.* Et est sensus quod propterea quia Filius Hominis est, non accipiant admirationem de antedicta sententia, *potestatem dedit ei iudicium facere:* ut clare patet in hac littera.

Secundo, respondet quaesito una conclusione: *Ad Christum, etiam secundum humanam naturam, pertinet habere iudiciariam potestatem.* Probatur. Iudiciaria potestas committitur a Deo hominibus respectu eorum qui illorum iurisdictioni subduntur, remanente apud Deum primaeva potestate iudicandi. Sed Christus, ut homo, est caput Ecclesiae, et *omnia habet subiecta sub pedibus suis.* Ergo. – Maior probatur auctoritate *Deuteronomii.* – Et minor habetur ex supra dictis.

Tertio, respondetur ad Chrysostomum ex auctoritate Augustini *, solvitque obiectionem eius. Et solutio consistit in hoc, quod cum dicitur, *quia Filius Hominis est,* non significatur sola natura Filii Hominis, sed etiam gratia qua plenus erat Filius Hominis: et sic ly *quia Filius Hominis est* concludit praecedentem sententiam. Et vere sic clarior apparet littera Evangelii.

* Cf. not β.

Quarto, reddit triplicem rationem quare convenienter Christo, secundum humanam naturam, competit iudiciaria potestas. Et clare patent in littera.

ARTICULUS TERTIUS

UTRUM CHRISTUS EX MERITIS FUERIT ADEPTUS IUDICIARIAM POTESTATEM

IV *Sent.,* dist. XLVII, qu. I, art. 2, qu[a] 2, ad 4; dist. XLVIII, qu. I, art. 1; IV *Cont. Gent.,* cap. XCVI; *Compend. Theol.,* cap. CCXLI.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod Christus non ex meritis fuerit adeptus iudiciariam potestatem. Iudiciaria enim potestas assequitur regiam dignitatem: secundum illud *Proverb.* XX *: *Rex qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Sed regiam dignitatem Christus obtinuit absque meritis: competit enim ei ex hoc ipso quod est Unigenitus Dei; dicitur enim Luc. I *: *Dabit ei Dominus Deus sedem David, patris eius, et regnabit*

* Vers. 8.
* Vers. 32.

in domo Iacob in aeternum. Ergo Christus iudiciariam potestatem non obtinuit ex meritis.

* Art. praeced. 2. PRAETEREA, sicut dictum est *, iudiciaria potestas competit Christo inquantum est caput nostrum. Sed gratia capitis non competit Christo ex meritis: sed consequitur personalem unionem
* Ioan. I, vers. 14, 16. divinae et humanae naturae, secundum illud *: *Vidimus gloriam eius, quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis, et de plenitudine eius nos omnes accepimus,* quod pertinet ad rationem capitis. Ergo videtur quod Christus non habuerit ex meritis iudiciariam potestatem.

* Vers. 15. 3. PRAETEREA, Apostolus dicit, I *Cor.* II *: *Spiritualis iudicat omnia.* Sed homo efficitur spiritualis per gratiam: quae non est ex meritis, *alioquin iam non esset gratia,* ut dicitur *Rom.* XI *.
* Vers. 6. Ergo videtur quod iudiciaria potestas non conveniat nec Christo nec aliis ex meritis, sed ex sola gratia.

* Vers. 17. SED CONTRA EST quod dicitur *Iob* XXXVI *: *Causa tua quasi impii iudicata est: iudicium causamque recipies.* Et Augustinus dicit, in libro *de Ver-*
* Serm. CXXVII, al. de Verb. Dom. LXIV, cap. VII. *bis Domini* *: *Sedebit iudex qui stetit sub iudice: damnabit veros* [α] *reos qui falso factus est reus.*

RESPONDEO DICENDUM quod nihil prohibet unum et idem deberi alicui ex causis diversis: sicut gloria corporis resurgentis debita fuit Christo non solum propter congruentiam divinitatis [β] et propter gloriam animae, sed etiam *ex merito humilitatis passionis* *. Et similiter dicendum est quod
* Aug. in Ioan. Evangel., tract. CIV. iudiciaria potestas homini Christo competit et propter divinam personam, et propter capitis dignitatem, et propter plenitudinem gratiae habitualis, et tamen etiam ex merito eam obtinuit: ut scilicet, secundum Dei iustitiam, iudex esset qui pro Dei iustitia pugnavit et vicit, et iniuste iudicatus est. Unde ipse dicit, *Apoc.* III *: *Ego vici, et sedi* * Vers. 21.
in throno Patris mei. In *throno* autem intelligitur iudiciaria potestas: secundum illud Psalmi *: * Ps. IX, vers. 5
Sedet super thronum, et iudicat [γ] *iustitiam.*

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ratio illa procedit de iudiciaria potestate secundum quod debetur Christo ex ipsa unione ad Verbum Dei.

AD SECUNDUM DICENDUM quod ratio illa procedit ex parte gratiae capitis.

AD TERTIUM DICENDUM quod ratio illa procedit ex parte gratiae habitualis, quae est perfectiva animae Christi. Per hoc tamen quod his modis debetur Christo iudiciaria potestas, non excluditur quin debeatur ei ex merito.

α) *veros.* – *vos* FsG et *c*, *vero* P, om. *a*.
β) *congruentiam divinitatis.* – PI; *convenientiam divinitatis et* (*et* om. D) *congruentiam.*
γ) *Sedet... iudicat.* – *Sedes super thronum qui iudicas* P; *qui* etiam Ebc.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. – In corpore una conclusio: *Iudiciaria potestas homini Christo competit et propter divinam personam, et propter capitis dignitatem, et propter gratiae habitualis plenitudinem: et, cum his, ex merito eam obtinuit.* Probatur. Et primo, quoad simultatem tot modorum. Quia unum potest deberi alicui ex causis diversis. Quod declaratur exemplo gloriae corporis Christi. – Deinde quoad ultimam partem. Quia qui pro Dei iustitia iudicatus pugnavit et vicit, debet esse iudex, etc. Et confirmatur auctoritate Scripturae.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM CHRISTO PERTINEAT IUDICIARIA POTESTAS QUANTUM AD OMNES RES HUMANAS

IV *Sent.*, dist. XLVII, qu. I, art. 3, qu^a^ 1, 2, 3; *In Symb. Apost.*, art. 7; *Ad Rom.*, cap. XIV, lect. I; II *ad Cor.*, cap. V, lect. II.

AD QUARTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod ad Christum non pertineat iudiciaria potestas quantum ad omnes res hu-
* Vers. 13, 14. manas. Ut enim legitur Luc. XII *, cum quidam de turba diceret [α], *Dic fratri meo ut dividat mecum hereditatem,* ille respondit: *Homo, quis me constituit iudicem aut divisorem super vos?* Non ergo habet iudicium super omnes res humanas.

2. PRAETEREA, nullus habet iudicium nisi super ea quae sunt sibi subiecta [β]. Sed Christo *nondum*
* Vers. 8. *videmus omnia esse subiecta,* ut dicitur *Heb.* II *. Ergo videtur quod Christus non habeat super omnes res humanas iudicium.

* Cap. II. 3. PRAETEREA, Augustinus dicit, XX *de Civ. Dei* *, quod ad iudicium divinum pertinet hoc quod interdum boni affliguntur in hoc mundo et interdum prosperantur, et similiter mali. Sed hoc fuit etiam ante Christi incarnationem. Ergo non omnia iudicia Dei circa res humanas pertinent ad potestatem iudiciariam Christi.

SED CONTRA EST quod dicitur Ioan. V *: *Pater* * Vers. 22.
omne iudicium dedit Filio.

RESPONDEO DICENDUM quod, si de Christo loquamur secundum divinam naturam, manifestum est quod omne iudicium Patris pertinet ad Filium: sicut enim Pater facit omnia Verbo suo, ita et omnia iudicat Verbo suo.

Si vero loquamur de Christo secundum humanam naturam, sic etiam manifestum est quod omnes res humanae subduntur eius iudicio. Et hoc manifestum est, primo quidem, si consideremus habitudinem animae Christi ad Verbum Dei. Si enim *spiritualis iudicat omnia,* ut dicitur

α) *diceret.* – *Christo diceret* PIsG.
β) *subiecta.* – PI; *subiecta ut dicitur Heb. II.* – Pro *nondum videmus, non vidimus* omnes praeter P.

* Vers. 15. I *Cor.* II *, inquantum mens eius Verbo Dei inhaeret; multo magis anima Christi, quae plena est veritate Verbi Dei, super omnia iudicium habet.

Secundo, apparet idem ex merito mortis eius. * Vers. 9. Quia, ut dicitur *Rom.* XIV *, *in hoc Christus mortuus est et resurrexit, ut vivorum et mortuorum dominetur.* Et ideo super omnes habet iudicium. * Vers. 10. Propter quod et Apostolus ibi subdit * quod *omnes stabimus ante tribunal Christi:* et Daniel * Vers. 14. γ VII *, quod γ *dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes populi, tribus et linguae servient ei.*

Tertio, apparet idem ex comparatione rerum humanarum ad finem humanae salutis. Cuicumque enim committitur principale, committitur et accessorium. Omnes autem res humanae ordinantur in finem beatitudinis, quae est salus aeterna, ad quam homines admittuntur, vel etiam * Vers. 31 sqq. repelluntur, iudicio Christi, ut patet Matth. XXV *. Et ideo manifestum est quod ad iudiciariam potestatem Christi pertinent omnes res humanae.

Ad primum ergo dicendum quod, sicut dictum * Art. praeced., arg. 1. est *, iudiciaria potestas consequitur regiam dignitatem. Christus autem, quamvis rex esset constitutus a Deo, non tamen in terris vivens terrenum regnum temporaliter administrare voluit: unde ipse dicit, Ioan. XVIII *: *Regnum meum non est de hoc mundo.* * Vers. 36. Et similiter etiam iudiciariam potestatem exercere noluit super res temporales, qui venerat homines ad divina transferre: ut Ambrosius, ibidem *, dicit: *Bene terrena declinat qui propter divina descenderat: nec iudex dignatur esse litium et arbiter facultatum, vivorum habens mortuorumque iudicium, arbitriumque meritorum.* * Exposit. super Luc. lib. VII.

Ad secundum dicendum quod Christo omnia sunt subiecta quantum ad potestatem, quam a Patre super omnia accepit: secundum illud Matth. ult. *: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.* * Vers. 18. Nondum tamen sunt ei omnia subiecta quantum ad executionem suae potestatis. Quod quidem erit in futuro, quando de omnibus voluntatem suam adimplebit, quosdam quidem salvando, quosdam puniendo.

Ad tertium dicendum quod ante incarnationem huiusmodi iudicia exercebantur per Christum inquantum est Verbum Dei: cuius potestatis facta est particeps per incarnationem anima ei personaliter unita.

γ) *quod.* – *dicitur quod* PIsG.

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore duae sunt conclusiones. Prima est: *Christo secundum divinam naturam convenit omnium iudicium.* Probatur. Quia sicut Pater omnia facit per Verbum, ita omnia iudicat per illud.

Secunda conclusio est: *Omnes res humanae subduntur iudicio Christi secundum humanam naturam.* Probatur tripliciter. Et omnia clara sunt in littera.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM POST IUDICIUM QUOD IN PRAESENTI TEMPORE AGITUR RESTET ALIUD IUDICIUM GENERALE

IV *Sent.*, dist. XLVII, qu. I, art. 1, qu^a 1; IV *Cont. Gent.*, cap. XCVI; *Quodl.* X, qu. I, art. 2; *Compend. Theol.*, cap. CCXLII; *In Matth.*, cap. XXV.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod post iudicium quod in praesenti tempore agitur, non restat aliud iudicium generale. Post ultimam enim retributionem praemiorum et poenarum, frustra adhiberetur iudicium. Sed in hoc praesenti tempore fit retributio praemiorum et poenarum: dixit * Vers. 43. enim Dominus latroni in cruce, Luc. XXIII *: *Hodie mecum eris in Paradiso;* et Luc. XVI * dicitur * Vers. 22. quod *mortuus est dives et sepultus in inferno.* Ergo frustra expectatur finale iudicium.

* Vers. 9. 2. Praeterea, Nahum I * dicitur, secundum * LXX Interp. aliam litteram *: *Non iudicabit Deus bis in idipsum.* Sed in hoc tempore Dei iudicium exercetur et quantum ad temporalia et quantum ad spiritualia. Ergo videtur quod non sit expectandum aliud finale iudicium.

3. Praeterea, praemium et poena respondent merito et demerito. Sed meritum et demeritum non pertinent ad corpus nisi inquantum est animae instrumentum. Ergo nec praemium seu poena debetur corpori nisi per animam. Non ergo requiritur aliud iudicium in fine, ad hoc quod homo praemietur aut puniatur in corpore, praeter illud quo nunc puniuntur aut praemiantur α animae. α

Sed contra est quod dicitur Ioan. XII *: *Sermo quem locutus sum vobis, ille vos iudicabit* β *in novissimo die.* * Vers. 48. β Erit ergo quoddam iudicium in novissimo die, praeter iudicium quod nunc agitur.

Respondeo dicendum quod iudicium de aliqua re mutabili perfecte dari non potest ante eius consummationem. Sicut iudicium de aliqua actione qualis sit, perfecte dari non potest antequam sit consummata et in se et in suis effectibus: quia multae actiones videntur esse utiles, quae

α) *puniuntur aut praemiantur.* – *praemiantur aut puniuntur* BCsH, *praemiuntur aut praemiantur* pD, *puniuntur aut puniantur* G, *puniuntur quando puniuntur* pH.

β) *sum vobis, ille vos iudicabit.* – *sum, ille iudicabit eum* P.

ex effectibus demonstrantur nocivae. Et similiter de homine aliquo iudicium perfecte dari non potest quandiu eius vita terminetur [γ]: eo quod multipliciter potest mutari de bono in malum aut e converso, vel de bono in melius, aut de malo in peius. Unde Apostolus dicit, *Heb.* IX *, quod *hominibus statutum est semel mori: post hoc autem, iudicium.* [* Vers. 27.]

Sciendum tamen quod, licet per mortem vita hominis temporalis terminetur secundum se, remanet tamen ex futuris secundum quid dependens. Uno quidem modo, secundum quod adhuc vivit in memoriis hominum: in quibus quandoque contra veritatem remanet bonae famae vel malae. – Alio modo in filiis, qui sunt quasi aliquid patris: secundum illud *Eccli.* XXX *: *Mortuus est pater illius, et quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se.* [* Vers. 4.] Et tamen multorum bonorum sunt mali filii, et e converso. – Tertio modo, quantum ad effectum suorum operum: sicut ex deceptione Arii et aliorum seductorum pullulat infidelitas usque ad finem mundi; et usque tunc proficit fides ex praedicatione Apostolorum. – Quarto modo, quantum ad corpus: quod quandoque honorifice traditur sepulturae, quandoque vero relinquitur insepultum, et tandem incineratum resolvitur omnino. – Quinto modo, quantum ad ea in quibus homo suum affectum defixit, puta in quibuscumque temporalibus rebus: quorum quaedam citius finiuntur, quaedam diutius durant.

Omnia autem haec subduntur existimationi divini iudicii. Et ideo de his omnibus perfectum et manifestum iudicium haberi non potest quandiu huius temporis cursus durat. Et propter hoc oportet esse finale iudicium in novissimo die, in quo perfecte id quod ad unumquemque hominem pertinet quocumque modo, perfecte et manifeste diiudicetur.

Ad primum ergo dicendum quod opinio quorundam fuit quod animae sanctorum non praemiantur in caelo, nec animae damnatorum puniuntur [δ] in inferno, usque ad diem iudicii *. [* Cf. *Cont. Arm., Graec.* etc., cap. IX; *Concil. Florent. sess.* XXXIX.] Quod apparet falsum ex hoc quod Apostolus, II *Cor.* V *, [* Vers. 6 sqq.] dicit: *Audemus, et bonam voluntatem habemus, peregrinari a corpore et praesentes esse* [ε] *ad Dominum*, quod est iam non *ambulare per fidem*, sed *per speciem* [ζ], ut patet ex his quae subsequuntur. Hoc autem est videre Deum per essentiam, in quo consistit *vita aeterna*, ut patet Ioan. XVII *. [* Vers. 3.] Unde manifestum est animas a corporibus separatas esse in vita aeterna.

Et ideo dicendum est quod post mortem, quantum ad ea quae sunt animae, homo sortitur quendam immutabilem statum. Et ideo, quantum ad praemium animae, non oportet ulterius differri iudicium. Sed quia quaedam alia sunt ad hominem pertinentia quae toto temporis cursu aguntur, quae non sunt aliena a divino iudicio, oportet iterum [η] in fine temporis omnia haec in iudicium adduci. Licet enim homo secundum haec non mereatur neque demereatur, tamen pertinent ad aliquod eius praemium vel poenam. Unde oportet haec omnia existimari [θ] in finali iudicio.

Ad secundum dicendum quod Deus non iudicabit bis *in idipsum*, idest *secundum idem*. Sed secundum diversa non est inconveniens Deum bis iudicare.

Ad tertium dicendum quod, licet praemium vel poena corporis dependeat ex praemio vel poena animae, tamen, quia anima non est mutabilis nisi per accidens propter corpus, separata statim [ι] a corpore habet statum immutabilem, et accipit suum iudicium. Sed corpus remanet mutabilitati subiectum usque ad finem temporis. Et ideo oportet quod tunc recipiat suum praemium vel poenam in finali iudicio.

γ) *quandiu eius vita terminetur.* – GH*abc*; *quandiu eius vita timetur* ABCD, *quandiu eius vita non terminetur* (*terminatur* sF) F (cf. qu. XXVIII, art. 3 v), *quis eius vita terminetur* I, *quoad eius vita terminetur* P.
δ) *puniuntur.* – PFI; *puniantur.*
ε) *esse.* – EHsG *a* et editiones; om.
ζ) *speciem.* – PEH*a*; *spem.*
η) *iterum.* – P; *interior* ABCD, *ideo* ed. *a*, *in termino* EFHIpG et *bc*, *in termino idest* sG.
θ) *existimari.* – *aestimari* editiones, *examinari* sG.
ι) *separata statim.* – *statim separata* PI, *separata b.* Pro *suum iudicium*, *statim iudicium bc.*

Commentaria Cardinalis Caietani

Titulus clarus. – In corpore una est conclusio: *Ultra iudicium quod in cuiuslibet hominis morte fit, oportet esse finale iudicium in novissimo die.* Probatur sic. Iudicium de aliqua re mutabili dari perfecte non potest ante eius consummationem. Sed vita hominis, licet sit per mortem terminata secundum se, remanet tamen secundum quid mutabilitati subiecta, usque ad finem mundi dependens ex futuris. Ergo non potest vita hominis, secundum id quod quomodolibet ad unumquemque pertinet, perfecte iudicari ante finem mundi. Ergo oportet esse finale iudicium in novissimo die, ultra particulare quod fit in cuiusque morte.

Maior propositio manifestatur dupliciter. Primo, in actionibus. Secundo, in hominibus. Et ad hoc affertur auctoritas Apostoli. – Minor autem propositio manifestatur in quinque generibus reliquiarum vitae humanae: scilicet in memoriis, in filiis, in effectibus, in corporibus, et in amatis.

Et quoniam dixisset fortasse aliquis quod reliquiae istae sunt impertinentes ad Christi iudicium: ideo, ad hoc excludendum, Auctor apponit rationem, quam perficit in responsione ad primum. Est autem ratio integra quod haec omnia, quia clauduntur sub genere praemii vel poenae, ideo cadunt sub aestimatione divini iudicii, quod ad omnia humana praemia, omnesque humanas poenas, se extendit. Patet autem discurrendo per singula enumerata quod nonnulla poena et nonnullum praemium est hominis in supradictis reliquiis, praesupposita immortalitate animae, et corporis post resurrectionem, ut hic supponimus.

II. Adverte hic quod maior propositio est per se nota, loquendo de iudicio alicuius rei ex propriis ipsius, ut patet. Et hoc dico, ne fallaris a captiosis obiicientibus de aeterno Dei iudicio, quo singula perfectissime iudicat antequam fiant. Christus, etiam secundum quod homo, ab instanti conceptionis suae perfectissime cognovit omnes has reliquias antequam fiant. Sed haec sunt ex parte cognoscentis: praesens autem ratio ex parte rei cognitae se tenet; et per se notam propositionem assumit, quod rei mutabilis perfectum iudicium dari non potest ante illius consummationem. Et si ipsi iungas quod *divina sapientia disponit*

omnia suaviter *; ac per hoc, quia suavis dispositio iudicii rei mutabilis exigit ut discutiatur secundum modum naturae suae: videbis quod sapientissime processit Auctor ad concludendum finale iudicium ex eo quod perfectum iudicium rei mutabilis non potest suaviter dari ante illius consummationem.

* *Sap.* cap. VIII, vers. 1.

Et haec dicta sint de iudicio quatenus infra cognitionis seu speculationis limites consistit. Ut autem *extensione fit practicum* *, ad puniendum vel praemiandum, absque distinctione aliqua patet propositionem maiorem esse universaliter verissimam: quoniam reddere praemium vel poenam perfecte praesupponit consummationem operis puniendi vel praemiandi. Et iuxta hunc sensum, clare patet processus litterae, absque obiectione aliqua. Quia nec Deus prius punit quam fiat quod puniendum est, etc.

* Cf. Aristot. *de Anima*, lib. III, cap. X, n. 2. - S. Th. lect. XV.

III. Circa reliquias spectantes ad poenam vel praemium, secundum Auctoris sententiam, adverte quod, licet apud nostra iudicia haec videantur per accidens, et consequenter aliena ab examinatione iudicii; apud tamen divinum iudicium omnia aestimanda esse ex sacris potest colligi Litteris. Legimus enim Nabuchodonosor praemiatum a Deo ob servitium sibi exhibitum satis per accidens in oppugnatione Tyri: ut patet Ezech. XXIX *. David quoque punitum legimus ob effectum satis per accidens: *Quia*, inquit Nathan propheta, *inimicos fecisti blasphemare nomen Domini, filius qui natus est tibi, morietur,* II *Reg.* XII *. Unde patet ad ea etiam quae per accidens sunt, divina se extendere iudicia.

* Vers. 18 sqq.

* Vers. 14.

IV. In responsione ad primum et tertium, adverte quod aliud est hominem post mortem sortiri statum immutabilem secundum animam: et aliud est sortiri statum non impedibilem. Anima enim per mortem pervenit ad statum immutabilem de bonitate in malitiam, aut e contra: et aut est confirmata in bono, aut obstinata in malo; aut civis caelestis, aut inferni. Et penes hoc attenditur immutabilitas status. Cum qua immutabilitate stat quod possit impediri ad tempus ne ad suam civitatem perveniat. Et huiusmodi impedimenta pertinent ad purgatorium: quod non constituit tertium statum animarum, neque facit mutationem aliquam in statu animae, quia est immutabilis; sed impedimentum praestat consummationi status illius. Et simile est ei quod invenitur in motibus naturalibus. Leve enim ascendens sursum, si impediatur in via, non propterea mutat sui motus naturam; nec, cessante impedimento ascendendo, novum acquirit principium motus; sed, remoto prohibente, a primaevo immutato principio ascensum prosequitur. Sic enim anima, immutata secundum statum suum, soluto purgatorio, tanquam remoto prohibente, ad finem sui immobilis status, in quo est confirmata per mortem, gratia duce, pervenit.

ARTICULUS SEXTUS

UTRUM POTESTAS CHRISTI IUDICIARIA SE EXTENDAT AD ANGELOS

IV *Sent.*, dist. XLVII, qu. 1, art. 3, qu^a 4; dist. XLVIII, qu. 1, art. 1.

AD SEXTUM SIC PROCEDITUR. Videtur quod potestas Christi iudiciaria non se extendat ad angelos. Angeli enim, tam boni quam mali, iudicati sunt a principio mundi, quando, quibusdam cadentibus per peccatum, alii sunt in beatitudine confirmati. Sed illi qui iudicati sunt, non iterum indigent iudicari. Ergo potestas iudiciaria Christi non se extendit ad angelos.

2. PRAETEREA, non est eiusdem iudicare et iudicari. Sed angeli venient cum Christo iudicaturi: secundum illud Matth. XXV *: *Cum venerit Filius Hominis in maiestate sua, et omnes angeli eius cum eo.* Ergo videtur quod angeli non sint iudicandi a Christo.

* Vers. 31.

3. PRAETEREA, angeli sunt superiores aliis creaturis. Si ergo Christus est iudex non solum hominum, sed etiam angelorum, pari ratione erit iudex omnium creaturarum. Quod videtur esse falsum, cum hoc sit proprium providentiae Dei: unde dicitur *Iob* XXXIV *: *Quem constituit alium super terram? Aut quem posuit super orbem quem fabricatus est?* Non ergo Christus est iudex angelorum.

* Vers. 13.

SED CONTRA EST quod Apostolus dicit, I *Cor.* VI *: *An nescitis quoniam angelos iudicabimus?* Sed sancti non iudicabunt nisi auctoritate Christi. Ergo multo magis Christus habet iudiciariam potestatem super angelos.

* Vers. 3.

RESPONDEO DICENDUM quod angeli subsunt iudiciariae potestati Christi, non solum quantum ad divinam naturam, prout est Verbum Dei, sed etiam ratione humanae naturae. Quod patet ex tribus. Primo quidem, ex propinquitate naturae assumptae ad Deum: quia, ut dicitur *Heb.* II *, *nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit.* Et ideo anima Christi magis est repleta veritate [α] Verbi Dei quam aliquis angelorum. Unde et angelos illuminat: sicut Dionysius dicit, VII cap. *Cael. Hier.* Unde de eis habet iudicare.

* Vers. 16.

Secundo, quia per humilitatem passionis humana natura in Christo meruit exaltari super angelos: ita quod, sicut dicitur *Philipp.* II *, *in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum.* Et ideo Christus habet iudiciariam potestatem etiam super angelos [β] bonos et malos. In cuius signum dicitur, *Apoc.* VII *, quod *omnes angeli stabant in circuitu throni.*

* Vers. 10.

* Vers. 11.

Tertio, ratione eorum quae circa homines operantur, quorum Christus speciali quodam modo est caput. Unde dicitur *Heb.* I *: *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis.*

* Vers. 14.

Subsunt autem iudicio Christi, uno quidem modo, quantum ad dispensationem eorum quae per ipsos aguntur. Quae quidem dispensatio fit etiam per hominem Christum: cui *angeli ministrabant,* ut dicitur Matth. IV *; et a quo daemones petebant ut in porcos mitterentur, ut dicitur Matth. VIII *.

* Vers. 11.

* Vers. 31.

Secundo, quantum ad alia accidentalia praemia bonorum angelorum, quae sunt gaudia quae habent de salute hominum, secundum illud Luc.

α) *veritate.* – *virtute* editiones.

β) *angelos.* – *angelos et* DI, *omnes angelos* GH*bc*, *omnes angelos et* P.

* Vers. 10. xv *: *Gaudium est* [γ] *angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente.* Et etiam quantum ad poenas accidentales daemonum, quibus torquentur vel hic, vel recluduntur [δ] in inferno. Et hoc etiam pertinet ad hominem Christum. Unde Marci I * dicitur quod daemon clamavit: *Quid nobis et tibi, Iesu Nazarene? Venisti* [ε] *perdere nos?* * Vers. 24.

Tertio, quantum ad praemium essentiale beatorum [ζ] angelorum, quod est beatitudo aeterna: et quantum ad poenam essentialem malorum, quae est damnatio aeterna. Sed hoc factum est per Christum inquantum est Verbum Dei, a principio mundi.

AD PRIMUM ERGO DICENDUM quod ratio illa procedit de iudicio quantum ad praemium essentiale et poenam principalem.

AD SECUNDUM DICENDUM quod, sicut dicit Augustinus, in libro *de Vera Relig.* *, licet *spiritualis iudicet omnia,* tamen iudicatur ab ipsa veritate. Et ideo, licet angeli, ex eo quod sunt spirituales, iudicent, iudicantur tamen a Christo, inquantum est Veritas. * Cap. XXXI.

AD TERTIUM DICENDUM quod Christus habet iudicium non solum super angelos, sed etiam super administrationem totius creaturae. Si enim, ut Augustinus dicit, in III *de Trin.* *, inferiora quodam ordine reguntur a Deo per superiora, oportet dicere quod omnia regantur per animam Christi, quae est super omnem creaturam. Unde et Apostolus dicit, *Heb.* II *: *Non enim angelis subiecit Deus orbem terrae futurum,* scilicet *subiectum ei « de quo loquimur », idest Christo* *. * Cap. IV. * Vers. 5. * Gloss. Ord. e Lomb.

NEC TAMEN PROPTER HOC ALIUM CONSTITUIT DEUS SUPER TERRAM. QUIA UNUS ET IDEM EST DEUS ET HOMO DOMINUS IESUS CHRISTUS. DE CUIUS INCARNATIONIS MYSTERIO AD PRAESENS DICTA SUFFICIANT.

γ) *est. – erit* P.
δ) *vel hic, vel recluduntur.* – Tertia praeter G; *ut hic vel recluduntur* ABCD, *ut hic vel recludantur* ed. *a*, *vel hic includuntur* F, *ut* (*vel* pG) *hic vel reducuntur* pEG, *ut hic vel recuduntur* sE, *vel hic vel cum recluduntur* sG.
ε) *Venisti. – Cur venisti* Hc, *Venisti ante tempus* P.
ζ) *beatorum. – bonorum* Da et tertia. – Pro *malorum, malorum angelorum* I, *angelorum malorum* P.

Commentaria Cardinalis Caietani

TITULUS clarus. – In corpore duo fiunt. Primo, respondetur quaesito una conclusione: *Angeli subsunt iudiciariae potestati Christi, etiam inquantum est homo.* Et probatur tripliciter.

Secundo, declaratur quoad quid angeli subsunt sic Christo. Et fit distinctio trimembris: scilicet de ministerio; vel praemio aut poena accidentali; vel praemio aut poena essentiali. – Et omnia clara sunt in littera.

II. In responsione ad tertium, adverte quod, cum dicitur *inferiora regi per superiora,* non intelligitur de inferiori et superiori quocumque modo; nec de inferiori et superiori quoad beatitudinem. Alioquin, sequeretur quod multi angeli regerentur per multos sanctos homines, quos elevatos credimus supra multos angelos. Et consequenter multi sancti homines concurrerent ad administrationem mundi huius inferioris: quoniam administratio haec minimis videtur credita angelis. Consequens autem hoc credimus esse falsum. Quoniam sancti homines, quantumcumque beatiores sint angelis, non tamen praesunt regimini universali spiritualis aut corporalis creaturae, sed hoc officium reservatum est angelis, quibus congruit ex natura. Unde intelligendum est inferiora regi per superiora non secundum quid, sed simpliciter et absolute. Et propterea, quia Christus homo est simpliciter et absolute superior angelis, quia est caput totius Ecclesiae triumphantis; animae autem beatorum hominum supra multos angelos, sunt angelis superiores solum secundum quid, scilicet secundum beatitudinem: ideo ex dicta maxima Augustini * et Dionysii * optime concluditur quod Christus est super administratione totius creaturae; et, cum hoc, animae beatorum hominum non praesunt universali regimini creaturarum. * Loc. cit. in lit. * *Cael. Hier.* cap. IV.

ET HAEC SUFFICIANT DE PRINCIPALI PARTE HUIUS LIBRI, QUAE DE MYSTERIO INCARNATI VERBI TRACTAVIT.



INDEX

EORUM QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

TERTIA PARS
SUMMAE THEOLOGIAE
SANCTI THOMAE AQUINATIS
CUM COMMENTARIIS
CARDINALIS CAIETANI

QUAESTIO SEPTIMA

De gratia Christi secundum quod est singularis homo.

QUAESTIO OCTAVA

De gratia Christi secundum quod est caput Ecclesiae.

QUAESTIO NONA

De scientia Christi in communi.

QUAESTIO DECIMA

De scientia beata animae Christi.

QUAESTIO UNDECIMA

De scientia indita vel infusa animae Christi.

QUAESTIO DUODECIMA

De scientia animae Christi acquisita vel experimentali.

QUAESTIO DECIMATERTIA

De potentia animae Christi.

QUAESTIO DECIMAQUARTA

De defectibus corporis quos Christus in humana natura assumpsit.

QUAESTIO DECIMAQUINTA

De defectibus pertinentibus ad animam quos Christus in humana natura assumpsit.

QUAESTIO DECIMASEXTA

De his quae conveniunt Christo secundum esse et fieri.

QUAESTIO DECIMASEPTIMA

De unitate Christi quantum ad esse.

QUAESTIO DECIMAOCTAVA

De unitate Christi quantum ad voluntatem.

QUAESTIO DECIMANONA

De unitate operationis Christi.

QUAESTIO VIGESIMA

De subiectione Christi ad Patrem.

QUAESTIO VIGESIMAPRIMA

De oratione Christi.

QUAESTIO VIGESIMASECUNDA

De sacerdotio Christi.

QUAESTIO VIGESIMATERTIA

De adoptione, an Christo conveniat.

QUAESTIO VIGESIMAQUARTA

De praedestinatione Christi.

QUAESTIO VIGESIMAQUINTA

De adoratione Christi.

QUAESTIO VIGESIMASEXTA

De hoc quod Christus dicitur mediator Dei et hominum.

QUAESTIO VIGESIMASEPTIMA

De sanctificatione Beatae Virginis.

QUAESTIO VIGESIMAOCTAVA

De virginitate Matris Dei.

QUAESTIO VIGESIMANONA

De desponsatione Matris Dei.

QUAESTIO TRIGESIMA

De annuntiatione Beatae Virginis.

QUAESTIO TRIGESIMAPRIMA

De materia de qua corpus Salvatoris conceptum est.

QUAESTIO TRIGESIMASECUNDA

De principio activo in conceptione Christi.

QUAESTIO TRIGESIMATERTIA

De modo et ordine conceptionis Christi.

QUAESTIO TRIGESIMAQUARTA

De perfectione prolis conceptae.

QUAESTIO TRIGESIMAQUINTA

De nativitate Christi.

QUAESTIO TRIGESIMASEXTA

De manifestatione Christi nati.

QUAESTIO TRIGESIMASEPTIMA

De circumcisione Christi et de aliis legalibus circa puerum Christum observatis.

QUAESTIO TRIGESIMAOCTAVA

De baptismo Ioannis.

QUAESTIO TRIGESIMANONA

De baptizatione Christi.

QUAESTIO QUADRAGESIMA

De modo conversationis Christi.

QUAESTIO QUADRAGESIMAPRIMA

De tentatione Christi.

QUAESTIO QUADRAGESIMASECUNDA

De doctrina Christi.

QUAESTIO QUADRAGESIMATERTIA

De miraculis a Christo factis in generali.

QUAESTIO QUADRAGESIMAQUARTA

De singulis miraculorum speciebus.

QUAESTIO QUADRAGESIMAQUINTA

De transfiguratione Christi.

QUAESTIO QUADRAGESIMASEXTA

De passione Christi.

QUAESTIO QUADRAGESIMASEPTIMA

De causa efficiente passionis Christi.

QUAESTIO QUADRAGESIMAOCTAVA

De modo efficiendi passionis Christi.

QUAESTIO QUADRAGESIMANONA

De effectibus passionis Christi.

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Iosephus Ceppetelli Archiep. Myren. Vicesgerens.